


KRANTZII
METROPOLI







ALBERTI KRANTZII,

RERVM GERMANICARVM HISTORICI CLARISSIMI, ECCLESIASTICA HISTORIA, SIVE

Metropolis.

De primis Christianæ religionis in Saxonia initijs, deque eius episcopis, & horum vita, moribus, studijs & factis. Item de aliarum nationum, regum & principum rebus gestis, ad quas passim in alijs suis operibus lectorem author remittit.

Denuò, & quidem multò accuratius & emendatius, quàm antè, edita.

Cum præfatione ad Reuerendissimum principem ac Dominum, Dominum IVLIVM Episcopum Herbipolitanum, Franconiæ ducem &c. Ioan. Wolfij I. C.

Addito Indice locupletissimo.



FRANCOFVRTI AD MOENVM

Ex officina Typographica And. Wecheli.

M. D. LXXVI.

Liber Arnoldi Comitis in Bentheim, Teckelnburg et Steinfurt Domini in Rheda et Wevelinckhoven etc. Emtus Anno 1584.

P. Z. I.



REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IVLIO EPISCOPO HERBIPOLITANO, FRANCONIÆ DVCI &c. DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

REVERENDISSIME PRINCEPS, Clementiſſime Domine: Cùm nulla pars ſit hiſtoriȩ, quȩ non maximos fructus in communem vitam effundat, tum rerum de religione geſtarum commemoratio inter omnes præcipuè elucere atque excellere videtur. Nam vtilitas, quam quidem cæteræ hiſtoriæ nobis impertiunt, terminata eſt iiſdem finibus, quibus vitæ huius ſpatium continetur, & tota cum morte obituque hominum extabeſcit: Sed quæ ex ſacris hiſtoriis ſuſcipitur, nullis terminis clauſa, in huius vitæ curſum influit, longiſſimeque permanat, tum multo magis in ſempiterna felicitate eniteſcit. Deinde reliquæ hiſtoriæ ad deuinciendam ſeruandamque hominum inter homines ſocietatem & ciuilem mundi cultum externamque vitæ ſanctimoniam pertinent: Sed in ſacris diuinum numen eiuſque colendi ſcientia & vera religio exemplorum perſpicuitate in animos hominum imprimitur, in quo vno poſita eſt ſumma animarum ſalus & perennis gloriæ expectatio. Quantò igitur diuina humanis antecellunt, perpetua, illis, quæ ſunt in temporum atque conuerſionum ſpaciis incluſa: tantò neceſſe eſt præ cæteris omnibus hiſtoriis ſplendidè enitere rerum de religione actarum ſcriptam memoriam: in qua clariſſimè ante oculos palam proponitur, quam Religionem Deus, miraculis, ſancti vitæ effuſione, maiores noſtri, bello & pace comprobauerint: quid eius religionis cultoribus, quid hoſtibus acciderit: quo modo diffuſa in ſummam amplitudinem, ex tenuibus initiis per incredibiles calamitates creuerit: quibus interdum corruptelis deformata, quomodo mirabiliter ad lucem & veterem nitorem ſit reuocata: & in qua, vt vno verbo dicam, traditæ in diuinis literis religioni nouum lumen accenditur. Nam cùm noſtra religio & præceptis ſit tradita & illuſtrata exemplis, etſi in præceptis maiora ſunt authoritatis & dignitatis momenta, tamen animi hominum plus pelluntur exemplis, & quaſi ſti-

mulis fodiuntur, vt eam religionem suscipiant, quæ non tantum traditis præceptis, sed etiam exemplorum testimoniis continetur. Quis non afficitur, nisi planè sit omni religione improbus, cùm videt religionem tot seculis ad nos ductam, Christi & sanctorum hominum morte comprobatam, toties pressam & nunquam euersam esse? Quis Ethnicus aut alienus à fide non multò plus impellitur exemplorum luminibus, quàm simplici præceptorum explicatione? Quis contra dolore non ardet, cùm hodie pessimo exemplo conspicit, religione vna alteram pelli, optimam opinionem interire, nouam quotidie ferè fingi, Magistratum in subditos, subditos in Magistratum armari, terrestria cœlestibus, diuina humanis misceri? Quem sanum vitæ non pudet, cùm cernit Ecclesiam Dei ab impiis vulnere & sanguine fœdari: peregrinis nouis & veteratoriis artibus res iniustissimas, horrenda ambitione contaminatas propugnari, cuncta dissimulari, verba dari, secundis rebus & arridente fortuna, excæcari, quid sui sit officii, planè negligi: & à pessimis hominum perditorum qui ex principum & patriæ ruinis, res suas constabiliunt, consiliis, ceu fluctu quodam longè à vero, iusto & æquo abripi: prætextu nescio quo, vi & armis amicos pariter ac inimicos, vexari dispoliari & interuerti? Hæc quotidianis exemplis nota sunt, & iudico veteres omnes eò respexisse, vt religionem cum exemplis coniungerent, neque vllam penè de diuini numinis cultu lineam traderent, quam non statim illuminarent eorum exemplis, qui aut religione obligati, præmium: aut impii, supplicium tulissent, vt homines exemplis incitati, plus voluntatis & studii ad religionem afferent. Arduum enim est, absque exemplo res magnas lucidè ostendere: longumq; est iter per præcepta: breue & efficax per exempla: Plus ex moribus quàm verbis trahimus. Antiquorum namque exempla, ad insinuandam huius vitę instabilitatem intuenda sunt, & sermo viuus & efficax, exemplum operis est. Ita spiritus sanctus in veteri testamento, non tantum inter leges passim sparsit ac disseminauit historias, verum etiam integros libros exarauit, de vita & exitu eorum, qui aut ornassent religionem, aut flagitiosè dedecorassent: non certè vt simpliciter, res gestas ad orbis terræ sempiternam memoriam propagaret, sed vt facilius in illis tanquam in speculo sanctitas Deique colendi scientia cerneretur. Ita in Euangelio, quàm artificiosè, quàm venustè sancti authores Euangelii, fidem miraculorum & historiarum varietate distinxerunt? Et præterea plenum ostentorum, quę Deus per Apostolos edidisset, reliquerunt librum, vt perculsi lectores mirabilium factorum testimoniis, studium ad testatam signis & prodigiis religionem applicarent, quam nudè simpliciterque traditam abiecissent. In quo illud maximum momentum habet, quod eadem authoritas & cæteris & historicis libris tribuitur: ne quisquam dubitet, sanctis historiis clarissimam lucem in religionem importari. Deinde post Apostolorum memoriam, quanta contentione, quanta assiduitate sanctissimi patres incubuerunt, vt religionis incrementa, prodi-

Plato de Reg. Sen. in epist. 6. Gregor. 4. mor. Bern. Serm. 56.

prodigia & præſertim exempla eorum, qui teſtimonium religioni ſanguine reliquiſſent, non ſolum frequenti cõmemoratione in animos hominum impellerentur, verum etiam ad poſteritatem, conſignata literis peruenirent. Quod tametſi omnes elaborarent, neque vllus penè antiquus theologus extitit, qui non de religione ſuperioris & ſui temporis aut plenos commentarios confecerit, aut obſcuram ſingularis memoriæ particulam reliquerit: tamen præ omnibus plurimum ſtudii & diligentiæ poſuiſſe videtur, Hegeſippus, Euſebius, Sozomenus, Socrates, Theodoritus Cyrenſis, Baſilius, Philoſtorgius, Theodorus lector & alii, qui conſeruatis notatiſque temporibus religionis hiſtoriam literis mandarunt, non vt inane pueris oblectamentum parerent. Sed vt eam doctrinam comprobarent, quam tot illuſtres ſanguines obſignaſſent: quæ eſſet oblatæ mortis contemptione à Sanctis per tot ſuppliciorum acerbitates defenſa: quæ toties omnibus viribus oppreſſa, tandem caput euictis & conculcatis hoſtibus cum ampliſſima dignitate extuliſſet. Nam vt ex Sybillinis verſibus, quos de Athenis ſcribitur edidiſſe, conſtat,

Mergitur interdum, ſed non ſubmergitur vnquam
Saluificum Chriſti ſeruans Eccleſia verbum.

Ac vtinam poſteri eandem curam ad ſeſe perductam retinuiſſent: aut vtinam Germani etiam fidei hiſtorias publicis monumentis & literis conſecraſſent, ex quibus erui poſſet, quando ad eos propagata eſſet religio, quomodo progreſſa: à quibus regibus vel afflicta, vel ſubleuata: quinam prima ſemina ieciſſent: qui animas & vitas profudiſſent. Verum ſicut nobis in maiorum noſtrorum ſuſceptis fortiter, & geſtis præclarè omnibus rebus accidit, vt, cum nullis literis retinerentur, temporis diuturnitate ex animis & memoria dilapſæ, interirent: idem etiam hîc vuſu venit, vt veteris religionis initia, auxilia, & teſtimonia nullis ſcriptis plenè tradita, magnam partem à nobis peregrinentur: quæ ſi omnia fuiſſent animaduerſa, & in publicis monumentis infixa, nullis Græcis, nullis Italis cederemus aut Martyrum gloria, aut tandem noſtrorum hominum ſanctitate & beneuolentia in religionem. Nunc præter pauca & ea plerumque multis mendaciunculis, prodigiis fabuloſis, portentis, & rebus commentitiis aſperſa, omnia nobis erepta ſunt vetuſtate, niſi quòd hinc inde in diuerſis libris ſunt quædam tenuia exempla ſparſim effuſa & diſiecta: Et nemo planè extat, qui animum appulerit, vt ſingulariter primarum in Germania Eccleſiarum ortus & progreſſiones deſcriberet. Soli ex omnibus Albertus Krantzius vir religione, doctrina & fide clariſſimus, & alius Wernerus ex maximis miſerrimiſque veterum ſacrorum naufragiis quaſdam quaſi tabulas collegerunt, & Eccleſiaſticos integros libros, de ſuarum ditionum religione confecerunt, quando & à quibus ſit Chriſtiana fides inducta, quibus adminiculis conſeruata, quot illuſtrium animarum profuſione vetus ſuperſtitio obliterata atque euerſa: Et Wernerus quidem nimis conciſè ſolùm de Weſtphalis: Krantzius eſt vberrimè

de tota Saxonia & partim etiam vicinarum gentium historiam prosecutus, & gloriam omnem Wernero ex manibus eripuit in hoc libro, quem metropolim ipse inscripsit, ab Hamburga Saxonicarum Ecclesiarum metropoli, in qua, sicut in Dania nuper prolixè diximus, vitam degebat. Incepit autem ab anno 780, & inde continuatam perpetuo ordine fortunam Ecclesiæ Saxonicæ ad annum 1504 perduxit: In qua perenni multorum annorum memoria, Deus bone, quantos, quàm mirabiles vtilitatis fructus omnibus præbet? quantos stimulos incutit ad imitandam maiorum nostrorum pietatem? cùm percenset, quanto periculo CAROLVS MAGNVS, quot hominum interitu, quot Martyrum innocentia, publicam Christianæ fidei professionem in aduersantem & repugnantem Saxoniam protulerit: quomodo Hamburgæ, Salingstadii, Padeborniæ, Myminggrodii, Werdæ, Bremæ, Mindæ, Hildesheymii & alias Ecclesias erexerit: quo pacto deinde collegia Hamburgæ & alibi tanquam omnium linguarum, artium & religionis ludos & officinas aperuerit, & præsertim cùm noua necessitudo, in quam cum Græcis venerat, cognitionem Græcæ linguæ desideraret, iusserit Osnaburgi perpetuas vtriusque

Lib.1.ca.2

linguæ Scholas haberi, in quibus sacerdotes eius cœnobii erudirentur, vt inde posset Episcopus Orator ad Impp. legari Constantinopolim. A cuius viri sanctimonia & religione, quantum nostri principes degenerant? qui patiuntur monasteria aut desidiosissimo inertissimoq; otio occupari, aut profana haberi, & in nefarios externos vsus conuerti: cùm meritò ac iure semel Deo dicata, Ecclesiis, Scholis, pauperibus & Xenodochiis tantùm, non autem vt fit, rebus ab omni religione remotis, & aulicæ luxuriæ deuolui conueniret. In quo malunt turpis Græculi Imperatoris

Zonar. Ant.to.3. in vita Copron.

Copronymi, qui sublatis multis orthodoxorum millibus, eorum domicilia partim demolitus est, partim militibus distribuit, imitatores esse, quàm in perenni contestataque maiorum virtute persistere. Neque illa tantùm Krantzius, sed plura fidei capita grandioribus exemplis ita ante oculos ponit, ita perspicuè exprimit, vt magnum lumen religioni præferat: neque solum exempla & historias nudè recitat, sed omnia ad religio-

Eccles. statum. lib.1. ca.23.24 32. libr.2. ca.27. & 28. lib.4. ca.1. li.10 ca.45. lib. 11. ca.39. Imperii. li. 5. cap.13. lib.8. cap. 27. & 40 li.10. cap. 31. & 41.

nis regulam aut sanctimoniæ alicuius normam dirigit, & interdum fructum etiam aliquem in communem vitam deriuat operæ historiæque suæ. Vt autem maiorum virtutem extollit, ita sui temporis vitia asperiùs obiurgat, & quædam flebiliter lamentatur, quòd vir optimus & summa religione præditus doleret vnam Christi fidem in multas familias & factiones dissipari: Ecclesiam corruptelis & superstitionibus imbui: totumque Imperium turbulentissima iactari seditionum & discordiarum tempestate.

Hunc igitur, Reuerendissime PRINCEPS, non librum sed thesaurum, de sacris historiis, summa fide & diligentia scriptum, quis dubitet dignissimum esse, qui typis excusus, ad immortalem memoriam posteritati consecretur? Quæ etiam me res impulit, vt Wechelo Typographo, viro Cla-

ro Clariſſimo, eius excudendi ſuaſor eſſem: quòd cætera omnia eiuſdem authoris, veterum rerum & ſeculorum monumenta nuper in publicam lucem emiſiſſet. Viſum eſt enim perabſurdum eſſe, cùm profanis Krantzii hiſtoriis diligentem cultum tribuiſſet, vt magno ſplendore poſteris luceant, ſi ſacras præteriret, & deſertas incultasque iacere permitteret, quas diximus vtilitate & dignitate & perpetuitate cæteris antecellere. Quod cum Wechelus pro ſumma propenſaque voluntate, quam in poſteros habet, comprobaſſet, venerunt tandem, vt vides, ſacræ & profanæ hiſtoriæ Krantzii plenæ abſolutæque in conſpectum hominum, & quidem ſub nomine TVÆ CELSITVDINIS: quod eam non grauatè laturam eſſe ſciebam, cùm inſtituti mei ſuſceptique conſilii cauſas intelligeret. Primum enim cùm non ignorarem, quanta eſſet noſtrorum hominum procliuitas ad carpendos publicos labores, nihilque penè tam ſanctum exeat, quod non maximis conuiciorum aculeis configatur, vel laceretur calumnia: & ob eam rem liber ſingulari ſubſidio egere videretur: circumſpectis omnibus rebus, ſubductisque rationibus, in nullum incidi, cùm omnes mente colluſtraſſem, qui te vel melius poſſet, vel libentius vellet authori auxilium ad obtrectationes porrigere. Nam cùm in cæteris quædam obſcurè inſint, in te omnia clariſſimè ſplendent: ampliſſima Imperii poteſtas, maxima religio, incredibilis doctrina, ingens natura, incenſus literarum amor, ſumma comitas: vt authoritate & doctrina poſſis: literarum amore non pudeat: religione & comitate, non recuſes, religioſo ſcripto & authori opem ſubſidiumque ferre. Inuaſit hodie multorum principum animos & penè oppreſſit, immanis & turpis opinio, vt ſuam dignitatem putent, his librorum inſcriptionibus aut ſi literis animum præbeant, dedecorari: multique (vt Wimpfelingi verbis, etſi non eleganter latinis, vtar) literas ita odiunt, vt latinum ſermonem, etiamſi ſciant, loqui erubeſcant. Quoniam aſſentatores, inquit, & calamiſtrati qui principibus dies & noctes, ſicut ſanguiſugæ, adhærent, auertunt innocentiſsimos eorum animos, dicuntque eſſe indecorum principi diſcere & loqui nobiliſsimam linguam. Timent enim impudici canes, & mancipia diaboli, ſi principum ſpiritus inuadat ſanctus ardor ſapientiæ, ſtudii literarum, prudentiæ, virtutum, hiſtoriarum, ſeſe qui barbarie pleni ſunt, contemptum iri: doctosque & graues viros ſibi præponi: qui nihil didicere aliud, quàm aucupio, venatu, furore, blaſphemia, crudelitate, luxu, ocio, ludo, libidine, humani ſanguinis, eccleſiaſticarum rerum ſiti, & omni veſtium, verborum, operum leuitate, calamiſtraturaque, noſtram nationem infamem deſpectamque reddere, ac mirum in modum apud exteros contemptam atque abiectam. Perſuadent etiam principibus noſtris hæ ſanguiſugæ, poſſe Reſpubl. feliciter gubernari abſque doctis & literatis hominibus neſcientes quod ſcribit Iulius Capitolinus hiſtoriographus elegantiſsimus, Marcum Impp. ſemper in

Iac. Wimp. rerum Germ. ca. 48.

ore habuisse illud diuini Platonis, florere ciuitates, si aut Philosophi imperarent, aut Imperatores Philosopharentur. Sed hæc de te ne suspicari quidem in mentem mihi venit, qui & ipse animum linguis & artibus dignis nobili homine perpoliuisti, & adhuc in summo dignitatis splendore faces, quas natura in te accendit, erga literatos & studia retines.

Deinde Clementissime Domine, postquam te Dei voluntas, tuaque illustris virtus ante hoc tempus ad celsissimam amplissimæ dignitatis sedem euexisset, sæpe multumque optaui, vt pro singulari beneuolentia, quam mihi semper in Gallia tribuisses, eam tibi amplitudinem & fortunam gratularer: Itaque diem ex die expectaui, dum tempus idoneum & aptum eluceret. Quod cùm nunc in hac sacra Krantzii historia scripta de veterum maiorum pietate nactus essem, fui incredibiliter exhilaratus, neque vlla ratione committendum esse iudicaui, quin publico scripto voluptatem meam exprimerem, quam ex amplissimo honore tuo cepissem. Præuidi ego multò antè ex tuarum splendore virtutum: quæ magnificè enitebant, quanta gloria & fortunæ altitudo esset prosecutura: cogitaui etiam ipse mecum, quàm felix longeque beatissima ditio futura esset, in qua tu regnares Philosophus, id est, pietatis & omnium doctrinarum virtutumque clarissimis luminibus illustratus: meminique me sæpe amicis de illis omnibus quasi vaticinari: vt me nunc & honorum tuorum illustris meritaque claritas, & meum iudicium euentu comprobatum, oblectet. Audio enim cum ad summam celsissimumque gradum tui Magistratus ascendisses, statim documentum virtutis fecisse, & ad eam solum curam animum applicauisse, non vt sanguisugas improbos fisci lienes, & assentatores vel ciuium tuorum expilatores, quod plerique Principes faciunt, sed vt viros literatos, authoritate, prudentia, & eruditione præstantes in tuam familiam cooptares, qui tuos labores in amplissimo imperio leuarent, & moderatis consiliis summaque intelligentia tecum ciues tuæ potestati subiectos pacatè regerent. Quod profectò, vt pro multis vnum tanquam veteri consuetudine mihi coniunctissimum, honoris causa nominem, es cumulatissimè assecutus, cùm consiliis tuis adiungeres Iohannem Christophorum ab Hornstein, virum vetustissimis equestris familiæ maiorumque suorum honoribus, admirabili rerum omnium, & præcipuè iuris doctrina, incredibili virtute, & singulari integritate clarissimum, qui vnus in magno imperio loco multorum eruditione gerendæque Reipublic. scientia splendere posset. Cùm igitur tam illustris de te fama per vniuersam Germaniam peruagata in omnibus locis percrebuisset, & passim nunciaretur, quantum meam præsensionem non solum sustineres, sed etiam vinceres: fui ita sicut dixi inflammatus, vt nactus edendi huius libri occasionem omnino tibi in eo tùm Imperii tui, tum florescentis in te ad summam gloriam virtutis, gratulationem faciendam esse iudicarem: sicut nunc & librum

Vt illos Vlp. Tra. vocabat.

brum humilimè in tuam curam & defensionem tanquam in sacrum templum consecro, & præterea Deũ oro, vt in illa summa fortunæ tuæ splendorisque dignitate diutissimè sine omni offensione florere & Imperio Ecclesiæque plurima honorum tuorum ornamenta præferre possis.

Intelligis Reuerendissime princeps, quibus honestis causis incitatus, librum ad te miserim: eoque mihi vt spero, non gravatè veniam dabis: authoremque ipsum patrocinio, & me (quandoquidem a facie principis tristis nemo recedere debet,) tuæ Celsitati addictissimum beneuolentia atque gratia humanissimè complecteris: quod vt sperem, virtus tua: vt humilimè orare audeam, clementia facit & celebrata omnium sermone comitas. *Dictum Imp. Tit. Vesp.*

Quod superest, clementissime Domine, commendo te omnipotenti Deo, vt totius longissimæ vitæ tuæ cursum amplissimis fortunis, maximis honoribus, & optima sanctissimaque religione conficias, & tandem post multorum annorum conuersiones, mundi satietate affectus, ad celestem animorum sempiternam felicitatem emigres. Ex Mundelsheim. Anno Domini 76. mense Martio.

Tuæ Celsitud.

Addictissimus

Jo. Wolfius V. I. L. Illustrissimorum Principum, Phil. Lud. Palatini & March. Caroli Bad. Consiliarius.



ALBERTI KRANTZII HAMBVRGENSIS, HISTORICI CLARISSIMI, METROPOLIS.



PRAEFATIO.

DEBEMVS hoc Christianismo, qui solus nostris prouinciis, (vt cæteris) omnem, qua fruimur, ciuilitatem inuexit, vt seposita commemoratione, sacræ religionis rationem habeamus: ostendentes, per quos viros, quoq; tempore, munus hoc æternitatis prouenerit eis, quas commemorando percurrimus, nationibus: vt reddatur sanctis pontificibus suus honor, qui hoc suis temporibus & omni posteritati præstiterunt, vt veram & sanctißimam Christi religionem amplecterentur. Quibus perinde magis sumus obnoxij, quod æternæ salutis nobis vias aperuerunt, vestigiaq; signarunt, quibus innitentes aberrare non possumus. Gladio quidem vibrato seculares principes adegerunt dura pectora cedere religioni: sed ipsi pontifices, diuini verbi penetrabili gladio, ad diuisionem animæ ac spiritus (hoc est, mundanæ conuersationis ac spiritalis sanctimoniæ discretionem) peruenerunt. Vtrisque coniunctas laudes reddere minores debent, quòd alterum sine altero infructuosum perdurasset. Primus quidem Magnus Carolus victoriosus princeps, rex pridem Galliarum ac Germaniæ, patrio atq; auito zelo Saxonibus, gentilitatis errore vsque ad sua tempora insordescentibus, imminebat, perurgens Christi sacram ambire religionem: sed fuit illi diuturnus ille labor, quòd aliarum quoque prouinciarum illi cura impendebat. Turbauere Sarraceni Hispanias ad vicina vsq; Galliarum: occurrendum illis erat. In Italia Longobardi Romanam sedem afflictauerant: erant & illi coercendi. Bauari (quos veteres dixere Baioarios) arma pro Longobardis commouerant: quibus Huni vires auxerant, & animos fecerant. Vtriq; per Carolum sub iuga mittendi. Igitur in multas partita prouincias, Saxonibus minora

Argumentũ & causa huius operis suscepti.

Euãgelium sine armis non staret.

videbantur Gallorum arma, quàm vt illis cederent. Vbi tamen memoratis prouincijs ad iuga domitis, ipſe Carolus totis iam viribus immineret Saxoniæ, effecit vt mandata facere pollicerentur. Lex pacis non alia fuit victorioſo principi, quàm vt contemptis idolis, veram & ſinceram atq; æternam Chriſti religionem amplecterentur. Quumq; perſentiret optimus rex, gentem duræ ceruicis non ferre iugum terrenæ dominationis, partitus eſt prouincias religioſis Chriſti ſacerdotibus, quos iuſſit epiſcopos conſecrari: quibus à ſummo pontifice & legatis eius, cùm attributus eſſet enſis ille ſpiritalis diſtrictionis, ipſe Carolus ſuum illis adiecit: vt haberent quo contumaces & terrerent & diſtringerent. Ex hac Saxonia, iam Chriſtiana, egreſſi ſacerdotes in regna Aquilonis, illa quoq; legibus Chriſtianis imbuerant: primusq; Anſgarius Hamburgenſis archiepiſcopus, in omnia Aquilonis regna cum ſucceſſoribus diu ſuis Apoſtolicæ ſedis legatus, verbum vitæ in Daniam Suediamq; propagauit. Et vbi recruduit ſæuiens gentilitas (vt proiecta noua religione, iterum error vetus innouaretur) Otto primus ex Saxonibus Imperator, vltrice gladio reuexit labefactatam religionem. Sed neq; ſic diu in prouincia valebat publicè ſuſcepta religio, donec Zueno rex, ab memorato Ottone ſacro de fonte leuatus, multis calamitatibus perdomitus reſipiſceret, & ſua ſponte reſumeret abiectam Chriſti ſacram fidem. Ex eo tempore perſeueranter in regnis perdurabat, vſque in Norwagiam & Phinniam propagata. Wandali, gens quondam in noſtri maris littore potens, nunc à Saxonum populo in mediterranea retropulſa, & ad magnam tenuitatem perducta, tum ſuis vrbibus & opibus florẽs: diu Chriſtianum nomen exhorruit, ſingulari ſuperſtitione idolis ſuis dedita: donec ab Danorum rege à mari, & ab Oriente à principibus ſuæ gentis Pomeranis, & à meridie à Chriſtianis principibus per arma cogerentur ſubire Chriſtianiſmum. Laborabat in ea magnus Otto, & ad bonum modum prouexit gladio ſuo religionem: ſed in morte nepotis ſui rebus perturbatis, rediit prouincia ad vomitum gentilitatis. Iterum arma intentantur à mari atque terra, diu fruſtrà. Sed Waldemarus rex Daniæ, eius nominis primus, & Henricus cognomento Leo, dux Saxoniæ, multis malis afflixere gentem, donec in iuga iterum concederet Chriſtianitatis. Sed hæc in præfatione ſint dicta. Cæterùm abſolutior harum rerum narratio & in Saxonia, & in Dania, & in Wandalia noſtra, locum ſuum tenent. Infrà quoque, vbi temporum ſeries admonebit, ad ea commemoranda redibimus.

Epiſcopi arma militiæ ſuæ etiã carnalia habẽt.

MISERA-

CAP. I.



ISERABILIS ſtatus prouinciarum, ante veri Dei notitiam: quando armis & opibus licet floreſcentibus, immanis tamen cultus idolorum omnes colentes miſit in interitum. Quumq; in cæteris prouinciis, vbi Chriſti nomen per Apoſtolos & Apoſtolicos viros inclaruit, annis pluſquam trecentis, primitiua laboraret eccleſia, multa ſunt millia ſanctorum martyrum coronata. Interim borealis Germania ſalutari bono ſacræ religionis carebat, quòd nullus in hanc barbariem auderet penetrare. Ferunt tamen ſine certo authore plurimi, iam tum Neronis Imperatoris temporibus, quum diuus Petrus Romæ verſaretur, ex diſcipulis eius vnum veniſſe Bardewicum (quæ tum in mediterraneis vna in omni prouincia dicitur vrbs floruiſſe) ibiq; nomen Chriſti prædicaſſe, & longanimiter gentis totius conuerſionem piè præſtolantem, diem ibi ſuum obiiſſe. Religioſè per annos mille & ſuprà, eius ſepulcrum inter omnes habitum: donec Henrico Leone vrbem captam euertente, rex Daniæ Kanutus, qui illi aderat, expeditionis mercedem acciperet à ſocero, oſſa ſacra primi prædicatoris. Hæc fama feruntur, ſed non leguntur in Annalibus, qui ab iſtis antiquitatibus pene nulli extant. Sed nobis initium narrandi naſcitur ab annis Caroli Magni, qui primus victore gladio Saxonibus Chriſti nomen inuexit. Angebat optimum principem vicinæ nationis perfidia. Meminerat, auum Carolum Martellum, virum glorioſiſſimum, & patrem Pipinum, qui primus regiam dignitatem in familiam ſuam pertraxit, diu armis luctatos cum vicinis Saxonibus, vt Chriſti fidem acciperent: ſed quod illi egerunt, nec peregerũt, ipſe feliciter ad exitum perduxit. Erat tum annus à Chriſto nato ſeptingenteſimus ſeptuageſimus, paucis adiectis, quum per duces Carolus ſæpe Saxonibus confligeret, & victis per partes nõ alias leges imponeret, quàm vt verum Deum in cœlis agnoſcerent, & quem ille miſit vnicum ſuum Ieſum Chriſtum. Dedere manus plurimi, ſacrumq; ſubiere baptiſma: datis etiam obſidibus, q, in fide Chriſti & regis permanerent. Quum arma auerterentur, vel qui baptizati erant, ad ſordes redierunt, vel necdum baptizati, alios ſecum rebellare coẽgerunt. Wedekindus tum princeps erat in gente. Is diu reſtitit Carolo, & cum ducibus eius crebrius cõflictatus eſt, variante ſæpe victoria. Fugatus tandem, quum magno prælio cederet, peruenit in Daniã, ad eius gentis regem, cuius filiam tenebat coniugem. Operæprecium eſt intueri, quis tum fuerit rerum ſtatus per Saxoniam. Ferunt, gentem indomitam regibus ſubeſſe nõ paſſam, duodecim primarios viros præfeciſſe, qui per omnem prouinciam publicæ vtilitati inſeruirent, conſulentes in medium de rebus gerẽdis. Annuus erat inter illos per vices magiſtratus. Quem verò publicum deforis bellum illatum, in magiſtratu deprehendiſſet, is durante bello rex appellabatur, cuius imperio parerent vniuerſi: bello autem pace mutato, regium nomen pariter deponebat. Sic Edelhardus, vnus ex duodecim proceribus, paulo ante Wedekindum rex inſcriptus legitur: & ab vrbe Oſnaburga quingentis vix paſſuum ſpatiis, reliquias arcis eſſe hodie commonſtrant: quam arcem, regiam vocant Wedekindi.

Fama incerta de vno è Petri diſcipulis apud Saxones prædicante.

770.

Quo pacto Saxonibus reges erant.

CAP. 2.

780.

ANNVS erat à mundi ſalute ſeptingenteſimus octuageſimus, quum rex Carolus, magna expeditione in Saxoniam facta, cõgreſſus eſt Wedekindo, iam vires totius regni in arma ducente: ibiq; dum acriter pugnatum diu eſſet, ceſſit fugiens Wedekindus. Carolus autem, qui prælio ſupererant Saxones, ea lege ſeruauit, vt Chriſti fidem cum religione ſuſciperẽt. Igitur in loco Oſnaburga, habitatoribus ſatis frequente, quum vicinam Wedekindi arcem iam captã impoſito firmaſſet præſidio, eccleſiam exædificauit primam in prouincia epiſcopalem, eiq; virum ſanctũ præfecit Wihonem, primum eius loci pontificem, hominem gẽte & origine Phriſium: q, in ea gente, per Bonifacium archiepiſcopum Moguntinum, ibi martyrem, multi iam Chriſto credidiſſent. Cui de prouinciæ prouentib. aſſignauit vnde cum ſuo clero viueret, ad cõfirmandos recens baptizatos in ſuſcepta Chriſti religione. Egit vir ſenſatus, pro zelo ſacræ religionis, ſatis verbo inſiſtens & opere, vt creditas animas & ſeruaret, & multiplicaret. Ferũt indictas populo decimas, de more Chriſticolarum, non proueniſſe pontifici primùm, ſed regiis præfectis, vt inde ſtipẽdia

Wiho primus apud Saxones pontifex.

Epiſcoporum largitiones ad parandũ ſubſidium.

militibus & ſumptus facerent crebrarum in eam gentem expeditionum. Tributorum nomen horrebat libertati aſſuetus populus: ſed decimarum exactionē recuſare non poterant. Interpretãtur annales hinc ortum, vt multarum hodie decimarum exactiones ſint in manibus laicorũ. Ego aliam huic rei cauſam acceſſiſſe conii cio, quum non ſatis fiderent pontifices ſua iura ab laicis principib. tueri, dediſſe arbitror partem decimarum principibus in manum, per ſpeciem feudi & beneficij, malentes amittere dimidium quàm totum: inde factum vt à principibus tranſirēt in miniſteriales, qui nunc militares appellantur. Etiam ſublimius nomē ex miniſterialibus nunc aucupantes, Nobiles ſe dici volunt: quum ſit infimus Nobiliũ gradus in Baronibus: ſed hæc aliâs. Quumq; hanc inſignē eccleſiam Oſnaburgenſem moliretur, vſuuenit Magno Carolo, vt multo mercaretur habuiſſe tũ ſe viros linguæ Græcę gnaros, quos opponeret legationi, quę ei tum venerat ex Conſtantinopoli, ab Irene regina & Nicephoro patricio, qui tum Orientis imperiũ occupabat. Admonitus autem ea re Carolus, dedit priuilegium nouæ eccleſiæ, vt vtriuſq; ibi linguæ ſcholæ haberētur, præeſſentq; doctores viri inſignes. Sed nouitas Chriſtianiſmi in populo necdum bene firmato, & crebræ Saxonum ac diuturnæ rebelliones, hoc inſtitutũ interceperunt. Extat tenor priuilegij in hunc modum:

Caroli Imperatoris priuilegium.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ trinitatis, Carolus Imperator Auguſtꝰ, Romanũ gubernans imperium, dominus & rex Francorũ & Longobardorũ, necnon dominator & Saxonũ. Notum ſit omnib. ſanctæ Eccleſiæ fidelibus, noſtriſq; præſentibus & futuris, ꝙ nos ob noſtræ mercedis augmentũ, Wihoni epiſcopo Oſnaburgenſi, ſuæ eccleſię (quã nos primam in omni Saxonia, in honorē ſancti Petri principis Apoſtolorum, & ſanctorum martyrum Criſpini & Criſpiniani cōſtruximus) quoddam nemus vel foreſtum intra hæc loca ſitum, *Farnewinckel, Ruſtenſtein, Angara, Oſningſenethe, Dershouet, Egeſterfeldt*, innumera collaudatione illius regionis potētum, cum omni integritate, in porcis ſylueſtribus, ceruis, auibus & piſcibus, omniq; venatione quæ ſub banno vſuali ad foreſtum deputatur, ad ſimilitudinem foreſti noſtri Aquiſgrani, pertinentes in ſylua Oſningi, in perpetuũ proprietatis vſum donauimus. Ea videlicet ratione, ꝙ ſi quiſquam hoc idem nemus noſtro banno munitum, ſine prædictæ ſedis epiſcopi licentia, ſtudio venandi, vel ſyluam extirpandi, vel aliud agendi vnquam introierit, ſciat ſe tam diuinæ q̃ regiæ vltionis vindictam incurſurum: necnon pro delicto LX. ſolidos noſtri ponderis (quos nobis pro banno violato deberi ſtatuimꝰ) redditurũ. Inſuper verò eidem epiſcopo, eiuſq; ſucceſſoribus, perpetuam cōcedimus libertatē, & ab omni regali imperio abſolutionem. Niſi fortè cōtingat vt Imperator Romanorum, & rex Græcorũ, coniugalia fœdera inter filios eorũ contrahere diſponãt. Tunc eccleſiæ illius epiſcopus, cum ſumptu à rege vel Imperatore adhibito, laborem ſimul & honorē illius legationis aſſumet. Et ea de cauſa ſtatuimus,

Græcarum & Latinarũ literarum ſtudia.

ꝙ in eodem loco Græcas & Latinas ſcholas in perpetuũ manere ordinauimus, nec vnquam clericos vtriuſq; linguæ gnaros deeſſe cōfidimus. Et vt hæc authoritas firmior habeatur, & diuturnis temporib. melius cōſeruetur, manu propria ſubter ea roborare decreuimus, & annulo noſtro ſigillare iuſſimus. Datum XIII. Cal. Ianu. anno IIII. (Chriſto propitio) Imperij noſtri, XXXVII. regni noſtri in Francia, atq; XXXI. in Italia. Actum Aquiſgrani, in Palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

CAP. 3.

Saxonia orientalis & occidentalis.

PROXIMAM deinde fundaſſe eccleſiam ferunt Carolum in orientali Saxonia. Dirimit autem occiduam & oriētalem prouinciam (vt alij Weſtphali, alii Oſtphali dicantur) fluuius olim Viſurgus, nunc Wiſera dictus, limes olim prouinciæ Saxonum: quum vltra fluuiũ ad Orientem habitarent Wandali, latè per regionem fuſi, vſq; ad Albim fluuium, & inde vſq; ad Oceanum Germanicum, quem per littora tum etiam Wandali tenuere. Sed quum (vt eſt hominũ ritus) vicinæ gentes ſæpe de limitibus inirēt certamen, Saxones animati, tranſito flumine (vt eſt vadabilis in pleriſq; locis) à ripa Wandalos ſubmouerunt: & occupata prouincię parte, habitare ad Orientem eius fluminis cœperunt, vſque ad Hercyniam ſyluam, hodie Harticos vocant montes: vt orientales exinde Saxones dicerentur. Poterat etiam bello tum Gallico ex Weſtphalia (quæ vera & vetus Saxonia eſt) maior multitudo fluuium tranſiſſe, & inter congentiles habitaſſe, vt maiorem etiam ibi laborem Carolo

Carolus bellũ vltra Viſurgium profert.

rolo excitaret. Sed rex inuictus, tranſito fluuio, eam quoq; partem gentis edomuit, impoſito Chriſtianitatis leni iugo, & onere ſuaui. Extruxitq; in loco *Salingſtede* inſignem eccleſiam, quam in honorem diui Stephani iuſſit cõſecrari: præpoſuitq; primum ei epiſcopum, egregium virum, Hildegrinum, germanum fratrem Ludgeri, quem deinde Mimingrodenſi (nunc Monaſterieñſi) præfecit eccleſiæ. Sed is epiſcopatus poſterioribus ſeculis de hoc loco, quem tum *Salingſtede*, nunc vocant *Oſterwyck*, in Halberſtadium eſt tranſlatus: quod ſuo tempore commemorabitur. Subuertit vbiq; rex Chriſtianiſſimus idola regionis, q̃ tum frequentia Saxones ad eum diem coluerunt. Krodo nomen erat idolo, quod Saturnum ſunt arbitrati. Locus culturæ eius, in Hartesborg veteri arce. Permanet hodie in gẽte execrationis vocabulum, vt quoties abominanda res eſt viſa, *Krodo* cum indignatione dicant. In Magdeburg (quæ ripam tenet Albis fluminis) arx ab olim præcipua, quã ego limitaneis Romanorum ducibus extitiſſe crediderim, quum, iubẽte Auguſto Cæſare, Tranſalbianos Romani non attingerent: ne tamen illos viderentur formidaſſe, in ripa fluminis ad hoſtes verſa, præſidium conſtituerunt. Ibi Veneris ſimulacrum in curru ſtantis, cum tribus Gratiis colebatur. Vnde nomen natum eſt loco, vt Magdeborg, (hoc eſt Parthenopolis, ſeu puellarum vrbs) diceretur, quum cygni & columbę, alites Veneri dicatæ, iuga ducerent ad temonẽ. Sed rex cordatiſſimus nõ paſſus durare ſuperſtitionem, ſubuertit ſimulacrũ. Sed quoniam Wandalis qui locum tenuere, necdum iugum impoſuit, ad reliqua conuerſus abiit, cõtentus ſubuertiſſe vanã religionem. Hunc locum Otto Magnus poſtea inſigniuit ad inſtãtiam Edittæ reginæ: celebrem ex oppidulo vrbem fecit, deditq; loco archiepiſcopũ, quod ſuo tempore memorabitur. Hildegrinus autem pontifex quum diu præfuiſſet eccleſię, auctus rebus & populo, illuſtrius Deo templum cogitauit erigere. Hac dum cogitatione torqueretur, monitus eſt ab angelo, alium eſſe Deo placidiorem locum, quo nouum templum erigeret & cõſecraret: monſtrauitq; Halberſtadium, populo frequentiorem locum. Ibi tum pontifex conſtituto templo ac conſecrato, ſedem eſſe ſuam conſtituit. Ibiq; præfuit annis ſeptem, quum priore loco totos exegiſſet quadraginta, dormiuitq; in pace, plenus dierum ac operum bonorum, ſanctitatis opinione non parua inter omnes relicta, magnoque ſui deſiderio.

Idolum apud Saxones præcipuum.

Magdeburgenſis nominis etymon.

Cap. 4.

Non quieuit rex Carolus ab incepto, donec eccleſiis per prouinciã multiplicatis, populum magis atque magis firmaret in fide: tametſi Wedekindus Saxonum princeps, necdum man⁹ dediſſet, ſed rebellionem toties renouaſſet. Paderburnã, locum regi viſum idoneum, quẽ ſæpe honoraſſet præſentia ſua, duxit eccleſia conſtructa illuſtrandum. Igitur datis ſumptibus, templum erexit in loco venerabile: & quoniam necdum fideret genti (quòd princeps eius necdum rebellionem poſuiſſet) epiſcopum conſecrari loco necdum voluit: ſed eccleſiam Wirtzeburgenſi epiſcopo commendauit, reliqua obiens munera prouinciarum ac regnorum, quæ illi latiſſima patebant. Sed quum iam Wedekindus toties rebellans ad cor rediret, ſecum reputans quid tanto labore mercaretur, quidve tanti ſanguinis impendio euitaret, quum neque de principatu certaret, neq; de vita, ſed de ſola religione, quam tot prouinciæ diu feliciter ſequerẽtur: ſumpto ſecum Albione viro nobili, & inter Saxones primario, qui ditionem vltra Albiam teneret (Holſatiã nunc vocant) contendit ad Carolum, præmiſſo ex aulicis regi, qui ſecuritatem adeundi & (ſi videretur) redeundi, impetraret. Erat tum annus poſt ſeptingentos à Chriſto octuageſimuſquintus, quum à rege dux honorificè except⁹, reddita vtrinq; factorũ ratione, dux ſe cõtulit in gratiam regis. Ibiq; factus catechumenus, inſtruitur in fide, & deinde cum Albione ſacrum ſuſcepit baptiſma: iampridem magno victus prælio, ad fluuium Haſam. Erãt deinde res per omnem Saxoniam tranquilliores. Vnde factũ eſt vt multiplicarentur eccleſię per prouinciam, cunctis iam ſub ſuo principe quieſcentibus. Arces nonnullas firmauit præſidiis rex: ſed alias duci reſtituit: nec tamẽ ſatis diſcernunt Annales quas ab rege receperit. Arcem tenebat ad ripam Viſurgis dux, in quam à prælio victus ad Haſam ſe contulit, eamq; ſuo iure ſeruauit, quoad in eodem loco (quod dicemus) epiſcopatum rex conſtitueret. Tum facta communis duci atque pontifici manſio illa, quæ Minda dicitur.

Wedekindus Saxonũ princeps, Chriſtianus efficitur.

785.

Mindenſis eccleſia.

CAP. 5.

TERTIAM deinde epiſcopalem eccleſiam rex erexit in mediterraneis Saxoniæ, nunc Weſtphaliæ, in Mimingrode, loco populoſo ac celebri, qui poſtea ab inſigni ibi fundato monaſterio dominarum nomen mutuabatur, vt vrbs tota Monaſterium vſq; hodie diceretur: locumq; iuſſit cõſecrari in honorem diui Pauli, præpoſuitq; loco pontificem ſanctum virum Ludgerum, natione Phriſium, fratrẽ Hildegrini Halberſtadenſis pontificis. Quippe regio Phriſiorum, prædicatione illuſtrata diui Bonifacii archiepiſcopi Moguntini, multos iam tum habebat & emiſit Chriſtianos: inter quos & Ludgerum, virum ab vtero ſanctificatum, qui prædicationis ſancto officio tam ardenter incubuit, vt meritò Saxonum apoſtolus & memoraretur, & eſſet. Hunc Wedekindus princeps exinde conſiliis ſibi ſemper intimum fecit. Alcuinus apud regem Carolum vir primarius, cuius cõſilio (præſertim in ſacris rebus) omnia gerebat, hic regi primùm ſuggeſſit de Ludgero. Datis ergo literis ad Franciæ monaſterium, cui nomen Beneuentum, euocauit Ludgerum, qui illic in ſtudio pietatis & religionis adoleuerat: ipſumq; præfecit congregationi canonicorum, quam aliquot annis laudabiliter rexit: donec ſopitis motib. Saxoniæ, & pace firmata, de ampliandis & multiplicandis eccleſiis cogitaret. Vocauit igitur rex de monaſterio, quem præfecit, eundem Ludgerum, eiq; commendauit eccleſiam Mimingrodenſem, quam duodecim annis paſtor fidelis gubernauit: donec iubente eodem rege, accerſitus eſt venerabilis Hildebaldus Colonienſis archiepiſcopus, qui eum dictæ eccleſię conſecrauit pontificem. Hunc itaque Ludgerũ pro ſanctitate vitæ, & claritate doctrinæ, inſtitui iuſſit rex primum Mimingrodenſi eccleſiæ epiſcopum. Sunt qui contendunt eum fuiſſe profeſſum ordinem ſancti Benedicti, ex quibus ſunt, qui nunc vſq; ordinem dictum conſectantur: aliis contrarium aſſerentibus, quòd canonicis regendis præfectus, canonicam duntaxat inſtitutionem (qualis illa tum fuit) ſit profeſſus. Vtcunq; fuerit, mihi perſuaderi non poteſt, virum ſanctum, ſi monachus fuiſſet, in epiſcopatu, profeſſionis ſuæ oblitum, deſeruiſſe habitum, & carnibus in menſa vſum fuiſſe, præter morem & inſtitutionem Benedicti: quippe quem in vita pariter & in morte multis miraculis conſtat claruiſſe. De facultatibus patrimonii ſui ædificauit celebre monaſterium ordinis diui Benedicti, in Werdena, ſuper Ruram fluuium: quod ſuperioribus aliquot annis miſerabiliter collapſum, noſtra vidit ętas per reformationem egregiè inſtauratum. In quo ſanctus vir ſepultus, diem ſe nouiſſimum expectaturum Domino reuelante prædixit. Emigrauit autem anno octingenteſimo nono.

Monaſterienſis eccleſia.

CAP. 6.

EODEM ferme tempore in orientali Saxonia, vltra Viſurgum, quartum iuſſit rex eſſe epiſcopatum in loco *Konende*, illo tempore ſatis celebri, atq; habitatoribus frequenti. Sed commodiorẽ deinde conſpicati locum, in Verdam (oppidum tunc quàm nunc celebrius) tranſtulerunt. Ibiq; conſecratus eſt iuſſu regis epiſcopus, vir magnæ ſanctitatis, Swibertus, profeſſione monachus, Abbas, natione Anglicus, q; ea prouincia iamdudum per annos ſupra ducẽtos, à memoria diui Gregorii, primi eius nominis, ſummi pontificis (qui primus Angliæ prædicatores immiſit) quũ iam diu abolita eſſet in prouincia religio Chriſti, quam Lucius quondam Britãnię rex, ab Alexandro primo eius nominis ſummo pontifice, impetrauit in inſula prædicari. Swibertus autem, in Anglia moratus, quum audiret congentiles ſuos Saxones Anglos (qui nomen inſulæ mutarunt, vt ex Britannia diceretur Anglia) iam auſcultare Euangelio, domitos armis Caroli, præſtitit hoc Chriſto, præſtitit hoc genti (quam ſibi & ſuis cognatam intellexit) vt tranſito mari conuolaret in prouinciam prædicatoribus indigentem, quòd meſſis multa, & pauci cernerẽtur operarii. Huius viri zelũ cernens rex Carolus, iuſſit eccleſiæ nouæ Verdenſi primum epiſcopũ conſecrari. Vir autem ſanctus, zelo Dei ſatis feruens, prouinciam ſibi creditã ſoleter obiuit: ferẽs verbum Dei in agro cordis humani, multos conuertit ad Chriſtũ, & ſacrę religionis adeo impleuit officium, vt & populum Deo credulum quotidie multiplicaret, & ipſe bonis exemplis iter cœleſtis regni commonſtraret: multis clareſcens miraculis, dum viueret: pluribus etiam effulgens, dum iam ſeculo & vita functus, migraſſet ad Chriſtum. Celebrem ſeruant prouinciales memoriam magni itineris, quod pro Chriſto & eius religione, vno illum ſole memorãt peregiſſe.

Quando primùm in Anglia euangelium prædicari cœptum.

Verdenſis eccleſia.

Exigit

Exigit rerum diuinarũ magnitudo & perennitas, vt magnis nitantur authoribus; alioquin non prosperanda: & vt habeant patrocinium in magnis patribus, qui ecclesiarum iecerunt fundamenta, post Christũ angularem totius ecclesiæ lapidem.

Cap. 7. *Bremensis Ecclesia.*

BREMENSIS quoque ecclesia per eadem tempora sumpsit exordium, authore Carolo Francorum inuictissimo rege, iam Saxonum & multarum nationũ victore. Erat in prouincia illa Willehadus Anglicus genere, ab rege & pontificibus Anglicanis missus, imò potiùs dimissus in eam gentem, quia ius potestatis, vt mitterent in prouinciam, non habebant. Ipse verò Willehadus, flagrans desiderio, vel martyrium facere pro Christo, quo modo post multos & Bonifacius, Moguntinus archiepiscopus, ante non multos annos in gente Phrisonum fecerat (quæ veteri olim Saxoniæ annumerabatur) aut animas Christo per Euangelium eius lucrifacere: impetrata abeundi ab rege & pontificibus in concilio Anglicano venia, nauigabat in Phrisiam, multa faciens, plurima passus, vt in fide confirmaret, quos memoratus martyr & pontifex Domino quæsierat: simul & multos (si fieri posset) Domino cõgregaret: Magnatum liberos literis imbuebat, & per occasionem, veritatis prædicationem populo inserebat. Multis annis perfecit, vt multos Christo aggregaret. Quoties verò turbo persecutionis, authore Wedekindo, recrudescebat per Saxoniam, sensere Phrisij, & illi sæuierunt. Captus aliquando vt morte absumeretur (quod ille valde cupiebat pro Christo dare animam) sortibus gentis (quas Tacitus in omni Germanorũ gente valuisse commemorat) vix ad vitam est seruatus. Discipuli eius aliquot Bremæ, & alij aliis locis crudeliter trucidantur, quum ille vix elaberetur: dum intelligeret diuinam esse voluntatem, vt ad salutem multorum ipse se melioribus temporibus reseruaret. Hunc virum zelo feruentem bono, quum rex intelligeret bene de omni maritima promeritum, remunerare constituit se digno pontificatu. Igitur euocatum ad se hoc anno, qui erat à Christo nato, DCCLXXXVIII. iussit episcopũ consecrari in loco Bremon, nunc Bremam vocant, Phrisiis atque aliis terrestribus Saxonibus æquè continentem. Satagebat interim optimus pontifex ministerium suum iam feruentius implere, ex eo die quo se maioris loci reddere rationem intelligebat. Extat priuilegium, eidem ecclesiæ ab memorato rege collatum in illa ecclesia, in cuius præfatione testatur idem rex, quod antè de illo diximus: Saxones, inquit, quos à progenitoribus nostris, à suæ pertinacia perfidiæ semper indomabiles, ipsiq; Deo & nobis tam diu rebelles, quousque illius (non nostra) virtute ipsos & bellis vicimus, & ad baptismi gratiam, Deo annuente, perduximus, pristina libertate donatos, & omni nobis debito censu solutos (pro amore illius qui nobis victoriã concessit) ipsi tributarios & subiugales deuotè addiximus: videlicet vt qui nostræ potestatis iugum hactenus ferre detrectauerunt, victi iam (Deo gratias) & armis ac fide, Domino ac saluatori nostro Iesu Christo, & sacerdotibus eius, omniũ suorum iumentorum & fructuum, totiusq; culturæ decimas ac nutrituræ, diuites ac pauperes legaliter constricti persoluant. Proinde omnem terram eorum, antiquo Romanorũ more in prouinciam redigentes, & inter episcopos certo limite disterminantes, septentrionalem illius partem (quæ & piscium vbertate ditissima, & pecoribus alendis habetur aptissima) pio Christo, & Apostolorum suorũ principi Petro, pro gratiarum actione deuotè obtulimus, sibique in Wigmodia, in loco *Bremon* vocato, super flumen Wirraham, (Weseram dicere voluit, Gallis omnia nostræ linguæ vocabula corrumpentibus) ecclesiam & episcopalem constituimus cathedram. Huic parochiæ pagis 70. mansos cum suis colonis offerentes, totius huius parochiæ incolas decimas suas ecclesiæ suoque prouisori fideliter persoluere, hoc nostræ maiestatis præcepto iubemus, donamus & confirmamus. Adhuc etiam summi pontificis & vniuersalis Papæ Hadriani præcepto, necnon & Moguntinensis episcopi Lullonis, omniumq; qui affuere pontificum consilio, eandem Bremensem ecclesiam, cum omnibus suis appendiciis, Willehado probabilis vitæ coram Deo & sanctis eius commisimus: quem etiam primum eiusdem ecclesiæ, III. Idus Iulij consecrari fecimus episcopum, vt populis diuini semina verbi, secundum datam sibi sapientiam, fideliter dispensando, & nouellam hanc ecclesiam canonico

Sortium vsus apud Germanos vetustas.

788.

Bremensi ecclesiæ munera amplissimè collata.

ordine & monaſteriali competentia inſtruendo, interim plantet & riget: quouſq; precibus ſanctorum ſuorum exoratus, incrementum det omnipotens Deus: & reliqua.

CAP. 8.

Decimæ loco tributorum apud Saxones

Phriſia eccleſiæ Bremenſi attribuitur.

Bremenſi eccleſiæ multa ſequentibus annis ſunt adempta.

HÆC de literis ſereniſſimi Regis Caroli, ad verbum tranſcripſimus, vt fideli teſtimonio pernoſcamus ſtatum Saxoniæ, quem victorioſus rex poſt impoſitum iugum Chriſti, reliquit in prouincia, vt liber eſſet populus à iugo tributorum, cæterùm eccleſiis & pontificibus iure decimarum obnoxius permaneret. Adiecit in eiſdem literis Phriſiæ partem eidem diœceſi: vt obſtruatur os friuolè blaterantiũ, omnem Phriſiam à Carolo omni exactione liberam eſſe conſtitutam: aut quòd poſt eius tempora paluſtris terra acceſſerit prouinciæ, & perinde nullis legibus pontifici obnoxia. Verba literarũ ad fidem ſunt ponenda. Innotuit etiam (inquit) idem venerabilis vir (hauddubiè Willehadum inſinuans) ſerenitati noſtræ, eam quam diximus parochiam, propter barbarorum infeſtantium pericula, ſeu varios euentus, qui in ea ſolent contingere, ad ſuſtentacula ſiue ſtipendia Dei ſeruorum inibi militantium, minimè ſufficere poſſe. Quamobrem, quia Deus omnipotens in gente Phriſonum, ſicut Saxonum, oſtium ſuum aperuit, partem prænominatæ regionis (videlicet Phriſiæ) quæ cõtigua huic parochię eſſe dinoſcitur, eidem Bremenſi eccleſiæ, ſuoque prouiſori Willehado epiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus perpetualiter delegauimus retinendam. Et quia caſus præteritorum, cautos nos faciunt in futurum, ne quis (quod nõ optamus) aliquam ſibi in eadem diœceſi vſurpet poteſtatẽ, certo eam limite fecimus terminari: eiq; hos terminos, mare Oceanum, Albim fluuium, Liam, Stenbach, Haſalam, Wimarchã, Sneielbach, Oſtam, Mulinbach, Motam paludem, quę dicitur Sigefrideſmoer, Quiſtinã, Chiſenmor, Aſchbroch, Wiſebrock, Biuernam, Vternam, iterumq; Oſtam. Ab Oſta verò, vſquequo perueniatur ad paludem, quæ dicitur *Caldenbach*. Deinde ipſam paludem vſque ad Wennam fluuium: à Wenna verò Bicinam, Farſtinam, vſque in Wiſram fluuium. deinde ab Orientali parte eiuſdem fluminis, viam publicam, quæ dicitur *Heſſenwech*, & reliqua quæ literis illis multa continentur, ad limitem prouinciæ, ſiue diœceſis, quæ omnis debuit iure eccleſiaſtico cenſeri. Cuius determinationis præuaricatores multi ſunt poſterioribus ſeculis inuenti. Nam duces Saxoniæ de genere Hermanni Biling (quem Otto primus ex infimo militaris generis gradu prouexit ad ducalem honorem) obliti regalis donationis, multa ſibi in memorata regione vſurpabant: & nonnulli nobiles ex Sueuia per dominam Idam, imperialis ab Henrico tertio ſanguinis, in ea regione plurima poſſederant. Sed & Henricus Leo, dux Saxoniæ, etiam in ciuitatem Bremam ſibi vendicauit poteſtatem. Hoc autem vnde factũ ſit, in Saxonia noſtra memorauimus. Stadenſem etiã comitatum eccleſiæ detraxerunt nonnulli. Sed hæc ſuis leguntur in Saxonia locis. Nunc tantiſper commemoraſſe nobis ſatis eſt, oblitos eſſe illos magnæ in eccleſiam ab Carolo rege donationis. Sed ad Willehadi & eccleſiæ ſuæ iura, quæ ſcribimus, reuertamur. Sedit in eccleſia Bremenſi beatus Willehadus, poſt ordinationem ſuam, annos duos, menſes tres, dies vigintiſex: prędicauitque tam Phriſiis quàm Saxonibus, poſt martyrium ſancti Bonifacij, omnes annos 35. Obiit autem ſenex, & plenus dierum in Phriſia *Pleccaſze*, nunc vocant Plexen in Ruſtris: ita vocant ditionem illius Phriſiæ partis. Corpus eius Bremam deportatum, in baſilica ſancti Petri, quam ipſe exædificauit, ſepultum eſt. Tranſitus eius celebratur feſtiuis gaudiis VI. Idus Nouembris. Ordinatio fuit, vt diximus, III. Idus Iulij.

CAP. 9.

MINDENSIS eccleſia proxima eſt huic in ordine fundationis, cuius eam referunt originem. Wedekindus Saxonum primarius princeps (ſiue regem illum dicere collibeat) magno prælio apud Haſam fluuium victus, ſe ex fuga recepit in arcem, quæ illi fuit ad ripam Viſurgi ſiue Wiſeræ fluminis. Eam rex cinxit obſidione. Elapſus ipſe, quum defenſioni diffideret, peruenit in Daniam. Sed nõ diu pòſt aſſumpto (quod diximus) Albione, conceſſit in gratiam regis: qui vbi comperit elapſum Wedekindum, obſidionem poſthabuit, præſertim quòd in hyberna ducendum eſſet. Rex caſtra tum habuit ad Oram fluuium, in loco *Wolmerſtede*, in orientali Saxonia. Inceſſit cupido principi Wedekindo luſtrare regis caſtra: quod

etſi

etſi palam iam recōciliato liceret, libuit tamen ignoto habitu liberius omnia ſcrutari. Vicina erat Paſchalis ſolennitas, & rex cum vniuerſo milite pro Chriſtiana pietate ſe tum ſacris imminentibus apparabat, commemoratione Dominicæ paſſionis, & expiatione criminum in purgatione conſcientiæ. Wedekindus mendici habitu per fluuium in nauicula allabitur: & quo minus noſceretur, mendicus cum mendicis ad ſtipem ſedebat. Ingens quippe pauperum regionis multitudo quotidie affectabatur. Rex illis largam ſtipem iuſſit erogari. Wedekindus, vbi ad eum peruentum eſt, dexteram & ipſe protendit. Attendit, qui diſtribuit, incuruum in manu digitum, qualem ſciebat habere Wedekindum. Vultum eius diligentius intuetur: agnoſcit arridens, qui largiebatur: quid ita mendicus inter mendicos ſederet princeps ditiſſimus, percontatur. Ille nihil ad hæc, ſed ad regem ſe iubet introduci. Erat tum ſanctiſſimus Paſchæ dies. Rex hilariter excepit venientem, percontatus quid ſibi vellet indignus principe habitus. Ille ſub hæc, Volui, ſereniſſime rex, hoc habitu incognitus (vt ſperabam) luſtrare ſecreta geſtorum: quæ cognitus non tam fidenter adſpicerem. Curioſitas induxit, vt latibulū quærerem: qui inter tuos nunc in gratiam ſuſceptus, propalam poteram percontari quæ vellem. Quid igitur, inquit rex, vidiſti, quod te vidiſſe delectat? Ille (vt erat adhuc rerum Chriſtianarū rudis) ſubintulit, Vidi, quod mirabar, ante biduum te vultu dimiſſo triſtem, incertus quid contigiſſet, quod tantū regem contriſtaret. Commemoratio fuit Dominicæ paſſionis, quæ die Paraſceues regiū vultum obſcuraſſet. Rurſum, inquit, vidi hodierna te die primùm ſolicitū, & ad rē attentiſſimū: poſteaquā verò menſam adieras templo mediā, ita hilari mihi conſpectus es vultu, vt repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre, quòd de manu purpurati ſacerdotis ſinguli pulchellū puerū in os ſuſciperent, quē quibuſdā ludibundū arridere, vltro properare: aliis verò abhorrentem, auertiſſe vultum, & tamen in ora demiſſum, nec redeuntem adſpexi. Hoc quid ſit, necdum accipio. Tum rex, Bene, inquit, profeciſti: plus tibi aliquid, quàm cunctis ſacerdotibus & omnibus nobis oſtenſum eſt. Inde mutata veſte, manu ſecū abſtractum, docuit grande pietatis myſteriū in altaris ſacramento. Quia re cognita, exhilaratum ducem oraſſe, vt propriū illi ſacerdotem permitteret, qui diuinæ rei curā haberet, crebriuſq; in cōſpectu perageret altaris ſacratū miniſterium. Rex etiā pontificem illi daturū promittit, modò illi habitationem epiſcopo dignā prouideret. Ducem verò arcem ſuam ad Wiſeram vtriuſque capacem oſtendiſſe, deditq; in eiuſdem arcis non exiguo circo locum ædificandæ eccleſiæ. Ferunt perinde nomen eccleſiæ proueniſſe, quod Meum & Tuum, quaſi cōmunis duorū poſſeſſio, ſonat in lingua Saxonum vernacula, *Min, din.* Erat vir præcipua religione Herimbertus: qui quum Carolū latere non poſſet, dignus eſt habitus quem primū præficeret eccleſiæ Mindenſi epiſcopū. Adiecit illi miniſteriales non paucos nec paruos, vt haberet eccleſia defenſores ſuos. Illi verò, quia ex imo gradu in nobilitatem excreuerant (vt partim comites, partim duces fierent) ſpreuiſſe matrem videntur. Ornata eſt autem eccleſia iam tum ab initio multis ſanctorū reliquiis, Feliciani, Fulginatis epiſcopi & martyris, Theodori epiſcopi, Carpophori & Habundi martyrum. Profecit autem eccleſia tam in ſpiritalibus quàm temporalibus, ſub hoc pontifice: agente nouitio feruore in populo recens conuerſo, inſtāte nihilominus bono pontifice, qui frugem diuini verbi curauit in populo multiplicari. Quantis autem annis præfuerit, Annales non tradunt. Cæterùm tranſitus eius ex hac vita in meliorem, ſcribitur fuiſſe ad diem Primi & Feliciani martyrum.

Wedekindus habitu mēdici ſtipem petentis ad Carolū adducitur.

Homini nondum Chriſtiano Chriſtus propriis accidentibus in Euchariſtia apparet.

Mindenſis eccleſiæ etymon.

Hildesemensis eccleſiæ tale ferunt ſub eodem Carolo, necdū Imperatore, principium. Moram fecit rex in orientali Saxonia, quòd fidem quorundam ſentiret vacillare, reſpicientium in Wandalorum arma auxiliaria. Caſtra firmauit inter duos riuos, in ea prouincia confluentes. Aulicam aulici locum dixere, quòd crebrius ibi rex glorioſiſſimus, quum eſſet in prouincia, reſideret. Circunſpiciens autem opus eſſe & his populis proprio ſacerdote, quòd longius abeſſet Salingſtedenſis (nunc Halberſtadenſis) epiſcopus: igitur eccleſiæ ſuæ ibi exædificatæ, pontificem iuſſit conſecrari, venerabilem ſacerdotē Guntherū, qui illā inibi Cap. 10.

Hildeſemenſis eccleſiæ initiū & cauſa.

rexit per reliqua Caroli Magni tempora, vsque ad Ludouicum eius filium & regni & Imperij successorem. Quem ferunt obequitantem in prouincia, & fortè venationi (quæ maxima est Gallorum voluptas) intentum, in loco vastæ solitudinis ad arborem, quum oraret, iussisse deponi sacram diuæ Mariæ, quam vbique circunferebat, imaginem. Coram qua iam oratione finita, quum rex concitò abiisset, capellanusq; sacrorum minister, festinabundus, Imperatorem vt sequeretur, minus meminisset depositæ imaginis, non antea rediit in memoriã quid omisisset, quàm vbi in Aulica iam sacra essent peragenda, primùm apparuit sacram deesse imaginem: nec mora, rediit in locum quo meminisset depositum, vixque inuentã, amoliri nulla vi potuit. Stupidus rei nouitate hærebat: iterum atque iterum retentans, tantundem profecit. Quid faceret? Vacuus rediit ad dominum, mirantem quid esset. Somnio monitum ferunt Ludouicum, eo loci delegisse sanctissimam Virginem sacrarium sibi instaurari. Non contempsit ille diuorum monitus: sed qua potuit fieri instantia iussit moliri noua ibi templi noui fundamenta, in honorem diuæ Virginis consecrandi. In quem locum mox translata est Aulicensis ecclesia, vt deinde à nouo loco diceretur Hildesemensis. Nominis autem ratione à niue quidam comminiscuntur, vt ibi templum firmaretur, quo solo loco nix visa est terrã operuisse. Sed illam fabulã traductam arbitror ab Romano diuæ Virginis Mariæ, nunc Maioris, quondam Niuis, templo. Vtcunque fuerit de nomine, certum est, Aulicensem ecclesiam nunc esse Hildemensem, opibus, religione, splendore non in postremis cathedralibus Germaniæ ecclesiis. Sed ad Carolum (cuius tempora sunt in manibus) reuertamur. Quo tempore Wandalis rex victoriosus conflictatur (qui Wilsi ferebantur, & Sorabi) bonam illi nauasse operam Phrisij memorantur, duobus stratis pontibus super Albim, vt ad hostes perueniret, vtrinque impositis ad exitus pontium turribus cum firmis præsidiis, quò illi cum agmine toto repedare tutò liceat. Aderat illi ad omnia moriger Wedekindus, nec deerat Ludgerus, vir sanctus, Mimigardeuordensis episcopus: qui accepta ab rege licentia, opportuno loco oppidum *Helmestede* communiuit, quò esset illi ad Wandalos prædicanti (quod cogitabat) tutus receptus. Eum locum subiecit abbati Werdensi, cuius in dominio permansit ad nostra vsque tempora. Quibus diu contumax oppidum parêre abbati dum contemnit, inutilem monasterio locum, longeque distantem, accepta pecunia ab Henrico de Brunswigk duce, omne illi dominium loci permisit. Pœnituit oppidanos mutasse dominum: sed quando ranæ regem contempsere ignauum, accepere pro illo ciconiã, quæ regit in virga ferrea subiectos.

Fabulas à veris narrationibus discernere cuius tandem est?

Suaue sub ecclesiasticis principibus iugum, præut est aliorũ dominatus.

CAP. II.

PADERBVRNENSI oppido ab rege Carolo non in postremis habito, dùm in prouincia moraretur, etsi dudum ecclesiam Wirtziburgensi episcopo cõmendatam haberet, pontificem tamen non antè dedit Carolus, quàm omnem prouinciam pacatam relinqueret. Erat annus à Christo nato post septingentesimum nonagesimusquintus, cum Harimarum Wirtziburgensis ecclesiæ canonicum, natione Saxonem (quem parentes eius superiori bello dederant regi inter alios obsidem) virum grauem, & qui sub magisterio D. Burchardi Wirtziburgensis episcopi profecerat in omni religione & sanctitate. Ex hoc tum loco profectus cum expeditione militari, prouectus est in vltima Hadeleriæ, quòd inde motus rebellionis à gente renunciaretur. Monstrant insulæ locum, in quo castra fixisse rex diceretur: *Karlessandt* vocant. Vnde ad iuga domitis habitatoribus, victorem exercitũ reduxit incolumem. Huius autem pontificis anno quarto, descendit ab vrbe Roma Leo pontifex maximus, exactus & extrusus iniuria sæuientium Romanorum. Confugerat vir sanctus ad Carolum Regem Franciæ, tunc in Saxonia demorantem, in Paderbrunna. Rex venientem pontificem excepit pro sua atque illius dignitate, pollicitus vindictam in contumaces. Vastata erat proximè ab rebellibus Saxoniæ Paderburnensis ecclesia, & in cinerem redacta: iam verò sub aduentum pontificis noua derepentè renouata est ecclesia: quam rogatus cõsecrare Leo pontifex, dignanter aggreditur. Altare in honorem diui Stephani, de cuius reliquiis (quas à Roma secum veniens attulerat) inclusit, consecrauit, multas indulgentias de largitate primæ sedis loco contulit in diem annuum dedicationis, qui est VIII. Idus

795.

Paderburnensis ecclesia vastata instauratur.

Idus Decembris. Quumq; pontifex quod suum erat, impendisset, vicissim rogabat regem, vt illustrandæ ecclesiæ conferret de prędiis secularibus in stipem Domino militantium in ea. Dedit rex cum attinentiis arcem Iborch, vetustum Saxonum receptaculum: nunc paulisper de torto vocabulo *Driborg* vocant.

VENERAT tum Carolus Magnus cum exerc..u in transalbinam regionem, quæ nunc Holsatia est. Oppidum vnum reperit ad ripā eius fluminis Hammaburgum, in quo Iouis dicitur fanū destruxisse, & duodecim cum illo deorū simulacra vtriusq; sexus subuertisse in eodem oppido, quod ab Hammone nomen volunt traxisse. Sed hæc fabula de Romana historia est emendicata. Quis enim Hammonis nomen ex Libya, vbi idem in specie arietis (quem Punica lingua Hammonem dicit) in arena percolitur, huc transtulisset? Quę commercia huius gentis tam barbaræ, ad tam longinquam nationem? Non erant fana viciniora, vnde idola conscíscerent? Sed forte dicis, Wandalos ante aliquot secula in Africam transgressos, potuisse originis suæ memores, in hanc prouinciā sua numina contulisse. Sed hoc friuolum est. Nam eò transgressi Wandali, iam erant, aut statim facti sunt Christiani, sed Arriani: nec est quisquam inde regressus in antiquam patriam. Facessat inanis fabula, quam leuissimi homines, volentes haberi scioli, de nominis vicinitate emendicant. Docuimus alibi in historia huius oppidi, vocabulū vnde sit dictum, non ab Hammone Ioue, sed ab Hama pugile, qui in duello victus ab Starcutero fortissimo Danorū propugnatore, reliquit loco nomen: quod in Dania diximus. Nec remansit optimo regi quod ille purgaret in hoc loco: quum Albion earū princeps partium, iamdudum cum Wedekindo principe (quod diximus) sacram religionem subierit. Præfectum quendam ex suis cum præsidio reliquit eo loco, qui in fide & Christi & sua tueretur eam gentem. Sacerdotem quoque eo loco postea constituit, qui populū in rudimentis fidei instrueret: quem etiā destinauit episcopum relinquere: sed remoratus est per causas, quas suo loco & tempore infrà commemorabimus. Hoc tamen tēpore motus magni erant intra Albim & Visurgum, quòd nonnulli ex primoribus, qui hactenus apud Danos latuissent, regressi, terrā omnem iam Christianam, igni & ferro sunt depopulati. Transalbianos quoq; Caroli limitaneos milites obtruncant, & in vicinos Obotritos iam Carolo fœderatos, ex illo die, quo, facto super Albim gemino ponte, cum exercitu transiuit in eam prouinciam. In eos versi tum rebelles Saxones, duce Trasicone, quatuor millia ceciderunt. Rex autem ad Visurgum castra tenuit. Manet hodie loco nomen, vt *Heerstelle*, hoc est, principum stabula, nuncupetur. Inde missis ducibus, repulit perduelliones. Quod per singulos fere annos regi curandum erat. Nam tametsi Wedekindus cōquiesceret, qui tamen antè illi fuerant dignitate pares, inuidebāt illi principatum, & habebat quisque in omni prouincia disseminatos amicos conniuentes, si non auxiliantes. Crebræ igitur vastationes: nam rarior erat obsidū de fide traditio. Quare optimum principem sæpius placauere.

Cap. 12. — *Hamburgum vnde nomen habuit.* — *Constitutis pene rebus motus cooriuntur.*

IAM Willehadus primus Bremensis episcopus cælo concesserat: & suffectus est illi in pontificatu Willericus, vnus ex discipulis eius, qui ad annum quinquagesimum peruenit gubernationis in ecclesia, per omnia tempora Caroli Magni reliqua, & deinde filij eius Ludouici, qui patri optimo bonus filius successit in regno & Imperio. Non erant tamen tempora huius pontificis vsquequaque tranquilla. Nam & Hadelerij (quod diximus) & Phrisij, & ipsi mediterranei Saxones, magnis sæpe motibus recruduerunt, vel ob decimarum exactionem, quæ genti dudum liberæ grauis videbatur: vel ob Francorum imposita ab rege præsidia, quæ inuiti viderant: vel propter eos qui cesserant è prouincia, regressos absente rege: vel ob inuidiam in Wedekindum, qui & regi & Christo manus iam dederat: siue quibusdam harum, siue omnibus de causis: res enim in obscuro mansit, per inopiam scribentium illis temporibus. Hoc tamen non silent annales, motus crebros fuisse rebellionum per Saxoniam, etiam post Wedekindum iam baptizatum, in quibus laborasse locorum pontifices non est ambiguum. Obibat ergo bonus pontifex commendatam prouinciam, & verbum Dei disseminabat, in fide confirmans quos accepit commendatos: alios aggregans, qui ad eum diem mali

Cap. 13. — *Rebellio in Saxonia emergit* — *Willerici diligentia in propagando Dei verbo.*

Chriſtiani haberentur. Tranſiuit quoque per opportunitatem in Tranſalbinam regionem, Tiethmarſos inuitans ad fidem in oppido Miliendorp, nunc *Meldorp* vocant: originem tamen nominis ex vicino riuo, qui Milte dicitur, eſſe, perſpicuũ eſt. Deinde in Holſatiam tranſiuit, & in oppidum Hammaburgum: quanquã hoc formidoloſius videretur, propter Danorum ac Wandalorum crebras ac feroces incurſationes. Quorum Wandali (præſertim Obotriti) etſi fœdere iuncti Francorum regi Carolo eſſent, tamen non ſunt paſſi audire verbum de noua religione: & tamen pontifex Willericus, quia ab eodem rege commendatã habebat cum Verdenſi epiſcopo regionem Tranſalbinam (quam crebrius tum & pòſt Nordalbingiam dixere, conflato vocabulo ex Saxonica & Latina linguis, quod idem vſuuenit & in aliis nationibus) non omiſit in illam quoque pro opportunitate penetrare. Dorſtadium tum oppidum erat, non eo loco quo nunc Stadium eſt, ſed Albi viciniore: monſtrant hodiè veteris oppidi reliquias. Ibi conſtituto mercatu, Tranſalbini ſæpe conſtitere. Nec deerat occaſioni Willericus, quo minus miniſterij ſui impleret dignitatẽ, quocunq; loco conuenturam multitudinẽ haberet cõpertum.

CAP. 14. *Leo Romam reducitur.*

TERTIVS eius nominis Leo Papa, qui (vt diximus) Romæ malè à ciuibus habitus, à Willigiſo Longobardorum duce (quem Carolus, ſubuerſo eius gentis regno, reliquerat in Spoleto) quum de manibus eorum ereptus, in Saxoniam ad Carolum deſcendiſſet, & inter eos Chriſtiani nominis principes iam de Romanis eſſet conſtitutum: remittitur ille cum ſecuro præſidio in vrbem, quum ſe rex protinus ſecuturum polliceretur. Et fecit. Ibi tum conuocato omni clero & populo, pontifex præſente rege, ſui facti, quod criminaretur, reddidit rationem. Canonicè ſe de infamia purgabat, ad plenam omnium qui adſtitere, ſatisfactionem. Tum iubente rege, animaduerſum eſt in principes eius tumultuationis, conſtituta cuique pœna pro modulo culpæ. Ibi tum rex optimus, quum hoc minimè poſceret (etiam, vbi cognouit, recuſabat) acclamatus eſt ab vniuerſo populo Romanorum

Carolus Magnus Imperator ſalutatur.

Imperator. *Carolo*, inquiunt, *Romanorum Imperatori vita & victoria.* Nimirum victorioſo principi ſuam laudem reddebant, & bene merita in Italiam & vrbem Romã, voluere, quoad poterant, remunerare: nihilominùs rationem ducentes publicæ vtilitatis, quòd tum non eſſet in orbe Chriſtiano princeps, in quo poſt Deum maior eſſet ſpes ſalutis conſtituta. Diu in occidua regione obſoletum imperij nomen renouabant, quod ab Auguſtulo nouiſſimo in Italia ponente purpuram, ad ingreſſum Wandalorum ſub Odoacre rege per annos 330. cõticuit & vacabat: præſertim nulla iam in orientali Gręcorum imperio ſpe relicta, quod ad pueros & fœminas eſſet deuolutum. Peregit tum volente populo (cui ius ac fas eſſe videbatur de Imperatore creando) pontifex ſacrum in eo miniſterium. Creuit perinde magnũ in modum authoritas & dignitas eccleſiæ Romanæ, quæ iam Imperatores & confirmare, & conſecrare cœpit, quod ante hunc diem fecit nunquam. Duo gladij, quos Petrus adeſſe dixit, Chriſtus ſatis eſſe reſpondit, iam tum primùm in ſucceſſore Petri Leone tertio apparuerunt. Nam cæteri pontifices alterum in vagina reclusum, ad opportuna tempora tenuerunt: quamuis etiam ante hunc diem temporalem gladium exeruiſſet eccleſia, in aliquot diſtrictum, quos Gothi, Longobardi, & ſuper omnes idem Carolus, victis Longobardis, eccleſiæ contulerunt. Nam totus exarchatus Rauennas, dono Caroli acceſſit Romanæ eccleſiæ. Meritò ſummus pontifex, & Gallorum rex mutuis ſe attollunt fauoribus, quando ab initio hæc ſedes domui Caroli hoc præſtitit, vt regiam haberet dignitatem, & viciſſim Carolus eccleſiam ampliſſimo principatu in Italia locupletaſſet. Acceſſit his omnibus & Carolo tributa imperij cum nomine dignitas, & eccleſię Romanæ per eam coronationem adaucta magnum in modum maieſtas. Olim Imperatores nõ paſſi viuere pontifices, ad ſupplicia deuocabant: & Græculi, poſtquã apud eos extincta ſtirpe Conſtantini, & deinde Magni Theodoſij, non habuere Romanum pontificem niſi quem ipſi confirmaſſent: mutatæ ſunt rerum vices, vt non habeatur Imperator, niſi quem Romanus pontifex confirmarit, & conſecrarit. Domini eſt terra & plenitudo eius: ipſe transfert regna & imperia, digniſſimeque ad ſuum in terris vicarium hoc ſacrum miniſterium delegauit.

Incipit verũ eſſe, Ecce duo gladij hic.

Eccleſia Imperatoribus, quibus ſeruierat, præeſt.

PENE-

PENETRAVIT eius rei fama subitò Orientem, cōsternabatq; proceres imperij illius. Sed Irene regina (quæ tum captū & exoculatū pro insolentia & nequitia tenebat filium) spem maioris rei conceperat, in vnum reducere caput vtrunq; imperium. In quam rem missa solenni legatione, de pace inter vtrunque imperiū agere cœpit: princeps eius legationis ex proceribus primis Leo fuit. Quam rem lætus Carolus accepit, protinus quod petebatur concedens: sed legationem fœminæ interpretatus, quòd matronali verecundia postulare nollet, quod in primis cuperet (quum & illa marito, & ipse coniuge vacaret) vicissim ad eam remisit oratores: cuius legationis princeps erat Iesse Ambianensis episcopus, quæ matrimonio illam inuitaret. Hilaris mulier de accepta legatione, promptè videbatur arripere quod erat alioquin, nisi verecundia interuenisset, petitura. Sed proceres ea res consternabat. Nam vbi in consilium res discutienda coniicitur, fremuerunt: indignati, quòd, quia imperiū Occidentis sine illis abripuisset Carolus vnico Imperatori, mox per occasionem tori etiam Orienti insidiaretur. Protinus reiecta legatione, Nicephorus rapuit imperium, & Irenen in monasterium, quod ipsa construxerat, sub fida custodia relegabat. Remisit tamen idem Nicephorus suos vicissim oratores ad Carolum, pacem pridem constitutam renouantes. Quos Imperator Carolus in Germania ad Salam fluuium sedēs cum exercitu, excepit in castra: & pro temporum qualitate dato responso, cum epistolis suis remisit in Græciam. Hoc est illud tempus anni quarti ex imperio Caroli Magni, quum tumultuantes Transalbinos Saxones ad decem hominum millia, qui crebrius rebellassent, & Obotritos Wandalos, Francorum fœderatos, malè attriuissent, cum vxoribus & liberis vltra Rhenum in Gallias transportauit. Coniectura est, in Flandriam tum vacantem cultoribus (quòd esset foresta, & venationis solius fructum haberet) hos tum collocatos, quòd in Gallorum prouincia permaneat lingua Germanorum, quæ alioquin illis (vt cæteris) Gallica fuisset. Nam & Brabantia, & quicquid vltra Rhenum est, tum Gallorum limiti deputabatur. Sed acceperunt postea prouinciç alios limites, vt Brabantia, Leodium, & omnis Lotharingia, Romano pertineret Imperio: quod suis locis ostendimus in nostra Saxonia.

Cap. 15.

Caroli & Irenes nuptias Orientis proceres perturbat.

Saxones è patria in Belgiū traducti.

PADERBVRNENSI deinde ecclesiæ surrogatur Baduradus, ab ecclesia Wirtziburgensi desumptus. Natus & ipse Saxo, inter obsides eò translatus. Iam enim Harimarus quum nouem annis præfuisset, euolauit ad superos. Erat tum in ea ecclesia Meinulfus clericus, quē pro nobilitate generis ipse Carolus de sacro fonte leuauit. Matrem habuit Wichtrud, speciosam moribus & vultu fœminā: quā quia marito defuncto frater eius cōtra legem Christianā vxorem improbè petebat, rex illam in singularem suscipit protectionem, & vim stupri cohibuit. Hic Meinulfus in ea ecclesia archidiaconi fungitur officio, seruiens Deo in omni sanctitate & iustitia. Quumque locuples illi esset patrimonium, conuertit hoc in vsum sacræ religionis, monasterium dominarum sub regula exædificans in villa Bodekem: quod quia diuturna negligentia (quum ibidem religio dilaberetur) in omnem sordem obsoleuerat, auorū nostrorum memoria regulares canonici, permittente pontifice, commendatū acceperant, nunc in omnē decorem refloruit, mutato sexu, sed reformata dudum collapsa religione. Ad Meinulfum redeamus: cuius ea fuit sanctimonia, vt & in vita, & in morte multis clareret miraculis, & in catalogū sanctorum sit adscriptus. Festum eius v. Octobris peragitur, quem perinde diem trāsitus eius coniicimus. Tradunt nonnulli ex annalibus, Carolū ex terra sancta redeuntem cum victore exercitu, apud Imperatorem Orientis habitū honorificè, & ex illo dona plurima reportasse. Quumq; aurū, argentū & lapides preciosi illi vilescerent, sacras reliquias accepisse, clauum crucis Christi, partē spineæ coronæ, sudariū Christi, camisiā virginis, brachiū sancti Simeonis: quæ rediens Aquisgranū collocauit. Sed quoniā eius expeditionis in terrā sanctam nulla est mentio apud probatissimos authores, ego technā illam Gallica leuitate arbitror conflatam: qui secū reputabant, non posse persuaderi posteris, Carolum fuisse regum omnium à multis seculis maximum, nisi terram sanctam & Dominicum sepulcrum recuperasset. Sed contemnimus narrationem, quæ nullis authoribus adiuuatur. Cæterùm reli-

Cap. 16.

Meinulfus in sanctorum numerū relatus.

Multa in historiis ad autoritatem conciliandam affinguntur.

quias Aquiſgrani dono miſſas ab Irene regina, aut ſuperioribus eius loci Imperatoribus: nec opus arbitramur, maximum regem fabulis dehoneſtare.

Cap. 17. PROSPEXIT optimus Imperator rebus Chriſtianis per omnem Saxoniã, & vt poterat, de amplificatione rerũ per Aquilonis regna cogitauit: futurũ operæpre cium, ſi in continenti prouincia eſſet Metropolita, qui rebus ſacris intenderet per omnes Boreales regiones: cui negocio peridoneum arbitratus eſt locũ in Hamma burgo. Igitur extructa Dei eccleſia, ſacerdotem in ea collocauit Heridagum, qui ſacris præeſſet, & rebus Chriſtianis coaugmentandis intenderet, animo deſtinans eum futurũ pontificem, imò Metropolitã, qui ſuperintenderet omnibus (vt diximus) Borealibus prouinciis: cui etiam propter infeſtationem barbaricam, vbi interdũ poſſet conſiſtere, cellam quandã in Gallia Rodnach donauit, diſponẽs eandem Hammaburgenſem eccleſiã, cunctis Slauorũ (Wandalorum vult dicere) Danorumq; gentibus Metropolim ſtatuere. In qua re ad perfectũ ducenda, & mors Heridagi presbyteri, & occupatio regni Carolũ Imperatorẽ, ne deſiderata cõpleret, impediuit. Verba ſunt annalis antiqui, quæ ad fidẽ poſui. Sed & bellũ cũ Danis ſuſceptũ, ab ea perfectione Imperatorem retardauit. Dani autẽ, & cæteri qui trans Daniam ſunt populi (ait annalis noſter) omnes Normanni vocantur, quorum rex Godefredus, iam antea Friſiis, itemq; Obotritis, Nordalbingis, & aliis Slauorũ populis tributo ſubactis, ipſi Carolo iam Imperatori bellũ eſt comminatus. Accepit autem Imperator Aquiſgrani nunciũ, quum contra Godefredum ire cõtenderet, ducentas naues ex Dania Phriſiam appuliſſe: qui, poſitis ad Wiſerã caſtris, Godefredum expectat. nam ſe velle congredi cum Imperatore, vanus iactitauerat. Interea diuerſi veniunt nuncij, claſſem Godefredi regreſſam, & ipſum à ſuo ſatellite, vel (vt alij ſcribũt) à proprio filio (cuius matrem, alia ſuperinducta, repudiauerat) interfectum. Nunciatur quoq; Imperatori, Hammaburgũ, in quo præſidium erat Imperatoris, ſub Vtone præfecto, à Wilſis Wandalis captum. Erat tum annus
810. à nato Chriſto decimus poſt octingenteſimũ. Sed Imperator anno ſequenti iuſſit Hamburgum inſtaurari, necdum animo dimittens, ibi metropolim omniũ Aquilonarium conſtituere: quod filius poſt eum impleuit Ludouicus.

Metropolita in Saxonia conſtituitur.

Normannorũ nomen latiſſimè patet.

Cap. 18. DICTV mirum in Chriſtianiſſimo Imperatore, quo ſtudio, quóve zelo diuinum in eccleſia ordinari procurauit officium. Eius inſtantia, per omnes penè prouincias, poſitum eſt Ambroſianum officium, & Gregorianum ſuſceptum. Patrum ſermones, ſanctorum vitas iuſſit ex fide tranſcribi. Martyrologium in eccleſiis maioribus & conuentualibus, iuſſit per ſingulos dies recitari. Eccleſiam mane & veſperi, vbi non magnæ cauſæ interuerterant, item nocturnis horis & ſacrificij tempore, quoad valetudo eum permiſerat, impigrè frequentabat: curabatq; magnopere, vt omnia quæ in ea gerebantur, cum maxima fierent honeſtate: æditu os creberrimè commonens, ne quid indecens aut ſordidum, vel inferri vel in ea permanere ſinerent. Sacrorum vaſorũ ex auro & argento, veſtimentorumq; ſacerdotaliũ tantam in ea copiam comparauit, vt in ſacrificiis celebrandis, ne ianitoribus quidem (qui vltimi ordinis ſunt) priuato habitu miniſtrare liceret. Legendi atq; pſallendi diſciplinã diligentiſſimè emendauit: erat enim vtriuſque admodum eruditus, quanquam ipſe nec publicè legeret, nec niſi ſubmiſsè & in commune cantaret. Digito aut baculo porrecto, vel ex latere ſuo ad procul ſedentes directo, demonſtrauit quemadmodum legere voluiſſet. Finem verò lectionis ſono gutturis deſignauit, ad quem vniuerſi intenti, ita ſuſpenſi ſteterunt, vt, ſiue finita ſententia, ſiue in media diſtinctione ſignificaret, ibi finis eſſet. Extremo verò tẽpore, quum iam morbo & ſenectute premeretur, euocatum ad ſe Ludouicum filium ſuum Aquitaniæ regem, qui ſolus filiorum Hildegardæ ſupereſſet: congregatis ſolenniter de toto regno maioribus, cuncto approbante concilio, conſortem ſibi regni, & Imperialis nominis hæredem conſtituit. Licuit hoc pro magnitudine rerum geſtarũ Magno Carolo, quod cæteris licuiſſe nõ poterat. Impoſitoq; capiti eius diademate, Imperatorem & Auguſtum iuſſit conſalutari. Suſceptum eſt hoc eius conſilium ab omnibus qui aderãt, cũ magno fauore: nam diuinitus ei, propter regni vtilitatẽ, videbatur inſpiratũ, auxitq; maieſtatem eius hoc factum, & exteris nationibus nõ mini-

Duplex in eccleſia diuinũ officium.

Carolus diuinum cultum ſtrenuè promouet.

Filium Ludouicum Imperij conſortem aſciſcit.

minimū terroris incuſſit. Dimiſſo deinde in Aquitaniā filio, ipſe more ſolito (quāuis ſenectute confectus) nō longe à regia Aquenſi venatū proficiſcitur: exactoq́; in eiuſmodi negocio quod erat autumni reliquū, circa calēdas Nouembris Aquiſgranū reuertitur. Quumq́; ibi hyemaret, menſe Ianuario febre valida correptus decubuit. Statim (vt in febribus ſolebat) cibi abſtinentiā ſibi indixit, arbitrans hac continentia morbū poſſe depelli, vel certè mitigari. Sed accedente ad febrim lateris dolore, quē Græci pleureſin dicūt, illoq́; adhuc inediā retinente, neque corpus aliter quàm rariſſimo potu ſuſtentante, ſeptimo poſtquā decubuit die, ſacra communione percepta, deceſsit, anno ætatis ſuæ LXXII. & ex quo regnare cœpit, XLVI. indictione ſeptima, v. Calendas Februarias, hora diei tertia. Cuius corpus more ſolenni lotū & curatū, maximo populi & cleri luctu de cōmuni parente, eſt eccleſiæ illatū, atq́; humatū tali Epigrammate: CAROLI MAGNI CHRISTIANISSIMI ROMANORVM IMPERATORIS CORPVS SVB HOC SEPVLCHRO CONDITVM IACET. Tribus annis antequā è vita migraret, teſtamentum condidit: duas partes relictæ à ſe pecuniæ iuſſit dari epiſcopis, præſertim Metropolitanis, pro reficiendis eccleſiis, & pauperibus adiuuandis: tertiam filiis ac filiabus, cuiuſque ratione habita, cum ſeruis & ancillis, reliquit. Erant inter cæteros theſauros tres argenteæ menſæ, & vna aurea præcipuæ magnitudinis. Quarum vnā, quæ Conſtantinopolitanæ vrbis ſimilitudinem referebat, Baſilicæ B. Petri Romæ: aliam, in qua forma vrbis Romæ viſebatur, eccleſiæ Rauennati dono dedit: tertiam, quæ totius orbis deſcriptionem continebat, cum aurea, filiis ſuis reliquit. Hoc religioſi principis datur memoriæ, vt, quoniam Chriſtianiſmi ad nos erat propagator, exitum eius, & ad meliora tranſitum, inter res eccleſiaſticas commemoremus.

Febrè correptus moritur.

Aurea & argentea Caroli ſupellex.

CAP. 19.

PIVS Ludouicus, vt hæres regni & ſucceſſor erat imperij, ita in cura propagandi Chriſtianiſmi ſolicitus erat patris optimi imitator. Ergo ſuſcepta cura regni, primam ſacræ religionis curam ſuſcepit: Tranſlato ex Francia monachorū bono collegio, de Corbeia ad ripam Sommæ fluminis ſumpto, ad ripam Viſurgi (aliâs Wiſeræ) in Saxonia, nouam Corbeiam exędificauit, illic boni profectus optima iaciens fundamenta. Erat in hac tranſlatione diuus Anſgarius, primo tunc pollens adoleſcentiæ flore: feruebat diuinus amor in fratrū cordibus, vt magnoperè percuperēt & ſudorem & ſanguinem, prædicādo in gentibus Aquilonaribus (quæ totæ adhuc ſeruierāt paganiſmo) Dei euāgelio impendere. Ea res, procurante Deo (qui dirigit corda regum) ita prouenit. Contenderāt ea tempeſtate (vt ſæpè aliâs) in Dania, de regni diademate, plures: inter quos Haraldus contractis armis pro regno dimicabat. Victus autem, ad Imperatorem contendit Ludouicum. Compertū enim habebat, annis proximis fœdus eſſe ictum inter Imperatorem, & ſuæ gentis tum regem Henningum, incertum an patrem, an patruum eius. Cuius fœderis cōtemplatione, Haraldus tum auxiliaria arma ab Imperatore efflagitabat: nec cunctatus Imperator, ſpem illi fecerat auxilij, ſi lauacrū regenerationis ſubiret, cum fide Chriſti religionem amplexatus. Accepit conditionem Haraldus: & cum vxore, & quos ſecum habebat proceribus, Moguntiæ eſt baptizatus, primuſque regum Aquilonis Chriſti fide eſt imbutus. Et quum iam redire in patriam auxilio fretus Cæſareo diſponeret, efflagitabat vt prædicatoribus vnà miſſis, populus quoque ad Chriſti religionem imbueretur. Circunſpexit Imperator quem tanto parem operi mitteret, lucrandis Chriſto animabus. Iam tum multis compertum erat beati patris Anſgarij, Corbeiæ monachi, & inter alios viri doctiſſimi, feruens pro Chriſto deſideriū: ſed interpellare eum deſuper nemo præſumpſit. Terrificum enim videbatur, tantæ barbariei ſeſe cōmittere, & gentem de crudelitate famoſam noua prędicatione adoriri. Ita cunctis muſſitantibus, Anſgarius, quum ſe Domino precibus commendaſſet, obuium ſe ferebat quærentibus prædicatorem. Ecce, inquit, ego, mittite me. Addebat ſe ſancto patri ſociū Gaudbertus, peregrinari pro Chriſto & ipſe percupiens. Profecti ſunt igitur cum Haraldo rege, & manu militari, quam illi Imperator adiunxit: ſed armis ſe minimè immiſcuere ſacerdotes. Dum autem Haraldus in Iutiam perueniſſet, & cum ſuis tractaret de gerendi belli ratione, Anſgarius cum conſorte ad intima regni penetrauit, verbum vitæ annuncians. Proſpe-

Monachi è Picardia in Germaniam.

Daniæ Rex Moguntiæ baptizatus.

Anſgariū prædicandi apud Danos Euangelij curam ſuſcipit.

ratum est opus in manibus eorum, multiplicante Christo semina bonarum frugum, quum plurima plebs Domino per illos credidisset. Quid de Heraldo ageretur, quòd ille iterum armis extruderetur, ad illos non pertinebat. Inde post aliquot menses reuersi Apostolici nuncij, narrauere fratribus ad cuncta gaudentibus, quantam in nationibus Dominus gratiam ostendisset. Nec longum tempus in medio, in idem opus pietatis, sancti euangelistæ iterum præparantur. Cum iam plures accurrerent, qui se similis pietatis officio pariter deuincirent, penetrarunt vsque in Suediam, & in oppido Birca præfectum ipsum Christo conciliabant, multamque sub eo plebem & in fide erudiebant, & sacro fonte perfuderant. Haraldus interim expertam semel prælio fortunam, iam ab Imperatore roboratus retentabat: sed idem erat exitus qui prius. Fugatus enim, & acie victus, abscessit in Phrisiam, vbi ab Imperatore commanendi locum promeruit. Nec tamen ea res terruit diuini verbi prædicatores, quo minus in populo fructificarent. Peruicerunt enim & orando & prædicando, vt multus vbique populus Christo subderetur. Post biennium noui Corbeiam apostoli repetunt, duorum regnorum aucti fide. Vtinamque tam feliciter perdurasset, quam salutifera fuere primordia. Non est passus abesse serpens antiquus, tam salubribus institutis, quo minus se illis opponens, tantas excitauit in regno procellas, vt publica prædicatio locum non haberet. Cæterùm plebs in fide erudita, quantùm potuit, filiis acceptam à Christi prædicatoribus religionem contradidit, & in occulto salutem, largiente Domino, ad multos propagauit.

In Dania & Suedia fæliciter verbum Dei disseminatur.

Persecutio apud Danos cooritur.

CAP. 20. ANSGARIVS iam magnus apud Imperatorem, magnus in omni populo, quem gratia prædicationis in gentibus fecit cunctis venerabilem. Igitur Ludouicus Imperator, iam patris cœpta in consummationem perducere annisus, quum sciret beati patris Ansgarij præclara merita, quòd iam Aquilonis regna diuini verbi illustrasset prædicatione, assumptum de Corbeiensi cœnobio, magno principũ & episcoporum habito conuentu, per manus episcoporum fecit archiepiscopum Hammaburgensem consecrari, subiiciens eius ditioni omnia Aquilonis regna, & quicquid vltra Albeam in Boream est situm populorum, Wandalos, Danos, Sueones, Noricos, & quicquid gentium est ex illo latere mundi, vsque in regionem nouissimam mortalibus habitatã. Hæc est illa prima Hamburgensis metropolis, per imperiale decretũ constitutio, de consilio archiepiscoporum & principum, quos

Hamburgensis metropolis.

833. Wormatiam Imperator contraxit, anno post natum Christum, DCCCXXXIII. quum inibi sanctus pater ab archiepiscopis Moguntino & Treuerensi, per manũ Dragonis episcopi Metensis, consecraretur. Cui, quòd germanus esset Imperatoris, in ea parte detulerunt, consentientibus Willerico Bremensi, & Helingando Verdensi episcopis, quibus antea fuit ea prouincia commendata. Eam rem quum Imperator per solennes oratores pontifici Gregorio quarto intimasset, ille promptus pallij datione, & apostolica confirmatione, omnia roborauit: constituens sua vice legatum in omnia regna Aquilonis, vsque ad vltimum terræ. Exinde sanctus pater creditum sibi in gentes legationis officium strenuè obiuit: Danos, Sueones, cæterosque diuini verbi commemoratione in fide solidauit, aliosque conuertit. Si quando autem persecutionis sæuiente procella ab eo retarderetur officio, fratres in monasterio Flãdriæ *Turhold* (quod illi refugij gratia permisit Imperator, Gallicum locũ homini Gallico) visitabat, nimirum longinquum refugium: quatuor enim millibus passuum ab oppido Brugis distat in occiduum. Commeabat eò nõnunquam Ansgarius, & fratres spiritali cõsolatione de dono Dei implebat, & temporale nihilominus subsidium (quod scire datur) inde reportabat. Nam omnis res noua tenui orsa principio, non potuit suppeditare sanctissimo viro, quo ille ad peregrinandum plurimo indigebat. Quo in loco discipulum reperit Rembertum: quem inde assumptum, indiuiduum reliquæ vitæ comitem habuit, & in pontificali ministerio successorem: & nihilominus in virtutibus sectatorem, pariter & in regno Dei consortem, se prædixit habiturum.

Ansgari diligentia & fides.

CAP. 21. VERDENSIS interim ecclesiæ pontifices, quàm breui fato in suo ministerio sint functi, admonet nos Helingandus, qui consecrationi aderat D. Ansgarij, quum

quum & cõsensum præstitisset eius ordinationi:quòd eius prouinciæ aliquid perinde decedere videbatur: nam cum Bremensi (quod diximus) Transalbinam ille regionem à Carolo habuit commendatam. Is erat ordine pontificũ in ea ecclesia decimus. Ergo qui præcesserunt, breui omnino tempore in ministerio durauere, ab annis quinquagintatribus aut circa, quo primùm Carolus Magnus in Saxonia cœpit erigere pontificales ecclesias:inter quarum primas ista Verdensis dinoscitur extitisse. Et erat nunc annus tricesimustertius post octingentos, cùm Ludouicus Imperator eam de Hammaburgensis ecclesiæ institutione fecisset ordinationem, cui decimus Verdensis interesset episcopus Helingandus, quum circa annũ Christi 808. inchoaret Carolus Saxoniã sacris pontificum ecclesiis exornare. Sed eam rerum confusionem nobis parturit annalium simplicitas, vt vix nomina in eis pontificum inuenias annotata. Cæterùm quantũ temporis præfuerint, quæ sanctitatis monimenta dederint, quæ rerum fundamenta iecerint futurarum, omnino nihil reperies. Erat autem primo Suiberto Verdensi episcopo proximus successor Patto, natione Scotus, abbas pridem Amarbaricensis in sua prouincia, pro Christo peregrinatus, quum audisset Saxoniam, iam diu contumacem Christo & eius Euangelio, nunc armis coactã à Carolo, vt auscultaret veræ religioni, catholicæq; veritati. Quumque versaretur in prouincia, & verbum Dei strenuè gentibus prædicaret: delectatus eius zelo Magnus Carolus, ecclesiæ Verdensi præfici iussit pontificem. De rebus autem ab illo gestis, nihil nobis traditum est ab eius memoriæ scriptoribus. Quocirca diuinare non possumus: nisi quod pro certo & indubitato accipimus, virũ fuisse sanctitate præcipuum, qui zelo Dei, transito mari, se in aperta vitæ pericula proiecerit, quæ terra mariq; ei fuerant subeunda. *Annales magna incuria perscripti.*

Tanco tertius eius ecclesiæ pontifex, quum prædecessor eius tertio Calendas Aprilis ad superos concessisset (hoc enim solũ ex omnibus inuenimus annotatũ) successit in ecclesia ministerio pontificali: Scotus & ipse natione, & eiusdẽ in prouincia monasterij abbas Amarbaricensis, vtroq; loco Pattoni succedens. Qui & ipse pro diuina religione peregrinatus, inuenit se dignũ locũ, in quo Christo militaret, exoptãs in feroci gente coronã capere martyrij: quòd non multis antè annis in Phrisia D. Bonifacio Moguntinensi archiepiscopo, natione Anglico, audierat eam gloriã prouenisse. Poterat & iste per similem occasionẽ ad brauiũ supernæ vocationis peruenisse: sed inuida sors (ne dicã socordia scriptorum) nobis subduxit, quo sit exitu in superos translatus. Quanto tẽpore suę præfuerit ecclesiæ, martyrio sanguinis, quòd temporibus eius grauissimi in Saxonia rebellionis motus extitissent, an spiritus solo cruciatu (quòd cerneret, Dei gloriã, non ita vt cuperet procedere, finierit) habemus incompertum. Nortila quartus hunc excepit successione: cuius vita & acta soli Deo sunt cognita. Hoc solùm in annalibus commemoratur. Nam cuius fuerit nationis, quantum præfuerit ecclesiæ, quid rerũ gesserit, quomodò finierit, omnino nihil scribitur: sed quũ prędecessor eius Tanco, XVII. Calend. Martij hinc ad meliora regna concessisset, iste in episcopũ fit sublimatus. Recrudvit frequenter, absente rege Carolo, Saxonum sæuitia, vt igne & gladio sæuirent nõ tam in suos prouinciales (quos tantopere odisse nõ poterãt, quòd inuiti viderẽtur Francorũ iugũ subiisse) quam in exteros diuini verbi prædicatores, quos illi malorũ appellabant incentores: adhuc non videntes quid bonorũ eis inferret sacrum Christi Euangeliũ, vt veris hostibus abactis, in libertatem spiritus respirarent, quũ inuisibiles potestates cederent, & nihilominus maiori rerum temporalium ciuilitate vterentur, & mitterentur ex hac luce in nunquam finiendam beatitudinem. Hæc (vt dixi) necdum in animum descenderant perfidorum, solùm hoc refugientium, ne Francorũ iugo temporali premerentur: quod ipsum cauit eleganter piissimus rex Carolus, vt suo loco de literis Bremensis priuilegij docuimus. *Cap. 22.* *Crebræ apud Saxones sacerdotũ vexationes.*

Mindensi ecclesiæ post primum Herimbertum præficitur insignis vir Haduardus, sanctitate & religione præcipuus. Nam ea tum in pontificibus sola quærebantur. Nec erat illa tempestate pontificatus, vt magnis contentionibus ambiretur: refugiebant potius onus, non vno tamen omnes animo. Sancti pro humilitate se retraxerunt, fugientes primatum in ecclesia: alij pro periculo, quod subesse *Cap. 23.* *Episcopalem laborem defugiendi variæ causæ.*

cernebant,euitauere:nonnulli laborem fugitarunt, & vitæ periculum à perfidis, in quorum adhuc medio viuebant. Haduardus ſarcinam impoſitam non detrectauit,laborans vt fortis agricola in dominica vinea. Cæterùm quæ ad ſpeciem peregerit, ſcripta non ſunt. Vnum pro certo eſt,illum lucrandis animabus,& Chriſto retinendis,omnem operã vſq; ad mortem impendiſſe. Iam enim pius Ludouicus,Caroli Magni filius,rebus imperij & regnorũ ſolus præerat, ad inuidiã vſque propriorum filiorum:quod in Saxonia noſtra ſcripſimus. Saxones autem quieuere ſub leni iugo Chriſti, præſertim quia eis magis pontifices ad rem diuinã, quàm mundi poteſtates ad tributa imminebant: quorum vel nomen horrebant aſſueta libertati pectora. Ad pontificem redeo : cuius quia peculiaria geſta non tenemus, de communibus tunc currentium temporum colligenda narratio rebus. Quanto tempore rebus præfuerit,quæ opera ſit molitus, quia annales non præferunt, nos diuinationibus inueſtigare fruſtra contendimus. Hoc ſolùm relictum eſt memoriæ,quia tranſierit ad Dominum ipſo die virginis Euphemiæ, hoc eſt Idibus Aprilis. Vbi verò ſancta oſſa tumulum acceperint, ad expectandam nouiſſimam tubã, nulla penitus mentio eſt:magna nimirum poſteritatis iactura, magna patrum diſſimulatione,qui res tantas in literas non miſêre.

Cur Saxoniæ dominatio ſacerdotibus tributa.

Cap. 24. Osnabvrgensi verò eccleſiæ, poſt primũ Wihonem ſuffectus eſt Mengardus (alij Meingerũ vocant) vir præſulatu dignus, pro religione & feruore in illa. Præfuit autẽ in diebus Ludouici Imperatoris, qui Magni Caroli filius erat, cognomento Pius. Vidit hic pontifex in diebus ſuis inſignẽ illã cleri ſecularis reformationẽ ſub Ludouico factã,quum canonicis ſecularib. adimeretur ſuccreſcens pompa in auro & argento,in pellibus variis magni precij:quę res iam tum per Gallias & Germaniã excreuit in abuſum plurimũ. Religioſi laici auxerant eccleſiarũ patrimonia,ita vt deliciæ euaneſcerent per vanitates. Aurũ in frenis equorum,argentũ in vſum etiã famulorum venit. Caſtigandã putauit pompam optimus Imperator Ludouicus primus,illã ſuorum temporum licentiam. Et vocato ad hoc cleri concilio,iuſſit regulã cõſcribi canonicis ſecularibus,cuius etiã Blondus meminit per hæc tempora. Quo etiã tempore,anno ſexto imperij eius, fundari cœptum eſt cœnobiũ Corbeienſe ad Viſurgum fluuium in Saxonia,in diœceſi Paderburnenſi: vnde poſtea ſanctus transfertur Anſgarius in eccleſiam Hamburgenſem, cum aliquot ſucceſſoribus ex eodem loco.Inde Rembertus, Adalwardus,Hoierus,continui in archiepiſcopatu illo ſucceſſores.Erexit autem cœnobium Ludouicus, nomine ipſo tranſlato ex Galliis:hodieq; extat Corbeia Franciæ, non longè ab vrbe Ambianenſi,ad ripã fluminis Sommæ.Hic verò bonus pontifex, à Caroli temporibus ad Ludouicũ filium præfuit annis XXIX. diemq; ſuũ obiit in pace Chriſti.

Clerus diuitiarum copia luxuriat.

Cap. 25. Mimigardevordensi eccleſiæ poſt diuum Ludgerum præficitur Gerfridus nepos eius : qui prædeceſſoris ſui vitam & mores imitatus, dignum ſe tanto viro præſtitit ſucceſſorem. Nam & operibus virtutum, & miraculorum gratia non caruit, dignè omnium opinione in ſanctorum numerum referendus. Præſtitêre hoc Romani falsò ſuis imperatoribus, vt in numerum diuorum referrent. Sic deificatus Romulus, ſic etiam Iulius Cæſar : ipſe verò Auguſtus iam viuus diuinos meruit honores à populo. Sed hæc mendoſa & friuola erant adulantis populi beneficia:Deus ſolus poteſt hoc pręſtare donum. Ille ſuſcipit in ſyderea regna benemerentes:quos tamen ſolus ipſe,tales vt eſſent, præſtitit. Teſtificatur autem eam ſanctitatem ſuorum, oſtenſis miraculis : quæ Gerfrido viro ſanctiſſimo non defuerunt. Ea autem fuit illa tempeſtate ſufficiens apud omnes teſtificatio, ad peragendum celebriter ſanctorum tranſitus diem: quo in ſuperûm cœtum, prodentibus miraculis,aſſumpti viderentur. Sed compeſcuit eam licentiam (dum in abuſum iret) Romana ſedes,iuſtiſſima ratione, vt nemo in reliquum talis habeatur,niſi quem illa authoritas comprobauit. Superſtitio enim ſeſe permiſcens veræ religioni,multa facit videri, qualia non ſunt. Alia de hoc pontifice nulla legimus, quanto præfuerit tempore, quibus fulſerit operibus. Succeſſor illi datus eſt Alfridus, vir magnæ deuotionis & ſanctitatis: vnde & eccleſiæ ſuæ, & populo ſibi cõmendato,in diebus ſuis vtiliter & fructuosè præfuit. Proſpexit autem optimus Impera-

In diuorum numerũ referendi mos non à patribus Hebræis.

Superſtitio in falſis miraculis.

Imperator illis in primis Saxoniæ partibus, Rheno non longinquis, vt haberent ex Franciæ proceribus, qui eo loco collocati, perseueranter populum in fide continerent. Quæ res & pontificibus commodo venit, vt sine periculo præessent populo: quem alioquin dura ceruice indomabilem, procerum intēta cura sub iugo ferreo contineret. Ex his reliquiæ quædam ad nostra vsq; tempora durauerunt: comes de *Pyrmon*, qui nomine suo testatus est nationem Gallicam, de lingua illa mutuato. Quod ne obscurū esset, naturalem filium suum nouissimus comes Mauricius iussit igneum montem (hoc est in lingua Saxonica *Furberch*) nuncupari. Quòd ergo in reliqua Saxonia crebrius, etiam post conuersum Wedekindum, tumultuatum legimus, ea pars ꝓuinciæ, Rheno contermina, caruisse procerū beneficio credita est.

Ferreum iugū Christi iugo confirmando additur.

Cap. 26.

HALBERSTADENSIS ecclesia post Hildegrinum suum, quo diu feliciter fruita est, meruit sub Ludouico Imperatore non minorem habere in sanctitate & iustitia pontificem, Tiagrinum, abbatem pridem fratrum suorum, incertum an de Corbeia: res enim in obscuro mansit. Sed quòd præcipua erat virtute, non siletur: & ratio temporum deposcebat, vt nouis rebus, dum adhuc multi in circuitu essent ad fidem euocandi, idonei pontifices quærerentur. Ergo quum regum prouidentia & Imperatorum solicitudine pontifices deligerentur, priusquam insuescerent sanguinis sui primam habere rationem, optimi quiq; & meritis probatissimi pontifices deligebantur. Sed peruenit ea res cum cæteris in abusum, vt magno vix labore de manu secularium principum ea prouisio extorqueretur, & capitulis atq; ecclesiis libera personarum electio proueniret. Sed neq; ea res satis syncera perdurauit, vt optimus quisq; ac meritissimus, de moribus ac vita comprobaretur ad id ministerium. Sed effecit improborum in ecclesias & earum prædia sæuiens audacia, vt essent pontifices, qui insolentiam seculari potentia comprimerent, & sanguinis nobilitate authoritatem coaugerent. Nam viluit apud nobilitatem gladius ecclesiæ, facileq; vocatur in contemptum, si non accedat illi secularis potentia. Et quis vetat in sanguinis nobilitate etiam lucere maiorum suorum virtutes, quib. illi nobilitatem veram sibi ac posteris pepererunt? Vidimus nimirum vtrunque sibi pulchrè respondere: & est maior indicta nobilitati veræ virtutis imitandæ necessitas, ne bonis parentibus degeneres filii habeantur: alioquin exclusa, sæuissima est iniustitia (vt habet vetus prouerbium) habens arma. Sed nos Tiagrini, per inopiam annalium, nō habemus, quæ in posteritatem mittamus, præclara facinora. Equidem Ludouicus Imperator anno imperii sui quarto Aquisgrani in cœtum conuocauerat omnes archiepiscopos & episcopos per Gallias & Germaniam, procerumq; regni non modicam manum: & ordinationē fieri iussit de vita & honestate clericorū in vestibus, morib⁹, disciplinis. Interdici iubebat iam tum insolescentē abusum, in pellibus peregrinis & serico. Eam rem ad bonum modum iussit castigari: non dico ipse castigauit, non ignarus potestatis non suæ in clerum. Quanquam tempora paterentur, vt Imperatores, qui sedem Apostolicam prouinciis datis honestassent, & cæteros pontifices locupletassent, abusum talium rerum ad inanem pompam si castigassent. Vtinam Ludouice nūc viueres, ait Platina, & nostrorum temporū pompam cerneres. Sed tum multa salubriter sunt constituta. Eius autem concilii capitula de regularibus atq; secularib. canonicis, de monachis & pontificibus, & omni ordine cleri, seruari feruntur apud ecclesiam Paderburnensem, seruari (inquam) in libro, nescio si etiam in morib. & vita. Liber aūt ille, etiā hodie Regula nūcupatur.

Pontifices initiò à principibus dabantur

Gladius verbi solus non satis præstat.

Quid quæso facturus, potestate non sua?

Cap. 27.

HILDESEMENSIS ecclesiæ secundus erat pōtifex Frembertus, qui ad meliora translato Gunthero, illi surrogatur sacrorum minister. Sed non eius diuturnū erat ministerium. Quantum verò temporis præfuerit, quid rerum egerit, prorsus nihil in annalibus accipimus, nisi quòd nō longo tempore præfuerit. Fuere autem vt accepimus) satis illa tempora trāquilla: iam omnis Saxonia edomita, & leni Christi iugo subacta, cœpit mansuescere. Sed & vicinæ prouinciæ mutuis armis in se versæ, pacem præbuere vicinis. Nam in Dania Henningo Danorum rege mortuo, Sigefridus & Amilo nepotes Godfridi, quū inter se de primatu regni conuenire non possent, prælio rem dirimendam putauerunt. In qua congressione vndecim millibus hominum interemptis, reges ambo ceciderunt. Pars Amilonis cruenta victo-

Dania bello ab æmulis suscitato inquieta.

ria potita, Reginfredum & Haraldum in regnum collocauerunt. Moxq; Reginfredus ab Haraldo pulsus, piraticam classem, de more veterum regum (quod in Dania ostendimus) exercuit. Imperator autem ab Haraldo imploratus, illi suppetias tulit: quod antè significauimus in erectione Hamburgẽsis ecclesiæ, per anticipationem rerum hoc tempore gestarum. Ebo tum Rhemensis archiepiscopus, quum de salute gentium religionis studio ferueret, legationẽ cum Ansgario suscepit à Paschali summo pontifice. Sed eam solus Ansgarius, diuina opitulante gratia, deuotus impleuit, quum Ebo rebus seculi implicitus, in Francia districtus teneretur. Surrexit ea tempestate in Imperatorem Ludouicum grauissima in regno conspiratio, cui & filius eius Lotharius (quem regno Italię decorauit) inerat: posteaquam Bernardus, Pipini fratris filius, in eundem Ludouicum coniurationem iniens: de qua conuictus in concilio, cæsus est gladio. Nam morte primæ coniugis toro viduus Ludouicus Imperator, alteram superinduxit, Iudith filiam comitis de Rauensberge. Cuius amore quum nimio teneri videretur, improbis hominibus nata est fabula nescio quæ aduersus Imperatorem, quæ vsque adeo inualuit, vt Lotharius filius, cum regni proceribus, tam spiritalibus quàm secularibus, captum patrem haberi iusserit in libera custodia in monasterio. Erant in regno plurimi, quibus doleret tanta Imperatoris iniuria: armaq; pro eo commouissent, nisi ille vetuisset, sciens breui filium, quum resipisceret, ad sanam mentem rediturum. Quod & factum est, quum Lotharius à patre veniam postulans, circumuentum se diceret alieno consilio, patremq; laxatum restituit ad imperium: ipse reuersus in Italiam, regnum Longobardiæ (quod auus eius Carolus genti ademisset) gubernauit. Ludouicus Imperator pontifices, eius technæ authores, merita mercede donabat. Theodulphus in his erat episcopus, vir sanè doctus, quem carceri inclusit Imperator. Obseruãs iste tempora, quum in die Palmarum rex Christiano more diuino interesset officio, hymnum, quem in carcere dictarat, de fenestra, vt poterat, plena voce concinebat, *Gloria, laus & honor tibi sit, rex Christe redemptor.* Motus Imperator, iussit cõscriptum carmen, quum voce pontificis decantatum audisset, sibi præsentari. Placuit vehementer, ita vt eius dulcedine permollitus Imperator, veniam daret incluso: iussitq; relaxari, & redire in ecclesiam.

Conspirant in patrem Imperatorem filii.

Hymnus in sacra Palmarũ pompa cani solitus.

CAP. 28. PADERBVRNENSI ecclesiæ præerat Baduradus, secundus eius pontifex, quando translatus est sanctus Liborius de Cenomanica ecclesia sua Paderburnam. Ibi enim dum viueret, ecclesiam in Frãcia mirificè gubernarat. Misit eò episcopus Baduradus (qui mira deuotione in sanctum Dei Liborium ferueret) Folodigium aduocatum, Meinulphum archidiaconum, Adelbertum presbyterum, Aldricum diaconum, & Drudwinum subdiaconum: qui precib. & nescio quibus meritis peterent sanctas reliquias, ab Aldrico, eius loci tum antistite: cuius mentio est in constitutionibus patrum. Ille siue quòd meritis esset præuentus à Badurado, quòd petenti negare non posset, siue quòd minoris faceret rem in prouincia (non magnopere sanè ad verbum euangelicum veritatis, Non est propheta sine honore, nisi in patria sua) protinus indulsit quod petebatur. Ferunt sanctum Meinulphũ tum Cenomanis in ecclesia D. Vincentii, vt prosperare dignaretur Deus legationem eorum, votum emisisse, vt in loco Budekem in suo patrimonio dominarum erigeret monasterium: quod (vt antè diximus) deuotus impleuit. Ido Paderburnensis clericus, & Erconredus Cenomanensis ecclesiæ archidiaconus, scribunt de miraculis, quæ per sanctum Liborium in eo loco & in translatione, & postea in loco quietis suæ dignatus est Dominus operari. Celebris est memoria eius vsque hodie in ea ecclesia Paderburnensi: quod crebra in populũ beneficia contestantur ac merentur.

Reliquiæ è Cenomana ecclesia in Germaniam transferuntur.

CAP. 29. WILLERICVS Willehadi discipulus, & in ecclesia Bremensi successor, in episcopatu continuo perdurabat, quando interim Verdensis ecclesia vsque ad decimum suos pontifices variabat. Nam quintus in ea ecclesia Ceuilo, cuius nõn alia sunt in fastos acta relata, quàm quòd magni apud Deum meriti præsumeretur, qui præsederit ecclesiæ Verdensi solo nomine, propter malitiam temporis. Hoc verò quomodo & vnde factum sit, nihil inuenitur: nisi quod iam sæpe dixim⁹, Saxonum dura pectora non facilè poterant aut citò permoliri, sæpius recrudescentia, & crebris

Christus in Saxonũ animis ægrè formatur.

bris

bris motibus exagitata, quando Ludouicus Imperator, rebus grauibus implicitus, huic regioni minus intenderet. Erat autem hæc eccleſia in medio multorum hoſtium poſita, vt crebrior illi tumultuatio quàm aliis proueniret. Nam ab oriente Wandali infeſtauere, necdum Chriſto creduli: a meridie Saxones, necdum ſatis in fide ſolidati: ab aquilone Dani, Normanni: qui illa tempeſtate cœperant infeſtare Saxoniam, donec ab Ludouico rege Imperatoris filio comprimerentur. Sextus in ea eccleſia epiſcopus Rortila dictus, è gēte Anglorum, aut Scotorum: ita enim ſub incerto annalis annotauit, hoc adiiciens, eum aduenisse de longinquo per maria, rudibus populis Saxonum, quaſi ſuis progenitoribus prędicare. Meminerat (quod ſæpe diximus, ſed vſq; hodie à multis ignoratum permāſit) Saxones Anglos his regionibus profectos, primùm ad facienda ſtipendia, deinde ad poſſidendam regionem in Britanniam emigraſſe, inſulamq; Pictis & Scotis retro pulſis vacuatam, deinde pro ſua tenuiſſe. Quo iure, quáve iniuria, non diſputo: ſed ea tum fuit crebra gentium ad nouas ſedes petendas emigratio. Sic Gothi, ſic Wandali, ſic Huni vicinis temporibus in Galliis, in Hiſpaniis, in Africa, in Pannonia aduenientes conſederunt: quod latiùs in noſtra Saxonia ſumus executi. Sic poſteà Turci, ſic Bulgari, ſic Tartari ſuas (quas tenent) regiones occuparunt. Sic coarguit rerum arbiter Deus, nationum occulta peccata. Ergo Saxones Angli, inſulæ tenentes imperium, ſuum illi nomen indiderunt, vt Britannia nunc vſq; Anglia ab Anglis Saxonibus diceretur. Venerabile nomen Saxonum permanſit vſq; hodie in ea, vt ament Angli ſe etiam nunc Saxones vocitari. Huius rei memores venerandi patres, ex Anglia, quum audirent antiquam patriam iam auſcultare euangelio Chriſti, protinus ad prædicandum aduolarunt, in quibus iſte Rortila epiſcopatum nactus eſt Verdenſem, ordine ſexto. Iſengerus hunc excepit ordine ſeptimus: de quo præter merum nomen nihil eſt in faſtos relatum, quis fuerit, vnde ortus, quomodo, quāto tempore gubernauerit: ſolùm hoc ſcribitur, quia in hoc ordine fuerit Verdenſis epiſcopus. Mirum, quomodo in hoc epiſcopatu tam breuis mora, tam obſcura ſint acta. Fuiſſe tamen virum ſanctitate pręcipuum, vel inde poſſumus cōiectare, quòd tum nemo niſi ſanctitate conſpicuus, ad laborem patientiſſimus, & ad mortem interritus, aſſumeretur. Harruch octauus hunc inſequitur, vir omnium plenus virtutum, cuius neque tempora, neq; acta ſignantur: hoc ſolùm eſt annotatum, quia obierit Idibus Iulii. Erat & hic natione Scotus, vt & ante eum duo, abbas & ipſe Amarbaricenſis. Veniſſe illos in prouinciam euocatos ab Imperatoribus, perſuaderi vix poteſt, quando de ſuo Franciæ regno, & propioribus locis commodius poterant euocari. Sed deuotio ſingularis & ſitis ipſa martyrii traxit viros egregios, vt ſe mitterēt in laborem, ad brauium ſupernę vocationis. Hoc verò annotauit annalis, reliquias huius epiſcopi & domini Patonis, ſecundi ex hoc ordine epiſcopi, relatas eſſe cum Dalmatica Tanconis ad eccleſiam Verdenſem, & in medio monaſterio, non in vno loco, ſed ſegregatim poſitas: ad quarum tumbas virtutes multæ viſæ ſunt de infirmis. Res, inquit, antiqua eſt, & quaſi abolita: & ideo anni incarnationis Dominicæ non ſunt aſſcripti. Verba poſui annalis ad fidem. Quòd dicitur allatas reliquias in eccleſiam, oſtendit alibi vixiſſe, & eſſe mortuos, quàm in eccleſia Verdenſi: fortè in Konende, qui primus erat locus inſtitutæ eccleſię epiſcopalis. Longè enim ea diœceſis procurrit in Orientem, per terram ditionis Luneburgenſis, vſque in marchiam Brandenburgenſem.

Gentium veteres & hodiernæ migrationes.

Quos olim oportuerit eſſe pontifices.

Cap. 30.

Remenſis archiepiſcopus male ſibi conſcius ſolū vertit.

Ebo pridem archiepiſcopus Remenſis in Galliis, quum eſſet cōſpirationis in Imperatorem Ludouicum nō ignarus, repoſituſq; eſſet in plenam poteſtatem adminiſtrandi imperii & regni Ludouicus, q̄ male ſibi timeret ab Imperatore, nō putauit expectandum: ſed peruenit ad D. Anſgarium in eccleſiam Hamburgenſem, cum quo ſibi pridem fuiſſet delegatum legationis in gentes Danorum miniſteriū. Amplexus eſt virum primarium Anſgarius, quòd magno culmine deiectum videret: miſeratus eſt peregrinationem eius: & prouenit vt eccleſia Hildeſemenſis illa tempeſtate viduata careret epiſcopo. Patiēte Imperatore (qui tum in primis ad ſtatuendos epiſcopos erat implorādus) in eccleſiam illam eſt aſſumptus ordine quartus. Longè illum ſibi eſſe voluit Imperator, & potuit ſine inuidia in gente nouella

magno suo periculo sustineri: simul vt legationi sibi creditę propior esset, transiturus ex constituto ad prædicādum in Borealibus Christi Euangelium. Quod vtrùm opere impleuerit cum Ansgario, an sine illo peregrinatus, annales non commemorant: sed episcopum esse factum Hildesemensem, inter omnes constat. In qua sede duodecim ille annos permansit, sustinente ac defendente Ludouico rege, Imperatoris filio, qui à patre regnum Germaniæ suscepit. Magna fuit inter Ansgarium & Ebonem ex antiquo familiaritas, quòd dono Ebonis de ęcclesia Remensi venerandas reliquias sanctorum Sixti & Simnitii episcoporum acceperit, quas in Hamburgum contulit: & pòst inde (quod dicemus) à Danis fugatus, transportauit secum in Ramsolam vltra Albim, locum quidem Verdensis parochiæ, sed qui etiam propter memoriam diui Ansgarii, ibi diu commorantis, Bremensi diœcesi reputatur: ibiq; seruantur in hodiernum.

Reliquiæ Remis in Germaniam translatæ.

CAP. 31. ERLVLPHVM in ecclesia Verdensi numerāt nonum ordine episcopū, eumque martyrio ferunt coronatum in Hamburg, cum cæteris episcopis plurimis, ducibus & comitibus. Sed male discernunt tempora, & confundunt narrationem inscitia rerum gestarum. Oppressio episcoporum, ducum & nobilium, non in Hamburg, sed in Ebbeckstorp est peracta, non hoc tempore sub Ludouico Imperatore, sed Ludouico eius filio, Germaniæ rege, plusquā triginta annis post tempora ista. Error inde deprehenditur. Nam Helingandus Verdensis episcopus (qui numeratur decimus) aderat certissimo documento, quando Ansgarius est pręfectus archiepiscopatui Hamburgensi. Et hoc factum memorant annales anno XXIII. post DCCC. hoc est imperii Ludouici octauodecimo, quando Dani necdum in eam audaciam excreuerant, vt ascenderent in Saxoniam. Erat ergo Helingandus tum episcopus, quum Ansgarius consecraretur. In transitu autem Danorum, iam fugatus ab Hamburg Ansgarius, dudum ibi cōsederat. Ergo temporum ratio nos cogit ponere in episcopatum Verdensem Helingandum ante Erlulphum, si Erlulphum interfuisse volumus sacrato cœtui cæsorum martyrum, quorum sunt sacræ reliquiæ in Ebbeckstorp. Helingandus nonus in ordine, Erlulphus decimus erat, in ecclesia Verdensi. De hac autem oppressione Christianorum ab Danis, dicemus infrà ad tempora Remberti, cuius sub episcopatu ea clades contigerat. Transibant Dani, Normanni à Gallis vocati, iam tum sedente Ansgario, & euastabāt Hamburgū: nec tum vltrà processere in mediterranea, sed maiori vastitate transibant in diebus Remberti: quando vsq; in Ebbeckstorp progressi, ibi obuium agmen Christianorum, duce Brunone & tot episcopis, trucidabant: quod expressius tum dicemus, quum ea tempora contigerimus. Quod autem huic loco proprium est, compertū habemus, Helingandum in ecclesia Verdensi præfuisse ante Erlulphum: quando illum deputant Verdensium annales collegio sanctorum pro Christo ab Danis infidelibus cæsorum.

Danorū persecutio in Saxonia.

CAP. 32. BREMENSI ecclesiæ post secundum ordine episcopum Willericum, tertius præfuit Leudericus. Hunc, pontificatu suscepto, notāt annales de quodam tumore, sanctitati episcopali alieno. Argumentum faciūt, quia se aliquando custodem, aliquando pastorem Bremēsis gregis gloriaretur. Vide temporum simplicitatem, quòd non paterentur pastoris vocabulum. Quid facerent, si nostrę ætatis ambitiosum ritum cernerent, vbi ex ore episcopi insonare audirent, Nostra gratia, nostra pontificalis dignitas, & reliqua his etiam gloriosiora? Quo tempore sanctus Ansgarius legationem sibi creditam fideliter executus, apud Hamburgum nouellæ plantationi insudauit doctrina verbi & operum sanctitate. Sæpe etiam monasteriū Galliæ, quod dono Cæsaris possedit, Turholdt, visitans, fratribus ibidem Deo militantibus, salutaris regulæ tramitem verbo & exemplo monstrauit: in quorum nobili contubernio iam tunc à puero sanctus refulsit Rembertus. Compertum tamen habemus, Rembertum iam consecratum archiepiscopum, sacram religionis vestem primùm accepisse: vnde probabilior est narratio, Rembertum, inter pueros grauiter in ecclesia se gerentem, ab Ansgario annotatum & exceptū: quem sanctus Ansgarius adoptauit in filiū: quia prophetico spiritu (quo plenus erat) longè antè prædixit, illum suæ virtutis ęmulum, & in cathedra pontificali successurum, gratiaq; meritorum

Insolentia verborum episcopos dedecet.

Rembertus ab adolescentia futuræ virtutis profert indicia.

ritorum in cœleſti regno fore conſortē. Sanctus verò Anſgarius nunc Danos, nunc Tranſalbianos viſitans Saxones, innumerabilem vtriuſq; gentis multitudinem traxit ad fidem: ſi quando verò perſecutione barbarorū impeditus eſt ab ſtudio pręddicandi, apud Turhold ſe cum diſcipulis ſuis continuit. Datus erat ei ab initio in adiutorium prędicationis Ebo, pridem Remenſis archiepiſcopus, poſtea epiſcopus Hildeſemenſis: qui ſiue fatigatione itineris, ſiue corporis infirmitate impedit⁹, ſiue potius occupatione rerum aliarum implicitus, vicarium pro ſe dedit Anſgario nepotem ſuum Gaudbertum: quem ambo conſecrantes epiſcopum, Simonem vocauerunt, eumq; diuinæ gratiæ commendatum miſerūt in Sueoniam, quo loco iam pridem ab Anſgario iacta erant fidei fundamēta. Nam ſuperioribus annis in Daniam profectus, cum fratribus Giſlemaro & Withmaro doctoribus, gaudens peruenit: vbi relinquens Giſlemarum Haraldo, ipſe cum Withmaro in Sueoniam transfretauit, vbi benignè à rege Biorn ſuſcepti, verbū Dei publicè prædicare permiſſi ſunt. Multos itaq; per annum integrum lucrati ſunt Domino Chriſto: in quibus Herigarius, oppidi Bircæ præfectus eruditur, quem tradunt etiam miraculis & virtutibus inſignem. Ita paratæ erant Simoni viæ ad gentium ſalutem.

Sueonibus incipit verbum vitæ nunciari

Cap. 33.

Halberstadensis eccleſia per ea tempora tertium accepit pōtificem Heimonem, religioſum pridem monachum, de cœnobio Herſueldēſi, in diſtrictu Moguntino. Nam eius nominis in Bremenſi diœceſi monaſterium, diu poſt hæc tempora eſt inchoatum. Exceſſit per hæc tempora rebus humanis pius Ludouicus Imperator, ad quadrageſimum à Chriſto nato poſt octingenteſimum annū, & crudeliſſimo inter ſe bello filii eius, Lotharius iam Imperator (qui Italiam & Lotharingiam tenuit cum imperio) & Ludouicus, qui per Germaniam latiſſimam haberet ditionem, à Pannoniis & Auſtria nūc dicta (tum dicebatur prouincia Noricorum) per Sueuiam, Bauariam, Franciam, Thuringiam, vſq; Saxoniam: & Pipinus, rex Aquitaniæ: tres illi vtrinq; coniuncti fratres, aduerſus Carolum iuniorē (qui tantùm eſſet illis frater conſanguineus) alia matre natum, quem pater reliquit Francorum regem: quod iniquis omnes fratres ſunt oculis intuiti. Res ad arma peruenit, ita vt maximo omnium facto prælio, multa millia trucidarentur ab vtraque parte. Victoria, etſi cruenta, Carolo videbatur. Diremit rem miſſis oratorib. pontifex ſummus Sergius: ſed illi pene intercepti, magno ſuo periculo ſuperfuere. Ea de re facti Dani audaciores, per mare & per littora euagantes, crudeliter ſunt digraſſati. Friſones tributo ſubiiciunt: eodemq; tempore per Rhenum vecti, Coloniam obſederunt: per Albiam verò, Hamburgum incenderunt. Verba annalis etſi alibi quoque poſita ſunt, ad fidem etiam huic ſunt addenda loco, vt temporum qualitatem in religione Chriſti peruideamus. Inclyta, inquit, ciuitas tota aut præda, aut incendio periit: ibi eccleſia, ibi clauſtrum, ibi bibliotheca, ſummo per Anſgarium collecta ſtudio, conſumpta eſt. Sanctus autem Anſgarius, cum reliquiis ſanctorum martyrum vix nudus euaſit. Tunc quoque Gaudbertus Simon epiſcopus, perſecutionis feruore Sueonia depulſus eſt: & Vitardus capellanus eius, cum aliquot aliis martyrio eſt coronatus, & exindè Sueonia (nunc Suedia) ſeptennio toto caruit ſacerdotali præſentia. Hanc autem commotionem Anundus regno pulſus, in Chriſtianos fecit. Herigarius autem Bircæ præfectus, Chriſtianitatem ibi ſolus ſuſtinuit: qui etiam tantam fidei gratiam meruit, vt potentia miraculorum & exhortatione doctrinæ, multa paganorum millia ſaluaret. Sed hæc interim. Quum ergo fratres, filii Ludouici, apud Antiſiodorum magna ſtrage pugnaſſent, vbi magnæ Francorum vires ſunt conſumptæ, multi ferebant eius mali incentorem Remenſem epiſcopum Ebonem, iam Hildeſemenſem epiſcopum: qui & antè filios in patrem ferebatur animaſſe: & quia nunc fratres domeſtica ſeditione concitaſſe diceretur, conſpirationis crimine accuſatus, à papa Gregorio depoſitus memoratur. Sed aliis hoc criminantibus, aliis etiam adſtruentibus, multi defenderunt, non eſſe opus illius. Veritatem, ait annalis noſter, in medio relinquemus: præſertim quum à ſancto Anſgario ea dilectione, quam ab initio ſecum habuit, vſque in finem fuerit proſecutus. Interueniente (vt diximus) per oratores papa Sergio, res omnis eſt dirempta, poſitis limitibus fraternorum regnorum.

840.

Ludouici Imperatoris filii bello inter ſe diſſident.

Alia eccleſiæ perſecutio.

Remenſis olim archiepiſcopus ſeditionum architectus habetur.

Cap. 34. MIMIGARDEVORDENSI per ea tempora præfuit Lubertus pontifex, vir magnæ deuotionis & humilitatis: sed in hoc solo notatus, quòd Werdenam regalem abbatiam ecclesiæ suæ abalienauit. Passa est per eam tempestatem & Hamburgensis ecclesia archiepiscopalis similem iacturam, quum monasterium in Flandria, Turholdt, huius legationi perpetuò deputatum, iam intra fines Caroli fratrũ partitione conclusum, iam desiit illi ecclesiæ (quæ fuit in parte Ludouici fratris eius) reputari. At Ansgarius archiepiscopus in paupertate sua Deum glorificans, verbum Dei, cuius est functus legatione, tam suis quàm alienis infatigabiliter seminauit. Vnde contigit quòd prædium Ramsola, à quadam venerabili ac diuite illarum partium matrona dono acciperet: nomen eius Ibia, perennandum merito suæ religiosæ largitatis. Qui locus in episcopatu Verdensi positus, ab Hamburg tribus disparatur rastis, hoc est passuum millibus. Ibi sanctus Dei cœnobium cõstituens, reliquias sanctorum Sixti & Simnitii locauit confessorum, quæ vsque in hodiernum eo loco permanent: insuper & alia patrocinia ibi deposuit, quæ ab Hamburgo fugiens secum tulit: vbi & gregem profugum collegit, depulsosq; agentibus socios, in eo portu retinuit. Ab eo ergo loco Hamburgensem ecclesiam visitans, Nordalbingos in fide reformauit, quos antea persecutio turbauit. Tunc quoq;, ne legatio sua in gentes tarditate eius frigesceret, prædicatores misit in Daniam: Hartgarium verò eremitam direxit in Sueoniam. Fertur tum Ansgarius venisse Bremam, atque ab episcopo eius loci Leuderico, qui doctrinæ ac virtutibus eius inuidit, esse depulsum. Mira res, quæ in episcopo magis quam in alio quouis reprehenditur, quòd nõ fuerit satis hospitalis. Coarguit illa ætas superbiam hominis, quòd aliâs se custodẽ, aliâs pastorem diceret. Sed hæc inhospitalitas & immanitas barbara potius coarguit superbiam, quàm vlla appellatio peregrina. Collaudat Tacitus Germanos veteres, de insigni beneuolentia & humanitate in peregrinos: quòd præcipua virtus eorum hospitalitate clarescebat. Hac tamen caruisse Leudericus cernitur: quocirca Gallicæ magis quàm Germanicæ illum deputo nationi.

Ecclesiæ opes bellis imminuuntur.

Inuidia & odio viri ecclesiastici laborant.

Cap. 35. ANSGARIVS ergo sanctus, Hamburgensis primus archiepiscopus, per gentes omnes boreales Romanæ sedis legatus, quum vndiq; saluti gentium incumberet procurandæ ac propagandæ, vt semen diuini verbi, iactum in terram humani cordis, fructificaret: inuidebat inimicus homo tanto multorum ad salutem profectui: effecitq; (vt diximus) vt Normannorum graui incursu res omnis turbaretur. Iam enim (quod in Norwagia diximus) ab aliquot seculis consueuere illæ gentes grauissimas in proximos & longinquos facere excursiones. Sed quandiu non tetigere locum cui inerat Ansgarius, ministerium sacrum prædicando ac baptizando sedulus impleuit. Sæpe in Daniam Suediamq; profectus, circũferebat Christi euangelium terra mariq;, nec terrebatur aut tempestatum periculo, aut atrocissimis minis aduersantium. Hoc enim quærebat, martyrium sitiens, vt qualibet occasione animam poneret in sacro ministerio. Ergo quum iam Ansgarius per annos aliquot pontificalis ministerium dignitatis laboriosè impleßet, Normannorum gens (Dani hi fuere) mixtis Normannis & Suedis (nam Galli omnem gentem ab Aquilone nauigantem, indiscreto vocabulo Normannos appellant) iam non primùm turbine magno vicina quatiebat: sed cœpit ea natio Gallis, qui tum rerum potirentur, malo suo ad plenũ innotescere. Cæterùm à multis retro seculis, Danorum insolentia mare Germanicum (quod nostri vocant orientale) semper habuit infestum. Aliquando etiam in mare Britannicum excurrens, ipsam Britanniam (nunc Angliam) non modò territabat, sed in ditionem pro magna parte acceperat: quod in Dania nostra ostendimus. Gallis autem vsq; ad hanc ætatem, ea gens permansit incomperta. Quia tametsi Carolo bellum minitaretur, & cum Henningo, pòst rege, Ludouicus Imperator fœdera icisset, euastatio tamen & insolentia iam nunc primùm Gallis cœpit innotescere. Iam enim magna classe Danorũ simul & Normannorum gens vbiq; grassata, multas simul nationes territabat. Nonnunquam enim coniunctam agebant militiam, siue quòd vni regi pareret duo regna, siue quòd paribus animis ferrentur ad prædam. Aliquando soli Dani excursiones fecere: nonnunquam etiam sine Danis, Normanni soli nauigabãt: vt in Dania atq; Norwagia docuimus.

Normannorum longinquæ antiquitus nauigationes.

Gallia à Normannorum exercitu vastatur.

docuimus. Galli verò, iam primùm eius gentis vim experti, Normannos (quod diximus) sine discrimine omnes Aquilonares dixere. Igitur prima eorum magna excursio facta est morte Ludouici Imperatoris, quum filii eius de ditionib. digladiarentur. Antea metus Francorum illos detinebat. Sed quum sentirent illorum fractas vires, & eos inter se dissidere: cœperunt contemnere, quos antè metuebant. Itaq; facta valida in diuersum excursione, per Rhenum (quod antè ostendimus) ascendentes, Agrippinam Coloniam, per Albin verò Hamburgum vastauerūt: ex quo incendio Ansgarius pene nudus elabitur, sese conferens in Ramsolam. Ibi oratorium cum fratrum receptaculo construxit. Suo quoque monasterio, quod illius solatio Ludouicus Imperator contulerat in Flandria, est destitutus, quòd cederet cum reliqua Gallia, partitione fratrum, in ius Caroli, quem postea dixere Caluum. Permansit autem querimonia illa & intacta causa, vsq; ad tempora primi Alberti: qui apud Imperatorem suum Henricum tertium effecit, vt quadam compēsatione facta, ad arbitrium eiusdē pontificis omnis quæstio terminaretur. Quumque hoc in rerum statu nihil omitteret sanctus pater solicitudinis, ipse quum poterat, creditam sibi obibat prouinciam: alios etiam in regna misit diuini verbi prædicatores.

Cap. 36.

Tertio exinde Bremensis ecclesiæ Leuderico, ex hac luce subtracto, Ludouicus rex Germaniæ, quem nonnulli annales scribunt Cæsarem, antiquitatem recolentes, quòd à memoria Diocletiani & Maximiani, secunda potestas sub Augustis, erant Cæsares. Ita poterant hunc Ludouicum Germaniæ regem, à fratre Lothario Imperatore secundam tenētem potestatem, dicere Cæsarem. Quum autem per solam Germaniam, & non per reliquum Imperium, exerceret potestatem, regem verius dixissent quàm Cæsarē. Sed sit tamen hoc admonitus lector, non hunc fuisse Augustum, sed Augusti Ludouici filium, & Augusti Lotharii fratrem. Cæterùm secundus Ludouicus Imperator, erat filius (quod dicemus) Lotharii: Ludouicus, inquam, rex Germaniæ, Imperatoris Ludouici filius, in partitione cum fratribus sortitus Germaniam, Hamburgi subuersionem miseratus, & Metropolitanæ ecclesiæ desolationem, statumq; Ansgarii archipræsulis intima compassione pertractans, curauit illum iam vacanti ecclesiæ Bremensi præficere. At ille quamuis canonum non ignoraret decreta (quibus cautum est, vt episcopus qui à sua ciuitate persecutionem passus expellitur, in aliena vacante recipiatur) tamen ne pro inuidia cæteri scandalizarentur, Ludouico super hac re diu restitit. Postremò si absq; fratrum querela fieri posset, cederet eius & omnium in ea re voluntati. Ductus est autem in episcopatum ab Alderico clerico, & comite Reginbaldo, anno secundi Ludouici nono. Multum verò temporis effluxit, ex quo Bremensem ecclesiam suscepit, antequam hoc à Papa Nicolao, vt esset ex duabus vna ecclesia, Bremēsi tanquam in Hamburgensem metropoliticam transfusa, vt titulus permaneret Hamburgensis, & Bremensis interiret. Monstrant hoc apostolicæ literæ, cc. pene annis post hæc datæ tempora (quod suo loco non tacebitur) sub Alberto primo. Sanctus itaq; Ansgarius, Bremis receptus, sedit inibi annos decē & octo: nam antea in Hamburgensi cathedra sola præfuit annis sexdecim: qui fiunt simul trigintaquatuor. Hoc regalis munificentiæ dono cōfessor Dei valde gauisus, in Daniam festinauit: vbi regem Danorum Ericum inueniens, reddidit Christianum. Ibiq; ecclesiam in portu maritimo, apud Sliaswigk, erexit, ad lacum Sliam: quæ vsque in hodiernum, sub nomine diui Ansgarii continuatur. Data per regem licentia, vt quisquis vellet in regno suo fieret Christianus, infinita gentilium credidit multitudo: de quib. plures vt aqua baptismatis loti sunt, ab omni etiam corporis infirmitate liberati. Igitur diuus Ansgarius, ne sui gregis desertor, & inuasor alieni calūniaretur, eam seruauit formam ingrediendi. Effecit ergo rex, vt omnium communi voto posceretur: præsertim quòd intelligeret, ex eo quoq; loco eum posse obire legationis suæ prouincias, & vtrique posse populo consulere. Hanc autem ordinationem potissimùm eo consilio fecit rex Ludouicus, quòd aduersus incursionem barbarorū non satis firmum Hamburgi esset præsidium pontifici. Quoties enim Dani voluere, à terra & à mari Nordalbingiam vastauere. Hoc ergo regalis munificentia dono

Cæsar, secundariæ in Rom. Imperio potestatis nomen.

Bremensis ecclesiæ nomen sub Hamburgensi euanescit.

Multi fiunt Christiani, vbi per regem licet.

alacrior factus Ansgarius, Daniam suæ legationis prouinciam adibat, regemq; Ericum iam rebus in Dania potitum, ex persecutore Christianorum, fidelem fecit catholicum: vt non modò permitteret, verumetiam præciperet quoque idola deserenda, & Christi sinceram fidem excolendam.

CAP. 37. ERGO legatus borealium regionum Ansgarius, tantum familiaritatis apud regem, eundo & redeundo, meruerat, vt inter amicos asscriptus, intimis regni consiliis adhiberetur. Sed onerosum fuit sancto, comessationibus diuturnis pro more gentis interesse: coegitque se hoc etiam (vt cætera peregrinationis incommoda) sustinere, ne regem & proceres, contemptum interpretantes, si abesset, à se alienaret. Igitur primus metropolita Ansgarius, si in Bremensi cathedra prædecessoribus in illa sede annumeretur, à primo Willehado post Willericum & Leudericum quartus inuenitur. Ansgarius ergo his rebus ex voto completis, dum adhuc pro gente Sueonum æstuaret, quæ iugum videbatur abiecisse: cum Gaudberto, aliâs Simone, episcopo consilium habuit, quis eorum laudabile pro Christo subiret exilium. Simon periculum spontè declinans (quum tamen in eam prouinciam ordinatus episcopus diceretur) sanctum potius, vt iret, rogauit Ansgarium: prætendens eius authoritatem, doctrinam ac sanctitatem longè supra suas vires esse. Extemplo athleta intrepidus, Erici regis commendatitias rogauit epistolas: & à littore Daniæ soluens, in Sueoniam nauigauit. Vbi tunc Olauus in ea gente rex, apud Bircam generale sui populi habuit placitum: quem, præueniente misericordia Dei, ita placatum inuenit, vt ex eius imperio, & populi consensu, & iactu sortis, & idoli responso, ecclesia ibidem fabricaretur, & baptismi suscipiendi licentia passim omnibus sit concessa. His ex sententia compositis, ipse Sueonum ecclesiam Erimberto commendauit presbytero, & rediit. Interea quæstio magna surrexit in regno Francorum (cui tum annumerabatur Coloniensis archiepiscopatus) de Bremensi episcopatu, ad inuidiam Ansgarii conflata. Ea contentio diu per regnum graui & ancipiti dissensione profligata, multis partium studiis collidebatur. Tandem orthodoxus rex Ludouicus, compositis hincinde contradicentium voluntatibus, præcipuè Guntharii Coloniensis archiepiscopi (cuius suffraganea prius erat Brema) super his Romam nuncios ad sanctissimum papam direxit Nicolaum. Ille verò, quod ecclesiastica necessitas persuasit, & quod patrum conciliis fieri posse comprobatum est, facile consensit. Ergo Hamburgensem & Bremensem episcopatus apostolica authoritate copulari, & deinceps pro vno sanxit haberi: tam ipsum Ansgarium archiepiscopum, quàm eius successores, legatos & vicarios apostolicæ sedis constituit in omnibus gentibus Danorum, Sueonum atque Slauorum, hoc est Wandalorum: quod & antea Gregorius IIII. papa concessit. Extant literæ pontificis desuper Nicolai, quarum exemplum ad fidem inserendum putaui.

Comessationibus Boreales, licet Christiani, indulgent, Rom. 13.

Ansgarius ad pericula adeunda intrepidus.

Contentio de Bremensis ecclesiæ suppressione.

CAP. 38. NICOLAVS episcopus, seruus seruorum Dei, omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesię, præsentis scilicet temporis & futuri, Salutem & Apostolicam benedictionem. Quisquis Dominum & redemptorem nostrum Iesum Christum de sinu patris ad terram, pro demonstranda cordibus hominum vera & certa fide, descendisse non dubitat: profectò non ignorat, omnes qui eiusdem fidei per gratiam ipsius participes facti sunt, & præcipuè nos (qui per primum tantæ virtutis ministrum, locum præcipuum tenemus) hominibus debere lucrandis insistere, & per vniuersas gentes verbi semina serere, & solatia serentibus ministrare. Nunc autem, quia Ludouicus sublimissimus rex per Salemonem venerabilem episcopum Constantiæ ciuitatis, nostro studuit apostolatui intimare, quòd pię memorię Ludouicus Imperator genitor suus, quendam monachum nomine Ansgarium, de monasterio Corbeia tulisset, & collocasset eum iuxta Albiam fluuium, in confinibus Danorũ & Slauorum, Saxonũq;, in castello Hammeborg, inter duos episcopatus Bremon & Verden, de quibus tollens ecclesias & decimas, ad sustentationem prouehendi causa præfati episcopi clericorumq; eius cõdonasset in prædicto loco: annuente ac solennia sedis apostolicę priuilegia prębẽte ꝑdecessore nostro beatę memorię papa Gregorio: cuius etiã authoritate, in supradicto Nordalbingorũ populo, sedes cõstituta

Papæ epistola, qua statuitur Bremam & Hamburgum pro vna ecclesia habendas esse.

est archiepiscopalis in castello superius memorato Hammaburg. Et in eadẽ quoq; sede archiepiscopus, accepto à sede apostolica pallio, primus est ordinatus Ansgarius, cui à præfato pontifice delegata est cura seminandi verbum Dei, & animas lucrandi Deo. Cuius delegationis, & authoritatis, & pallii acceptionis pagina, nobis est à præfato filio nostro Ludouico rege, per iam dictum Salemonem sanctissimũ episcopum destinata, iuxta morem sanctæ Romanæ ecclesię ebullata: per cuius tenorem paginæ hæc ita fuisse comperimus, sicut pietas nobis iam præfati regis per fidelem virum, Salemonem scilicet episcopum, intimauit. Vnde nos vestigia tanti pontificis & prædecessoris nostri Gregorii sequentes, omnemq; ibi statutam prouidentiam Deo dignam agnoscẽtes, magnorum principum votum, Ludouici videlicet diuę recordationis Augusti, & æquiuoci eius filii excellentissimi regis, tam huius apostolicæ authoritatis præcepto, quàm etiam pallii datione, more prædecessorum nostrorum roborare decreuimus: quatenus tanta fundatus authoritate prænominatus Ansgarius, primus Nordalbingorum archiepiscopus, & post ipsum successores eius lucrandis plebibus insistentes, aduersus tentamenta diaboli validiores existant: ipsumq; filium nostrum iam dictum Ansgarium, in omnibus circumquaq; gentibus Sueonum, siue Danorum, necnon etiam Slauorum, vel in cæteris vbicunq; illis in partibus cõstitutis diuina pietas ostium aperuerit, publicam euangelizandi tribuimus authoritatem. Ipsamq; sedem Nordalbingorum, Hammaburg dictam, in honorem sancti Saluatoris, eiusq; intemeratæ genitricis semp virginis Mariæ consecratam, archiepiscopalem esse decernimus deinceps. Atq; vt strenui prædicatoris episcopi, post decessum crebrò dicti Ansgarii archiepiscopi, persona, tantoq; officio apta deligatur semper successio, sub diuini iudicii obtestatione statuimus. Verùm quia Carolus sæpe dicti regis rex frater, post decessum Imperatoris patris sui, piæ memoriæ Ludouici, abstulit à prænominato loco qui dicitur Hammaburg, monasterium quod appellatur Turhold (vtpote quod post partitionem inter fratres suos, in regno suo coniacere videbatur, situm in occidentali Francia) quod illic genitor suus ad supplementum & victum episcopo & clericis eius dederat: cœpere, sicut fertur, omnes ministri altaris recedere. Deficientibus quippe necessariis sumptibus, ab ipsis recesserunt gentibus, & eadem ad gentes legatio per eiusmodi factum defecit. Ipsa quoque metropolis Hammaburg pene deserta facta est.

IGITVR dum hæc agerentur, mortuus est diœcesios Bremensis episcopus, quæ huic contigua esse dicitur. Quumq; sæpe dictus rex & hanc diœcesim vacantem, & illam nouellam institutionem cerneret deficientem: insuper vtramq; hanc ecclesiam, Dei permittente occulto iudicio, per barbarorum sæuitiam admodum attenuatam: quærere cœpit, qualiter prædicta Bremensis ecclesia nouellæ dictæ archiepiscopali vniretur ac subderetur sedi, nostro hoc votum roborante decreto. Vnde per sæpe nominatum venerabilem missum Salemonem, videlicet ciuitatis Constantiæ episcopum, nobis hoc relatum est confirmandum, ac postulatum est nostra authoritate roborandum. Nos igitur id subtili perpendentes examine, animaduertimus, propter instantem necessitatem, & animarum lucra in gentibus demonstrata, vtile fore, omnia quæ proficua ecclesiæ probantur existere, & diuinis non resultant præceptionibus, licita & facienda esse non dubitauimus, maximè in tam nouellæ Christianitatis plantatione, in qua varii solent euentus contingere. Quamobrem authoritate omnipotentis Dei, & beatorum apostolorum eius Petri & Pauli, & hoc nostro decreto decreuimus, secundum reuerendissimi regis Ludouici votum, ipsas prædictas diœceses, Hammaburgensem scilicet & Bremẽsem, non deinceps duas, sed vnam esse & vocari, subdiq; sedi, quæ prædecessoris nostri decreto, archiepiscopali est munere sublimata: restituta duntaxat de Bremensis ecclesiæ rebus, episcopatui Verdensi, parte inde antè ablata. Nullus verò archiepiscopus Coloniensis illam deinceps in eadem diœcesi sibi vendicet authoritatẽ. Quinimo & ipsi, & omnibus omnino suademus veræ religionis cultoribus, vt sacra hac legatione fungentibus adiutorio & solatio sint, quatenus gratia huius beneficii plenam mercedem recipere mereantur ab eo qui dixit, *Ite, & docete omnes gentes:*

CAP. 39. *Continuatur superiori capite inchoata papæ epistola.*

&, *Quicunque receperit vos, me recipit.* Itaque omnia à dilecto filio nostro Ludouico ad hoc Deo dignum officium deputata, nostra etiam pia eius vota authoritate firmamus. Et quia casus præteritorum, nos cautos faciunt in futurum, omnem quoque aduersantem vel contradicentem, atque nostris his studiis quomodolibet insidiantem, anathematis mucrone percutimus, atque perpetuæ vltionis reum diabolica sorte damnamus: vt culmē apostolicum, more prædecessorum nostrorum, causamq; Dei pio affectu zelantes, ab aduersis hincinde partibus tutius muniam⁹. Et quia te charissime fili Ansgari, diuina clementia, noua in sede primum disposuit esse archiepiscopum, nosq; tibi pallium ad missarum solennia celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis, vti & ecclesiæ tuæ perpetuo statu manentibus priuilegiis, vti largimur. Idcirco huius indumenti honor morum à te viuacitate seruandus est. Si ergo pastores ouium, sole geluque, pro gregis sui custodia, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morsibus, oculis semper vigilantibus circunspectant: quanto sudore, quantaq; cura debemus esse peruigiles, nos, qui pastores dicimur animarum, attendamus. Et ne susceptum officium in terrenis negociis aliquatenus implicare debeas, admonemus, vitaq; tua filiis tuis sit via: in ipsa, si qua fortitudo illis est, dirigant, in ea quod imitentur aspiciant, in ipsa semper considerandā proficiant: vt tuum, post Deum, videatur esse bonum quòd vixerint. Cor ergo tuum neque prospera (quæ temporaliter blandiuntur) extollant, neque aduersa deiiciant: districtum mali cognoscant, pium beneuoli sentiant: insontem apud te malitia aliena culpabilem non faciat, reum gratia non excuset: viduis ac pupillis iniustè oppressis defensio tua subueniat. Ecce, frater charissime, inter multa, ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii: quę si studiosè seruaueris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Verumtamen ita omnia superius annexa, ab apostolica sede beatitudini tuæ indulta cognosce, si à fide & decretis sanctæ ecclesiæ catholicæ, & apostolicæ Romanæ ecclesiæ in nullo penitus deuiaueris. Quòd si à fide, vel institutis, aut sanctionibus (tanto sublimatus honore) sedis apostolicę declinare studiosè præsumpseris, his nostris tibi collatis careas beneficiis. Porro te pallio vti nonnisi more sedis concedimus Apostolicæ, scilicet vt successores tui, per semetipsos, vel per legatos suos, & scriptam fidem nobiscum tenere, ac sanctas sex synodos recipere, atque decreta omnium Romanæ sedis præsulum: & epistolas, quæ sibi delatæ fuerint, venerabiliter obseruare atque perficere omnibus diebus suis, scripto se & iuramento profiteantur. Scriptum per manum Zachariæ notarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Maio, indictione duodecima. Bene valete. Data pridie Calendas Iunii, per manus Tiberii primicerii sanctæ sedis Apostolicæ, Imperante domino piissimo Augusto Ludouico, à Deo coronato magno Imperatore, anno decimoquinto, indictione duodecima, qui fuit annus LXVII. ad calculum eius qui continuauit Eusebium. Sed iam noster Nicolaus defecit apud eundem, faciliusque credam illum supputatorem falli, quàm Datam literarum.

Quibus conditionibus pallia concedantur.

CAP. 40.

Multi pontifices cōiurationi in suum regem initæ affines.

Suprà, cap. 27

OSNABVRGENSIS ecclesia tertium iam tunc habebat pontificem, Gesuwinum. Hic quum incidisset temporibus primi Ludouici, qui meruit cognomentum Pii, venit in eam conspirationem filiorum aduersus patrem, cui multi etiam alii pontifices inerant, & inter alios Theodulphus Aurelianensis episcopus: quem quum incarcere post suam liberationem tenuisset Ludouicus Andegaui, inq; eo loco Imperator Pascha facturus, in Palmis interesset publicæ processioni, ad repræsentandum Christi ingressum in Hierusalem, & iam prope turrim pompa trāsiret, qua vinctus tenetur Theodulphus episcopus memoratus: iam tunc ille prospiciēs quod erat futurum, hymnum insignem dictauit in honorem eius processionis, *Gloria, laus & honor tibi sit, rex Christe redemptor*, cum reliquis, quem adaperta fenestra in hora processionis antedictæ, concinebat clara voce, vt à cunctis audiretur. Admiratus Imperator, interrogat quæ sit vox, & cuius hominis, quam audit. Insinuatur, esse Theodulphi episcopi Aurelianensis, qui clausus ibi teneretur. Diligētius perpenso tenore carminis, adeo fertur delectat⁹ Imperator, vt iuberet mox laxari vinctum, reddiq; libertati. Eodem tempore contigit, vt hic Osnaburgensis episcop⁹, non ignarus (vt ferebant) eius conspirationis. Sed quum recuperata libertate Imperator

perator Ludouicus, capita eius factionis paulatim opprimeret, sumeretq; vindictã de episcopis, qui filiis eius in eo consilio adstitissent: male sibi conscius Gesuwin⁹, Osnaburgensis episcopus, fugam iniit, ac se in Fuldensi inclusit monasterio, Deo seruiens. Ne tamen ecclesiam suam omnino desolatam relinqueret, furtim & occulte per vices temporum rediit, & officia pontificis impleuit, præsertim quum inde longe ageret Imperator: per quam occasionem multi inuaserant ecclesiæ prædia, absente pastore: ita vt plenus labor esset successoribus de recuperãdis. Floruit per ea tempora in iisdem partibus nobilis quidam, Cobbo nomine, comes (vt fertur) in Tekenneborch, vir potens ex familia multa suæ cognationis, Imperatori nõ inuisus, sed plurimum inuisceratus. Hic, quum ecclesia Osnaburgẽsis pontificem, qui tueretur, non haberet, sed qui (vt diximus) formidine Imperatoris latitaret, multa ecclesiæ prædia, multas decimas detraxit: &, vt ex more potentiæ suæ, omnia sibi arbitraretur licere, nõnulla ex his Corbeiensi cœnobio, alia etiam Heruordensi monasterio deputauit: quibus in locis præerant homines sui sanguinis. Arbitratus per æquũ valere, si quæ oblata essent Deo & ecclesiæ, hîc vel alibi ministrantibus Deo venirent in solatium. Sed non erat rectum eius viri consilium: vnde successores plurimùm laborabant, vt ad antiquam possessionem restituerentur. Prouidit autem hic Cobbo, quum deficeret hic latitans pontifex, vt hominem haberet suis votis non repugnantem, vt rata manerent, quæ sacris locis ecclesiæ Osnaburgẽsi detracta erogasset: quod dicemus in huius successore. Peruenit autem hic pontifex, ecclesiæ vtcunque præsidens per annos XXXII. ad annum DCCCLXVI: 866. Vnde certum habemus, hunc pontificem non interfuisse pugnæ & cladi, quæ acciderat in Ebbeckstorpe annis decem post hęc tempora, vt infra docebimus: vbi flos Saxoniæ in omni militia, cum multis pontificibus & viris militaribus cædebatur. Quid enim poterat vir latibula circumspiciens, qui non in publicum egrediebatur? Quomodo educeret arma ad obuiandum infinitæ multitudini Danorum, egredientium in Saxoniam ad delendum omne nomen Christianum? A qua excursione prohibiti sunt viuente Ludouico rege, Ludouici Imperatoris filio: cuius etiam morte laxata sunt illis claustra: quod in proximo Osnaburgensi dicemus, & diximus iam aliquot vicibus, vbi opus videbatur.

Ecclesiæ prædia prædæ patent.

QVVM adhuc viueret Ansgarius, Normanni per Ligerim vecti, Turones succenderunt, & per Sequanam Parisios obsederunt, Carolũ verò regem (is erat Caluus Ludouici Imperatoris filius) timore territum, terram eis ad inhabitandum dare compulerunt. Deinde Lotharingia vastata, & Phrisia subacta, conuersi sunt victrici dextra in sua viscera. Nam Hudingus & Ericus iunior, de regno sunt digladiati: tantaq; cęde vtriq; mactati, vt vulgus omne militum caderet, de stirpe autem regia nemo omnium remaneret, præter Ericum iuniorem. Qui mox vt regnum suscepit Danorum, ingenito furore super Christicolas efferatus, sacerdotes Dei expulit, & ecclesias claudi præcepit. Ad quę sanctus Ansgarius venire non trepidans, comitãte secum gratia diuina, quum ei memoriam maioris Erici (patris, an patrui, incertum est) replicaret, crudelem tyrannum sic pacatum ac placatum reddidit, vt Christianitatem ipse susciperet, suisq; omnibus, vt Christiani fierent, per edictum mandaret: insuper in alio portu regni sui apud Ripam extrueret ecclesiam, in Dania secundam: nam prima erat ad lacum Slia. His ergo ecclesiastico ordine compositis, beatus Ansgarius ecclesiam illam secundam Remberto presbytero commendauit. In Hamburgum reuersus ad suam ecclesiam, de venditione Christianorum Nordalbingos correxit. Phrisios quoque adiens, castigauit eo pro labore Dominicæ diei: pertinacius verò agentes, igne cœlesti mulctauit. Et quoniam totum studium eius erat pro salute animarum, si quando à prædicatione gentilium foris liber erat, domi congregationum suarum curam egit. Quatum primã, quæ ab Hamburg quondam barbarica incursione depulsa est, ipse (vt prædiximus) transtulit in Ramsolam. Secundam in Bremis habuit, sanctorum virorum, qui habitu quidẽ vsi canonico, regula viuebant monastica, vsque ad multi temporis ætatem. Tertiã, sanctarum virginum congregationem in Brixmon ordinauit: vbi deuota Christi matrona Ludgard, totum patrimonium suum offerens, cœlesti sponso magnum

CAP. 41.

Danus Christi persecutor, mox cultor.

Ansgarii in pietatis operibus diligentia

chorum caſtitatis ſuo nutriuit ducatu. Ad curam autem pauperum,& ſuſceptionẽ peregrinorum, multis locis hoſpitalia pręparauit. Vnum autem vel præcipuum habuit Bremæ: quò per ſeipſum quotidie veniens, infirmis non erubuit miniſtrare, quorum plurimos verbo vel tactu ſanauit. Circa hæc tempora, ad annum LXI, beatus Anſgarius tranſtulit corpus ſancti Willehadi in matricem beati Petri apoſtoli eccleſiam, ab illo auſtrali oratorio, quò deportatum eſt à Willerico: quo tempore etiam ſanctus martyr Alexander tranſlatus eſt in Saxoniam. Interea Anſgarius captiuos redimendo, tribulatos refouendo, domeſticos erudiendo, barbaros euangelizando, foris apoſtolus, intus monachus, nunquam viſus eſt ocioſus. Superuixit autem ille plenariæ per ſummum pontificem vnioni annis ſeptem.

Cap. 42. NON ſolùm erga ſuos, verùm & alienos, quomodo viueret, ſolicitus erat Anſgarius, nihil humani ab ſe putans alienum. Epiſcopos enim tam voce quàm literis, vt vigilarent ſuper Dominicum gregem, commonuit: hos arguens, illos obſecrauit. At verò Normannorum Danorumq; regibus pro ſuæ legationis officio crebra monita tranſmiſit. Extabant diu epiſtolæ eius plures, quæ nunc per iniuriam perierunt. Vnam verò, quam omnibus de ſua legatione ſcribit epiſcopis, quamq; ab Ebone orſam aſſerit, ita claudit: Deprecor, vt apud Deũ intercedatis, quatenus hæc legatio creſcere & fructificare mereatur in Domino. Iam enim Deo propitio, & apud Danos & apud Sueones fundata eſt eccleſia Chriſti, & ſacerdotes abſq; prohibitione proprio funguntur officio. Omnipotens Deus faciat vos omnes huius operis pia beneuolentia participes, & in cœleſti gloria Chriſto cohæredes. Eſt præterea quòd iamdiu ſecum tacitus fortè lector requirit, quomodo vir ſanctus in tanta lucrandarum animarum ſolicitudine, longè per maria verbum Dei circumferẽs, ne ſemel quidem vicinam Wandaliam (quam Slauorum dixere prouinciam) memoratur attigiſſe, quum tamẽ fuerit in eius legationis ampliſſimo mandato, quum & gens Obotritorum Magno Carolo fuerit fœderata. Sed ego ferocem tum gentem, diuini verbi mentionem ne admiſiſſe quidẽ crediderim: vt non pontificis diſſimulatione, ſed omnimoda gentis contradictione omiſſam prædicationem pene certus putauerim. Poſſunt & multa facta eſſe, quæ ſcripta non ſunt. Sedit in vniuerſum Anſgarius in epiſcopatu annis XXXIIII. Nam primis annis ſeptem Hamburgi ſedem habuit, annis verò nouem in Ramſola: deinde tranſlatus Bremam, duodecim annos peregit, ante impetratam Romę plenariam eccleſiarum vnionẽ: nouiſſimè in annum vſq; ſeptimum, poſt illam. Cuius depoſitio ſumma veneratione percolitur III. Nonas Februarias. Annus erat poſt natum Chriſtũ DCCCLXV. indictione XIII. Ludouici regis XXVI. illis annis computatis, quibus imperauit cum patre. Sepultus eſt in baſilica ſancti Petri, ad altare ſanctæ Dei genitricis. Tenemus deuotionis eius breue ſed clariſſimum monimẽtum, libellum, Pſalmorum ſummam paucis includentem: qui qualis fuerit in maioribus, ſatis atteſtatur.

Cur Anſgarius tam impiger, Wandalos nõ adierit.

Anſgarii ſcriptum quod extat.

ALBERTI KRANTZII
METROPOLIS, LIB. II.



VIA ſummorum pontificum narrationi incidit nonnunquam neceſſaria mentio, nõ ab re fuerit, breui catalogo ſubnotare eorum ſucceſſionem, ea breuitate, qua in Saxonia Cæſarum & Auguſtorum ordinem oſtendimus ab initio, ſine longa digreſſione, ſola temporum mutatione notabili deſignata. Quia & Platina & Blondus, Romani noſtra tempeſtate ſcriptores, pleniꝰ eam rem enarrauerunt: quos qui poterit, videat: qui non poteſt, habeat hoc manuale breuiarum.

Cap. I. PETRVS, antè Simon Ioannis, vocatus à petra Chriſto (ſuper quem fundata
I. eſt eccleſia) princeps apoſtolorum, cui tradidit excellenter Chriſtus claues regni cœlorum. Omnibus quidem Apoſtolis generaliter contribuit: ſed ordo depoſce-

poſcebat hierarchicus, vt eſſet in vno ſuper omnes plenitudo poteſtatis. Primus in
terris Chriſti vicarius (Cephas inde dictus) ſedit Antiochiæ annis VII. Sed quoniã
caput eccleſiæ congruenter ad caput Imperij erat transferendũ, venit Romã an-
no II. Claudij, & ibi conſedit annis 25. ad penultimum Neronis, qui Claudio ſuc-
ceſſit ſine medio. Poſt magiſtrũ cruce finiuit, vt & teſtimonio ſanguinis fidem fir-
maret, & merito paſſionis theſaurum eccleſiæ cum cæteris augeret.

Hunc annorũ numerum non poſſe ſtare, Onaphrius animaduertit, & chronologiã nouam commentus eſt.

LINVS Petri ſucceſſor proximus, natione Tuſcus, vrgente Clemente, qui per 2.
modeſtiam & humilitatem (etſi à Petro deſignaretur) voluit tamen & Linum &
Cletum priores obire magnitudinem officij. Non terruit eum certa mortis expe-
ctatio, ſed creditæ poteſtatis ampliſſimæ maieſtas: maluitque alios præeſſe. Linus
ergo vir Deo placitus, dignus eſt habitus, qui vicarius Chriſti & ſucceſſor Petri
Apoſtoli eſſet. Annis IX. impleuit ſacrum miniſterium, gladio cæſus pro Chriſti
& Euangelij eius teſtificatione.

CLETVS, & ille à D. Petro ordinatus epiſcopus, præferente ſibi illũ Clemen- 3.
te, in locum demortui Lini ponitur Chriſti vicarius. Sategit ille pro ſuo miniſte-
rio, vt in cumulatiſſima gentium omnium congregatione, vrbe Roma, & fidem
ampliaret, & fundamenta iaceret multis poſt tempora lucrandis animabus. Nam
tumultus Romanæ vrbis, & magnitudo ſuperſtitionum, quaſi vepres & ſpinæ
bonas Euangelij fruges conculcarunt. Poſt annos II. ſub Domitiano fecit Chri-
ſto martyrium.

Superſtitiones ex paganiſmo relictæ.

CLEMENS, quartus, ne videretur omnino refugere prædeceſſorum exitum, 4.
paſſus eſt à diſcipulis ad pontificatum compelli. Romanus ciuis non poſtrema no-
bilitate, vir modeſtiſſimus & ſanctiſſimus, qui periculoſo Domitiani tẽpore geſſit
præſulatũ per annos IX. pertingens ad Traianũ. Sub cuius imperio miſſus in exiliũ,
conſolationi fuit relegatis ibi Chriſtianis in metallum. Quumq; Chriſtianũ popu-
lum prædicatione multiplicaret, merſus eſt mari, diu pòſt Romam reuectus.

ANACLETVS, natione Græcus, patria Athenienſis, Clementem inſequi- 5.
tur. Quem etſi Euſebius eundem eſſe tradit Cletũ, qui & ante & poſt Clementem
præſederit: Damaſus tamen, & ipſe pontifex (qui lineam ſuorum prędeceſſorum
diligenter eſt intuitus) diſcernit Cletum ab Anacleto, quòd ille Romanus ſub
Domitiano, iſte Græcus ſub Traiano finierit. Sedit & ipſe annos nouem, & glo-
rioſo martyrio ſub Imperatore Traiano, Chriſti fidem ſtabiliuit, & theſaurum ec-
cleſiæ adauxit.

EVARISTVS hunc excepit, natione Græcus, patre natus Iudæo. Sedem ex- 6.
cepit ordine ſexto, vir omnium integerrimus: qui primus diuiſit presbyteris in vr-
be Roma titulos, quos nunc tenent cardines orbis terræ. Septem diaconos adeſſe
voluit prædicanti epiſcopo, ne quid deuium ſpargeretur. Sub Hadriano Impera-
tore, necdum Chriſtianis (vt poſtea) placato, glorioſum Chriſto fecit teſtimoniũ,
poſt annos nouem, quibus præfuit vrbi ad religionem.

Tituli vrbis Romæ.

ALEXANDER patria Romanus, de regione Capite Tauri, iuuenis quidem ab 7.
annis, ſed moribus & induſtria grauis, qui ſingulari eruditione bonã ſenatus par-
tem lucratus eſt, in officio ordinando laborauit. Clerum iudicio ſeculari primus
exemit: & anno vndecimo ſui præſulatus, eodem ordine quo prædeceſſores eius,
Chriſto & Euangelio eius reddidit morte teſtimonium.

SIXTVS, natione Romanus, hunc inſequitur, qui & ipſe diuino ſacrificio ple- 8.
raque adiecit: munda vaſa & pannos, quales adhiberi decuit, conſtituit. Gallis
iamdudũ recipientibus Euangeliũ, immiſit (quod poſtulauere) paſtores & prædi-
catores. Magna in diebus eius perſecutione in Chriſtianos ſæuiente, ipſe quoque
anno pontificatus ſui vndecimo, reddidit ſanguine Chriſto teſtimonium.

TELESPHORVS, natione Græcus inſequitur, qui poſt Petrum primus con- 9.
ſtituit ieiunium quadrageſimale, ſeptem ſeptenarum, & in officio Miſſæ An-
gelicum hymnum iuſſit decantari, *Gloria in excelſis Deo*. Peruenit autem prædi-
cans, & ſacris præſidens, in annum XII. ſub Antonino conſummatus glorio-
ſo pro Chriſto martyrio. Fœlices ſancti, qui de morte, alioqui neceſſaria, fece-
re ſacrificium.

Ieiuniũ Quadrageſimale.

Ordines in clero.

10. HIGINVS natione Græcus, patria Athenienſis, patre philoſopho natus, vir & ipſe doctiſsimus, inſequitur. Cleri diſtinxit ordines: elegantiſſimam reliquit epiſtolam, omnibus legendam, de Trinitate & Vnitate Diuinitatis. Sub Antonino Pio poſt annos pontificij IIII. curſum ſuum fœlici martyrio conſummauit, in augmentum theſauri Chriſtiani.

Imperatores laudatiſsimi, Chriſtianis iniquiſsimi.

11. PIVS, natione Italus, patria Aquilegienſis, attigit tempora Marci Antonini Veri, qui grauiſſima perſecutione ſtetit. Optimi erant Imperatores gubernandæ reipublicæ, ſed Chriſtianis infeſti, credo, ſuggeſtione peſſimorum hominũ. Thermas Nouati dedicauit, Praxedis rogatu virginis: multa prætereà conſtituit. Anno XII. pontificij ſui, martyr & ipſe Chriſto conſecratur.

Clericorum coma & epiſcoporum conſecratio.

12. ANICETVS, natione Syrus, pontificatum accepit, certus pro Chriſto dare ſanguinem, paſtor potiſſimùm pro ouibus, & cum multis de grege immolandus. Conſtituit, ne clerici comam nutriant, & vt epiſcopus â tribus conſecretur. Peruenit autem ad annum duodecimum pontificatûs, tum martyr Domino conſecratur: ſepultus via Appia in Calixti cœmeterio.

13. SOTER, natione Italus, patria Fundanus, inſequitur. Sciens ad quid vocaretur, cohibuit ſexum fœmineum à miniſterio ſacrorum, vt ne pallam virgo contingeret, neque thura. Nam vbi parua permittuntur, maiora facilè præſumunt fœminæ, pro zelo & feruore ſuo. Anno decimo fit victima Chriſto, tumulatus via Appia in cœmeterio Calixti.

14. ELEVTHERIVS, natione Græcus, patria Nicopolitanus, inſequitur. Hic ſuperſtitionem in cibis compeſcuit: & ſtatuit ne quiſquam propter infamiam deiiceretur gradu ſuo, niſi legitimè conuictus. Vidit tempora tranquilla Romæ, quòd multi ex Romana nobilitate iam credidiſſent Chriſto: primus, qui ſine ſanguine moritur, anno pontificatus ſui 16. ſepultus apud S. Petrum.

15. VICTOR, natione Apher, ſuccedit: qui conſtituit, vt Paſcha Domini à decima quarta luna ad 21. celebretur quod poſteà concilium Nicenum approbauit. Non potuit iſte euitare ſanguinis ſupplicium, ſed precioſam Chriſto animam ſuo ſanguine lotam obtulit, cùm in annum vndecimum eius eſſet extractus pontificatus. Sepelitur in Vaticano apud S. Petrum.

Pocula in ſacris conficiendis.

16. ZEPHYRINVS Romanus, ſuccedit pontificio. Multa conſtituit vtilia: inter alia, vt conſecratio ſanguinis non fieret in vaſe ligneo: poſſet propter inopiam in vitreo. Sed & hoc poſtea immutatur, propter fragilitatem. Vnde aurea vel argentea ſunt decreta: & propter inopiam, etiam de viliore metallo. Moritur & iſte, Seueri Imperatoris temporibus, nõ etiã ſanguine fuſo, quum ſediſſet in annũ nonũ.

Quomodo Iudaiſmus tollendus.

17. CALIXTVS, natione Romanus, ex regione Rauennatum, vir in diuina religione feruentiſſimus. Conſtituit, vt ieiunia quatuor temporum ſeruarentur triduo: vt, quod Iudæus in Calendis menſium facit ieiunans, id implerent Chriſtiani ad honorem Trinitatis in quatuor vicibus, per ternos dies. Vt non Iudaizet eccleſia, illos imitando, idipſum tamen impleret ieiunando. Magnam partem nobilitatis conuertit. Cœmeterium via Appia conſecrauit. Ipſe ſub Imperatore Alexandro martyrium fecit. Cuius corpus poſt xvij. diem ab Aſterio eius presbytero in cœmeterio Calepodij via Aurelia ſepultum fuit.

Nunquam ab Apoſtolis præcepta eſt.

18. VRBANVS, natione Romanus, Cæciliam cum ſponſo Valeriano & fratre eius Tiburtio, ad Chriſtum præmiſit. Iſte diſtribuit de communibus prædiis, vnde clerici viuerent. Erat autem ea tempeſtate perdurans apoſtolica ſanctio de cõmunibus bonis: ea poſtmodum abolita eſt. Cęterùm Vrbanus ad quintum annum produxit pontificatum, tum pro Chriſto cæſus martyr occubuit.

19. PONTIANVS, natione Romanus, ſub Alexandro Imperatore præfuit. Sed quum ad eum pro ſanctitate & doctrina concurſus fieret, relegatur in Sardiniam: vbi multas perpeſſus calamitates moritur. Sed Fabianus papa iuſſit oſſa eius Romã afferri. Præfuit autem eccleſiæ catholicæ in annum decimum, ſanctam reddens Deo animam, multis pro illius teſtimonio calamitatibus in corpore afflictam.

20. CYRIACVM hoc loco quidam collocant. Sed numero pontificum non dignantur, quòd patrum non requiſito conſenſu, ſecutus ſit vndecim millia virginũ.

Sed

Sed non eſt hoc tempus ſanctarum, quę memorantur ab Hunnis, Coloniã Agrippinam obſidentibus, cæſæ, poſt ducentos annos ex hoc die.

ANTERVS, natione Græcus, patre Romulo, optimus vir, pontificatum iniit ſub 21.
Gordiano. Cenſuit inter alia, epiſcopum magnæ vtilitatis aut neceſſitatis gratia, in aliã poſſe transferri eccleſiã, non ſua voluntate, ſed Romani pontificis impetrata venia: iuſſitq; conſcribi martyrum paſſiones, quæ vtinã diligentius conſcriptæ legerentur. Anno vndecimo pontificatus pro Christo martyr efficitur.

Multa in martyrum hiſtoriis fabuloſa.

FABIANVS Romanus, dum inter conciues de aſſumptione noui pontificis loqueretur, 22.
viſa eſt columba capiti eius inſidere: quocirca incunctanter ab omnibus diuinã voluntatem interpretantibus, pontifex eligitur. Inter alia ab illo ſalubriter inſtituta, diuiſit in Vrbe notariis regiones, ad excipienda ſanctarum martyria. Sedit in annum quintumdecimum, tum capite cæſus pro Chriſto.

CORNELIVS, & ipſe Romanus, vir pontificatu digniſſimus. Sed dum maioris 23.
videretur authoritatis quã vellent dæmoniculæ, Centumcellas relegatur. Ibi accipit epiſtolas à Cypriano, & reſcripſit: vnde coarguitur, literas contra Rempublicam accepiſſe. Ante leuauit Apoſtolorum corpora de Catacumbis, & diuiſa ſunt, Paulus in Oſtienſi prædio Lucinæ, Petrus ad radices aurei montis. Sedit annis duobus, & martyrium fecit ſub Decio.

LVCIVS papa, natione & ipſe Romanus, ab Gallo Hoſtilio Imperatore mitti- 24.
tur in exilium: quo mortuo, Romam reuertitur. Conſtitutiones fecit de omni ordine eccleſiaſtico. Et quum iuſſu Valeriani Cæſaris ad martyrium duceretur, omnes facultates eccleſiæ permiſit Stephano archidiacono. Sedit autem in quartum annum: & lauit, vt cæteri, ſtolam ſuam in ſanguine agni.

Ordo eccleſiaſticus.

STEPHANVS, & ipſe Romanus, deligitur pontifex in locum Lucij, vir per om- 25.
nia rectus & bonus, & pontificij dignus miniſterio. Conſtituit vt ſacris vſus eſſet ſolùm in diuino miniſterio veſtibus, quum vſurparent nonnulli & extra eccleſiæ vſum. Sub Galieno Valeriani filio, Deciana perſecutione adhuc durante, martyrium fecit. Sedit in annum ſextum.

SIXTVS ſecundus, natione Græcus, patria Athenienſis, ex philoſopho mundi 26.
factus Chriſti diſcipulus, pontifex deligitur poſt Stephanum, quum adhuc duraret Deciana perſecutio. Ductus ad ſupplicium, interpellatur lachrymoſè per Laurentium, cui theſauros eccleſiæ commiſit. Sedit annos pene tres. Sepelitur via Appia, cœmeterio Calixti. Cæteri in cœmeterio Prætextati, via Tiburtina.

DIONYSIVS, cuius originem Damaſus inuenire non potuit, ex monacho fit 27.
pontifex. Eius temporibus Antiochiæ celebratum eſt concilium (cui præ ſenectute intereſſe non potuit: ſed inde multa perſcripta ſunt ad eum, aduerſus Paulum eius vrbis epiſcopum. Moritur in ſenecta vberi) vbi pontificatum in ſeptimũ annum fœliciter geſſit. Sepelitur in cœmeterio Calixti.

FELIX Romanus, pontifex creatur Aureliani Imperatoris tempore, vir per om- 28.
nia integer & bonus. Is ſtatuit vt ſacrificia martyrum annuis temporibus recolerentur, dedicationes quoque templorum rememorarentur. Martyr & ipſe Domino conſecratus, anno quarto ſui pontificatus. Sepelitur in eccleſia, quam ipſe conſtruxit, ſecundo ab Vrbe milliario.

Dedicationes templorum.

EVTYCHIANVS, patria Tuſcus, ciuitate Lunenſi, pontifex ſuccedit Felici, vir 29.
Deo deditſſimus, qui trecentos martyres ſua manu fertur ſepeliiſſe, & fecit conſtitutionem de ritu martyrum tumulandorum. Martyr & ipſe Domino conſecratus, Deciana perſecutione, quæ diu durauit poſt authorem ſuum · quum Imperatores multi poſt inuicem à militibus crearentur, & deinde cæderentur. Sedit ad initium ſecundi anni.

GAIVS deinde, natione Dalmata, Diocletianum poſtea imperantem habuit 30.
genere propinquum. Ipſe temporibus Probi Imperatoris præfuit eccleſiæ Romanæ: qui diſtinxit in eccleſiaſticis ordinibus gradus vſque ad epiſcopatum. Peruenit ad tempora propinqui ſui: à quo exorta ſæuiſſima perſecutione, diu latuit in crypta ſub terris: cuniculos vocant. Anno duodecimo ſui pontificatus producitur cum Gabinio fratre, eiuſq; filia Suſanna, ac martyrium facit.

Eccleſiaſtici ordinis gradus.

31. MARCELLINVS, natione Romanus, quum à perſequentibus grauiſſimè vrgeretur, ſiue timore correptus, ſiue errore malo, bonū quid inde auſpicatus, thura iniecit idolis: ſed in ſe reuerſus, grauiſſimè doluit. Conciliū Sinueſſanum centū octuaginta epiſcoporum adiit: ſordidatus ac mœrens, pœnam poſtulauit. Nemo tamen damnauit. Inde digreſſus, Diocletianum in faciem arguit. Coronatus eſt, anno decimo pontificatus, glorioſo martyrio.

32. MARCELLVS Romanus, Maxentij tyranni tempora contigit, qui illum myſteriis ſacris ſedulò intentum damnauit in ſtabulum viliſſimo miniſterio. Quum inde à clericis raperetur, reductus tamen eſt ad ſordes: & inde epiſtolis gubernabat eccleſiam. Pedore & immunditie cruciatus quotidie, vir ſanctus, cælo dignus, moritur anno pontificatus ſui ſexto.

Crux Domini ab Helena inuenta.

33. EVSEBIVS, natione Græcus, patre medico, ſucceſſit Marcello, peruenitque ad tempora primi Conſtantini, cuius pontificatu inuenta eſt crux Dominica Hieroſolymis à matre Conſtantini. Laborabat in vrbe ſub Maxentio. Euaſit ſuppliciū martyrij, mortuus Romæ, anno pōtificatus ſui ſeptimo. Sepultus via Appia, in cœmeterio Calixti.

Falſa hiſtoria quantumuis celebrata.

34. MELCIADES inſequitur, natione Apher, qui tempora Conſtantini attigit. Hic (vt Gratianus eiuſdem pontificis verbis teſtatur) ante Sylueſtrū oſtendit fuiſſe Chriſtianum Conſtantinum. Vnde conuincitur tota res de donatione Conſtātini in Sylueſtrum, & de Imperatoris baptiſmo, eſſe cōmentitia: & quòd non martyr emigrauerit, anno pontificatus ſui quinto.

35. SYLVESTER, vir pontificatu dignus, Conſtantini tempora contingit, ſed nō illum baptizauit. Nam demùm in fine vitæ baptizatur, ab Euſebio Nicomedienſi epiſcopo, Conſtantinus (eo conſilio, quo & beati Auguſtini poſtea differebatur baptiſmus: ne illum pollueret) nec eam accepit immenſam donationem Italiæ, quum in ea poſtea Imperatores habitauerint, ab Honorio ad Auguſtulum. Sedit hic pontifex in omni ſanctitate annis 23.

36. MARCVS, natione Romanus, ſuccedit Sylueſtro, ad tempora eiuſdem Conſtantini. Extruxit eccleſias, quibus dona contulit Imperator, ex auro & argento pateras, non regna & prouincias. Vnde autem prouenerint tantæ opes Romano pontifici, in hiſtoria diximus. Marcus autem pontifex in tertium vſque annum præſidens eccleſiæ, moritur, tranſlatus ad meliora regna.

Arrianorum factio & potentia.

37. IVLIVS papa, & ipſe Romanus, luctamen iniit in ſuo pontificatu cum Arrianis, quibus fauerat Conſtantius, Conſtantini filius. Extruditur ab vrbe Roma, vix menſe decimo reuerſus: ſed tamen nihil omiſit, quod ad ſinceram religionem pertineret. Conſtituit ſalubriter multa, vetuit alia: & in omni ſanctitate pontificatum tenuit, ad annum 16. mortuus in pace.

38. LIBERIVS papa, natione & patria Romanus, ſtrenuè impugnabat initio Arrianos. Quamobrem depulſus ſede, exilio mulctatur per annos 6. Quumque ſucceſſor eius acrius oppugnaret eoſdem, iuſſu Conſtantij Imperatoris reuocatur, quum crederetur iam in Arrianos accepiſſe ſpiritum æquiorem: quæ vna macula inuſta eſt ſanctiſſimo alioqui pontifici. Sedit annos ſex, & (vt alij tradūt) ſexdecim.

39. FELIX ſecundus, natione Romanus, pulſo Liberio, ab Arrianis præficitur, ſed ſperantibus quòd cum illis ſentiret. Sed quum vir optimus hæreſi pro viribus repugnaret, acrius inuectus in eos quàm Liberius, reſtituto illo, depellitur ſede ſua, & in tumultu cum aliquantis presbyteris pro ſinceritate Catholicæ veritatis cæditur, ſecundo pontificatus ſui anno, quum nullam pacem ei reliquiſſent Arriani.

Vitæ pontificum digeſtæ.

40. DAMASVS, natione Hiſpanus, vir pontificatu & cælo dignus, præfuit Iuliani Imperatoris temporibus, diligens temporum ſupputator, qui vitas ante ſe pontificum digeſſit. Beati Hieronymi tranſlationem approbauit, & vulgauit: Pſalmos ordinauit, eccleſias ornauit, nihil omittens quod ad verum religionis cultum pertineret. Ad annum in pontificatu pertigit viceſimum.

Monachi antiquitus non erant clerici.

41. SIRICIVS papa, natione & ipſe Romanus, peruenit ad tempora primi Valentiniani. Multa conſtituit, præſertim bigamos à ſacris miniſteriis ſubmouit. Monachos primus ad ſacros ordines permiſit: nam antè nec inter clericos habebantur.

bantur. Præfuit eccleſiæ per annos ſexdecim in ſanctitate ſeruiens Deo.

ANASTASIVS, natione Romanus, ſucceſſit in papatu, vir apprimè bonus, qui multa conſtituit: quòd Euangelium ſtantes, non ſedentes, audirent: quòd peregrini clerici, ſine teſtimonialibus pontificum literis, non reciperentur: mancos, debiles, morboſos reiecit à ſacro miniſterio. Annis tribus præfuit, mortuus in pace. 42.

INNOCENTIVS, eius nominis primus, natione Albanus, vir eximiæ prudentię & ſanctitatis, qui multa ad eccleſiæ dignitatem honeſtandam conſtituit: præſertim de ieiunio Sabbati, quòd illo die, Chriſto tumulato, ieiunarẽt omnes, pro eius morte mœrentes. Ad annum peruenit decimumſextum pontificatûs ſui. 43.

ZOSIMVS, natione Græcus, ſuccedit temporibus filiorum magni Theodoſij. Multa & is conſtituit de honeſtate clericorum. Vetuit ne publicè biberent, néve tabernas fouerent: ne ſerui in clerum reciperentur. Et anno ſecundo ſui pontificatus, rebus exceſſit humanis. 44.

BONIFACIVS, eius nominis primus, natione Romanus, pontifex creatur. Et quum ſchiſma eſſet, obiecto Eulalio (qui à nonnullis eligebatur) ambo eiiciuntur vrbe, volente Placidia ſorore Honorij. Sed Bonifacius reuocatur, cõpetitore iuſtior: qui quum multa conſtituiſſet, anno quarto ſui pontificatus obdormiuit. 45.

CÆLESTINVS primus, patria Campanus, vir & doctus & ſanctus, pręficitur eccleſiæ. Multa in diuino altaris miniſterio iuſſit addi: introitus, graduale, reſponſorium, eius ſunt inuenta. Quumque diligenter omnia circunſpiciendo multa ordinaſſet, anno pontificatus ſui nono obdormiuit in Domino. 46.

Cælestini in missæ solennibus inuenta.

SIXTVS tertius, natione Romanus, in pontificatu erat temporibus tertij Valentiniani. Accuſatus à Baſſo quodam in Synodo quinquagintaſeptem epiſcoporum, ita cauſam dixit, vt protinus abſolueretur, & accuſator pro calumnia damnatus eſt exilio. Ædificauit eccleſiam maioris Mariæ, annis octo functus pontificatu. 47.

LEO primus, vir incomparabilis & ſanctitate vitæ, & eruditione ſapientiæ, & eloquẽtiæ ſuauitate. Ter ſanctus, ſumma patrum omnium admiratione in concilio Chalcedonenſi acclamatur. Vidit vaſtationem Vrbis ab Wandalis de Africa, Attilam Hunorũ regem, vultu, authoritate & ſermone retroegit. Sedit annis 21. 48.

HILARIVS, natione Sardus, Leoni ſucceſſit, magnus vir magno: in extruendis & ornandis templis erat ſingulari diligentia. Conſtituit ne quis in omni eccleſiaſtico ordine ſibi deligat ſucceſſorem. Sedit in cathedra Petri in annum vſq; octauum, & tranſlatus eſt ad ſedem ſublimiorem. 49.

SIMPLICIVS, natione Tiburtinus, multa conſtituit ſalubriter: in primis, nequis inuitus crearetur epiſcopus (quod caſtiſſimè noſtra ſeruant tempora, quum multa cæterorum tranſierint in obliuionem) & ne clericus beneficium recognoſcat à laico. Quinque eccleſias eſſe primas decreuit, Petri, Pauli, Laterani, Laurentij, Mariæ maioris. Anno XV. defecit. 50.

Patrum traditiones multæ exoleuerũt.

FELIX tertius, patria Romanus, Accaciũ & Petrũ hæreticos eiecit. Baſilicas aliquot cõſtruxit & conſecrauit, præſertim ſancti Agapiti apud diuum Laurentium: nihil omittens, quæ optimo pontifici laudem, eccleſiæ decus & ornamentum importarent. Pontificatum egit annis pene duodecim, emigrans ad Dominum. 51.

GELASIVS, natione Apher, pontificatum iniit, quo tempore Manichæi in Vrbe multiplicati fuere: aduerſus quos ſuſcepit certamen. Eorũ libros publicè apud templum diuæ Mariæ comburit, ipſos damnat exilio. Quumq; in annum V. prorogaſſet pontificatum, conceſſit è vita ad manes ſuperos. 52.

ANASTASIVS ſecundus, natione Romanus, in hoc intulit crimen pontificio ſuo, quòd occultè crederetur fauiſſe Accacio, Conſtantinopolitano quondam primati, hæretico: qua ex re clerus ſe ab illo retraxit. Scribunt alij, quòd Imperatorem pro fauore Accacij excommunicauerit. Sed anno ſecundo necdum expleto, conceſſit è vita. 53.

SYMMACHVS, natione Sardus, de pontificatu laborauit aduerſus Laurentium, diuiſo clero & populo. Theodoricus Gothorum rex præfuit Italiæ. Is indixit concilium pontificibus, in quo prælatus eſt Symmachus: qui pauperibus & captiuis erat pater ſingularis. In pontificatu fuit in annum ſextumdecimum. 54.

55. HORMISDA, natione Campanus, patria Fruſinonius, multa conſtituit, De nuptiis honeſtandis publicè: & eo ſuadente, multa contulit eccleſiis Theodoricus Gothus: renouauit & illuſtrauit baſilicas. Eutychianos damnauit. Certauit & pontifex beneficentia & largitate in ornatum eccleſiarum. Annos nouem peregit in miniſterio.

Nuptiæ publicè honeſtantur.

56. IOANNES, eius nominis primus, oſor & expugnator Arrianorum, & ab Theodorico Arriano cum Agapitis duobus & Theodoro miſſus ad Iuſtinum Conſtantinopolitanum Imperatorem, vt ceſſaret à perſequendis Arrianis, alioqui euerteret Italiam. Quum nō impetraſſet, miſſus in carcerem à Theodorico, periit pedore, anno tertio ſui pontificatus.

57. FELIX quartus, natione Samius, ſucceſſit Ioanni in carcere obdormienti, vir integer moribus, & vita, & ſolicitudine paſtorali. Patriarcham Conſtantinopolitanum de hæreſi notatum excommunicauit: templum ſanctorum Coſmæ & Damiani exædificauit, alia refecit. Vnctionem nouiſſimam præcepit. Sedit in annum pontificatûs quintum.

Extrema vnctio.

58. BONIFACIVS, eius nominis ſecundus, patria Romanus, expertus eſt competitorem Dioſcorum, diuiſis votis in clero & populo. Valuit diuerſitas, quandiu ſupererat Dioſcorus: quo breui mortuo, tenuit in pace locū. Conſtituit, vt in electione pontificis, clerus à populo diuideretur. Annis tantùm præfuit duobus.

59. IOANNES ſecundus, patria Romanus, Anthemium de hæreſi Arriana conuictum damnauit. Cuius temporibus Iuſtinianus Orientis Imperator, miſit dona templis Romanis plurima: iuſſitque epiſcopos ſuos, eius nomine cum benedictione amiciſſimè conuenire pontificem. Sedit in annum non plenum tertium.

60. AGAPETVS papa ſucceſſit, Romanus patria, miſſus à Theodato Gothorū rege ad Iuſtinianum placandum, de morte Amalaſunthæ optimæ reginæ iratum, quòd Imperator illius fœminæ claras virtutes magnificaret. Ibi tentatus ab Imperatore de hæreſi Eutychiana, repulit Imperatorem grauiſſimis verbis. Sedit non omninò pleno anno.

61. SYLVERIVS, natione Campanus, patre Hormiſda epiſcopo, Theodato Gothorum rege iubente, creatur pontifex: quum antea Imperatorum Orientis aut conſenſus, aut ratificatio poſceretur. Inſtigante Vigilio Romano diacono, Iuſtina Imperatrix voluit, vt deiecto Menna patriarcha Conſtantinopolitano, Anthemiū hæreticum reuocaret: quod quum recuſaret, mandat mulier Beliſario Imperatoris duci, vt deſtituto Syluerio, Vigilium faciat pontificem. idque ille mandat vxori vt fieret. Mittitur in exilium cucullatus, anno 2. necdum expleto.

Imperatoris autoritas in pontifice creando.

62. VIGILIVS papa, non legitimè factus, pœnas luit temeritatis in præceſſorem. Nam perductus & tractus vi Conſtantinopolim, iubetur explere quod præceſſor recuſat. Trahitur, cæditur per plateas: inſtante Narſete & Romanis Romam remittitur: ſed in Sicilia moritur, anno 18. ſui pontificatûs.

63. PELAGIVS primus, patria Romanus, pontifex creatur. Quumq; malorum Vigilij incentor eſſe criminaretur, tactis Euangeliis & cruce, ſe purgauit. Primus conſtituit, vt clerici in ſacris conſtituti, ſeptem horarum quotidie penſum Deo perſoluerent. Stetit duro tempore obſidionis à Gothis Romæ. Durauit in annum pontificatûs duodecimum.

Septem horarū canonicarum quotidiana lectio.

64. IOANNES tertius, patria Romanus, reconciliauit vrbi Romæ iratum Narſetem, principem Gothorum victorem, ductum ſecum à Neapoli Romam, vbi breui finiuit. Huius temporibus ingreſſi ſunt Italiam Longobardi: quod in Dania diximus. Hic autem pontifex annis & virtutibus plenus, annis expletis in pontificatu XIII. emoritur.

65. BENEDICTVS primus, patria Romanus, vir optimus, in pontificatu egit, quū Longobardi iam ſæuirent per Italiam, vrbi Romæ multum minitantes. Solicitudo pontificis exemit vrbem grauiſſimæ fami, qua ab Gothis laborabat. Occurrit ei æqua ſolicitudine pietas Tiberij Imperatoris. Poſt quatuor pontificatus annos emigrat.

66. PELAGIVS ſecundus, patria Romanus, in obſidione vrbis Romæ creatur pontifex.

tifex. Quum Imperatoris consensus per obsidionem requiri non posset, eam rem purgauit missus ad Imperatorem Gregorius monachus, diaconus ecclesiæ: qui in conspectu Imperatoris reuicit Eutychianum episcopum, vsque ad reuocationem erroris. Pontifex moritur, annis duodecim expletis.

GREGORIVS primus, natione Romanus, à Constantinopoli reuocatus, 67.
quum paternam eius domum pontifex in Xenodochium consecrasset, Pelagio penè inuitus, & pro indignitate, quam duxit, reluctatus sufficitur. Electus mittit ad Imperatorem literas, ne quouis pacto suæ electioni consentiret. Intercipiuntur à præfecto, & aliis datis sub nomine cleri & populi confirmatur. Multa scripsit, plurima reliquit sanctitatis & doctrinæ monimenta. Præsidit annis pene XIIII. emigrans.

SABINIANVS succedit, homo obscurè natus, incertum quo loco. Actis 68.
sanctissimi prædecessoris detrectauit, ostentationem & inanem profusionem attribuens sanctissimo ac piissimo pontifici. Statuit tamen, vt horæ in ecclesiis distinguerentur, ignis in lampadibus semper esset. Anno secundo pontificatûs, necdum exacto, decessit.

BONIFACIVS tertius, patria Romanus, vir ea sede dignus, à Phoca Impera- 69.
tore obtinuit, vt Romana sedes etiam Imperiali decreto præponeretur Constantinopolitanæ: tumescentibus illis pontificibus, quòd cum Imperio prima sedes translata esset. Sed Imperator declarauit, quod Christus firmauit. Nondum expleto anno, rebus excessit humanis. *Romanæ sedis primatus.*

BONIFACIVS quartus, natione Marsus, patria Valeriensis. Hic templum 70.
Pantheôn ab Imperatore impetrauit, vt in honorem D. Mariæ pro Cybele, & omnium martyrum pro omnibus idolis, nomine dedicaretur. Domum paternam Deo sacrauit, monasterium ibi constituens. Anno pontificatus XVII. emigrat.

DEVSDEDIT, patria Romanus, tanta fuit sanctitate, vt obuium leprosum 71.
osculo curaret. Ferbuit illa ætate perniciosus morbus, qui adeò deformauit homines facie, vt vix internoscerentur, lepræ aut elephantiæ proximus. Constituit hic, vt patrimus patrimam, aut filius eius, vxorem non haberet. Moritur post tres annos pontificatus. *Cognatio spiritualis.*

BONIFACIVS quintus, natione Campanus, creatur pontifex, vir cælo di- 72.
gnus, & pontificio honore: in omnes benignus, præcipuè pauperes, in clericos integrè viuentes largus: dedit immunitatem ecclesiis, ne quis ad eas confugiens, extraheretur. Moritur pontificatus sui anno V. & omnibus collachrymantibus pro desiderio viri, apud S. Petrum tumulatur. *Ecclesiæ, asyla.*

HONORIVS, natione Campanus, quum iniisset pontificatum, tempora vi- 73.
dit tranquilliora prioribus. Et ideo conuersus ad doctrinam & pietatem, mores cleri reformauit, templa restituit, ædem Petri æneis tegulis instruxit, ex Ioue Capitolino sumptis, & alia multa renouauit. Moritur anno pontificatus sui XIII.

SEVERINVS, patria Romanus, pontificatui succedit, integer moribus, vi- 74.
ta sanctus, doctrina illustris, vigil ad instauranda templa & viua & lapidea: nihil quod ad optimũ pertineret pontificem, prætermisit. Sed non erat longæua illi administratio: nam anno expleto cum duobus mensibus, emigrauit.

IOANNES quartus, natione Dalmata, pontificatum iniit. Thesaurum reli- 75.
quit Isacius apud ecclesiam Lateranensem. Eum pontifex ad pietatem impendit, redemptis inde plurimis captiuis. Vidit turbationem Longobardorum regum: qui quum essent Arriani, binos volebant in quaque ecclesia episcopos. Necdum duobus annis expletis in pontificatu, emigrauit.

THEODORVS, natione Græcus, patre episcopo Hierosolymitano, vir in 76.
omnibus perfectus, pietatis viscera pandebat ad omnes: constituitque in sacra vigilia paschalem cereum consecrari. Pyrrhum patriarcham Constantinopolitanum propter hæresim exauthorauit, & plerosque alios: templa instaurauit, & ornauit. Moritur anno 6. mense 5. *Cereus sacer vigilia paschatis.*

MARTINVS primus, patria Tudertinus, Paulum Constantinopolitanum 77.
archiepiscopum monuit vt ab hæresi resipisceret: contemnentem deposuit.

Iratus Imperator, iussit Papam captum mitti Constantinopolim: quod quum primò non processisset, secundò completur. Mittitur relegatus in insulam, vbi ante sanctus Clemens vixit. Ibi annis VI. mensibus duobus in pontificatu actis, moritur.

78. EVGENIVS primus, patria Romanus, sufficitur eo tempore, quo Petrus hæreticus Paulo simili Constantinopoli surrogatur. Qui etsi aliquanto melius quàm Paulus sentiret, puritatem tamen Romanæ fidei nec tenuit nec prædicauit. Hic primus monachos conclusit intra monasterium, cum antea vagarentur. Pontificatus sui anno secundo, mense nono moritur.

Monachi septo conclusi.

79. VITALIANVS, patria Signinus, oppido Volscorum, papa creatur. Hic regulam clericorum composuit. Cantum per ecclesias ordinauit, adhibitis consonantium organis. Oratores in Angliam mittit, qui fluctuantes in fide Christi confirmarent. Anno sui pontificatus XIIII. mense VI. moritur: ad concentũ (vt confiditur) euocatus angelorum.

Cantus Musicus.

80. ADEODATVS, patria Romanus, ex monacho pontifex creatur, vir omni virtute præditus, moribus institit ac templis sanctorum reformandis: monasterium sancti Erasmi in monte Cælio, vbi monachus vixit, à fundamentis instaurauit. Ad abolenda prodigia, quæ videbantur, supplicationes instituit. Annis 4. & aliquot mensibus expletis, excessit.

81. DONVS, patria Romanus, pontificatum iniens, pietati institit, tempora nactus durissima, quòd fulminibus & imbribus agri emarcuerunt. Rauennatem ecclesiam, à Romana per superbiam secedentem, reuocauit. Vestibulum S. Petri columnis exornauit primus. Anno quinto, mense quinto pontificatus excessit rebus humanis.

82. AGATHO, natione Siculus, ex monacho pontifex creatur: vir tantæ sanctitatis & humilitatis, vt obuium leprosum osculo dignatũ, mox tactu carnis suæ mundauerit: neminem à se tristem dimisit. Constantinopoli synodum celebrauit, missis eò oratoribus, quum Imperatorem haberet æquo secum Dei zelo ardentem, Constantinum. Anno II. mense sexto moritur.

83. LEO secundus, natione Siculus, vir per omnia doctissimus, Latinè ac Græcè æquè sciens: adeò Musicæ peritus, vt hymnos dictaret. Instituit ne archiepiscopi pro vsu pallij quicquam persoluerent: quod vtinam hodie seruaretur. Sed alia sunt tempora. Non diu in pontificatu permansit, quippe qui decimo mense è vita concessit.

Simonia Romanæ sedis.

84. BENEDICTVS iunior, siue secundus, patria Romanus, insigni doctrina & morum sanctitate, Cuius electioni quum assensus Imperatoris de more peteretur, misit Constantinus Imperator, eius nominis quartus, Romam decretum, vt deinceps nullius expectato assensu, quem populus & clerus delegissent, mox pontifex haberetur. Mense decimo subtrahitur ecclesiæ.

85. IOANNES quintus, natione Syrus, creatur pontifex. Is primus ab Ostiensi, Portuensi, & Veliterno consecratur, quem exinde morem successores tenuere. In ecclesia sancti Saluatoris, quæ Constantiniana dicitur, valetudinarius, libellum de Pallij dignitate composuit. Vix exacto in pontificatu anno, emigrauit.

86. CONON, Thrax genere, in Sicilia educatus, Romanæ ecclesiæ presbyter fuit, eo tempore, quo post Ioannem, de pontifice Romani & exercitus disceptarent. Diuino nutu partes dimittunt quibus studuissent, & in Cononem canitie & vultu venerabilem protinus consentiunt. Sed non fuit ei diuturnus pontificatus, mense vndecimo excedenti.

87. SERGIVS, natione Syrus, patria Antiochensis. In magna ciuium & militum altercatione, quũ quæque pars suum proueheret, ambobus dimissis, Sergius creatur. Iustinianus secundus illi insidiatur, misso qui raperet: sed milites Italici prohibuêre. Constituit vt in fractione Dominici corporis, ter caneretur Agnus Dei. Anno XIII. mense octauo moritur.

Agnus Dei.

88. IOANNES sextus, natione Græcus, pontifex creatur, qui instaurandis & ornandis templis multum studuit, vir religionis amantissimus. Templum in primis

mis D. Petri exornauit. Ex ærario eccleſiæ multos pauperes redemit. Moritur pontificatus ſui anno tertio, menſe tertio ſepultus ad Catacumbas Sebaſtianas.

89. IOANNES ſeptimus, natione Græcus, patre Platone, pontifex creatur. Huius opus eſt in baſilica Petri oratorium, cuius parietes opere vermiculato, patrum vultus oſtendebant. Multas præterea baſilicas picturis & ſtatuis exornauit. Moritur ſecundo ſui pontificatus anno, menſe ſeptimo.

90. SISIMVS, vel (vt alij) Soſimus papa, natione Syrus, morbo & ſenio cōfectus. Podagra & arthritica ita laborabat, vt neq; manuum, neq; pedum officio fungeretur. Tamen in eo tanta ſpes de virtute fuit, vt alioquin defectus, pontifex deligeretur. Cogitauit inſtaurare vrbis mœnia: ſolis viginti diebus in pontificatu vixit.

91. CONSTANTINVS, natione Syrus, vrbem Romam fame triennio laborantem, triennio cælitus iuuit. Iuſtiniano ſecūdo pro virtute adeò charus fuit, vt præmiſſis in mare triremibus, quò ſecurus nauigaret, inuitaret Conſtantinopolim. Venit, excipitur cum gaudio: redit egregiè muneratus. Septimo anno ſui pontificatus moritur.

92. GREGORIVS ſecundus, patria Romanus, pontifex creatur. Cum prædeceſſore ad Imperatorem nauigauit. Ibi in diſputatione Græcorum, doctrinam ſingularem oſtendit. Huius opera, Germani pro magna parte ad fidem venere, miſſo Bonifacio, quem Moguntinum creauit archiepiſcopum. Præfuit annis ſexdecim: moritur eius anni menſe nono.

Germania recipit verbum Dei.

93. GREGORIVS tertius, natione Syrus, omnium Græcè & Latinè doctiſſimus, tum creatur pontifex: tantæ largitatis in omnes, præcipuè pauperes, quaſi omnes ipſe genuiſſet. Leonem tertium Imperatorem, imaginum hoſtem, excommunicauit. Inſtaurauit vrbis mœnia & templa, & Centumcellas iam neglectum oppidum. Anno x. pontificatus ſui defecit.

94. ZACHARIAS, natione Græcus, pontifex creatur, vir adeò dulcis, vt Longobardorum regem, ipſe egreſſus inter Miſſarum ſolennia oratione permolliuerit, quòd pacis componendæ omne arbitrium in eum rex conferret: & poſito regno, monachum profitetur. Pipinum, à Francis ſciſcitatus, regem facit. Annis decem & aliquot menſibus præfuit.

Pipinus Franciæ regnum occupat.

95. STEPHANVS ſecundus, natione Romanus, pontifex creatur. Is cum Longobardis luctamen magnū habuit. Quum nullis placarentur conditionibus, in Franciam ad Pipinum deſcendit: quem quum Zacharias regem declaraſſet, ipſe conſecrauit, ac eundem in Italiam cum exercitu aduerſus Longobardos precibus traxit. Anno v. menſe I. moritur.

96. PAVLVS primus, natione Romanus, germanus Stephani, meruit eiuſdem eſſe ſucceſſor, vir omni virtute præditus, & perinde cunctis amabilis, pius, ſolicitus, religioſus: qui nullū omiſit in ſacro miniſterio officium. Carceratis compatiens, multos ſuo ære redemit. Anno decimo, menſe vno mortuus, ſepelitur apud ſanctum Paulum.

97. CONSTANTINVS ſecundus, natione Romanus, quum plures ambirent ad eam ſedem, ipſe quoque à ſuis prolatus, conſecratur Papa: ſed temeritas conſecrantis mox paralyſi cęditur. Impleuit tamen munus pontificium per annum: tum à populo deiectus eſt, & in locum eius ſucceſſor conſtituitur. Quidam eum inter pontifices non numerant.

Pontifex vi creatus.

98. STEPHANVS tertius, natione Siculus, creatur pontifex ex monacho. Nam ibi diſciplinam prædidicit: poſtea à pontificibus euocatus, maiora tractauit. Demum papa eligitur: & conſecratus, concilio celebrato, abrogauit omnia geſta Conſtantini, præter baptiſmum & chriſma: & prouiſum eſt in futurum. Anno IIII. menſe v. moritur.

99. HADRIANVS primus, patria Romanus, vir magni animi, Carolum Magnū euocauit in Longobardos. Venit, vicit, & omnem Rauennatum exarchatum eccleſiæ dedit. Et quærimus, vnde ditata ſit eccleſia? Vidit Roma Carolum Magnū exoſculantem veſtigia eius. Anno tertio & vigeſimo pontificatus, menſe decimo, diem obiit.

Eccleſiæ Romanæ opes.

100. LEO III. Romanus, præfuit eccleſiæ poſt Hadrianum. In hunc agentem inſtitutas ab Gregorio Litanias, incurrunt Romani, lacerant, trahunt, cædunt, vulnerant, in carcerem claudunt, elabitur. Venit ad Carolum, reducitur. Venientem Carolum Romam, creat voluntate populi Imperatorem. Præfuit anno vno & viginti.

101. STEPHANVS quartus, patria Romanus, quum pontifex eſſet creatus, proficiſcitur in Galliam, ad Ludouicum Caroli filium conſecrandum Imperatorem. Adeò ex illo die Gallis inuiſcerati fuere pontifices. Reuerſus in Vrbem, menſe ſeptimo ſui pontificatus emigrauit.

Papæ & regis Franciæ mutuum ſtudiu.

102. PASCHALIS, eius nominis primus, natione Romanus, pontifex ſufficitur Stephano, nullo Imperatoris aſſenſu. Miſit autem oratores ad Ludouicum Imperatorem, eius rei culpam reiicientes in populum & clerum. Reſpondit Ludouicus, patrum inſtituta non eſſe violanda. Paſchalis multa templa reſtituit & ornauit intra ſeptem annos, quibus præfuit.

103. EVGENIVS, eius nominis ſecundus, patria Romanus, vir integerrimus, pontificatui ſuccedit. Adeò rem frumentariam curauit, quaſi omnibus paſcendis natus eſſet. Pauperum maximam habuit rationem, pietatis & religionis primā curam, multis pollens virtutibus. Quatuor annos in pontificatu peregit, emigrans ad ſuperos.

104. VALENTINVS, & ipſe natione Romanus, ex diacono pontifex deligitur, tanta fuit in eo expectatio felicis gubernationis. Nam ſub prædeceſſoribus ſuis, viris præſtantiſſimis, didicit quomodo ſe gereret in cura Reipublicæ Chriſtianæ. Sed quadrageſimo die pontificatus ſui deficiens, multorum ſpem eſt fruſtratus.

105. GREGORIVS quartus, natione Romanus, ſub Ludouico Imperatore pontifex creatur. Primi Gregorij corpus tranſtulit in eum quo nunc eſt locum. Feſtiuitatem omnium ſanctorum calendis Nouembribus inſtituit. Hamburgenſem archiepiſcopum Anſgarium confirmauit. Anno XVI. pontifex rebus ſeculi relictis, conceſſit ad ſuperos.

106. SERGIVS, eius nominis ſecundus, patria Romanus, nobili genere ortus, Os porci dicebatur: quo mutato, Sergius pro eo dictus eſt. Exindeque conſuetudo mutandi nominis. Etſi à Petro inchoauerit, dicente Chriſto Simoni, *Vocaberis Petrus*: tamen vſque ad hunc non ſeruabatur. Ex hoc autem continuatum videmus. Sanctus hic pontifex, pietati ſemper ſtuduit: tertio ſui pontificatus anno mortuus.

Papatum ineuntibus nomen mutatur.

107. LEO quartus, patria Romanus, creatur pontifex, vir ſanctus & prudens, qui Sarracenis in portu Hoſtiæ cōgreſſus, eos repulit: ex manubiis eorum vrbis mœnia reparauit. Cinxit muro & propugnaculis Vaticanum, & dicta eſt ex eo ciuitas Leonina. Multa in omnes prouidentia, ſingulari ſanctitate, anno octauo vitam cum morte mutauit.

108. IOANNES Anglicus, ex Moguntia mulier, mentita ſexum, quum acutiſſimo ingenio, & promptiſſima lingua doctiſſimè loqueretur, adeò in ſe conuertit omnium animos, vt pontificatum adipiſceretur: vno famulo ſexum eius cognoſcente. A quo compreſſa, prægnans efficitur: & fertur peperiſſe apud Colloſſeum. Anno ſecundo necdum expleto, in partu moritur.

109. BENEDICTVS tertius, patria Romanus, creatur pontifex, omnium admiratione virtutum dignus eo loco. Nam ea fuit humanitate & humilitate & diligentia in omnes, vt etiam pontifex mores non mutauerit. Exemplar viuendi, vt meritò Benedictus diceretur. Præfuit autem non tam diu quàm ſanctè: nam ſecundo anno pontificatus ſui defecit.

110. NICOLAVS, eius nominis primus, patria & ipſe Romanus, pontificatum iniit præſente Ludouico ſecundo, qui Lothario patri ſucceſſit in Imperio. Hic prædeceſſorem ſuis lachrymis & manibus tumulauit. Inuitus & abſens eligitur: coronatur, & in ſede Petri collocatur. Regem Bulgarorum ad fidem inſtruxit, eccleſiam Bremenſem Hamburgenſi coniunxit. Qua occaſione in eum pontificum

catalogum descendimus, exinde reuersuri ad seriem inchoatæ narrationis. Nouem in annos præfuit Romana ecclesiæ. Mense nono moritur in pace.

HAMBVRGENSI episcopatui post Ansgarium pręficitur secundus Rembertus, ex discipulo successor: quod diu antè prædixit magister, & futurum in episcopatu successorem, & (vt confideret) in regno Dei consortem. Vidit Ansgarius in Turhold, puerum deuotius se in diuino timore gerentem: assumpsit eum parentũ voluntate, & secum semper habuit: tale in eo prospiciens, quale olim Alexander, episcopus Alexandrinus, in Athanasio, viro incomparabili, tum verò puero. Nam eadem die qua commendatus est Ansgarius, Rembertus eius diaconus à clero & populo est electus. Sedit in eo archiepiscopatu annis vigintitribus. Mox autem vt electus est, à Theodorico Mindensi episcopo, & Adalgario Corbeiensi abbate, iussu Ludouici regis, ductus est Moguntiam, vbi à clarissimo pontifice Lutberto consecratus, venit Corbeiam, vestemque suscepit cum professione monastica, cui Adalgarius abbas germanum & æquiuocum suum concessit Adalgariũ, qui posteà & socius prædicationis, & hæres esse meruit dignitatis. Pallium pontificale suscepit Rembertus à Papa Nicolao: ferulam pastoralem (hoc est inuestituram feudalem) à Ludouico rege Germaniæ: quem nonnulli, temporum ignari, vocant Cæsarem. Legationis autem suæ officium, quod ad prædicandum gentibus verbum Dei, primùm à prædecessore suo susceptũ est, & postea sibi iure successionis quasi hæreditarium prouenit, impigrè est executus: ipse quidem in persona (quoties occupationes aliæ sinerent) eidem legationi insistens: semper autem constitutos habens presbyteros, per quos & verbum Dei gentiles audirent, & solatium captiui haberent Christiani. Ad ecclesias inter ipsos paganos longè constitutas, quódque grauissimum erat, marinis discriminibus adeundas, quæ discrimina ipse frequenter sustinens, sæpe naufragium pertulit, sæpe etiam alia pericula sustinuit. In diebus suis Sigefridus cum fratre Haldano regnauit in Dania, qui etiam munera Ludouico regi miserunt, gladium videlicet capulo tenus aureum, & alia multa, pacem rogantes: & missis vtrinque ad Eugdoram fluuium mediatoribus, pacem firmam, per arma (iure gentis & ritu) iurauerunt. Erant & alij reges Danorum. nam regnum ea tempestate scissum erat in plures partes, qui piraticis excursionibus eo tempore Gallias vexabant: quorum erant præcipui, Horicus, Orduicus, Godfridus, Rodolphus, & Iwarus tyranni. Crudelissimus omnium fuit Iwarus, filius Lotperti, qui Christianos vbique per supplicia necauit. Verba posui annalis, ad fidem antiquitatis.

Cap. 2.

Indoles egregij postea futuri episcopi.

Dania à multis regibus tenetur.

QVVM Ludouicus rex Germaniæ, Ludouici primi Imperatoris filius, ad annũ à Christo, DCCCLXXVI. moriens deficeret, vir fortis, & rex victoriosus (qui vbiq; per Germaniam victorias suas circumtulit, Bohemos, Polabos, cæterosq; Wandalorum populos tum insolescentes repressit, ad quemque icto fœdere nationes Aquilonis pertinuerunt) eo sublato, *Effera barbaries ruptis regnabat habenis.* Tunc enim Danorum & Normannorum excursionibus Saxonia vastata est. Quam rem Bruno dux Saxoniæ, de genere Wedekindi, germanus Tancquardi (quorum pater Ludolfus) corde tenus miseratus est, disposuitq; grassantib. occurrere. Sed primùm nobis expressiùs dicendum est, quis & vnde fuerit ille dux Saxonię. Rex Ludouicus, Ludouici Imperatoris filius, quum inter fratres ditionem partitos, ipse Germaniã esset sortitus, nobilitatẽ suis gradibus ipse omniũ princeps recognoscebat. Igitur ex Wedekindo Wichbertus, ex illo Walbertus, inde Ludolfus, sunt progeniti: ex Ludolfo Bruno, Tancquardus, Otto, nascuntur. Huius Brunonis nomen refert, & diu seruat, fundata inclyta ab eo ciuitas Brunswicensis, quasi Brunonis vicus, aut potius sinus, qui lingua Saxonum sonat *Wyck.* Is dux futuram tum prospiciens eruptionem, simul iam per famam accipiens, infinita multitudine gentes Aquilonis Christianitati plurimum infestas, Albim fluuium transisse, iamque agmine magno parare excursionem in Saxoniam, ad extinguendũ omne nomen Christianum in ea: quia murum eius, illustrem regem Ludouicum audierant concidisse. Ibi tum Hamburgi oppidum (in quo metropolis erat ecclesia) prima semper excipiens fulmina sæuientium barbarorum, vastatum atque euersum est, ex-

Cap. 3.

876.

Saxonia à Barbaris Christi hostibus vastatur.

Brunswicum vnde nomen habuit.

tincto iterum populo Christiano. Exercitum igitur dux adunauit duodecim comitibus (quorum tamen vocabulum necdum in vsu erat receptum illa tempestate) ac multis in circuitu episcopis in aciem pro Christo militaturis, alacriter concurrentibus. Occurrunt ergo fideles Christiani, duce Brunone, perfidis idololatris, certi vel pro Christo mori, vel tantam repellere barbariem perfidorum. Graue prælium, vbi conuenêre, in loco Ebbeckstorp, conseritur, & diu fortiter inimicis Christi resistitur: sed vicit ferox & infinita barbaries, totumque Christi agmen ad vnum concidit: tantam sibi sanctorum frequentiam martyrum Christo in suo sibi sanguine consecrante. Quo loco pugna sit gesta, annales nostri non loquuntur. sed aliis ex testimoniis fide dignissimis colligitur, quòd in loco Ebbeckstorp (vbi nunc sanctimonialium sub regula D. Benedicti sancta viuit congregatio) indubitanter accipimus esse tumulum sanctorum, eodem in loco quo pugna est patrata. Nam annales ecclesiarum Mindensis, Hildesemensis, Verdensis, & quarundam aliarum testantur, pro suis quanque pontificibus misisse, vt corpora in ecclesias transferrentur honorificè tumulanda. Sed tum in aceruum congesta sanctorũ martyrum corpora, indiscreta permixtione discerni ac dinosci haud poterant: dispensante diuina miseratione, vt sanctorum reliquiæ illo in loco vnà colerentur, quando vno in prælio decertantes, ibi vitam cum sanguine posuerunt. Erubescãt fabulatores, qui anilibus næniis inhærentes, ab Hamburgo illas sanctorum reliquias esse adductas in eum locum, mentiuntur, ex illa strage quam ibi peractam ferunt: in qua Benedictum summum pontificem fingunt martyrio cum multis coronatum. Nam nihil tale contigisse Hamburgi in Benedictum, sub Adaldago archiepiscopo Hamburgensi monstrabitur.

Christianorũ clades.

CAP. 4.

OPERÆ PRECIVM est hoc in loco lacerare fabellam, cuius incidit mentio, per veræ historiæ ignorantiam confictam. Eam enim veritatis loco multi buccis inflatis, magno ore sonant: iamq; temporis diuturnitate conquisiuisse authoritatẽ creditur & fidem. Volauit nænia in parietes, picturis cõmissa. Efferunt statuas de ligno excisas Benedicti, velut martyris pro Christo cæsi, qui (vt ostendemus) in pace quieuit: quod & annalis, & cælatura sepulchri testatur extantis. Multa sunt autem, quæ catholicæ veritatis amatores inuitant ac stimulant, ad propulsandum ab ecclesiis fabulosas narrationes: vel quòd superstitiosas pariũt sinceræ fidei perturbationes: vel quòd zizania sunt, quæ inimicus homo, cæteris dormientibus, superseminauit, vt eorum falsitate detecta, illa quoq; fabulosa putentur, quæ in petra firma consistunt: vel quòd irrisionibus nos exponunt eorum, qui simplicitati fidelium illudunt, omnia fabulosa recipienti pro veris. Barbari, inquiunt, pro suo sensu, somnia pro rebus colunt. Danda est ergo opera, vt furfures à medulla tritici, paleæ separentur à granis, veritas segregetur à figmentis. Verũ est, quòd in ecclesia Hamburgensi multorum requiescunt corpora, pro Christo trucidatorum. Quoties enim furor impius, inflammatus Christianitatis odio, sęuiebat in Christicolas, primi erãt Hamburgenses ad supplicia, siue à Danis siue à Wadalis sæuitia intentaretur. Hoc à Wilsis sub Magno Carolo, anno imperij eius decimo, siue à Wandadalis passi sunt. Wilsi enim Wandaliæ pars sunt. Hoc deinde à Normannis, à mari per Albim ascendentibus, in morte Ludouici Imperatoris pertulerunt, viuente, & ibi agente archipręsule Ansgario. Hoc postea perpessi sunt à Wandalis, duce Godschalco, eorum principe. Idem à Critone, Lubecæ vrbis fundatore. Hoc à Danis, sæuientibus in morte magni Ottonis, legimus contigisse, vt magnus semper numerus catholicæ plebis in Hamburgo trucidaretur. Verum est, Benedictum quintũ, Romanũ aliquando pontificem, eum in locum aliquando peruenisse, sub Ottone Imperatore eius nominis primo, Adaldago Hamburgensi archiepiscopo, hîc etiã vitam terminasse, atque in choro maioris ecclesiæ, tumulo eminente conquiescere. Hæc & annales nostri, & tumuli inscriptio liquidò contestantur. Sed commentitium est, Romanũ pontificem Benedictũ, nescio quem, sub Ludouico Imperatore primo, aut aliàs quãdocunq;, cum cardinalibus in Hamburgũ descendisse: quum in eius comitatu fuisse tot põtifices, duces, comites dicantur. Fabulosum est, papam hoc loco cum suo clero, duces tũm tanta nobilitate, vna cæde fuisse trucidatos.

Et historiæ & picturæ suis mendis non carent.

Vtinam rectè vbique detur.

trucidatos. Id verò luce clarius, multis documentis vanum ac commentitium esse monstrabimus.

CAP. 5.

QVVMQVE multa in eam rem nobis succurrant ostendenda, nihil præstantius debet haberi, quàm quòd fabula ipsa suo se potissimùm mucrone confodit: ita ineptissimus homo, quisquis ille fuit, compegit figmenta, vt nulla ex parte neq; veritati, neq; sibi quadrent. Imperitus enim fuit, & cæcus. Inde factum est, vt omnes lecturos, nihil vidētes existimaret: more struthionis, quem in venatione fatigatū, caput ferunt occulere, vt quum ipse neminem viderit, à nemine se prorsus videri stultus arbitretur. Nobis quidem pro reiicienda fabula satis esse debuit, quòd fidelissimi annales illorum temporum insigniora testātes, rem tam nouitate quàm sua magnitudine insignem, silentio non præterissent, quum multa minora signârint. Quanquam non defuturos esse sciam, qui dicant, non esse omnia, quæ gesta sunt, etiam scripta: nec posse ab authoritate negatiuè duci legitimum argumentū. Quis est autem tam vanus ac leuis, qui hoc posit arbitrari, omnes vel minimas rerū mutationes esse descriptas illorum temporum: illam verò rem tam ponderosam & stupendam, si vera esset, pressis labris præterisse scriptores? Sed ista putentur infirma, si non grauioribus subuertatur vanitas argumentis. Quid, quòd omnium Romanorum pontificum ingressus, progressus & obitus, fidelissimis mandati tenētur historiis? Ergo quum ex Romanis pontificibus, præter Benedictum quintū, huc missum in exilium, & hìc dolore animi, nō martyrio sanguinis, defunctum, nemo memoretur pontificum Romanorum, qui sanguinem pro Christo fuderit in Germania: de cœlo deciderit oportet ille Benedictus, quem cum tot cardinalibus, pontificibus, ducibus & comitibus, hoc loco fabulantur trucidatum. Ego fabulosæ narrationis videre mihi videor occasionem. Vidit iste nugator, quisquis fuit, in choro maioris ecclesiæ esse tumulatum, qui titulum haberet summi pontificis. Nec legerat somniator ille in annalibus, quòd Ottonis primi tempore Ioānes duodecimus Romanam sedem pessimo administrabat exemplo: ita vt rogatus à cardinalib. Imperator Romam aduolaret, concilium aduocaret, in quo deposito Ioanne, homine impurissimo, Leonem octauum in sede Petri patres collocarēt. Quumq; pro regni negociis Imperator Vrbe declinaret, Romani, præsertim Ioannis amici, tumultuantes, deturbato Leone, Benedictum quintum, iam mortuo Ioanne, surrogarūt. Sed reuocatus Imperator ad vrbem, armis adegit Romanos, Leonem in suam sedem reponere, Benedictum dedere: quem ille acceptum, Adaldago Hamburgensi archiepiscopo Imperatoris cancellario (qui tanto iam tempore cum Imperatore in Italia fuisset) ad ecclesiam suam post annos quinque redeunti Benedictum commendauit, vt apud se illum, quoad viueret, seruaret. Ita factum est, vt archiepiscopo ad ecclesiam suam reuertente, relegatus Benedictus huc perduceretur, vbi breui consumptus dolore animi, in pace quieuit, non gladio cæsus: non cum cardinalibus, episcopis, ducibus, comitibus, martyrio coronatus. Ista, inquam, non legerat, quisquis erat ille nugator. Excogitauit ergo improbus suæ stultitiæ probabilem narrationem de suggestione huius loci fidelium, & descensu tot militum cum pontifice: sed hæc omnia tam indoctè, tam tumultuosè verbis & sententiis emendicatis & impertinentibus: ita vt qui illum doctè scribere arbitrantur, se ineptos & indoctos fateantur esse, necesse sit. Ita interdum turget, nonnunquam iacet inconcinna & ridicula fabula: quæ neque temporum, neque locorum vllam habet rationem.

At de Petro Romam profecto Lucas nihil.

A quibus papa scelestus moueri loco debeat.

CAP. 6.

SED iam illud videamus, quàm manifestè subuertat seipsam fabulosa narratio, vt nullo deforis esse opus videatur adminiculo, ad reuincendam falsitatem. Prætereundæ sunt ridiculi hominis sine numero ineptiæ, quas in omni narrationis serie continuat, vt vix possit discerni, quid sit altero ineptius. Pulchrè sibi videtur ordiri, quum ecclesiam inuitat ad laudem de triumpho martyrum, vt ridiculò corpori alienum caput adaptet:

Fabulæ de Benedicti martyrio refutatio

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Tumultuationem verborum nihil est opus commemorare: ipsa se prodit. Māgnū aliquid, & sine exemplo præcipuum decus antiquitatis sibi videtur introducere:

vrbem Hamburgum,olim Bochburi Wandalico vocabulo,quod ſonat ciuitatem Dei (Hammonem enim veteres pro deo coluêre in Lybicis arenis. Sed quid hoc ad regionem Aquilonis? Oſtendimus autem aliis locis,huius vrbis appellatio vnde ſit)dicit appellatam:quaſi non intelligamus, vicinos Wandalos ſua lingua inter gentiles ſuos vrbem ſic appellaſſe vicinam,quæ ab Saxonib. incolis & propinquis Hammaburgum diceretur. Adiungit,duo inibi fortalicia ſiue arces extitiſſe. Nam caſtra,ſunt militantium ſtationes ſub diuo. Audierat ille de arcibus, ſed tempora non attendit. Et ideo liberum ſibi putauit,fabulam in quæcunq; tempora transferre. Habent annales noſtri fideliſſimi (quos iſte nugator aut non vidit aut contempſit) ſub Carolo Imperatore præſidium fuiſſe Gallorum militũ in ea vrbe,ſub præfecto,qui proculdubio ſibi munitionem firmauerat aduerſus incurſiones barbarorum. Rurſus ſub Conrado Imperatore,poſt annum Chriſti milleſimum, paucis additis,Bernardum Saxoniæ ducem,Hermãni (quem primus Otto ſublimauerat) nepotem,fundaſſe arcem,imo inſtauraſſe ſubuerſam,Hamburgi,ad Alſtriam riuũ (erat enim vrbs Saxoniæ principi tum ſubdita) Beſelimum quoq; archiepiſcopum Hamburgenſem,præſidium ſibi & poſteris iuxta eccleſiam firmaſſe. Hoc iſte fabulator aſcribit temporib. antiquiſſimis. Sed ineptias,quę errorem pernicioſum non habent,contemnamus,hoc ſolùm commemorantes, quod ineptus homo principium ſuæ fabulæ facit, veniſſe huius loci fideles Romam, & pontifici calamitates ſuas ac ſuorum oſtendiſſe: quaſi pateant aures ſummi pontificis peregrinis omnibus,deuotionis gratia vrbem inuiſentibus. Sed fac eſſe. Cur non, inepte,vicinum ſibi piiſſimum Ludouicum Imperatorem,cuius vis eſſe tempora, implorabãt? qui & potuit,& pro pietate voluit,rebus Germanicis conſulere melius quàm Romanus pontifex? Nam quis credat,papam ad poſtulationem priuatorum hominum, cum exercitu in extremas partes mundi deſcendere? Si non fuit ea tum maieſtate pontifex,qua nunc eſt,quomodo contraxit quem fingis exercitum? Si n erat iam tunc ea poteſtate,qua nunc præſidet Chriſtianiſmo, cur non magis cohortatus eſt Imperatorem & vicinos principes,vt rebus cõſulerent,potius quàm ipſe cum cardinalibus deſcenderet,imperitiſſime mortalium? Non eſt,nec vnquam fuit cõſuetudo Romani pontificis,longè ab vrbe peregrinationis gratia diſcedere. Seruauit Petri ſedem ſemper,quoad licuit à ciuilibus tumultibus, Petri ſucceſſor legitim⁹. Paſſus eſt ſe pontifex ab omni orbe adiri, publica dum fungeretur legatione qui venerat. Nunquam,niſi coactus,papa ab Vrbe longè eſt peregrinatus.

Papæ aliquando non ea poteſtas quæ hodie

Cap. 7. Nunc illud videamus,potueritne ea res ſub Ludouico primo Imperatore(vt memorat fabula) fieri. Certè illius temporibus nullus Benedictus in Romana ſede fuit,teſte Euſebii continuatore. Deinde Anſgarius noſter, ad nouiſſima Ludouici tempora,ac diu pòſt vixit. Vnde conuincitur,ſi ſub Ludouico primo res ſit acta, vidit ea tempora Anſgarius: quod nuſquam in eius vita diligẽtiſſimè ſcripta legitur. Nec potuit ante Anſgarii tempora ſub eodem Ludouico fieri,quum nullus (vt diximus) ibi erat Benedictus per eam tempeſtatem : nec potuit res tam grandis ſine commemoratione præteriri. Sed te quæſo,fabulator, cur non Anſgarius inter tot occiſos pontifices & principes occubuit? An potuit papa ſine archiepiſcopo loci ſtare? aut ita inurbanus erat Anſgarius,qui venienti ab Vrbe ſummo pontifici nec occurrerit,nec affuerit tanto hoſpiti? Credimus papam celebraſſe diuina,vt fabulatur,& non aduocaſſe loci pontificẽ? Si aderat,quomodo elapſus eſt inter tot millia(vt fingis) barbarorum? Si non eſt elapſus,pro martyre eſt colẽdus. At tenemus, quo tẽpore quóve loco in pace quieuerit. Idem de Remberto, aut quouis alio noſtrorum pontificum, cuius dicis fuiſſe tempora, cõtendimus. Erubeſcat impia ſtultitia,& in vmbras abſcedat cum ſua fabula. Prætereo narrationem de Imperatore contendente Romam,vt papam educeret. Imperitiſſime omnium,Imperatores niſi grauiſſimis de cauſis,cum exercitu non ſcandunt alpes. Tu autem deducẽdi pontificis gratia vis Imperatorem tranſiſſe cum agmine alpes, petiiſſeq; Romam ſalutandi eius cauſa. Bilem mihi mouet ineptiſſimi hominis fabula. Quum autem pontificem deduxiſſet in Germaniam, tum eum dimiſiſſe in pace, vt tranſiret vltrà in Saxoniam. Inſanit infelix fabulator, neque locorum neq; temporum habẽs vllam rationem.

Roma Romanorum Imperatoribus vix adeunda.

rationem. Facilius enim erat, papam deducere per Germaniã in vltima Saxoniæ, quàm tranſire Romam,& deducere per Italiam. Primum erat pene neceſſarium ad hoſtes eunti, alterum omnino ſuperuacaneum. Sed mentiẽti tam impudẽter, omnia ſunt cæca: fruſtraq; nitimur in beluam, non verbis, ſed flagris caſtigandam. Tranſeo fabulationem de partu monſtruoſo biennalis fœtus, quamuis videam vnde ſit emendicata. Non enim vim habet ad rem inſtitutam. Quod verò de ſexaginta presbyteris commemorat, miſerabili cruciatu exanimatis pro Chriſto, rem veram narrat: ſed loca & tempora confundit, omnia licentiosè permiſcens, quaſi nõ poſſet argui falſitatis pro temporum vetuſtate. Commemorant fideles annales noſtri, ſub Ottone (qui peruenit ad annum Chriſti milleſimum, annis pene ducentis poſt primum Ludouicum) incentore quodam Godſcalco magni cuiuſdam Wandalorum principis filio, in vltionem à Saxone occiſi genitoris, exarſiſſe in Chriſtianos perſecutionem ſæuiſſimam: ipſosq; vbique à Wandalis trucidatos miſerabiliter, præcipue in ciuitate Aldenburg, quæ tum florebat in littore maris Baltici: (manent exigua veſtigia veteris gloriæ) vbi inter multa occiſorum millia, ſexaginta presbyteros ſeruatos ad ludibrium, ac per plateas oppidorum Wandalicorum, quæ tum florebant (nunc perierunt) miſerabili exemplo excarnificatos pro Chriſto. Ex Aldenburg, non Hamburg, ſub Ottone tertio, non Ludouico primo. Nec tamen negauerim, eam tempeſtatem ſæuiendi effugiſſe Hamburgum. Peruenerant eò graſſatores Wandali, & quos inuenerant, iuxtà omnes contrucidarunt. Ita factum eſt, vt multorum Chriſti martyrum in Hamburgo reliquiæ ſeruentur. Cætera videamus: nihil enim opus eſt rebus manifeſtis diu immorari.

Wandalorum in Chriſtianos ſæuitia.

Cap. 8.

DEBET ſcribenti veniam candidus lector, quòd lacerandæ fabulæ diutius immoratur. Hoc enim pertinacia multorum requirit, exoſculantium hanc fabellam, & pro veritate turgentibus buccis eam efferentium. Ait fictor noſter, ad Benedictum quartum veniſſe ex hoc loco fideles, cum querimoniis ſuper incurſu barbarorum: papam commiſeratum, literas dediſſe ad Ludouicum Imperatorem, vt expediret armorum auxilia pro his locis. Vide quàm inſigniter quadret narratio. Benedictum quartum coniungit primo Ludouico: qui non modò ætate, ſed integro diſtant ſeculo, hoc eſt annis pene centum. Nam iſte quartus Benedictus turbulentiſſimo Italiæ ſtatu vixit: quando non modò cum exercitu non egredi, ſed vix in vrbe conſiſtere potuit, priuſquam per Ottonem res primùm Italiæ pacarẽtur. Quòd ſi exemplantis aut ſcribentis prætendis errorem, pro quintum legi quartum Benedictum, accipio confeſſionem: tecumq; dico, quintum Benedictum veniſſe Hamburgum, ſed exulatum, non pugnatum: ex dolore animi confectũ obiiſſe, non martyrio coronatum: teſte etiam ſcriptura monumenti, quæ non gladio cæſum, ſed quum reuocandus eſſet, mortem obiiſſe commemorat. Sequitur egregia illa Ludouici Imperatoris alacritas, occurrentis ſummo pontifici cum exercitu Romam. Vide quàm inſignem excogitauit artifex noſter hiſtoriam. Imperator in Germania vel Galliis tum potiſſimùm degens, tranſiturus in extrema Saxoniæ cum exercitu, primò vadit Romam, deducturus ſcilicet papam in caſtra. Ineptiſſime omnium, ita es ſtolidus, vt neq; locorum, neq; temporum vllam habeas rationem? Tam tibi facile viſum eſt, cum armato exercitu Alpes penetrare, pertranſire Italiã, quaſi de palatio procedat Cæſar obuius pontifici in atrium? Induſtria ſingulari hoc à te excogitatum eſt, vt narrationem faceres veriſimilem, videlicet non fuiſſe cum tanto comitatu egreſſum pontificem, niſi ab Imperatore deduceretur. Ita non pudet figmentorum, vt de tuo ſenſu, non de rerum pondere, omnia diiudices. Imperatores noſtri non niſi maximis ex cauſis, alpibus tranſcenſis, Italiam penetrarunt. Tibi ſalutandi tantùm pontificis gratia, tantum poteſt ſuſceptum videri laboris? Deinde quia venit in mentem, non in ea ſtrage Hamburgica cecidiſſe Ludouicum, ſeparauit in ipſa peregrinatione Imperatorem à papa: & illum, in vrbe Roma iam accepta licentia à pontifice, remiſſum dicit ad propria, pontificem verò cum duobus cardinalibus, & cum exercitu Imperatoris Alemanniam petiiſſe. Ineptiſſimum caput, neque regionum neque prouinciarum vllam habet rationem.

Nõ ſolùm hîc accepit fabula priſca fidem.

Imperatores ab imperii ſede exulant.

Papa iturus in Alemaniam cum exercitu, à se dimittit Imperatorem, credo nauigaturum in Gallias. Dimittit, inquit, in suas partes: falsò, ineptè, pueriliter. Falsò quidem, quòd nunquam Ludouicus & Benedictus vnà vixerunt. Ineptè, quia eodem ab Vrbe itinere transeundum erat in Alemaniam & Gallias per alpes, quas quum Germania tenebat ditione Ludouicus. Pueriliter autē, quòd sine ratione facit Imperatorem accedere Romam, quem papa descensurus in Germaniam, ex itinere facilè compellasset occurrentem. Inde verò, vbi catalogum facit auxiliorum, quæ papa recensuit ad Albim fluuium, refert qui pontifices vicinarum partium fuerint in comitatu, Didericum, Dodonem, Rembertum, & reliquos. Ex vno subuertuntur omnia. Si aderat Rembertus archiepiscopus Hamburgensis, quomodo Ludouicus poterat superesse, quem Ansgarius, Remberti decessor, viderat tumulari? Et quod somniauit, si aderat cum cæteris, cæsus est, & martyrio coronatus. Errat ergo nostra ecclesia cum Bremensi (in qua tumulum habet) quæ illum in choro celebrant confessorum, tenemusq; locum & tempus exitus eius. Sed reuera Rembertus nō aderat. Fingit ergo, imò mentitur fallendi animo, iste fabulator. nam Remberti tempora non sunt sub primo Ludouico, sed secundo, Lotharii filio.

Cap. 9.

Iam verò videamus vnde sit natus error. Nam cædem multorum pontificum cum Brunone duce Saxoniæ, audierat iste nugator: nam legisse illum quæ scripta sunt, non credo. Et quoniam descendisse papam audierat Hamburgū, & ibi tumulatum, confundit res, loca atque tempora: & confingit cæsum papam cum exercitu Hamburgi, quem in locum venisse papam potuit vndecūq; intelligere. Et quoniam rem illā de cæso cū exercitu pontifice in Hamburgo, pro cōperta habuit, adiecit mendacia mendaciis, Romanos voluisse suorum reliquias in Italiam reducere, sed in Ebbeckstorp currus immobiles constitisse, nec potuisse loco moueri. Pro indignitate fabulæ nausea succrescit scribenti & fabulam retexenti, quòd ita ausit impudenter mentiri in luce clarissimæ veritatis. Iam euidentibus testimoniis constat, in loco Ebbeckstorp commissam cædem in exercitum Christianorum à Danis, quum dux Saxoniæ Bruno cum omnibus pene episcopis Saxoniæ & nobilitate plurima, pro Christo caderet, in eodem loco tumulatus. Inde verò euelli tentatas reliquias, de loco moueri non potuisse, hæc in archiuis dicti monasterii scripta seruantur. Et quis vnquam audiuit, Romanos, quorum vrbs reliquiarum sanctorū plena est, vnquam egressos ad tertium lapidem, pro sanctorum cineribus inferendis? Copia facit eos rem minus pendere. Nullus Romanorum aut Hamburgi aut in Ebbeckstorp cęsus est. Quid ergo attinuit, eos inde reliquias sanctorum afferre? Omitto reliqua huius fabulæ commenta, quæ nulli fidem facere, sed mediocriter doctis risum possunt commouere: tam absurdè cōtexitur fabulosa narratio. Piget autem plura percurrere, in quibus nihil est quod non indignitatem & stomachum concitet viro graui. Contempta igitur & reiecta fabula, qua seipsam (vt mos est falsitati) de vanitate conuincit atq; confodit, veritatis narratione contenti simus. Honoremus sanctos martyres, quos pro Christo sanguinem legimus impendisse: non fingamus nobis idola, quæ nunquam extiterunt. Benedictum quintum, apud nos exilio defunctum, Romanam quondam sedem, pulso Leone octauo, fatemur occupasse: sed in plenitudine potestatis consedisse, Romanæ negant historiæ. Exilio relegatum huc peruenisse, loquuntur cum nostris: martyrio autem coronatum, & illorum & nostri annales pernegant. Ostendimus erroris originem, deteximus apertam fabulæ vanitatem. Si quis autem post agnitam veritatem fabulis delectatus, in illis permanserit, agnoscat in se Apostolicam impleri prophetiam, *Instabunt*, inquit, *tempora periculosa, quum à veritate auersi, ad fabulas conuertentur.* Nemo sibi blandiatur de authoritate veterum: quibus etsi fabula displicuerit, non habebant tamē vnde poterant falsitatem eius coarguere. Sed ætate nostra crebrescentibus literarum monumētis, inexcusabilis torpor est in fabulis sciētes prudētesq; permanere.

Fabulæ miraculorum feraces.

Reliquiæ Romæ copia vilescunt.

Grauissima admonitio.

Cap. 10.

Sed hoc interim vsi diuerticulo, non sine fructu, ad Rembertum nostrum reuertamur. Quum ille per sua tempora in operibus pietatis plurimum exerceretur, præcipua illi cura fuit de redemptione captiuorum. Quumq; plures tenerentur à Danis aut Wandalis, quàm illius possent ære redimi, sacra etiam vasa distraxit, & redem-

redemptioni impendit miserorum: sanctius arbitratus, preciosas Christo animas in libertatem statuere, quàm aurum intra sacrarium congerere. Tantus autem turbo, tunc à Danis atq; Normannis incubuit regionibus, vt non modò Saxonia, sed & Frisia inuiis paludibus inaccessa popularetur: Traiectum ciuitas excisa. Sanctus Rabodus vrbis episcopus, persecutioni cedens, Dauentriæ sibi constituit mansionem. Quo tempore iidem grassatores Coloniam & Treuiros incenderunt, Aquisgrani palatium Magni Caroli iumentis suis stabulum sternunt, & in ea vastitate locus permansit per annos octuaginta, vsque ad ætatem magni Ottonis. Moguntia propter eorundem hostium metum cœpit instaurari. Vrbes cum ciuibus, episcopi cum totis sunt obruti populis. Illustres ecclesiæ cum plebe concurrente incensæ. Hæc tragico digna boatu, nos perstringentes breuiamus. Vnum verò memorabile in laudem sancti Remberti non prætereundum, quod Bauo Corbeiensis abbas de sui temporis mirabilibus actis perscribit. Quum, inquit, nostro tempore grauis barbarorum irruptio in omni pene Francorum regno immaniter debacharetur, contigit eos diuino iudicio ad quendam Frisiæ pagum peruenire, qui in remotis ac mari magno vicinis locis situs est. Nordwide locum vocant incolæ, quē tunc euertere barbari sunt aggressi. Erat in eo loco Rembertus episcopus, cuius adhortationibus & monitis confortati agricolæ, & regionis indigenæ Christiani, hostibus sunt congressi, & prostrauerunt ex illis XM. CCCLXXVIII. Plures etiam, dum fugæ quærunt præsidium, in transitu fluuiorū enecati. Cuius rei miraculo per tempora multa, merita sancti Remberti penes Frisones egregia, & nomen eius singulari quodam gentis excolitur desiderio: adeo vt collis, in quo sanctus orauit dum pugnaretur, perpetua cespitis viriditate notetur. Multis præterea sanctū suum miraculis Dominus etiam viuentem illustrauit. Nam oratione sua tempestatem sæpe maris complacauit: cæcum illuminauit per confirmationem, quam episcopali more compleuit in illo. Sed & filium regis Franciæ à dæmonio liberauit: vbi multis adstantibus episcopis, spiritus immūdus sæpe ex ore vexati clamabat, Rembertum inter eos solum dignè commissum absoluisse officium, ipsumque sibi esse cruciatui. Ille mendacem & patrem mendacii protestatur. Quem dæmonio liberauit, Ludouici Germaniæ regis filium esse Carolum multi tradunt, qui nouissimis Remberti temporibus regno depositus, Arnulphum Germani sui filium accepit in Imperio successorem. Francorum historia ea gesta memorat in Francofordia, anno regis Ludouici XXXIIII. quem annales antiqui Cæsarem vocant, non quia Romanum aliquando administrarit imperium, sed quia in diuisione limitū inter fratres hoc illi honoris gratia attributum est cognomen, quasi secundam à fratre Lothario Imperatore Augusto gereret dignitatem. Solebant enim aliquot seculis dici Cæsares, qui sub primis Augustis proximam tenerent administrationem. Nam Diocletianus commilitonem aliquando suum Herculeum Maximianum, primò Cæsarem, postea creauit Augustum: & ambo iam Augusti faciebant Cæsares Maximinum atque Constantium: quod Italorum narrationes explanant.

Aurum ecclesia habet 12. q.2.

Remberti miracula.

Ludouicus Cæsar, nunquam tamen imperator.

CAP. II.

Dania iam Christiana, persecutores tamen protulit.

MOVET fortasse lectorem, quum sancti patres Ansgarius atque Rembertus, crebra legatione prædicantes in Dania atque Suedia, Christi fidem amplificarent, erectis per regna & prouincias ecclesiis, ac consecratis inibi pontificibus: quomodo ex illis regnis iam Christi iugo mansuefactis, tanta est facta eruptio barbarorū, Christianismum persequentium. Certè rei nouitas in religione, & regnorum amplitudo, facilè ista fieri sinunt, vt alii Christo credentes, domi sederent quieti: alii indomitis ceruicibus, tanto sæuirent acrius, quanto dolerent, propulsis antiquis suæ gentis superstitionibus, Christi fidem vbiq; iam conualescere. Quippe dulcedine prędæ iamdiu innutriti, non facilè animum religioni subdidere, nec à consuetudine latrocinandi diu poterant dimoueri. Ad Rembertum reuertamur. Erat ille cum Moyse vir mitissimus, qui cum Apostolo omnium infirmitatibus compateretur, pręcipuam curam habens in eleemosynis pauperum, & in redemptione captiuorum. Nam quum quadam vice in regionem Danorum peruenisset, vbi ecclesiā nouellæ plantationis visitabat in Sleswico, vidit multitudinem Christianorum catena trahi captiuam, quos per litora digrassati, aut in ipso mari nauigantes

Dani ceperant. Quo in loco duplici miraculo, & catenam oratione perfregit, & equo in redemptionem miſerorum tradito, captiuos laxauit, placauitq́; feroces animos barbarorũ. Sunt & alia multa, quæ de ſancto viro copioſe in vita eius ſunt exarata: in quibus & illud eſt memorabile, quòd presbyteri nuper defuncti animam

Remberti res geſtæ.

(quia ſic in viſu apparens ſupplicauit) XL. dies in pane & aqua ieiunans, à tormentis abſoluit. Prædeceſſor eius quum quatuor fundaſſet cœnobia, ille vnum addidit in ſolitudine Bucken. Cæterùm omnium vigilem ſolicitudinem implens, Hamburgenſis cathedræ præcipuam egit curam, tam fratribus quàm pauperibus neceſſaria miniſtrans. Xenodochium Bremæ, quod ad ſuſtentationem pauperũ ab Anſgario eſt inſtitutum, ipſe inſigniter auxit: & non modò in ſuo epiſcopatu, ſed vbicunque erant pauperes, alimoniam illis cum omni vigilantia curauit exhiberi, nobile poſteris verbum exhortationis relinquens. Non eſt, inquit, hæſitandum, cunctis ſubuenire pauperibus: quia in quo ſit Chriſtus, ſeu quando ad nos venit, ignoramus. Eleemoſynam verbi inceſſanter omnibus miniſtrauit: in quod opus dicta S. Gregorii ſæpe replicauit, quæ etiam manu ſua deſcripſit. Epiſtolæ eius diuerſæ, ac plures. Præcipua quędam ad virgines, in qua virginitatem corporis attollens, oſtendit multas mente abire in Ægyptum. Tandem confectus labore & ſenio, quos per ſe nõ potuit, per Adalgarium coadiutorem ſuum in Domino confortauit, quẽ etiam manibus regis commendauit. Exceſſit autẽ ex hac luce, anno Chriſti DCCCLXXXVIII. indictione ſexta. Cuius depoſitio III. Idus Iunii celebratur. Sepultus

Remberti mors ac ſepultura.

888.

eſt extra baſilicam ſancti Petri ab Oriente, vt rogauit. Sedit in archiepiſcopatu annis XXIII. Monſtrat temporum ratio, ſtragem illam in Ebbeckſtorp Chriſtiani agminis cum duce Brunone (de qua ſuprà, & in Saxonia noſtra plenius) fuiſſe temporibus Remberti. Nam ea obuenerat anno DCCCLXXVI. in morte Ludouici regis Germaniæ, quem ſolum Dani formidauêre.

CAP. 12.

HILDESEMENSI eccleſiæ quart[9] ſurrogatur Eboni Gallo, Alfridus, vir memorabilis, ad annum circiter DCCCXLVIII, quum rebus per Germaniam potiretur Ludouicus, Ludouici Imperatoris filius. Erat hic Alfridus profeſſione monachus, vir in diuina religione feruentiſſimus. Hic eccleſiam ſuam cohoneſtare volens, à fundamentis eam curauit inſtaurandam. Primordia rerum exilia, paulatim creſcente religione, & efferueſcente populi deuotione, in meliorem formam trãſeunt. Præfuit autem in vniuerſum annis XXVIII. Sed quatuor ante exitum vitæ annis opus fabricæ impleuit, & eccleſiam ipſe ſuam conſecrauit. Tumulatus in eadem anno LXXVII. Quo tempore ſtrages illa fuit memorabilis ſub duce Brunone, in loco Ebbeckſtorp. Potuit autem hic ſanctus agmini intereſſe ſanctorum. Sed

Monachi ab armis abſtinent.

monachalis profeſſio, & ætas ſenilis iam feſſa, armis eum carnalibus intereſſe non patiebãtur. Grauis & diuturna fuit illa prouinciarum calamitas, ſub Danis & Normannis. Nam in Friſia (quod diximus) orationibus Remberti potius quàm armis repulſi, in omne imperium Romanum ſe vindicare conſtituerunt. Cum regibus Sifrido & Godfrido, per Rhenum & Moſam & Scaldim fluuios, Galliam inuadentes, miſerabili cæde Chriſtianos obtruncauerunt, ipſumq́; regem Carolum (is erat Caluus, pòſt imperans) bello petentes, ludibrio Gallos habuerũt. In Angliam quoque partem copiarum mittentes, ducem præfecerunt Haldanum: qui dum Anglis congreſſus occideretur, Dani in locum eius Gundredum conſtituerunt. Is autem Nordhumbriam expugnauit, atq; ex illo tempore Friſia & Anglia in Danorum ditione eſſe cœperunt. In hæc tempora incidit illa grauis eccleſiarum Colonienſis & Treuirenſis perturbatio, quum Lotharius Lotharii Imperatoris filius, alterius Ludouici iam Imperatoris frater, propter ſanguinis & potentiæ ſublimitatem, omnia

Diuortium epiſcopi immeritò approbãt.

ſibi reputans licere, Tebergam vxorem dato libello repudii dimiſit, & Gualdradã Boſonis, viri potentis per Galliam, ſuperduxit filiam, conſilio (vt ferebant) Regnaldi Treuirenſis, & Gunthari Colonienſis archiepiſcoporum, qui in cõcilio Metenſi id approbarunt: propter quod ab Nicolao Papa excommunicati, & eccleſiis ſuis ſunt priuati. De quo in Decretis. Erat autem tum omnis Tranſrhenana prouincia ſub regno Lotharingiæ, vt archiepiſcopi quoque ei regno coniuncti haberentur: nunc autem diu erãt in ditione regni Romanorum. Quo etiam tempore gens Bulgarorum

garorum (Wandalorum quoq; natio) ad fidem Chriſti cum ſuo rege peruenit: qui adeo efferbuit religione, vt maiore filio in regnum coronato, ipſe ingreſſus religionem, Deo ſe totum obtulerit. Quumque intelligeret regem filium relabi in paganiſmum, dimiſſo ad tempus monaſterio, arma induit in filium: eoq; capto & exoculato, minorem filium regno præfecit, regreſſus in monaſterium: quod & in Wandalia diximus.

Pater monachus arma in filium impiū ſumit.

Cap. 13.

Hildegrinus, quartus in eccleſia Halberſtadenſi epiſcopus, præfuit eccleſiæ ſuæ annis XXXIIII. Per cuius tempora fuit illa Danorum in vicinas prouincias excurſio frequens, & illa inſignis ſtrages, in qua dux Saxoniæ Bruno cecidit in loco Ebbeckſtorp. Iam tunc verò Ludouicus Germaniæ rex, filium Ludouicū miſit cum exercitu in orientales Wandalos, qui ſunt Poloni, & Pomerani: à quib. reuerſus victor, quum apud Saxones diuerſaretur, Luitgardam filiam Ludolphi ducis (quæ fratrem haberet memoratum Brunonem) duxit vxorē. Memorabilis temporum illorum refulgentia: vnde apparet, duces Saxoniæ iam tum fuiſſe in ea regum æſtimatione, vt nuptiis dignarentur filias eorum & toro coniugali. Celebratæ ſunt nuptiæ in arce Aſchaphenburg, in orientali Francia, quam nunc corrupto vocabulo Franconiā dicunt, Gallis auferentibus vetus & verum nomen. Hic eſt ille Ludolphus, ex ſemine Wedekindi pronepos, Brunone patre, patruo Waltero, auo Wickberto, Wedekindo autem proauo: qui Ludolphus reliquit hanc poſteritatem: filiam Luitgardam regi nuptam Ludouico, Ludouici regis filio, primi autem Ludouici Imperatoris nepoti. Habuit idem & Brunonem (cæſum à Danis) filium, & Tanquardum, qui ſine prole deceſſerunt: & Ottonem Henrici, primi regis ex Saxonibus, patrem, ex quo natus eſt Otto Imperator. Quam lineam etſi in Saxonia attigerimus, operæ tamen precium pluribus eam locis legi, vt antiquæ nobilitatis ſtemma in principibus Saxonum agnoſcamus. Hoc etiam tempore Lotharius Lotharingiæ rex, filius Imperatoris Lotharii, qui de cōtemptis iuſtis, & initis nuptiis illicitis, à ſummo pontifice notatus erat, tanti habuit mandatum Eccleſiæ (in quo contempto pœnas iuris aliquandiu induratus ſordidatusq; ſuſtinuit) vt nunc Romam profectus, ſummum placarit pontificem: & reuerſus in Longobardiam, finem viuendi fecit, & apud Placētiam tumulatur. Quumq; virilem prolem non haberet, Ludouicus rex Germaniæ, & Carolus Caluus rex Franciæ, Lotharingiæ regnum diuiſerūt. Primus eſt hic ingreſſus Germanorum in prouinciā Tranſrhenanam. Hactenus enim limes vtrorumque Rhenus erat: nunc eo tranſito, in Vltrarhenanis Germani ditionem habere cœperunt: quam deinde Henricus pater & Otto filius, Romanorum & Germanorum principes, auxerunt. Quod in Saxonia diximus: & infrà ſuis locis, vbi opportunitas euenerit, non tacebitur.

Saxonum antiqua nobilitas.

Germani regiones trans Rhenum occupare quando cœperunt.

Cap. 14.

In Hildeſemenſi eccleſia per idem tempus poſt Alfridum præfuit Marquardus, vir Deo & cœlo dignus, qui agmini ſanctorum interfuit ad annum Chriſti DCCCLXXVI, in Ebbeckſtorp pro Chriſto cæſus. Aliquando ciues eius, cupientes ſacras corporis eius reliquias digno apud eccleſiam inferre ſepulcro, diſcernere non poterant congeſta virorum corpora. Hoc tempore ſub Caluo Carolo initium habuit comitatus Flandriæ. Erat quædam nobilitas non magna, quæ in angulo Flandriæ conſedit, non longè à Curtraco. inde filius egreſſus, audax facinus peregit. Nauigabat ex Anglia filia regis Francorum (iam etiam Imperatoris) Caroli Calui, defuncto marito Angliæ rege vidua, repetitura lares paternos: appulſa eſt in portum Flandriæ, Geſſoriacum dixere veteres, memorabilem portum Sluſæ. Aderat Balduinus filius foreſtarii, nobilis viri, qui Flandriam adhuc incultam, venationi potius quàm negotiationi expoſitam, gubernabat. Iuuenis regiam puellam annis necdum egreſſis iuuentam, interpellat de nuptiis, volentem nolentemque rapiebat. Indignatus pater de audaci facinore, quòd id auderet in Imperatoris filiam, vnde priuatus quiſque ad vindictam conſurgeret. Sed ea tum fuit Normannorum, Danorumque à mari inſolentia, vt duceret pro optato, qui graſſatores arceret, habere virum fortem & ſtrenuum: eamque prouinciam proinde Balduino, iam genero, commendabat, creans comitem, qui pridem erat foreſtarius, hoc eſt regius venator. Erat ea in officiis non minima etiam tum dignitas, quo modo nunc

Comitatus Flandriæ initium.

Saltuarii dignitas nō parua.

c

inter electores principes alius est dapifer, alius ensifer, alius pincerna, item alius camerarius. Per eandem quoque tempestatem Ludouicus, rex Germaniæ, filiis suis partitus est regnum: Carolo, qui pòst imperauit, Lotharingiam (quæ, moriente sine liberis Lothario, Lotharii Imperatoris filio, quum post reconciliationem ab vrbe venisset in Placentiam,***) Carolomanno Bauariam, reliquas partes Ludouico. Ducatus tunc Thuringiæ diuisus est à Saxonia, quum illum Ludouicus rex permitteret Catolpho nobili: & stetit in titulo ducatus per annos multos. Nam Innocentius Papa tertius, scripsit nobili viro duci Thuringiæ, vt legitur in suprascriptione, *c. Venerabilem. De elect.* Sed postea mutatus est, vt diceretur comes prouincialis (quod alii non bene dicunt Latinè landtgrauium) in quo permansit vsque hodie.

Thuringia ducatus, pòst comitatus.

CAP. 15. PADERBVRNENSI ecclesiæ post Baduradum Saxonem (qui annis præfuit XLVIII.) tertius præficitur Luitharius. non memorant vnde ortus: sed quia annis præfuit XXIII. non tacent annales. Normanni eo tempore grassati sunt per prouincias, iam etiam ausi post Ludouicum regem incessere Germaniam, Galliis tamen acriores, quàm vlli prouinciæ, imminebant. Nam in Cœna Domini (quæ obuenerat ad IX. Aprilis) obsederunt insignem ac veterem vrbē Treuerim: Bartholdus archiepiscopus vix manibus eorum elabitur. Die Paschæ captam ciuitatē succenderunt, pòst prædam & ingentem hominum cædem. Iam Francia iterū in Germanorum manus reciderat. Nam Balbus Ludouicus, filius Caroli Calui, non diu superstrat patri: & reuersum est Franciæ regnum ad Ludouicum, Ludouici Germaniæ regis filium, qui fratres habebat Carolomannum in Bauaria regnantem, & Carolum Grossum, qui tum erat post Caluum in Romano Imperio. Hic est ille Carolus, qui Normannis Danis permisit regionem maritimam inter Sequanam & Ligerim, quæ ab illis nomen sortita, vsque in hodiernum appellatur Normandia. Eam verò rem latius in Norwagia sumus ex ordine prosecuti, nunc breuiter signantes tempora. Mouit tum omnes principes ignauia Imperatoris Caroli, quòd negligenter ageret, neque Franciæ, neque Teutoniæ, neque vniuerso Romanorum regno satisfaciens. Vnde quum in eo res esset, vt à principibus destitueretur, ipse præueniens honori suo consuluit, cedens potius quàm destitueretur. Status tum Galliarum is erat, vt tum regem puerum haberent Carolum vix triennem, filium Ludouici Balbi, nepotem autem Caroli Calui. Vto autem vir militaris & strenuus à nōnullis Galliarum principibus rex creatur in palatio Compendii. Hic patrem habuit ex equestri ordine Robertum, auum verò paternum Wedekindum, ex Germania profugum. Sed eam nunc rem sola temporum commemoratione contingimus, non professi Galliarum res gestas prosequi, nisi quantum pertinet ad reprimendam Gallorum superbiam: qui præ se (si diis placet) contemnunt Germanos, vt audiant etiam nunc sanguine cretum Teutonico, quem proceres sibi regem fecere Franciæ.

Normānis Regio in Gallia attributa.

Regi puero regnum rapitur

CAP. 16. TERTIVS tum præfuit ecclesiæ Mindensi episcopus Theodoricus, qui incidit in grauissima tempora (quæ proximè diximus) grassantium Normānorum: nam sic Danos appellāt Galli. Nec modò interfuit, sed etiam præfuit glorioso Christianorum agmini, cæso ac tumulato in Ebbeckstorp. Annalis per inscitiam temporum & rerum, hostes fuisse contendit Vngaros. Sed illi multis pòst annis descenderunt, quum rebus per Saxoniam præesset Henricus primus Saxoniæ dux, inde Romanorum rex, pater primi Ottonis Imperatoris. Normanni ergo fuêre, qui hanc stragem peregerunt: in qua inter cæteros occubuit gloriosus pontifex Theodoricus (sub duce Brunone, qui nomen reliquit oppido Brunswico) vnà cum cæteris coepiscopis, Marquardo Hildesemensi, Drogone Osnaburgensi, Dudone Paderburnensi (quem ego Luitharium accipio, vt fuerit binominis: aut Bisonem eius successorem. Res enim apud homines in incerto remansit) Aufredo Traiectensi: eum nominat annalis Rembertum Hamburgensem. Certum est, vixisse tum Rembertum, & ecclesiæ præfuisse: sed huic agmini non aderat, interim in Phrisiis conflictatus armis suis (hoc est lachrymis & precib.) alteri agmini horum hostiū, quod in Remberto diximus. Aderat Erlulphus Verdēsis, & plurima Saxonum nobilitas, vna

Annalium error.

Lachrymæ & preces quorū sint arma.

vna tum cæde martyrio conſecrata, & in loco cædis tumulata: quam ego prima Augusti peractam crediderim, quòd plurima inde ſint indicia. Nam de cæde pontificis ſummi in Hamburg, pudenda fabula iam (vt confido) exploſa eſt. Hic ergo pontifex ſanctus, Deo conſecratus martyr, locum tegit corpore, quem in acie cadens accepit, expectans nouiſſimam tubam. Voluère Mindenſes corpus ſui pontificis de ſtrage vendicare. Sed iam tanta fuit poſt cædem ex vulneribus & tumore defor matio, vt diſcerni non potuerit ab alterutris. Locum ergo martyrii ſui tenet in Ebbeckſtorp. Nam eius rei geſtæ hiſtoriam nuper digeſſi ſacris virginibus in eo loco, ad perpetuam rei memoriam, & ad eliminandam fabulam (quæ hactenus pro vera habita eſt) de aduectis eum in locum reliquiis ab Hamburg: quæ tota res fabuloſa eſt, & pudenda, vt ſuprà oſtendi.

OSNABVRGENSI tum eccleſiæ molitione Cobbonis viri nobilis (comes in Tekeneborch creditur extitiſſe, qui ſub Germaniæ rege Ludouico, Imperatoris Ludouici filio, multa poterat in hoc terræ angulo) præficitur Goſbertus, pridẽ epiſcopus ordinatus in Sueonia (Suediam noſtri vocant) in qua primus Anſgarius prædicauit verbum Euangelii, conſecrauitq; epiſcopos. Sed per hæc tempora turbatis nouis in Suedia Chriſtianiſmi rebus, Goſbertus pridem conſecratus epiſcopus, prouincia extruditur, confugitq; ad cõſecratorem ſuum Anſgarium, legatum apoſtolicæ ſedis per omnia regna Aquilonis: quem ipſum vel in vltimis temporibus agentem, vel ſucceſſorem eius Rembertum in primis eius annis reperit, & ab altero commendatus eſt ad vicinam tunc vacantem eccleſiam Oſnaburgenſem. Non incommoda res viſa eſt Cobboni comiti, talem eccleſiæ videre pontificem, qui non magnopere inſtaret pro recuperatione decimarum & prædiorum, quæ ille monaſteriis Corbeiæ & Heruordenſi applicuiſſet. Facilè ille ceſſit poſtulationi: effecitq; apud cæteros (præſertim apud Ludouicum Germaniæ regem) vt conſentirent in Goſbertum, eccleſiæ Oſnaburgenſi tum præficiendum. Præfectus eſt eccleſię, & illam per annos decem, à LXIIII. ad LXXIIII. gubernauit. Quo quidem anno iam mortuo optimo Germaniæ rege Ludouico, fortiſſimo ad arma ductore, qui per ſua tempora talem ſe gerebat æquabili iure, talem etiam (vbi opus euenerat) oſtendit in armis, vt pacem vndiquaq; compararet Germaniæ: continuere ſe Dani (quos Gallici ſcriptores vocant Normannos) ne per tempora regni eius excurrerent. Ita reges eorum quadam leniuit humanitate, miſſis muneribus, & viciſſim receptis, vt nulla per eius tempora eſſet Danorũ commotio. Illo verò per hæc tempora moriente, iam (vt videbatur) deiecto repagulo, Dani multis millib. armati, exierunt in Germaniam. Proximus illis curſus erat à mari in nouam Saxoniam, quæ tunc ſola nomẽ retinuit. Nã vetus Saxonia nomen amiſit, & amat vocari Weſtphalia. Hic ſe, duce Brunone (qui erat ex ſtirpe Wedekindi, Magno Carolo confligente) Chriſtianum nomen armauit, animauit, & in agmen fidele concurrit. Multi fuerant pontifices, multi comites & nobiles: qui vna cęde mactati à Danis infidelibus, in loco Ebbeckſtorp (nunc ſanctimonialiũ locus eſt) occubuerunt pro Chriſto. Quibus etiam interfuiſſe Goſbertus Oſnaburgẽſis creditur epiſcopus, vnà cũ Cobbone comite. Nam tempora exitus, prę ſertim epiſcopi, incidunt in eundẽ annum LXX. poſt DCCC. Cobbonis tamen anni decennio poſteriores ſignantur. Et potuit error eſſe in illa conſcriptione. Nam quũ eſſet nobilis & potens in Chriſtianiſmo, creditur nõ defuiſſe illi ſanctiſſimo Chriſtianorũ agmini pro Chriſto cæſo.

Cap. 17.

Epiſcopi quidam decimarum auidiores

Saxonia quæ olim fuit, hodie Weſtphalia eſt.

IN Mimigardeuordenſi, nunc Monaſterienſi, quintum locum tenuit Bertholdus, vir eximiæ deuotionis ac ſanctitatis. Per tales enim patres, morum grauitate & vitæ munditia præditos, iacere placuit Altiſſimo fundamẽta eccleſiarum per orbem, non tam marmore & auro rutilantia, quàm doctrinæ & virtutum miraculis redundantia. Serpſit ea ætate per multos lachrymabilis morbus de tumore linguarum, vindicante fortaſſe occulto iudicio rerum arbitro Deo, linguarum loquaciũ pernicioſa venena. Intumuit in ore lingua maximo dolore, nec valuere medicorũ vlla remedia, donec Bertholdo in Deum reſpicere iubente, quum litanias & ieiunia populo indiceret, plaga ceſſaret. Solet per annorum vices, ſiue occulto naturæ tramite, ſiue vindice Deo, tale quid in terrarũ orbe inter homines incerta origine

Cap. 18.

Morborum popularium obſcuræ cauſæ.

deſæuire,vnde nulla prodita ſunt artis remedia. Quod Plinius de mentagra teſtatur,& noſtra experiuntur tempora de venenatiſſimis morbillis:malũ Gallicum dixere,quod in ea gente primùm ſe prodidit,ſed nunc per Italiam Germaniamq; latè diffunditur,cum multorum miſerabili pernicie & infinito dolore.Sanantur nõnulli,& potiſſimùm qui minimè pugnant in hoc malum.Quibus verò penitus inſedit,quo magis laborant in ipſum,eo grauius experiuntur hoc malum. Multi etiam morte abſumpti,præſertim ſi in prouecta iam in ſenium ætate hominem comprehendit. Hæc ſunt illa tempora,quibus Arnulphus filius Carolomanni, nepos Ludouici Germaniæ regis,quum Saxoniã teneret Otto ſenior,qui filium habuit Henricum primum Germaniæ regem:ſed iam potito rerum Arnulpho, Gallicæ originis homo Theutonicus (ſub quo attritum diu à Normannis & Danis ſæuientibus regnum reſpirauit,& lacertos mouit) ſæpe congreſſus fudit hoſtes, non incruenta ipſe potitus victoria.Semel cõflictatus,tantum ſanguinem extorſit perfidis,vt multa millia caderent,& ex regiis valde pauci deſiderarentur.Facti ſunt proinde timidiores,quamdiu regnauit Arnulphus. Iam tum celebre emporium Francofordia, quaſi in meditullio ſitum Germaniæ, locus deligendi Imperatoris exinde haberi cœpit.Nam primus ibi Arnulphus deligitur imperator. Coronam tamen non niſi octauo regni ſui anno accepit à pontifice:tantum illi laboris erat in regno, vt non ſupereſſet ocium videndi Italiam.Quanquam & ibi otium nõ eſſet.nam & Berengarius primus ſe erexit in Lombardia:& Witto,gentis Longobardicæ vir nobilis, eccleſiam premebat.Sed conflictatus primum Morauis (quos rebelles regno reperit) ingreſſum dedit Vngaris in regnum:quod in Saxonia diximus. Deinde verſus in Italiam cum grandi exercitu, cõflictatur cum Wittone in Longobardia, ad quẽ confugerat Bernardus Caroli Groſſi filius:ſed ſuperabat ambos Arnulphus. Papa autem Formoſus,magnitudinem reueritus exercitus Germanici(quòd nedum hoſtibus, ſed etiam ſubditis grauis timeretur) orabat vt reduceret exercitum in ſua,iam ſecurus ab hoſte.

Francofordiæ Imperator deligendus.

CAP.19. HAMBVRGENSI eccleſię poſt Rembertum præficitur Adalgarius,vir Deo deuotus,ex Corbeienſi cœnobio,datus comes rogante Remberto,& laboris ſocius,& in ſenectute adiutor,& pene rerum omnium adminiſtrator: quum hoc à regibus Germaniæ oraret & impetraret Rembertus,vt etiam ſuo conſilio dignarentur iam tum adiutorem Adalgarium. Sedit in archiepiſcopatu annis XX. Ferulam paſtoralem accepit ab Arnulpho rege (hoc enim erat tum ſignum infeudationis) pallium pontificale à Stephano Papa,VI. eius nominis. Conſecratus eſt autem à Moguntino archiepiſcopo Lindroldo,ſeditque difficili tempore barbaricæ vaſtationis.Nec tamen legationis ſuæ ad gentes ſtudium omiſit: verùm ſicut prædeceſſores ſui ad hoc conſtitutos habuere presbyteros,& ipſe habere curauit.Anno autem Adalgarii VII. Hermannus Colonienſis archiepiſcopus magnis illum fatigabat iniuriis,Bremam Coloniæ denuo ſubiugare conatus. Sæpius ea de re vocatus in iudicium aderat,Wormatiæ priuilegia ſuæ eccleſiæ allegabat: ſed non acquieuit Colonienſis,neq; ceſſauit ab impetendo,donec apud ſummum põtificem Formoſum efficeret,& Arnulphum regem Romanorum interponeret cauſæ ſuæ, vt collecta apud Triburiam ſynodo,authoritate ſummi pontificis priuilegia Bremenſis eccleſiæ caſſarentur:in quo pariter glorioſorum principum caſſata fuerunt pręcepta.Inde facta omnium ſubſcriptione, Adalgarius, qui archiepiſcopus aduenerat,poſitus eſt in ſubſellio nouiſſimus.Fabula grandis de Adolino & Widgero,qui diſceptantes ad ſpectacula ſynodum traxerunt: tragœdia lugubris,victum Widgerum,& poſtero die mortuum. Deinceps autem, ſub Adalgario & Hogero omni tempore Brema Coloniæ fuit ſuffraganea. Miror autem hæc ita ſcripta in annalibus,quum extet copia bullæ, ab eodem Papa Formoſo emanans, quæ longè aliter rem geſtam eſſe oſtendit.Ipſe loquatur Formoſus in apoſtolicis literis:quib.maior eſt fides,quàm vllis annotationibus temporum. Sic enim ſe habet eius cõtinentia:

Infeudatione episcopus à rege accipit.

Brema Coloniæ per factionem ſubiicitur.

CAP.20. FORMOSVS epiſcopus,ſeruus ſeruorum Dei,reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Adalgario archiepiſcopo Hamburgenſi,ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Arbitrabamur tuam ſanctimoniã,prout iniunctũ fuerat,ad Apoſtolicã te ſe-

Formoſi papæ ad Adalgarium literæ.

dem feſtinare, quatenus diſceptatio, quæ inter te & Hermannum Agrippinæ Coloniæ reuerendiſſimum archiepiſcopum ventilatur de Bremenſi eccleſia, finem perciperet. Sed eo per vicarios inſiſtente, & querimonias multiplicante, cur tuam non exhibueris præſentiam, ſaltem per defenſorem vicarium, non modicum miramur. In quo ſuſpicari tribuitur, ſummopere contentionem non odire, qui iudicii æquitatem conatur ſubterfugere: præſertim quum & Moguntię ſanctiſſimus archiepiſcopus (cui de hac re, vt veritatem inquireret, per confratres & collimitaneos epiſcopos iniunctum fuerat) ad nos ſcribens ſignificauerit, quatenus venientibus reuerendiſſimis epiſcopis ad Frankeneuord, de hac eadem re diligentiſſimè facta fuerit inquiſitio: omnesq; diœceſani eiuſdem Colonięſis archiepiſcopi, Franco videlicet Tungrenſis, Vodebaldus Traiectenſis, Woſelmus Mimigardeuordenſis, Drugo Mindenſis, Egelmarus Oſnaburgenſis, ſub teſtificationis prætextu, teſtificati ſunt, vſque ad te nullum Bremenſis eccleſiæ præſulem, modum ſubiectionis Colonienſi antiſtiti contempſiſſe: ſed ſemper prædeceſſores tuos, qui eidem Bremenſi eccleſiæ præfuerunt, à temporibus ſuæ Chriſtianitatis, ſedi Colonienſi fuiſſe ſubiectos. Verùm, quia tantorum virorum teſtimonium fruſtrari non expedit, & ad ſtatutum veniendi tempus feſtinare, vel delegare vicariũ diſtuliſti: tanti temporis querimoniam, ac legatorum conſtantem inſtantiam nihili pendere, inhumanum videbatur. Quapropter arctati, hinc, ne Colonienſis eccleſia iuſtitiam perderet: inde, ne Hamburgenſis eccleſia (quæ ad gentium vocationem inſtituta fuerat) ſubſidio deſtituta deficeret: diſpenſatiuè cenſuimus, quatenus quoaduſq; diuina ſuffragante gratia præfata Hamburgenſis eccleſia intantum dilatetur, vt epiſcopia inſtituere valeat, iam memoratam Bremenſem eccleſiam ad ſubſidium habeat: & quoties in magnis & prænecceſſariis canonicis negociis oportuerit, non ſubiectione aliqua, ſed affectu fraternæ charitatis, Hamburgenſis archiepiſcopus (qui eiuſdem Bremenſis eccleſiæ regimen obtinet) per ſe aut vicarium, ſuam vicem gerentem, in adiutorium Colonienſis archiepiſcopi inuitatus accedat. Dilatata autem Hamburgenſi eccleſia, largitore bonorum omnium adminiculante, & fundatis epiſcopiis, ſæpe memorata Coloniæ ſedes Bremenſem recipiat eccleſiam. Inhumanum enim eſt inter ſeculares aliena iura peruadere: quanto magis ſanctiſſimorum epiſcoporum ſtatutos à patribus tranſgredi terminos, & eos litigare, qui pacis debent ſubditis exempla præbere? Hæc autem ad hoc decreta eſt diſpenſatio, vt pax vigeat, ceſſet contentio, & iuſtitiæ rigorem miſericordiæ compaſſio temperet: ſcientes, ſine pacis bono nullum Deo munus fore acceptabile. Nulli igitur omnino hominum, &c.

Turpe, ſed frequentiſſimu, epiſcopos de finibus inter ſe contendere.

Cap. 21.

MIRVM, quomodo tam breui abolita ſit memoria conſtitutionis, quam ſuper eadem re protulit Nicolaus Papa primus, non totis triginta annis ante hunc præſidens. Vbi literæ deſuper datæ, ſi in archiuis eccleſiæ Hamburgenſis, aut maioris ſecuritatis gratia in Bremenſi ſeruabantur, cur non ſunt proditæ ſuo tempore, vt tanto præiudicio fuerit occurſum? Sed eſt quod ex temporum qualitate coniectem potius quàm legerim. Ea tempeſtate erat magna regum ſuper eccleſiis diſpoſitio: nam vacantibus dabant ipſi pontifices, quos à Papa confirmari poſcebant. Ita commendatus eſt Anſgarius ad Hamburgenſem eccleſiam ab Ludouico Imperatore ſummo pontifici Gregorio: ſic ad eandem idem Anſgarius commendatus eſt ab Ludouico rege pontifici Nicolao, & ita reliqui omnes. Vnde coniectura eſt, literas Nicolai ſuper vnione eccleſiarum Hamburgenſis & Bremenſis, ad Ludouicum eſſe regem perlatas, & apud illum conſeruatas, ac per mortem eius diſſipatas, in manus eorum veniſſe qui abuterentur. Ita non potuit tum Hamburgenſis eccleſia euadere ſubiectionem Colonienſis archiepiſcopi, aut vt illi velut ſuffraganea pareret (quod prima habet narratio) aut pro eccleſia Bremenſi recognoſceret illam ſuperiorem, quoad Hamburgenſis creſceret in prædiis: quod multo veriſimilius habet teſtimonium Bullæ Formoſianæ. Vtcunque fuerit, res in eo ſtatu perdurauit vſque ad Albertum Hamburgenſem archiepiſcopum, qui pariter ſummo pontifici atque Imperatori Henrico IIII. percharus, effecerit vt in ſuam dignitatem Hamburgenſis rediret eccleſia, metropolitico iure aduerſus Co

Hierarchiæ eccleſiaſticæ viciſſitudo.

lonienſem diu gauiſa: donec is honos ad ſolam Bremenſem (quæ tum minor erat) demigraret. quod ſuo tempore commemorabitur.

CAP. 22.

Eccleſiæ caput diu abſque cerebro.

BISO interim quartus præfuit epiſcopus in eccleſia Paderburnenſi, quo tempore in Romana ſede erat mirabilis tumultuatio, dum ſucceſſor prædeceſſoris facta damnaret, corpusq; extumularet: viciſſim ſucceſſor alius primo inhærēs, ſecundum damnauit: itemque quartus tertium cum primo incuſaret, ſecundum iuſtificaret. Ita vertigo rotabat Petri ſucceſſores, Ieſu Chriſti vicarios in terris. Nam Stephanus ſextus Formoſum inſequitur, & perſequitur, quem extumulatum iuſſit decollari, & in Tyberim abiici: quem inſecutus pōtifex nomine Romanus, Formoſum tuetur: iubet corpus honorifico reddi tumulo. Miracula tum ferunt ad corporis præſentiam fulſiſſe. Inuenti ſunt, qui poſtea Stephani partes iuſtificarent. Sed iſta rectius in breui Romanorum pontificum catalogo commemorabimus. Sed dum Biſo præeſſet eccleſiæ Paderburnenſi, Arnulphus Imperator, iam victo rege Morauorum (quod in Wandalia diximus) pacatoq; Italiæ ſtatu, quum filium ſuum Zuentibaldum creaſſet Lotharingię regem, fecit viuendi finem: miſerabili cruciatu exanimatus, vt pediculis ex omni corpore ebullientibus nec vllis poterat remediis obuiam iri, vt viſu miſerum, ita exemplo incompertum fertur exitum habuiſſe. Quamuis ferant, Syllam Romanum dictatorem ante Cæſarum tempora ſimili morbo periiſſe. Arnulphum ferunt nonnulli exitiabiliter à Deo cruciatum, quòd Vngaris, genti crudeli, aperuerit clauſtra in Germaniam: vt illorum ope (quod in Wandalia diximus) Morauos contumaces ad iuga perduceret. Sed quis conſiliarius Deo fuit, vt auſit diuina diſcutere iudicia, quæ ſunt vtique (teſte Scriptura) abyſſus multa? Caſtigauit præſenti vindicta Pharaonē toties miraculis, vt Deo cederet, admonitum, nec emendatum. Flagellauit Nabuchodonoſor, ſed prophetæ precibus, ſeptem in eo tempora exerenda breuiauit. Mauricium Imperatorem Gregorio pontifici grauem, præſenti vindicta (vt ferunt) percuſſit. Potuit & Arnulphum hîc miſericorditer affligere, vt in æternum parceret. Biſo autem pontifex in annum XXIII. eccleſiæ ſuæ præſidens, peruenit ad tempora Stephani VI. Romani pontificis, hoc eſt ad annum Chriſti DCCCXC. tranſlatusque eſt ad meliora.

Suprà, cap. 18

890.

CAP. 23.

Germania ab Vngaris infeſtatur.

ECCLESIÆ per ea tempora Halberſtadenſi præfuit Euilpus, vir grauis moribus, & inſignis ſanctitate: præfuitq; eccleſiæ per annos IX. quum in Saxonia Otto dux, Henrici primi regis pater, rerum potiretur. Romano autem imperio præfuit Ludouicus tertius, Arnulphi filius. Sed iam nunc per Italiam cœperunt oriri tyrannides, noui (vt dicebant) principatus. Nam Berengarii ibi ſe diuulſerunt à Romano imperio: nec potuit Ludouicus rex hoc malum auertere, quòd Vngaris, genti feroci & nouæ, per Germaniam diffuſę, implicaretur: qui per mortem Arnulphi (cui eſſent fœderati) iam ſe ſine iugo ferebant, Bauariam, Sueuiam & Franciā Germaniæ infeſtantes. Otto dux Saxoniæ, Burchardus Sueuiæ, illis ſe obiiciunt, varia victoria, nunc victi, nunc victores. Treugæ quoq; fiunt inter medios, quum vtrinque obſides darentur. Quo tempore idem Ludouicus Imperator regnum Lotharingiæ (quod fratre Zuentibaldo defuncto in eum recidit) fecit ducatū regni, commendauitq; Gebehardo regii ſanguinis viro. Iſte verò Imperator in Italiam ſe contulit cum exercitu, conflixitq; duci Beneuentano Adalgiſo, ex reliquiis Longobardorum: quos etſi Carolus magnus contriuerit, quia tamen Beneuentanus dux ſe cum paucis in iura regis contulit, paſſus eſt in ſua ditione permanere. Huius ex ſucceſſoribus erat Adalgiſus: qui tum conflictatus Ludouico Imperatori, inſidiis vſus cepit Imperatorem: & iureiurando adactum, ne in ſe arma reſumeret, dimiſit. Ab hoc autem iuramento Ioannes Papa VIII. Ludouicum abſoluit. Dum autem idem Ludouicus Berengario in Lombardia regnum molienti ſe obiiceret, acieq; victum in fugam vertiſſet, apud Veronā fiſus victoria, ſecurior eſſe cœpit. Sed dum minus circumſpiceret, inſidiis capitur, & exoculatur. Per quod tempus dum Imperator in Italia laboraret, Vngari Bauariam, Sueuiam, Saxoniam vaſtantes, magnam hominum multitudinem captam abduxerunt, præſertim ex Saxonia: ſecumque vltra Danubium trahentes, poſuerunt eam in finibus ſuis, vt tutarentur

Imperator iuſiurandum autore Papa violatum non impune fert.

eum

eum terræ angulum ab incursionibus. Manentq; Saxones in hodiernum in ea prouincia, sua lingua & moribus vtentes, parumque commercij habentes cum Vngaris. Septem arces hodie vocant locum quem tenent.

Cap. 24.

ADALGARIVS autem Hamburgensis archiepiscopus, tantū à Coloniensi passus præiudicium, iam valde senex, minus poterat vel inimicis resistere, vel agēda disponere. Quare à monasterio Corbeiensi Hogerum suscepit adiutorem: cuius ope ac ministerio fultus, ipse emeritæ senectutis ocio potiretur. Sergius papa, qui fere per totidem annos VII. à Formoso cathedram tenuit Apostolicā, calumnias Adalgarij miseratus, priuilegia Hamburgensis ecclesiæ innouauit, & omnia quæ à Gregorio & Nicolao prædecessoribus suis Ansgario & Remberto concessa sunt, roborauit. Ad hæc quia senectutis pondere grauatus, pastorale officiū obire non poterat, circumeundo, prædicando, episcopos consecrando: dati sunt ei adiutores à papa ad tam grandem prouinciam Aquilonarium regionum obeundam, vicini quinque episcopi: Emundus Halberstadensis, quem suprà Euilpū diximus, (potuit enim esse binominis) Wigbertus Verdensis, Biso Paderburnensis, Bernarij duo, Mindensis & Osnaburgensis, quorum ope senex fulciretur. Sed Adalgarius nono post DCCCC. à Christo annos, VII. Idus Maij decessit, sepultus in basilica S. Michaelis, quam ipse pro dilectione magistri super tumbam eius erexit. Et quanuis Sergius (vt diximus) priuilegia Hamburgensis renouauerit, idemque tentauerit ante illum Stephanus papa (qui omnia Formosi acta rescindens, Hermanno Coloniensi & Adalgario Hamburgensi archiepiscopis in Moguntiam conuentum indixerit, & Fulconi Rhemensi archiepiscopo vices suas commisit) quidquid tamen ibi decretum est, Hermannus facilè discussit, præsertim quod ea tempestate summorum pontificum execrabilis contentio authoritatem eius sedis faceret contemptiorem: in qua vir potens apud Imperatorem, & qui armis præualeret, facile effecit quod voluit. Ergo nec Sergij decreta conualuerunt, quo minus etiam postea Colonienses archiepiscopi Bremensem quasi suffraganeum habuere, donec plenè ea res elucidaretur, ad tempora Alberti archiepiscopi. Hoc autem tempore, præter consuetam Normannorum excursionem (quibus iam insueuerant prouinciæ hostibus) noua nunc barbaries Christianis imminebat. Nam Vngari, gens Sarmatica, aut verius Scythica, sedibus suis effusa, per Germaniā omnem latè procurrit. Mirabile Dei flagellum, quod eius generis non primū prouenit, neq; nouissimum fuit. Nam antea Gothi nostri Romanis iam ad summum decus florescentibus manus conseruerunt: diuque multas nationes deuastarunt, quod in Suedia ostendimus: quorum vestigia secuti Cimbri, gens Germanica, à Romanis retroacti sunt, vel (vt ipsi scribunt) Romani ad internecionem deleti. Præcessere illos Galli Senones per Italiam, Græciam, & Asiam diffusi: & hæc omnia ante natum Christum. Inde Wandali cum Sueuis & Alanis Gallias, Hispanias & Africam afflictauere. Huni, gens effera, iisdem Sarmatiæ vastis regionibus effusa est, & cum Romanis multa prælia fecit. Carolo quoq; Magno conflictata, in vicinas gentes, extincto veteri nomine, coaluit: quos hac quam scribimus ætate, Vngari sunt secuti, diu per Germaniam diuagati, priusquam sedes quietas ad Danubium (quas etiam nunc defendunt) acciperent. Hæc inundatio ea tempestate Saxoniā vexauit. Aliquando enim in diuersum abiens ea natio, non diu reuersa est in idipsum. Secuti sunt postea Turci, nouissimè Tartari: quod suis locis commemorabitur.

Adalgarius iniquo iudicio soluitur.

900.

Pontificia autoritas contemnitur.

Barbaræ gentes variis seculis Dei flagella.

Cap. 25.

HALBERSTADENSI tum ecclesiæ præfuit Sigismundus, vir per omnes virtutum gradus euectus ad hunc pontificatū, quem annis XXX. administrauit. Vidit iste suis temporibus insignem fraudem Hattonis archiepiscopi Moguntini, quam intendit in subuersionē Alberti comitis de Bāberga. Natus is erat filia Ottonis ducis Saxoniæ. Quū militari de more cōcurrisset armatus armato Conrado Francorū duci Germano, fratri Ludouici Imperatoris, strauit Albertus Conradū, & oppressit eum. Ea res Imperatoris animū exasperauit in Albertū: cui ex hoc die iustā vindictā cōstituit per omnē occasionē. Id quū nō ignoraret Hatto archiepiscopus, suasit Alberto, vt descēderet ad placandū Imperatorē, se mediatorē pollicitus ad recōciliationem ineundā: interpositoq; iureiurādo, se incolumem reducturū Albertū

Archiepiscopi Moguntini astutia & perfidia.

in arcem illius firmauit:& credidit Albertus. Iam iter ingressi sunt, quum Hatto versus in Albertum, Non satis, inquit, nobis prudenter consulimus, qui impransi descendimus in castra, diu ieiuni tractaturi: quin redimus in arcem tuam ad ientacula. Albertus nihil fraudis veritus, redibat cum illo. Gustauit ille cibum, non famem quictans, sed implendi iuramenti gratia, sibi iam videbatur promisso fecisse satis. Vbi veniunt in castra, abreptum iussit Imperator gladio feriri. Nihil illi profuit quòd fidem archiepiscopi proditoris imploraret: nam ille vbi proditionem perfecit, se retraxit ex oculis morituri. Impia tergiuersatio, & indigna pontifice: quam quia non aliter castigare datur, stylo vindicemus. Hoc est enim fidem fallere, hoc est perfidia remunerare fiduciam. Sed nos ad Sigismundum reuertamur: de quo non alia sunt in fastos relata, nisi quòd annis triginta præfuit, & concessit in fata, translatus ad meliora.

CAP. 26. QVINTVS interea Osnaburgensi ecclesiæ pontifex præsidet Ebertus, nostri vocant Egbertum, quum vacaret ecclesia, insigni cæde peracta à Normannis, qua etiam inter alios fertur occubuisse Gosbertus Osnaburgensis. Hic autem Ebertus, vir egregius, quum inuenisset ecclesiam suam multis decimis & prædiis nudatam per latibulum tertij in ordine episcopi, & per dissimulationem quarti: qui quum esset exterus, respiceretq; in patriam suam Suediam, aliquãdo (vt sperabat) reducendus, securi videbantur possessores. Sed Ebertus non dissimulauit ecclesię damna plurima: sed vt debuit, ab archiepiscopo suo Coloniensi (quem ferunt tum fuisse Willebertum) auxilium implorauit. Necdum enim sedes apostolica Romæ cuncta sibi ecclesiarum (vt nunc) iura vendicauit: Metropolitanus cuncta gerebat in prouincia sua. Serius enim inolescunt, quæ sunt diu duratura: nam quæ subitò nascuntur, subitò etiam intereunt. Ergo imploratus archiepiscopus, opem ostendit per literas, tuum, inquiens, erit, ô frater episcope, manum mittere in rem: nos tibi auxilio, consilio & fauore non deerimus: si opus sit, humeros tecũ ad portandum submittemus: tantùm prior videatur opera in rem tua. Instantia plurima effecit episcopus iste, vt causæ in iudicium pertraherentur. Non erat segnis possidentium defensio præscriptionis: allegabant tempora, & si qua fuere alia iuris auxilia. Deniq; eò res peruenit, vt mota lite, iam conscientiam inciperent habere rei alienæ, vt non amplius currerent tempora præscribendi. Rexit autem hic pontifex ecclesiam suam omni solicitudine per annos decem. Quæ potuit, de rebus ecclesiæ recuperauit: quæ verò non poterat, in his causam vulneratã & iam inchoatam reliquit successori. Qui promptiori proinde via ad ius assequendum nitebatur, quo iam essent omnia litis in iure præparatoria per hunc adaptata. Peruenit autem viuendo, ad annum Christi, DCCCLXXXIIII. mortuusq; est sub Imperatore Carolo tertio, quem cognominauere Grossum.

At summus sacerdos Mosaicus, talis initio declaratus, & cõstitutus est, non sensim rapuit.

CAP. 27. QVARTVS in ecclesia Mindensi præsul Wulfarius erat, vir (vt nomen prodit) Saxonici generis, quem temporum ratio fuisse prodit admirabilem. Nõ enim vocabant tum ad præsulatum nisi religione & sanctimonia præstantes, vt non modò præesse, sed prodesse populo possent. Opus enim fuerat tum crebra verbi prædicatione, opus instantia singulari ad erudiendum populum in fide recentem, ad confirmandos animos vacillantes. Quid enim faceret in tanto periculo grex Dominicus, si non pastorum excubiis tueretur? Tempora fuere, quibus sæuiebat in Danis diabolus, persequens quos illi nuper ademerat Euangelij prædicatio. Igitur commonendi fuerant, ne hostibus terrerentur: docendi, ne per illam occasionem ad paganismum relaberentur: qui vnus incumbebat labor vigilantiæ pastoris. Pauca verò, imò penè nulla, de hoc pontifice sunt ad speciem in literas relata: neque enim scribitur quanto tempore præfuerit ecclesiæ, quid operum molitus sit. Dies tamen transitus eius ad meliora non subtrahitur: transiit enim prima Iunij. Mores & merita versibus illorum temporum sunt insignita:

Episcopi veræ partes.

Hic doctor prudens, ad opus sublime vocatus,
Authoriq; Deo messis fœcunda paratur.

Hoc dicere vult quicunque scripsit, virum fuisse doctum, doctorem plebis, prudentem ad omnia, quippe qui inter lupos Dominicum gregem seruandum accepit,

pit,vocatus ad opus ſublime euangelizandi vita & moribus. Alioqui vbi vita defuerit,quid prodeſt rotunditas ipſa ſermonis? Alioqui faciēs & docens,magnus eſt in regno cælorum. Noſtra feliciora videntur tempora, vbi pontifices euangelizandi miniſterium relegarunt in ſacerdotes, ipſi ſuperintendentes. Sic enim ſonat epiſcopi nomen. Meliora ſibi deſumunt in decimis,primitiis & oblationibus: equis,armaturis,euectionibus magnificis intenti,curā gregis abiecerunt.Sed hæc in aurem legenda,ne offendantur magnates,& dicamur os in cælum ponere,dum quæ ſupra nos ſunt, carpere contendimus.Sed finis ſit comparationū inter pontifices veteres & noſtros. Illi regna conquiſierunt æterna per ſummæ pietatis merita:noſtri,ſi ſua in pace & tranquillitate, & rerum abundantia tranſigant tempora, felices ſe prædicant:& vocantur,dum viuunt,ſancti patres,bene etiam, ſi hoc nomen retinent in morte.

Pontificum ſtudia minimè pontificalia,reprehendere, eſt impiè loqui.

CAP. 28.

HILDESEMENSIS eccleſia poſt Marquardū, inter martyres cæſum, à Danis in Ebbeckſtorp,proximū habuit pontificem Wigbertum, religioſum patrem, & eo loco dignum:ſed illum diu habere nō meruit. Nam vix expleto in epiſcopatu anno,tranſiuit ad meliores ſedes.Succeſſit illi venerabilis pater Walbertus, religione & ſanctitate præcipuus. Illa enim tum fuere,quæ in pontificibus & quærebantur & amabantur,non alta nobilitas,non armata poteſtas,nō opum affluentia: quippe tum ſub religioſis principibus iſta non deſiderabantur,ſua ſponte illa prouenerant eccleſiis à Deū timentibus ſeculi poteſtatibus. Nunc rerum facta eſt cōuerſio.Niſi enim habeāt eccleſiæ pontifices,qui armis arceāt iniuriā, non eſt ſalua libertas eccleſiis indulta. Walbertus ergo pontifex, merito inſignis & moribus, breuem ſortitus eſt pontificatū:nam intra annū primū defecit. Surrogatur illi Sehardus,nō indignus eo munere,quod per annos XL. feliciter adminiſtrauit. Vidit hic ſuis temporibus,Romanos Imperatores Carolū cognomento Groſſum,Ludouici Germaniæ regis filiū,imperio finaliter cedentē,quod imparitatem ſuā agnoſceret. Vidit & Arnulphū Carolomanni filiū,ex fratre nepotem Caroli Groſſi. Vidit quoq; Ludouicū Arnulphi filiū in Imperio: poſt quē agnouit etiā Conradū primū,ex genere Magni Caroli nouiſſimū Romanorū regem filiū Conradi, quem in acie occidit Albertus Bambergenſis comes,natus matre Saxonica,quū eſſet Conradus Arnulphi Imperatoris filius.Rex autem Conradus,nepos ex eodem Arnulpho,pronepos Carolomanni,abnepos Ludouici Germaniæ regis,trinepos Ludouici primi Imperatoris,& perinde quadrinepos Magni Caroli: in quo Conrado, quia neq; liberos, neq; coniugem habebat, defecit linea Magni, per annos CC. in Imperio permanens. Sehardus autem pontifex quid tanto tempore rerum in pontificatu geſſerit,nihil ſcribitur:niſi quia certum eſt,pro temporū religione inſtitiſſe verbo & exemplo erudiendæ plebi,in ſanctitate & iuſtitia Deo ſeruituræ.

Cur ergo aliás iſta commendas,& tanquàm vtilia prædicas?

Poſtremus ex Caroli poſteris Imperator.

CAP. 29.

MIMIGARDEVORDENSIS (nunc Monaſterieſis)eccleſia,per eam tēpeſtatem habuit pontificem Wilhelmū,religioſum in Chriſto ſacerdotem,pridem plebanū paſtorem in Catzenhuſen.Magna is erat humilitate & ſanctitate cōſpicuus. Apud hunc illorū temporū Imperator (nō enim nomen eius annectitur: poterat eſſe vel Ludouicus,vel Conradus,qui Arnulpho ſucceſſere) dum vice quadā in venatione ceruum inſecutus,per longiſſimos receſſus nemoris aberraſſet,per noctem hoſpitio receptus,quum petere ab eo aliquid iuſſiſſet,intelligens hoſpitem ſuum eſſe Imperatorē,petiit vt quem primū ceruū in venatione cepiſſet,corrigiā ſibi de pelle eius daret,qua cinguli loco vteretur. Annuit Imperator: & videns ſanctitatē viri,pollicitationemq; factā alta mente reponēs,quamprimum vacauit epiſcopatus Mimigardeuordenſis eccleſiæ,vocauit ſuſceptorē ſuum Wilhelmū,eiq; de eadem prouidit,& totis conatibus renitentem ad eam introduxit. Leguntur de hoc viro & alia multa laude digna. Nec mireris lector, ab Imperatore cōſtitutum epiſcopū.Ferebāt hoc illa tēpora,quādo etiā ſummorū pontificū conſtituendorū deſtituendorumq; habebāt arbitriū:quod temporū neceſſitas ferebat. Nō erat capitulis(vt nunc)electio libera:non erat cōfirmatio apoſtolica tum neceſſaria: quem princeps delegerat,is erat pontifex cōſecrandus à vicinis epiſcopis. Erat longa ſuper hoc iure concertatio inter ſacerdotium & regnum. Hoc duo Henrici,pater &

Epiſcopatus ænigmaticè petitur.

Fuit olim neceſſe pontifices ab Imperatoribus cōſtitui.

filius, hoc idem duo Frederici, auus & nepos, diu defendere ac tueri quærebant: sed vicit gladius ecclesiæ, peruicitq; vt ius suum ecclesiis relinquerent Imperatores. Eam rem in Saxonia peregimus: & vbi opus euenerit, suis locis infrà recordabimur. Wilhelmus autem quanto tempore præfuerit, quid magnarum rerũ peregerit, annales non memorant: hoc solo contenti percensere, quo merito quáve occasione peruenerit ad episcopatum.

CAP. 30. VERDENSIS ecclesia post Erlulphũ martyrem, in Ebbeckstorp cum agmine Christianorum pro Christo cæsum, episcopum habuit Waltherum, virum eo loco dignissimum, primum (vt arbitrantur) ex huius nationis hominibus ortum. Nam prædecessores fere omnes Scotici aut Anglicani generis fuere, quod tituli testantur abbatiarum, à quibus sunt translati: & ipsa vocabula & nomina virorum indicio sunt, quòd non nostræ fuerint gentis. Waltheri autem nomen apud nostros quia est vsitatissimum, arbitrantur hunc esse primum nostræ originis in hoc loco pontificem. Ea parochia latissimis olim finibus tendebatur: sed hoc tempore contractiores accepit limites, quòd episcopatus alij vicini suis quoque finibus pro dignitate vterentur. Successit in ea ecclesia Walthero Wigbertus, vir originẽ ducens ex sanguine Wedekindi ducis, cum quo res erat Carolo Magno. Latam enim sobolem reliquit moriens Wedekindus, ex quibus erant comites de Ringelheim, deque Oldenborg. Nam vxor Henrici ducis Saxoniæ, primi regis Romanorum ex ea natione, filia erat Theodorici comitis de Ringelheim. Ea fratres habebat, Reginbernum, Immodum, Wedekindum. Ex quibus Reginbernus conflixit victoriosè Danis de veteri more excurrentibus, adeoque afflixit, vt in reliquum ab omni Germaniæ littore abstinerent, rependens cladem cladi: compensauitq; cædem in Ebbeckstorp, in qua Bruno dux cum multis pontificibus & nobilibus occubuit pro Christo. Ex hac ergo nobilitate trahens originem Wigbertus, ad episcopatũ Verdensem peruenit: duplici nimirũ fulgens dignitate ac nobilitate generis quidem secundum seculum, & religionis secundum Christũ. Huius interuentu pontificis, Ludouicus rex, Ludouici Germaniæ regis filius (qui cum fratribus Carolo & Carolomanno partitus est ditionem patris Ludouici) aut (si id temporibus congruentius apparet) Ludouicus Imperator Arnulphi Imperatoris filius (malè enim discernunt annales tempora) multa de sua proprietate contulit ecclesiæ Verdensi, duodecim mansos in villa Walliæ, in comitatu Bernarij. Hic etiam obtinuit ab Arnulpho rege, vt omne patrimonium suum in Westphalia, in Wineswald, in Balla, in Muturia, Gheneto, Heribrunno, post obitum suum cederet ecclesiæ memoratæ. Actum Forcheim, anno DCCCXC. Habuit iste successorem Bernarium, ordine XIII. in ecclesia Verdensi episcopum, cuius temporibus cœpit status ecclesiæ Verdensis maiorem in modum proficere, accedente illi patrimonio (quod diximus) nobilis viri Wigberti immediati prædecessoris. Accessere largitiones imperatoriæ, prouisiones pontificales, & eleemosynæ sanctorum. Iam enim res omnes inclinauere Germanis, qui in ecclesias erant propensiores quàm exteri reges.

Wedekindi Saxonis, quẽ Carolus Magnus deuicit, posteritas.

CAP. 31. IN ECCLESIA Paderburnensi, quum sub Imperatore Arnulpho Biso defecisset, surrogatur Theodoricus, qui annis IX. præfuit ecclesiæ cum laude. Quid autem rerum gesserit, non traditur. Vnum pro certo est, ad mensuram illorũ temporum illum institisse amplificandæ Christi Domini sanctissimæ religioni. Deficienti autem surrogatur Vnwanus, qui annis scribitur XIX. præfuisse, hoc est per tempora Ludouici & Conradi Romanorũ regum. Nam inter Imperatores, Conradum atque Henricum numerare non dignantur, quòd coronam Imperij de manu pontificis non acceperint. Ea de re plura diximus in Saxonia nostra. Quid autem hic pontifex in religione sacra profecerit, nihil in fastos est relatum, nec nos diuinare possumus. Sufficitur illi iam translato Dudo, vir pontificio dignus, qui ecclesiæ præfuit annis XXV. hoc est per tempora Henrici regis, vsque ad Ottonem filium. Viderunt horum tempora pontificum, grauissimã incursionem Vngarorum: nam Sueui, Bauari, Thuringi, Franci, Germani, Saxones, assiduè senserunt hoc malum. Nam IIII. anno imperante Conrado, Vngari ad Fuldense monasterium peruenerunt: & proximo anno (vbi creuit audacia successibus) transito Rheno,

Imperator non habetur, cui coronam pontifex non imposuerit.

no, fines Lotharingiæ inuaserunt. Quibus malis implicitus Conradus, cœpit etiã regni principibus contemptui esse. Insurrexere autem in eum Arnoldus dux Bauariæ, Burchardus dux Sueuiæ, Giselbertus dux Lotharingiæ, Hẽricus dux Saxoniæ. Sed ille prudenter distractos, non permisit vires coniungere. Versus autem in vnum ex his, Arnoldũ ducem Bauariæ, expulit prouincia, profugientem ad Vngaros, apud quos omni tempore Conradi permãsit. Quumq; successisset in regno Henricus Saxo Conrado, Vngari non cessauere Germaniam afflictare: donec magno victi prælio ab Henrico, sese intra limites suos continere perdiscerent.

ALBERTI KRANTZII
METROPOLIS, LIB. III.



METROPOLIS honori donemus, vt ab ea nouo ordiamur principio. Igitur Hogerum ex fratribus Corbeiensis cœnobij, quem viuens habuit Adalgarius in ecclesia Hamburgensi archiepiscopali adiutorem, moriens habere meruit in pontificatu successorem. Sedit autem annis solis septem, ordinatus per cõtentionem, ab archiepiscopo Coloniensi tanquã suffraganeus, pro Bremensi incorporata à suo metropolitano. Nam decreta pontificum Ro. nouissima Stephani atq; Sergij Coloniensis cõtemnens, Formosi papæ ordinationi pertinaciter inhæsit. Effecit autem seculorum potentia, vt bonus Hogerus, non quod oportuit iuris ordine, sed quod temporũ indixit malitia, pateretur. Pallium tamen suscepit à Sergio papa, ne iuri suo renunciare videretur: ferulam à rege Ludouico, qui filius erat Arnulphi. Iam enim Ro. Imperium in eam contentionem peruenerat, vt & in Italia Berengarij, & item alij aliis locis colla subducerent iugo: pœnituitq; vehementer Italos, quòd sub Carolo Magno transiuerit Imperium in Germaniam. Erat enim Carolus & natu Germanus, & cum Galliis magnam Germaniæ partem ex paterna successione gubernabat. Nam orientalis Francia, cum Bauaria & Austrasia (quę est Metensis prouincia) illi paruit. In Caroli autẽ persona nihil erat pœnitendũ: nam ille magnopere prouexit Imperiũ. In nepotibus autem magnifici regis & gloriosissimi Imperatoris, defecit illa vis imperio digna: nisi quod in Arnulpho se paulisper ostẽderat. Filius autẽ Arnulphi iste Ludouicus, etsi Romani regni titulũ acceperit, ad coronã tamen imperij nõ peruenit. Vnde ex eo per Conradũ, ex fratre filiũ, per Henricũ Saxonem, vsq; ad Ottonem I. eius filium, reges tantùm Germaniæ, non etiã Italiæ habebantur. Sed operæpreciũ est intueri, cur Hamburgensis, & illi iam adunata Bremensis ecclesia, tam frequenter à patribus de Corbeia translatis teneretur. Num in collegio Hamburgensi, aut cœtu Bremensi, vel in congregatione Buccensi inuentus est qui operi videretur idoneus, vt non tam de longinquo archiepiscopi peterentur? Præsertim si religionem sectarentur electores, eadem & his locis vigebat. Cur non vel ex aula principum, vel de terræ nobilitate vnum aliquem sustulerunt? Credo non defuisse, qui sedem primam in prouincia satis ambirent, si non illos terruisset imposita legationis ad gentes necessitas, quam plerique vt periculosam fugitarunt. Insignis tamen hac tempestate & diu postea fuit Corbeiensis cœtus, & patrum veneranda frequentia, zeloque diuinæ religionis propagandæ mirabiliter feruebat. Nam à memoria D. Ansgarij plures eius exemplum secuti, abierunt in gentes vicinas Wandalorum euangelizantes, penetraruntq; ad mare. Sanctique Viti (cuius sacræ reliquiæ Corbeiæ quiescunt) patrocinium genti commendantes, re bene gesta sunt reuersi. Quæ patrum diligentia inde versa est in perniciosam gentis Rugianæ superstitionem: quum illi *Swantwit* iuxta linguam suam, S. Vitum, non martyrem, sed abominandum idolum statuissent: quæ in Wandalia nostra sumus pleniùs executi. Ea tam insignis patrum diligentia, simul & sanctorum Ansgarij Adalgariique memoria peregit, vt inde potius quàm aliis de locis, Apostoli in gentes peterentur. Sic enim meritò appellandi fuere illa ætate Hamburgenses archiepiscopi. Huius au-

CAP. I.

Nemo potest duobus dominis seruire.

Heroum filij noxæ.

Idolum ex Christi martyre quomodo fiat.

tem Hogeri præcipuã sanctimoniam vel inde prædicant, quòd erat in ecclesiastica disciplina seuerissimus diligentissimusq; exactor, pro suo in omnes incredibili affectu. Visitabat enim quàm frequenter fratrum loca, ne quid per incuriam obreperet quod sanctitati derogaret. Vnde quum apud Hamburgum consisteret, nocte intempesta exploraturus quidnam in Ramsola ageretur, ad vigilias eò properauit matutinas: fidelis dispẽsator & prudens, qui & ipse vigil pernoctauit, suamq; familiam dormitare prohibens, venienti sponso lætus occurrit, dicens, Ecce ego, & pueri quos dedit mihi Dominus.

CAP. 2. HOC verò tempore quis fuerit religionis status in Dania, non satis explicatur: nisi quod atrocissimam incursionem in prouincias Dani facientes, nihil quietius domi egisse facile coniiciatur. Permansere tamen in occulto multi Christiani, quos huius pontificis successores in fide continuerunt. Interea dum adhuc Hogerus superesset, grauis nimium incubuit ecclesiis Hamburgensi ac Bremensi incursatio, cum vastitate terribili. Nam Hamburgum Dani iuncti Wandalis atrocissimè subuerterunt: ecclesiam demoliti, fideles dissipauerunt. Hæc est interim quarta huius vrbis per Christianismi tempora subuersio, vt trucidaretur in ea omne nomen Christianũ. Nam prima, viuente adhuc Magno Carolo, facta est à Wilsis, Wandalorum gente, quum Imperator calamitatem vrbis miseratus, ecclesiam cum oppido iussit instaurari. Altera facta est à Normannis in diebus Ansgarij, quũ ille Ramsolam adductis sanctorum reliquiis petisset. Deinde necdum bene restituta cum oppido ecclesia tempore Remberti, immune esse non potuit à Danis Saxoniam vastantibus, quum agmen omne Christianum, quod prædiximus, barbari trucidassent. nam & tunc excisum cum habitatoribus oppidum nihil reliquum fecit, nisi si qui sibi fuga consuluissent. Et hæc fuit tertia Christianæ vrbis euersio. Deinde quum Vngari implicitam tenerent omnem bello Saxoniam, & vsq; Bremam peruenissent sub Hogeri pontificatu, anno post Christum, DCCCCXIII. Wandali cernentes reliquam Germaniam Vngaris implicari, ipsi Transalbinam Saxonum prouinciam inuadunt: Hamburgum non satis validum aduersus incursiones oppidum, igne ferroque subuertunt. Affuit tum Bremensibus insignis Dei protectio. Nam quum Vngari vrbem incendio fœdarent, vt prædæ instarent, incensisq; ecclesiis sacerdotes ad aras trucidarẽt, clerum vulgò mixtum aut impune occiderunt, aut in captiuitatem pertraxerunt. Crucifixi Domini imagines per ludibrium sunt attrectatæ, cuius furoris vestigia ad longam durauerũt ætatem. Sed Deus zelotes, cuius ibi sacratissima passio est derisa, incredulos nõ est passus abire inultos. Nam subita & mirabilis orta tempestas, à semicremis ecclesiarum tectis scindulas eleuauit, quas in ora paganorum rotans, dum fugæ præsidium quærunt, aut in fluuium præcipitari compulit, aut in manibus includi ciuium armatorum. Et quoniã vastationes Hamburg cœpimus numerare, quæ supersunt, paucis recensebimus. Quinta ergo deinde fuit Christiana vrbis euastatio in tertij Ottonis morte, post annos à Christo, M. quum iugum Saxonicæ exactionis Wandali excuterent, & se vendicarent in libertatem, magis pertæsi tributorum, quæ sine fine exigebantur, quàm religionis. Audita igitur morte tertij Ottonis, signa sustollunt, rebellionem ostendunt: in vicinos Transalbianos primus impetus. Hamburgum velut signum ad sagittam petitur. Omne nomen Christianum opprimitur, funditur sanguis innoxius, & Christo preciosi martyres consecrantur. Multi ex clero & ciuibus in captiuitatem abducuntur: plures interfecti Christianitatis odio, quæ illis tributa videbatur inuexisse. In Aldenburg ciuitate magna Wandalorum (quam illi sua lingua *Starigard* dixere) sita ad mare Balticum, itinere diei vnius ab Hamburgo, sexaginta presbyteri, cæteris more pecudum obtruncatis, ad ludibrium sunt seruati, talique martyrio consummati, vt cute capitis in modum crucis incisa ferro, singulis cerebrum aperiretur. Deinde ligatis post terga manibus, professores fidei per singulos Wandalorum vicos tracti sunt, & verbere, aut aliis modis vexati, donec deficerent. Ita illi angelis & hominibus spectaculum facti, IIII. nonas Iulij victorem spiritum exhalarunt.

Hamburgum sexies cladem ob Christi nomen accepit.

913.

Hamburgi miserandum excidium diuinitus vindicatum.

Presbyteri ingenti cruciatu excarnificati.

CAP. 3. NOVISSIMA & pene omnium grauissima Wandalorum in Hamburgum irruptio,

irruptio, facta est sub Imperio Henrici quarti, præsule Alberto primo, anno Christi, M. LXVI. per hanc occasionem. Nam Godscalcus, vir in gente Wandalorum primarius, quum adolescentia sua patrem cæsum à Saxone vindicasset, seque immiscuisset illi Wandalorum quam proximè diximus, excursioni, cui nō solùm interfuit, sed præfuit: in ætate autem ingrauescente iam in senium, spiritum salutis quem conceperat, ad multos suæ gentis sategit propagare, totamque pene maritimam Wandaliam Christo conquisiuit, quā prius auerterat, multiplicatis per vrbes & vicos monasteriis. Non tulit eum profectum humani generis inimicus. Nam excitatis quibusdam in ea gente male potentibus, Godscalcus cum sacerdote inter docendum mactatur ad aram. Et quum factum suum tumultuantes recenserent, videntes quantum excitauerint incendium, coniurationem suam fecerunt quàm latissimam. Mox populariter Christianismum reiiciunt, persequentes omne nomen Christianum. Christi virgines, monachi, sacerdotes, & vbique populus Christianus supprimitur: qua tempestate Ansuerus fratrum suorum in Ratzeburg maior, cum cæteris lapidatur. Hamburgensem deinde prouinciam igne & ferro sunt demoliti. Sturmarij & Holsati fere omnes occisi, aut in captiuitatem sunt perducti. Arx Hamburgi, quam noui Saxoniæ duces firmarant, funditus est excisa, & in derisionem religionis etiam cruces sunt obtruncatæ. Percensitis sex euersionibus eius vrbis, ad institutum reuertamur. Quum in diebus suis Hogerus pontifex quartā esset expertus suæ diœcesis euastationem, accessit morbo corporis angor animi, & IIII. Calend. Ianuarias pastor egregius migrauit ad Christū, sepultusq; est in oratorio S. Michaelis, cum prædecessore suo. Cuius corpus quum post annos CXX. diruta per vetustatem capella quæreretur, præter cruces pallij & ceruical episcopi nihil potuit inueniri. Vnde creditum est, pro viri sanctimonia, iam esse completam in eo resurrectionem ex mortuis: quam quum in Iudæa crebriùs, in aliis quoque prouinciis Deus euidenter ostenderit, noluit huic nostræ regioni domesticum deesse testimonium.

Godscalcus Christi hostis, deinde testis.

Hogerus iam resurrectionē carnis assecutus.

CAP. 4.

REGINWARDVS Hogero in archiepiscopatu succedit: qui vnde venerit, aut quis ante pontificatū fuerit, nulla extant monimenta. Nomen eius catalogo pontificū inseritur, vita eius non memoratur. Vnde datur intelligi, paucissimis illum diebus superfuisse. Nullæ eius extant (vt aliorū) literæ priuilegiorum. Quòd autem vix annū impleuerit, imò ne annū quidem plenū, inde colligitur, quòd anno Conradi quinto quum solennis esset cœtus regni, successor eius Vnni interfuit, & eodem anno Hogerus huius prædecessor decessit. Medium ergo anni tempus iste occupauit, quum decessor in principio anni defecisset, & huius successor in fine anni cōcilio interfuisset. Per hæc autem tempora Conradus rex, quum multorum æmulationē pateretur in regno, sapientia tamen & constantia peruicit, vt principes Germaniæ in fide cōtineret. Inter omnes verò præcipuè de Henrico Ottonis filio, duce Saxoniæ, suo in regno successore, curā gerebat: cuius acrimoniam veritus, quia placare nō potuit, tollere cogitauit de medio. Hattoni Moguntino archiepiscopo notam inurunt annales, quòd quomodo Albertum Bambergensem comitem, Henrici ex sorore nepotem, Ludouico regi prodiderit ad mortē: ita Henricum quoq; similem ad exitū cogitauerit regi Conrado in manus tradere. Ferunt, Hattonem, quum aurificis domum in itinere haberet, considerandi operis gratia, quod ille faciebat, introisse. Habebat in manibus opifex torquem ex argento, vt inauraret. Pontificem, quum opus inspiceret, ferunt ingenuisse: & illum qui attenderet, per familiaritatem interrogasse ex pontifice, quò tam altè ducta mitterētur suspiria? Respondisse tum Hattonem, formidare se, quòd quæ nunc auro, pòst nobiliore sanguine imbueretur. Tacitus secum rem perpendit aurifex, secretiùs inde scrutatus, cuius dono pararetur: & quum ex longinquo compertum haberet, Henrico Saxonum duci illā magno munere destinari, curauit ad eundem ducem rem omnem perduci, vt euitaret donum torquis ab Hattone. Dux ipse iam suspectam habens eiusdem pontificis fidem, quòd pridem eius perdidisset nepotem, intelligens quid de se strueretur, inuitanti per solemnem nunciū pontifici iussit responderi: Vade, renuncia pontifici tuo, non habere Henricū Alberto ceruicem durio-

Hatto Moguntinus proditionum artifex.

Henricus Saxo maturè monitus vitauit periculum.

rem: domi remanens, de illius mecum seruitio tractabo. Et reuersus in Saxoniam, omnia quæ Hattonis fuere & in Saxonia & in Thuringia, peruastabat. Hæc ita fama feruntur, pessimo machinationis exemplo à pontifice, si vera sunt: maligno infamantis veneno, si conficta. Quis enim facilè credat, legitimis sacris initiatũ pontificem Christianum, cui ne odisse quidem permissum est, machinari voluisse in necem tantorum principum? Sed è diuerso monstra sunt scelerũ, sicut & bene gestorum, vt reuera contigisse probentur, quæ nemo potuit futura vel credere, vel præuidere. Cæterùm illis in medio relictis ad nostra reuertamur. Hunc ergo pontificem, quomodo ascenderit, qualiter vixerit, quomodo etiam finierit, peræquè tenemus, præter nomen eius in annalibus nihil ipsius reperientes.

Cap. 5. Vnni deinde sacris successit ministeriis, vir habitu corporis (vt ferunt) despicabilis, sed iam Deo commendatus, hominibus quoque gratus, vita sanctus, opere industrius inclaruit. Huius autem assumptio hoc ordine prouenit. Quum iam Reginwardus in fata concessisset, & Ledradus Bremensis chori præpositus à clero & populo surrogaretur, mittitur solenni more ad regem Conradum, pontificalem ferulam (hoc est regalia temporalis dominij iura) ab illo accepturus: neque enim potuit rex aliud quàm temporale committere. In familia autem sua Ledradus electus duxit hunc suum Vnni capellanum. Et quum in conspectum regis prodiret electus, non longè aberat Vnni, dominum suum insecutus. Rex electionis ordinem perspiciens, quum illa tempestate arbitrium constituendorum pontificum maximè sibi reges vendicarent, ferulã quam manu tenuit, præterito Ledrado, à tergo adstanti tradidit Vnni capellano, eum ecclesiæ pontificem designans. Agebat regem diuinus (vt creditur) spiritus, qui olim in Samuele loquebatur, vt præteritis Iessæ sex eximiæ proceritatis filiis, paruulo Dauid regni sceptrũ & prophetalis vnctio seruaretur. Ledradus contemptus, abibat. Vnni regia, imò diuina, voluntate, vir sanctissimus, in episcopatum sublimatur, pro sui sanctitate principibus Conrado atque Henrico regibus Romanorum venerandus, & (quod est amplius) etiam percharus. Potissimã eius ad hominem causam hanc accipimus, quòd rex contempserit populi & cleri electionem sine suo nutu factam: & ideo electum præteriit, & alium suffecit. Sed quid dicit Scriptura? *Cor regis in manu Dei, & vbi voluerit, flectet illud.* Huius pontificis temporibus Vngari non modò nostram Saxoniam, aliasque cis Rhenum prouincias, verumetiam Lotharingiam & Franciam sunt demoliti. Dani quoq; Wandalis cõspirantes, primò Transalbianos Saxones (qui nunc Holsati sunt) deinde vltra Albim digrassantes, magno terrore Saxoniam quassabant. Apud Danos eo tempore Gormo regnauit, Christianismo non mediocriter infensus: nam omnem in regno Christi religionem extinguere molitus, sacerdotes è suis finibus eiecit, plures per tormenta necauit. At verò Henricus rex, qui Conrado suffectus est, iam tum à puero timens Dominũ, & in eius misericordia totam ponens fiduciam, Vngaros quidem multis grauibusq; præliis repressit. Itemque Bohemos & Sorabos cæterosq; Wandalorum populos vno quidem, sed grandi prælio ita contudit, vt residui pollicerentur imperata se facturos. Deinde cum exercitu rex ingressus Daniam, Gormonem regem primo statim impetu ita conterruit, vt remandaret paratum se cum Romanorum rege per æqua pacisci. Henricus rex victor apud Sleswicum (quæ etiam Heidebu dicebatur) regni sui terminos ponens, marchionem ibi constituit, hoc est, ducem limitaneũ, & Saxonum coloniam habitari præcepit. Hæc autem ita esse gesta, per quendam Danorum episcopum testificata sunt, & in annales relata.

Rex alij episcopatum confirmat, quàm qui à clero electus fuerat.

Hodie non similis eo modo esse.

Marchio quid.

Cap. 6. Venerabilis Vnni pontifex, videns per Henrici regis victoriam ostium fidei esse gentibus reseratum, non dormitabat. Præcipuè verò, quia legatio Hamburgensis ecclesiæ pro temporum malitia diu intermissa est, præueniente misericordia Dei, & regis operante virtute, datam occasionem nõ est passus inanem prçterire. Igitur nihil arduum nihilq; periculosum reputans, quod honori diuino & animarum lucro impenderetur, latitudinem suæ ditionis nõ per vicarios, sed per seipsum constituit obire. Postea verò quàm Dei confessor peruenit in Danos, vbi rex Gormo, Christianitati necdum plenè placatus, regnauit (etsi vxorem

Vnni Daniæ regis impij filium Christo lucrifacit.

haberet

haberet ex Anglia Chriſtianiſſimâ) illum pro ingenita placare nequiuit feritate: filiũ autem eius Haraldum ſua lucratus eſt prędicatione. Quem, adiuuante matre Tira, fœmina Chriſtianiſſima, ita Chriſto fidelem perfecit, vt Chriſtianitatẽ, quã pater execrabatur, ille excoleret, & publicè fineret prædicari. Ordinatis igitur in Danorum regno per ſingulas eccleſias epiſcopis, aut ſacerdotibus, multitudinem credentiũ Haraldo regis filio Dei ſanctus ad tutelam commendauit. Cuius etiam fultus adiutorio, noui itineris cõſortem habuit, qui regio nomine illi adeſſet. Vbique omnes Danorũ inſulas penetrauit, euangelizans regnum Dei gentibus, & fidelibus, quos inibi de veteri memoria reperit, aut captiuos inuenit, in Chriſto cõfortans conſolatur. Deinde veſtigia ſecutus magni Anſgarij, mare Balticum nauigans, graui labore Bircam peruenit. Hoc tunc caput erat Suedici regni, quò iam per annos LXX. nemo doctorũ poſt Anſgarium auſus erat penetrare, præter ſolum (vt legimus) Rembertum. Eſt autem mediterranea ciuitas, non longè ab Vpſala, quæ nunc metropolis eſt regni, tum erat idolorum cultu famoſiſſima. Quo loco ſinus quidam barbarici maris in Boream vergens, portum facit barbaris gentibus, quæ ad hoc mare diffuſæ incolunt, optabilem, ſed valde periculoſum incautis & locorum imperitis. Bircani enim, piratarum incurſionibus (quorũ ibi magna graſ- *Birca Suediæ caput ac emporium.* ſatur frequentia) ſæpius impugnati, quum vi & armis nequeunt reſiſtere, callida hoſtes arte aggrediuntur decipere: qui ſinum maris impacati per centum & amplius ſtadia latentiũ molibus ſaxorum obſtruentes, periculoſum æquè ſuis ac prædonibus iter fecerunt. Ad quam ſtationem, quia tutiſſima eſt, in maritimis Suediæ regionibus ſolenne Danorum, Normannorum, Wandalorum, atque Semborum naues, aliiq; Orientis populi pro mercaturis ſuis emporium conſtituerunt. In eo portu confeſſor Domini Vnni egreſſus in terram, inſueta populos compellare cœpit legatione. Quippe Sueones & Gothi propter barbaricæ excurſionis tempora (quibus paucis annis multi reges cruento dominati ſunt imperio) Chriſtianæ religionis penitùs obliti, haud facilè poterant ad Chriſti fidem inclinari. Inſtitit tamen opportunè, importunè, vt reges etiamſi non ipſi crederent, verbum tamen ſalutis fieri populo paterentur. Itaq; factum eſt ſancti patris infatigabili inſtantia, vt populi, quorũ patres à beato Anſgario & Remberto fidem acceperãt, ſed ipſi temporũ malignitate ad paganiſmum relapſi, nunc demum ad Chriſtũ reuerterentur. Perfecto autem legationis ſuæ miniſterio, quum tandem rebus ad bonum modũ compoſitis redire diſponeret euangeliſta Chriſti, apud Bircam ægritudine correptus, ibidem feſſi corporis tabernaculum depoſuit. Anima verò beata, multarum *Vnni Chriſto militans moritur.* lucro diues animarũ, in regna ſiderea tranſuolauit. Diſcipuli, pontificis exequiis cum gaudio & fletu procuratis, cætera quidem membra ſepelierunt in eodem oppido, ſolũ caput Bremam reportantes, quod decenti condiderunt honore in eccleſia ſancti Petri, ad altare. Obiit autem, peracto boni certaminis legitimo curſu, anno Dominicæ incarnationis, DCCCCXXXVI. indictione IX. circa mediũ Septem- *936.* brem (hic eſt annus magni Ottonis primus) quum in pontificatu exegiſſet annos ſexdecim, à tranſitu autem Willehadi, CLXVIII. Exemplar omnium pontificum, vſqueadeò pro ſalute credentium omnium ſolicitus, vt etiam, quæ omnibus ſolet eſſe chariſſima, vitã impenderet: Nauigationis incommoda, ſenectutis labores, pericula maris, ac barbarorũ difficultates omnes, vno Chriſti amore & animarũ deſideratiſſimo ſemper lucro exuperans: iam breuis vitæ ſolicita officia, quæ multi paſtores rebus permittunt inanibus, ipſe autem vigilantiſſima ſemper cura multorum ſaluti impenderat, perenni beatitudine compenſata inueniens, lætusq; nobis deſuper inclamat: *Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum.*

OSNABVRGENSI verò eccleſiæ per hæc tempora præfuit Egelmarus, vir CAP. 7. Deo dignus, & pontificali honore digniſſimus, qui per ſuam diligentiam iura omnia ſuæ eccleſiæ recuperauit. Quodque deceſſor eius inchoabat, hic cum ſumma vigilantia perfecit, apud Imperatorem Arnulphum, cui ſe Egelmarus Oſnaburgenſis præſul & obſequiis & virtutibus perfecit familiarem. Deducta eſt cauſa eccleſiæ in iudicium Imperatoris: & poterat, quia ſuper prædiis, & feudis, & rebus erat, quæ erant Imperatoriæ conceſſionis. Erat illa tempeſtate maior in eccleſias

Qualis initio fuit cur non perpetua mansit? aut cur vnquã cœpit?

poteſtas regum quàm ſit hodie: pro qua re cum Imperatoribus diu luctati ſunt Romani pontifices, in Henricum IIII. & V. Ottonem IIII. Fridericum I. & II. quod in Saxonia noſtra plenius attigimus. Sed tamen iſte Egelmarus epiſcopus effecit vt Imperator Arnulphus præſideret iudicio. Productæ ſunt literæ, & recognitæ, Caroli Magni, qui abauus erat huius Imperatoris. Adiudicata ſunt prædia cum decimis, eccleſiæ Oſnaburgenſi: & abbas Huxarienſis (quæ eſt Corbeia iuxta Huxariam oppidum) cogitur abire cum patientia. Deditq; rex patentes literas ſuper hac ſua cognitione, adiecitq; in eiſdem literis donationem quinque eccleſiarũ ſatis diſtantium ab Oſnaburga: primã in Bocbarcon, alteram in Meſſendorpe, tertiã in Duren, quartã in Kirchberge, quintam in Frorateſheim. Eſt autem literarũ Da-
889. tum, anno Domini, DCCCLXXXIX. in arce Ingelheim: alij, in regali curia in Forcheim. Has autem eccleſias ſi vnquam acceperit ac tenuerit in poſſeſſione, incertum. Et eſt veroſimilius, alterius iuri detractas, in alienam ditionem nõ facilè conceſſiſſe: niſi exiſtimamus ſingulos pontifices aliquid ſuo iuri detraxiſſe, cõtuliſſeq; Oſnaburgenſi paupertati. Recognoſcit autẽ memoratus Imperator ſatis humiliter in literis memoratis, nimium ſe diu reſtitiſſe eccleſiæ memoratæ, quòd pro monaſteriis ſtarent comites, viri potentes, Allo & Hermannus, donec manu Domini tangeretur. Ergo reſtituit in integrum eccleſiã. Præfuit autem his epiſcopus, cum ſua laude, annis tribus & triginta, & requieuit in pace.

CAP. 8. MINDENSI eccleſiæ quintus præficitur pontifex Drogo nomine: cuius tempora inſigniuit fundatio monaſterij dominarum canonicarum in Mœlenbeke, ad annum Chriſti nongenteſimum, minùs quatuor. Sic enim inepti quidam indicant verſiculi. Quum rebus Germaniæ præeſſet Arnulphus Romanorum Imperator, fundatrix erat nobilis fœmina Hilborch, & ſacerdos Folcurdus, vterque locuples: centum pagos cum litonibus (hoc eſt colonis) feruntur contuliſſe. Pontifex quoque, vt in fundatione concurreret, partem decimarum de ſuo dicitur contuliſſe, ea videlicet conditione, vt annuos quinque ſolidos in auro vel argento ad aram ſancti Petri afferrent: & ipſe pontifex iuſta de loco obſequia reciperet, quemadmodum de aliis locis ſuo iuri ſubiectis. Creatur in eo loco abbatiſſa, inſignis puella, fundatricis neptis. Arnulphus Imperator multis priuilegiis hunc locum inſigniuit: ſed & Otto Imperator ſecundus adauxit, Henricus ſecundus adimpleuit. Quum autem incendio deperiſſet, inſtauratum accepit patronũ diuum Dionyſium, tunc recens à Francia in Ratiſponam tranſlatum per eundem Arnulphum Imperatorem. Extant deſuper literæ Leonis ſummi pontificis IX. quæ rem omnem efficiunt luce clariorem, tranſlatum in Germaniam Dionyſium facto & furto (vt dicit) Arnulphi Imperatoris. Eius bullæ copiam habent hoc loco eccleſiæ Mindenſis annales. Sed quoniam inſtituto noſtro non ſeruiunt, omittantur. Fertur eadem fundatrix, quum maritũ in peregrinatione terræ ſanctæ abſentem iam deſperaret rediturum, ex omni patrimonio amborum, nouem eccleſias conſtruxiſſe, annumerato monaſterio. Quum autem ille inſperatus rediret, placatura indignantem præuenit, dicens nouem ſe filias abſenti peperiſſe, nondũ in Chriſto regeneratas. Intellexit vir Deo deuotus quid loqueretur: & annuens per omnia, quæ facta ſunt approbauit, partem habiturus in regeneratione ſanctorũ. Drogo autem pontifex, operibus bonis plenus, ipſo die ſancti Bonifacij epiſcopi & martyris rebus excedens humanis, quieuit in pace, relinquens in Imperio Arnulphum memoratum. De cuius miſerabili exitu, quia in Saxonia ſcripſimus, hoc loco temperabimus, non inſultantes calamitatibus alienis, nec Deum in ſuis conſiliis ſuper filios hominum terribilem offendentes. Sepultus autem eſt Imperator Ratisbonæ, ad pedes S. Dionysij, quem de Francia tulit: vt haberet patronum in Germania, quem patres eius ſunt in Galliis venerati.

Magnus in extruendis & locupletandis cœnobiis Zelus.

Dionyſium Galli iampridem non habent.

CAP. 9. INTEREA Paderburnenſem eccleſiam adminiſtrabat ſub Henrico rege Volcmarus, vir Deo & pontificio dignus honore. Præfuit autem annis XXVII. ad tempora primi Ottonis. Vidit euaſtationem Vngaricã, & ſenſit pro ſua parte. Sed poſt Henrici regis victoriam, ex hac peſte omnes reſpirauerunt prouinciæ. Pacauit ergo Germaniam, & ſuam Saxoniam redegit in ordinem: muniuit vrbes, redegit in mani-

in manipulos militiam, iuuentutem per vrbes & agros exercuit ad arma, vrbibus indixit nundinas, agris cultum suum, ornauit ecclesias, instruxit monasteria, amplificauit Imperium, marchiones quasi duces limitaneos constituit, ad Danos in Slesvvig, ad Wandalos in Brandenburg, qui hodie permanet principatus. Italia autem iam colla iugo subduxerat, ne regi pareret Romanorum: & ideo intestinis malis & excursionibus deforis laborauit. Græci, qui post extinctum exarchatũ manserunt in ipsa Italia, sub sui Imperatoris obedientia conflixère crebrius Italis, & iam nunc Beneuentanis graues incumbebant. Theobaldus Camerinorum princeps, suppetias tulit Beneuentanis: congressusque Græcis, fugauit eos: & quotquot cepit, euiratos remisit, addens ignominiæ risum. Quandoquidem, inquit, Imperator vester eunuchis gaudet, quotquot emiserit armatos, gallinaceos factos remittam. Erat deinde ex hoc genere mulier, quæ virum captum in castra sequitur magnis eiulatibus, vociferansque omnium in se oculos conuertit. Nouitate rei motus princeps, iussit adesse fœminam propius, & quid pateretur, exquirit. Tum illa fidentius, Quid est, inquit, quòd viri fortissimi bellum fœminis indixistis? quid in vos deliquit sexus infirmior? Ad quam Camerinus, Et quis (malùm) fœminis, nisi Amazonibus, bellum inferebat? Tum mulier, Quando, inquit, ad hoc pugnatis, vt victos emasculetis, non aliis quàm fœminis bellũ facitis, quarum de maximo contenditur præiudicio. Omnem substantiam, & quicquid etiã vndecunque possideant, auferatur: dummodo viros relinquatis, habent vnde cõsolationem recipiant fœminæ. Hac verò parte truncatos si remittitis, non viros, sed fœminas spoliastis. Excepit omnes cachinnus: & promeruit libertas dicacis fœminæ, vt virũ cum omni præda reciperet. Tum Camerinus, vbi virum & omnia reddidit mulieri, versus in eam, Quid, inquit, faciam vis viro tuo, si iterum in me pugnans, capiatur? At illa, Oculos & aures cum naso amittat, modò vir ad me redeat. Ita dicti sui festiuitate & sibi & viro profuit.

Ottonis I. egregia opera. *Mulieris de viris non execandis oratio.*

HALBERSTADENSI ecclesiæ per hæc tempora præfuit Bernhardus ordine VII. Burggrauius Magdeburgensis, quasi tenens Imperiũ in Albi flumine, quomodo comes Palatinus in Rheno. Antiquissima enim memoria in Magdeburg erat munitissimum arcis receptaculum, circumpositis casalibus piscatorum in morem vici, aut oppidi non clausi. Arci præerat nobilitas Burggrauiorũ, qui origine Saxones, an Wandali fuerint, incompertũ est. Saxones fuisse libet credere, qui circumpositis Wandalis imperarẽt: ex quibus originem duxit iste Bernhardus. Diu autem in episcopatu durauit, ad annum Ottonum supra quadragesimum. Erat illi postea cum Ottone iam Imperatore non leuis controuersia, quæ durauit ad mortem vsq; pontificis. Nam quum rex Otto, deprecante vxore Editta, Angliæ regis filia (quæ Albi flumine delectaretur) vt in loco Magdeburg vrbem exædificaret, nundinis donaret ad inuitandos mercatores. Vbi rex annuit, ipsa iussit aratrũ duci, valla & muros designari. Concurrentibus ad nouã immunitatem plurimis, incredibile est dictu quàm breui coaluerit. Tum rex prosperatũ videns nouæ molitionis opus, de religione cogitauit: episcopũ ibi, imò metropolim designare cõstituit, Wandalis ad fidẽ Christi multiplicatis. Deerat territoriũ, quod è vicino totũ Halberstadensis episcopatus impleuit. Egit rex primùm placidè cum Bernhardo episcopo, vt cederet partem ditionis nouo episcopatui. Ille renititur: ecclesiã suã multiplicare, non attenuare, sibi esse præceptũ impositũ. Quid multa? Vbi nõ suasionibus, nõ precibus profecit, vi (pro more regum) agere contendit: iussit captum episcopũ incarcerari. Ille patienter omnia suffert, priusquam iura suæ attenuari patiatur ecclesiæ. Rex moram interponit, vt mansuescat ex tempore: sed in eo nihil mutatur. Aderat sacra Iouis Dominicæ cœnæ: quasi chrisma consecraturus, iussit in carcerem dari pontificalia ornamenta: quibus indutus, regem iubet acciri. Credens iam emollitũ, & malis perdomitum, venit. Vbi adstitit, episcopus inchoat, In nomine, inquit, supremæ Trinitatis anathematizo te rex, cum omnibus qui te non deferendum putant, quòd manum inieceris, & detines Christum Domini. Rex cachinno excipiens digreditur: altiùs tamen deinde descendit in pectus eius, pontificalis imprecatio. Et intra se reuersus, misit qui episcopum laxarent, impetra-

CAP. 10. *Magdeburgũ conditur.* *Quid est ecclesiam amplificare?*

ta venia. Ita obtinuit episcopalis seueritas, ne se viuo aliquid ecclesiæ detraheretur. Sed morte eius post annum XLVIII. interueniente, omnia ex sententia regis processerunt: quod suo loco dicemus.

CAP. 11. HILDESEMENSI Ecclesiæ per eadem tempora præfuit ordine nonus pontifex Dethardus, incertum vnde ortus, quantumque præfuerit temporis. Vnum non siletur, quòd auream tabulam (quæ extat hodie in eius ecclesia) sacrauit diuæ virgini, munus pontifice dignum. Vidit hic pontifex magnificum Henrici regis animum, ad componendam prouinciam in moribus, & ordine, & exercitio militari. Ministeriales suos, qui soli volunt hodie dici militares, coæquauit vrbicis ad militiam conscriptis: quos etiam in ordinibus duxit, nihil minoris habitos. Sed posteriora secula distinxerunt ordines militantium & vrbicorum, vt iam non patiantur sibi illos coæquari: & (quod est arrogantius) iam qui olim ministeriales dicti sunt aut feudatarij, nunc ambiunt dici nobiles. Sed coarguit eorum superbiam vsus principalium scribarum, & omnium rectè discernentium munera graduum singulorum. Primi enim barones inter nobiles deputantur, inde liberi domini, postea comites, inde duces, quos appellat Papa nobiles viros. Quid patitur ministerialis, vt in hac nobilitatis appellatione coæquari quærat duci? Sed hæc aliâs. Henricus rex, vbi omnia circunspexit, collegium canonicorum, quod Wedekindus tritauus fundauerat in Westphalia in Angaria (vnde titulum retinent hodie archiepiscopus Coloniensis & duces Saxoniæ) transtulit in Saxoniam orientalem, in terram Luneburgensem in Vallersleue: constituitque eo loco episcopum, sanctitate præcipuum virum, Marcum, qui eam ecclesiam per sua tempora deiformiter regebat, multis clarescens miraculis & in vita & in morte: solusque eius loci fuit antistes. Nam Otto Magnus, Henrici filius, sumptum inde episcopatum transtulit in Magdeburg, magnificauitque illum, vt esset metropolita eius regionis: quod suo tempore dicetur. Idem Henricus in oppido Misna fundauit episcopatum ad Albim fluuium, muniuitque vrbem, vt esset præsidium aduersus incursiones barbarorum. Erat autem ea tempestate omnis Misna ditionis Saxoniæ, quanuis hodie diuisos se ferant & lingua & moribus: nec dignarentur Saxones dici, ni faceret respectus electiuæ dignitatis, quæ innititur ducatui Saxoniæ.

Omnes se aliis anteferri student.

Principes certatim ecclesias & episcopos ornare contendunt.

CAP. 12. IN ecclesia autem Verdensi, ea tempestate præfuit Adalwardus, ordine XIIII. vir venerabilis, & illustri genere ortus: cuius vita insignis, fama probata & illæsa, fides erat in palatio notissima, quem ferunt doctrina & miraculis celebrem, Wandalorum populis diu ac multum prædicasse. Quantum autem temporis egerit in pontificatu, nõ scribitur, sed quòd ex hac luce migrauerit V. calendas Nouembris. Viderunt eius tempora assumptionem Ottonis (qui filius erat Henrici) in regnũ, non quidem illo qui nunc est, electionis ordine (nam illũ nepos eius, tertius Otto, adinuenit: quod dicemus) sed placito communi omniũ de Germania principũ, de Bauaria, Sueuia, Frãcia, Saxonia, Lotharingia: nam & illa Germaniæ tum annumerabatur. Gallia autẽ & Italia se iamdudũ retraxere. Sed Otto Italiam reuocauit in ius antiquum, Galliam satis afflixit: quæ sumus in Saxonia executi. Quòd autem huic attinet loco, Treuerensis & Coloniensis archiepiscopi contenderant de noui regis cõsecratione. Treuerensis nixus est antiquitate sua, quòd prior esset in Christianismo fundatus: Coloniẽsis autem ius loci prætenderat, quòd suæ esset ditionis Aquisgranũ, in quo ob memoriã & præsentiam Magni Caroli, vsq; hodie rex inungitur Romanorum. Sed tum, vt esset controuersiæ finis, delatum est Moguntino, vt impleret ministerium. Vnde factum est, vt vsq; in hodiernũ illi primas deferant partes, præsertim quòd sit cancellarius Imperij per Germaniam, Treuerensis per Gallias, Coloniensis per Italiam: & quoniam vires regni sunt in Germania, solet ille cæteris anteponi. Initio autem regni, quum multa ei essent aduersa, & proximi essent inter rebellãtes, frater videlicet & gener (quod in Saxonia diximus) per omnes difficultates victor emersit. Depræhendit autẽ in ea aduersum se cõiuratione fuisse ecclesiasticos, Fridericum archiepiscopum Coloniensem, quem depositum detrusit in Fuldense monasterium. Rotardus quoque Argentinensis episcopus, in

Electionis ordo alius olim quàm nunc.

Otto ex magnis difficultatibus victor emergit.

Corbeiam

Corbeiam includitur. Adeo nihil tam ſanctum, quod non poſſit contaminare perfidia. Seueritatem illorum temporum in corrigendo adulterio, ex vno Ottonis facto perpendimus. Quum rex expeditionem militarem crebrius duceret per Italiam, procidit ad pedes eius mulier querula, quòd vim paſſa eſſet ad ſtuprum, rogās iuſtam legum vindictam. Quum ille feſtinans educere, polliceretur in reditu ſe iuſtitiam facturum: eiulans mulier, Quis tum, inquit, faciet te dominum meum atrocis iniuriæ memorem? Tum ille ſuſpiciens in proximam eccleſiam, Hæc, inquit, erit teſtis inter me & te, & in ſignum iuſtæ vltionis. Ibat ille itinere, & proxima vice per interpoſitos reuerſus, vbi vidit eccleſiam, recordatur delatæ queſtionis. Iuſſit aduocari mulierem. Vbi aderat, præueniens mulier, Sereniſſime, inquit, rex, vir de quo ſum olim queſta, nunc meus eſt maritus: peperiq; ex eo, & iniuriam aboleui. Non ſic, inquit rex: per Ottonis barbam ſentiet dolabrum. Nam inter vos facta colluſio, ſacris legibus non imperat: iuſſitq; virum ſecuri percuti. *Adulterium ſumma ſeueritate punitum.*

Cap. 13.

INTERIM Mindenſi eccleſiæ ſextus præficitur pontifex Adalbertus. Sed nihil eſt relatum in literas ex omnibus quæ per eum geſta ſunt, vel in diuino miniſterio, vel in opere quolibet pietatis. Et erant tempora plena rebus magnis, quæ meritò ad poſteros mitterentur. Vix enim per ea tempora quieuit turbo perſecutionis ab Normannis terrarum vaſtatoribus: & ecce alius non minor turbo conſurgit ab hoſtibus Vngaris, qui tonuerunt per Germaniam ex Oriente: nec poterāt his perturbationibus eſſe immunes eccleſiæ, quarum tempora ſignamus. Peruenerāt Bremam, igni ac ferro omnia vaſtantes. Non potuit immunis eſſe Minda: & tamē tantarum rerum mirum ſilentium eſt, vt nemo in literis recordetur. Quid tum ageret bonus pontifex in tanto terrore, tanto metu? quibus armis obuiam iret? Certè carnalia ad illam feritatem non profuerunt: lachrymæ & orationes opponebantur ab optimo pontifice: & profuerunt eatenus, vt æternam morientibus ſalutem præpararent, & elabentibus vitæ ſpatium impetrarent. Mira temporum illorū ac ſequentium ratio, vt inundationes fierent terrarum ex incognitis pridem gentibus. Normannos quidem nouimus: de Vngaris auditum nemini fuit, vnde venerint. Huni ante multa ſecula eiſdem orti regionibus deſcenderant, quorum reliquias extinxit Carolus Magnus, in iis ſedibus quas nunc Vngari tenent. Sequuti ſunt Vngaros Turci, gens immaniſſima, hodie magnum tenens imperium: illos verò Tartari, gens in orbem diffuſa latiſſimè. Sed quis tandem finis? De Vngaris tum querimonia, qui iamdiu Chriſtianiſmo fuere pro muro. Adalbertus autem Mindenſis pontifex, qui hæc tempora vidit, eorum incommodo non caruit. Migrauit autē ex hoc ſeculo, die ſanctorum Germani & Vedaſti. Extant verſiculi laudibus eius inſcripti: *Vera pontificis arma.*

Liberat eccleſiæ, depulſis vulpibus, agrum,
Nec iam ſchiſmaticus vorat ouile lupus.
Non dubitat forti pater obuius ire leoni,
Maxillisq; graues inſeruiſſe manus.

Quæ res indicio eſt, laborem illi fuiſſe plurimum in hæreticos, ſchiſmaticos, & male potentes tyrannos. Ille verò ſua tempora magna cum laude peregit.

Cap. 14.

OSNABVRGENSI eccleſiæ per hæc tempora præſedit Dodo, pontifex ordine VII. ab anno DCCCCXVIII. quo Egelmarus deceſſit ex hoc ſeculo: præfuitque per annos duodecim, vt ferunt: quibus Imperio præfuerunt poſt Arnulphum Ludouicus, & deinde Conradus, in quo defecit ſtirps Caroli Magni. Et ſucceſſit Henricus prim⁹, genere Saxo, pater Ottonis Magni, princeps raræ virtutis: qui pro modeſtia recuſauit nomen Imperatorium, contentus dici rex Romanorum, aut etiam Germaniæ. Præclarè autem res geſſit, domitis Vngaris, qui ſe diffuderant per Germaniam, priuſq̄ ſedes caperent in Pannoniis, vbi iam conſederūt per annos ſupra DCC. Sed ad pontificē reuertamur. Extat priuilegium eiuſdē eccleſiæ inſigne, qđ hic Dodo fertur impetraſſe ab Ottone I. iam tunc rege Romanorū, anno XXXVIII. poſt DCCCC. Quod ſi verum eſt, falſa erit quæ prænotata eſt huius pontificis deceſſio: pluribuſq; quàm XII. annis ſediſſe comperitur in cathedra. Quomodo enim poteſt certior fieri ſupputatio annorum, quàm in Data literarū, quæ vtiq; diligentiſſimè percenſet cuiuſq; annos & tēpora? Nam ad ſecūdi Dodonis tēpora nō *Quampridem Vngari Pannonias teneāt.* 938.

poteſt hoc priuilegium referri, eò quòd is incidit in tempora ſecundi & tertii Ottonis, quorum neuter extitiſſe reperitur rex Romanorum. Nam ſtatim declarati ſunt Imperatores, ſecundus ſub patre primo, & tertius adhuc puer, ſtatim poſt patrem. Eximit hoc priuilegium eccleſiam ab omni onere, quod à præfectis aut dominicis nunciis poſſet imponi. Daturq; in ſpecie nūc huic eccleſię, quod longo antè tempore ſuperiores Imperatores dabāt eccleſiæ vniuerſali: de qua re multę ſunt leges in corpore iuris, præſertim in Codice Iuſtiniano. Magis autem ſolet attendi, quod dicitur in ſpecie, quàm quod in genere fuerit enunciatum. Firmauit hoc priuilegium rex manu, impreſſo etiam annulo, per inſtantiam Dodonis, Oſnaburgenſis eccleſiæ pontificis.

Priuilegium Eccleſiæ.

CAP. 15. RICHARDVS per ea tempora Mimigardeuordenſem regebat pontifex eccleſiam, vir in vtroq; homine nobilis: nam regium ex Anglia ſanguinem trahere ferebatur, non minus animo & religione inſignis. Nec tamen quietem habere potuit à miniſterialibus eccleſiæ. Erat potens in ditione familia, quę cognomen haberet *Meinhouele*, quæ & opibus & viris præſtaret: ea in ſuperbiam & contumaciam verſa, ſuo repugnauit epiſcopo. Longè erat Imperator, implicitus rebus aut Bohemicis aut Wandalicis, vt non inde timeretur cenſura: ſed vtcunq; potuit, rem ille compoſuit, modeſtia certans & humilitate, vt frangeret moribus, quos armis ſuperare difficile fuit. Sequutus eſt illum in epiſcopatu, ordine VIII. nomine Rumoldus. Cuiꝰ in præcipuis virtutib. memoratur, quòd in fame & caritate annonę, multam impendit largitatē indigentibus, alter velut Ioſeph in Ægypto, ſic ille in Weſtphalia, terra ſatis inaquoſa & ſitiente, & frugum non ſuperabundante. Sed quoniā pietas valet ad omnia, potuit in optimo patre prouidentia, & diligentia, & circunſpectio, vt multis tum fame deficientibus, fuerit ſalutis conſeruator. Excepit illum ordine IX. in ea eccleſia Hildeboldus, cuius memorabile nomen inde eſt, quòd fratribus ſuis multa prouidens benefecerit. Admoneor hoc nomine, quod in annalibus vbiq; lego, per eccleſias vixiſſe fratres, ordine vtiq; canonico ſub regula diui Auguſtini. Sed vbi abiectum eſt hoc nomen, vt erubeſcant deinde dici fratres, hoc retinentes, vt canonici ſine regula (quum canon ſonet regulam) & domini dici ament? Fugit cum nomine fratris charitas, illi nomini cognata: & ſuccedit amor excellentiæ propriæ, & contentio ſine fine. Decimus ordine in hac eccleſia pontifex, Dodo erat: cui bonum, ſed breue, datur teſtimonium, quòd eccleſiam ſuā laudabiliter rexerit. hoc eſt, vita, moribus, doctrina inſtruxit. Foris & intus prouidit, vt vbique bonum haberet teſtimonium. Ea breuitate quum tranſeāt annales, nos affingere quæ nuſquam legimus, non debemus.

Canonicos eſſe ſeculares, tanquam regulares non ſint, abſurdum. Vide infrà cap. 24.

CAP. 16. ADALDAGVS, vir natu nobilis, ætate iuuenis & induſtrius, Ottoni regi percharus, ſucceſſit: & (vt quidam tradunt) acceſſit in archiepiſcopatu Hamburgenſi & Bremenſi, Vnni ſancto pontifici: qui in peragratione prouinciæ ſuæ, & ſacro miniſterio, ſpiritum poſuit pro lucrandis animabus. Aiunt nonnulli, exeuntem de prouincia ſua pontificem, certum non redeundi, quod annos qui vitæ ſupererant, prædicandi miniſterio vellet impendere, archiepiſcopatum Adaldago voluntate fratrum permiſiſſe. Sed ea res, quia neq; veriſimilis eſt, neq; ſacris canonibus conſona, à me fidem non meretur. Quod certum eſt, Adaldagus Vnni ſucceſſit voluntate regis Ottonis, cuius ſemper hærebat conſiliis, eius intimus ac primus ſecretarius, quem ætas noſtra vocat cancellarium (quòd per cancellos, pro multitudine negociorum & interpellantium, conſueuit interpellari) quod miniſterium is præſtabat ſumma fide & integritate tribus Ottonibus. Genere quidem illuſtris, ætate iuuenis, ſpecie decorus, morumq; probitate ſpecioſior. A choro ſumptus Hildeſemenſi, conſanguineus & diſcipulus Adalwardi Verdenſis epiſcopi: cuius tunc vita probata, fama illæſa, & fides in palatio erat cognitiſſima. Qui etiam doctrina & miraculis celebris, Wandalorum populis (vt diximꝰ) eo tempore prædicauit, quo Vnni ad Suedos legatus extitit, eius nimirum opera & teſtimonio commendatus in curia Adaldagus. Ferulam paſtoralem à magno Ottone ſuſcepit, pallium à papa Leone ſeptimo, manus impoſitionē (ſicut prædeceſſores eius) à Moguntino præſule. Necdum autem Hamburgenſis cathedra ſuffraganeos habuit, quos huius Adaldagi

Cancellarii appellatio vnde ſit ducta.

daldagi

daldagi ſtudio recepit. Adaldagus igitur primò vt eſt ingreſſus epiſcopatum, Bremam, longo prius tempore poteſtatibus ac iudiciaria manu oppreſſam, præcepto regis abſolui, & inſtar reliquarum vrbium immunitate ſimulq; libertate fecit donari. Regis autem ita vſus eſt familiaritate, quòd ab eius latere raro vnquam diuelleretur: nunquam tamen aut parochiæ neceſſitati defuit, aut legationis ſuæ curam poſthabuit. Quinimò victorioſi & iuſtiſſimi regis animum in omnibus quæ Dei ſunt, paratum cernens, ſtudium eius ad conuerſionem paganorum incitare non ceſſauit. De legatione ſua (quæ pro gentium ſalute primò à prædeceſſoribus ſuis ſuſcepta, hoc illi ordine prouenit, vt quod alii in lachrymis ſeminauerunt, ipſe meteret in gaudio) toto animi deſiderio incenſus ęſtuabat, quomodo perficeret quod religioſo pietatis concepit affectu. Et quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, dedit illi Dominus ad vota ſucceſſum, & proſperitatem temporis, & gratiam regis. Cuius ita vſus eſt familiaritate, quòd, vt diximus, ab eius latere raro vnquam diuelleretur, vt dono victorioſi & optimi regis in omnibus proſperaretur: quod etiam pro ſententia ita Dei nutu prouenit, dexteram regis in omnibus eius viis corroborante. Otto igitur rex, diuino fultus auxilio, quum primùm ab inſidiis fratrum ac cæterorum principum eſt ereptus (cui⁹ rei ſeriem in Saxonia peregimus) iudicium & iuſtitiam populis fecit: deinde omnia ferme quæ poſt mortẽ Caroli Magni ab Imperio defecerant, ad obedientiam reuocarat: in Danos arma corripuit (quos antè pater eius bello repreſſit) tum rebellionem molientes. Nam apud Heidebu (Sliaſwig vocant) legatos Ottonis cum marchione, hoc eſt duce limitaneo (quem illic pater eius rex Henricus rebus præfecerat) trucidatos, violato iure gentium, peremerant, Saxonumq; coloniam illic conſtitutam omnino oppreſſerant. Ad quam rem vlciſcendam, iuſta indignatione ſuccēſus rex, in Daniam parauit exercitum. Tranſgreſſus autem terminos Danorum, apud Sliaſwicum, olim à patre limites poſitos, ferro & igne totam vaſtauit regionem, vſq; ad mare nouiſſimum, quod Danos à Normannis determinat, noſtri *Scagen* vocant. Quo tempore quantam victoriam peregerit rex Otto, vetuſtatis nomina teſtantur. Nam & inſula Ottonia, & mare conterminum, faux Ottonis, ad hunc vſq; diem vocitatur. Cui regredienti, quum Haraldus Daniæ rex apud Sliaſwicum ſe opponeret, prælium non leue initum eſt: in quo viriliter vtriſq; certantibus, Saxones victoria potiti, Danos in naues refugere coëgerunt. Tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haraldus Ottoni ſubiicitur: regnumq; ab illo recognoſcens, Chriſtianiſmum in Dania publicè permittere eſt pollicitus. Nec mora, ipſe rex, matre natus Chriſtiana, pridem baptizatus ſub Vnni pontifice, Gunhild coniugem, & paruulum filiũ Zuenonem iuſſit baptizari. Filium ipſum rex Otto de ſacro fonte ſuſcipiens, participato cum ipſo nomine, honoris gratia, Zuenottonem appellauit. Sed non permanſit in iuuene diu ſuſcepta non ex animo religio.

Eccleſiæ libertas, a magiſtratus autoritate eximi.

Ottonis acta memoratu digna.

Otto religionem apud Danos propagat.

CAP. 17.

Eo tempore Dania ciſmarina, quæ Iutia eſt, in tres diuiſa epiſcopatus, Hamburgenſi archiepiſcopatui opera metropolitani ſubiicitur. Seruantur in eccleſia Bremenſi literæ regiæ, quæ ſignant teſtanturq;, regem Ottonem in ſua ditione regnum tenuiſſe Danicum, adeo vt etiam illi epiſcopos pro arbitrio donauerit: quod illa ætas regibus permiſit. In priuilegiis autem Romanæ ſedis videri poteſt, quòd Agapetus papa Hamburgenſi eccleſiæ de conuerſione gentium gratulatus, omnia quæ à prædeceſſoribus ſuis, Gregorio, Nicolao, Sergio, & cæteris Hamburgenſi eccleſiæ, & perinde nunc adunatæ Bremenſi, permiſſa archiepiſcopatui, & ipſe conceſſit Adaldago. Cui etiam ſua vice ius ordinandi epiſcopos tam in Daniam, quàm in omnes ſeptentrionis populos, apoſtolica authoritate conceſſit. Igitur archiepiſcopus noſter omnium primus in Daniam ordinauit epiſcopos, Haroldum in Sliaſwicum, Liafdagum in Ripam, Rembrandum in Aruſiam. Quibus etiam illas commendauit eccleſias, quæ in inſulis erectæ fuere, in Fionia, & Selandia, & Scania, atque in Sueonia: quod factum reperimus anno pontificatus ſui duodecimo. Et hæc quidem initia redeuntis miſericordiæ Dei, ſequutum eſt tale incrementum, operante Deo, vt ab illo tempore in hodiernum diem, eccleſiæ Danorum multiplici borealium gentium fructu redundare videantur.

Primi in Dania epiſcopi.

Quo etiam tempore inuictiſſimus rex Otto, vniuerſos Wandalorum populos ſuo ſubiecit imperio: & quos pater eius vno, ſed grãdi, prælio domuerat, ipſe Otto deinceps magno Dei adiutorio ita conſtrinxit, vt tributa cum Chriſtianiſmo, pro vita ſimul & patria libenter offerrent victori. Quo tempore multus ex ea gente populus baptizatur, & eccleſiæ tunc primùm in Wandalia ſunt erectæ, de quibus infrà ſuo loco. Colonienſis autem archiepiſcopus Bruno, fratris Ottonis fretus authoritate, veterem de Bremenſi eccleſia renouauit quæſtionem. Sed dum fruſtra omnibus modis laboraſſet, nec Papæ potuit conuellere conſilium, nec fratris meruit auxilium ea in re. Ita vir potens & prudens, authoritate Adaldagi noſtri archiepiſcopi ſuperatus, in noſtræ pacem eccleſiæ cum digna ſatisfactione eſt reuerſus: prędicans, Hamburgenſem eccleſiam, quæ in tanto gentium periculo ſit conſtituta, non mereri moleſtiam à catholicis, verùm eſſe dignam, quæ ab omnibus conſolationis pręſidio foueatur, & ab omnibus vbiq; celebretur eccleſiis. Remanſit poſteris in memoria, quòd rex Otto quẽdam Erponem diaconum, quòd viriliter in defenſione eccleſiæ ſuo adſtitiſſet pontifici, eccleſia Verdenſi donaſſet (ſed hæc poſtea) aliosq; qui in prædicatione Danorum ac Wandalorum laborarunt, magnis eccleſiarum miniſteriis ab eodem rege fuiſſe muneratos. Totum verò ſtudium pontificis Adaldagi in conuerſione gentium, & lucro conſtitit animarum: pro qua re, & Deo amabilis, & cunctis venerabilis hominibus meruit haberi.

Colonienſis ambitioſo conatu excidit.

CAP. 18. IN eccleſia Mindenſi per hæc tempora ſeptimus præfuit pontifex Bernhardus: ſed annotationes nimis ſunt ſobriæ, vt præter nudã pontificum nomina nihil inuenias. Quid hîc diuinabimus egiſſe pontificem, niſi quod vnum pro certo eſt, inſtitiſſe bonum patrem, vt conſolaretur gregem Dominicum, ſuper crębra barbarorum incurſione, quæ fuit his temporibus, præſertim ab Vngaris? priuſquam per Saxoniam orientalem Henricus dux, Ottonis filius, ciuitates communiret, militiam conſcriberet ex agris & vrbibus: conſtitueretq; in vrbibus, vt quintus quiſq; militaret ſtipendiis quatuor ciuium, ad arma & equos inſtructus, & per agros octo nonum armarent. Ita factum eſt, vt exercitum haberet tyronum paratiſſimum, quo etiam tum vtebatur feliciſſimè in Vngaros: quod in Saxonia ſcripſimus. Mirum, ſi non in veteri Saxonia (hoc eſt in Weſtphalia) eodem ſit vſus imperio, vt vocaret ad militiam idoneos: certè ciues ille militantes, inter aulicos nullo diſcrimine habebat. Nunc, ſi diis placet, militaribus noſtri temporis æquari nulla parte poſſunt. Ita creuit ſuperbia agreſtium hominum, vt contemnant ciuilitatem vrbicorum: animos vel inde colligentes, quòd in ſua ruſtica plebe dominentur. Henricus autem dux, inde rex, non illa faciebat diſcrimina inter militantes, ſed quenq; pro ſua virtute anteferebat. Inde facta eſt æmulatio in bonum, vt non paterentur ciues virtute ſe ſuperari à quouis. Inde creuit robur exercit⁹ & fiducia animorum. Sed nos interim de pontifice quod dicamus, nihil habentes, teſtimonia vndecunque conquirimus. Extant verſiculi,

Henrici Ottonis F. militares cõſtitutiones.

Sanctus & electus Bernard fuit ſeptimus heros.

Breue teſtimonium, ſed fidele, ſed bonum. Sanctus & electus: hoc moribus, hoc vita promeruit, vt eum titulum auro incomparabilem mereretur. Trãſiſſe ſcribitur ex hac luce, ipſo die S. Magni, in meliorẽ lucem, quã inhabitat Deus inacceſſibilẽ.

Pontificis diuinæ laudes.

Herculis exemplo, mundi ne corruat axis,
Hic habet, atque humeris grande retentat opus.

Papæ teſtimonium viri pluſquam virile: labentem eccleſiam ſolus fertur humeris ſuſtinuiſſe, quomodo Hercules terrarum orbem. Quid potuit amplius, quid excellentius in laudem dici? Meritis ſuis axem tenuiſſe. Ea certè in laudem pontificis vel maxima ſunt, quibus addere nemo poteſt, vt creſcant. De quo autem hoc ſcriptum legimus pontifice? Satis habuere pro magno, precibus ſuis interueniſſe: ſed meritis collabentem eccleſiam fulſiſſe, plus eſt, quàm in laudibus cuiuſquam dici poſſit.

CAP. 19. VERDENSEM interim epiſcopatum tum adminiſtrabat Amelungus, xv. huius eccleſiæ pontifex. Frater germanus hic erat Hermanni, quem Otto rex ducali ſublimauit honore. Patrem habuerũt Biling, infimæ nobilitatis hominem. Quum enim

enim victorioſiſſimus rex Otto,ad liberandam Italiam à Berengariorum tyrannide,& ad purgandam ſedem apoſtolicam,quę Iohannis XII. miris eſſet polluta ſordibus,euocaretur: ſecum agere cœpit, cui terminos Saxoniæ, Danis ac Wandalis nouis ad fidem gentibus confines,commēdaret: quippe ſtrenuo viro indigere res noua videbatur,qui quotidianis & aſſiduis curis ad tutelam finium,& ad continendos in fide barbaros peruigilaret. Erat in regiis miniſteriis vir induſtrius, militari, ſed infimo genere natus,tenui patrimonio, vtpote ſeptem ſolis manſionariis gaudens.Hic ſingulari & incredibili induſtria meruit, vt primùm regiorum pædagogus fieret filiorum: deinde quum maiorib. etiam par videretur officiis, præficitur in abſentia regis,regundæ vltimæ Saxoniæ ad Albis confinia. Quo in opere ita ſe vigilem & iuſtum oſtendit rerum arbitrū,vt ab omnibus & prędicaretur,& (quod eſt amplius) etiam amaretur. Nam ſeptē eius manſionarii,fiducia fortè freti, quòd dominus eorum præfectura terræ potiretur,inſolentiores facti, nonnihil finitimis iniuriæ patrato intulerunt furto. Accuſatos & conuictos,vno omnes ſuſpendio iuſſit mulctari:cuius rei fama percelebri rex motus,omnem illi inferioris Saxoniæ ditionem,per abſentiam ſui diuturnam,permiſit. Sed ille per incrementa quotidiana intantum profecit iuſtitia & fortitudine, vt ducali illum dignitate reuerſus ab Italia rex perornaret:quod in Saxonia oſtendimus.Huic erat germanus frater,iſte Amelungus Verdenſis epiſcopus: vterq; ſuo merito congruum eſt locum aſſequutus. Credi poteſt,Hermanni præfecturam,& deinde maioris loci dignitatem,plurimum profuiſſe Verdenſi eccleſiæ,cui frater præeſſet. Quum enim eſſet iſte Hermannus ex militari genere,dux inſigni virtute ad omnes, & in Deum incredibili religione,eam potiſſimùm voluit declarare in eccleſiam, cui germanum præeſſe vidit. Extruxit autem iſte Hermannus in monte Luneborg primus arcem, deinde monaſterium diuo iuſſit conſecrari Michaeli. Durauit arx in memoriam vſq; proauorùm noſtrorum:tum effracta eſt ab oppidanis Luneburgēſibus: monaſterium verò inde in oppidum eſt tranſlatum,ad eiuſdem montis pedem. *Vir ex obſcuro loco ad honores virtutis merito euect[us].*

REM eccleſiaſticam à capite reformare orſus rex Otto,quum veniſſet Romā, concilium epiſcoporum patrumq; aliorum vndecunque iuſſit aduocari, vt in eo conuentu, accuſati Iohannis pontificis XII. acta diſcuterentur. Vocati patres aderant:ſed Ioannes male ſibi cōſcius,iudicium non expectandum ratus,fugam iniit: & per eius iam abſentis contumaciam acceptis vndecunque teſtimoniis, quæ in tanta veritatis luce & factorum notorietate abeſſe non poterant, ſolenni patrum decreto indignus ſummo pontificio declaratur,ac deſtituitur,ſurrogato in locum eius viro ſanctiſſimo Leone VIII. qui infula Imperiali Ottonem ex more decorauit. Inde profugus Iohannes,iam (vt antè) vocatus eſt Octauianus,quum ſcelerum ſuorum cōſuetudini inhæreret,peſſimo fertur exitu in ſcelere,quod patrarat, controcidatus. Leo pontifex, annitente Romano populo,regem (vt diximus) Ottonem,anno regni ſui XXVIII. corona donat Imperii, quum omnes acclamarent, Ottoni Imperatori vitam & victoriam,poſt coronatum Carolum anno CLIII. Igitur quum Imperator filium ſecum trahens æquiuocum, ad pacandam reliquam Italiam deduceret exercitum, & apud Spoletum moraretur: audiuit tumultuari Romanos, præſertim deſtituti Iohannis amicos (qui erant in vrbe male potentes) Leonem ſede ſua depuliſſe, quum contenderent illum per impreſſionem & vim Ottonis Iohanni ſurrogatum, atque in eius locum Benedictum quintum conſtituerunt. Indignitate rei permotus Imperator,reduxit ad vrbem exercitum,atque agrorum vaſtatione & pulſatione mœnium adegit ciues, Leonem in ſuam ſedem reponere,Benedictumque inuaſorem foras illi dedere:quod ita factum eſt. Interea Imperatore per vniuerſum quinquennium in Italia cum filio remanente,quod rebus componendis multum temporis abſumeret, nuſquam lateri eius aberat Adaldagus, cuius conſilio cuncta gerebat: populus autem noſter multis nunciis ac literis apud pontificem ſuum, diuturnam eius abſentiam cauſatus, querebatur, pericula denuncians eccleſiæ incumbentia, quod boni paſtoris ſolatio deſtitutus grex tantus videretur. Ille motus,miſſionem poſtulauit ab Imperatore,vt ad eccleſiam ſuam remearet: quam non leuiter tamen impetrauit. Igitur redeunti in

CAP.20. Eccleſiæ reformatio vnde inchoanda.

Populi Rō. tumultus ab Ottone comprimitur.

Papa per tumultum creatus relegatur.

patriam,& ad ecclesiam suam Adaldago, Benedictum nuper deditum (quem Romani tumultuantes papam constituerant) commendatum archiepiscopo, iussit Imperator in prouinciam secum deducere, & illic exulantem detinere, ne per occasionem eius Romani ad seditionem redirent. Acceptum ergo Benedictum Adaldagus secum deduxit honorificè, atq; apud ecclesiam Hamburgensem matricem collocauit, virum sanctum & literatum, &, si nō per tumultum esset Romanorum assumptus, summo dignum pontificatu: qui exemplo religionis, & verbi sui doctrina, non paucos in vita & moribus ædificauit. Tradunt tamen nonnulli, eundē, priusquam Imperatori dederetur, à Leone execratum, & omnibus ecclesiasticis ministeriis, solenniter degradatum & exordinatum. Quumq; iam Imperatore placato reuocandus in patriam, & (vt inscriptio sepulcri loquitur) ad pontificatum duceretur, dolore animi confectus, in pace quieuit, atq; in choro Hamburgensis ecclesiæ cernitur tumulatus: extructo postea (vt cerni potest) eminenti sarcophago, cuius inscriptio annorum facit errorem. Nam obitus eius contigit anno DCCCCLVI. vel circa: sed inscriptio hinc longè discedit. Certū est tamen, in pace sine martyrio quieuisse. Hoc Romanorum historiæ testantur, hoc loquuntur annales nostri, hoc ipsum tumuli testatur inscriptio. Erubescat igitur, ac in remotas concedat tenebras, anilis, inanis, & puerilis fabella, quā imperiti homines & pictura, & scriptura, & annua recordatione consueuerant renouare, de Benedicto papa, qui in diebus Ludouici Imperatoris magno prælatorum, cardinalium, episcoporum, ducum, comitum, baronum, nobilium agmine stipatus, in Hamburgum prædicandi & baptizandi gratia descenderit, euocatus (vt ferunt) à Wandalorum principibus: quorum fraudulento incursu trucidatus cum omnibus fidelibus ab angelis fertur & pingitur delatus ad sepulturam. Indeq; sanctorum reliquiæ translatæ, peruenerint in Ebbeckstorp, nec inde potuerint auelli, quum Romani suos ad tumulum in vrbem Romam deducere niterentur.

Et nitemur nō scriptis traditionibus.

CAP. 21. ET quoniam altas egisse fabula radices creditur, stirpitus euellenda est. Fabulandi autem occasionem vnde acceperit iste nugator, suprà in Remberto docuimus. Non indoctum hominem, quisquis erat, voluntatem apparet habuisse mentiendi, non artem: ita inconcinnè conseruit facta infectis, vt neq; temporum neq; locorum vllam habuerit rationem. Viderat multas sanctorum reliquias in crypta sub choro seruari, vidit tumulum Benedicti, Romani quandoque pontificis: & qui non legerat annales, quàm frequenter Hamburgi oppidum euastatum sit à Danis, à Wandalis infidelibus, vt omne nomen Christianū in eo deleretur, & multi Christo martyres consecrarentur, ignorauit: neq; intellexit, qua occasione Benedictus ille, non prædicatum aut baptizatum, sed exulatum descenderat in eum locum: verisimilem suo sensu narrationem ineptissimè conflauit. Sed quoniam sine fine adorant indocti fabellam, iterum atq; iterum conuellenda est, ac laceranda. Recenseamus ab initio egregiam narrationem, & quæ pridem præterita viderentur, nunc extirpentur. Asinino ruditu ineptissimus nugator orditur ab alto, gratulans ecclesiæ, congaudens martyribus, antequam rem narrandam occipiat. Solent docti seruare celeuma ad finem certaminis, & ab imo paulatim erudita solet oratio crescere: ille contrà incipit ab alto, & pueriliter decidit, inuoluens se, vt expedire nō possit. Ait, querulantes Romam peruenisse huius loci fideles, exponentes summo pontifici, quòd pulsi sint patria ab infidelibus, arma rogantes, vt restituantur. Pontifex Benedictus Imperatori scripsit Ludouico, auxilia deposcens in hostes fidei: ille magno exercitu contenderit in Italiam ad pontificē, & illum Roma deducens in Germaniam, dimiserit inde pontificem, patriasq; sedes repetierit. Hæc est illa tragicarum compositio. Quàm paucis verbis, quàm inconcinna figmenta! Primùm, quis vnquam legit vel audiuit, pulsos patria longinquos homines, querulatum venisse Romam ad pontificem, vt armis eius reducerentur? Non solent armati pontifices, eiectos sedibus barbaros armis reducere: sed super dissensionibus ecclesiarum, super dubiis in religione casibus, super ambiguis in iure rebus adiri. Solent legatos mittere rei componendæ causa, non ipsi transire cum exercitu. Arma habet ecclesia, vt tueatur sua, non vt defendat aliena. Deinde Benedictum pontificem componit

Vtinā totum Augiæ stabulum expurgare queas & velis.

Annon aduersus Turcā hodie mittit auxilia, & delet?

nit Ludouico Imperatori. Quatuor in imperio fuiſſe Ludouicos cõperimus, quorum nullus habuit concurrentem in ſummo pontificatu Benedictum quartũ: nam illũ nominat. Primo enim imperante Ludouico, Magni Caroli F. pontifices erant, Stephanus, Paſchalis, Eugenius, Valentinus, Gregorius. Secundus autem Imperator Ludouicus contemporaneos habuit pontifices, Benedictum III. Nicolaum I. Hadrianum II. Ioannem VIII. Tertius Ludouicus horum pontificum regnabat temporibus, Sergii III. Anaſtaſij. Quartus verò longè ab horum ætate poſt CCCC. & ſuprà regnauit annos, cuius temporibus iam confirmata Chriſti religione in his prouinciis, nihil tale potuiſſe fieri, in confeſſo eſt. Secundus autem Ludouicus tetigit tempora III. Benedicti: ſed ille (teſte Platina, diligentiſſimo temporum calculatore) non in Germaniam cum exercitu deſcendit, ſed quum inuitus ad papatum raperetur, reſtaurandæ & reparandæ religioni erat intentiſſimus, non Hamburgi martyrio coronatus, ſed Romæ in pace defunctus, pontificii ſui anno ſecundo, ſepultus ante fores baſilicæ Petri. Tenemus omnium Romanorum põtificum ingreſſus & exitus, quorum nemo Hamburgi, præter Benedictum V. de quo memorauimus, mortuus eſt, ſed ſuis quiſq; locis. De cœlo ergo ceciderit oportet iſte quartus Benedictus, quem ab angelis tumulatum memorat iſte fabulator. Sequamur ordinem fabulæ. Primum Ludouicum quarto componit Benedicto: qui non paucis annis, ſed integro ſeculo (vt oſtendimus) diſtabant. Erat enim ille IIII. Benedictus turbulentiſſimo tempore, quando non modò cum exercitu non egredi, ſed vix poterat in vrbe tutus conſiſtere, donec per I. Ottonem Italia pacaretur. Quòd ſi errorem prætendis exemplantis, quartum ponentis pro quinto, aſſentior V. Benedictum veniſſe Hamburgum exulatum, non pugnatum: ibiq; dolore animi confectum quieuiſſe, non armis trucidatum feciſſe martyrium.

Fabulæ diligentior confutatio.

VIDEAMVS cætera. Narrat Ludouicum Imperatorem contracto exercitu iuiſſe Romam, indeq; papam eduxiſſe in Germaniam, & exinde ſedes ſuas repetiiſſe. Ineptiſſimus fabulator ſicut tempora, ita & loca confundens, putabat Imperatorem ex latere veniſſe Romã, & recto tum itinere cum pontifice deſcendiſſe in Germaniam, ignorans, ex Galliis & Germania per alpes vno pene itinere longo tranſitu Romam peti. Sed ille facit Imperatorem ſalutandi pontificis gratia prodiſſe obuiam illi per Italiam, quaſi ſolatii gratia futurum cum pontifice in itinere. Ineptiſſime mortalium. Solent Imperatores noſtri, cum exercitu, labore maximo, infinitis ſumptibus, penetratis alpibus Italiam petere, non ſalutandi gratia pontificis. Quid enim opus fuit tranſituro in Germaniam pontifici, eodem itinere per tam multa millia occurrere, quò erat ille deſcenſurus: & quum Germaniam tangeret, dimittere pontificem? Ipſe legens erubeſco hominis inſcitiam. Imperator dimittit papã ad arma exerenda, quum ſit ille defenſor eccleſiæ, gladium portans? Si ad prælium (vt tu vis) ibat pontifex, vel pro eo, vel cum eo iuiſſet Imperator. Sed dices, Duces illius iſſe pro illo. Vel vnum ex his nominares. Non ſolent Romani pontifices vel ad pugnam exire, aut prædicandi gratia longius ab vrbe deſcendere. Seruant Romani pontifices, quoad licet, Petri ſedem. Adiri ſe patiuntur ab omni orbe, legatos de pace mittunt rogati, prædicatores dirigunt ad opportuna loca ſuis temporibus. Nunquam lectum eſt, Romanum pontificem ſua ſponte longius ab vrbe diſcedere, aut ad prædicandum exiſſe. Cętera videamus. Quum ad Albim fluuiũ cum pontifice perueniſſet exercitus, ibi recenſitis copiis aliquandiu eſt pauſatum: & euocatis vicinis pontificibus, in Hamburgum eſt deſcẽſum. Vbi interim archiepiſcopus Hamburgenſis, qui à diebus primi Ludouici erat Anſgarius, durans longè poſt Ludouicum? Aderat, an minimè? Si aderat, quomodo, cæteris omnibus cæſis, ſolus eſt elapſus? Nullum autem colimus martyrem ex noſtrorum catalogo pontificũ: omnes mortui ſunt confeſſores. Sed dicis non affuiſſe. Quomodo tam inciuilis erat, vt non exciperet venientem in ſuam prouinciam Romanum pontificem? Aut cur papa, abſente loci ordinario, diuina celebrauit, quod minimè conſueuit? Sed permiſcens ineptus homo tempora, confundit narrationem. Nam inter auxilia numerat pontifices, Mindenſem Theodoricum, Hildeſemenſem Marquardum, & cæteros cum comitib. Hæc ſunt emendicata ſuffragia, tranſlata de temporib. Remberti ar-

CAP. 22.

Imperator ecclesiæ defensor

Nullus Hamburgensis pontifex martyr.

chiepiscopi, quando (vt diximus) Dani cum Normannis agmen Christianum fuderant in loco Ebbeckstorp. Ita mutuans aliunde, confundit narratione͂: quæ inde friuola & ridicula noscitur, q; neq; locorum neq; temporum habet vllam rationem.

CAP. 23. NARRAT præterea in eadem fabulatione, LX. presbyteros miserabili cruciatu peremptos. Hæc vera res est, sed non illius loci neq; temporis. Nam ista strages ex Oldenburg in vicis Wandalorum est peracta, non in Hamburgo, tempore Ottonis III. non Ludouici I. Sed insano capiti peræquè videbatur, facta & infecta locis temporibusq; confundere. Bona lectoris venia hanc peractam velim digressionem. Tædebat atq; pudebat insulsæ fabulationis, quæ pro veritate colebatur: & vtinam finem etiam nunc haberet vana stultitia. Superfuturos arbitror, qui neq; toties exagitati, ad veritatem reuertentur. sic delectat inolitus error. Accedit quæstus turpis, quem de impudenti mendacio nonnulli auspicantur. Reuertamur interim ad historiam nostram. Adaldagus vigilantissimus pontifex, reliquias sanctorum quas ab vrbe Roma deportauit, magna per parochias suas dilige͂tia distribuit, corporum sanctorum Quiriaci & Cæsarii & Coronæ, Felicis & Feliciani, Cosmæ & Damiani. Antecessores eius, Deo seruientium quinq; fundauere cœnobia: his ille sextum addidit in Heslinge, nunc translatum in Treuenam. Vbi virgo Christi Heilgardis, consentiente nobili viro Hattone, patre eius, totum patrimonium suu͂ Christo & sancto martyri Vito, in sustentationem virginum Deo seruiturarum obtulit. Septimam in Phrisia fecit congregationem sanctorum virorum, de prędio & oblatione insignium matronarum. Quumq; sanctus po͂tifex omnium ecclesiarum paternam gereret solicitudinem, xenodochii Breme͂sis præcipuam habuit curam: quod etiam multo maioribus auxit redditibus, quàm antecessores illius, adeo vt præter quotidianos hospites, XXIIII. pauperes ibi pascerentur. Quo in ministerio fidelissimus erat Libentius, quem secum deduxit ab Italia: qui etiam post illum cathedram tenuit: quod dicemus.

Inueteratus error, præsertim quæstuosus, ægerrimè deponitur.

CAP. 24. IN Mindensi verò episcopatu tum agebat sub Conrado Cæsare Lidarius, in ordine po͂tificum VIII. Huius tempore fundatum est monasterium dominarum in Vischbeke, in honorem diui Ioannis Baptistæ. Fundatrix erat domina Hellenburga. Varia fortuna iactatum est: vix enim duo interuenerant anni, & ecce Vngari irruunt, nouam plantationem subruunt: In Ouernkerke monasterium iam bene firmatum, penitus subuertunt, occisis martyrio personis omnibus quæ inerant CXX. numero periere, annumerata familia clericorum & puellarum. Erat autem annus
936. à Christo DCCCCXXXVI. die Felicis & Adaucti. Erant autem tum canonici (vt ferunt) seculares: postea sumpserunt habitum diui Augustini, & facti sunt regulares, vsque in hodiernum. Cœnobium autem in Vischbeke, tu͂ vtcunque instauratu͂, permansit annis plurimis, donec proprio incendio deperiret: tum quoque in cinere diu fuit, donec à duobus episcopis innouaretur. Apparent stellæ geminæ per diem reconsecrationis, multis videntibus. Sed tum effectum est, instantia tum regentis abbatissæ, vt exemptionis ei priuilegium daretur à summo pontifice, ne quis ordinariorum manum immittat, & non nisi inuitatus adsit. Sed cœnobium Ouernkerke euastatu͂, & subuersum aliquandiu permansit, donec nobilis de Rheno puella Merwinda, omni suo (quod locupletissimum habebat) patrimonio erogato, instaurauit: & collectis inibi virginibus, Domino in finem fideliter in eo loco ministrauit. Sed & postea incendio deletur: & episcoporum instantia, qui tum reb. pręfuere, reparatur. Placuit autem Deo, vt eo loco virgo sanctissima Maria, singulariter inuocaretur: quæ multis ibi miraculis clarescentibus edocuit, singulare se eius loci præsidium ac tutelam accepisse. Sentiunt aduenæ, sentiunt indigenæ patrocinium singulare: vnde celebre factum est ab annis multis, vt votis se fideles obligarent & soluerent, reportantes læti, quod voto conceperunt. Quanto autem tempore præfuerit hic pontifex, non scribitur, sed quoniam ecclesia͂ feliciter gubernans, & in tranquillitate relinquens, ad meliora transierit.

Suprà, cap. 15

Iugum paucis suave est.

CAP. 25. OSNABVRGENSI ecclesiæ tum sub Ottone primo, octauus ordine pontificum eius loci præerat vir optimus Drogo. Quæ tempora signat priuilegium à memorato Ottone primo impetratum pro ecclesia Osnaburgensi, anno Christi

DCCCCLII.

DCCCCLII. Renouauit,& literis inſeruit donationes eccleſiæ factas per fundatorē Magnum Carolum. Adiecit priuilegio mercatum publicum in loco Widenbrugge: vectigalia inibi colligenda donat eccleſiæ Oſnaburgenſi, ob merita Drogonis, qui tum illi præfuit eccleſiæ. Religioſus Imperator,non minus religioſi patris filius Henrici,quem in Quedelenborg cernimus tumulatum: quem locū illuſtrauit idem Henricus,fundato ibi cœnobio canonicorum inſigni. Relicta eius Mechtildis,mater Ottonis,rem perfecit à marito inconſummatam.Ea fuiſſe filia memoratur Theodorici Comitis de Ringelheim,ex antiquo genere Saxonum: alij tamen ferunt,Comitem fuiſſe de Aldenborg. Certum eſt enim,illum comitatum eſſe ex omnium vetuſtiſſimus. Præerat tum eccleſiæ Colonienſi,optimus præſul Bruno, frater Imperatoris Ottonis, qui multa fecit in decus & ornamentum eccleſiæ ſuæ & illi ſubiectarum. Peruenit autem hic Drogo ad annum à Chriſto DCCCCLXIX. quo tempore,III. Idus Aprilis diem clauſit extremum.

952.
Comitatus Aldenborg vetuſtiſſimus.
969.

Cap.26.

ADALDAGVS, quum iam rex Otto Danorum regem Chriſtianiſmo adegiſſet,tres epiſcopatus (vt diximus) in Iutia conſtituit. Sleſwico Haraldum præfecit, Ripæ Liafdagum fecit epiſcopum,Reinbrandum in Aruſiam: quibus (quod diximus) commendauit eccleſias,quæ erant in Fionia,Selandia,Scania,& in Sueonia: nam ibi necdum fuere epiſcopales eccleſiæ. Quod enim Anſgarius & Rembertus plantauere,temporis malitia ſubuertit. Vnni renouauit, ſed necdum ad epiſcopia eſt peruentum in regno. Wandaliam quoque ſuis & Chriſtianis legibus rex Otto parere coegit: quocirca in vrbem Aldenborg epiſcopalem iuſſit eccleſiam conſecrari. Præfecit autem illi primum epiſcopum præſtantem virum,Marconem,qui in nouella gente ſtrenuè laborabat: deditque limitem ditionis à Sleſwici terminis per omnem regionem Obotritorum, vſq; ad Panim fluuium, nimirum latiſſimam prouinciam: quæ quia Ottoni Imperatori paruit ad tributa, pariter adacta legibus ſubeſſe Chriſtianis,non ex animi ſententia: quod facilis illa mutatio declarauit. Paruit tamen omni Ottonum tempore & tributis & Chriſtianiſmo, agente Imperatorum ſtrenua prouiſione,& præfectorum peruigili cura. Hæc eſt prima illa Hamburgenſis metropolis dilatatio. Nunc enim primùm cœpit habere ſuffraganeos, quæ hactenus ſola in latiſſimis regnis, religioni diuinæ præſidebat ſine adiutorio. Dura nimirum Wandalorum,ſicut & Saxonū,pectora,quæ diuinæ religionis metum ſine formidine gladii temporalis non admittunt. Prima ergo in Wandalis erat Aldenburgenſis eccleſia, pro magnitudine & antiquitate vrbis, in ea gente veneratiſſima. Nam in ea vrbe ab olim gentis ſuæ habitauerunt reguli tantæ fiduciæ, vt regi Danorum inferre bella,& inde expectare non dubitarent. Sed quid non edax conſumit vetuſtas? Olim ad mare poſita ciuitas, portum habebat ad mare tutiſſimum: nunc in mediterranea videtur abiiſſe: quòd à mari æſtus exaggerans arenas, excluſit vrbem à portu, vt importuoſa eſſet: indeq; defluxit ſplendor eius, vt iamdiu ruſticum,nec clauſum habeatur oppidulum.

Eccleſiæ non ſtatim epiſcopos habent.
Chriſtianiſmus metu gladij perdurans.

Cap.27.

EVERGISO nomen erat ei,qui tum in eccleſia Mindenſi pontificatum adminiſtrabat. Cuius temporibus Bruno Colonieſis archiepiſcopus, frater Ottonis Magni,corpora ſanctorum Patrocli,Gregorii,& Eſitii, cum baculo ſancti Petri de Roma Coloniam transferebat. Sanctum verò martyrem patroclum, militem Trecaſinum, in Suſatum Angarorum oppidum tranſtulit. Admonet nos Angarorum nomen, vt reminiſcamur veterum Saxonum, qui ſub nomine Angarorum ſe in Britanniam recepere,& pulſis habitatoribus,ſuum nomen indidere Angliæ: vt ex Britannia (quod vetus illi nomen fuit) vſque in hodiernum Anglia dicatur, ab Anglis Saxonibus, quos etiam Angros vocauere. Sed hæc vetuſtiora ſunt, quàm vt ad iſta tempora pertineāt: niſi quòd admoniti hoc loco de nomine Angrorum, præterire non debemus occaſionem exponendæ veritatis, quæ apud multos per inopiam veræ hiſtoriæ, fabulis pro vero honoratur. Erant autem hęc ipſa, quæ nunc in manib. ſunt, tempora, clariſſima ſplendore nominis Henrici ducis Saxonię, qui tum in ſua gente & omni circum prouincia tantus erat, vt formidaretur à malis,& honoraretur à bonis. Reſpexere in eum Galli, quorum Conradus in Romano regno prædeceſſor, iam moritur⁹, Euerhardo fratri tradidit Imperii inſignia, hortatus vt illa per-

Anglia à Saxonibus, qui Angari, Angri ſeu Angli erant.

Henricus Saxo Imperatoris nomen non ſumit.

ferret ad Henricum Saxonem, quo nemo tum dignior principatu videretur. Migrauit Conradus, & perfecit Euerhardus quod frater monuit, Henrico Saxoni afferens Imperii inſignia. Quæ ille tametſi venerans exciperet, & de voluntate principum rex enunciaretur, Romano tamen titulo fertur abſtinuiſſe: ſatis ſibi eſſe ratus negocii, ſi per Germaniam & Gallias res Imperii procuraret. Quod & magnificè fecit, & glorioſè amplificauit, transferens Imperii ſui limitem ad Danos in Sliaſwig (quam fecit Saxonum coloniam) & vſq; ad Wandalos in Brandenborg, ambobus in locis conſtituens marchionem, qui rebus præeſſet. Sed apud Danos res euanuit, apud Wandalos autem vſque permanſit in hodiernum. Euergiſus autem Mindenſis per hęc tempora pontifex, die S. Lucæ euangeliſtę ad meliorem lucem eſt tranſlatus, relinquens eccleſiam ſuam in bono ſtatu: & cum augmento gloriæ mutauit ille ſtationem.

CAP. 28.

Magdeburgi conſtituitur metropolis.

MAGDEBVRGENSI vrbi, à ſe in primordiis regni ſui fundatæ, Imperator Otto nunc demum poſt annos XXX. eum addidit honorem, vt metropolitico eſſet honore: ſed diu caruit territorio: de quo regi cum Bernhardo Halberſtadenſi epiſcopo grandis erat controuerſia, quòd ille eccleſiæ ſuæ iura minui non pateretur. Illo autem pontifice iam facto de medio, de Vallerſleue tulit epiſcopalem ſedem, quam inibi pater eius collocauit, & tranſtulit in Magdeburg: additoq; honore ex ſententia ſummi pontificis, fecit archiepiſcopalem, vt eſſet omnibus Wandalicis eccleſiis metropolis, & caput: ſubiecitq; illi eccleſias Mersburgenſem, Miſnenſem, Citzenſem, Hauelbergenſem, & Brandenburgenſem, quæ hodie quoq; illi parent: dedicariq; illam iuſſit in honorem D. Mauricii. Nam eius tutelaris ſancti monaſterium in expeditione bellica (quæ multa etiam inuitis principibus admittit) læſiſſe videbatur: Siue in Italica ſiue Gallica id fuerit, annales non explicāt. Huic autem metropoli præfecit inſignem virum Albertum, ſummæ ſanctitatis patrem. Is primus in eam ordinatus eccleſiam, XII. illi annis cum ſumma laude præfuit, ſtrenueq; pontificatum adminiſtrauit, multoſq; Wandalorum populos prædi-
971. cando lucrat⁹ eſt Chriſto. Cuius ordinatio facta eſt anno Chriſti LXXI. poſt nongentos, qui fuit Adaldagi pontificis XXXV. Sunt autem poſt primam S. Anſgarii ordinationem anni CXXXVII. Quomodo verò & vnde conſecuta ſit hæc eccleſia, vt primas dicatur Germaniæ archiepiſcopus eius, necdum comperi, ſciens tamen nonnullos archiepiſcopos illi non cedere in honore. Nam Saltzburgēſis cum eo contendit de paritate: nec archiepiſcopi electores illi cedunt locum. Vnde ergo & in quo primatum habeat, alicunde mihi velim oſtendi.

Pontifices contendunt quis eorum maximus, nec conſtat de iure.

CAP. 29.

Hamburgi metropolitanæ ſedis fines.

QVIA Hamburgenſis archiepiſcopatus hoc tempore cœpit habere ſuffraganeos, operæ precium eſt exponere, qui ab olim limites eius fuerint. Ab occidua quidem parte mari terminatur Britannico, vbi eſt quæ pridē fuit Bremenſis, nunc iſti incorporata: à meridie, Albi flumine: ab oriente, Pani riuo: & ab aquilone, mari Danico & Eydora flumine. Tranſalbiani (qui & Nordalbingi) tribus ab olim partibus conſtitere, Thietmarſis, Holſatis, Stormaris: quorum metropolis Hamburgum, olim (vt teſtantur antiqui annales) viris opibuſq; potens: Ottonis autem primi tempore, quod nunc eſt in manibus, in ſolitudinem redactum, variam deinde fortunam expertum. Et quamuis occulto Dei iudicio vrbs crebrius vaſtata, decorem ſuum amiſerit (ait ſcriptor Annalium) honorem tamen ſeruauit metropolis: viduitatis ſuæ damna conſolans in profectu filiorum, quos per totam ſeptentrionis latitudinem, ſuæ legationi quotidie videt accreſcere: de quibus lęta videbatur exclamare, *Annunciaui, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum.* Primus autē noſtrorum pontificum Wandalis prædicauit Adaldagus, territis & iam edomitis per arma Imperatoris Ottonis poſt Henricum patrem: eccleſiamq; Aldenburgenſem in Wagria fundatam (vnde poſtea in Lubecam eſt tranſlata) ſuo, vt diximus, pontifice primo Marcone imbuebat. Qui ſatis ſuo functus officio, populum ſtrenuè docuit, & iugo Chriſti colla ſubdere verbo & exemplo monſtrauit, pręmia repromittens ſine menſura. Erat autē (vt diximus) ditio Marconis Aldenburgenſis epiſcopi, in gente Wandalorū, longa atq; lata: incipiens ab ſua ciuitate, in qua ſedē habebat, per omnem terram Obotritorum (quæ nunc Magnopolis eſt) vſq; ad Panim fluuiū

Epiſcopatus tres ex vno fiunt.

&

& ciuitatem Demyn, procurrit in Orientem. Et pro sui magnitudine, postea est in tres episcopatus diuisa: in quibus Aldenburgensis prima trium, magis tenues sibi partes retinebat, hodieq; minor est cæteris sua ditio.

ALDENBVRGENSIS ecclesia hoc tempore ad finem Ottonis primi, secundum accepit pontificem Eguardum. Alii scribunt Eduardum, quod est vocabulũ Anglicanum: alij etiam Euagrium, quod est Latinum nomen. Vtcunque fuerit, scriptores pro suæ linguæ proprietate, nomen hoc mutauere: Saxones Egardum, Angli Eduardum: qui Latini esse & videri volebant, Euagrium: sed hoc est magis alienum. Virum strenuum, Deo deditum esse oportuit, qui tam grandem Dei vineam acceperit excolendam. Messis ibi multa, sed operarii cum eo pauci, quòd refugerent à barbara gente formidata pericula. Et nisi Ottonis gladius formidabilior fuisset, quàm diuinæ vltionis censura, non tam citò ceruices inclinassent. Sategit bonus ille pontifex pro suo ministerio, circumiẽs oppida & vicos, vt alios Christo lucrifaceret, alios in accepta fide firmaret. Non erant illa tempestate tam claræ vrbes, quàm pòst ad maris littora sunt exædificatæ: neque Lubeca, neque Wismarium, neque Rostochium, neque Sundensis illa vrbs, quæ splendore inuicem certant: nisi quòd iamdudum Lubecensis extulit caput, viris, opibus, armis, cultu & omni ciuilitate præstans. Tum erant mediterranea oppida, præter vnam Aldenborg, quæ tum ad mare respexit: nunc alluuione crescente, recessit & ipsa in mediterranea. Mekelenborg, Warlo, Keffin, tum erant in ea gente oppida clariora: nũc villæ sunt agricolarum. Sed Eduardo tum erat plenus in religione Christi fundanda labor. Quo enim magis gens erat inciuilis & barbara, eo plus illi fuit laborandum, vt ad Christi ciuilitatem perduceret. Instabat de sua quoque ditione in eadem gente Albertus Magdeburgensis episcopus, qui cum suis suffraganeis, Brandenburgensi, Hauelbergensi, strenuè illi occurrebat. Septi iam erant vndiq; Christianismo Wandali. Nam & a mari Danos audiuere Christi euangelio auscultare: ab oriente autẽ necdum Pomerani credidere, sed à meridie Magdeburgensis cum Saxonicis episcopis intonabat. Ita prosperè tum creuit in ea gente euangelium: perstitissentque, si modum fecissent seculares principes imponendis tributis. Factumq; est postea, vt per eius rei occasionem à fide apostatarent. Sed hæc suis in locis. Quamdiu autem superarat Otto, & per omnes dies filii ac nepotis sui (hoc est per trium Ottonum tempora) res in omni decore permansit: multiplicabantur ecclesiæ, monasteria extruebantur, & crescebat cum gloria Dei euangelium eius.

Cap. 30. — *Imò Græcum potius.* — *Religio magis metu quã verbo suscipitur.* — *Principum auaritia euangelium remoratur.*

HALBERSTADENSI deinde ecclesiæ ad finem Ottonis Imperatoris, post Bernhardum præficitur ab Hermanno duce Hildewardus, vir Deo & pontificio dignus honore, qui illam ecclesiam regebat per annos XXII. Hic primùm permisit (quod Bernhardus nunquam consensit) de ditione Halberstadensi latissima, qđ ecclesiæ vicinæ metropolitanæ ad necessarios vsus prouenit. Quo tempore curauit Imperator Otto, vt filius ei æquiuocus, per Italiam, opulentam regionem, iam sub patre notior factus, illi potissimùm imperaret. Nam Beneuentum, Calabriam, & Apuliam, iam retropulsis Græcis, ditione tenebat: effecitq; vt filia Imperatoris Constantinopolitani Theophania illi desponsaretur, essetq; illi pro dote, quicquid Otto Imperio Orientis per Italiam detraxisset: commisitq; regni principibus & in primis Wilhelmo archiepiscopo Moguntino filio suo, vt fratrem eius Ottonẽ duceret Romam, ab Ioanne pontifice XIII. coronandum: vt non modò patri in Imperio succederet, sed iam viuenti accederet, anno regni Ottonis XXXI. Quæ omnia legitimè sunt impleta. Ad annum verò regni eius XXXVI. (qui fuit à Christo DCCCCLXXIIII. Otto Imperator cum filio rege Galliam est ingressus: quæ iam illi non modò fœderata, sed multiplici erat sanguine deuincta: quòd ex germana sorore rex Franciæ natus esset, & gener eius Conradus teneret Lotharingiam. Inde in Germaniam reuersus, proximum Pascha in Quedelinborg constituit celebrare: quod & fecit. Tertia verò feria ante Pentecosten, venit ad locũ qui dicitur Mimilewe. Proxima nocte transacta, hora cõstituta lętus ad mensam consedit: veniente q; tempore vespertinis laudibus interfuit: sed peracto cantu euãgelii, æstuare ac

Cap. 31. — *Nouus in Italia principat⁹ Græco Imperatori ademptus* — 974. — *Ottonis Imperatoris mors, & apud Magdeburgenses.*

fatigari cœpit. Quod quum intellexiſſent circunſtantes principes, impoſuerunt illum ſedili. Inclinantem autem caput, quaſi iam defeciſſet, refocillauerũt eum: Expetitoq; ſacramento Dominico, & accepto, ſine gemitu, cum magna tranquillitate ſpiritum reddidit Domino, nonis Maii, die Mercurii ante Pentecoſten. Inde tranſportatur in cubiculum: & quum iam ſerò eſſet, tranſitus eius nunciatur populo. Cuius corpus magnis lugẽtium exequiis à filio rege tranſlatum eſt in ciuitatem Magdeburg, cuius ille cõſtruendæ fuit author: ibiq; honorificè eſt tumulatũ. Magdeburgenſes memores cõditoris ſui, ſtatuam ei inſignem cum geminis vxoribus, grati animi ſigna, vſq; in hodiernum conſeruant, in foro publico ſuæ ciuitatis.

Cap. 32. MINDENSI tum eccleſiæ præfuit ordine pontificum x. Helinwardus. Cuius in præclaris rebus hoc memoratur, quòd quum de conſecratione maioris eccleſię Mindenſis hæſitaret, non inueniens monumenta legitima ante ſe factæ conſecrationis: quò ſolennitate maiori res gereretur, inuitaſſe fertur vicinarum eccleſiarũ pontifices, Dudonem Paderburnenſem (quem ego Popponem alio dictum reor nomine) & Drogonem Oſnaburgenſem, vt illi in conſecratione eccleſiæ ſuę principalis non dedignarentur adeſſe. Aderant: & rebus per omnia ſolenniter de more geſtis, maximo cleri ac populi concurſu, in ſua quiq; redierunt. Conſecrata eſt autem ſub honore ſanctorum martyrum Gorgonii, Laurentii & Alexandri, cùm an-
952. nus Chriſti ageretur DCCCCLII. quum Otto Magnus rerũ Germaniæ potiretur, & crebris expeditionibus factis in Italiam, illam à Berengariorum tyrannide (qui eam inuaſerant) liberauit. Quo merito aſſequutus eſt, vt à ſummo pontifice & Romano populo Imperator Romanus acclamaretur & conſalutaretur. Moritur hic pontifex anno VI. poſt ſuæ eccleſiæ conſecrationem. Vocat autem Annalis eccleſiam ſuam, monaſterium. Vnde ſatis apparet, primordia huius, ſicut & cæterarum eccleſiarum, fuiſſe regularia, ſub ordine diuorum vel Benedicti vel Auguſtini. Erat obitus eius anno poſt natum Chriſtum DCCCCLVIII. die S. Valentini martyris. Inclytam autem viri vitam teſtantur, qui de eo extant verſiculi,

Episcopi facti memorãdum.

Ecclesiarum canonici, initio regulares fuerunt.

Hic ſublimatus in ordine pontificatus,
Moribus ornatus, doctus, vitaq; beatus.

Teſtimonium præferunt, quid de illo homines ſui ſeculi ſenſerint, quáve fuerit apud omnes opinione & ſanctitatis exiſtimatione, præſertim apud populum, obſeruatorem ſui paſtoris.

Cap. 33. SEQVVTVS eſt hunc ordine proximo in eccleſia Mindenſi XI. põtifex, nomine Landowardus. Hic inter omnes anteceſſores ſuos primus regalia ſuſcepit de
961. manu Imperatoris Ottonis primi, anno DCCCCLXI. apud Forchem, VII. Idus Iunii. Cœpit tum ea res frequentari apud Imperatores, vt darẽt inueſtituram epiſcopis, & regalia, poſtquam Leo VIII. omne patrimonium Imperii per Italiam reſtituit imperio, in perſona dicti Ottonis primi. Qua de re literarum copias inſerui Saxoniæ, vt videatur curſus & alternatio temporum. Ea tum volentibus & cupientibus ſummis pontificibus per Imperatores gerebantur. Secuta ſunt tempora, quib. per orbem Chriſtianum maxima fuere mala diuturnis temporibus, dum Imperatores, quod diu tenuerunt, dimittere noluerunt: & ſummi pontifices non paterentur, epiſcopos de manu laica ſuorum epiſcopatuum inueſtituram ſuſcipere. Inde duo Henrici Imperatores IIII. & V. duo Friderici I. & II. quartus Otto longa certamina habuere cum contemporaneis ſibi ſummis pontificibus: quam rem in Saxonia attigi & proſecutus ſum, quantùm tempus ſinebat. Sed hunc epiſcopum Imperator honorare volens, baculum paſtoralem precioſum de lignis hebeni, beato Petro & eccleſiæ Mindenſi obtulit. Quo etiam tempore monaſterium virginum in Walſorde, in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ eſt fundatum. Finiit autem hic venerabilis antiſtes curſum huius ſui temporis, vt ad meliora tranſiret, in die ſanctorum martyrum Coſmæ & Damiani, viam vniuerſæ carnis ingreſſus. Reliquere fratres honori eius inſeruientes verſiculos.

Patrimonium quod Petri dicitur, varios habuit dominos.

Inueſtituræ certamina diuturna.

Præſul Landwardus, moribus redolens quaſi nardus:
Gregem non tardus, ſeruat vigilans quaſi pardus.
Carnem caſtrauit, hoſtem, mundum ſuperauit:

His

His bene peractis, conscendit ad agmina lucis.
Famelicos pauit, sitibundis pocula lauit.

Inepti quidem nec bene tornati versiculi: sed tamen testimonium qualecunq; præferunt suorum temporum.

CAP. 34.

HILDESEMENSI per ea tempora præficitur ecclesiæ Ochwinus: præfuitq; annis XXIX. hoc est, vsque ad tempora Henrici Imperatoris Bauari, de sanguine tamen Saxonico. Quo tempore Danicis rebus plurimum in religione profuit Poppo, vir Christianissimus: qui multis peragratis regionibus, multa vidit, audiuit, & recensere potuit. Hic in conuentu solenni procerũ regni, qui tum Wiburgi in Iutia agebatur, quum adessent noui pontifices, Ripensis & Sleswicẽsis, & de religione Christi populariter suscipienda differerent, essentque qui ex aduerso patriæ & auitæ religionis tuerentur iura, immiscuit se disceptationi Poppo, multa inferens ad cõuellendam vanam veterum & superstitiosam religionem, & ad fundandam & persuadendam solidã & veram Christi doctrinam. Eoq; tum exiuit disputatio, vt rebus potius quàm verbis veritas comprobaretur. Ecce, inquit Poppo, ferrum in modũ chirothecæ fabrefactum, cui manus inferatur cum digitis. Iubeo totum igniri, spondeoq; portaturum sine læsione in quem locum constituitis, per virtutem Euangelij Iesu Christi, & veræ religionis eius. Expectabant vniuersi vt impleret quod dixerat. Ille ignitum ferrum manu induit, & intrepidus sine vlla contractione vultus, aut significatione doloris, ad locum monstratum deportauit. Cernite, inquit, virtutem Iesu Christi, cui parent elementa omnia, quippe qui fecit cælum & terram, & omnia in his degentia. Nunc, si quis assertor veterum fidat religioni quã coluit, experiatur virtutem Dei sui quem adorauit. Obstupuere omnes, præsenti miraculo conterriti, & mutire nõ audebant: quiq; antè insaniuere, dederunt nomina: & sacri baptismatis ad vnum omnes qui aderant, vndam salutarem subierunt. Quo merito in episcopum est omnium suffragio promotus. Hoc etiam tempore Wentzeslaus princeps Bohemiæ, à fratre suo Boleslao, qui ambiuit principatum, odio Christiani nominis cæditur, & preciosus Christo martyr consecratur: pro quo Deus vrbem Pragam, in qua requiescit, multis illustrat miraculis. Eius de rebus plura diximus in nostra Wandalia: nunc tantùm temporum recordamur. Eius festum peragitur antepenultima Septembris.

Poppo cãdentis ferri miraculo Danos Christo lucrifacit.

Princeps Bohemiæ pro Christo cæditur.

CAP. 35.

MIMIGARDEVORDENSI ecclesiæ tum præerat vir Deo & hominibus acceptus, Suederus, ordine XI. à primo: qui pro sanctitate vitæ omniũ opinione dignus est habitus, qui in sanctorum numerum referretur. Hic vidit in diebus suis bellum transferri ex Germania in Gallias. Nam Otto II. consobrinis suis Lothario atque Carolo Franciæ regibus, bellum inferebat, quòd Romano Imperio iusta non persoluerent, seque subducerent legitimæ dominationi: quòd imperiũ à Christo regum omnium rege recognitum, ipsi viderentur posthabere. Et ibi ad bonum modum rebus constitutis, in Italiam Imperator Otto rem omnem conferebat, cum leuiris suis Orientis Imperatoribus pugnans infeliciter, vt vix ipse corpore abiret. Nam vires omnes ibi conciderunt, initio fugæ facto ab Romanis. Sed dum Imperator Otto in Galliis & Italia bellum gerit, Wandali se commouerunt. Nam episcopatum in Brandenborg & Hauelberg subuerterant, quòd essent male Christiani, sola specie præferentes titulum Christianismi, iam nunc in reprobum versi sensum resilierunt. Citzensem autem ecclesiam Bohemi excurrentes deleuere: ita regnabat vbique Erynnis. Imperator vbi magno suo periculo euasit, laceri colligens reliquias exercitus, in Beneuentanos vindicare constituit: eamq; obsedit vrbem. Accepit, & inde ossa sancti Bartholomæi transferens, Romam perduxit: ac in ecclesiam, quæ est in insula Tyberis, honorificè collocauit. Sed aiunt Beneuentani illusum esse Imperatori: qui dum ossa D. Bartholomæi deposceret, æditiuus simulans se dicto pariturum, alterius ossa pro sanctis Apostoli reliquiis Romam deportauerit. Non arbitror ita simplici animo rem gestam, vt non curaret diligenter ossa sibi tradi Apostoli tantus princeps. Plaudunt sibi Itali de calliditate: contemnunt Germanos pro sua (vt ferunt) simplicitate. Sed non erat is Ottonum animus, nõ ea vis ingenij, vt paterentur sibi illudi. Romanis infestus Impera-

Franci imperio Romano subiici nolunt

Wandali religionem reiiciunt.

tor, vt ſine tumultu vindicaret in reos proceres, omnes iuſſit ad epulas inuitari. Medio conuiuio ſermo oritur de tranſgreſſoribus & deſertoribus, recitantur nomina reorum:& ſine ſtrepitu conuicti, cæduntur gladio: cæteri epulas, vt potuere, proſequuntur. Ita ſeuerè gubernabat Otto II. Imperium. Cætera eius magnifica recenſentur inter res Saxonum. Vbi ſe fractum infirmitate vidit in certam incidiſſe mortem, condito teſtamento, atque pauperibus & eccleſiis theſauro diſtributo, conceſſit in fata, tumulatus Romæ in eccleſia S. Petri.

Qui ex acie fugerant cæduntur.

CAP. 36. VERDENSEM eccleſiam tum gubernabat Bruno, vir natu & virtute nobilis, qui hæreditatem quam à parentibus acceperat, Deo & eccleſiæ conſecrauit. In loco Vleſſem (nunc breuiùs *Vlſſen* vocant) monaſterium diuæ Virgini ac Ioanni Baptiſtæ erexit, dicauit, ac conſecrauit. veterem ciuitatem vocant hodie Monaſterium. Nam quum ibi olim eſſet oppidum, nunc tranſlatũ reliquit nomen monaſterio, vt vetus vrbs dicatur cœnobium. Allodium in Hiddeſtorp iſte contulit eccleſiæ, ſarcophagum fecit excindi D. Mariano, plurima eccleſię ornamenta cõparauit: dilexit enim decorem domus Domini, & illi amplificando diligenter in diebus ſuis inſtitit. Succeſſit in epiſcopatu Erpo, vir acutiſſimus: prouectus ad illũ honorem ab Ottone primo, quòd in contentione inter Colonienſem & Hamburgenſem archiepiſcopos, ita tum diaconus adſtitit domino ſuo Adaldago, vt polliceretur Otto Magnus, qui primus in ditione Germaniæ vacaret epiſcopatus, eum eſſet pro laude induſtriæ ſuæ aſſecuturus. Tenuit eum locum per tempora deinde duorum Ottonum, filij ac nepotis. Nam Otto III. eidem Erponi epiſcopo permiſit, vt monetam ſuo nomine cuderet, mercatum in loco eccleſiæ ſuæ ſolennem haberet. Idem Imperator cõtulit eidem epiſcopo & ſucceſſoribus venationem ceruorum atq; ceruarum, ſublimium ferarum: qui fuit ab olim ſeruatus honor ſummis principibus. Extant deſuper literæ datæ, anno DCCCCLXXXV. Pagum autem venationis, Sturmium vocant. Otto III. deſcendens in Saxoniam, aliquandiũ in Wildeshuſen conſedit: ibique præcepta nonnulla fecit, quæ extant. Inuiſere, credo, voluit antiqua incunabula nobilitatis. Ibi enim Walbartus & Wicbertus, filius ac nepos Wedekindi, magni ducis, qui Carolo conflixerat (vnde omnis Saxonum nobilium ſtirps prodiit) habitare conſueuerant. Quo tempore Hermannus dux Saxoniæ finem viuendi fecit, relictis filiis Bennone & Hermanno: quorum alter ducatum, alter comitatum tenuerat.

Decor domus Domini.

Epiſcopus gaudet equo, canibus.

985.

CAP. 37. MAGDEBVRGENSIS eccleſiæ primus pontifex Albertus, tum conceſſit in fata, poſtquam in XIII. annum eccleſiæ cum magno bonorum operum fructu præfuiſſet. Succeſſorem habuit Othricum, virum ea tempeſtate doctiſſimum, cuius doctrinæ fama celebris auditores etiam illius illuſtrauit. Qui enim Othricum meruit audire præceptorem, aliquid ſibi ſupra cæteros accepiſſe videbatur. Tam celebris fama virum illum ad archiepiſcopatum ſubuexit. Iter ingrediens poſt electionem Romam inuiſere, in itinere defecit: & ſurrogatus eſt in eccleſiam illã Giſelerus, pridem Merſburgenſis epiſcopus. Perfecit autem apud Ottonem Imperatorem Rufum, vt à minori ad maiorem aſſumeretur eccleſiã, minore tamen non relicta: & arbitrabantur multi, interueniſſe *negocium, quod perambulabat in tenebris*: ſcandalumque peperit res illa ætate incomperta, vt duabus eccleſiis vnus eſſet pontifex, hoc eſt vnus ſpõſus duabus ſponſis. Id verò ætas noſtra iam deſiit pro frequentia mirari, quòd paſſim cernimus alteram alteri eccleſiæ in vna perſona accedere, vt habeat alteram in titulum, alteram verò in commendam. Sed nõ potuere tum pro rei nouitate placari homines, vt æquis animis acciperent, quòd Giſelerus vtranque retineret eccleſiam, in Merſburgenſem collocans religioſum, qui abſentis vicem tueretur: vt eſſet, iuxta tum acceptam ſpeciem, ex epiſcopatu facta abbatia, cuius fructus tolleret nihilominus prior epiſcopus. En temporũ mutationem, quam in multis præterea aliis eſt attendere.

Scandalum illo ſeculo, hodie præmium excogitatis nouis nominibus

CAP. 38. ALDENBVRGENSI eccleſiæ in Wandalis tertius præficitur pontifex Wago, vir militari non infimo genere natus. Qui regulo Wandalorum dedit coniugem, puellam in primis forma ac moribus ſpecioſam, vt illum ſibi quàm arctiſſimè deuinciret, & peruios haberet populos eius ad diſſeminandum Chriſti euangelium.

Durauit

Wandali in veræ religione valde fluxi.

Durauit aliquandiu affectio magis de parte Wandali ſimulata, quàm germanitus impenſa. Suſceptam etiam inde prolem fœmineam, pontifex ſacro impoſito velo, Deo conſecrauit. Sed hæc omnia malignus ſubuertit, & recidit in irritum. Nam germanam eius epiſcopo repudiatam remiſit, & filiam velatam monaſterio abſtractam, dedit cuidam ſuæ nationis nobili coniugem. Quæ in Wandalia noſtra pleniùs explicuimus. Turbatis ergo rebus Wandalicis, dura vidit tẽpora iſte pontifex: nec profuit inſtantia, quo minus, recrudeſcentibus populis, Euangeliũ Chriſti poſthaberetur. Interea Haraldus rex Danorũ, religione ac fortitudine inſignis, Chriſtianitatem in regno ſuo iamdudum benignè ſuſceptam, vſque in finem conſtanter retinuit: vnde & regnum ſuum ſanctitate & iuſtitia confirmans, vltra mare in Normannos & Anglos (nam inde maternum duxit genus) ſuã dilatauit potentiam. Emundus filius Erici tunc in Sueonia regnauit, & Haraldo confœderatus, Chriſtianis eò venientibus placabilis fuit. In Norwagia Aquinus princeps erat: quem dum Normanni ſuperbius agentem regno depellerent, Haraldus ſua virtute reſtituit, & Chriſticolis placatum reddidit. Aquinus iſte ferociſſimus, ex genere Inguar & giganteo ſanguine deſcendens, apud Normannos regnum reſtituit, quum antea diu diuiſa prouincia, ducibus regeretur. Igitur Aquinus, xxxv. annis exactis in regno, ſine prole deceſſit, Haraldum ſceptri relinquens hæredem, qui ſimul Daniam poſſedit atque Norwagiam. Anglia autem poſt mortem Gudreg, à filiis eius Analaph, Sigereich & Regnolt, per annos ferè c. permanſit in ditione Danorum. Haraldus verò ea tempeſtate filium ſuum Hiringum miſit in Angliã: qui ſubacta inſula, à Northumbris tandem proditus & occiſus eſt. Angli negant totam inſulam paruiſſe Danis. Sed de orientalibus & aquilonaribus Northumbrorum prouinciis negare non poſſunt: magnam enim vernaculæ ſuæ linguæ partem inde traxere. Inde factũ eſt, vt maiores, de ſuæ linguæ multiplici commixtione erubeſcentes, Gallica vtantur.

Religio apud Danos promouetur.

Anglica lingua multarũ miſcellanea.

CAP. 39.

LVDOLPHVS, vir natu nobilis, in eccleſia erat Oſnaburgenſi ordine ix. ſub Imperatore Ottone ſecundo. Qui dato priuilegio, eccleſiam illam quibuſdam factis donationibus amplificauit, ob preces Theophaniç contoralis ſuæ, & ob reſpectum optimi pontificis Ludolphi, quem ſuum vocat conſanguineum. Fieri enim potuit (idque nomen indicat) fuiſſe illum ex antiqua nobilitate Saxonum, vnde & tribus Ottonibus fuit origo. Nomina prædiorum, quæ elargitus eſt eccleſiæ memoratus Imperator, hæc ſunt, Apelderberch, Heſnow, Linga, cũ curtibus & mancipiis adiacentibus. Quæ adeò etiam memorato epiſcopo dedit in proprietatem, vt ſi videretur illi, pro ſuo arbitrio alienaret. Quæ res indicat, magis tum Imperatorem, quum daret, reſpexiſſe in perſonam epiſcopi, quàm eccleſiam: alioquin arbitrium non permiſiſſet diſtrahendi. Data literarum in Logbarden, ſiue illã Longobardiam ſignauerit, ſiue locum alium. Crebrius enim is Imperator in Italia verſatus eſt: defecitque ibidem, tumulatus in æde D. Petri. Annus autem huius donationis erat, DCCCCLXXV. anno Imperatoris illius ſeptimo. Peruenit autem hic pontifex ad annum LXXXIII. poſt nongentos. III. Cal. Aprilis. Vnde colligimus annos, quibus præfuit eccleſiæ cum ſumma laude, quatuordecim: hoc eſt, à LXIX. quo interiit deceſſor eius, ad LXXXIII. quo ille defecit.

Ottonis II. ampla munera epiſcopo collata.

983.

CAP. 40.

ADALDAGVS Hamburgenſis archiepiſcopus, per annos quinquagintaquatuor, quos in pontificatu egit, peruenit ad tempora Ottonis III. qui in Wildeshuſen conſiſtens, oppido Bremenſis ditionis, præcepta fecit, quæ extant, Imperialia. Tribus autem Ottonibus tam fuit cõmendatus iſte pontifex, vt rara eſſent in magnis negocia, quæ ſine ipſius interpoſito conſilio tranſigerentur. Ordinauit in Daniam plures epiſcopos, quorum nomina quidem reperimus: ad quas verò ſedes inthronizati ſint, non legimus. Exiſtimari debet, quòd pro rei nouitate nulli adhuc epiſcoporum certa fuerit ſedes deſignata. Vnde plantandæ ſtudio Chriſtianitatis quiſque in vlteriora progreſſus, verbum Dei tam ſuis quàm alienis prædicare certabant: quod hodie trans Daniam in Norwagia (ait Annalium ſcriptor) & Sueonia facere videntur. Igitur epiſcopi qui in Daniam ordinati ſunt, hi fuere, Haraldus, Liafdagus, Reinbrandus: & poſt eos Harig, Stercolphus,

Odincarus Danus, Danis Chriſtũ prædicat.

Folchbertus, Adelbertus, Merha, & alij nonnulli. Odincarum ſeniorem ferunt, ab Adaldago in Sueoniam ordinatum, ſtrenuè legationem ſuam in gentibus impleuiſſe. Erat enim vir ſanctiſſimus, & doctus in iis quæ ad Deum ſunt: quantum verò ad ſeculum, nobilis, & origine Danus: vnde & facilè barbaris congentilibus potuit de Chriſtiana religione perſuadere. Cæterorum verò epiſcoporum vix aliquem tam clarum prodit antiquitas, præter Liafdagum Ripenſem, qui & miraculis celebris fuit, & tranſmarinis prædicauit Sueonibus & Normannis. Fuit & Odincarus iunior, nulla in re cedens maiori. Nam ambo literarum peritia & vitæ ſanctitate inſigniter eminebant: multos ſubiere labores pro Chriſto, in Suediam inq; Norwagiam nauigantes, vt rudem populum vel ad Chriſti fidem perducerent, vel iam credulum in fide ſolidarent. Quumque multiplici fructu bonorum ac ingenti fidelium animarum lucro ditaſſent eccleſias, in Chriſti pace dormientes, ad meliora tranſierunt, præmia meritorum excepturi. Nouiſſimis autem huius archiepiſcopi temporibus, res in Dania ſunt turbatæ. Nam Haraldo rege Chriſtiano iam in ſenium vergente, filius Zuenotto & ipſe baptizatus, ſentiens procerum magnã partẽ pro ſuſcepta religione indignari, quòd furta & latrocinia per mare, per terras (quibus inſueuerant) ea lege interdicerentur: vt ad regnũ patris iuuenis celerius perueniret, patri bellum indixit: regno illum deturbaturus, patris reuerentiã cum Chriſto abiiciens. At ille ſenior, qui ab initio ſuſceptæ religionis ſpem omnem in Chriſto conſtituit, tum verò maximè ipſi Deo rei commendans euentum, ita proceſſit ad bellum, vt militibus ſuis ſeuera de ſeruando filio ſuo præcepta daret: non illo pietate minor, qui & viuentem & mortuum plangebat filium Abſalonem. Quo in prælio, miſerabili & pluſquã ciuili bello, victa eſt pars Haraldi: ipſeq; fuga ſibi conſulens, elabitur in Iulinum ciuitatem Wandaliæ, tum claram. In qua reparatis armis denuo duxit in filium: ſed exitus erat pugnę qui prius. Igitur quum tertiò congreſſuri viderentur, diremptum eſt prælium interuentione procerum partis vtriuſque. cui rei fidens Haraldus, quum egreſſus in terrã, ſe à ſuis pauliſper elongaſſet, clàm iaculo percuſſus, ad necem eſt vulneratus: ſeque in Iulinum mandauit reduci, vbi vltimum ſpiritum Chriſto reddens exhalauit: reductusque poſt mortem in Daniam, regio tumulo in Roſchildia tumulatur. Filium autem illi ſemper deinde ſunt ſequuti caſus, vt facile illum pœniteret abiectæ religionis. Hæc autem plenius in Dania atque Wandalia ſumus executi, nunc ſolorum ſub pontificibus temporum recordantes.

Zuenotto Danus Chriſtianam religionẽ abiicit.

Pater filij inſidiis circumuentus.

CAP. 39.

Wandalis ægrè Chriſtus innoteſcit.

EZICO quarto ordine ab Adaldago conſecratus eſt pontifex in Aldenborg vrbem Wandaliæ, longæuo pontifice, & iam in vltimũ ſenium declinante. Interior autem Wandalia, & in Orientem ad mare diffuſa, cuius populi Polabi, Obotriti, Kiſſini, Winuli, Circipani, fidem Chriſti quidem audierant, ſed necdum germanitus imbiberant: quanuis Corbeiæ patres & alij prædicatores ab Hamburgo & Magdeburgo ſunt immiſſi. Duodeuiginti pagos quum haberet ea Wandalia, quæ Oceano Albique includitur, vſque in Pruſſiam atque Poloniam, omnes vſque ad tres tum fidem accepiſſe memorantur. Princeps autem eius temporis Chriſtiani, ſub quibus pax continua fuit, Wandalique ſub tributo ſeruierunt, his erant nominibus, Miſiſla, Naccon, & Sederich. Miſiſla ille ipſe eſt ſuaſuor paterni ſceleris, qui induxit parentem Bilugum, vt remitteret repudiatam vxorem Chriſtianã, quam ſororem fuiſſe diximus Wagonis Aldenburgenſis epiſcopi: & vt ſororẽ iam Chriſto dicatam, eximeret monaſterio, traderetque marito. Turbatio enim rerũ Chriſtianarum in Dania, audaciores fecit Wandalos, vt & illi proiecto iugo, tributa ſimul & Chriſtianiſmum recuſarent. Sed hæc omnia adhuc timidius gerebantur, quòd vererentur arma Ottonis III. & Bennonis ducis Saxoniæ, quem filium reliquit Hermannus, ab Ottone primo ducali præditus honore. Sub hoc autem Ezicone pontifice, nata eſt turbatio à principe Niſtiwoi: qui quum ſequutus eſſet Bernhardum ducem Saxoniæ mille equitibus in Italiam (quum dux Imperatorem Henricum vadentem in Calabros fuiſſet comitatus) & promiſſa inde nuptiarum præmia Wandalus demoraretur, Brandenburgenſis marchio Theodoricus rem omnem turbauit, non eſſe dandam cani nobilem puellam. Ea contumelia altius inſedit

Verbum contumelioſum magnas turbas Chriſtianæ cauſæ inuexit.

inſedit pectori eius, vt amicis queſtus Saxonum in ſe ſuperbiam, arma rogaret auxiliaria ad vindictam. Fit coniuratio valida. Marchio deturbatur omni ſua ditione, Aldenborg vaſtatur ad exterminium, LX. presbyteri miſeris modis excruciantur: fit cum contemptu religionis grauis in omnes perſecutio. Cui ſe immiſcuit Godſcalci, nobilis inter Wandalos iuuenis, iuſta indignatio: nam parentem eius Saxo occiderat. Fit acerrima in omnes Saxonici generis & Chriſtiani nominis perſecutio. Adiuuit hanc acrimoniam iuſtum de acerbiore tributorum exactione in Saxones odium: dum enim illi modum non faciunt exactionis, fit pariter & religionis contemptus. Non poterant diſcrimen ponere barbari inter religionem & poteſtatem ſecularem: alterum cum altero coniunctum, iuxtà in odio collocabāt. *Tributorum magnitudo religionem inuiſam reddit.* Interea præſul Adaldagus magno fractus ſenio, de legatione ſua voti compos effectus, & in omni opere ſuo domi foriſque proſperatus, in ſenectute vberi migrauit ad Dominum, anno pontificatus ſui LIIII. Dominicæ autem incarnationis, DCCCCLXXXVIII. regnante Ottone tertio. 988.

PADERBVRNENSI per ea tempora præfuit eccleſiæ vir clarus Retharius. CAP. 40. Præfuit autem eccleſiæ ſuæ, cum magno bonorum operum fructu, annis XXVIII. multaque fecit in obſequium eius. Anno autem pontificatus eius XIX. ciuitas Paderburnenſis graui incendio concrematur, & nobile principalis eccleſiæ monaſterium, precipui operis & decoris à Carolo fundatum, & à Badurado eiuſdem eccleſiæ pontifice conſummatum, cum libris, priuilegiis plenariis, aliiſque eccleſiæ ornamentis conflagrabat: *Incendiū Padeburnenſe grauiſsimum.* ob quam rem Retharius epiſcopus ſolennes miſit nuncios in vrbem Romam, tam ſummo pontifici, quàm Imperatori ibi tum agenti, detrimenta ſuæ eccleſiæ denuncians, omnia priuilegia eccleſiæ ſuæ prædictæ tam à Romanis pontificibus, quàm Imperatoribus conceſſa, poſtulauit innouari. Quæ & innouata ſunt ab vtroque principe Chriſtianiſmi, Papa & Imperatore, ſub Data Cal. Ianuarij, anno Domini milleſimo, pontificatus Sylueſtri (qui antè fuit dictus 1000. Gilbertus) anno ſecundo, Ottonis III. Imperij XVIII. qui fuit vitæ & regni nouiſſimus. Nam poſteaquàm Creſcentio Romanorum patritio colluctatus eum ſuperaſſet, captumque iuſſiſſet decollari, vxor eius, callida mulier, & ſuæ pulchritudinis conſcia, Imperatorem pellexit in amorem. Sunt qui adſtruant, etiam pollicitum nuptias mulieri. Sed non erat quod mulierem mulceret: vindictam quærebat de priore marito, quam qūum vi non poſſet peragere, dolo impleuit. *Ottonem III. mulier amoris ſpecie veneno perimit.* Nam vbi ſenſit Imperatorem abiturū, dono miſit chirothecas inſigni ornatu: ſed in eis toxicum ita abſcondit, vt ab recipiente donum vitari nō poſſet. Ita periit ſine prole: præualuitque electio, quam idem Imperator cum Gregorio quinto propinquo ſuo feciſſet, quæque durat in hodiernum: vt non legitima ſucceſſione quæratur Imperator (quo modo à memoria Magni Caroli videbatur inolitum) ſed electione ſeptem primitiuorum principum aſſumatur.

HILDESEMENSI tum præerat eccleſiæ vir præſtās, Oſdachus, per annos quinq; CAP. 41. & viginti, per tempora videlicet Ottonis III. ad Henricum II. Vidit illa ætas graue exterminiū ab Danis, excurrentib⁹ pro ſua cōſuetudine. Annus erat LXXXVIII. poſt nongenteſimum, quum ſub rege puero Germania in contemptum venit Da- 988. norum. Nam omnia maritima Phriſiæ vaſtauerūt: & per Albim aſcendentes, Stadium petiuere: ibi in terram egreſſi, populationibus inſtiterunt. Nobilitas eius loci ſe obiecit, *Danorū grauis impreſsio.* marchio Sifridus, ac comes Didericus, ingenti auxiliorum manu cōtracta, Danis atq; Normannis ſe obiecere. Diu fortiter pugnatur vtrinque: ceſſere demum Saxones, capti illuſtres viri, marchio Sifridus & Theodoricus comes, cū aliquot ex nobilitate viris, & promiſcuis militibus ſine numero. Trahuntur in naues captiui, vt magno à ſuis ære exoluto, liberentur. Piſcator erat, qui per artem qualemcunque ſcapha ſua exceptum Sifridum abduxerat: quo comperto in cæteros ſæuierunt, manibus aut pedibus aut naribus præciſis. Præfuit adhuc Saxonię rebus Benno, Hermanni filius. Is re comperta, ſuperuenit cum memorato Sifrido, ac valida ſuorū manu: & conſerto prælio, egregiè in Aſcomannos vindicauere. Sic enim appellati ſunt illa tēpeſtate Dani excurſores. Alia quoq; manus XX. M. qūum à ductore Saxone in inuia deducerētur in Glindeſmoer, ad vnū omnes cæſi ſunt à ſuper-

ſuperuenientibus Saxonibus. Terruerunt multas tum & antè Dani nationes, foris inuicti, intus non ita. Nam & Henrico & Ottoni regibus, patri ac filio, ceſſere in limitibus regni. Mira hominum frequentia. Poterant egredi XX. XXX. C. millia, & per littora Germaniæ ac Galliarum graſſari: intus nulla videbatur hominum iactura. Ita tum regiones aquilonis ſcatebant mortalibus: quippe apud quos illa ætate, vel rara vel omnino nulla fuit lues de peſte: quæ ſolet multa millia cõſumere, quoties graſſatur.

Peſtilentia regiones aquilonares olim non laborabant.

CAP. 42.

HAMBVRGENSI archiepiſcopatui poſt Adaldagũ præficitur Libentius, vir Italicus, prædeceſſorem ſuum ex Italia ſecutus, qui etiam illum nunquam putauit deſerendum. Sedit annis XXV. Pallium ſuſcepit ab Ioanne XV. virgam paſtoralem ab Ottone III. primus omnium conſecratus eſt à ſuffraganeis. Erat autem vir literatiſſimus, & omnium morum honeſtate præclarus, magiſtri ſui Adaldagi vitam imitatus, & in bonum ſemper æmulatus: ſolus ex ordinatione tanti patris dignus eſt habitus, cui Hamburgenſis cura parochiæ commendaretur. Erat enim vir tantæ caſtitatis, vt rarò ſe mulieribus viſendum præbuerit: tantæ abſtinentię, vt pallida ieiuniis ora ſemper portauerit: tantæ humilitatis, & in omnes charitatis, vt in clauſtro quaſi vnus ex fratribus vixerit. Multæ nimirum virtutes eius. Quippe contentus quæſitis, rarò curiam adiit pro acquirendis: domi ſedit quietus, parochiæ ſuæ curam egit diligentiſſimam, totumque ſtudium ad lucra vertens animarum, diſtrictiſſima ſub regula omnes congregationes ſuas cuſtodiuit. Archiepiſcopus factus, curam egit hoſpitalis, fratribus & infirmis quotidiano miniſtrabat obſequio. Ipſe quoque vice ſua xenodochium nepoti ſuo commendauit Libentio, dum adhuc pax eſſet in Wandalia. Tranſalbianos populos frequenter viſitauit, & matrem Hamburg paterno fouit amore. Legationem ſuam ad gentes (vt prædeceſſores eius) ſtudioſè eſt executus, licet dierum obſtaret malitia. Quo tempore quum magnam in Dania Chriſtianorum perſecutionem rex Zueno exercuiſſet, ſupplicibus archiepiſcopus legatis crebriſque muneribus laborabat, quatenus ferocis animum regis manſuefaceret Chriſtianis. Quibus ille reiectis, in ſua credulitate ac perfidia ſæuire non ceſſauit: vnde vltio diuina regem Deo contumacem eſt ſubſecuta. Nam quum cõtra Wandalos bellum ſuſcepiſſet, bis captus, & in Iulianum ductus, toties à Danis ingenti auri pondere eſt redemptus. Nec tamen adhuc reuerti curauit ad Dominum, quem primò in morte patris offendit, & deinde in nece fidelium grauius in ſe prouocauit. Potentiſſimus autem rex Sueonum Ericus, collecto innumerabili exercitu Daniam inuaſit, & occurrit ei Zueno à Deo derelictus: ſed quum vtrinque bello nauali (ſic enim gens illa confligere ſolet) omnes eſſent copiæ Danorum contritæ, Ericus rex victor Daniam obtinuit. Zueno ergo depulſus regno, dignam factis ſuis à Deo mercedem accepit. Crebreſcebant ex eo tempore mala latrocinia incurſantium prouinciis ex Dania piratarum, vſq; adeò multiplicata, vt precioſa quæque de eccleſia Bremenſi ad interiora Buccenſis cœnobij ſint perducta. Præſentem tamen vindictam Sifridus hoſtium dux in expoliata Ramſola eſt expertus. Nam malo dæmone mox correptus, mirè rotatur: tamque diu excruciatus eſt, donec ablata redderet, & tantundem de ſuis rebus repenſaret. Libentius archiepiſcopus in malis temporibus quod potuit, fecit. Nam gladiũ eccleſiæ diſtrigens in eos, effecit vt princeps eius vaſtationis, per annos LXX. ſit integer in ſepulcro repertus: donec Adelwardi miniſterio (quem Albertus Hamburgenſis archiepiſcopus miſit) ſolueretur à vinculis, tam diu ſepultus: nam illicò eſt in cineres redactus. Interea pulſo Zuenone, Ericus duo regna tenuit, hoſtis & ipſe Chriſtianiſmi. Ad quem miſſus Poppo, eius gentis vir præclarus & doctus, iam Sleſwicenſis ordinatus epiſcopus, magna populi frequentia in concionem euocata, de fide verbum habuit: & vt præſenti firmaret opere veritatem, candens ferrum (vt prius) quod chirothecæ formam præferret, induit, & ad locum pertulit demonſtratum: cuius rei ſtupore perculſi præſentes, Chriſto mox crediderunt, magnum momentum fidei ſubeundæ apud alios futuri. Hoc ſiue ſecundò miraculum peregerit, ſiue hoc potius loco quàm ſuperiore ſit peractum, in medio relinquimus. Alio tamen æquè inſigni miraculo idem vir præclarus populi no-

Inſignes epiſcopi virtutes.

Zueno à Chriſto deſciſcens, multis malis afficitur.

Excommunicatus abſoluitur mortuus. Infrà lib. 4. cap. 33.

Candentis ferri iteratũ miraculum.

li nouellam fidem imbuit. Tunicam indutus ceratam, quum ſtaret in medio populi circo, in nomine Domini præcepit incendi: ipſe verò oculis ac manibus in cælum porrectis, liquentes flammas tam patienter ſuſtinuit, vti veſte prorſus ambuſta,& in fauillam redacta, hilari ipſe vultu nec fumum incendij ſe ſenſiſſe teſtaretur. Cuius nouitate miraculi, & tunc multa millia per eum Chriſto Domino crediderunt,& vſque hodie per populos & eccleſias celebre Popponis nomen vbique ſeruatur.

IN Aldenburgenſi tum deſolata eccleſia, morte Eziconis vacuata, tum erat ſurrogatus Folcquardus, vir Dei zelũ præferens: ſed nihil poterat in re ſemel turbata. Miſtiwoi princeps dum grauiter vindicat ſui contemptum, omne nomen Wandalicum cum eo conſpirat. Acceſſit poſt aliquot annos Godeſcalci, nobilis iuuenis in ea gente, iuſta de nece patris indignatio, ita vt alter ſuper alterum accedens tumultus, rem omnem Chriſtianam perturbaret. Nihil potuere Saxones. Bernhardus dux fruſtrà contendebat: omnis conatus epiſcopi, licet inſtãtiſſimus, nihil profecit: odio tributorũ, quæ ſine fine exigebãtur, pariter Chriſtianiſmi nomen erat inuiſum. non enim diſcreuere barbari inter iſta. Folcquardus vbi ſe diu fruſtra niti cõſpexerat, cõtendit in Norwagiã, vbi iam populũ accepit auſcultare euangelio: & inſtitit ſtrenuè docere verbo & exemplo: ibiq; cum maximo fructu aliquanta tẽpora feliciter impendit. Reſpexit tamen in proprias oues, tentare volens ſi iam miſerendi tempus aduenifſet: & rediens, reperit rem nihilo quàm prius meliorem. Quo dolore quum cruciaretur, acceſſit corporis infirmitas: & moritur apud eccleſiã ſuã. Cui Rembertus ordine VI. ſurrogatur. Sed neq; ille prẹualuit in gente feroci lucra facere animarũ. Quo tempore Ericus rex Danorũ Sueonumq;, cum potẽtiſſimo principe Polonorũ Boliſlao fœdus iniit, accepta filia eius vxore: cuius gratia fœderis, Dani à Sueonibus & Wandalis, iuxtà ſunt impugnati. Boliſlaus autem iam Chriſtianus, cum Ottone III. ſocietatẽ iniens, omnem ſuã Wandaliam ſubiecit Imperio, & Ruſſiam & Pruſſos: ſub quorum ferocia martyrio coronatus eſt ſanctus Adelbertus Pragenſis epiſcopus, cuius ſanctas reliquias Boliſlaus tranſtulit in Poloniã. Claruit eo tẽpore in Dania iunior Odincarus, diſcipulus ſenioris, cognominis ſui viri clariſſimi: qui in Fionia, Sialandia, Scania, ac in Sueonia prædicans, multos ad Chriſtũ conuertit. Eius diſcipulus & nepos iſte iunior, & ipſe nobilis de regio Danorũ ſemine, de patrimonio ſuo erexit Ripenſem epiſcopatũ. Quem dudũ Bremæ traditũ ſcholæ, archiepiſcopus Adaldagus & ſuis manibus baptizauit, & ſuum illi nomen, vt Adaldagus diceretur, indidit. Quippe apud inſignes eccleſias ab antiquo docti viri fouebãtur, qui publicas ſcholas ſuſtinerẽt, priuſquã publica literarũ gymnaſia (quæ nunc multa florent) per Chriſtianiſmum erigerentur: quæ res apud noſtrates pene heſterna eſt. Nã nulla eſt in Saxonia publica ſchola, quæ centeſimũ longe ſuperet annũ. Erphordia, Lipz, Roſtochiũ, vix totis viginti annis diſtantia habent primordia. Sed ea tempeſtate quam nunc explicamus, valuit vetus eccleſiarũ conſuetudo, ab vſq; Origene & Clemente, & primis eccleſiæ doctoribus traducta, qui apud memorabiles eccleſias Antiochiæ & Alexandriæ ſuis temporibus docuerũt. Ergo Odincarus iunior à Libentio archiepiſcopo nunc ordinatus in gentes, apud Ripam ſedem accepit, & illuſtri vita & conuerſationis ſanctæ mirabili ſtudio, Deo & hominibus acceptus habebatur. Chriſtianiſmum in Dania ſuis eſt diebus fortiter tutatus.

CAP. 43.

Tributorum odium animos, hominũ ab Euangelio alienat.

Adelbertus martyr.

Academiæ ſerò in Germania erectæ.

HILDESEMENSIS eccleſia per ea tempora pontificem habuit Gerardum. Quatuor is ſolis præfuit annis, ſepultus in pace in ẹccleſia ſua. Qua ætate etiam in Norwagiam eſt euangelium Chriſti propagatũ, baptizato Olauo rege, Trutonis filio: quanuis nonnulli tradant, illum in Anglia baptizatum: alij etiã miſſis ex Anglia in Norwagiã epiſcopis ferunt euangelizatum Chriſtum in ea prouincia: quæ res etſi præiudiciũ intuliſſe videretur legationi Hamburgenſis eccleſiæ, quia tamen nouella fuit prouincia, & multis indigebat noua vinea cultoribus, meritò cũ Apoſtolo diceret, *Sunt qui per contentionem euangelizant. Quid enim intereſt, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem, dummodò Chriſtus annuncietur? Et in hoc gaudeo & gaudebo.* Ericus autem iam Dania potitus cum Suedia, in Dania Chriſti fidem accepit, &

CAP. 44.

Apud Norwagios propagatur Dei verbum.

perinde prædicatores in Suediam admisit: nonnullis tamen arbitrantibus quòd ad paganismũ sit relapsus. Quòd autem idem Ericus aliquando cum Ottone Imperatore III. manus prælio conseruerit, pugnansq; sit victus, Danorũ literæ nõ loquuntur: ab aliis tamen nõ siletur. Sic se res comperta est habere, vt omnes rerum scriptores suæ studeant nationi: veritatem tamen abscondere non oportet, quę est lex prima historiæ. Mortuo Erico, Zueno exul in regnum rediit, meliori necdũ mente. Inde factum est, vt Olauus Sueonum rex, Erici filius, paternam in Dania prosecutus ditionem, iterũ bello expulerit Zuenonem. Tum verò reuersus ad cor, cognouit quia Dominus ipse est Deus: & ex toto corde conuersus in illũ, pœnitentiã peregit errorũ pristinorũ. Exaudiuit illum Deus, & dedit illi gratiam in conspectu inimicorũ suorũ. Nam Olauus Suediæ rex, permisit illi Daniam, eo quòd vitricus eius esset, matrem suã tenens coniugem: & pactum inter eos valuit, de firmando, atq; in vtroq; regno propagando Christianismo. Olauus autem Norwegiæ rex, ex quibusdã causis indicto bello, mouit in Zuenonem: & classem suam armis virisq; stipatam, prouexit inter Sialandiã atq; Scaniam, vbi breuis maris traiectus vtranq; sub oculis constituit prouinciam. Ibi ergo infestis armis concurritur: sed cedunt iam Danis Normanni. Victus Olauus, ne videret victorem, se præcipitem dedit in mare: coniunx quoque eius malo exitu terminauit. Ita quum rediuiua fide Christi, Zuenoni regi cum salute, de hostibus redit victoria.

Historiæ lex prima, tamen raro vsurpata.

Zueno Dei misericordia ad sanitatem redit.

CAP. 45. SVB Ottone tertio præerat ecclesię Osnaburgẽsi Dodo, eius nominis secundus, ordine pontificũ eius ecclesię decimus: cui prę fuit per annos tredecim. Nec habẽt annales insigne aliquid, quod in rebus pro ecclesia gestis nomen eius illustret. Cæterùm quòd sine querela versatus sit in custodia gregis Dominici, satis magnũ haberi debet. Tempora autem eius insignit memorabile factum in ecclesia Coloniensi. Præerat illi Walramus quidam, qui compertum habuit ex detecto per quãlibet occasionem sepulcro præcessoris sui Geronis, illum fuisse viuum sepultum. Ita repertum est cadauer eius se vertisse cum cruoris stigmatibus in sepulcro. Indoluit archiepiscopus Walramus, qui syncopatum illum non arbitraretur, sed verè mortuum, curassetque illum properantius tumulari. Fecit sibi conscientiam, vt poterat, de illo inconsultius ante tempus tumulato: & Romã profectus, culpamq; detegens inconsultæ festinationis, meruit absolui. Inque satisfactionem, reuersus ad ecclesiam, cœnobium diui Martini vetustate collapsum, magnificè reparauit. Peruenit autem hic Osnaburgensis ad annum XCIX. post nongentesimum. & II. Id. Aprilis obdormiuit in Domino.

Archiepiscopus nondum mortuus, præmaturè tumulatur.

CAP. 46. MIMIGARDEVORDENSEM tum ecclesiam duodecimus in ordine administrauit Theodoricus, vir ad vtranq; rem solicitus, vt intus religione, foris cresceret opibus & rerũ abundantia, fertur enim multiplicasse & amplificasse prębendas ecclesię suæ.

1000. Currebat millesimus tum à Christo annus, & Imperator Otto tertius, quum iam tertiò Romã cum exercitu petisset, immatura morte raptus occubuit, veneni (vt ferunt) potione, sub specie amatorij poculi, arte Italica. Post cuius mortem Imperiũ in contentione remansit: nisi tunc conualuisset constitutio, quã idem Imperator Otto III. cum Gregorio Papa V. cognato suo, de Imperatoribus eligendis sanciuit. Cuius vigore primus est electus Henricus Bauarus, de genere Saxonũ, ex sanguine I. Ottonis. Primus ille Henricus, qui Imperialem meruit insulam. Nam Henricus I. Ottonis pater, stirps omniũ regũ Saxonia prodeuntiũ, regno Germaniæ contentus, ad coronã Imperij nõ aspirauit. Romanorum tamen regem iustè etiã illũ appellamus, quod in Saxonia ostendimus. Ab illo quidem Henrico iste est secundus, pronepos primi, per nomen semper Henrici: nam huius Henrici & pater, & auus, & proauus erat Henricus. Interea Wandali sub Ottonibus pacati, Christi tum fidẽ sunt passi in suis finibus prolatari. Ottone verò III. de medio facto, quum à Christianis iudicibus plus æquo tributis grauarẽtur, excusso iugo seruitutis, libertatem suã asseruere, quum accessissent occasiones ex principe Mistwoi & Godescalco, quas suprà attigimus: sed in Wandalia nostra plenius sumus executi, quòd illius loci magis ea cõgrua sunt. Theodoricus autem Mimigardeuordensis episcopus, quanto tempore præfuerit, quid rerũ gesserit, in annalibus non legitur.

Eligi Imperatores quando constitutum. Sup. cap. 40.

Radix omniũ malorum auaritia.

ECCLE-

Cap. 47.

Ecclesiæ autem Mindensi tum præerat Milo, episcoporũ ordine duodecimus. Hic ab Ottone III. anno Christi, DCCCCXCII. Indictione VI. impetrauit, vt monasteriũ monachorũ in quodam suo castello Wedegenborg exædificaret: vbi quędã sancta inclusa, nomen Tuedwif, prima solitariã vitã duxit. Deinde aggregatis sororibus, regulã S. Benedicti, cum multis virginibus, in simplicitate cordis, & sanctitate atq; iustitia Domino famulantibus, constituit obseruare. Quibus illa lac sacræ doctrinæ, velut mater illuminata, & ab infantia rite instituta, præbuit, & religionis sanctæ vitã monstrauit: vt ab hominũ frequentia sequestratæ, Christo Domino possent liberius famulari. Erat tum Saxonia cincta maiori, quàm nunc est, principum respectu: frequentes illi aderant, sedem in ea collocauerãt, crebros ibi Imperij conuentus peregerant. Nam Otto III. (quod in Saxonia nostra diximus) multũ diuq; in sede patrum suorũ, principum Saxoniæ, in Wildeshusen Bremensis ditionis commanebat. Hic verò pontifex, statu sedis suæ religiosè atque optimè ordinato, anno Christi, DCCCCXCIX. ipso die S. Eleutherij, ex hoc seculo nequã, in cælestia regna transiuit. Extant autẽ versiculi, laudem & decus viri testificantes:

Saxonia olim principum habitatione celebris.

999.

Hoc mundi commune iubar, sidus generale,
Omnibus in media nube reuelat iter.

Fuisse illum lumen seculo suo vult dicere, prębuisseque vitæ exempla inter turbines & tenebras mundi huius, in sidereas regiones.

Cap. 48.

Verdensem autem ecclesiam tum administrabat Bernarius, vir in vtroque homine nobilis, & Imperatori Henrico charissimus: qui eius contemplatione multa contulit ecclesiæ illius priuilegia, & ecclesiam illam sub singularem imperialis maiestatis protectionem accepit. Contulit autem hic pontifex ecclesiæ suæ decimam in Nendorpe. Excitauit iste quæstionem Libentio Hamburgẽsi archiepiscopo, de Ramsola, in districtu eius sita. Sed misso tum per archiepiscopũ Oddone ad Sergiũ summũ pontificem, terminata est dissensio, authorizante Papa, quòd in ordinatione Hamburgensis archiepiscopi locus permaneret, quanuis sit in terminis parochiæ Verdensis. Valuit memoria sanctissimi patris Ansgarij: qui fugiens ex incendio vrbis suæ Hamburgi, illic constituit oratoriũ, & collocauit reliquias, sanctã ibi fratrum fouens congregationem: cuius hodie cernuntur nonnulla vestigia, ex regularibus in seculares dudum degenerantibus, qui locum tenent: vt plerunque omniũ ecclesiarũ decursus est. Bernhardus Bennonis filius, Hermanni primi ducis nepos, tum rerum potiebatur in Saxonia. Ludgerus comes frater erat Bennonis, patruus Bernhardi, qui cũ vxore sua venerabili Emma Bremensi ecclesiæ plurima contulerunt. Archiepiscopus verò noster Libentius, legationis suæ in gentes non oblitus, plures ordinauit episcopos: quorum nomina ac sedes sunt incertæ, vtpote ad initia Christianismi, necdùm benè distinctis limitibus per prouincias, neque adhuc firmatis vt oportuit sedibus, quia tempus persecutionis incubuit in Wandalia. Interea Libentius pontifex noster, expleto boni cursus legitimo spatio, migrauit ad Dominum, anno Christi, MXIII. Indictione XI. certa præmia recepturus in regno, quòd pedibus Christi in terris officiosissimè semper deseruiuit, hospitibus, pauperibus atq; ditibus peræquè benignus: nihil suo tempore intermittens, quod optimi curam patris deposcere videretur.

Dissidium episcoporum, papæ autoritate sublatum.

Episcopi initio prædicationis sedes certas nõ habent.

1013.

Cap. 49.

Berwardus Deo hominibusq; commendatus, nobili genere prodiens (erat enim natu comes de Sommerschborg) in vtroq; homine illustris, tum in ecclesiã Hildesemensem assumitur pontifex, ordine XIII. præfuitq; cum multa laude illi ecclesiæ per annos viginti nouem. Opus illius est monasterium S. Michaelis, ordinis D. patris Benedicti, quod à fundamentis extruxit, & prædiis dotauit & ditauit. Talemq; se præbuit in vitæ sanctimonia, vt viuens & mortuus claresceret miraculis: quocirca in sanctorum numerum est suo merito relatus, & ab ecclesia inter diuos confessores honoratus. Eius temporibus erat grauissima epidemia, vt villæ, vici & oppida vacuarentur habitatoribus in orientali Saxonia. Quam occasionem obseruantes Wandali (perpetui tum Saxonum hostes, quòd iugum subiectionis & Christianismi tum abiecissent) magnis agminibus venêre in Saxoniam: sed non & venisse gaudebant. Nam Imperator immissis armorum auxiliis, insigniter fecit

Popularis morbus sæuissimè grassatur.

castigari excurrentes. Berwardus verò pontifex, operi intētus diuino, nihil omittebat ex omnibus quæ ad solicitum pastorem, bonū patrem, optimum episcopum pertinere videbantur. Præfuit verbo, exemplo, & rebus omnibus bene cedentibus diuina miseratione, ecclesiamq; suam in diebus suis nō mediocriter prouexit. Scripta sunt de eius vita non contemnenda miracula, quæ apud ecclesiam conseruantur, ad quæ remittimus desiderio eius rei flagrantem lectorem.

CAP. 50.

HALBERSTADENSEM verò ecclesiā tum gubernabat Arnoldus, vir omni virtute cōspicuus, in illa ecclesia nonus episcopus: præfuit autem annis XXVII. cum multa laude & fructu bonorum operū. Auxit quoq; ecclesiæ prædia in bonū modum, vt non sentirent detrimenta rerum quæ inde ad Magdeburgensem peruenerunt. Turbatus tum erat Christianismi status per Wandaliā, vt per septuaginta annos, à memoria I. Ottonis fundata religio, tum labefactaretur, principibus eius gentis auersis: licet in populo essent, qui acceptā religionem strenuè secū asseruarent. Ita vt in diebus suis idem Godscalcus, qui nunc iuuenis vindex esset paternæ necis, in ætate prouectiori, quum ex Dania rediret, ad cor reuersus, reuocaret Christo quod pridem auerterat, ipse factus victima pro populo: quod posteriùs suo tempore dicemus. Sed & Mistiwoi princeps, is qui contemptū sui de Bernhardo duce Saxoniæ fuit persecutus, grauiter licet insolescens in Saxones Christianos, vt in auxilium vocaret congentiles suos dæmonicolas: ipse tamen susceptam Christi religionem non deseruit, sed se Christianis reddidit, in Bardewico consenescens, & in Christi fide moriens. Quo tēpore venerabilis comes Henricus præpositurā fecit in Rosenfelde, aliàs Hertzfelde, hoc est sub præposito, fratrum conuentū. Iamdudū fuit abbatia sub regula diui patris Benedicti, rebus lapsis ad eam tenuitatem quæ cerni potest: dum posthabito Dei timore, & regula antiquata, facit quisque quod libet. Hæc facta sunt vltimo tempore senioris Libentij, sub duce Bernhardo Hermanni nepote, quem Otto primus euexit. Magnam is Bernhardus præstitisse creditur occasionem (si non causam) auersioni Wandolorum: nec potuit illos aut gladio aut altera vlla via in integrum reuocare.

Annis LXX. intermittitur religio apud Wandalos.

Præpositura quid.

CAP. 51.

ALDENBVRGENSIS tum ecclesiæ, etsi insigniter euastata in Wagria (pars est ea Wandaliæ occiduæ in Holsatiæ confinibus) præsidebat vir egregius, Benno, prudens, & magnæ sanctitatis cum industria. Hic vt poterat, recollegit redditus ecclesiæ Aldenburgensis, pro subsidio sustentationis fratrū, per Ottonem primum assignatos. Illis quoq; temporibus, qui nunc per ecclesias dicuntur canonici, tunc fratres in omnibus ecclesiis cathedralibus Saxonum ac Wandalorū nuncupabantur. Sed quum iste vir, propter grauem manum Saxoniæ ducis Bernhardi, in exigendis tributis ab gente Wandalorum, populum ad fidem nouiter reuersum, nimis pensionibus vectigaliū grauantis, nihil proficeret (ob eam enim causam reperit Wandalos nec Dei memores, nec ad sacerdotes beneuolos) videns se circa populum casso labore fatigari (quum, iuxta prophetam, *vnus ædificans, & vnus destruens, non prosperentur*) quum non inueniret vbi requiesceret pes eius, peruenit ad Hildesemensem præsulem Berwardum, aperiens ei angustias suas, ac quærens in tribulatione consolationem. Ab eo humanissimè recollectus, quum dedicaret eo tempore ecclesiam monasterij sancti Michaelis in Hildesheim, quod Berwardus episcopus nouiter fundauerat, à populo Benno episcopus compressus & attritus, post paucos dies vita functus est, in aquilonari eius ecclesiæ abside honestam recipiens sepulturam. Successit illi in ea sua ecclesia Aldenburgensi ordine VIII. Meinerus. Qui, vt aliquanti prædecessores eius, etsi vigilanter instituisset populum Wandalicum ad iuga Christi reuocare, obstitit ei tributorum ac vectigalium grauis nimium exactio, vt non magnopere proficeret: populum autem qui in fide remanserat, & aduenas Saxones potuit in fide retinere. Sed vsque ad redeuntem è Dania Godscalcum, nihil magnum in ea gente paratum est ad reponendam religionem. In eodem fuit temporum cursu & successor eius Abelinus, ordine nonus pontifex, vt res tenues per Wandaliam vtcunque sustineret: amplificare autem non poterat, ex causis memoratis.

Canonici qui nūc sunt, olim fratres sub regula.

Benno populi frequentia opprimitur.

ALBER-

ALBERTI KRANTZII METROPOLIS, LIB. IIII.

CAP. I.

VNWANVS in metropoli Hamburgensi successit Libentio, vir natu nobilis, ex choro sumptus Paderburnensi. Ferulam suscepit ab Henrico Imperatore, pallium à Papa Benedicto octauo. Rumor erat, virum hunc memorabilem per labem fuisse promotum: quòd quum diues esset, partem patrimonij Imperatori, partem cognationi, partem reliquerit ecclesiæ. Sed hanc suspicionem longè submouet & Henrici Imperatoris venerãda sanctitas, & huius pontificis singularis religio. Compertum habemus, Henricũ istum Imperatorem, pro diuinæ zelo seruitutis integerrimum Imperatorem, non aliena concupiuisse, sed sua esse ecclesiis elargitum. Sed neq; archiepiscopi vita tale aliquid permittit suspicari. Facile est autem cadere in linguas obloquentium innocentissimos. Iste archiepiscopus primus omnium congregationes apud ecclesias cathedrales, aliasque, ad canonicam perduxit regulam: quæ antea quidem mixta ex monachis & canonicis, vtraque conuersatione turbata, degebat, non vigebat. Qua occasione fratres licentius de claustro egressi, mulierum consortia primò petebant absconsè, inde in maiorem dissolutionem abierunt. Paulatim ergo deferuescente in clero religione, apud ecclesias ex monachis regulares canonici, & ex his seculares (vt nunc vocantur) canonici prodiêrunt. Quid autem ex hac deinceps resolutione sit oriturum quis nouit? Interpretemur, oro, vocabulũ. Si canon est regula, canonici sunt regulares. Quid ergo fiet de canonico seculari, nisi vt regularis sit irregularis, aut (si id malumus) regularis sine regula? Erat is deuotionis feruor sub sanctis patribus, vt inter fratres ipsi etiam pontifices victitarent: quod de huius proximo legimus decessore Libentio. Iam ventum est ad regulares, vt canonici dicerentur & essent: vtinamque ibi perdurassent. Inferior inuentus est gradus, canonicus secularis, hoc est monstrum sine exemplo, regularis sine regula, canonicus sine canone. Ignosce, lector, diuerticulum non sponte facienti. Hic archiepiscopus omnes ritus paganicos, quorum adhuc reliquiæ multæ fuerãt, stirpitus in hac regione euulsit: ita vt ex lucis, quos nostri paludicolæ stulta frequentabant reuerentia, faceret ecclesias renouari. Sancti Viti capellã Bremæ extra oppidum construi iussit: capellam quoque Willehadi exustam iussit reparari. Ipso tempore ferunt aggerem Bremensem firmatum contra incursus hostium. Nam Bernhardus dux in eam excreuit cõtumaciam, vt Imperatori Henrico rebellaret. Qui motus ad ecclesiam pertigit, dum staret archiepiscopus pro Imperatore. Interim excreuit insolentia ducis, vt primùm grauatam tributis gentem Winulorũ ad rebellionem impelleret: inde verò crescentibus malis, totam secũ Imperatori rebellare coegit Saxoniam. Nouissimè surgens in Christũ, ecclesias etiã cœpit impugnare, præcipuè Bremensem, quæ cæteris ditior: & Hamburgensem, quæ longius essent ab Imperatoris tutela. Sed huius impetum viri taliter Vnwanus sua magnitudine fregit, vt præ pudore sapientiæ & libertatis episcopi, cogeretur ipse dux, cui antea esset aduersatus, deinceps beneuolus existere. Ergo accepto Vnwani archiepiscopi consilio, rebellis tandem flexus princeps, Cæsari Henrico supplex dedit manus: moxq; adnitente Vnwano, Wandalorum parte rursus tributo subacta, pacem reddidit Transalbinis, & ecclesiæ Hamburgensi. Ad cuius restaurationem Vnwanus post Wandalicam cladem, ciuitatem & ecclesiam fecit nouam: simul ex singulis congregationibus suis, quæ virorum essent, tres eligens fratres, ita vt duodecim fierent: qui in Hamborg canonica degerent congregatione, populum ab idololatriæ reuocantes errore. Ordinauit is in ecclesiam Aldenburgensem, mortuo Remberto, Bennonem, virũ prudentem, qui de fratribus Hamburgensis ecclesiæ electus, in populo Wandalorum multum institit facere fructum. Archiepiscopus autem ecclesiæ thesaurum diu soliciteque collectum (& quasi minus necessarium, si intra parietes clauderetur) ad commodum legationis

Monachi in canonicos degenerant, eos quidem quos hodie videmus.

In lucis dæmonum, martyriũ ecclesiæ construuntur.

Munera optimo consilio distributa.

ſuæ ita curauit expendere, vt ferociſſimos Aquilonis reges hilaritate ſuorum munerum, ad omnia quæ voluit, beneuolos haberet.

Cap. 2.

Henrico ad regnum aſſumpto qui hoſtes extiterint.

Paderbvrnensi eccleſiæ adhuc præerat Retharius, quum Henricus Bauarus, origine Saxo, rex Romanorũ primus per electionẽ aſſumitur. Egehardus Saxoniæ marchio Miſnenſis (vt creditur) tum vehementer adſpirabat ad regnũ, feſtinans in Duſeldorp, vbi audiuit principes conuenturos. Berwardus in Hildeſheim, hoſpitaliter illũ excepit. Inde quum Paderburnam peteret, occluſas habuit portas: ſed agente Rethario epiſcopo, immittitur. Quumq; intelligeret epiſcopo inſtitutũ ſuum diſplicere, nec principes cõuenturos in dictum locũ, retroceſſit: & in Saxoniã reuerſus, ab hoſtibus Saxoniæ ducibus opprimitur. Hermannus quoq; Alſatiæ dux, Henrico reſtitit, Rheni tranſitũ obſeruans: ſed non profecit, quo minus (agente potiſſimùm Willigiſo Moguntino archiepiſcopo, & Heriberto Colonienſi pacato) rex conſecraretur Aquiſgrani, magno principũ & nobiliũ conuentu. Venit Mersburgũ: ibi eum cõuenere archiepiſcopi Hamburgenſis & Magdeburgenſis, epiſcopi Hildeſemenſis, Verdenſis, Halberſtadenſis, Paderburnẽſis: & multi comites ac nobiles regẽ eum conſalutauere. Inde in Corbeiam reflexus, obuiam habuit Connegundã, contoralem ſpecie, ſed pudicitia ſororem: ambo enim continenter vixere. In Paderburna Willigiſus reginã donat corona, & Sophia regis ſoror abbatiſſa conſecratur. Lætum diem obſcurauere Bauari pabulatores, qui in contentione ruſticã plebem in ſe excitauere. Cædes magna fuiſſet, niſi interuẽtu Bernardi ducis Saxoniȩ dirimeretur. Rex vt placaret epiſcopum, dedit eccleſiæ Bokenfort & Foreſtam in terminis ſuis, interuentu Retharij pontificis. qui expletis viginti octo in epiſcopatu annis, euolauit ad meliora, terris relictis.

Henricus cum vxore continentiã coluit.

Cap. 3.

Imperator in conſtituendis epiſcopis pluſculum ſibi ſumit.

Magdebvrgensis metropolis tum meruit tertium archiepiſcopum. Nam Giſelero mortuo, fratres iure (vt putabant) eccleſiæ, elegerunt ex ſuis quendam Woldardum repugnantem & (vt poterat) reclamantem. Imperator ſui eſſe iuris reputans, eccleſiis prouidere, abſoluit inuitum, & repoſuit cancellarium ſuum Dagonem, virum ſine controuerſia optimum. Præfuit autem annis tantùm octo & quatuor menſibus. Singulari autem affectione rex eccleſiaſticam rem promouit, conuertens in Chriſtum, quod alij principes magnificandis liberis ſtudiũ impendunt. Eccleſiam Bambergenſem extruxit & dotauit: illique præfecit Euerhardum, virum primarium, epiſcopum. Bruno epiſcopus deuotionis gratia in Pruſſos profectus, vt illis Chriſtum euangelizaret, in ea gente coronatur martyrio. Gens Vngara fit Chriſtiana. Hoc enim proſpiciens ac ſperans futurum, germanã ſuam Giſlam, optimam fœminam, regi gentis dedit coniugem. Non ceſſauit aures pulſare mariti, donec peruinceret, qui in baptiſmo Stephani nomen accepit: & vſqueadeò in religione profecit, vt mereretur iam inter ſanctos per eccleſiam aſſcribi. Hoc eſt illud tempus, quo in Dania Zuenoni patri ſuccedit Canutus filius, qui ob magnitudinem imperij & rerum à ſe geſtarum, Magni cognomentum meruit: qui deuicto Adelrado Anglorum rege, victor ab Anglia rediens, in ditione ſua per multos annos tenuit vtrunque regnum. Quo etiam tempore multos in Daniam ab Anglia induxit epiſcopos: de quibus Bernardum poſuit in Scaniam, Gerbrandum in Sialandiam, Reinerum in Fioniã. Quod zelatus Vnwanus, Gerbrandum redeuntem ab Anglia capit, quem ab Elnodo Anglorum archiepiſcopo ordinatum cognouit. Ille verò (vt neceſsè fuit) archiepiſcopo ſatisfaciens, fidelitatem eccleſiæ Hamburgenſi cum ſubiectione debita ſpondens, familiariſſimus deinde Vnwano eſt effectus: per quem etiam ſuos legatos ad Canutum regem cum muneribus mittens, congratulatus eſt ei de rebus bene geſtis in Anglia. Sed inſeruit aculeos de præſumptione epiſcoporum, quos tranſtulit ex Anglia. Quod rex non auerſatus, patienter accepit: & ita poſtmodum eſt coniunctus archiepiſcopo, vt ex eius ſententia omnia deinceps facere maluerit. Erat hic pontifex Vnwanus magnificentia præcipuus. Nam in pleriſq; paſchæ aliiſq; feſtiuitatibus, epiſcopos ſeptem, & aliquot abbates ſecum habuiſſe memoratur: ducem quoq;, & prouinciæ comites magnos, ſingulos comitate ſua, proſecutus, promeruit vt honoraretur. In Dania verò eius tempore ſuperuixerat ille

Vngari Chriſto lucreſiunt.

Sunt etiam eccleſiaſtica feuda & homagia.

Splendor epiſcopalis.

ille inſignis pontifex Poppo,& Odincarus,vir ſcientia & morum grauitate nō minor quam nobilitate:quem pro fide & ſanctitate familiariſſimum habuit archiepiſcopus.Solus autem Odincarus tranſmarinas in Suedia & Norwagia viſitauit eccleſias. Ezico Sleſwicenſis domi ſedit, reliquos perſecutio retardauit & dies mali: alios quoq; metropolitanus in regna Aquilonis miſit epiſcopos. Venientes quoq; ex Anglia,quum ibi prædicarent pro regum amicitia,ad ſe pellectos donis ac muneribus,ad ſubiectionem eccleſiæ ſuæ fecit voluntarios.Quam viam expertus prę- *Ne in adulto quidem.* tulit rigori iuſtitiæ,præſertim quū non expediret in nouello populo de ſubiectione concertare.Quum ergo eſſet vir nobiliſſimus,æquè nobilem ac libertati ſuę ſufficientem conſecutus eſt archiepiſcopatum, in quo & ſuam poſſet oſtendere magnanimitatem, & neceſſitati ſimul eccleſiæ proſpicere.

MENWERCVS, decimus in eccleſia Paderburnenſi epiſcopus,eccleſiam ab CAP. 4. Henrico rege per chirothecæ traditionem accepit in Goſlaria,quò rex eo tempore morabatur.Ab archiepiſcopo Moguntino & ſuffraganeis quibuſdā ibi tum prę-ſentibus,munus conſecrationis aſſequitur:& ad eccleſiam ſuam veniens, honorificè excipitur,tanto cunctis gratior,quanto regi propinquior: erat enim illi ſanguine iunctus. Eccleſiam nouam, quam poſt incendiū prædeceſſor inchoauerat, quū non ſatis ex dignitate muros ille tetendiſſet,deiecit quicquid ille cœpit: & à fundamento nouam extruxit,quam anno ſeptimo conſummatam dedicauit. Inhæſerat Imperatori ad Italiam tranſeunti,& per varios ſecum caſus tranſiuit.Papiæ ſatis periculoſum eſt expertus tumultum,mixtus ciuibus & hoſtibus: ſed victrix vbiq; virtus ſuperauit.Coronatur in vrbe Roma Imperator cum coniuge,ab octauo Benedicto.Menwercus quicquid in priuilegiis voluit,impetrauit. Reuerſus per alpes, dimiſit exercitum:ipſe Cluniacū peruenit cum epiſcopo memorato,qui inde fra- *Cluniaco monachorum Colonia in Germaniam transfertur.* tres XIII. eduxit,cum pondere panis & vini,cum libris ac rebus ad obſeruantiam neceſſariis: ac Paderburnam introduxit,ibi molitus monaſterium.Erwete prædiū cum pertinentiis ab Imperatore impetrauit, pro eccleſia, interpoſita perſona Imperatricis.Abbatem Corbeiæ,reformationi repugnantem,Walonem, deponi curauit epiſcopus:pro qua re,quum in eum locum deuotionis gratia declinaſſet,velletq; ſacrum peragere miſſæ officium,ſacriſta ſacras illi veſtes ſubduxit:iterum iterumq; monitus,tradere recuſauit.Tum epiſcopus,Reddes(inquit)rationem altiſſimo,pro omiſſo hodierno officio.Monachus ille floccipendens, etiam riſit epiſcopum:ſed apparuit in morte eius epiſcopi,quàm non fruſtra eſſet minatus.Nam nihil antè mali ſentiens monachus,in ipſa hora mortis epiſcopi expirauit. Multa in *Monachi in episcopum contumacis pœna* hunc modū mirabilia leguntur de hoc viro,ſanctitatem eius conteſtantia. Fundauit in Heruordia domum diuæ Virgini, audito & examinato, ꝙ diua Dei genitrix iuſſerit domum erigi,moniales reformari.Ipſe ex ſententia animi aduertēs omnia perfecit.Comitatum Werberg idem obtinuit pro eccleſia.Huius temporib.Henricus Cæſar in Tremonia conuentum habuit celebrem archiepiſcoporum,epiſcoporum,ducum & nobilium.Ibi conſtitutum eſt, quid in ſuffragiis quiſq; ex omnibus præſentibus ſit facturus,poſteaquam innotuit ex eo numero quem deceſſiſſe. Poſtea in Nouiomagio cōuentus eſt habitus, vbi multa de reformatione collapſæ religionis per omnia membra ſunt conſtituta. Peruenit iſte Menwercus ad annū Chriſti milleſimum triceſimum ſextum.Tum eccleſiam quam conſtruxit,& duo- 1036. decim præbendis dotauit,ipſe dedicans in Rogationibus, Moguntinum & Colonienſem archiepiſcopos,& epiſcopum Wirtzburgenſem, tum ad hoc honorificè inuitatos,domi magnificè habuit,nec diu pòſt,in vigilia Pentecoſtes,defecit.

MIMIGARDEVORDENSI interim eccleſiæ tertiuſdecimus præfuit epi- CAP. 5. ſcopus,Segefridus,qui ſingulari ſtudio prębendas & facultates eccleſiæ vberiores reddidit,intusq; & foris omnia in meliorem & vberiorem ſtatum redegit. Vidit iſte ſuis diebus, miram in Imperatore religionem, ſanctimoniam & virtutem, vt non ſine cauſa, moriens, ſit in numerum relatus ſanctorum: & tamen licet cum *Ferri candentis examen in suſpecta pudicitia.* ſanctiſſima coniuge ſua Connegunde (quam vnicè dilexit) coniunctiſſimè vixerit, ſeminator tamen zizaniorum iniecit illi ſcrupulum zelotypiæ, quum ei ſuggereretur, quòd quendam militem amicius viderit quàm par eſſet. Illa vbi

comperit, iussit secretò sex igniri vomeres, & in conspectū Imperatoris aliud agentis afferri. Miratus ille quid ageretur, vidit deinde charissimam cōiugem nudis pedibus conscendere ferrum ignitum intrepidam. Vides, inquit, Imperator, illæsam à ferro, illæsam ab omni immunditia? Ille in se reuersus, cœpit cogitare quid esset: suspicatus, mox procidens, genibus vxoris, imò sororis, prouoluitur. Illa procumbentem amicissimè leuat: cessauit ex illo die omnis sinistra suspicio. Segefredus autem episcopus, posteaquam tempora sua expleuit, concessit in fata, locum cedens alteri. Annales autem sunt in hac parte valde sobrii.

CAP. 6. APVD ecclesiam Magdeburgensem, quum defecisset Dago, fratres, ecclesiæ suæ iure, reponebant Waldardum, præpositum suum pridem electum, sed tum ab rege posthabitum, eundem tamen altera vice comprobatum. Non diu superfuerat in pontificio: nam annum non impleuit. Fecit tamen pro temporis sui breuitate quæ potuit: plura facturus in decus & ornamentum ecclesiæ, si longior illi vita fuisset. Eo iam vita functo, fratres, vt putauere, suo iure (necdum tamen erant Decretales, qui hoc defenderent. Viuebant tum homines, iure ciuili in controuersiis vtentes: & satis videbatur, nondum excogitato iure canonico, nec in canones redacto, quod pontifices & alii patres in conciliis decreuerunt. Adhuc erat nasciturus Gratianus, qui corpus decretorum compingeret. Erant, fateor, ante illum, qui canones conscripsissent: sed non ea fuit authoritas, quę est postea illis attributa. Ecclesia non approbauit, quomodo, quum vtatur illis quotidie in decidendis casibus.) Ergo fratres tum ex suo numero delegerunt quendam Theodoricum, virum pontificio dignum: sed non erat in talibus ratum, quod non princeps approbaret. Henricus ergo Imperator, Geronem capellanum suum fecit archiepiscopum, in eius locum assumpto eodem Theodorico. Præfuit autem Gero ecclesiæ Magdeburgensi annis decem, magnum sui relinquēs desiderium. Hoc est illud tempus, in quo per Saxoniam fuere etiam, qui gubernarent prouinciam, marchiones, habentes titulum, vt Saxoniæ marchiones dicerentur. Sed de his in nostra Saxonia latius diximus. Henricus tum Imperator, quum latè omnia perspiceret, prospiceretq; fratres Fuldenses regalis abbatiæ non rectè ambulare in viis regulæ suę, multa illis prędia, tanquam luxuriem nutrientia, ademit. Factum est enim (quod hodie cernitur) vt *incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquerit Deum factorem suum.*

Variæ variis seculis administrandæ ecclesiæ rationes. Ex iis quænam sint ab Apostolis vsurpatæ?

Luxuriantib. monachis aliquid ex opib. detrahitur.

CAP. 7. HILDESEMENSI tum ecclesiæ post beatum Berwardum, virum sanctissimum (qui in numerum sanctorum suis meritis est relatus) non illo minor in omni virtute & sanctitate, successit Godhardus: qui in honorem D. Bartholomæi, ad muros ciuitatis extruxit conuentum regularium, ad Salinas vocant: locum hodie foris & intus, prædiis & religione florentem. Erat iuxta seculum, vir sanguine nobilis, natus ex comitibus Bauariæ, illis videlicet, quibus præteritis, primus Otto fratrem suum Henricum fecit ducem Bauarorum. Sanguine ergo coniunctus Imperatori, viro sanctissimo (qui & ipse auxit diuorum numerum) Godhardus in omni sanctitate & iustitia Deo seruiebat. Aderat frequens cœtibus Imperii, non minus temporalis tranquillitatis curator, quàm æternæ prouisor salutis. Non deerat Tremoniensi conuentui: vbi inter cætera curatum & prouisum est inter principes vtriusque ordinis, vt inita fraternitate, suffragiis se mutuis cōsolarentur. Decretum est, quòd ecclesiastici, triginta Missarum sacrificiis prosequerentur quemq; fratrē morientem: seculares eleemosynis pauperum in eam rem, pro cuiusq; opibus ibi taxatis, succurrerent. Aderant omnes archiepiscopi & episcopi, Saxoniæ & vicinarum partium. Inter alios Godhardus Hildesemensis, & Menwercus Paderburnensis, Osnaburgensis, Mindensis, Mimigardeuordensis, Verdensis, Halberstadensis, Metensis, Wormatiensis, Traiectensis, Mersburgensis. Ex archiepiscopis, Coloniensis, Hamburgensis, Magdeburgensis. Menwercus ea tempestate finem fecit viuendi. Intellexit Godhardus, insinuante spiritu Domini, quendam ex Saxoniæ episcopis diem suum clausisse. Et iam solito seriùs differebat sacrum ad altare ministerium. Erat propè prandendi hora: & admonitus à quodam, quòd hora appropinquaret edendi, respondit, Euestigio nuncium expecto, qui mortem mihi nunciet vnius ex charissimis, cui missarum debeo suffragia. Aderat non inde diu, qui Menwercum

Mutua secularium & ecclesiasticorum auxilia.

Episcopus fratris mortem procul nullo monitore cognoscit.

wercum Paderburnenſem nunciaret epiſcopum exceſſiſſe rebus. Mox accingitur Godehardus, & pro ſua conſuetudine humillimè ac deuotiſſimè peregit miniſterium: inde vbi aſſedit menſæ ſuæ, vtraq; manu ſimilam apprehendit, & compreſſit. O beate, inquit, Menwerce, quomodo te lata tua ſimila à communi morte non liberauit? Et ego, inquit, quamdiu ſuperfuero, de albo pane non guſtabo. Quod ipſe per duos annos, minus vno menſe, quibus ſuperfuerat, impleuit. Ita purè narrant annales: quid ſibi velint, non ſatis accipio. Menwercus quidem fratribus ſuis ſimilam dedit in pane. Hoc an ſibi detrimēto fuerit, dubitari poteſt, quòd Godhardus ſibi ab illo pane indixerit & ſeruauerit abſtinentiam.

Danus ſcilicet hæc non capit: OEdipode eſt opus.

Cap. 8.

VNWANVS interim Hamburgenſis archiepiſcopus, quum eſſent res Wandalorum iam aliquantum pacatiores, renouauit metropolim Hamburgenſem: clerumq; clade Wandalica diſperſum colligens, magnam ibidem ciuium & cleri frequentiam contraxit. Itaq; cum duce Bernardo frequenter inhabitans locum, ſæpe dimidium ibi permanſit in annum, glorioſiſſimum regem Danorum Canutum inuitans inibi ad colloquium, Wandalorumq; principes, Vtonem & Sedericū. Glorioſiſſimus rex Olauus floruit per hæc tempora, cuius eſt celebre nomen in regnis: cuius exitum glorioſiſſimum operæprecium eſt in diuinæ religionis contexta narratione inſerere. Nec enim inſtituto noſtro debet videri alienum, quum prouinciæ & legationi archiepiſcopi noſtri ea tum gens ſubdita fuerit. Igitur Chriſtianæ religionis rex obſeruantiſſimus, inter alia virtutum ſuarum præconia, & hoc reliquit exemplum ſanctimoniæ. Die Dominico, cogitationibus grauatum quum gereret animum, baculumq; manibus teneret, cultello (vt fit) ſcindulas fecit, non aduertens. Admonitus ab adſtante per iocum de violatione ſabbati, non leuiter in ſe puniuit admiſſum: ſcindulas collegit diligentiſſimè, manuiq; ſuæ impoſitas iuſſit incendi, vt in ſe vlciſceretur, quod contra diuinum præceptum incautus admiſiſſet. Hac ſeueritate in ſe vſus, non diſſimulauit in cęteris crimina in legem Dei commiſſa, quanto ea ſeuerius vindicaret: vnde multorum (vt fit) in ſe odia concitauit. Qua ex re effectum eſt, vt quum grauiſſimo premeretur bello à Canuto Danorum rege, proditus à ſuis, fuga ſibi eſt conſulere coactus: perueniitq; in Suediam, vbi à ſocero Olauo armis mutuatis, contractisq; auxiliis vndecunque, renouato bello, regnum repetiuit, & proſperatus eſt. Quumq; non parceret criminoſis, inueterato malorum odio noua acceſſerunt odiorum incentiua. Erant ex procerib. regni ſui, qui in gratiam Canuti regis Danorum, in Olauum cõiurabant. Igitur ad arma conclamatur in regem: ipſeq; non imparatus, exercitum habuit expeditum, tendebatque in caſtris, hoſtium operiens aduentum. Dormiebat in tentorio ſuo rex Chriſtianiſſimus. Quum iam hoſtes imminerent, expergefactus eſt à principe militiæ ſuæ: cui rex, Vtinam, inquit, modico me tēpore quietum liquiſſes, vt viſionis, quæ pandebatur, exitum perſpicerem. Videbam adſtare mihi ſcalam, cuius cacumen pertingeret in cœlum: meq; per illam cõſcendiſſe, & vſq; ad ſuperi portas perueniſſe regni, iam iamq; ingreſſurū expergefaciebas attonitū. Ipſa iam beati regni felici propinquitate ſuccenſus, videre percupiebã, quæ Dominus oſtēdere dignaretur. Sed congreſſum inde pręlio hoſtes excepere, ſuperioresq; facti, regem in acie contrucidauerunt: iam extinctū perduxere Trondemiū (nunc Nidroſiam vocãt) regni metropolim: ibiq; ſolenni funere contumulauere. Declarauit autē Dominus crebris miraculis, quę per eum operari dignatur, quanti ſit apud illum meriti in cœlis, qui tam mirabilib. factis clareſcit coruſcatq; in terris. Rex omni æuo dum viueret ſanctiſſimus, omnibusq; regionib. Aquilonis per ęuum celeberrimus: cuius patrocinio ſingulari vicina regna ſe commendant. Per idem tempus quidam ab Anglia Wolffred[9], diuini amoris inſtinctu, aduerſus ſuperſtitionē ſacrilegam Suedię ſe opponens, dignū & optatum inuenit ſancti martyrii exitū, in concione populi vociferans, Si, inquit, potēs eſt veſter deus Torſtan, ſe vindicet. Et arrepta ſecuri, ſimulacrum in fruſta cõcidit: non tamē impunè. Quippe mox ab adſtantib. mille petitus gladiis cõfoditur: fruſtatimq; conciſus, pœnas (vt aiebãt) dedit violato numini gentis. Sed cum illo fide recta bene actum ſcim[9]: qui vitã alioqui naturæ impendendã, in ſacrificiū Deo reddidit, tranſlatus ad meliora. Vnwanus autē, archiepiſcopus, in

Sabbathi religio plusquam deceat accurata.

Olauus morte quam in ſomnio viderat abſumptus.

Wolffredus idolum deiiciens trucidatur.

ea legationis suæ solicitudine in finem vsque perdurans, debitum Deo spiritum efflauit, anno pontificatus sui sextodecimo, Christi autem MXXIX. indictione duodecima. Quo etiam tempore migrauit à seculo Poppo, in omni gente Danorum celeberrimus: cuius virtute & instantia, infinita Danorum millia ad fidem peruenerunt.

CAP. 9. MAGDEBVRGENSI inde ecclesiæ Menfridus præficitur, vir religione pręcipuus, ex monasterio Wirtzburgensi translatus per Henricum Imperatorem: pręfuitq; ecclesiæ illi annis septem & viginti. Currebat hoc seculum regibus & pontificibus in sanctitate & virtute præcipuis. Romanum Imperium habuit hunc Henricum, ita miraculis post mortem assiduè coruscantem, vt sanctis annumeraretur. Non habet apud me fidem fabula, quam Mersburgensis ecclesia prædicat de calice aureo, cui ansa sit detracta, quum in trutina meritorum ac demeritorum eius, ab Laurentio diuo martyre iniiceretur calix iste, qui merita faceret demeritis pręponderari. Non solent in sanctos referri, quorum de virtutibus tam ambiguum est iudicium. Nec tam leui momento pendebat sanctissimi regis æterna salus, vt vnius pondere calicis trutina illa librans in vnam decideret partem. Ego sanctissimi Imperatoris meritis indignam esse duco fabulationem. Potest ex aliis causis ansa esse calici detracta. Sed (vt dicere cœpi) currebat hoc seculum sanctissimis viris. Francia tum regem habuit Robertum, doctum, religiosum, sanctum: Vngaria Stephanum, Norwagia Olauum, Hildesemensis ecclesia, post Berwardum, Godehardũ: Menwercum Paderburna: omnes nobili secundum seculum origine. vt erubescãt nostra secula, quæ nihil tale meruerunt. Successit humilitati fastus, religioni vanitas, sanctitati rapacitas & immunditia. Quocirca nostris temporib⁹, iuxta prophetiam, defecit sanctus in magistratibus: saluentur, quomodo possunt, quique in plebe & populo.

Audet iste fabulas vocare, quæ in sanctorum legendæ habentur.

At nos posteritas diuis aui tis adiunget.

CAP. 10. HALBERSTADENSI tum ecclesiæ præsedit vir pontificatu dignus Brandago, ad annum vsq; decimumquartum. Præfuit cum multiplici bonorum operũ fructu. Eius opera sunt, collegium diui Ioannis Baptistę intra vrbem, & collegium in Bosleue. Certauere tum pontifices in operibus pietatis, & vincere & vinci, in æquo habuere. Siquidem vbique præualente pietate, Romano imperio per ea tempora, post Henricum Bauarum ex Saxonibus inter sanctos asscriptum, Conradus Francus, eiusdem originis, pręficitur à principibus Romanorum regno. Siquidem filiam suam Magnus Otto Conrado nobilissimo iuueni, Francorũ duci, dedit coniugem: vnde huic Conrado natalia fuere. Habuit aut fratrem Henricum Sueuiæ ducem: qui quum fratri non pareret, opposuit illi Conradus arma, & expulit Sueuia, profugientem ad regem Vngariæ Stephanum, suum propinquum siue affinẽ. non placuit Vngaro contumacia Henrici ducis in fratrem, eamq; rem tali integumento insinuauit. Die Parasceues iubebat rex duci, affini suo, in mensam apponi carnes: & quum ille horreret illo die carnibus vesci, quando in omni Christianismo arctissimum esset ieiunium: rex subintulit, Minus malum reor vesci carnibus, quàm fratri sine vlla necessitate rebellare. Hoc admonitus facto Henricus dux, rediit in gratiam fratris in Noriberga. Ad importunam instantiam Brunonis episcopi Augustensis (qui frater erat Henrici Imperatoris proximè defuncti) rex Conradus comitatum Bambergensem reponere, & episcopatum subuertere cogitabat. Apparuit Henricus Imperator fratri dormienti, incusans, quòd illum in morte tentaret affligere, reuocans in irritum, quæ ille in honorem Dei ordinasset: & nisi desisteret, malo illi exitu terminandum. Terruit episcopum visio, & permansit ecclesia in suo statu. Conradus Henricum filium procurauit regem eligi Romanorum in Minda à principibus, vt successionis certus esset. Ea est secunda post Imperatorem potestas. Olim post Augustos erant qui Cæsares dicerentur. Ita sub Vespasiano Augusto Cæsar erat Titus filius: & sub Heliogabalo Alexander consobrinus eius Cæsar erat: sub Diocletiano, Claudius Constantius: sub Constantino Magno, Gallus. Conradus Romam petens cum contorali, ibi consecratus est Imperator: rediens in Germaniam, Henricũ filium curauit Aquisgrani regem consecrari, per Peregrinum Coloniensem archiepiscopum.

Deglutientes camelum, & colantes culicem.

Romanorum rex, vt olim Cæsar, potestas secundaria.

Cap. II.

HAMBVRGENSI deinde ecclesiæ post Vnwanum, pręficitur Libentius secundus, primi ex fratre nepos, vir Italicus, patruum secutus: maior pridem domus præpositus, virtutum auunculi aut patrui (res enim in incerto permansit) strenuus imitator. Fretus potissimùm fauore Imperatricis Gislæ, ad pontificatum peruenit: quippe quando harum rerum arbitrium vel maximũ fuit ea tempestate apud principes. Ferulam, hoc est pastoralem virgam, à Cęsare Conrado, pallium verò a Ioanne XIX. accepit. Vir simplex, ac rectus, & timens Deum: qui incõtinentiam cleri, iam paulo serpentẽ liberius, acriter castigauit. Nã mulieres, quę se aperto iam scelere fratrib. coniunxerant, iussit foras eiici, & in villis custodię mancipari. Cessauitq; hic morbus vsq; ad incensionẽ claustri Bremensis, sub Bezelino & successore eius.

Clerus à mulieribus subinde submouendus.

Quumq; omnib. esset affabilis hic pontifex, singulari quodam amore clerum dilexit, inopum necessitatib. compatiens. Ipse igitur vicum Bremæ trans flumen ab incolis terræ precio redimens, & fratrib. offerens, triginta ex eo per annũ dari statuit cõuiuia. Ac verò xenodochii talem omnino curam habuit, vt hac sola parte negligentias prædecessorum superare videretur. Adeo redundauit episcopatus & præpositura & xenodochium, vt vix egens quisquam posset inueniri. Sed hoc fortè incredibile videtur iis qui sequẽtium temporum vident egestatem: nec fortasse tum futura quis crederet, quæ nunc facta conspicimus. Libentius igitur, bonus in præpositura, melior in cathedra, legationem suam ad gentes feruenti animo aggressus est curare. Et primò omnium concilians sibi Canutum, potentissimum Danorũ regem, in Sialandia Gerbrando surrogauit Auoconem, Turgoto aũt de Ramsola successorem posuit Godescalcum episcopum. Illis namq; diebus beatissimus Turgotus episcopus, pro labore p̃dicationis suæ, Bremę diu cũ archiepiscopo consistens, asperrimo lepræ percussus morbo, diem vocationis suæ cum magna expectauit patientia: tandemq; bono fine consummatus, in sancti Petri tumulatus est basilica: vbi & Folquardus, & Harichus, & magn⁹ Odincarus, & Poppo in pace Christi quiescunt. Aderant verò archiepiscopo insignes prædicatores, Odincarus iunior, Sigafridus à Suedia, Rodolphus à Normannia episcopi, narrantes ei quanta fecerit Dominus in salutem gentium, quæ quotidie cõuertebantur ad Dominũ: quos noster pontifex (vt par fuit) honorificè dimissos, ad prædicationem denuò redire curauit.

Pauperum diligens cura.

Interea Conradus Imperator filiã regis Canuti, antè filio suo desponsam, tunc eidẽ tradi curauit vxorem: & regio statim fastu Italiam ingressus, Canutum regẽ itineris sui comitem ducẽs, potentia trium regnorum insignem, barbaris in circuitu satis terribilem. Ille autẽ quum tres haberet filios, super singula regna singulos collocauit: ipse circumiens prouincias, desuper cuncta speculabatur. Dani in maius potentiam eius extollẽtes, quinq; regnorum illum faciunt moderatorem. Sæpissime autẽ consedit in Anglia: archiepiscopus autem noster crebrò Hamburgum, matricem ecclesiam suam visitãs, cuncta prospexit. Nam eo tempore virtute Canuti regis & ducis Bernardi, pax firma trans Albim erat: quum etiam Cæsar Cõradus Winulos (pars est Wandalorum) bello domuisset. Generale quidem & antiquissimum huius gentis vocabulum est, vt Wandali vocitentur: sed corrupto (vt fit) vocabulo, tum Winuli dicebantur, & nunc apud omnes Slaui, quod ipsum nomẽ Bohemi vetustissimum suis inscribunt honori, à memoria etiam turris Babylonicæ, quod verbosos sonat. Principes autem eius gentis per eam tempestatẽ, Gneus & Anatroch, in Polabis & Obotritis erant. Vto verò tertius ex principibus, filius Mistiwoi (eius qui concitauit tumultum, ob sui de suis promissis nuptiis contemptum) male erat Christianus. Pater autem (quod diximus) inter Saxones Christianus consenuit, & mortuus est in Bardewico. Vnde quum Vto pro sua insolentia, à quodã Saxonum transfuga esset interfectus, filiũ habebat Godescalcum, qui per idem tempus apud Luneborch monasteriũ ducis, literalib. erudiebatur studiis, Godescalco Gothorũ episcopo eiusdem cœnobii curam agente. Is iuuenis, comperta morte parentis, ita furore commotus est, vt, reiectis cum fide literis, arma corriperet, Albiq; transmisso, Winulis se Dei inimicis coniungeret: quorum fretus auxilio, Christianos impugnans, multa millia Saxonũ in patris prostrauit vindictã. Hunc tandẽ quasi latronũ principẽ, Bernardus dux capiens, in custodia tenuit: virũ arbitratus futurũ fortissi-

Canutus trium regnorum dominatione insignis.

Pax summa vbique viget.

Godescalcus nece patris indignatus, à Christo desciscit.

mum,iuncto secum fœdere dimisit. Qui mox ad Canutum gloriosissimum Danorum regem est profectus in Angliam,& ibi mansit multo tempore. Interea Libentius piis operibus semper intẽtus,ecclesiam suam episcopaliter exornauit: & filios ecclesiæ pastoraliter educans,omnib. erat acceptus,etiam(quod difficile est)principibus. Suo ergo tempore Bernardus dux,& frater eius Theotmarus,exhortante piissima Emma,quæ fuit relicta patrui Bernardi,Bremensemq; ecclesiam plurimũ dilexit,eidem multa bona fecerunt:suumq; thesaurum Deo & genitrici eius, sanctoq; Willehado confessori eadem Emma fere totum obtulit. Eodem tempore Li-

Libentii tranquilla mors. bentius ęgrescens,in festiuitate sancti Bartholomæi duas celebrauit missas:finitoque pro more psalterio,eadem die gaudens migrauit ad Dominum. Cuius obitus

1033. contigit indictione XIII. octauo Calend. Septembr. anno Christi millesimo tricesimo tertio.

CAP. 12. VERDENSEM interim ecclesiã sub Imperatore Cõrado gubernabat Wickgerus,XIX. eius ecclesiæ præsul,vir magnificus,& claræ famæ. Ædificauit ecclesiam maiorem, quę creditur esse secunda: & consecrauit summum altare, & tria alia altaria,quibus imposuit de sanctorum reliquiis,quas multas multa deuotione col-

1028. legit. Erat autem annus MXXVIII. quum ista agerentur: pontificatus autem eius erat annus decimusquintus,& hæc dedicatio facta est nona Decembris. Hic pontifex ab Imperatore Conrado hoc obtinuit prædium in Romesleue, cum omnibus pertinentiis suis. Extant desuper literæ, quarum Datæ præferũt Goslariam locum, anno Christi millesimo trigesimo primo. Tradunt,hoc tempore Conradum Imperatorem fundasse Spirensem ecclesiam:sed ea res controuersiam patitur,quòd an-

Spirensis ecclesia conditur. te Conradũ,anno millesimo tertio,Borchardus episcopus Wormatiensis à Gwalterio Spirensi episcopo acceperit epistolam : quod scribit Gratianus LXXIII. *dist. in can. In nomine patris.* Sed fieri potest vt ecclesiam prius & ante sua tempora institutam,sed prædiis & ædificiis minùs instructam, Conradus auxerit, dotauerit, & in maiorem modum prouexerit. Quod ipse facilè crediderim: quia ibi elegit sepulturam. Veniens enim anno Imperii sui XV. ex Italia,podagræ cœpit incommodo turbari:& quum Traiecti esset,accedente perniciosiore morbo finiuit vitam, iussitq;

Laudes Conradi Imperatoris extinctum corpus Spiram deduci ad sepulturã:idq; sedulò factum est. Nam & posteritas eius in tertiam generationem,ibi meruit tumulari:adiuncti illi,qui primus Imperiale decus in suam domum prouexit. Hanc inter alia laudem reliquit Conradus Imperator,vt pacem solidissimam constitueret per Imperium : violanti,pœnã capitis constituerit. Sed nõ patiuntur mores Germanorum, illam esse diuturnam. Bella quidem aperta non vsquequaq; possunt vel euitari,vel prohiberi : sed occulta per terras latrocinia quis prohibebit? Non patitur Italia,dedignatur Gallia cum Hispania,Turci non sinunt inulta : infelix Germania hoc genere malorum carere nequaquam potest.

CAP. 13. OSNABVRGENSIS tum ecclesia præsulem habebat Moncherum, ordine pontificum decimum quartum,qui venerabili Thietmaro pontifici illustri successit: nec potuit magnas moliri res, pro temporis sui breuitate. Solis enim quatuor annis scribitur præfuisse ecclesiæ:incipiens sub Henrico secũdo,durauit ad secundum Conradum,Henrici successorem,ex Franconia,vt nunc vocant,ortum. Cæ-

Francia Gallorum,à Germania ortum habet. terùm ea est vera Francia,in Germania. Nam inde olim Franci Germani, transito Rheno populariter,per arma occupauere Lutetiam Parisiorum,& circumiacentẽ prouinciam:institutoq; ibi regno,nomen suum prouinciæ indiderunt, vt ex Germanis Francis,regnum deinde Franciæ diceretur. Nam olim & nũc Gallia est:nomen autem Franciæ,Germanum est. Nam ex Teutonico vocabulo ortũ est: *Franck* enim Germanorum lingua,liber dicitur,nulli obnoxius seruituti. Quod Frãci nomen meruerunt sub Valentiniano primo Imperatore,dum eius iussu Saxones, Ro-

Franci cur sic dicti. mano Imperio minitantes irruptionem,reprimerent. Nam originem Francorum, quam inconcinnis fabulis Galli de Troia producunt,alibi subuertimus & irrisimus. Nunc hoc dixisse sit satis,ad ostendendam nationem huius Conradi II. quem alii Sueuum faciũt. Sed hoc intelligi oportet,olim fuisse latissimam Sueuorum nationem,si Cornelio Tacito credimus,scriptori memorabili. Ad pontificẽ redeamus: qui

qui quum annis tantùm quatuor præfuiſſet, migrauit ad Dominum MXXVIII. 1028. quum iam ante triennium emigraſſet Henricus Imperator, qui Bambergæ tumulatus eſt. Secuta eſt illum non multis pòſt annis Connegundis vxor, filia comitis de Rheno Palatini, virgo perpetua. Cœlibatũ enim ſeruauere per annos omnes coniugii, quomodo Ioſeph & Maria, Chryſanthus & Daria. Nec deſunt iſta miracula noſtris (quod ſcio) temporibus: laus æterno Deo.

Cap. 14. MIMIGARDEVORDENSI tum eccleſiæ præfuit vir inſignis Hermãnus, eius nominis primus, epiſcopatum ſumma cum induſtria adminiſtrans, & religione in Deum præcipua, & in populum vigilantia non vulgari. Hic primus inſtituit, dedicauit, & conſecrauit monaſterium & eccleſiam trans aquas, in titulum & honorem beatæ Mariæ Virginis. Quod breui monaſterium ita excreuit, adeoque factum eſt celebre, vt nomen dederit & ciuitati & epiſcopo: ita vt paulatim abolito veteri Mimigardeuordenſi vocabulo, inceperit dici Monaſterienſis & ciuitas & eccleſia: quod nomen præualuit in hodiernum, durabitq; cum Chriſtiana religione in finem ſuum. Non inuenio in Annalibus, quis tum rerum ſtatus per Weſtphaliam (quæ vera & vetus eſt Saxonia) quis rerum ſummæ præfuerit: an tota pontificibus paruerit, à memoria Caroli Magni, qui iugi & tributi impatiētem populum eccleſiis ſubdidit, ad decimas & iuſta omnia eccleſiis perſoluenda. Equidem in orientali Saxonia erant temporales domini, qui rerum tenerent gubernacula, primò quidem reges de ſtirpe Magni Caroli, Ludouicus & filii eius, Arnulphus Imperator eius nepos, & poſteri illius per ſua tempora. Sub quibus tamen duces Saxoniæ de genere Wedekindi paulatim magis atq; magis increuerunt, vſque ad Henricum primum regem Romanorum: à quo tres per ordinem Ottones, deinde etiã marchiones Saxoniæ nati ex Henrico duce Bauariæ, fratre primi Ottonis: qui ob eam rem dicti ſunt marchiones, non duces, quòd titulum ducatus Saxoniæ teneret Hermannus, ab eodem primo Ottone ducali præditus honore cum ſuis poſteris. In quorum manibus res erant etiam hoc tempore quod eſt in manibus. Weſtphalia verò, quæ eſt occidua Saxonia, quos habuerit (ſi modò quos habuerit) principes ſeculares illa tempeſtate, cum epiſcopis rem adminiſtrantes, omnino non legimus: ſequenti tamen ætate Henricus Leo dux, & ante eum auus illius Luderus dux Saxoniæ, inde Imperator, Weſtphaliam tenuiſſe leguntur. Nam ab eodẽ Henrico, quum deſtitueretur per ſententiã Imperatoris Frederici primi, ducatus Weſtphaliæ titulum ſibi archiepiſcopus Colonienſis vendicabat: tenentq; eundem duces Saxoniæ inferioris de genere comitum de Aneholth: quod in Saxonia noſtra monſtrauimus. Sed huius temporis non inuenimus per Weſtphaliam (hoc eſt occiduam Saxoniam) vllos principes ſeculares.

Monaſterienſis ciuitas cur ſic dicta.

Weſtphaliæ ducatum qui obtinuerunt.

Cap. 15. PADEBVRNENSEM eccleſiam poſt Menwercum excipit Rotho, abbas Hersfeldenſis, in diœceſi Moguntina. Quęrebantur tum vndecunq; viri religione & doctrina præcipui, vt eccleſiis præficerentur: qui quantum honore adminiſtrationis cunctos præibant, tantum virtute præſtabant & eruditione. Præfuit autem eccleſiæ annis tredecim, eo tempore quo Henricus Conradi filius, Imperium Romanum eius nominis tertius, teneret poſt parentem. Ferunt inuentum tum Romę corpus giganteæ magnitudinis, adhuc incorruptum, balſamo, aut neſcio quibus rebus, in cõcauitate terræ ſeruatum. Patebat vulnus, & hiabat adhuc in latere quatuor pedum & dimidii: erectum corpus altitudine muros vrbis ſuperabat. Inuenta dicitur lucerna ardens ad caput illius, quæ nec flatu nec humore potuit extingui: quum multa tentata ſint, foratum vas quum aërem admitteret, extincta eſt lucerna. Feruntur adſcripta carmina:

Gigantis corpus, & ardens à multis ſeculis lucerna.

Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, morte ſua iacet hîc.

Nam Turnum quoq; fuiſſe gigantęę magnitudinis & roboris, inſinuat latiniſſimus poeta in XII. qui illum in Aeneam narrat miſiſſe ſaxum:

Vix illud bis ſex lecti ceruice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Robora fuiſſe hominum maiora quàm nunc ſunt, continuoq; per ætatem decreſcere,& Homerus ſæpe queſtus eſt,& medici fatentur. Plinius (ait Auguſtinus noſter) ſecundum ſeculum doctiſſimus homo, teſtatur, quanto magis magiſq; præterit ſeculi excurſus, minora ferre naturam corpora. Erat tum Imperatori Henrico tertio lucta grauis cum Bohemis, non ſatis faciētibus imperata. Vngaris quoq; excurrentibus conflictatus eſt. Singulare eſt in hoc Imperatore, quòd ad illum venerint ex vrbe Roma legati, petentes dari ſibi ſummum à rege pontificem. Nam tres vno tempore de ſummo pontificatu cōtendebant. Rex adueniēs, Sindgerum Bambergenſem epiſcopum fecit conſecrari ſummum pontificem. Nec tamen diu prǫfuit, proſpicientibus magiſtris Romanis, ne diu illis Germanus pontifex præſideret. Fredericum Eiſtatenſem epiſcopum, curauit fieri papam Victorem. Demùm Tullenſis epiſcopus Bruno factus eſt Leo nonus. Sed iſta nunc breui pro temporū deſignatione annotantur, plenius in Saxonia noſtra explanata. Curauit autē Henricus Imperator, vt filius eius Henricus, puer vix octenni maior, rex cōſecraretur, parente ſuperſtite. Senſerat enim Henricus Imperator non ſe diu ſuperfuturum: voluit ergo proſpicere filio, vt ſucceſſionis certus eſſet. Nam electorum principū necdum bene conualuerat poteſtas. Vnde factum eſt, vt à Conrado patre ad Henricum filium perueniret Imperium: nunc ab eodem Henrico tertio deriuatum ad eiuſdem filium Henricum IIII. Qui quoniam iuuenis apprehendit ſceptra, diu in illis agebat, ad annum nonum & quadrageſimum.

In contentione de papatu, Imperatoris autoritas imploratur.

CAP. 16. HAMBVRGENSEM inde metropolim ſub Imperatore Conrado poſt ſecundum Libentium (qui ſolis quatuor præfuit annis) ſuſcepit Hermannus, & ſedit annis vix tribus. Ferulam ſuſcepit à Cæſare Conrado, pallium à papa Benedicto. Ab Halberſtadenſi choro electus, eiuſdem eccleſiæ pridem erat præpoſitus. Vir miræ, vt ſcribunt, ſimplicitatis, parum habens ſerpentinæ (iuxta euangelium) prudentiæ: ideoq; facilè decipiebatur ab adſtipulatoribus. Rarò parochiam viſitauit, ſemel Hamborch acceſſit: & tum quaſi cum exercitu veniens, epiſcopatum velut alienū deſpoliauit: abiensq;, velut terram ſalſuginis dereliquit. Rapacitatis incenſor & author eorum conſiliorum quidam Marco fuit, archiepiſcopi vicedominus. Cæterùm nobiles & inſignes viros habuit capellanos, Theodoricum & Sindgerum. Iſte Sindgerus poſtea ex Bambergenſi epiſcopatu aſſumptus eſt Romę in apoſtolicam Petri ſedem, reiectis ex ordine tribus ſchiſmaticis: dictuſq; eſt in ea Clemens. Subdiaconus autem archiepiſcopi erat Albertus, poſtea eius per annum medium ſucceſſor, iam tunc maximè vultu & habitu verborumq; altitudine audientibus ſuſpectus. Hermannus ergo archiepiſcopus, paruipendens omnia quę in epiſcopatu inuenit, primò quidem muſicum Guidonem Bremam adduxit, cuius induſtria melodiam & clauſtralem diſciplinam correxit: quod ſolum ex eius operibus proſperè ceſſit. Deinde antiquiſſimum ſancti Michaelis oratorium diruens, corpora triū prædeceſſorum, Adaldagi, Reginwardi & Hogeri, ab eo loco ſuſtulit, ac recondidit in maiori baſilica ſub tribunali. Imperator per ea tempora Burgundiam vaſtat, Franciam contra Vtonem petit. Werbena caſtellum in confinibus Saxoniæ in ſolo Wandalico ſitum, Luitici Wandali obtinent, multis Chriſtianorum partim cæſis, partim captis. Quos Imperator cum exercitu petit, retropellens, vt in ſuas inuias concederent paludes. Interim Hermannus archiepiſcopus magnum ingreſſus opus, murum ciuitati Bremenſi circundare voluit: vixque iactis fundamentis cum opere vitam finiuit, quarto Calend. Octobr. corpuſque eius ſubterratum eſt in medio chori.

Alienus ab epiſcopi moribus comitatus.

Wandali in Chriſtianos ſæuientes reprimuntur.

CAP. 17. IN Aldenburgenſi tum eccleſia præfuit Mainardus, à primo octauus, quem ſecundus Libentius præfecit: tenui quidem fructu in populo, quòd magna pars auerſa Chriſtianiſmo, per occaſionem tributorum, verbis euangelii minùs auſcultabat. Fecit tamē quod potuit bonus pontifex, temporum malitia impeditus: perueniti; viuendo ad tempora Hermanni archiepiſcopi, & etiam ſucceſſoris eius: qui in deficientis locum ſurrogauit Abilinum, ordine nonum in ea eccleſia, quæ nunc eſt Lubecenſis. Is quoq; pro temporū captu fecit in eccleſia quod potuit. Nā

Per vos nomen Dei blaſphematur.

populus

popułus tributis grauatus, aures auertit à lege Dei, imputans religioni, quod erat auaritiæ principum. Peruenit autem iſte Abilinus ad tempora Becelini Hamburgenſis archiepiſcopi, ad imperium Conradi Cæſaris, qui anno Imperii ſui decimoquinto, poſteaquam laborioſè prouincias obiiſſet Imperii, deſcendens ex Italia in Germaniam, podagra cœpit laborare: & deinde apud Traiectū morte vitam commutauit, anno Chriſti nono & triceſimo poſt mille: ſepultusq; eſt Spiræ in eccleſia 1039. primaria, quam ipſe bonum in modum auxit, ornauit, & ditauit. Ibiq; poſteri eius tres Imperatores, omnes Henrici, in tertiam generationem ei ſunt conſepulti: & ſucceſſit filius eius Henricus, eius nominis tertius. Cuius regni initio Normanni, qui hactenus ad littora Galliarum habitabant, Gallorū victores, ad interiora Chriſtianiſmi penetrabant. Iam tum in Italia ſibi locum fecere, in Calabria & Apulia: vnde etiam aduerſus illos Henricus Imperator Bauarus laborabat. Iam verò etiam vſqueadeo ſunt animati, vt Romam introirent armati, prius in pratis Neronis confligentes Romanis. Sed defecit iamdudum illa vetus & vera Romanitas. Ab hac etiam gente victi, portas ſuas aſſeruare haud poterant: acceptis tamē quas voluere, conditionibus, in ſuam Apuliam redierunt. *Normanni victores Romā veniunt.*

Elvericvs (noſtri nunc vocant Aluericum) decimuſſextus tum præfuit Oſnaburgenſi eccleſiæ, regnante Henrico tertio: quem alii filium, alii generum fe runt Conradi Imperatoris. Ego illis ſubſcribo, qui filium ferunt Conradi. Nam vxorem ille accepit ex filiabus Magni Canuti, regis Danorum: qui illa tempeſtate quinq; regnis præerat, Daniæ, Suediæ, Norwagiæ, Angliæ, Scotiæ: Imperatorique Conrado comes erat in Italiam, quod in Dania noſtra diximus. Huius ergo Henrici tertii, qui filius erat Conradi, temporibus, hic pontifex aſſumitur, tradente illi ferulam de more manu Imperiali. Quo tempore floruit Guido muſicus per Italiam, qui multas luſtrabat prouincias, emendans corruptam & adulteratam muſicam, quum traderet pueris per flexuras articulorum in manibus diſcernere cantum. Operæprecium eſſet renaſci alium Guidonem, aut quemlibet magiſtrum, qui corruptiſſimam noſtris temporibus modulationem emendaret. Sed ad pontificem redeo: qui poſteaquam quindecim annis eccleſiæ præfuiſſet, migrauit ad Dominū, anno quinquageſimo ſecundo poſt mille, XIII. Calend. Maii. Cap. 18. *Muſicorum elementorum, qualia nunc traduntur, autor.*

Hildesemensi eccleſiæ poſt Godehardum, virum ſanctum (qui numero ſanctorū eſt aggregatus) ſurrogatur Detmarus, vir animo & carne nobilis. Præfuit autem annis ſolis quinq;: vnde pro temporis breuitate, nec moliri nec perficere potuit grandia. Optimum tamen fuiſſe pontificem, tempora ſuadēt fateri: quando in nobilitate maximè virtus effloruit, & religio. Vnde factum eſt, vt qualis ſacerdos, talis populus: ſub bono patre nō degeneres. Viguit adhuc per omnes eccleſias obſeruantia regularis: quod ex Annalibus deprehēditur, quia de clauſtris loquuntur, & reformata regulari diſciplina. Nam Hermannus horum temporum archiepiſcopus Hamburgēſis, & cantum chori, & diſciplinam per Guidonem muſicum dicitur reformaſſe. Verba Annalium poſui ad fidē ſuperiori loco, quum de archiepiſcopatu Hermanni diceretur. Memorant hoc tempore fabulam de Hildebrando puero, fabri lignarii filio, qui ſpiritu prophetico magis ductus quàm inſtructus, mōſtrauerit ſe futurum dominum à mari ad mare. Profecit enim in curia primùm regis Henrici: deinde ibi inuidia ob virtutem contracta, ceſſit multorum furori, ſe occludens in religionem: vnde proficiens, peruenit ad eccleſiæ Romanæ ſubdiaconatum: inde cardinalis aſſumitur: demum papa Gregorius euaſit: ſed multis aduerſitatibus laborioſum geſſit pontificatum. Colluctabatur enim Hērico IIII. Imperatori, huius tertii filio, vt infrà. Occaſio prima prouectionis ſuæ fuit Bruno Tullenſis epiſcopus, ab Imperatore Romam miſſus, vt Papa conſecraretur: quod tum ferebat curſus temporum. Qui in itinere ab Hildebrando & abbate eius admonitus, inſignia, quæ ante tempus aſſumpſit, ſummi pontificatus, monitu Hildebrandi depoſuit: eumq; ſumpſit in familiam, ſecum ducēs Romam, vbi ad ſummum prouectus eſt Papatus faſtigium: multis in rebus vtilis, imò neceſſarius eccleſiæ Dei, per malitiam temporum. Cap. 19. *Repetitur & videtur hæc fabula infra ca. 29.*

Bvrchardvs, vir nobilis, hac tempeſtate, peruenit ad epiſcopatum Hal- Cap. 20.

berſtadenſem: comes ipſe Bauarię, quando alii ex genere Saxonum tenuere ducatum. Auxit opes eccleſiæ vehementer: duos fertur comitatus eccleſiæ coniunxiſſe, Norturigem & Stopudeſem. Agebat tum in Imperio tertius Henricus, Conradi filius: cuius initio regni, de ſummo pontificatu ſumma erat trium contentio. Tædebat Romanum populum, ea de ſumma religionis controuerſia: vocatus Imperator aderat, in vtranq; rem armatus. Nam & exercitum duxit copioſum, ſi confligendum eſſet: & magnum nihilominus epiſcoporum ac prælatorum numerum, ſi diſputandum. Vbi Romam venerat, vocatur ex more à patribus conciliũ: aderant frequentes. Ibi tres illi ſummi pontifices ceſſere papatui: fit nouæ locus electioni. Ibi omnium ſuffragiis deligitur Sindgerus Bambergenſis epiſcopus: appellaturq; in ſede Petri Clemens ſecundus: qui Imperatorem cum coniuge Imperiali donat diademate. Nec tamen diu ſuperberat Clemens: vix enim impleuit annum in pontificatu, vel per aeris Romani nouitatẽ, vel ob inſueti cibi nouam coctionem, quã Italici magiſtri ſingulari norunt ingenio temperare. Miſitq; rogatus Imperator in locum demortui, Popponem, Brixímenſem epiſcopum: qui nec ipſe ſuperuixit in pontificatu annum vnum, locumq; fecit ſucceſſori. De quo circumſpiciens Imperator, non inuenit in epiſcopis Germanię, qui ad certam mortem, hoc eſt ad Papatum, properarent. Gallia habuit qui ſe pateretur ad hanc rem mitti, Bruno Tullenſis epiſcopus, vir natu nobilis, ſed animo ſimplex: erat enim regii ſanguinis, propinquus Imperatori. Quem Hildebrandus monachus repertum cum inſignibus pontificii, inſtruxit vt poneret, donec in vrbe per legitimã viam acciperet. Paruit ille: & tam bono monitore carere nõ eſt paſſus, ducẽs illum in vrbẽ. Vbi profecit (qđ diximus) ad Papatũ, Gregorius ſeptim⁹ vocatus: hic aũt Bruno, appellatur Leo non⁹.

Romæ paratur etiamnum Claudii boletus.

CAP. 21. MINDENSI eccleſiæ per ea tempora ſub Henrico tertio, Conradi filio, præfuit Bruno, vir præſtantiſſimus, ex choro ſumptus Magdeburgenſis eccleſiæ. Hic memor originis ſuæ, apud Mindam fundauit monaſterium, in honorem diui Mauricii, primi patroni ſui: tranſlatis illò fratribus de monaſterio ſancti Ioannis Magdeburgẽſi, ſub Meinwardo primo eius loci abbate, anno Chriſti poſt mille XLII. Inde poſt quatuor annos conſecrauit monaſterium in Kemmenade. Anno autẽ LV. quum iam Henricus quartus ex paruulo præeſſet Imperio, hic pontifex emigrans, ad meliora (vt confiditur) eſt tranſlatus. Nam poſt longam ægrotationem, qua Dominus vas electionis ſuæ in camino tribulationis iuſſit & probari & purgari, quarto Idus Februarii (hoc eſt ipſo die Scholaſticæ virginis) beato fine feliciter in Domino obdormiuit: ſepultusq; apud inſulam, quam fundauit, lapideo ſepulcro precioſo, etiam poſito ſarcophago. Teſtimoniales verſus hi ſunt:

Mauricii monaſterium ad Mindam.

1042.

Condidit hoc templum, quem claudit, Bruno, ſepulcrum,
Præſul, honor patriæ, lumen & eccleſiæ.
Idibus in quartis Februo, caligine mortis
It cinis in cinerem. Da Deus huic requiem.

Poſt tranſitum autem huius venerandi præſulis, annis trecentis triginta tribus, duobus menſibus, abbas prædicti monaſterii, nomine Ludolphus, ex militaribus de Gripeshope, tranſtulit corpus eius iam in cinerem redactum, ad nouum ędificii chorũ, ante maius altare: qđ erat anno MCCLXXXIX. decimonono menſis Aprilis. Sedit aũt hic venerabilis Bruno, annis XVIII. Vnde & quidã in laudem eius cecinit:

Victrix Minda dole, nouo viduata tyrone:
Ex multis talem vix habitura parem.

CAP. 22. IN Hamburgenſi metropoli ſucceſſit Hermanno Bezelinus, cognomento Alebrandus: & ſedit annis decem. Aſſumptus eſt ex eccleſia Colonienſi, vir omniũ bonorum genere decoratus, epiſcopali dignus officio, dilectus Deo & hominibus. Ipſiq; Conradus adhuc viuens baculum obtulit, & Benedictus Papa pallium tranſmiſit. Ordinatus eſt autem à ſuffraganeis, & aliis ſeptem Saxonię epiſcopis, in vrbe Hamburg, cum ingenti gloria. Hic ergò quum omnibus eſſet talis, qualem ſinguli deſiderabant, ſingularem curam & amorem ſuper clericos habuit: de quibus nec tolerare poterat, vt cuiquam malum diceretur verbum. Nam & clauſtrum renouauit, & canonicis menſam primus inſtituit. Prius enim quum præbenda tenuis

Demenſum canonicis augetur, ſeptum cingitur.

nuis videretur, triginta conuiuia, quæ Libentius epiſcopus per annum dari ſtatuit, adiectis de ſua parte quibuſdam decimis, ita ordinauit, vt albus detur fratribus panis vltra ſolitam annonam quotidie: in Dominicis verò diebus, duplex mellitæ copia. Nam & vinum dari fratribus, contra naturam Saxoniæ, diſpoſuit: quod etiam in diebus ſuis ferme peregit. Compoſita igitur mēſa, manum vertit ad clauſtrum: quod dum prius ligneum eſſet, lapideum fecit: forma (vt moris eſt) quadrata, vario cellarum ordine diſtinctum, & viſu delectabile. Deinde murum ciuitatis, à prędeceſſore ſuo Hermanno orſum, in gyro conſtruens, aliquibus in locis eum vſque ad propugnacula erexit: aliasq; quinque aut ſeptem cubitorum altitudine ſemiperfectum dimiſit. Cui etiam ab occaſu porta grandis inhęſit, ſuperq; portam firmiſſima turris, Italico munita opere, & ſeptem ornata cameris, ad diuerſam oppidi neceſſitatem. Quo tempore Bezelinus archiepiſcopus, dum prædicta Bremæ operum inſignia relinqueret, mox ad eccleſiæ Hamburgenſis ædificationē toto cordis amore accingitur. Ibi enim poſt cladem Wandalicam (quam ſuprà contigiſſe retulimꝰ) Vnwanus archiepiſcopus, & cum eo dux Bernardus, clauſtrum de ruinis antiquis ciuitates eleuantes, eccleſiam & diuerſoria omnia cōſtruxerunt lignea. Bezelinus verò pontifex, aduerſus crebras hoſtium incurſiones, aliquod fortius præſidium pro inopia loci neceſſarium arbitratus, primus omnium eccleſiam, quæ conſtructa erat in matris Dei honorem, lapide quadro ædificauit. Aliam deinde ſibi domum fecit lapideam, turribus & propugnaculis valde munitam. Cuius æmulatione operis dux prouocatus, & ipſe domum in eo loco parauit. Tum verò pro legatione ſibi ad gentes credita, more prædeceſſorum ſuorum ſolicitus, coadiutores prædicationis ſuæ ordinauit epiſcopos, Rodolphum ex capellanis ſuis in Sliaſwig, Abelinum in Wandaliæ partem Aldenburg, Walonem à Bremenſi choro in Ripam. Trans Albiam verò ſuo tempore, ac per totum regnum pax firma erat. Principes Wandalorum Anatrog, & Gneus, & Ratibor, pacificè ad Hamburg venientes, duci ac præſuli militabant. Sed quum diuerſo animo in gente Winulorum dux & epiſcopus laborarent, duce ſcilicet pro tributo, pontifice verò pro religione firmanda, iamdudum ſacerdotum ſtudio Chriſtiana religio conualuiſſet, ſi conuerſionem gentis auaritia principum non prępediret. Eo etiam tempore Hermannus Colonienſis archiepiſcopus, veterem de Brema querimoniam renouauit: ſed ipſe tam inſtantia Bezelini, quàm triennali ſilentio repulſus, archiepiſcopo ſatisfecit, & per integrum menſem eum ſecum Coloniæ habuit, lautiſſimè exceptum & habitum.

Hāburgenſis eccleſia inſtauratur.

Principū duntaxat auaritiā, quaſi nulla ſit ſacerdotum, notat.

CAP. 23.

VERDENSEM eccleſiam illo tempore gubernabat vir memorabilis Thitmarus, ordine vigeſimus, in eo numero, qui ſimplicitatem columbinam induſtria ſerpentina exornauit: rexitq; eccleſiam ſuam induſtriè, incertum quot annis. Nimiū enim ſobrii ſunt annales, præter nomen pontificis & diem obitus interdum nihil præferentes. Obiiſſe tradunt ſeptimo Calendas Iulii: quo tempore Henricus rex Bohemum rebellantē quum edomare conſtituiſſet, non eſt proſperatus. Nam Petrus Vngariæ rex, duci miſit ſuppetias ad reſiſtendum regi Romanorum: ſed bene conſuluit fortuna Henrico regi. Nam Petrus Vngariæ rex, qui antè roboraſſet Bohemum, regni hoſtem, pulſus à ſuis regno, ad pedes venit Henrici, ſupplex orans, vt gratiam mereretur & veniam de erratis. Rex illum affatus benignè, iuſſit bene ſperare: parauitq; nouam in Bohemos expeditionem: & reb. tum proſperè geſtis, coegit ducem poſt ſe venire Ratiſponam: vbi ad pedes regis gratiā promeruit, pollicitus imperata ſe facturum. Interim Omo (quem Vngari fecere regem) vaſtat Bauariam, quòd Henricus Petrum tueretur: ſed magna ibi Vngarorum manus ab Alberone marchione, pro Henrico militante, deletur. Hoc etiā tempore Sueno Normanniæ rex, cum valida claſſe iturus in Angliam, appulit in oſtia Albis, ad Hadeleriam: ibiq; hoſtili more (vt ſolebat ea gens in paganiſmo) populatur. Aderant ex ſatellitibus Bezelini archiepiſcopi, qui manu ruſtica coacta, obuiam graſſantibus ſunt profecti: & collata manu fauit fortuna, vt rex caperetur, & Bremam in præſentiam archiepiſcopi traheretur. Excepit illum paternè pontifex: & bene ſperare iuſſum, muneratumque magnificè, liberum dimiſit. Ille popularibus ſuis glo-

Bohemiæ dux ab Henrico armis domitus.

Normanni à ruſticis prælio fuſi.

riam prædicauit epiſcopi, efferens opes & regiam magnificentiam ibi collucere.

Cap. 24. Monasteriensis iam dicta eſt ex fundato & magnificato monaſterio, eccleſia pridem Mimigardeuordenſis. Cui ordine decimuſquintus, præficitur Robertus, qui multis bonis ditaſſe & amplificaſſe memoratur eccleſiam. Hoc tempore Ratibor Wandalorum dux, cæſus eſt in acie à Danis, quum prædatum abiiſſet cum expedita manu in Iutiam. Erat vir Chriſtianus, magnæ in ſua gente authoritatis. Habuit octo filios, inſignis nobilitatis iuuenes: qui omnes in vltionem patris aſſurgentes, ad vnum perierunt vniuerſi. Nam Magnus rex Daniæ, filius diui Olaui, à Normannia rediens, Heidubam (hoc eſt Sleſwicum) appulit: & reuerſus ex Iutia, Wandalos prædatores in campeſtribus Heidubæ excepit: & quindecim millibus occiſis, compoſita res eſt, & rediit tranquillitas omni tempore Magni regis. Sed tum Godſcalcus, poſt mortem regis Danorum Canuti & filiorum eius (qui nō diu ſuperſtites fuere patri) cōtra Wandaliam, patriam ſuam, venit infeſtus: quòd principatum eius alii occupaſſent, quodq; Chriſtiana ſacra populariter in mediterraneis reieciſſent. Omnes impugnauit: magnumque terrorem gentilibus ſuis incutiens, & quidem quum pro Chriſto ageret, proſperatꝰ eſt. Angebat virum bonum, quòd dum in adoleſcentia ſua patris necem ſeuerè vindicaſſet in Saxones, popularibus ſuis occaſionem præbuit à religione reſiliendi, redeundiq; ad pagniſmum: dum arbitrarentur, religionem & tributa paribus incedere paſſibus, vtrunq; abiecerunt. Sed Godſcalcus, vir nobilis, iam per ætatem ſanum ſapiens, ſtudebat recuperare Chriſto, quicquid per ipſius occaſionem eſſet auerſum. Quo in ſtudio diu proſperatus adeo efferbuit, vt in fine ſanguinem daret pro Chriſto, martyr factus, qui antè fuit perſecutor. Sed hæc poſteà.

Octo fratres, patris necem vlciſci cupientes cadunt.

Godſcalcꝰ ſuā a Chriſto defectionem grauiter corrigit.

Cap. 25. Bezelinus interim, optimus metropolita Hamburgenſis, eccleſiam illam ſuam matricem exornare ſtuduit. Ciuitatem muro circumdari diſpoſuit, tribus portis ac duodecim turribus: ita vt primam epiſcopus, alteram aduocatus, tertiam præpoſitus, quartam decanus, quintam ſcholarum magiſter, ſextam fratres & canonici tenerent: alias ſex ciues adhibitis ſortirentur cuſtodiis. Nam in eo loco poſt cladem Wandalicam, in diebus primi Libentii, Vnwanus archiepiſcopus, & cum eo dux Bernhardus, clauſtrum nobile de ruinis veteris vrbis erigentes, eccleſiam cum diuerſorio, ligno exædificabant. Alebrandus propter loci periculum & crebras incurſiones, maiori munimento opus eſſe ratus, lapide quadro eccleſiam exædificauit. Aliam deinde domum fecit lapideam, turribus & propugnaculis ſatis communitam: cuius nuper à fodientibus in eo loco, ampla & magnifica ſunt reperta fundamenta, ab Auſtro eccleſiæ: ſtuporemque ingeſſere cernentibus, mirantibuſque quid hoc fuiſſet ab olim, quum iam in media ciuitate ruderes inde eruerentur: tum verò quum collocarentur, terminus ibi erat vrbis, ad ripam Albis fluminis poſitus: vt arcis cuſtodes, extrema vrgente neceſſitate, abitum inuenirent (quum tutari non poſſent) elapſi per riuum fluminis, primoque impetu peruenirent in ripam fluminis alteram: ſed etiam vt commeatus & neceſſaria omnia per flumen importarentur. Ea verò quæ ex hoc loco repertorum nuper fundamentorum, nunc extructa cernimus, poſt ea tempora ſunt vrbi adiectà, quum paludoſæ limoſæq; terræ, puluere iniecto & arena, cum purgamentis locorum, in eam ſoliditatem redigerentur, vt domus ſuperimponerentur. Poterat & vis fluminis alluuione augere terram. Huius autem lapideæ domus, cuius reperta diximus fundamenta, æmulatione dux prouocatus, & ipſe domum in eadem vrbe ſuis inſtruxit munitam. Ita prorſus ciuitate renouata, baſilica ex vna auſtrali parte habuit domum epiſcopi, ex altera prætorium ducis. Iſte verò archiepiſcopus clericis eccleſiæ ſuæ, quos videbat in honeſtate indigos, multa ſæpe largiebatur: aliquib. abſconditè quaternos aut denos ſolidos argenti, multis præbendas, aliis ſuas veſtes: pleriſq; etiam compatiens, quòd à laicis immodeſtè tractarentur, percuſſores eorum fecit ante ſe colaphis cædi, & taureis vapulare: nondū promulgato canone, quem Innocentius ſecūdus tulit poſt centum ferè annos ex hoc tempore. Ad laudem verò huius Bezelini parū eſt omne quod dicimus, à cuius præconio nō eſt auditus qui diſcordaret: quod vnū difficile eſt in vita mortali, ita viuere, præſer-

Hāburgi duodecim turres.

Hamburgenſis ciuitas amplificata.

Illatæ clericis iniuriæ grauiter vindicatæ.

præſertim in ſublimi agentem, vt omnibus placeat. Vt enim breui quodam indice complectamur imaginem virtutis eius, pater patriæ fuit, decus cleri, ſalus populi, terror male potentum, exemplar beneuolentium, egregius pietate, qui vel omnia vellet ad perfectum deducere. Dicta ac facta eius omnia dulci memoria poſteris compræhenſa. Videns autem peſtiferum morbum de connubiis clericorum magis de die in diem augeſcere, ſtatuit pedibus ire in ſententiã ſui prædeceſſoris iunioris Libentij (ſi tamen eccleſiam & clauſtrum in ſuum perduceret perfectum) *Connubia clericorum prohibentur.* vt relegarentur quàm longiſſimè omnes mulierculæ. Et quum omnibus eſſet talis, qualem ſinguli deſiderabant, ſingularis eius amor & cura fuit in clerũ: de quibus nec tolerare poterat, ſi quis malè loqueretur, aut illos verbo offenderet. Nam & clauſtrum renouauit, & canonicis menſam primus inſtituit. Quumq; omnibus pro ſui magnificentia honorabilis haberetur, ſolis erat inuiſus malefactoribus. Vtho quidam erat illa tempeſtate marchio, plurimum ditionis habens in Stadenſi comitatu. Qui dum ſibi pro ſua ſuperbia quod libuit, vidit non licere, auerſatus eſt pontificem: ſed ille ſuperbiam retudit magnanimitate. Intereà decedente Zuenone, Canuti regis filio, Norwagij Magnum, Olaui martyris & regis filium, ſuſtulerunt in regem. Qui etiam Daniam inuadens magnis viribus, illam ex fœdere *Dania a Norwagiæ regẽ occupatur.* poſſedit, vt in Dania diximus. Nam quum Hardecanutus, Canuti Magni filius, in Anglia bellum gerens detineretur, pugnaturus in Magnũ Norwagiæ regem, claſſi præfecit conſobrinum ſuum Zuenonem. Is à Magno victus, quum in Angliam reduceret laceratam claſſem, Hardecanutum iam reperit vita functum. Illo verò tempore Aſconianni (quod tum piratis nomen erat) per oſtia Wiſerę progreſſi, peruenere Liſmonam, omnia peruaſtantes. Sed illis ad naues redeuntibus, ad locum qui Anno dicitur, eſt occurſum: ibi multi eorum trucidati perierunt. Angliam frater Hardecanuti vterinus Eduardus, Normannorum ex Francia ope obtinuit, pacto continens Zuenonem, quòd illi morienti, etiam excluſis liberis, is ſuccederet. Qua conditione pacatus Zueno, in Daniam arma conuertit: quã iam Magnus Norwagius ex pacto occupauit, quod illi fuit cum rege deceſſore, vt in Dania diximus. Zeno arma intentauit, ſed victus à Magno, retro abiit. Hæc plenius in Dania: nunc hac temporũ commemoratione breuiter attinguntur.

Hildesemensi tum eccleſiæ ad initium regni Henrici tertij præficitur Aſelmus, epiſcoporum ordine decimus ſextus: præfuitque annis xx. cuius temporibus Egbertus marchio Saxoniæ, regi ſuo probè militans, copias ducebat in Bohemos: cepitque armis ciuitatem eius prouinciæ primam, Pragam, non ſine laude inſigni. Ante hæc paulo tempora, Bezelinus archiepiſcopus, Magnũ, duorum regnorum potentem regem, euocauit ad colloquium in Sliaſwico, præſente Bernardo duce Saxoniæ, Tiadmaro epiſcopo Hildeſemeſi, huius immediato prædeceſſore: atque Rodulpho, quem eidem Sleſwico dedit pontificem. Iſte verò Tiadmarus, quum eſſet origine & natu Danus, patrocinio reginæ Gunildis (quæ fuit Magni Canuti regis filia) epiſcpatum meruit Hildeſemenſem. In quo collo- *Nuptiæ innocentis hominis cæde funeſtæ.* quio, ſoror Magni regis, Ordulpho Bernardi ducis filio deſponſatur. Qui vix peractis nuptiis, in gratiam leuiri, quendam Haraldum Danorũ principem, redeuntem ab Apoſtolorum liminibus Tranſalbiam, obtruncauit innoxium: quòd formidaret rex Magnum, virum regij ſanguinis, ſceptro propiorem, ſibi quandoque illaturum arma. Ea res initium calamitatis peperit in familiam ducis. Magnus autem rex, pro iuſtitia & fortitudine charus erat Danis, verùm Wandalis ſuſpectus ac tremendus. Nam opulentiſſimam eius gentis ciuitatem Iulinum oppugnauit: ſed tamen clades par fuit vtrinque. Optimus ac ſanctiſſimus pater profuit bono regi plurimum ad commendationem. Cæterùm Wandalis (vt diximus) infeſtus erat: qui pro veteri conſuetudine maritimorũ, mortuo Canuto Magno, Daniam vaſtauerunt. Hoc tempore nobilis, prudens ac religioſa domina Emma, vxor *Emmæ viduæ pietas.* quondam Luderi comitis, qui patrem habuiſſet Hermannum, primum eius familiæ ducem, fratrem autem Bennonem: fœmina autem germanũ habuit Menwercum Paderburnenſem epiſcopũ, virũ æquè ſanctũ. Vidua hæc erat per annos quadraginta: quæ ingentem theſaurũ à marito relictũ, fere totũ pauperibus & eccleſiis

diſperſit: cuius corpus in Bremenſi quieſcit eccleſia. Ea dum viueret, cortem Stiplage iuxta Rhenum, Bremenſi contulit eccleſiæ. Liſmona quoque quum eſſet patrimonij eius, incertum pro qua re, ceſſit Imperatori Conrado. Ex qua cauſa Giſla vidua, Conradi regina, eo tempore Bremam accedens, fratribus multa bona fecit, eccleſiæq; & indigentibus cunctis multa diſtribuit: inde Liſmonam cum archiepiſcopo viſitauit.

Cap. 27. ANNO penultimo Bezelini archiepiſcopi, domus ſancti Petri Bremæ conflagrauit: eiusq; flamma incendij, clauſtrum cum officinis, vrbem cum ædificiis totã conſumpſit: veterisque habitaculi nullum permanſit veſtigium. Ibi ſacer theſaurus eccleſiæ, ibi libri & veſtes, ibi omnia ornamenta ſunt conſumpta. Archiepiſcopus autem præpoſituram tulit Edoni. Pro cuius rei zelo iunior Edo, nepos eius (vt fertur) iratus, monaſterium incendit: pro cuius etiam ſacrilegij compoſitione, pater Edonis ſuam hæreditatem obtulit eccleſiæ. Edo verò præpoſitus Hieroſelymã peregrinatus abiit, circa feſtum ſancti Iacobi egreſſus: rediitque in proximo Paſcha. Sed hæc quæ diximus, rerum damna facilè poſſent recuperari, ſi maiora non paterentur in moribus detrimenta. Multum enim diſtant, vt quidam ait, damna morum à damnis rerum temporalium, quum illa extra, iſta intra nos ſint. Sanè ex illo tempore, fratribus (qui antea canonicè vixerant) extra clauſtrum (quod perierat) vagantibus, regula ſanctorum patrum per multa prius ſecula ſtudioſè conſeruata, primò negligentius cœpit haberi: deinde funditus abiecta conſenuit. Verba ſunt Annalium, quæ ad agnitionem temporum ex fide poſui. Et ſunt anni ab ordinatione ſancti Willehadi (quum Bremenſis eccleſia fundata eſt) vſq; ad tempus huius conflagrationis (hoc eſt ad finem pontificatus Alebrandi, quando eadem eccleſia conflagrauit) ferme ducenti ſeptuaginta. Exuſta eſt autem intrante autumno, quod eſt III. Idus Septembris. Quo tempore archiepiſcopus in Phriſiam iter vertit. Qui conflagratione eccleſiæ audita, mox pedem retorſit: iactiſque ſequenti anno fundamentis, ad formam Colonienſis diſpoſuit eius magnitudinem perficere: & profectò, ſi longiorem illi vitam fata conceſſiſſent, omne opus eccleſiæ paucis perfeciſſet annis. Tanta erit illius animoſitas, & in omni opere perſeuerans inſtantia, præcipua verò in templi ædificatione vigilantia. Porrò ſola æſtas quæ hoc opus inchoauerat, fundamenta eccleſiæ iacta, columnas & arcus earum, lateraque in altum vidit erecta. Tranſacta autem hyeme, quum iam paſchalis immineret feſtiuitas, beatiſſimus pontifex Alebrandus pridie ante Dominicam cœnam, inſcius (credo) ſuæ vocationis, ab eccleſia Schirmbeke, nudis pedibus Bremam peruenit: vbi cum lachrymis oratione multa profuſa, Deo & ſanctis eius cõmendauit eccleſiam. Quumque iam febribus vexaretur, nauigio ad Buccenſem delatus eſt præpoſituram: ibique ſeptem ſuperuixit dies. Sic terrenum phaſe cæleſtibus mutans azymis, anima eius gaudens tranſiuit ad Dominum. At verò corpus antiſtitis cum ingenti luctu ſequentiũ occurrentiumque per alueum Wiſeræ fluminis Bremam deportatur: in medio nouæ, quam ipſe tunc orſus eſt inſtaurare, baſilicæ tumulatum eſt: in quo ſcilicet loco altare primò maius ſitum erat, iuxta Mauſoleum ſancti patris Willehadi. Ipſo autem anno quo archiepiſcopus deceſſit, migrauit etiam Odincarus Ripenſis epiſcopus. Contigit autem ea depoſitio patris noſtri Alebrãdi, anno MXLIII. circa diem XVII. Calend. Maij, indictione ſecunda. Vale in Chriſto, paſtor amabilis, tuoque gregi nunquam obliuiſcende (ait Annalium ſcriptor) tranſi ad Paſcha cælorum: vbi cum agno Paſchali epuleris in azymis ſinceritatis & veritatis: recipere feliciter in æterna tabernacula, vbi cum angelis indeficienti læteris beatitudine. Quandiu enim temporali vita nobiſcum fruebaris, paſtoralis curæ officia vigilanter impleſti. Nunc autem raptus es, ne malitia mutaret cor tuum. Ideoque pius Dominus properauit te educere de medio iniquitatum, vt fructum laborum tuorum plenè perciperes, etiamſi non omnia perfeceris quæ bona voluiſti. Ergo iuſtitia tua manet in æternum, & memoriale tum non derelinquetur in ſeculum ſeculi.

Brema incendio cõſumpta.

Brema ab archiepiſcopo inſtauratur.

Bremenſis pontificis mors & encomion.

1043.

Cap. 28. MAGDEBVRGENSI quoque eccleſiæ, per ea tempora Henrici tertij, poſt Meinfridum (quem alij ſcribunt Hunfridum, virum Deo deuotum, authorem colle-

collegiorum Nicolai & Petri) præficitur ab eodem Henrico Engelhardus, ex monaſterio Wirtzburgenſi tranſlatus, Winfrido reiecto. Cui quum rex epiſcopatum deferre videretur, contemptum retulit. Præfuit autem Engelhardus eidem annis duodecim cum ſumma vigilantia. Quo tempore Henricus rex Pannoniā ingreſſus, quam tum Vngari magna ex parte tenuere, vt etiam hodie tenent: ſed partem etiam Pannoniæ nunc Auſtria habet, ſubmotis antiquis limitibus prouinciarum. Sed tum rex Henricus militari expeditione proſperatus, duas populoſiſſimas ciuitates, quarum nomina in annalibus non extant, ſubuertit: plures deditione ſibi ſubiecit. Prouocauere in ſe regem Vngari, veteri quæſtu nō abſtinentes: nam excurſionibus vexabant partes Charintinorum ac Bauarorum. Sed rex Henricus adeo retudit eorum ferociam, vt facilè pœniteret illos excurſionis. Nam ingreſſus cum exercitu prouinciam, regem cum exercitu etiam ſuo occurrentem in acie excepit, profligauitq; vaſtauitque terram vſque ad fluuium Ratha: partemq; regionis in deditionem accipiens, præſtito ſibi ab illis fidelitatis iuramento, cōmendauit gubernatoribus quos præfecit: victorem deinde exercitum in ſua reduxit. Deferbuit iam ferox illa Vngarorum vis, quæ antea videbatur inuicta: iam verò manſuefacta, conſilio & viribus potuit perdomari. Quod idem vſu euenit cæteris quoque barbaris nationibus, quæ prima barbarie feroces, haberentur inſuperabiles: vbi in leges conceſſere, manſueſcunt, fiuntque tractabiles. Hoc in Gothis, Wandalis, Hunis: hoc in Vngaris, Turcis, Tartaris, ſi quis attendat, inueniet. Qua in re perpendent ſenſati, non eſſe aliud quàm Dei flagellum, quod prouinciis immittitur per excurſiones barbararum nationum.

Vngaria non tota eſt Pannonia.

Vngari victi, in poteſtatem Henrici veniunt.

VERDENSI tum eccleſiæ prĕfuit Bruno, eius nominis ſecundus, ordine pontificum vigeſimus primus: qui erexit eccleſias inter procellas turbinum: ſed vt vir bonus & paſtor egregius, malis temporibus eſt vſus in bonum. Bella, fames, peſtilentiæ, mala, quibus hominum Deus caſtigat peccata, tum efferbuere. Nam Wandalorum commotio non potuit immunem præſtare ditionem Verdenſem, conterminā illi. Nam hodie quoq; pars eius gentis ſub eccleſia manet & diſtrictu Verdenſi. Bella quoq; plurima Imperatori foris fuere: quæ dum illum tenent apud exteros implicitum, intra Imperij viſcera ſurrexere bella domeſtica. Nam Bohemis & Vngaris Henricus rex tertius colluctatus, reſpirare fecit audaciam gentis Wandalorum: quem motum eccleſia non potuit non ſentire. *Quis infirmatur*, ait Apoſtolus, *& ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Ergo paſtor bonus Bruno, tempore duro virtutem magis exercuit, fecitq; ſplendeſcere: quomodo ſolet *ſulco attritus ſplendeſcere vomer*, vt ait ille. Ferunt tum in regis domo adoleuiſſe Hildebrādum puerum, de quo comminiſcitur neſcio quis fabulator inconcinnas fabellas, quòd quum filius eſſet fabri lignarij, ex ſarmentis ordine compoſitis, inſcius ipſe has literas conſeruiſſet, quibus adſtans homo literatus, legerit ex ea compoſitione ſcindularum, *Dominabor à mari ad mare*. Vnde coniectans diuinum aliquid in puero, ſuaſerit parenti vt eum literis traderet. Traditus profecit, & in cancellariam regis peruenit. Vbi ſomnio admonitus Imperator de eodem, tum ſcriniario ſuo, quòd cornua videretur habere, quibus filiū eius contereret, hominem in vincula conieciſſe: ſed ab Imperatrice vinculis exutum, Cluniacenſe monaſterium petiiſſe. Indeque profeciſſe primùm in ſubdiaconum, deinde in cardinalem, nouiſſimè in ſeptimum Gregorium. Sed ego leuiſſimos homines ridendos duco, & cum ſuis fabulis exufflandos. CAP. 29.

Wandali ad rebellionem mouendam redeunt.

Liceat omnes ſimiles ridere: ſed doce qui deprehendantur.

PADERBVRNENSEM eccleſiam per ea tempora poſt Rothonem, ſuſcepit gubernandam vir præſtantiſſimus Imadus, præfuitq; cum ſumma laude annis viginti quinq;. Ferebat tum temporum curſus, vt quum in Romana ſede de apoſtolatu cōtenderent tres viri, non ſatis pontificio digni (alioqui legitimā expectaſſent cleri & populi voluntatem) Imperator ipſe Henricus à Romanis aditus, pontificem dedit, primum quidem, Clementem II. ex Bambergenſi epiſcopo, quum Sindgerus diceretur: à quo idem rex Imperiale diadema ſuſcepit. Miſit deinde interpellatus, Brunonem Tullenſem epiſcopū, qui Leo IX. eſt creatus pontifex. Poſt quem etiā Gebhardū Eiſtatenſem pridem epiſcopū, curauit fieri in Romana ſede CAP. 30.

Victorem,qui ad nouiſſimum eiuſdem Henrici annum deſcenderat ad regem in Goſlariam.Sed dum Imadus præeſſet Paderburnæ, curauit idem imperator Henricus III. biennio ante mortem ſuam,vt filius eius Henricus IIII. octennis puer, Aquiſgrani ab Hermanno Colonienſi archiepiſcopo,Romanorum rex ſit conſecratus. Conſenuit iam tum Electorum poteſtas, ſiue ab Imperatoribus eſt contempta,quum filius patri ad Imperium ſurrogaretur. Poterat id quoque principũ voluntate fieri,qui magis idoneum in regno non viderent, præſertim quum puer legitima patris gauderet tutela,ſuccreſcens ad Imperiũ ſub patris diſciplina. Adiuuiſſe fertur eam rem vehementius Hildebrandus,iam Cardinalis, poſtea Gregorius Papa VII. qui tum aderat Henrico III. quum ea fieret de filio IIII. Henrico ſubuectio. Moritur deinde Imperator Henricus, & ſuccedit filius. Mater Agnes, vt gubernacula pro filio teneret,nupſit duci Bauariæ. Imadus autem (quod bonũ decebat pontificem) curabat vt in ſuo diſtrictu eccleſiæ decorarentur, miniſtri ad cultum religionis inſtituerentur,populus deuotione augeretur. Et fine bono cõſumptus,conceſſit ad meliora,anno pontificatus ſui vigeſimo quinto.

Electorum poteſtas immiuitur, quum filius patri accedit ad imperium.

CAP. 31. ALBERTVS, ſiue Adalbertum (vt quidam) dixeris, in cathedra Hamburgenſis metropolis,ſuccedit Bezelino,ſi ab Willehado numeraueris,Bremenſi epiſcopo,decimus ſextus,ab Anſgario verò primo metropolitano Hamburgenſi(ſub quo Bremenſis vnita eſt Hamburgenſi,minor maiori)erit ordine decimus tertius. Erat is genere nobilis,ex comitibus Bauariæ,quem neſcio quo errore quidam inſcribit Simonem Cunzani (hoc eſt Conradi) comitis Bauariæ filium. Sedit annis triginta. Virgam paſtoralem ſuſcepit ab Henrico III. Imperatore.Hoc enim tempora tulerunt ſub Henricis, vt epiſcopi & abbates ab regibus inueſtirentur: ſed ſub Henrico V. ea res ſuſcepit mutationem:quod dicemus. Pallium verò accepit à Papa Benedicto, eius nominis X. Ordinatio eius facta eſt Aquiſgrani, Cæſare præſente cum principibus,adſtantibus etiam XII. epiſcopis manum imponentibus. Fuit autem prius Halberſtadenſis præpoſitus, ingenio acri, memoriæ celebris,eloquentiæ ſingularis, forma corporis ſpecioſus, caſtitatis amator, largitatis tam promptæ,vt præueniret precantes. Tardè autem aut humiliter accepit: humilitas tamen in eo dubia videbatur,quam ſolis exhibuit ſeruis Dei, pauperibus & peregrinis:adeò vt ſæpè antequam cubitum iret, triginta, aut amplius mendicantibus ipſe genu flexo pedes lauaret: principibus autem ſeculi & coæqualibus ſuis,humiliari nullo modo voluit. Anno igitur ordinationis ſuæ primo,videns baſilicæ nouiter inceptæ opus immenſum, vires exigere maximas, nimis præcipiti vſus conſilio,ſtatim murum ciuitatis à prædeceſſoribus ſuis orſum,& quaſi minus neceſſarium,iuſſit demoliri,lapideſque poni in templum. Tunc etiam turris ſpecioſa,quæ ſeptem cameris ornata fuit,funditus diruta eſt:clauſtrum quoq;, quod lapide polito conſtructum,pulchritudine ſua viſus contuentium refecit, abſque mora diſſipari præcepit, quaſi aliud pulchrius cito facturus. Cogitauit enim (vt ipſe fratribus de ea re ſciſcitantibus aperuit) refectorium, dormitorium, cellariũ, & cæteras fratrum officinas,per omnia ex lapide ſuſcitare,ſi locus aut ocium ſuppeditarent. Ad quæ omnia,quum ſibi omnia ad manus fore gloriaretur,ſolã clericorum & lapidum penuriam querebatur. Interea feruet opus,ſurgit eccleſiæ murus,cuius formam antea Alebrandus ad inſtar Colonienſis inchoauit:ipſe verò ad exemplum Beneuentanæ domus cogitauit. Anno tandem ſeptimo inchoati operis,moles à fronte eſt leuata,ac principale ſanctuarij altare in honorem ſanctæ Mariæ dedicatum. Nam ſecundum in occidentali apſide conſecrandum altare, in honorem ſancti Petri diſpoſuit:ſub cuius inuocatione legitur extructa prima baſilica. Emergentibus itaque multis archiepiſcopo anguſtiis, opus imperfectum vſq; ad XXIIII. pontificij ſui annum permanſit. Et quoniam pontifex vidit eccleſiam ſuam,quam Adaldagus deceſſor ſuus principum moleſtia liberam fecit,iterum in idipſum recidiſſe,ſummo niſu conatus eſt eam reddere priſtinę libertati,ita vt nec dux,nec comes,nec aliqua iudiciaria perſona,quamlibet iuriſdictionem haberet in ſuo archiepiſcopatu:quod tamen per ſummum multorum odium fieri nequiuit. Itaque totus ad auxilium palatij confugit,cuius præſidio meminerat Adaldagum

Epiſcopi noua & mira humilitas.

Diruit, ædificat.

Eccleſiæ libertas nemini ſubeſſe magiſtratui.

gum omnia patrauiſſe: nec ſibi, nec ſuis, nec eccleſiæ pepercit, Cæſarem & aulicos placando, dummodo id efficeret, vt eccleſia liberaretur. Proinde tantos viſus eſt in curia labores toleraſſe, tantiſq; vbique terrarum expeditionibus cum ſuis ſponte deſudaſſe, vt infatigabilem eius conſtantiam miratus Cæſar, ad omnia reipublicæ conſilia primum illum habere voluerit. Expeditiones verò quas in Vngariam, Wandaliam, Italiam, Flandriam cum Cæſare fecit, multæ ſunt: quæ dum ſingulæ magnis epiſcopi ſumptibus, multisque familiarum exactionibus & oppreſſionibus exigerentur, duarum nos tantùm facere mentionem inſtituimus: hoc eſt Italicæ, quæ prima fuit: & Vngaricæ, quæ poſtrema fuit: eo quòd præ cæteris fuerint inſignes, eccleſiæque ambæ incubuerunt graues. Sed paucis interpoſitis, ad eam narrationem reuertemur.

DVM Albertus Hamburgenſi archiepiſcopatui præeſſet, Henricus rex Pannoniam inuadens, ſatisfactionem & obſides ac munera, pacisq; confirmationem per iuſiurandum accipiens, diſceſſit, indeq; reuerſus, Synodo Conſtantinenſi adfuit, vbi cunctis in ſe delinquentibus debita dimiſit, omnibus inimicitiis deſtructis: pacem hactenus inauditam, tam in tota Sueuia, quàm in aliis regni ſui prouinciis, per edictum regiæ cenſuræ confirmauit. Deinde Agnetem Wilhelmi Pictauienſis principis filiam, prima vxore (filia regis Daniæ) defuncta ſine liberis, apud Moguntiam vngi faciens in reginam, regalibusque ſibi nuptiis apud Ingelheim copulauit. Vnde infinitam hiſtrionum atq; ioculatorum multitudinem, nõ ſolùm muneribus, ſed etiam cibo potuq; vacuam & mœrentem, abire permiſit. Deinde XLV. poſt milleſimũ annum, tertiò Pannoniã ingreſſus, Ononem cum vxore & filiis à regno fugauit, Petrumq; reſtituit in regnũ: ſubditoq; ſibi Vngarorum regno, cum honore ſummo reuertitur. Godfridus dux Lotharingorum Henrico regi rebellans, ad deditionem coactus, in caſtello Gebeſrenſtein, vſq; ad condignam ſatisfactionẽ cuſtodiæ mancipatur. Sexto deinde poſt MXL. anno vocatus in Italiam & vrbem Romã, ob eccleſiaſticã neceſſitatem, comitem habuit (cum cęteris regni principibus) Albertum noſtrũ archiepiſcopũ, cum Moguntino. Vbi depoſitis, qui de Apoſtolica ſede certauerunt, Benedicto, Gratiano & Sylueſtro, Albertus archiepiſcopus noſter eligi debuit, niſi pro ſe Sindgerum collegam poſuiſſet, Bambergenſem epiſcopũ, vocatum in papatu Clementem. Qui eccleſiæ Hamburgenſi ab olim conceſſa ſedis Apoſtolicæ priuilegia renouauit: à quo mox Henricus coronatus, Imperator Auguſtus eſt conſalutatus. Poſt hæc Imperatorem ab Italia reuertentem, archiepiſcopus Bremam vocauit: occaſione prætenta, vt Liſmonam (quæ Imperialis erat iuris) videret, vel vt regem Danorum ad colloquium inuitaret: ſed reuera vt Bernardi ducis Saxoniæ fidem exploraret. Imperator autem regio (vt oportuit) apparatu receptus, cortem quæ Balga dicitur, fratribus obtulit: Eccleſiæ verò comitatum Phriſiæ conceſſit. Inde Liſmonam veniens, per inſidias à Tiadmaro comite ducis fratre, pene circumuentus eſt: ſed archiepiſcopi ſtudio defenditur. Quare idem comes in ius vocatus, quum ſe duello pro veteri Saxonum conſuetudine vellet expurgare, à ſatellite ſuo eſt interfectus. Cuius mortem germanus eius dux, filiiq; eius zelantes, in archiepiſcopũ, eccleſiã, & epiſcopium, & eius familiã, ſe vindicare conſtituerunt, capitaliq; odio ſunt inſectati. Quumq; pax ficta inter vtroſque conciliata eſſe videretur, nihilominus tamen qui ducem ſequebantur, antiqui memores odij, quod patres eorũ in eccleſiã exercuerunt, inquietã faciebant eccleſiæ familiã. Metropolitanus autem econtrà, bonis certans ſtudiis, & beneficiis redimens tempus (quoniã dies mali erant) pacem cum ducibus fecit, hoc eſt cum Bernardo & Ordulpho filio. Inde ſolicitudinem gerens parochiæ, aliquod magnum dignumque cogitauit, vbique nobilitatis ſuæ veſtigia relinquere conſtituens. Et quidem primò floccipendens auream prædeceſſorum ſuorum mediocritatem, vetera contempſit, noua molitus omnia perficere. Igitur magnis animi & ſumptuum conatibus inſtans, vt Bremam cæteris coæquaret vrbibus, ſtatim ex ſuo peculio duas fecit præpoſituras (collegia nunc vocant) vnã ſancto Willehado, vbi corpus eius requieuit: alterã ſancto Stephano, cuius ſe famulũ multoties gloriabatur. Has quidem duas conſtruxit à principio: verùm etiam

CAP. 32.

Henrici regis res fortiter geſtæ.

1045.

1046.

Saxoniæ dux Hamburgenſem archiepiſcopũ vexat.

Præpoſitura olim, poſtea collegia.

alias poſtea fecit:hoc eſt,in Brema tertiam, ſancto Paulo, de bonis quæ hoſpitali pertinebant:Liſmonæ quartam, de prædio eiuſdem cortis: quintam voluit fieri apud Stadium:ſextam verò trans Albiam,in Sullenberg:ſeptimam quoque incepit in Aſpice,qui locus in Mindenſi eſt parochia,ſylueſtris & montoſus:octaua eſt abbatia Goſſicana,iuxta Salam fluuium,quæ fundata eſt à parentibus archiepiſcopi. Alia etiam plurima diuerſis locis inchoauit opera, quorum pleraque ipſo adhuc viuente defecerunt,quum reipublicæ negociis intentus,perficere vel nō potuit,vel non curauit. Nam domus illa lapidea in Aſpice,ipſo præſente,ſubito caſu lapſa corruit:cætera verò ex negligentia præpoſitorū diſſipata probantur: in quos detectos ſeueriſſimè animaduertit,ſi crimina mixta negligentiæ deprehendit. Et hæc domeſtica videbātur negocia:de legationibus autē deinceps perſtringemus.

CAP. 33. STATIM vt ingreſſus eſt archiepiſcopatum,ad reges Aquilonis pro amicitia miſit legatos,epiſtolas quoque commonitiuas per omnem ſparſit Daniam, Norwagiam,Suediam,& vſque ad fines terræ: exhortans epiſcopos & presbyteros in illis partibus degentes,vt eccleſias Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter cuſtodirēt: atque ad conuerſionem fidelium ſeduli niterentur. Statum autem earum rerum in regnis,in Dania noſtra plenius explicuimus. Nunc paucis attigiſſe ſat erit, quātum ad legationis pertinet miniſterium. Nam per id tempus, quum mortuo Magno,Olaui regis martyris filio,Norwagiæ atq; Daniæ rege, Zueno magni Canuti regis ex ſorore nepos,Daniam ſimul & Angliam poſſedit: proſperatusq; rebus in regno terreno,cæleſte (vt fit) leuius pendit. Nam quum multis antea concubinis iungeretur (ex quibus etiam filios poſt ſe regnantes ſuſtulit plurimos) admonitus à pontificibus,vt legitimo toro indulgeret,donaretque vagam libidinem, animū coniugio adiiciens,eam,quam propter ſanguinis coniunctionem nō licuit, duxit vxorem:vagam venerem damnoſa & interdicta repenſans. Qua in re ſuorum in regno epiſcoporum leuius ducens monita, in ſententia perſeuerauit. Perlata eſt res ad archiepiſcopum Albertum. Is ob eam cauſam ſolennes miſit ad regem oratores,modeſtius primùm admondituros:deinde, ſi non pareret, durius increpaturos,cum comminatione maledictionis & anathematis. Ille nihil mouetur, minas minis diſcuſſit:ſi non ſibi temperaret archiepiſcopus, totam Hamburgenſem parochiam vaſtaturū ferro & igni minitatur. Sed archiepiſcopus interritus, arguens & obſecrans,perſtitit immobilis:donec per literas ſummi pontificis rex flexus, libellum repudij dedit conſobrinæ. Nec tamen commonitionibus omnino obtemperans,rediit ad concubinatum:& ideo ſuſcitauit ei Dominus in circuitu multos inimicos. Quam rem in Dania plenius ſumus executi. In Suedia autem, extincto Iacobo rege Chriſtianiſſimo,frater Emundus ſucceſſit, Chriſtianus quidem vocabulo magis quàm re ipſa. Hunc acephalus quidam Oſmundus, diu Bremis literis vacans,ex diſpoſitione Sigafredi Norwagiorum epiſcopi: ſed is contempto ſuo epiſcopo,ductus ambitione,Romam petiit,vt epiſcopatus ordinem ad euangelizandum in gentibus obtineret:repulſusque inde venit in Poloniam.Ibi à quodam archiepiſcopo ordinatus,ſe tranſtulit in Suediam, apoſtolica ordinatione ſe fingens miſſum archiepiſcopum: præferri enim crucem ſibi fecit. Audiens archiepiſcopus noſter,ſolennes ad Suediæ regem miſit oratores, qui hominem acephalū exturbarent prouincia, regemque docerent de eccleſiaſtica hierarchia: monerentque regem,non auſcultare vanis ſermonibus hominis gyrouagi. Sed apud regem,ſeculo magis quàm religioni deditum, præualuit exiſtimatio hominis conterranei:qui multis apud regem modis effecit,vt oratores cum contumelia dimitterentur. Erat inter illos,quem noſter archiepiſcopus illi prouinciæ conſecrabat epiſcopum. Reiecti,ibant gaudentes,quoniam digni habiti ſunt, pro iuſtitia & veritate ſuſtinere contumeliam.Sed regij ſanguinis bonus iuuenis illos excepit,perductoſque ad religioſam dominā,quam nuper Zueno Danæ rex ob propinquitatem ſanguinis dimiſit, quæ ex illo tempore ieiuniis & eleemoſynis vacabat, in viduitate Deo ſeruiens:poſt eum maritum,quem inſcia non legitimo iure habuit, nullum alium dignata virum.Tandem illius ope fœminæ, in Daniam, & inde in Saxoniam redierunt inanes. Sed illi deinde poſt ſuum eiectum pontificem,ſunt

Rex concubinatu deinde incesto coniugio infamis, monētem pontificem spernit

Archiepiscopi nomen & dignitatem sibi falsò tribuens.

Repudiata ob consanguinitatem, vidua cōtinentiam seruat.

casus

casus secuti Suediam, vt facilè intelligerent Sueones, agrorum sterilitate, aeris intemperie, & diffortunio rerum bellicarum, se diuina plecti vltione. Qua de re mittentes ad archiepiscopum, facilè impetrarunt, vt Adalwardum (hoc enim consecrato erat nomen) illis mitteret, quem pridem repulerunt episcopum. Ille perueniens in Sueoniam, multum Domino populum acquisiuit ex iis terræ finibus, in quibus nullus antea prædicator visus est vel auditus. Idem ab rege Haraldo Norwagiæ dominante (Olaui martyris, olim regis, germanus frater is erat) inuitatus, in Norwagiam nauigauit. & inter alia religionis officia, quum ad tumulum hominis ante LX. annos defuncti perduceretur, stupente populo, quum adhuc integrũ hominis cadauer, quasi hodie sepulti, cerneretur, episcopus in spiritu cognouit, eum excommunicationis maledicto teneri laqueatum. Erat autem ex iis (vt liquidò compertum habebant) qui senioris Libentij tempore, in ditionem Bremensis ecclesiæ populabundi incesserant: quos (vt diximus in Libentio) idem pontifex maledictionis gladio feriebat. Quumque interposita prece pontificis Adelwardi absolueretur, mox solutus in cinerem recidit. Sed idem Haraldus iam regno potitus, omnes tyrannorum sæuitias facilè superauit, æquè vicinis ac subditis onerosus. Arma portauit in Islandiã, diuina humanaq; omnia permiscens. Diuinos & sacrilegos, quos frater eius exterminauit, ille denuò reuocatos est secutus: & (quod est omnium nequissimum) nihil territus miraculis, quæ ad tumulum fratris quotidie gerebantur, fideliũ oblationes, quas illi turmatim aggerebant, ille inter milites suos est partitus, defuncti fratris vocitans donatiua. Pro quo sacrilegio, missis ab archiepiscopo nunciis, admonitus est paternè vt abstineret, fratrem defunctum reuereretur, Deum timeret vltorem. Sed ille in malitia perdurans, nuncios cum contumelia iussit abire. Episcopos deinde, quos archiepiscopus noster consecratos regno immisit, contempsit: missis in Angliam & Franciam ex suis, quos volebat consecrari: illosq; sic consecratos à non suis metropolitanis, recepit, aliis abire iussis. Pro qua contumacia grauiter est increpitus ab Alexandro summo pontifice. Tenor Apostolicarum literarum hic est.

Qui excommunicati moriuntur, non putrescunt, nisi absoluantur. Sup. lib. 3. cap. 42.

Haraldus Deĩ & miraculorum contemptor.

CAP. 34.

Papæ ad Norwagiæ regem epistola.

ALEXANDER episcopus seruus seruorum Dei, Haraldo Norwagiorũ regi, salutem & apostolicã benedictionem. Quia adhuc in fide rudes existitis, & in ecclesiastica disciplina quodammodo claudicatis, oportet nos (quibus totius ecclesiæ cõmissum est regimen) diuinis admonitionibus vos frequenter visitare. Sed quia ob longarum difficultatem viarum per nos hoc agere minimè valemus, sciatis nos Adelberto Hammaburgensi archiepiscopo, vicario nostro, hæc omnia firmiter commisisse. Prædictus itaq; venerabilis archiepiscopus, legatus noster, suis nobis conquestus est epistolis, quòd episcopi prouinciæ vestræ, aut non sunt consecrati, aut data pecunia (contra Romana priuilegia, quæ suæ ecclesiæ sibique data sunt) in Anglia vel in Gallia pessimè sunt ordinati. Vnde ex authoritate Apostolorum Petri & Pauli vos admonemus, vt sicut apostolicæ sedi subiectionis reuerentiam debetis exhibere, ita venerabili archiepiscopo vicario nostro, & vice nostra fungenti, vos vestrique episcopi impendatis. Et reliqua. His apud Norwagiam sic se habentibus, magno studio institit archiepiscopus, Danorũ regem Zuenonem, quem pro repudio coniugis offensum habuit, reconciliare. Sensit enim, quòd si talis cum eo princeps staret, leuiorem sibi ad alia quæ in animo gessit, introitum fore. Mox igitur interueniente gratia largitatis, quam in omnes habuit, venit in Sliaswicum. Vbi facilè notus, & superbo regi reconciliatus, muneribus atque conuiuiis certauit archiepiscopalem potentiã regalibus anteferre diuitiis. Deniq; (sicut mos habet in ea gente) ad confirmandum pactum fœderis, conuiuia vicissim inibantur per dies octo. De multis rebus ecclesiasticis ibi disponitur: de pace Christianorũ, & conuersione paganorũ, ibi in mediũ cõsulitur. Rebus compositis, pontifex cum gaudio reuersus, persuasit Imperatori Henrico III. vt euocatus rex Danorum in Saxoniam, appellaretur ab ipso, & vterq; alteri perpetua confœderaretur amicitia. Nam Henricus antea vxorem habuit ex eo regno, iam vita functam, Canuti regis filiã, huius Zuenonis consobrinam. nam eundem Canutum is auunculum suum agnoscebat. Factumq; est vt admonuit archiepiscopus. Cuius con-

Archiepiscopi opes nihilo regiis inferiores.

fœderationis beneficio, multũ prouectionis accepit eccleſia, & legatio in boreales nationes, cooperante Zuenone rege, proſperis eſt aucta incrementis.

CAP. 35.

Moguntina ſynodus, anno 1051.

SED vt illorum temporum eccleſiaſticum ſtatum plenius agnoſcamus, paulo nobis retro redeundum eſt. Anno quinquageſimo primo poſt M. generalis ſynodus eſt habita apud Moguntiam, præſidente in ea ſummo pontifice Leone, qui in gratiam Imperatoris Henrici ad eam deſcenderat. Aderat idem Imperator, cum archiepiſcopis & epiſcopis multis, Bardone Moguntino, Euerhardo Treuerenſi, Hermanno Colonienſi, Alberto Bremenſi, Engelhardo Magdeburgenſi, cęteriſq; prouinciarum ſacerdotibus. Magnũ inter omnes erat nomen archiepiſcopi Hamburgenſis, & apud pontificem, & apud Imperatorem, qui tum Goſlariæ palatium inſtruxit, & duas ibidem congregationes fratrum inſtituit, quarũ alterã dedit Alberto gubernandam: collegia nunc vocãt. Id quum eſſet aſſecutus pontifex, quòd indiuiduus comes hæreret Imperatori, & cooperator eſſet ad omnia, ſpem concepit accipiendi comitatus in ditione eccleſiæ conſtituti (Phriſiæ hunc arbitror, qui nunc de Aldenborg inſcribitur) abbatias quoq; & prædia, quæ magno deinceps eccleſiæ impendio mercata eſt eccleſia. Nam & cœnobia Lauriſſæ & Corbeiæ, & comitatus Bernardi & Egberti, prædia quoque, Suiticum, Pliſna, Groningmor, Diſpergum, & Liſmona, iam animo conceperat poſſidenda. Quibus iam ſpe præreptis, arbitrabatur ſe archiepiſcopus aut per mare ambulaturũ, aut per terrã nauigaturum, poſtremò omnia quæ in animo habuit, facilè perfecturũ: præſertim eo fultus adminiculo, quòd Papa Leo pro corrigendis eccleſiæ neceſſitatibus venit in Germaniam, quem ſciret ſibi pro veteri amicitia nihil negaturũ, quod iure cuiquam præſtari deberet. Quo tempore idem pontifex Leo Ratiſponam tranſiens cum Imperatore, reliquias beati Dionyſij martyris (de quibus diu dubitatum eſt an ibi haberentur) præſentibus Pariſiorũ legatis perſpexit, ibique teneri probauit. Sanctum quoq; Wolffgangum, eiuſdem vrbis epiſcopum, de tumulo leuauit. Indeque Bambergam cum Imperatore tranſiens, priuilegia eiuſdem loci à cancellario ſuo Friderico (qui illi in pontificatu ſucceſſit) perſpici, & coram Imperatore populoq; pronunciari mandauit, ſuaq; authoritate confirmauit. Ad annum deinde

Archiepiſcopus victu & veſtitu non contentus.

S. Dionyſij reliquiæ, papæ iudicio, ſunt Ratisbonæ, nõ in Gallia.

1054. LIIII. Leo mortem obiit. Henricus poſt duos deinde annos finiuit vitam. Sapienti antè vſus conſilio, ab omnibus quibus potuit, veniã petiit, quibuſdã prædia quæ abſtulit, reſtituens: cunctiſq; qui contra eum & regnũ damnabiliter peccauere, relaxans culpã, filium ſuum Henricũ, Romani pontificis cunctorumq; pontificum & principum regni electione regem conſtituit. His atq; aliis, prout vitæ poſſibilitas, bene diſpoſitis, III. Nonas Octobris hanc vitam finiuit. Poſt cuius obitũ, quia filius eius Henricus adhuc puerulus fuit, Domina Agnes Imperatrix, mater pueri, regnum ſub ſua cura aliquandiu tenuit, & ſapienter ac ſtrenuè rexit. Donec principes aliqui zelo ducti, puerũ matri abſtulerunt, eamque regimine regni abalienauerunt. Quorum numero Anno Colonienſis archiepiſcopus ſe immiſcuit: qui puerũ in loco qui Werda dicitur, naui imponens, matri abduxit. Et ex eo tempore incommoda orta, & deinceps ſunt aucta. Nam perinde in regno diſſenſio, eccleſiæ perturbatio, monaſteriorũ deſtructio, clericatus deſpectio, totius iuſtitiæ ac religionis conculcatio & cœpit, & diu permanſit. Imperatrix verò rerum perturbationes conſiderans, in Italiam ſe contulit: & apud monaſterium, quod dicitur Friceria, religioſam vitam aliquanto tempore duxit. Poſt Romæ defuncta, in eccleſia ſanctæ Petronellæ eſt ſepulta. Mirum quomodo in aliis legitur, quòd nupſerit duci Bauariæ Welpo. Sed quid faciemus hominum opinionibus? Vera quærimus, veriſimiliora narramus.

Imperij moderatio, archiepiſcopi opera mulieri aufertur.

Sup. cap. 30.

CAP. 36.

ÆQVANIMITER feret lector, imò cum ſuo lucro ſinat, vt quædam ſuppleat iſta narratio, in Saxonia noſtra prætterita. Agnem Imperatricem Henrici relictam, perueniſſe ad nuptias ducis Bauariæ, tradunt nonnulli: & fieri potuit, vt etiam illo marito vita functo tranſierit in Italiam, quod proximè diximus. Eodem autem tempore, inſtante pueri regno, Luitirij gens erat Wandaliæ, alij Luſatios dicunt. Nam ea quoque gens erat Wandalica, hodie parens marchioni Brandenburgenſi. Vtcunque fuerit, ea gens tum erat Chriſto perfida,

Wanda-

Wandalici generis. Quæ pridem quum vastauisset Saxoniã, factis excursionibus, iam nunc Saxones gentem efferam hostiliter inuaserunt: diuersisq; malis eam affligentes, Romanę ditioni subdiderunt: & acceptis obsidibus, ad propria redierũt. Ex illo tempore Bremensem ecclesiam omnes calamitates oppresserunt, Alberto archiepiscopo tantùm curiæ negociis intento. Ad gubernationẽ enim regni, mulier cum puero, magno videbatur detrimento. Indignantes enim principes, aut muliebri potestate constringi, aut infantili ditione regi, primò quidem cõmuniter vendicarunt se in pristinam libertatem, vt non seruirent: deinde cõtentionem mouerũt inter se, quis eorum videretur esse maior: postremò armis audacter sumptis, dominũ atque regem suum deponere sunt conati. Tandem seditionibus ad pacem inclinatis, Albertus Bremensis, & Anno Coloniensis archiepiscopi, consules declarati sunt: & in eorum consilio summa deinceps rerum pendebat. Sueuorum tum ducatum tenuit Otto princeps, *de Swinfurt* cognominatus, Francus genere. Qui quum sine prole decederet, Rodolphus *de Reinuelden*, ducatum eius accepit: is qui posteà in cõtrouersia electus est rex aduersus hunc Henricum IIII. quod in Saxonia commemorauimus: nec obliuiscemur in hac rerum serie, quum ad ea tempora perduxerimus narrationem. *Mulieris & pueri don. inatum pati turpe habetur.*

ENGELBERTVS successit Brunoni, ordine pontificum Mindensium decimus septimus, vir Bauarus, translatus Imperatoris voluntate de ecclesia Bambergensi. Nam principes illius temporis, non modò de pontificatibus suarum prouinciarũ tum disponebant, verùm etiam de Apostolica sede tum prouidendi acceperant facultatem. Nam III. Henricus effecit, vt Bambergensis episcopus fieret Clemens II. Et Henricus IIII. desuper imploratus, non reperit in Germania pontificem, qui sedem Apostolicã vellet accipere. Sed Bruno Tullensis episcopus tum factus est Leo IX. quod expressius in Saxonia signauimus. Huius autem Engelberti Mindensis episcopi temporibus, ordo sancti Augustini (qui & Canonicorũ regularium) primò ab Apostolis, deinde à memorato doctore Augustino institutus, tum sub magistro Iuone episcopo Carnotensi cœpit reflorere. Sedit autem præsul Engelbertus annis vigintiquinque, mensibus octo, diebus XIX. Sepultus est apud ecclesiam sancti Martini, quam à Sigeberto prædecessore erectam iste prouexit. Mortuus est in crastino sancti Andreæ, anno octogesimo post mille. In horum sarcophago hi versus ad perpetuam laudem leguntur: CAP. 37. *Ordinis sancti Augustini canonicos Apostoli instituerunt. Cur non cæteros omnes?*

Præsul Engelbertus, ipseq; prior Sigebertus,
Hic fundatores hilaresq; fuere datores.
Ergo Dei pietas, dedit his sedes requietas:
Et tibi, Martine, conregnabunt sine fine.

Sed vtinam illo feruore quo res inchoantur, perennarentur. Qua in re nimium falluntur opinione fundatores: degenerant enim in deterius omnia. Quod in probatissimis quibusque religionibus spectatur. Inde crebræ reformationes, & secutæ deformationes. Sic teritur vita. Sub hoc pontifice erat incendium Mindæ grauissimum, quod maiorem ecclesiam totam, præsente Imperatore Henrico *** & anno pòst decimo reparatur: & per Radolphum Slesuicensem (vt ferunt) episcopum consecratur, largiente Imperatore insignem curtem cum mancipiis, pro obsequio quod illi impenderat Engelbertus, pontifex illorum temporum.

SVB Imperio quarti Henrici (qui puer surrogatus est patri) ecclesiæ Osnaburgensi decimus septimus loco præfuit Werincherus: quem nonnulli putant fuisse binominem, vt & Benno diceretur. Nam qui hunc secutus est in pontificatu, secundus scribitur Benno: quod nisi primus præisset, non fieret. Præfuit autem annis XVI. Mirum cur per tanta tempora nihil egerit memorabile: & si quid factum sit dignum mentione, cur non est in literas missum? Sed est hæc vetus querimonia apud nostrates: facere laudanda, quàm scribere, maluerunt. Inde est nobis & posteritati tanta rerum memorandarum ab antiquitate inopia. Peruenit autem hic pontifex viuendo ad annum sexagesimum octauum post mille: & translatus est ad meliora, vt confidimus. Durat enim memoria eius in benedictione apud posteros. CAP. 38. 1068.

CAP. 39. *Godſcalci pietas & Zelus.* *Crebra cœnobia ædificantur.*

IN Aldenburgenſi eccleſia præerat iſto tempore Abelinus, nonus à primo epiſcopus, quum res eccleſiaſticæ ſatis refloreſcere inciperent. Nam Godſcalcus gentis princeps (de quo prædiximus) vir prudentia & fortitudine prædicandus, accepta in vxorem filia regis Danorum, Wandalos ſuos ita perdomuit, vt eum quaſi regem timentes, offerrent tributa, & pacem ſubiectione peterent. Qua temporis occaſione Hamburg pacem habuit, & Wandalia ſacerdotibus eccleſiiſque plena fuit. Godſcalcus igitur, vir religioſus, ac timens Deum, archiepiſcopo etiam familiaris, Hamburg ſoluendorum cauſa votorum ſolebat frequenter adire. Proculdubio in omni Wandalia rarò quiſquam erat potentior, & tam feruens in Chriſti religione alius non erat. Igitur omnes Wandalorum populi, qui ad Hamburgenſem ſeu Aldenburgenſem pertinent curam, toto tempore quo Godſcalcus ſuperuixit, Chriſtianam fidem deuotè coluerunt. Tunc etiam per ſingulas vrbes cœnobia fiebant ſanctorum virorum canonicè viuentium, item monachorũ, & ſanctimonialium: ſicut teſtantur ij qui in Lubic, Aldenburg, Racisburg, Leontio, & in aliis ciuitatibus ſingulis viderunt. In Magnopoli verò (quæ eſt ciuitas Obotritorum) tres Deo ſeruientium dicuntur fuiſſe cõgregationes. Gratulabatur ergo archiepiſcopus de nouella plantatione eccleſiarum: miſitq; de ſuis epiſcopis & presbyteris viros ad Godſcalcum principem ſapientes, qui rudes in Chriſtianiſmo populos confortarent. Ordinauit autem in Aldenburg, defuncto Abelino, Eizonem monachum, ordine & numero decimum, in ea eccleſia epiſcopum. Sed quoniam magna erat parochia Aldenburgenſis eccleſiæ, partiendam illam putauit, & tribus epiſcopis, dum res florerent, commendandam.

CAP. 40. *Tres eccleſiæ ex vna factæ.* *Archiepiſcopus patriarchatum condere inſtituit.*

INITIVM quoddam & fundamentum hoc tempore iactum eſt eccleſiarum, quæ nunc ſunt Suerinenſis & Raceburgenſis, ſumpta parte ex ditione latiſſima Aldenburgenſis (quæ eſt nunc Lubecenſis) eccleſiæ: vt minimas partes ipſa ſeruauerit, maioribus ad filias deriuatis. Nam Albertus archiepiſcopus Bremenſis, quum tamen titulũ vbique præferret eccleſiæ Hamburgenſis, propter legationem, quæ ei ſub hoc nomine debebatur in regna Aquilonis: Is archiepiſcopus animo voluens maiora, vt patriarchatus quidam conſtitueretur in eccleſia Hamburgenſi, ſub ſe habens archiepiſcopos, eccleſiam Aldenburgenſem latiſſima ditione arctatam contraxit, & in tres epiſcopatus diuiſit. Nam Ioannem Scotum conſtituit in Magnopoli epiſcopum, qui nunc eſt Suerinenſis: & Ariſtonem quendam ab Hieroſolymis venientem, in Racesburg deſtinauit. Quod quidem Imperiali minimè factum eſt inſtitutione (puer enim erat) ſed Alberti archiepiſcopi adinuentione. Ipſe enim vir magnificus & præpotens in regno, quum Papam ac Cæſarem propitios atq; voluntati ſuæ per omnia cõſentaneos haberet, in omnibus Borealibus regnis, Daniæ, Suediæ, Norwagiæ, functus eſt authoritate archiepiſcopali, & legationis apoſtolicæ miniſterio. Nec his contentus, patriarchatus honorem aſſequi voluit: atq; intra terminos ſuæ ditionis duodecim ſtatuere epiſcopatus cogitauit.

1062. Iam ad annũ Chriſti ſexageſimũ ſecundũ, mortuo Bernardo duce Saxoniæ, Ordulphus filius accepit gubernacula ducatus, permiſſo comitatu fratri Hermanno. Is comitatus quis fuerit, nõ ſatis explicatur, an Phriſiæ de Aldenborg, an Stadenſis, an fortè Holſatię & Stormariæ: horũ ſingula, an fortè omnia: res enim in obſcuro permanſit. Ergo filij Bernardi, memores antiqui odij, quod (licet occultè) patres eorũ contra Bremenſen eccleſiã exercuerunt, ſtatuerunt iam apertè vltionem ſumere de epiſcopo, totaq; eccleſiæ familia. Et primò quidẽ dux Ordulphus, viuente adhuc patre, hoſtili ſtipatus multitudine, Bremenſem in Phriſia deuaſtauit epiſcopatũ, homineſq; eccleſiæ cæcauit: alios etiam ad ſe legatos pro pace directos, publicè verberari & debaculari iuſſit. Poſtremò omnibus modis eccleſiã & ſuos impugnare, ſpoliare, cædere, ac cõtemptui cœpit habere. Archiepiſcopus autẽ querelã ad curiã deferens, nil aliud meruit ſub rege puero, quàm derideri: nam & rex puer, à duce & fratre eius primò deriſui habitus eſt. Quapropter archiepiſcopus, vt fratres ab inuicem diuelleret, Hermannum comitem ſuum adaptauit militem: profectusque eſt in Vngaricam expeditionem cum rege, velut princeps militiæ eius, relicto ſuper negocia regni Annone Colonienſi archiepiſcopo. Reſtituto autem

Iniuriæ graues archiepiſcopo illatæ.

tem

tem in regnum Salomone, quem Vngari expulerant, Albertus cum rege puero victor ab Vngaria regressus est. Tunc comes Hermannus magnum ambiens beneficium, quod dare noluit episcopus, statim in furorem versus est: venitq; contra Bremam cum exercitu copioso: diripiensq; omnia quæ inuenerat, soli pepercit ecclesiæ. Castella verò, quæ pontifex diuersis construxit locis, diruta sunt. Archiepiscopus eo tempore primatum curiæ tenebat: cuius audita querela, comes secundum iudiciū palatij, exilio relegatus, post annum clementia regis absolutus est. Deinde verò idem comes, & frater eius, dux Ordulphus, ad satisfactionem ecclesiæ venientes, pro delicto suo quinquaginta mansos obtulerunt: & terra quieuit dies paucos. Tunc etiam rex vastationi ecclesiæ Bremensis condolens, transmisit ei ad solatium fere centum pallia, cum aliis vasis argenteis, libris & thuribulis, auro paratis. Hæc autem sunt munera quæ misit rex ad reædificationem ecclesiæ: tres calices aureos, librarum x. vnum vas chrismale argenteum, scutum argenteum deauratum, psalterium aureis scriptū literis, thuribula & candelabra argentea, dorsalia nouem regalia, casulas xxxv. cappas triginta dalmaticas & subtiles xiiii. & vnum plenariū, cuius tabula ix. libras auri habuit. Hæc de Annalibus libenter inserui, vt munificentiam regum ex illis temporibus agnoscamus.

Damna archiepiscopo illata sarciuntur.

Operæprecium est intueri quid egerit ille archiepiscopus ad exaltationem ecclesiæ suæ. Corbeiam & Laurissam cœnobia, pro quibus diu multumq; episcopus laborauerat, ecclesiæ Bremensis ditioni (etsi longè distantia) traduntur à rege. Tunc & Lismona, quæ hactenus fuit Imperialis, venit in ditionem ecclesiæ, quæ cors lxx. mansos habet: & maritimas Hadaleriæ regiones possidet. pro qua soluenda archiepiscopus Agneti reginæ dedit ix. libras auri, quoniam ea in partem eius ditionis cessit. Quinquaginta ergo cortes dominicales habuit archiepiscopus, ex quibus Walde maxima, vnius mensis persoluit seruitiū: cæterùm Ambergen minima, quatuordecim dierum. Tanta erat opulentia archiepiscopi. Statuit autem omnes comitatus suæ parochiæ. qui in sua diœcesi aliquam iurisdictionem videbantur habere, in potestatem ecclesiæ redigere, instar aliorum præsulū, maximè Wirtzburgensis, qui in episcopatu suo neminem dicitur habere consortem: ipse enim quum teneat omnes comitatus suæ parochiæ, ducatum etiam prouinciç gubernat. Quapropter ab initio illum maximum Phrisiæ comitatum de Findgoe, est adeptus à rege, quem prius habuit dux Godfridus, tunc verò Egbertus. Pensionem annuam esse dicunt, centum librarum argenti: quarum ducentas Egbertus soluit, fuitq; miles ecclesiæ. Archiepiscopus autem obtinuit eundem comitatum per decem annos, vsq; ad expulsionis suæ diem. Alter verò comitatus erat Vtonis, qui per omnem parochiam Bremensem sparsim diffunditur: maximè circa Albiā. Pro quo archiepiscopus tantum Vtoni obtulit de bonis ecclesiæ, quòd singulis annis mille libras argenti soluit: quum vtiq; tanta quantitate precij maior posset ecclesiæ fructus omni anno parari: nisi quòd sufficit ideo pauperes esse, vt diuites seruos habeant. Tertius erat comitatus in Phrisia, Bremensi parochiæ vicinus, qui dicitur Emisgoe: pro quo archiepiscopus pactus est, se regi mille libras argenti daturum. Cuius pecuniæ summam quum non facilè posset conficere, iussit cruces, altaria, coronas, & cætera ornamenta ecclesiæ deponi: quibus denudatis, infelicem maturauit contractum perficere. Gloriabatur autem, pro argentea citò se auream facturum ecclesiam, omniaq; ablata in decuplum restituere: sicut & prius in destructione claustri visus est egisse. Tunc etiam ornamenta aurea, quæ obtulit domina Emma, confracta sunt. Aurifaber illa conflans, ad sonitum mallei visus est audire quasi vocem gementis pueri. Tali modo thesauri Bremensis ecclesiæ à veteribus summo studio, magnaque fideliū deuotione collecti, tunc pro nihilo sunt pessundati: vix tamen ex eadē pecunia media pars debiti est conflata. Gemmæ autem distractæ, in vsum seculi male peruenerūt. Ab illo ergo die ruentibus in occasum prosperis, omnia Bremēsi ecclesiæ aduersa fuere: archiepiscopus & sui, ab omnibus velut hęretici exibilabātur. At ille omniū voces paruipendens, simul etiā relicta rei domesticæ cura, totus in curiā vehemens, & in gloriā præceps ferebatur.

Cap. 41.

Wirtzburgensis solus in tota diœcesi regnum obtinet.

Stulta archiepiscopi ambitio.

Annvs erat sexagesimus sextus, post mille à Christo, quum Albertus archi- Cap. 42.

epiſcopus Hamburgenſis, conſulatū curiæ per Imperiū eſt adeptus: æmulisq; remotis, primatū arcemq; capitolij poſſedit: nō tamen ſine inuidia, quæ ſolet eſſe comes gloriæ. Tunc verò quædā aurea renouaturus ſecula, in cōſulatu ſuo cogitauit diſperdere de ciuitate Dei omnes operātes iniquitatem, præcipuè illos qui vel in regem miſerunt manus, aut eccleſias deprædaſſe videbantur. Cuius delicti conſcientia quum ferè omnes epiſcopi & principes regni tangerentur, vnanimiter conſpirabant, vt ille ſolus periret, ne cæteri periclitarentur. Igitur omnes apud Triburiam congregati, quum præſens rex adeſſet, Albertū archiepiſcopū, quaſi magum & ſeductorem à curia depulerunt. Audientes autem duces, Ordulphus, & filius eius Magnus, & Hermannus comes, pontificem ab ordine ſenatorum eſſe eiectum, ſunt gauiſi: atque vt eum penitus à ſuo quoq; epiſcopio pellerent, ſunt anniſi. Ipſe autem eo tempore quum nihil tutius haberet, Bremæ conſedit, inimicorū cuſtodia vndique vallatus. Quumq; tota ducis familia paſtorem & eccleſiā perſequerentur, Magnus adoleſcens, ducis filius, ante omnes ſæuiebat: glorians ſe reſeruatum eſſe, vt rebellem domaret eccleſiam. Aiunt ducem Bernardum, futuri præſcium, hoc ipſum ſæpius narraſſe cum gemitu, quo in extremis poſitus dixerit, filios ſuos ad excidium Bremenſis eccleſiæ fataliter eſſe deſtinatos. Vidit enim per ſomnium, ex penetralibus ſuis egreſſos in eccleſiam vrſos aproſque, deinde ceruos, ad vltimum lepores. Vrſi, inquit, & apri erant parentes noſtri, fortitudine velut dentibus armati: cerui ſumus ego & frater meus, ſolis decori cornibus: lepores autem ſunt filij noſtri, modicæ virtutis, & timidi: de quibus metuo, ne impugnantes eccleſiam, diuinam incidant vltionem. Quapropter ſub obteſtatione diuini timoris præmonuit eos, ne quid impium cogitarent aduerſus eccleſiā & paſtorem, néve læderent hunc aut illum, quorum iniuria redundaret in Chriſtum. Hæc ille ſurdis auribus præcepta dedit. Magnus enim, nepos eius ex Ordulpho filio, collecta multitudine latronum, non eo modo eccleſiam impugnare conatur, quemadmodum parentes eius: verùm ipſe eccleſiæ paſtorem perſecutus, vt cōtentionem diutinam fuiſſe videretur, aut membris truncare, aut penitus interficere quærebat ipſum. Nec tamen illi dolus defuit ad cauendum, auxilium verò in militibus prorſus nullum habuit. Et ipſo ergo tempore archiepiſcopus à Magno duce obſeſſus, clàm metu fugit Goſlariā: ibiq; ſecurè apud Loctunā in prædio ſuo per dimidium annū manſit: caſtra autem & ſeruitia eius ab hoſtibus ſunt direpta. Tandem fœdus cum Magno pepigit, offerens ei in beneficiū (Feudū nunc vocant) de bonis eccleſiæ mille manſos & amplius: vt qui hoſtis erat, miles fieret: eo nimirum tenonore, vt comitatus Friſiæ, quorū alterum Bernardus, alterum Egbertus inuito retinebat pontifice, Magnus abſque omni dolo iuri eccleſiæ reuocaret & defenderet. Ita prorſus diuiſo in tres partes epiſcopatu Bremenſi, vnam partem Vdo, alteram Magnus poſſedit, tertia vix remanſit epiſcopo: quam etiam ipſe poſtea Eberhardo aliisq; regiis adulatoribus diſtribuēs, fere nihil ſibi retinuit. Nam & curtes epiſcopij, & decimæ eccleſiarum omnes, ceſſerunt in vſum laicorum. Tantis ergo largitionibus nil erga Vdonem & Magnum lucratus eſt, quàm ne à ſuo epiſcopatu penitus eiiceretur, & vt dominus inani nomine diceretur.

Archiepiſcopus gratia & potentia excidit.

Bernardi filij archiepiſcopo ſupra modum infeſti.

Archiepiſcopus defenſores magno emit.

CAP. 43. SVBIERVNT tum eccleſiaſticis rebus per vicinam Wandaliam infeliciſſima tempora. Nam Chriſtianiſmus per Godſcalcum principem ad bonum modū reſtitutus, tum penitus eſt ſubuerſus. Nam dum ipſe pro ſua in populo authoritate inſtantiſſimè ageret, vt fideles firmarentur, & infideles conuerterentur: iamque proſperatis (vt videbatur) rebus, maiorem in modū fides refloreſceret in ea gente, ſubitò exarſit coniuratio malè potentū in caput Godſcalci: & in ciuitate Leontio (nunc Lenze vocant) ad ripam Albis, opprimitur, pro Chriſto cæſus ad aram, cum ſacerdote Ippone, VII. Idus Iunij, & aliis multis tam clericis quàm laicis, qui pro Chriſto diuerſa pertulerunt ſupplicia. Manauit ſæuitia iſta latè per omnem prouinciam. Erat congregatio fratrum Chriſto ſeruientium ſub patre Anſuero. Hic ſæuientibus Wandalis, & ſanguinem Chriſtianum ſitientibus, quum ad paſſionem perueniret, rogabat ſæuientes, vt prius fratres, quibus ipſe metuebat, lapidarentur. Quibus coronatis, ipſe gaudens, cum Stephano genua poſuit, & coronam

Multorum Chriſti martyrum cædes.

ronam

ronam accepit martyrii ſui. Huius ſancti brachium integrum ſeruatur apud Stadium, in eccleſia beatæ Mariæ, nunc ſubuerſa, prius fratrum moribus euerſis: intus habitant, ſi non degunt. Ioānes etiam ſenex epiſcopus in Mekelnburg, peregrinationis amore quodam Scotiam egreſſus, venerat in Saxoniam: & clementer ab archiepiſcopo exceptus, non multo pòſt ab eo eſt in Wandaliam miſſus, Magnopolenſis epiſcopus. Hic apud principem Godſcalcum illis commoratus diebus, multa millia ante tumultum exortum baptizauit: & nunc pro cōfeſſione Chriſti in Mekelnburg fuſtibus cæſus, deinde per ſingulas Wandalorum ciuitates ad ludibrium ductus, quum à Chriſti nomine flecti non poſſet, truncatis manibus & pedibus, in plateam corpus eius eſt proiectum, capite deſecto. Quod barbari contis perfigentes, in titulum victoriæ deo ſuo Radegaſt immolauerunt. Hęc in metropoli eorum Rethre geſta ſunt, IIII. Idus Nouemb. Ea vbi fuerit ciuitas, non bene compertum habemus: ſed coniectura aſſequor, vt credam in terra Stargardiæ fuiſſe, in loco Robel, ad lacum profundiſſimum & piſcoſum. Nam Starigard Wandalica lingua, magnam ſonat ciuitatem. Vnde factum coniecto, vt nomen ciuitatis acceperit, & ſeruauerit in hunc diem regio & totus dominatus nunc parēs ducibus Magnopolenſibus. Filia quoque regis Danorum (vxor videlicet Godſcalci) apud Mekelenburg cum cæteris Chriſtianis mulieribus cæſa, diu nuda per ignominiam eſt dimiſſa.

Ioannes pro Christo atroci morte affectus.

Cap. 44.

ECCLESIARVM Magnopolenſis (quæ nunc eſt Suerinenſis & Raceburgenſis) principia ſunt ſanguine martyrum cōſecrata: nam Magnopolitanum epiſcopatum Ioannes primus epiſcopus, ſanguine ſuo rigauit: Raceburgenſem, Anſuerus, cum fratribus pro Chriſto cæſus, dicauit. Ariſto autem epiſcopus non legitur cæſus. Ergo Wandali victoria potiti, totam Hamburgenſem parochiam ferro & igni demoliti ſunt. Stormarii & Holſati fere omnes aut occiſi, aut in captiuitatem ſunt perducti. Hamburg cum arce ſua funditus excinditur, & in deriſionem Saluatoris noſtri, etiam cruces à paganis ſunt truncatæ. Ciuitas etiam Sliaſwig ab iiſdem funditus euertitur. Huius autem cladis author Pluſſo quidam fuiſſe dicitur, qui ſororem Godſcalci coniugem habuiſſe fertur: domumq; reuerſus, & ipſe obtruncatus eſt. Itaq; omnes Wandali, facta conſpiratione, ad paganiſmum denuo ſunt relapſi, eis occiſis, qui in fide perſtiterunt. Dux Ordulphus ſæpe contra Wandalos dimicans, nulla vnquam potitus eſt victoria. Igitur expulſio archiepiſcopi, & mors Godſcalci, anno Henrici regis octauo, archiepiſcopi vigeſimoſecundo, anno ſcilicet Chriſti LX. poſt mille, prouenerunt. Vacauit exinde ſedes Aldenburgenſis, cum filiabus Magnopolenſi & Raceburgenſi, per annos LXXXIIII. Hæc eſt Wandalorum tertia negatio, quos primò Carolus conuertit, deinde Otto primus, nūc verò tertiò princeps Godſcalcus. Et hæc mala ſignauit horribilis Cometa, qui ipſo anno apparuit circa dies Paſchæ. Eodem anno clades maxima prouenit in Anglia, per Wilhelmum Normannum, ex littoribus Galliarum: quod in Norwagia noſtra ſumus plenius executi.

Wandalorum in Christianos ſæuitia.

1060.

Wandali ter Christum abnegarunt.

ALBERTI KRANTZII
METROPOLIS, LIB. V.

Cap. I.

NON alienum eſt profeſſioni noſtræ, quādo res eccleſiaſticas ſcribimus prouinciarum Germaniæ Borealis, intexere catalogum ſummorum pontificum, annotationibus breuiſſimis, cum deſignatione rerum clariſſimarum, quæ ſub cuiuſque pontificatu agebantur. Igitur quoniam ad Nicolaum primum ſeriem deduximus, inde proſequamur cæteros, exequentes ad noſtra vſque tempora, hoc eſt ad initium Henrici quarti regnantis: cuius Imperium multum diuq; colluctatum eſt aduerſus Romanos pontifices: quod in Saxonia noſtra oſtendimus.

HADRIANVS II. natione Romanus, quòd pontificatu dignus fuerit, vel inde clariſſimę conſtat, quòd inuitus ad cathedram traheretur, laudante Ludoui- 110

co secundo concors votum, qui & illius refragantiam libenter approbauit. Sub hoc damnatus est Photinus hæreticus in Constantinopolitano concilio. Optimus pontifex, nihil prætermittens quod erat ministerii sui, anno quinto, mense nono pontificatus defecit.

Photinus damnatur.

111 IOANNES VIII. patria Romanus, Græcè & Latinè doctissimus, Carolũ III. cognomento Grossum corona donauit imperii. Tumultum & carcerem à suis passus, euasit in Gallias: ibi rem ecclesiasticam composuit, concilio Trecensi. Deniq; ad vrbem rogatus rediit. In Sarracenos duxit, expellens eos Italia & Sicilia. Multa è Græco transtulit. Peruenit ad annum pontificatus decimum, & obiit.

112 MARTINVS II. quem alii Marinum vocant, natione Gallus, malis artibus fertur ad pontificatum peruenisse. Ioanni prædecessori suo insidiatus, dicitur eius carcerem procurasse. Et tamen pontificatum male quæsitum, bene administrare non potuit. Sed in hoc feliciter prouenit ecclesiæ, quòd non diu fruitus est honore pontificio. Nam anno secundo, mense quinto defecit.

Malis artibus papatum nactus.

113 HADRIANVS III. patria Romanus, tanti fuit animi, vt adepto pontificatu decretum faceret, quòd in assumptione Romani pontificis Imperatorum assensus non expectaretur: quod Nicolaus potius molitus est, quàm inchoabat. Ferebant tempora, Romanorum improbitas, vt Imperatores adessent: nunc quum virtus in Imperio elanguit, ausi sunt pontifices eos contemnere. Anno secundo pontificatus, spem multorum fecit inanem, deficiens.

Quantum animi, tantum iuris.

114 STEPHANVS V. patria Romanus, pontificatum iniit eo tempore, quo Galliæ Normannis, Italia Sarracenis colluctantur: tenuitq; labore plurimo. Nam & Italia inquieta fuit, & Romani non satis parebant. Fecit tamẽ bonus pontifex quod potuit, vt ecclesia Dei bene proficeret, & iurib. eius nihil decederet. Compleuitq; in pontificatu annos sex, & transiuit ad meliora.

115 FORMOSVS, hic Portuensis episcopus, Ioannis VIII. seueritatem veritus, vrbem dimisit, quòd conscius crederetur vinculorum Ioãnis. Nomen assumptum in põtificatu, insinuat hominem insolentem. Episcopatum & vrbem abiurauit: sed Martinus eum absoluit, & restituit. Papa creatus, Arnulphum fecit Imperatorem, accitum in vrbem: perduxitq; pontificatum in annum quintum, & mortuus est.

116 BONIFACIVS VI. patria Tuscus, creatur pontifex: sed quòd paucis diebus præerat, nihil magnum efficere potuit: nec declarauit quã sequeretur tum factionem, quæ fuit inter cardinales, & perinde creatos pontifices. Tantùm enim XV. (vt alii, XXV.) diebus in pontificatu dicitur vixisse.

Cardinalium regnum in se diuisum.

117 STEPHANVS VI. patria Romanus, adeo fuit infestus Formoso, vt exhumatum, pontificalibus iuberet nudari, digitos præscindi, & in Tyberim mergi, quibus contra iusiurandum sit abusus: sepulturæ tradi laicali. Fuit hæc dissensio perniciosо exemplo inter summos pontifices, vicarios Christi, quàm dissimillimos sanctitati patrum, qui ad martyrium ex hoc gradu transierunt. Anno secundo, mense tertio defecit.

Papa in papã plusquam Scytha.

118 ROMANVS, & vocabulo & origine, suffectus Stephano, statim improbat acta prædecessoris, vltrà etiam fortè processurus, si vita illi longior fuisset, ad declarandam sectam siue factionẽ suam, qua tum turpissimè pontifices laborabãt. Nam mense tertio ab inito pontificatu moriens, illum reliquit.

119 THEODORVS, & ipse Romanus, nihilo melior prædecessoribus suis. Formoso & ipse subscripsit, contrariæ factioni, quantum potuit, renisus. Sed nõ potuit intra paucos dies multa: nam vicesimoseptimo die initum pontificatum moriens dimisit.

120 IOANNES IX. & ipse Romanus, Formoso inhæsit. Et quoniam Romano populo visum est graue ita tumultuari pontifices, vt pene commotio grauis excitaretur, nisi Ioannes cedens, Rauennam peteret: ibi in pontificum cõcilio acta Formosi iustificat, Stephani condemnat. Sed ne vltrà procederet, vita breuis effecit. Nam anno secundo vix ingresso moritur, & successori fecit locum.

Neque tamen papa errat.

121 BENEDICTVS IIII. & ipse Romanus, modestia & suauitate præstitit prædecessoribus. Nam factioni illorum se non immiscuit, sed vt potuit, ministerii sui munus

munus diligenter impleuit. Exinde probatior, quòd illum tot praua non fecerint
exempla deteriorem. Anno tertio, pontificatum moriens reliquit.

LEO V. (cuius patria nusquam exponitur) fuit Benedicto in pontificatu sur- 122
rogatus: vir optimus, sed qui inuidiam suorum euadere non posset. Captus enim à
domestico suo Christophoro, ambiente pontificatum, quarto Leonis die, ita coa-
ctus est se pōtificatu abdicare: & breui deinde, cōfectus animi dolore, Leo interiit.

CHRISTOPHORVS malis artibus, pontificatu per vim deiecto Leone, o- 123
ptimè de se merito, fit pontifex: sed septimo mense, quo modo ingrediebatur, sic
deturbatur, in monasterium detrusus. Sed inde exemptus, duriori carceri est tradi
tus à successore, quòd successori quieturus non videbatur: ibiq; moriens defecit. *Amen, amen.*
Sic præmia sint male meritis.

SERGIVS eius nominis III. natione Romanus, iam tum diaconus Formoso 124
restitit: quapropter in Gallias fugere est coactus. Reuersus autem, fauore Lotha-
rii regis ad pontificatum peruenit. Christophorum monasterio exemptum durius
carcerauit. Formosum sepultum, iterum erutum, iussit decollari, atque in Tybe- *Papa in For-*
rim proiici. Sed repertus, ad sepulturam redditur, non sine miraculis. Moritur i- *mosum impi?.*
ste anno septimo.

ANASTASIVS III. patria Romanus, Sergio surrogatus, vir bon⁹: & in hoc 125
præcipuè collaudatus, quòd prædecessorum suorum factionibus se minus immis-
cuit, neque approbans, neq; reprobans acta cuiusquam, sed omni solicitudine sua
tempora curauit. Nam secundo anno sui pontificatus deficiens moritur, facitque
locum successori.

LANDO, patria Romanus, adeo fertur obscurè pontificatum gessisse, vt non- 126
nulli eum inter pontifices non numerent. Alii tamen hoc eum loco dignantur, qui
eum tradunt interposuisse authoritatem, quo minus Berengarius, tum rex Italiæ,
& Rodulphus Guidonis filius, bello inuicem decertarent. Sexto autem mense sui
pontificatus moritur.

IOANNES eius nominis X. patria Romanus, pontificatum est adeptus multis 127
aduersationibus. Rauēnas erat archiepiscopus: inde deturbatur, fit vniuersalis Ro-
manus: bene temporibus necessarius, quòd cum Alberico marchione Hetruriæ,
Sarracenis eiiciendis laboraret. A militibus autem Guidonis capitur, dum se ni- *Cuius tamen*
mis immiscet temporali gladio. Ceruicali in os proiecto necatur, anno pontifica- *ius habere fertur.*
tus decimotertio.

LEO VI. patria Romanus, componendis ciuibus, per tempora prædecessorū 128
tumultuantibus, laborem impendit. Italiam pacauit, vt potuit: hostes exteros ex-
clusit. Et omnia in melius reformans, dum maiora molitur, è vita subtrahitur, men
se pontificatus sui septimo. Mirum de menstruis pontificibus: non carent tempo- *Papatus phil-*
ra veneni suspicione. *trum.*

STEPHANVS VII. natione Romanus, pontificatum iniit, dum Vngari & I- 129
taliæ & Germaniæ graues imminerent. Ipse autem dum Italiæ prospicit, dum vrbē
Romam componit, maiora meditatus, vitæ cursu subtrahitur. nam anno pontifi-
catus sui secundo, vitam cum morte commutauit.

IOANNES XI. natione Romanus, pontificatum administrauit eo tempore, 130
quum Genuę fons sanguinis effluxit, præmonstrās vastitatē, quam erant Sarraceni *Fons sanguinis scatet.*
facturi. Vngari quoq; Italiam ingressi, latè omnia populati sunt, vt mōstris fieret fi-
des. Ioannes autem pontificatus sui anno IIII. moriens, successori locum fecit.

LEO VII. patria Romanus, eo tempore gessit pontificatū, quum Hugo & Ro- 131
dolphus ex Galliis acciti, gubernarent eam quæ dicitur Lombardia, prouinciam.
Leo autem quum suæ studeret quieti, nullis se rebus implicuit. Pontificatum egit
in annum vsque tertium: quo moriens, locum cessit se viuaciori.

STEPHANVS VIII. natione Germanus, pontifex creatur, mirum quomo- 132
do sinentibus Romanis: præsertim quum nullus ex Germania Imperator vrgeret. *Papatus Ger-*
Sed Romani virum bonum adeo contumeliis affecerant, & pudendis in frōte vul- *mano vix patet.*
neribus, vt publico abstineret: & facilè appareret, illum inuitis dominis Romanis
in sede esse Petri. Moriturq; pontificatus sui anno tertio, mense quarto.

133 MARTINVS III. patria Romanus, pontificatum adeptus, post multos respexit germanitus ad officium publicum quod gerebat. Templa instaurauit, pauperes aluit, pietatem coluit, mores reparauit: & forensibus omissis, cuius in terris vices gereret, diligenter est intuitus. Sed bonus pontifex diuturnus esse nõ potuit: nam tertio anno sui pontificatus, sexto mense defecit.

Quibus abstinere papa debeat.

134 AGAPETVS II. natione & ipse Romanus, pontificatum gerebat in diebus vltimi Berengarii. Quem quum cerneret intractabilem, & ad solam tyrannidẽ insolenter agere, vocauit Ottonem primum, Germaniæ & Romanorum regẽ. Qui dum confligeretur Berengario, Agapetus in annum vsq; nonum cum summa laude pontificatum gessit, in pace concludens.

135 IOANNES XII. Alberici potentis Romani filius, papatum occupat. In eo seculariter viuit, venationibus & libidini seruiens. Romani iam formam veteris reipublicæ renouasse videbantur. Erant consules, & decarchones. Sed Ioannes vbi nihil modestius agit, duo cardinales literis accersunt Ottonem: malè mulctantur ab Ioanne, vbi innotuit. Venientem Ottonem non expectauit: sed abiens in auia, occiditur in adulterio, anno nono.

Cardinales papam abdicandum curant.

136 LEO VIII. ciuis Romanus, & Lateranensis protoscriniarius, deposito à patribus Ioanne, creatur pontifex in locum eius. Sed non sunt passi Romani, qui abeunte Imperatore Benedictum surrogarunt. Reuersus Imperator, adegit Romanos Leonem reponere, Benedictum dedere. Itaq; peregit in pontificatu Leo annum vnum, menses quinque. Eius literæ antiquitatis indices, sunt in nostra Saxonia.

137 BENEDICTVS V. natione Romanus, declinante cum exercitu Imperatore, deturbato Leone, ab amicis Ioannis pontifex creatur. Non est passus Otto legitimi põtificis Leonis iniuriam. Exercitu vrbi admoto, adegit Romanos ciues multis incommodis, Benedictum dedere, Leonem restituere. Benedictum cum Adaldago cancellario suo, archiepiscopo Hamburgensi, misit exulatum in Hamburgũ. Ibique dolore animi moriens, sepelitur.

138 IOANNES XIII. patria Romanus, Narniensis episcopus, pontifex creatur: Sed Romanorum suorum inuidiam superare non potuit. Iofredus Campanię princeps, Romam accersitus, eum capit: includit arci Sancti angeli, abducit in suã prouinciam. Occiditur Iofredus, papa restituitur. Otto vbi audiuit, parabat vindictã. Ioannes autem sexto pontificatus sui anno pene expleto, dormiuit in pace.

139 BENEDICTVS VI. patria Romanus, vbi insolescentium ciuium voluntatibus refragatur, capitur à Cincio potẽti Romano, & in arcem Hadriani recluditur: néve ex Germania euocaret Imperatorem, ibidẽ strangulatur, vel (vt alii scribunt) fame moritur. Ita virtus emicuit pestilentium Romanorum, hominum qui à vera nobilitate nimium degenerauerant. Anno secundo sui pontificatus moritur.

Cincius papæ inimicissimus.

140 DONVS, patria Romanus, vir per omnia modestus, qui ciuium voluntatibus non adeo refragatus, pacem temporũ habuit. Ecclesiastica administrauit mediocriter, neq; laudem magnam, neq; reprehensionem meritus. Quietè transiuit tempora sua, ad annum pontificatus sui non expletum, moritur.

141 BONIFACIVS VII. cuius ignoratur patria, malis artibus adeptus pontificatum, cùm non modestiùs ageret in eo, quàm conscendisset, exturbatur. Preciosa quæq; abduxit, & pecunia suffarctus rediit: corrupit quos viderat sibi profuturos. Ioannem diaconum sibi obsistentem exoculauit: mense septimo bestia periit.

Vulpes, leo, canis.

142 BENEDICTVS VII. patria Romanus, pontifex creatur. Rhemis celebrata Synodo, Gilbertum damnari curauit, hæresimq; extinxit. Ottonis iam senescentis annuens votis, Ottonem filium cum Theophania coniuge Imperatorem consecrauit, & coronauit, peruenitq; ad octauum sui pontificatus annum.

143 IOANNES XIIII. pontifex creatur ex Romanis: sed breui captus, in Hadriani molem clauditur. Sua id culpa acciderit, an Romanorum insolentia, non satis aperiunt scriptores. Potuit vtrunque esse in causa. Verùm ibi inedia moritur, mense octauo initi pontificatus.

144 IOANNES XV. patria & ipse Romanus, hoc habet testimonium, quòd amore cognationis suæ oblitus sit religionis: nam nepotibus, consobrinis & proximis omnia,

omnia, religioni & merito nihil deferebat. Vnde visus odisse clerum, ab eo non amabatur. Nostrorum temporum mala. Octauo mense defecit.

Suos plusquã Christum amauit.

145 IOANNES XVI. & ipse Romanus, vir põtificatu dignus, restitit Romanis insolescentibus. Crescentius autem Romanus quũ omnia in se traheret, coegit pontificem cedere in Hetruriam. Verùm timens quòd Ottonem tertium accerseret, misit amicos oratum vt rediret: venientemq; veneratur. Perduxit autem pontificatum ad annum vsq; decimum.

146 GREGORIVS V. German᷒ origine, Saxo regione, de sanguine Ottonis tertii, in gratiam eius pontifex creatur. Sed Crescentius non destitit augere potentiam: cessit pontifex in Hetruriam, inde in Germaniam. Interim Crescentius muniuit arcem Hadriani, visus Germanorum viribus resistere. Venit cum exercitu Imperator: Crescentium & Antipapam capit, & occidit. Gregorium reponit. Sed nõ diu supererant, curantibus magistris Romanis: Nam & Otto III. veneno tum periit, anno secundo Gregorius cessit.

147 IOANNES XVII. is est natione Græcus: quem in locum cedentis Gregorii Crescentius intrusit, doctum quidem senem, & diuitem hominem, Placentinum episcopum: sed ambitione cæcum, qui se pateretur in locum legitimi pontificis intrudi. Vnde male periit cum suo Crescentio, decimo mense sui pontificatus.

148 SYLVESTER II. natione Gallicus, malis (vt ferunt) diaboli artibus conscendit vt esset primùm Rhemensis, deinde Rauennas archiepiscopus, demum papa. A diabolo animatus, tam se diu victurum, quoad Hierusalem contingeret, non cogitauit de capella in Lateranensi. Ibi celebrans infirmatur ad mortem: moriturus, signa magna dat pœnitentiæ: iubet se dimembrari, & proiici canibus. Spem aiunt factam salutis: alii fabulam contemnunt, quod & ego. Ad annum secundum peruenit.

Papa à diabolo sophista circumuentus.

149 IOANNES XVIII. cuius ignoratur patria: quia parum præfuit, parum de illo scribitur: nam viuendo vix attigit mensem quintum. Quo tamen omni tempore visa sunt prodigia multa, temporum mutationem præsagientia: cometes, & terræmotus varii.

150 IOANNES XIX. & ipse Romanus, quum pontificatum iniisset, vsus modestia, paucis se rebus implicuit, memor quibus se priores pontifices difficultatibus implicuissent. Si ad pietatem omnia conuertit, bene habet: si non, suis commodis & quieti temporum, ad solam voluptatem indulsit. Anno quarto moritur.

151 SERGIVS, eius nominis IIII. & ipse Romanus, pontificatum adiit, dum Saraceni in Sicilia dominarentur, & in Italia pedem infigerent. Sed Sergius omni quo potuit conatu, nobilitatem Italiæ monuit ac stimulauit, vt gentem eiicerent: & perfecit, vt Normanni ibi potissimùm laborarent. Anno secundo pontificatus defecit.

152 BENEDICTVS VIII. patria Tusculanus, papatum iniit, & Henricum Bauarum per electionem primum assumptum, corona donauit: quo mortuo, ab æmulis pellitur, & alius surrogatur. Tamen postea cum æmulis compositus restituitur. Ad annum vndeuigesimum peruenit. Hunc scribit Petrus Damianus, visum episcopo sedentem in atro iumento, & eleemosynas pro se dari mandantem. Episcopus, omnibus omissis, religionem ingreditur.

Horrendum de papa mortuo visum.

153 IOANNES XX. & ipse Romanus, creatur pontifex, quum Conradus secũdus imperaret: quem etiam corona donauit. Sed ab æmulis vexatus, illius patrocinio permansit in pontificatu, & perdurauit in annum vsq; vndecimum. Nam Conradus interminatus est Romanis, si se aduersus pontificem commouissent.

154 BENEDICTVS, eius nominis IX. patria Tusculanus, papa creatur: quẽ Romani præ ignauia contempsere: deturbatoq; eo, Ioannem Sabinum episcopum, Syluestrum III. vocantes, sufficiunt. Sed & ille displicuit, ac eiicitur, Benedicto reuocato. Sed quum videret eius rei discrimina sæpius subiturum se, Ioanni archidiacono sancti Ioannis ad portam Latinam (quem appellabant Gregorium VI.) papatum tradidit, si non vendidit. Harum rerum pertæsi Romani, deferunt Imperatori arbitrium de pontificatu. Annos decem durauit sub Benedicto ista variatio.

Euripus Romani pontificatus.

155 SYLVESTER, eius nominis III. in locum deturbati Benedicti, non legitimè, sed per tumultum creatus, quum esset antè Sabinensis episcopus: reposito Benedicto, & ipse deturbatur, non legitimè accepto pontificatu. Nam die quadragesimo nono ab assumpta, imò occupata dignitate, detruditur.

156 GREGORIVS VI. archidiaconus, siue (vt alii scribunt) archicanonicus, vir primarius, à Benedicto propinquo suo papatum nō legitimè accepit. Ideo cunctis de papatu & tribus competitoribus malè sentientibus, Henricus tertius Imperator interpellatur. Benedictus non suffecit, Syluester non eligitur, Gregorius male comparauit: omnes destituuntur.

157 CLEMENS II. natione Germanus, antea Sindigerus, Bambergensis episcopus, cum Henrico Imperatore inter multos Romam petens, papa creatur: pręfuitque papatui in annum secundum. Ab eo Henricus titulis Imperatoris & Augusti decoratur. Veneno petitum aiunt periisse, arte magistra Italicorum. Quomodo enim ferrent Germanum papam, qui Romanum non ferebant?

158 DAMASVS II. natione Bauarus, surrogatur, antea Fridericus dictus, praecessoris sui cancellarius. Alii Stephanum dicunt vocitatum, qui etiam dominum suum, ambitione accensus, veneno petierit. Sed credo infamiam à magistris impositam innoxio, quo à se deriuarent. Nam & is breui tempore mansit in pontificatu, mense vno.

Veneficia vbi crebra.

159 LEO IX. natione Alemannus, Tullensis episcopus, quum arbitrium de papatu Romani ad Imperatorem Henricum tertium coniecissent: nam potens quisque per ambitionem contenderat ad eam dignitatē. Inuidia ergo magis alterna, quàm honore regio moti, deferebant Imperatori. Is circumspiciens, quum non esset in episcopis Germaniae qui veneficis praefici vellet, homo simplex Bruno, Tullensis episcopus, mittitur, & pontifex consecratur. Peruenit ad annum quintum.

Germani non emunt tanti poenitere.

160 VICTOR II. antè Gebehardus dictus, natione Alemanus, episcopus Eistatensis (antea dicebatur Aureata) pontifex creatur ex sententia Henrici Imperatoris tertii: quum in eam rem Hildebrandus Romanus subdiaconus missus esset. Ille Synodum Florentiae celebrauit: & in pontificatu non exegit annum secundum.

161 STEPHANVS IX. natione Lotharingus, Fridericus antè vocatus, curauit labem Simoniae detergere, ecclesiam Mediolanensem superbiētem sub Romanam reuocare. Concilium indixit Florentiae: sed priusquam conueniret ibidem, octauo mense defunctus, sepelitur.

162 BENEDICTVS X. natione Campanus, Feltrensis episcopus, Mintius antè vocatus: quum Romani tumultuarentur, pontificem ex sua gente poscentes, pontifex acclamatur, & clamore populari pro pontifice habetur. Cessere cardinales, cumque his Hillebrandus subdiaconus, cuius magna erat authoritas: & mensibus nouem permansit in praesumpta dignitate.

163 NICOLAVS II. natione Allobrox, episcopus Florentinus, Gerhardus antè vocatus, Senis (quum Romae non liceret per tumultum) pontifex creatur. Fecit constitutionem de pontifice deligendo, quae est in corpore Decretorum. Benedictum se cogit abdicare pontificatu: peruenit ad annum tertium.

164 ALEXANDER II. natione Mediolanensis, episcopus Lucensis, Anselmus antè vocatus, creatur pontifex. Cisalpini cum Henrico iuniore ius antiquum repetente, primum Cadolum Parmensem episcopum, fecere Romanum, & vsque Romam perduxere: sed quum multo labore Alexāder ius ecclesiae tueretur, obtinuit. Quam rem plenius in Saxonia inter res Imperatorias egimus. Alexāder ad annum vndecimum peruenit pontificatus.

165 GREGORIVS VII. Hildebrandus antè vocatus, natione Hetruscus, quum multa pro Romanis pontificibus egisset, acclamante clero & populo Hildebrandum à beato Petro electum successorem, magnis votis & concordibus eum designauere patres. Multus illi labor erat cum Henrico IIII. multiplex colluctatio: sed superauit veritas & iustitia: obtinuitq; pōtifex, vt ad annum decimum tertium perueniret. Hîc sistemus calamum, redeuntes ad pontifices nostros.

CAP. 2. QVVM Henricus IIII. in Imperio esset primis annis pueritiae abusus, didicit quod

quod dediſcere non potuit, frena laxans libidini: quum per Imperium duo archiepiſcopi conſulatum tenerent ordinarium. Sed iam (vt diximus) deturbato Adalberto Bremenſi & Hamburgenſi archiepiſcopo, plus Anno Colonienſis archiepiſcopus rem adminiſtrabat, vir optimus, ex nobilitate Sueuiæ prima natus, cum fratre Weſſilo, quem alii vocant Wernerum. Hunc curauit, moriente Engelhardo, eccleſiæ metropolitanæ Magdeburgenſi præficere archiepiſcopum. Reſtitere fratres, qui iure ſuo electionem intentabant: prætendentes præpoſitum ſuum Fridericum, virum bonum, doctum, nobilem. Sed præualuit Annonis ſententia: ceſſere fratres, vt fuit neceſſe, viro potentiſſimo. Fridericus tamē præpoſitus (vt dicemus) ordinante eodem Annone, factus eſt epiſcopus Monaſterienſis. Genus amborum fratrum Annonis & Weſſili, ex comitibus de Sonnenberg. Reſponderat virtus nobilitati: & vterq; in ſua eccleſia digniſſimè rem adminiſtrauit: niſi quod Anno iam maiori fultus authoritate, etiam Romanum regebat ſub puero rege imperiū. Weſſilus autem (ſiue Wernerum dicere mauis: vtrunq; enim nomen legitur in Annalibus) annis quatuordecim cum ſumma laude præfuit eccleſiæ ſuæ. Vidit tamē turbationem in prouincialibus ſuis Wandalis, qui pro magna parte reciderunt in paganiſmum, cæſo Godſcalco viro Chriſtianiſſimo. Sed voluentibus ſeculis, quum rediret tempus miſerendi eorum, & ipſi reuerſi ſunt ad Chriſti religionem.

Imperium à ſacerdotibus adminiſtratur.

Cap. 3.

Halberstadensi deinde eccleſiæ poſt Burchardum præficitur alius Burchardus, cognomento Buko, qui annis viginti octo præfuit eccleſię cum ſumma laude. His temporibus intantum efferbuit perſecutio Wandalorum, vt vicini Chriſtiani male ab illis haberentur. Non erant contenti fidem reieciſſe, niſi etiam in priſtinos dominos ſuos vindicaſſent Saxones. Nihil Ordulfus dux, nihil Magnus filius eius, potuere in gentem efferueſcentem. Pugnauere aliquoties in eam: ſed cladem, non victoriam, reportauere. Crito erat dux in gente rebellionis princeps, ſanguinarius: qui Godſcalci alterum filium dolo perdidit, ab altero & ipſe in ſenectute, poſt multa tempora, interemptus: quod in Wandalia diximus. Vſqueadeo ſæuiit Crito in Sturmarios & Holſatos, vt quum ſe in eum armis tueri non poſſent, Holſati populariter egreſſi, ſedes nouas quæſierunt. Sexcentas ferunt domos emigraſſe, & in Harticis montibus (veteres dixere Hercyniam ſyluam) ſedes ſibi conſtituere. Sic præferunt Annales, quibus fidem abrogare non debemus. Cauſa erat Wandalorum intolerabilis ſæuitia, qui de vita & ſanguine certauerunt. Acceſſit Imperatoris pueritia, in qua nullum erat afflictis præſidium: præſertim Alberto archiepiſcopo eiecto (vt diximus) conſpiratione facta in ipſum à cæteris principibus. Ruſticam ego plebem facilius trāſlatam crediderim, quàm militares domos. Nam opes deſerere, & in deſerta loca proficiſci, facilius agri cultores, quàm terræ poſſeſſores, ſolent.

Crito Wandalorū dux, magnus cladibus Chriſtianos afficit.

Cap. 4.

Hildesemensi eccleſiæ tum præerat Echilo, vir præcipuus, in diuina feruens religione: qui collegium ſanctæ Crucis intra vrbem fundauit, & foris in monte, collegium ſancti Mauricii: vbi fertur poſt decimumſeptimum annum tumulatus. Godehardi quoq; temporibus monaſterium erat in eodem monte: nam ibi legitur infirmatus decubuiſſe, & occubuiſſe, ſub manibus nepotis ſui ex ſorore, qui erat tum loci abbas. Memoria huius pontificis eſt in grandi illa corona, quæ viſitur in eccleſia Hildeſemenſi. Eodem tempore, hoc eſt MLXVII. Albertus zelo (vt aiunt) Colonienſis à curia proturbatus, Bremæ ſedit priuatus, ſolitarius & quietus. Quum nihil reſiduum haberet, fertur de rapinis pauperum vir tantus victitaſſe, ex bonis ſanctarum congregationum. Toto autem ſeptennio, quo ſuperuixit archiepiſcopus, ex illo famoſo & opulento Bremenſis eccleſiæ hoſpitali nulla prorſus data eſt eleemoſyna. Quod ex eo inhumanum & miſerabile videbatur: quoniam & tempus famis incubuit, & multi vbique pauperes inuenti ſunt in plateis mortui. Poſt triennium autem expulſionis ſuę, voti compos effectus, in priſtinum gradum curiæ reſtitutus eſt: moxque ſuccedentibus proſperis, ſummam rerum (quæ eſt vicedominatus) iam ſepties conſul promeruit. Deliberans verò iam tunc, cautè eſſe ambulandum erga principes, vt non eos (vt prius) offenderet, Colonienſi primùm pontifici reconciliari voluit, deinde cæteris, in quos ipſe, vel qui in ipſum peccaſ-

1067.

Colonienſis cæteris ſacerdotibus grauis.

Archiepiscopꝰ malis edoctus, sapit.

se videbantur: Deinde remotis ecclesiæ suæ impedimentis (pro cuius exaltatione, tam in ambitu curiæ, quàm in profusione pecuniæ videbatur improbior) non fuit ociosus. Quo tempore Plisnam, Dusburg, Groningen & Suiticum acquisiuit. Wildeshusen præposituram Bremæ vicinam, propè in manibus habuit, & Rosenuelde Hamburg proximam. Disposuit verò archiepiscopatui suo duodecim subiicere episcopatus, quos ex sua diuideret parochia, præter eos suffraganeos, quos in Dania cæterisque gentibus Hamburgensis teneret ecclesia: ita vt primus esset in Palmis, secundus in Helginstad, tertius in Raceburg, quartus in Oldenburg, quintus in Mekelnburg, sextus in Stade, septimus in Lismona, octauus in Wildeshusen, nonus in Bremis, decimus in Verda, vndecimus in Ramsola, duodecimus in Frisia. Nam Verdensem episcopatum se facilè posse adipisci, non semel est gloriatus. Postremò autem in Hamburg iam apertè laborauit patriarchatum efficere: sed euanuit spes eius. Vt autem huius pontificis magnum animum intueamur, paulo abeamus retrorsum.

Patriarchalis dignitatis vanum studium.

Cap. 5.

Albertus præsidium hostib. opponere cogitat.

ANNO pontificatus sui octauo ac decimo, totius parochię diligentissimam adhibens prouisionem, metropolim Hamburgum in principio lætitiæ suæ collocauit, fœcundissimam matrem gentium illam appellans, omniq; deuotionis officio venerandam protestatus: tanto ei maiorem deberi consolationem, quanto maiori ac crebriori plaga, maioribus insidiis, ac diuturna paganorum incursione cribraretur. Ergo accepta pace temporum, dum sæpe meditatus est Hamburgensem munire simul & ornare toparchiam, quoddam vtile excogitauit cõtra barbaricos incursus opus, in quo & populus & ecclesia Transalbianorum perenne haberet præsidium. Igitur quum prouincia Sturmariorum, in qua Hamburgũ situatur, tota in planitiem campi descendat: ex parte qua Wandalos attingit, neq; mons neque fluuius intercipit, vnde sit incolis pręsidium, absq; syluis passim occurrentibus, quarũ latebris protecti, incertis aliquando incursibus repentini superueniunt, nostrosq; securos & nihil mali suspicantes vel perimunt, vel (quod morte est grauius) captiuos abducunt: solus in ea regione mons prominet iuxta Albim fluuium, longo in occasum dorso protensus (quem incolæ Sullenberg vocant) inter villas Nigenstede & Blankeneso. Quem pontifex opportunum arbitratus, vt in eo firmaretur castellum, quod genti foret præsidio: statim syluam, quæ montis verticẽ obtigit, excidi, mundariq; locum præcipit: ita ꝙ multis impensis, multoq; hominum sudore voti compos effectus, montem asperum fecit habitabilem. Vbi præposituram constituens, congregationem decreuit facere Deo seruientium: ibiq; locauit caput sancti Secundi, Thebæorum ducis: cuius patrocinia Metropolitanus in Italia largiente quondã Taurinensi episcopo, suscepit. Sed hæc institutio frustrata est: quia conuersus est locus in speluncam latronũ. Ex illo enim quasi præsidio quidã ex nostris, populares, quibus tuendis fuerunt collocati, deprædari ac persequi cœperunt. Ideoq; postea locus ille concursu & tumultu comprouincialiũ est destructus: populus verò Nordalbingorum exinde per archiepiscopum excõmunicatus. Compertum est, in gratiam ducis esse factam demolitionem, qui de suo more felicib. ecclesiæ actis inuidebat. Nam idem dux eodẽ tempore relicto veteri castello Hammaburg, nouum quoddam præsidium sibi suisq; fundauit, atq; firmauit iuxta Albim fluuium, & lacum qui Alstria vocatur. Ita nunc vt cordibus, ita & mansionibus disparatis, dux nouum, archiepiscopus coluit vetus oppidum. Diligebat sanè pontifex eum locum, sicut omnes prędecessores sui, eo quòd metropolis sedes omnium septentrionalium fuerit nationum, & caput totius, quàm lata est, parochia. Ideoq; durante pace trans Albim, omnes fere solennitates Paschæ ac Pentecostes, itemq; Dei matris, ibi celebrauit, collecto ex singulis congregationibus maximo cleri numero, præcipuè iis, qui vocalitate sua mulcere poterant populos. Et tunc plenario gaudens ministrorum ordine, omnia diuinę seruitutis officia cum magna iussit reuerentia compleri. Cui nimirum gloriæ tantum hic pontifex indulsit, vt non iam Latino more ecclesiastica vellet obire ministeria: sed nescio qua Græcorum consuetudine per tres missas, quibus adstitit, vbicunque esset, duodecim modulari præcepit officia: omnia magna quærens, omnia mirabilia, omnia gloriosa diuinis &

Locus præsidio destinatꝰ, latronibus receptum præbet

Archiepiscopꝰ cothurnum quendam in diuino cultu magnificum adhibet.

& humanis in rebus. Et ideo dicitur fumo delectatus aromatum, & fulguratione luminum, & tonitruis altè boantium vocum: quæ omnia traxit à lectione veteris Testamenti, vbi maiestas Domini scribitur apparuisse in monte Sinai. Et alia multa facere solebat rara modernis, præsertim ignorantibus scripturas, quum tamen sine scripturarum authoritate ille nihil faceret. Iam tunc scilicet meditatus, ecclesiam suam diuitiis & honore cæteris anteferre, si Papam & Imperatorē suæ voluntatis morigeros inueniret. Eos igitur sibi omnibus modis complacare laborabat.

CAP. 6.

Goslaria ornātior redditur.

GOSLARIAM Saxoniæ vrbem, tertius Henricus fertur amplificasse: quam primus eius nominis, magnipater Ottonis, vrbium amator, in formam ciuitatis erexit: pater huius Henrici tertii prouexit: sed iste tertius Henricus, ingentibus vsus regni opibus, magnum in modum illustrauit. In qua cōstruens sibi palatium, duas omnipotenti Deo congregationes instituit: vnam ex his donans regendam tenendamq; nostro pontifici, eo quòd illi indiuiduus comes & cooperator assisteret ad omnia. Sed quum postea, rege puero, zelo (vt ferunt) archiepiscopi Coloniensis eiectus è curia (quod diximus) delituisset in summa patientia, sæpe cum fletu asseruit, omnes prædecessores suos in persecutione ducum, & malitia parochianorū, velut in igne recoctos. Non diffidit, se quoq; pro veritate ab eisdem pio martyrio coronandum. Sed inopia sedentis tunc in ocio episcopi, multa suorum scelera dissimulare coëgit, vt pene de rapinis viueret, quādo nihil illi reliquum fecit aut propria largitio, aut ducum vastatio. Interea tertio expulsionis suæ anno voti compos effectus, in pristinum gradum curię, sub puero rege Henrico quarto, est restitutus: moxq; succedentibus sibi prosperis, summam rerum (qui est vicedominatus) iam septies consul promeruit: nactus dignitatem, in qua animi magnitudinem posset ostendere. Iam tunc cautè esse ambulandum apud principes secum constituit, admonitus periculo pristino. Quapropter Coloniensi archiepiscopo primùm reconciliari, deinde cęteris, in quos ipse, vel potius qui in illū peccasse videbantur. Deinde remotis ecclesiæ suæ impedimentis (pro cuius exaltatione, tam in ambitu curiæ, quàm in profusione pecuniæ videri poterat improbior) non fuit ociosus. Accessit ad gloriam præsulis, quòd in anno sui consulatus famatum illud colloquium (diætam nostri vocant) Cæsaris Henrici quarti cum rege Danorum, celebratū est. Zueno is erat, ad contumeliam vsque perueniens in Luneborg (arcem dico: nam oppidum necdum erat ea tempestate) vbi sub obtentu fœderis, contra Saxones Imperatori sunt arma promissa. Eodem anno restincta est illa conspiratio prima in regem facta, in qua dux Otto Bauaria pulsus, Saxo genere, & Magnus dux Saxoniæ, diu conflictati, deuastata per vniuersum annum Saxonia, tandem consilio archiepiscopi, vt in potestatem se regis cōstituerent: quum repeteret Otto Ottonum prouinciam, Magnus defenderet quod à patribus accepisset. Rex ducatum Bauariæ, qui fuit Ottonis (descendit enim ex Henrico fratre magni Ottonis) dedit Welpo duci, qui auus erat Henrici Leonis: & archiepiscopus noster bona ecclesiæ recepit, quæ antea Magnus occupasset. Sed ad finem vitæ vergens Albertus, talibus implicatus melancholiæ cogitatibus, quòd ecclesiæ cætera bona recuperare non posset, vt pene mente alienatus conspiceretur: fecitq; ea quæ in aliis sæpe culpauerat, detrahere hospitalibus, dare adulantibus, suos pugno cædere, & multa præterea, quæ germanus eius, Palatinus comes Fridericus, de longinquo adueniens, in eo redarguerat: sed frustra. Laborabat quadā ex parte infamia (sed immeritus) q̄ magicis inseruiret: quum reuera velut dæmones execraretur magicos. Multa tamen signa dabat propinquæ mortis. Hoc phytonissa nunciauit, hoc medici prędicabāt: sed ille auscultabat assentatoribus, qui promisere vitam illi diuturnam, donec poneret inimicos suos scabellum pedum suorum. Sed ea spes vana fuit.

Archiepiscop⁹ exul ad summam inopiā redactus.

Hæc iam extant cap. 4.

Archiepiscop⁹ inclinante ætate multa facit improbanda.

CAP. 7.

De Saxoniæ ducatu contentio acerrima.

MAGDEBURGENSI ecclesiæ post Engelhardū præficitur Wernerus, quē alii scribunt Wessilum, siue Wessilonem: germanus hic erat frater Annonis archiepiscopi Coloniensis, vt diximus. Huius autem tempora inciderunt in statum Saxoniæ luctuosum. Nam primò deturbatus à rege Bauaria dux Otto, Magnum Saxoniæ ducem, de Ottonum successione in Saxonia, fatigabat, ferens se à fratre Magni Ottonis originem ducere: & ideo Saxoniæ possessione & iure dominii non

alienum, quum è diuerso defenderet Magnus successionem. Sed rex Henricus inter eos rem diremit, adiudicans Ottoni partes Saxoniæ ad Visurgum: quæ postea petitione ducum appellata est Gottingensis. Alia quoq; calamitas incidit temporibus Wessilonis archiepiscopi. Nam Henricus rex quum in Goslaria crebrius cōmaneret, Saxonibus iugum tributorum ingrauescebat: illi non ferentes, regi se opposuere. In quibus tum pręfuere Magnus dux Saxonię, Otto dux de Visurgo, olim Bauariæ, Wessilo Magdeburgensis archiepiscopus, & Bucko Halberstadēsis. Congressuri prælio, placantur Saxones vt conquiescerent. Quum illi fiderent treugis, rex imminebat imparatis, & oppressit: multi cecidere, nonnulli capti sunt. Sed Rodulpho Sueuo captiosa res displicuit: effecitq; vt laxarentur captiui. Iterum congrediuntur, & superant Saxones. Tertiò quoq; vincunt prælio. tum subuerterunt arcem Hatesburg, quam libertati Saxonum videbatur rex imposuisse. Breuius ista percurro temporum annotatione, quòd plenius in Saxonia nostra sint explicata. Rex tamen non quieuit aduersus Saxones, sæpe victus, reparat vires. Nouissimo autem prælio rex factus superior, adeo tamen sensit vires imminutas, vt Saxones denuo non adoriretur. Sed vno horum prælio concidit Wessilo archiepiscopus Magdeburgensis, ordine octauus, postquam annis quatuordecim præfuisset ecclesiæ. Impletum est verbum Christi, *Qui gladio pugnat, gladio peribit.*

Saxones perfidia decepti, postea prælio vincunt.

CAP. 8. MIMIGARDEVORDENSI deinde ecclesiæ (quæ circa hæc tempora nomen mutauit, vt Monasteriensis vocaretur) præficitur Fridericus, vir nobilis, frater marchionis Misnensis, præpositus fratrum in ecclesia Magdeburgensi. Quem fratres legitima electione sufficere nitebantur Engelhardo, & præficere ecclesiæ Magdeburgensis archiepiscopatui. Sed præualuit ius regium, & voluntas Henrici quarti, per authoritatē Annonis Coloniensis archiepiscopi: cuius germanus Wessilo pręferebatur Friderico, nobilis nobili, nescio an bonus meliori. Hoc scio, si ius valuisset liberæ electionis, Fridericus Wessiloni erat anteferendus. Sed Fridericus ibi præteritus, regia ordinatione ad ecclesiam peruenit Monasteriensem: quā laudabiliter gubernauit, amplissimè dotauit. Locuples enim fuit, & ecclesiam sancti Mauricii extra muros vrbis exædificauit, fratribus impleuit, stipendia procurauit: & perpetuum sui nominis monumētum ibi reliquit, sepultus in eadem, postquam multis multa cum laude illi præfuisset annis. Nō sensit ille tumultum Saxoniæ, sub Henrico quarto se miserabiliter lacerantis: quum primum mutuas in se vires vertissent: deinde cum Henrico rege congressi, alternas vires attenuassent. Exclusi Visurgo pontifices, alienos se fecerant à cæteris Saxonibus: nomen etiam suum ab aliis deflectentes, vt Westphali quàm Saxones dici mallent. Inualuitq; adeo illa consuetudo, vt quum Transwiserani ament appellari Westphali, ad differentiam Ostphalorum, qui Wiseram transissent, nunc summam ducant iniuriam, si quis illos Saxones vocitet: quum nihil sit erubescendum in hoc nomine: imò etiam multa insunt, de quibus cum gloria iactitarent, si saperent. Videlicet modestiores & mansuetiores, moribusq; tractabiliores sunt Westphali, & haberi volunt, cæteris: ad seruiendum, dum egent, infatigabiles: ad imperandum, dum surgunt, intolerabiles. Hoc illis testimonium debet Saxonia, pro contemptu sui nominis.

In pontificis electione gratia contra ius valet.

Saxonia in suum exitium ruit.

Saxonum nomen multis rubori.

CAP. 9. INTEREA Albertus, archiepiscopus Hamburgensis, in summa rerum gloria positus, licet crebra corporis molestia pulsaretur, negociis tamen publicis deesse noluit, à Rheno ad Danubium, indeq; cum rege portatus in lectica. Aiūt quidam, regia sponsione expromissum esse, vt proxima solennitate paschali conuentum apud Traiectum Rheni principibus indiceret: ibiq; confirmarentur omnia, quæ de Lauressa & Corbeia, & cæteris desiderauit anima eius. Alii autem aiunt, archiepiscopum callidis à rege dilationibus protractum esse, quo scilicet Lauressam dimittens, vbicunq; mallet, bis tantum in regno reciperet suæ ecclesiæ donandum. Verùm ille pertinax inhæsit, dum nil aliud velle respondit. Tandem frustrato nisu decidens, vnà & vitam & Lauressam cum cæteris ecclesiæ bonis perdidit. Siquidem mores viri licet semper à communi mortalium habitudine dissentirent, circa terminum verò inhumani intolerabilesq;, & alieni à semetipso videbantur: maximè à die depulsionis suæ, siue deuastationis parochiæ. Post illam, inquam, diem, pudore

Aut nihil aut Cæsar.

pudore doloreq; maiori quàm ſapiẽtem virum decuit, permotus, quia recuperandi bona eccleſiæ conſilium non inuenit, ex nimia ſolicitudine impos mentis effectus eſt. Porro quæ per eum deinde gerebantur, alicuius errantis vel deſipientis videbantur. ſicut eſt illud, quia noctem integrã vigilando, diemq; tranſegit dormiendo: illudq;, quòd à veritate auditum auertens, ad fabulas & ſomnia eſt conuerſus. Sed & illud, quòd eleemoſynarum oblitus in pauperes, omnia quæ habere potuit, diſperſit in diuites, prçcipuè adulatores: & quòd diſperſis bonis eccleſiç, quum nil haberet reſidui, de rapinis miſerorum vixit, & legitimis ſanctarum congregationum: & quòd de præpoſitura villicationem, & de hoſpitali præpoſituram fecit. Illud etiam, quòd facilius ſolito prouocatus ad iram, aliquos manu percuſſit, vſq; ad ſanguinis effuſionem: multos etiam ignominioſis exaſperans verbis, non minus ſe quàm illos inhonorauit. Talis ille circa finem à ſe totus alteratus, & priſtina virtute peſſundatus, quid vellet aut nollet, nec ſibi nec vlli ſuorum poterat ſatis eſſe notum. Cæterùm talis erat eloquentia eius vſque in finem, vt ſi eum audires concionantem, tibi facilè perſuaderetur, omnia per illum plena ratione magnaq; authoritate fieri. Inſignis autem vir, germanus eius, comes Palatinus Fridericus, audita fama declinationis tanti viri, ad corripiendum fratrem vſque Liſmonam peruenit. Sed fruſtra commonens eum de iis, quæ honorem eius attingerent, vel ſalutem, dolens abſceſſit, Nothebaldum (qui erat vir maleficus, adulator & mendax apertiſſimus) ſuoſq; pares accuſans: qui ſuis maleficiis illuſtrem virum circumuenerint, ſuiſq; dementem reddiderint conſiliis. Pontifex autem eo tempore ad tantam peruenit infamiam, vt magicis inſeruiſſe videretur artibus. In principio autem introitus ſui vnum dixit verbum, quod vtinam non dixiſſet, Omnes ſcilicet epiſcopos, qui ante eum præſederunt, obſcuros fuiſſe atque ignobiles: ſolum ſe generis ac diuitiarum titulis excellere, quippe qui eſſet comitis Bauariæ filius: porro dignum, qui maiorem ſortiretur cathedram, vel ipſam ſedem Apoſtolicam. Talia non ſemel iactantem viſio magna perterruit. Vidit igitur nocte intempeſta, ſe in conuentum eccleſiæ raptum, vbi miſſarum ſolennia eſſent celebranda, adſtantibus quindecim ſuis ex ordine prædeceſſoribus, ita vt proximus qui ante eum fuit, Alebrandus (quem nouerat) perageret miſſarum ſolennia. Quumque lecto euangelio, ſacerdos ad ſuſcipienda offerentium munera, conuerſus veniſſet ad Albertum, qui ſtabat in vltimo chori loco, mox toruis eum luminibus intuens, oblationem eius repulit, dicens, Tu homo nobilis & clarus, non potes habere partem cum humilibus: & abſceſſit in hæc verba. Sanè ex illa hora pœnitens ſuper iis quæ incautè protulit verbis, omnes prædeceſſores ſuos ingenti veneratione habuit: ſeque multis gemitibus teſtabatur indignum ſanctorum conſortio virorum. Vnde etiam mox ſtatuit, per ſingulos anteceſſorum ſuorum anniuerſarios, de curte Bramſtede conuiuia dari fratribus pleniſſima atque pauperibus. Nam & alia multa pœnitentiæ ſigna reliquit: ſicut eſt illud, quòd poſt diem vaſtationis ſiue expulſionis ſuæ, nunquam balneis vſus eſt, nunquam hilaris viſus: rarò proceſſit in publicum, vel ad conuiuium, niſi ad curiam iſſet, aut diei feſti neceſſitas popoſciſſet. Multoties etiam amariſſimè fleuit, ſi quãdo vaſtationis eccleſiæ recordatus eſt, ſiue quum ipſos vaſtatores conſpexit. In die itaq; Natalis Domini, quum dux Magnus præſens adeſſet, magnaq; recumbentium multitudo: hilares conuiuæ, finitis epulis plauſum cum voce leuauerunt: quod tamen non parum diſplicuit archiepiſcopo. Itaq; innuens fratribus, qui ſimul aderant, præcepit cantori, vt imponeret antiphonam, *Hymnum cantate nobis.* At verò laicis denuo perſtrepentibus, inchoari fecit, *Suſtinuimus pacem, & non venit.* Tertiò verò, quum adhuc in poculis vlularent, iratus valdè, leuari præcepit menſam, magna voce pronuncians, *Conuerte Domine captiuitatem noſtram:* reſpondentibus fratribus, *Sicut torrens in auſtro.* Ita fugiens in oratorium, ſequentibus recluſis, fleuit amarè.

Archiepiſcop' inuerſam viuendi rationẽ vſurpat.

Mira mentis vertigo, oratione interim ſanitatis ſpeciem præferente.

Vir iactabundus horrendo viſu terretur.

Ebriorum incõpoſitus cantus non poteſt coerceri.

CAP. 10.

HÆC & alia in eo compunctionis lamenta videbantur, adeo vt monachatum inire aliquoties deſiderauerit, aut in miniſterio legationis ſuæ in Wandalia, vel in Suedia, ſiue in Iſlandia mori optauerit, aut per ſanguinem pro Chriſto immolari. Tandem ſæua morum perturbatione infractus, quum ſimul fortunæ exterioris

Archiepiſcop' dolorũ magnitudine frangitur.

quateretur aduerſis, etiam corpore ſæpe debilitari: dumq; medicorum auxilio ſtuduit valetudinem corporis recuperare, in grauiorem mox recidit infirmitatem. Quo etiam tempore ad curiam rediens, graui caſu iumenti ſublabentis atteritur. Tunc ergo compunctus fleuit amarè: correctionemq; ſuæ vitæ Deo promittẽs, ſtatim conualuit: totumq; ſuperuiuens triennium, multa compleuit: non tamen omnia quæ promiſit. Ex eo nimirum balneis (quæ fere quotidie ſueuit habere) ſale recoctis abſtinuit, & reliquis multis, quæ grauia eſſe populo perſenſit. Quo tempore ſuperuenit quædam mulier, habens ſpiritum Phytonis. Hæc voce publica dixit omnibus, celerem archiepiſcopi tranſitum affore intra biennium, niſi fortè conuerteretur: hoc & medici teſtati ſunt. Erant autem cum pontifice Nothebaldus & alii pſeudoprophetæ, vaticinantes illum tam diu victurum, donec omnibus inimicis ſuis imperaret: quibus maior tum fides fuit. Viſæ ſunt eo tempore apud Bremã cruces ſudaſſe lachrymis, porci canesque eccleſiam violaſſe: quod in religionem verſum eſt. Nam vix poterant ab altaris crepidine repelli. Viſi ſunt & lupi in ſuburbanis gregatim vlulantes, horribiliq; iurgio certaſſe cum bubonibus. Hæc ab omnibus ſiniſtra iudicabãtur in epiſcopum reſpicere. Decimaquarta ergo die ante obitum ſuum Goſlariæ poſitus, ex cõſuetudine ſua nec potionibus, nec phlebotomiis contineri voluit. Quare grauiſſimo dyſenteriæ morbo correptus, & vſq; ad oſſa attenuatus, ſuæ adhuc immemor ſalutis, reipublicæ negocia vſque ad extremam ſui tranſitus tractauit horam. Aderat ibi Magdeburgenſis epiſcopus Weſſelus, & alii fratres, petentes vt admitterentur, quos tamen ipſe excludi præcepit à ianuis, dicens, Se præ immunditia infirmitatis indignum, vt ab aliquo videretur. Soli enim regi concedebatur aditus ægrum viſitandi, quem dilexit etiam vſq; in finem. Illum ergo ſuæ fidei admonens, & diuturni ſeruitii, multa inſtantia commendauit illi eccleſiam ſuam. Adamatus quidam medicus Salernitanus, ante triduum mandauit archiepiſcopo obitus ſui diem proximum adeſſe: quod ille diſſimulans, Nothebaldum ſolum præ oculis habuit, qui ſpopondit ei mutationis ſuæ horam cito affuturam: quod idem carnifex verum dixit.

Prodigia mortis eius prænũcia.

Non poteſt ſe ad mortis tempus componere.

CAP. II. 1072.

ANNVS erat poſt mille ſeptuageſimus ſecundus, quũ adhuc Albertus archiepiſcopus de præſenti vita ſperaret. Nouit cognitor ſecretorum Deus, ſi melior fuerit in conſpectu Dei, quàm coram hominibus apparuerit: homo namq; vidit in facie, Deus in corde. Ferunt eum ante obitus ſui diem tertium decubuiſſe, ita vt à lecto ſurgere non poſſet. Nam tanta viro fuit animi magnitudo, vt in grauiſſima corporis infirmitate nunquam ab aliquo vellet ſuſtẽtari, nunquam emitteret vocem doloris: cumq; iacens in extremis, horam vocationis ſuæ iam ſciret imminere, crebris iterauit ſuſpiriis. Heu me, inquit, infelicem & miſerum, qui tantas largitiones in vanum effudi! Potuiſſem eſſe beatus, ſi in vſus pauperum ea conuertiſſem, quæ pro ſeculi gloria me diſtraxiſſe nunc nimium doleo. Nunc autẽ illum adhibeo teſtem, cuius oculus intuetur abyſſi profunda, quòd intentio cordis mei tota fuit ſuper exaltatione eccleſiæ meæ. Quæ licet mea culpa exigẽte, vel odio inimicorum ſuperante, extenuata nimis videatur, ſunt tamen amplius quàm duo millia manſi, quos ex hæreditate mea, vel labore meo gratulor adiectos eccleſiæ. Quo ſapientis viri ſermone cognoſci poteſt, quòd etſi peccauerit in aliquibus vt homo, ſæpe tamen, vt vir bonus, pœnituit de erratis. Die medio ſextæ feriæ, quum adhuc de hac vita ſperaret, cæteris ad epulas ſedentibus, in agonia ſolus iacens clariſſimus pontifex ſpiritum exhalauit, XVII. Cal. Aprilis, indictione decima, anno Alexandri Papæ vndecimo, Henrici regis IIII. decimoſeptimo: qui eſt annus Chriſti MLXXII. Pręter libros, ſanctorumq; reliquias, & veſtimenta ſacra, fere nihil inuentum eſt in theſauris tanti viri. Quæ tum omnia rex accipiens, vnà cum præceptis eccleſiæ tulit, etiam manum S. Iacobi Apoſtoli, quàm dono Vitalis Venetiarũ epiſcopi, ab Italia archiepiſcopus rediẽs, quondã ſecum deportauerat. Igitur corpus archiepiſcopi magno totius regni ſtupore à Goſlaria Bremam deportatũ eſt x. demũ die (quod eſt in Annunciatione beatæ Mariæ virginis) ſepultumq; eſt in medio chori nouæ, quã ipſe conſtruxit, baſilicę. Afferunt tamen quidam, ꝙ quum ita ſolus iacuiſſet, de omnib. geſtorum ſuorum offendiculis amaram geſſerit pœnitentiã, flens & eiulãs,

Dixitq; nouiſſima verba.

dies

dies se suos perdidisse. Tunc demum cognouit, quàm parua, imò quàm misera est nostri pulueris gloria: quia *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni.* Sepulcrum eius hodie visitur in ecclesia Bremensi, leuato ante chorum sarcophago, quum tamen antè illum sæpe rogasse ferant, vt sepeliretur in ecclesia metropoli Hamburgi, quam (sicut prædecessores sui) omni semper amore censuit esse colendam. Ibi nanque dum viueret, plerunque totam æstatem transigens, præcipuas (vt diximus) solennitates cum magna gloria celebrauit: ibi promotiones ecclesiasticorum ordinum legitimis temporibus, graui prorsus reuerentia, sæpius ministrauit: ibi tempus & locum, quo à nostris ducibus, seu à proximis Wandalorum gentibus, & eorum principibus, siue à cæteris Arctoæ gentis legatis adiri posset, ex more constituit. tantum honorem destructæ & deuastatæ vrbi, tantumque honorem seruans exhaustæ matri, vt in illa diceret impletum scripturæ vaticinium, *Lætare sterilis quæ non paris, quia multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum.* *Nempe respice nouissima.*

SED ea tum vrbs & calamitosa, & felix: bis illo quo mortuus est pontifex anno, à Wandalis euastatur: calamitosa proinde, quòd tam crebris barbarorum incursibus vexaretur, posita in signum, cui vastitas à sæuientibus Wandalis crebriùs inferretur. Sed felicem prædico, quæ, quum Christus in causa esset & odium Christianismi, sanctorum martyrum purpuratorum numero abundabat. Quid enim aliud in causa fuit, cur incurrerent infideles, nisi vt se de Christianis vindicarent? Quorum inextricabile odium induerant ex illo die, quo cæso ad aram Godscalco optimo principe, Christiani nominis acerrimo propagatore, & iuga fidei & tributorum onera pariter abiecerunt. Placati aliquando ab archiepiscopo quieuerunt, bene polliciti de suscipienda, imò recipienda fide, quam abiecerant. Sed quum odium ex leuissimis, aut fortè nullis causis recrudesceret, prima Hamburg impetum sensit. Nam attenuatis viribus, hostes excludere non potuit: magis in fuga aut patientia spem collocauit. Per Albim dilapsi nonnulli euaserant: alij ferro perempti, aut in captiuitatem abducti, preciosas animas Christo consecrabant. Durabat ea calamitas, quamdiu Wandali impacati, perfidiam in Christi fidem continuarũt. Boni interim pontifices in circuitu placauere gentem, & multos reduxere: sed populariter ad fidem non redierunt ad multa post hæc tempora. Quo etiam tempore Henricus rex Ottonem Bauariæ ducem, Bauaria eiectum, etiam in Saxonia insectatur: quòd Albertus archiepiscopus, qui sapientia sua rem sæpè diremerat, iam de medio sublatus erat. CAP. 12. *Hamburgi variæ vices.* *Wandalorum implacabile in Christi nomen odium.*

HENRICVS interim IIII. rex, indomitus iuuenis, quum omnia sibi licere putaret, de ecclesiis & abbatiis ad nutum disponebat: memor quòd pater suus etiam Romanos pontifices rogatus dedisset. Misit in vrbem Romã solennes oratores, Annonem archiepiscopum Coloniensem, Hermannum Bambergensem episcopum, pro afferendis inde pecuniis Imperio, ab Romanis ciuibus tum cõstitutis. Mira rerum conuersio. Tum pensitabant Romani tributa nostris Imperatoribus: nunc aurum Germaniæ, non satisfacit vrbi Romæ. Sed iidem oratores attulere querimoniam super Imperatore, ab Alexandro Papa II. quòd Simoniæ vitio non temperaret. Ea fuit rerum noua conuersio: nam tempore ex illo multi episcopi ac principes Henricum auersantur. Gauisi sunt Saxones, iamdudum infensi eidem regi ex causis memoratis, quòd tributo gentem grauaret, & Ottonem illustrem principem de genere Saxonum, ab Henrico magni Ottonis fratre descendentem, eiecisset Bauaria. Accessere simoniacæ labi in rege alia crimina, quòd contoralem suam non pro dignitate haberet. Ea quum literis & nunciis Romam perferrentur, Gregorius VII. qui iam tertio Alexandro successit, familiariter illi ex puero notus, regem denuo ad synodalia responsa & sedis Apostolicæ audientiam euocauit. Sed rex secundam & tertiam eius vocationem dissimulauit: quòd indignum haberet sedem Apostolicã agnoscere, quam pater eius pro arbitrio, quibus vellet, cõtulisset. Anno Coloniensis, Sifridus Moguntinus, Wessilo Magdeburgẽsis archiepiscopi, Bucko Halberstadẽsis, & omnes Saxoniæ principes, apostolicis mandatis cõtra regem subscripserunt: solus Bremensis iam recens CAP. 13. *Henricus IIII. multorum a se animos multis de causis alienat.* *In papam se contumacem præbet.*

ab illo promotus,fauebat regi. Sed Anno archiepiſcopus plenus dierum,& ſanctitatis operibus tunc deceſſit. Hermannus Bambergẽſis,qui pridem nuncius abibat Romam cum Annone, quum de Simoniaca eius aſſumptione compertum eſſet, Romæ deponitur:ſed rex illi Ropertum quendam ſurrogauit,ita de epiſcopatibus,quaſi ſuis de officiis,diſponens.

CAP. 14. IN eccleſia tum Paderburnenſi Imado ſucceſſit Poppo,pridem Bambergenſis præpoſitus:qui illi præfuit annis ſolis ſeptem:qui hanc ſolam reliquit memoriam, quòd poſt incendium ciuitatis dedicauit monaſterium apoſtolorum Petri & Pauli,cum ciuitate renouatum. Habitũ eſt tum apud Wormatiam ſolenne inter principes colloquium (diætam noſtri vocant) præſente Henrico rege. In quo vniuerſi penè Theutonici epiſcopi,præter Saxones, Gregorio Papæ ſubtraxere obedientiam. Sed tamen eodem anno colloquium maximum apud Oppenheim factum eſt:vbi pene totius regni principes,ſed maximè Saxonum & Alemannorum (hoc eſt Sueuorum) ſubiectioni regis renunciauere:cauſam prętendentes,quòd à duobus ſummis pontificibus vocatus ad ſatisfactionem, non veniſſet: & pro hoc contemptu,ſententiam excommunicationis in Romana ſynodo reportaſſet. Hac cõmotione rex coactus,humiliter Romam,vtpotè veniam à ſummo pontifice petiturus,inimicis ſuis hoc non ſperantibus,tetendit. Inuentoq; Papa in oppido Italiæ ſatis munito,per triduum ante portam arcis cui inerat pontifex depoſito omni regio cultu,diſcalceatus & laneis indutus,perſtitit: nec prius cum multo fletu apoſtolicæ benedictionis auxilium & conſolationem implorare deſtitit,quàm omniũ qui ibi aderant precibus & lachrymis intercedentibus,laxato demum anathematis vinculo,in communionis gratiam & ſinum matris eccleſiæ receptus eſt, acceptis ab eo in futurum vitę ſuæ correctionis ſecuritatibus multis. Accepit igitur rex in mandatis,vt Romam profectus,anno integro inde non diſcederet, equum non aſcenderet:ſed in veſte humili circumiret eccleſiarum limina, orationibus & ieiuniis reddens dignum pœnitentiæ fructum. quod rex humiliter adimplere ſatagebat. Videntes ergo cardinales,& ij qui de curia erant,quia præ timore ſedis apoſtolicæ contremiſcunt poteſtates,& curuantur qui portant orbem, ſuggeſſerunt apoſtolico,vt transferret regnum in alium virum, dicentes, indignum eſſe illum regnare,qui de publicis eſſet conuictus facinoribus. Percontanti autem apoſtolico,quiſnam in Alemania dignus eſſet tanto culmine, deſignatus illi dicitur dux Sueuiæ Rodolphus,quòd ſcilicet fuerit vir bonus, & amator pacis, & circa cultũ ſacerdotum & eccleſiarum optimè affectus. Cui papa auream tranſmiſiſſe fertur coronam,hoc verſu intitulatam:

Henricus in papam contumax, à ſuis deſeritur.

Regis reatus & demiſsio.

Rex ſe papæ ſubiiciens,pro venia regno abdicatur.

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

Præcepiſſeque fertur Moguntino & Colonienſi, cæteriſque epiſcopis & principibus,vt adiuuarent partes Rodolphi:& conſtitutus eſt rex. Quotquot ergo receperunt verbum pontificis,adhæſerunt Rodolpho: additique ſunt parti eius Saxones & Sueui. Cæteri principes ac ciuitates,quæ ſunt circa Rhenũ, omneſq; Francorum populi,non receperunt eum,eo quòd iuràſſent regi Henrico, & iuramenta temerare noluerunt. Porro Henricus conſiſtebat Romæ, mandatis obſecundans,ignarus malorum quæ aduerſus ipſum gerebantur.

CAP. 15. IGITVR Rodolphus dux Sueuiæ,fauentibus Sifrido Moguntino & Adalberone Wirtzburgenſi,Bertholdo quoque duce Carinthiæ, in præſentia quorundã Romanæ ſedis legatorum,apud Forcheim in regem eligitur: & ab eodem Sifrido
1077. apud Moguntiam XII. Calendas Aprilis,anno ſeptuageſimo poſt mille, in regem conſecratur. Vbi facta ſeditione,eodem die multa vulgi turba cæſa eſt ab eius militibus. Vnde vulgus accenſum multos ab illis obtruncauit,cæteroſque in curtem palatij fugauit,ipſaſque regias ædes incendere voluit, niſi epiſcopus Sifridus pro veloci Rodolphi diſceſſione, obſidem ſe interpoſuiſſet. Ita Rodolphus & cuncti qui cum eo venerant,eiecti ſunt: Sifridus quoq; archiepiſcopus magnis blaſphemiis eliminatus,Moguntiam non intrauit amplius. Surrexit interea quidã Straſburgenſis (nunc Argentinenſis) epiſcopus,amiciſſimus regi Henrico: & velociter petens Romam,diu quæſitum regem inuenit inter memorias martyrum diuerſantem.

Rudolphus per rebellionem rex à papa cõſtitutus, parum fauſtis auſpiciis.

ſantem. De cuius aduentu rex lætior effectus, cœpit percontari de ſtatu regni, ſi omnia in pace conſiſterent. Cui ille intimauit, nouum principem electum: factuq́; opus eſſe, vt quantocyus Theutonicam terram reuiſeret, ad confirmandos amicorum animos, & conatus hoſtium comprimendos. Quumque rex prætenderet, nequaquam ſibi ſine licentia ſedis apoſtolicæ abeundum: ille reſpondit, Noueris nihil dubitans, hoc omne conſpirationis malum de hoc fonte manaſſe: imò ſi tibi rectè conſulis, clanculo tibi abeundum eſt. Egreſſus ergo rex noctis vrbem, magnis itineribus reliquit Italiam: firmatisq́; rebus pro tempore in Longobardia, venit in Germaniam: lætatique ſunt de inſperato aduentu principis omnes ciuitates Rheni, & vniuerſi qui fauebant parti eius. Congregauitq́; exercitum grandem, vt expugnaret Rodolphum, fuitq́; cum eo famatus ille dux Godfridus, qui poſtea liberauit Hieroſolymam, multiq́; magnates. Saxonum verò atque Sueuorum exercitus erat cum Rodolpho, qui tum obſedit Wirtzburgum: ſed terrore Henrici de Italia reuerſi, mox abſcedit. Henricus rex cum exercitu Sueuiam petit, Hugonem ſibi alioſque inibi rebelles, prouincia vaſtata eiicit. Hæc ita feruntur in annalibus: ſed quod de regis in vrbem relegatione dicitur, apud me fidem non habet. Nam hoc præcipere Papam, hoc recipere Imperatorem tam ferocem, veri ſimilitudinem non habet. Cætera, quæ aliorum quoque teſtimonio fulciuntur, facilè accipio. Certum eſt enim, electum in Henrici locum eſſe Rodulphum Sueuum, eoſq́; crebrius fuiſſe congreſſos apud fluuium Vnſtrow, vbi magno prælio decertatum eſt, ac Henrico victore cæſus eſt Weſſilo Magdeburgenſis archiepiſcopus, Magnus dux deſpoliatur vix effugiens, Hermannus comes eiuſdem ducis patruus, & Albertus Wormatienſis epiſcopus, capiuntur: ceciderunt multi fortes ex Saxonibus viri. Poppo quoq; vir fortis, ex Henrici parte cecidit, cum non paucis. Deinde prælium fuit iuxta Fladechem anno proximo, vbi primo congreſſu territi Saxones, terga nudant. Ibi dux Bohemiæ Vratiſlaus, Henrico militans, regalem Rodolphi lanceā eſt adeptus: quæ exinde ſemper quenuis illius gentis ducatu inſignem, in omni feſtiua proceſſione præcedit.

Rex de perfidia certior factus, in Germaniam ſe clam recipit.

Rudolphi rebellio & regni affectatio.

MAGDEBVRGENSI inde eccleſiæ, cæſo Weſſilone, præficitur per Rodolphum Sueuum (cuius partibus militans prædeceſſor cecidit) vir bonus, Harduicus Francus, genere militari atq; baronum, canonicus pridem Moguntinus: qui, vt potuit, in nouo pontificatu promotoris ſui partes adiuuit: præfuitq́; annis duobus & viginti. Cuius temporibus, anno videlicet LXXX. poſt mille, conuentus triginta epiſcoporum & optimatum Italiæ & Germaniæ, apud Brixinam Noricam, iuſſu Henrici regis, habetur contra Gregorium ſeptimum: quem à ſede apoſtolica depellendum, quanuis abſentem, diiudicabant, & Wicbertum Rauennatem archiepiſcopum, ſurrogandum eligebant. Anshelmus autem Lucenſis epiſcopus, vir literatus, ingenio acutiſſimus, & facundia præcipuus, & (quod omnibus maius eſt) in Dei timore & ſancta conuerſatione nominatiſſimus, qui etiam tam in vita quàm poſt mortem claruit miraculis, ſcripſit epiſtolam ad eundem Wicbertum, in qua illum præuaricatorem ac ſuperbum cognominat: Hillebrandū autem beatum Gregorium, patrem ſuum appellat. Quo tempore prælium iterum graue cōferitur inter Henricum & Rodolphum, iuxta Elleſtram fluuium: in quo Rodolphus vulneratus in manu dextra, fugit Merſburgum: mortiq́; iam proximus, dicit ad familiares ſuos, Videtis manum dexteram meā de vulnere ſauciam: ecce hęc eſt manus, qua domino meo Henrico fidem firmaui ſacramento. Sed iuſſio apoſtolica, pontificumq́; petitio me huc deduxit, vt iuramenti tranſgreſſor, honorem mihi indebitū vſurparem. Qui ergo finis nos exceperit, videtis: quia in manu qua iuramentum peregi, mortale hoc vulnus accepi. Videant ergo ij qui ad hoc nos inſtigauerunt, quò nos duxerint, ne forte deducti ſimus in præcipitium mortis æternæ. Et hæc dicens, diem clauſit extremum.

CAP. 16.

1080.

Synodus aduerſus papam.

Rodolphus moribundus, quàm rectè papæ obſecutus ſit, fatetur.

HILDESEMENSI eccleſiæ per eadem tempora præficitur Vdo, vir nobilis, de comitatu Aluesleue: præfuitque annis triginta quinque. Vidit turbulenta tempora, ac luctamen inter regnū ac ſacerdotiū, quum quartus Henricus, vltus iniuriā depoſitionis ſuæ, & excitationis in ſe ęmuli, memor quòd pater ſuus de Romana ſede

CAP. 17.

na ſede ordinauerit,totius ius Imperij renouaturus, conſilio ſuorum pontificum, Gregorium (vt diximus) ſeptimum deſtituit,& Rauennatem archiepiſcopũ ſub-
1081. ſtituit. Et anno LXXXI. Romam profectus,reſiſtente ſibi cum Romanis Papa Gregorio,ante caſtellum ſancti Petri caſtra poſuit: vbi etiam crebris per biennium incurſibus Romanorum infeſtatus,parua manu multa viriliter peregit. Wichbertũ ſuum,quem Clementem appellauit,pulſo Gregorio,in ſede profanauit: quum interim diuiſa Germania bellis tumultuaretur. *Scinditur Germania partiũ ſtudio.* Nam tum Conradus, Bohemiæ ducis filius,marchionem Brandeburgenſem habuit infeſtum , concurreruntq; prælio IIII. Idus Maij. Sueui quoque & Bauari infeſtis odiis concurrerunt iuxta Danubiũ in Hochſtein: ibi cecidit Cononis Palatini filius. Saxones ac Sueui in Franciа ad colloquium venientes,non ſine clade prouinciæ redierunt, ibi de nouo in Henricum regem ſuſcipiendo conuentum eſt. Electus eſt autem Hermannus Lotharingus, dux de Lutzenburgo. Cui quum ſuis in partibus (hoc eſt in Lotharingia) nemo in bellicis rebus atque opibus poſſet æquiparari, ſumpto regis nomine, tam ſuis quàm alienis cœpit in breui deſpectus haberi. Anno ſequenti idem Hermannus orientalem Franciam,quæ pro Henrico faciebat, viriliter inuadit, hoſtiliterque in ea digraſſatur. Monſtra tum cælitus apparuere : viſus eſt equitum diſcurrens exercitus,cuius tamen veſtigia nullo modo poterant agnoſci. Henricus interim in Italia diuerſatur: iterum Romam tendens,caſtra fixit vbi antè, ad occidentalem portam caſtelli ſancti Petri: *Roma ab Henrico capta.* captaque eſt Roma IIII. Nonas Iunij, feria ſexta ante octauam Pentecoſtes. Quo tempore Papa Gregorius in caſtello Creſcentij (quod tum vulgò domus Theodorici diceretur) incluſus, expectabat euentum rei. Rex autem in Palatino monte munitionem inſtituens, multos eorũ quos in præſidio poſuerat, ingraueſcente ſuper eos æſtatis inſolito feruore, amiſit: ſed & alios eadem mortalitas abſumpſit. Romani autem viginti obſides regi dantes ex nobilibus, petierunt diem conſtitui, in qua Papa & omnes ſenatores in præſentiã regis venirent. Papa autem ad ſtatutum tempus ad Calendas Nouembris non comparuit: nam fugiens occultè, Salernum ſeceſſit, ibique ad diem mortis ſuæ permanſit.

CAP. 18. HAMBVRGENSI perinde eccleſiæ, poſt Albertum, ab Henrico ex eius miniſterialibus præficitur Liemarus, homo Bauarus, ſatis literatus: qui Henrico coniunctiſſimè adhæſit, quum à cęteris penè omnibus deſereretur. Fuit cum eo in expeditione Italica, & ab eius conſilio pene omnia pendêre videbantur: dedit hoc beneficio promotoris ſui, præſtitit exemplo prædeceſſoris, vt Imperatorem in omni ſuo caſu non deſereret. Aderat Gregorij ſeptimi deſtitutioni, non aberat Wicberti ſurrogationi: tenuitque archiepiſcopatum per annos XXX. Dura tempora vidit. Ferulam paſtoralem Henricus contulit, infeudans de regalibus: imò inſtituit omni tum iure, vt tempora ferebant. Pallium ei contulit Alexander, Gregorij immediatus anteceſſor. *Diſſidij inter papam & imperatorem cauſa.* Et ea potiſſima diſſidij cauſa fuit inter regnum & ſacerdotium, quòd in ſpiritualibus præſumeret poteſtatem Imperator: quę pro temporum neceſſitate permiſſa eſt patri ſuo, ſed eam nunc papa ſuo iure vendicabat. Hic Liemarus ordinatus eſt à ſuffraganeis, vir prudens, & tanto non indignus honore, ſi per oſtium liberæ electionis introiſſet. Vſque ad huius pontificis tempora, & aliquandiu ſub eo, Hamburgenſis eccleſia honorem ſuum integrum ſeruauit, vt eſſet matrix, vtque Metropolis ſola diceretur. Nam ſub titulo eius continebatur illa tam larga & longinqua legatio in omnia regna Aquilonis. Teſtes ſunt papales literæ, quæ ab Alexandro tertio, ſummo pontifice, emanarunt ad Albertum huius deceſſorem (quarum exemplum ſuprà poſuimus) hunc ſemper titulum pręferentes, vt diceretur Hamburgenſis, non Bremenſis, archiepiſcopus. Teſtes eiuſdem Alberti multiplices literæ, ad reges memoratos, & ad epiſcopos regnorum Aquilonarium, quos crebrius vocabat ad ſynodum in Sliaſwicum, tanquam in locũ medium vtriuſque nationis. *Hamburgenſis metropoleos inclinatio* Sed poſteaquam Dania cœpit habere ſuum archiepiſcopum, paulatim defecit, & deperiit iſta legatio: cœpitque exinde poſthaberi titulus eccleſiæ Hamburgenſis. Quæ res non vno temporis momento peracta, ſed multis annis deliberata, & tandem elaborata, temporibus huius pontificis eſt conſummata.

mata. Antea enim reges Daniæ, Suediæ, Norwegiæ, ſuſceperūt in prouincias ſuas epiſcopos ab Hamburgenſi metropolitano miſſos, & conſecratos. Acceſſere etiā pontifices ex Galliis & Anglia miſſi: deinde ſub Zuenone rege Daniæ, iam palam cœpit ea res actitari, non ignorante Alberto Hamburgenſi archiepiſcopo: qui ea ſpe rem diſſimulauit, quòd patriarchatum in Hamburg per eam occaſionem conſtituere cogitaret, vt non obſtante archiepiſcopatu vno vel pluribus in Aquilonaribus, duraret nihilominus ſuperioritas legationis in patriarchatu. Sed hæc res (ſicut multæ aliæ) per mortem hominis interuerſa eſt, & manſit infecta. Quandiu tamen ſupererat memoratus Albertus, perdurabat legationis officiū in omnem Aquilonem: cogitauitq; in perſona ipſe obire prouincias in remotiſſimas partes, vt ne inſulam quidem relinqueret, quam non ſua prædicatione illuſtraret. Præparatisq; iam rebus omnibus, & nauigiis comparatis, comitibusq; delectis, colloquio deſuper habito cum Danorum rege Zuenone, auerſus eſt: quòd diceret ille, melius populum erudiendum per ſuæ nationis homines (qui & mores & linguam & ritus callerent in quaq; gente) quàm per alienigenas, quibus ſit opus longa interpretatione & multa circuitione: idq; experimento compertum eſſe ſub prædeceſſoribus, qui operā illā per intermiſſos feliciter impleſſent. Acquieuit archiepiſcopus, & muneribus illectos earum nationum homines, ad prædicandum fecit voluntarios: neminemq; à ſe dimiſit, quem nō ingenti liberalitate affectum, ad euangelizandum feciſſet paratiſſimū. Periitque illa hominis iactantia, qua ſolebat gloriari, tres ſe euangeliſtas in regnum præceſſiſſe, Anſgarium, Rembertum & Vnni: ſibi quartum ſeruari locum. Petebatur ergo ab omnibus etiam remotiſſimis gentibus, de Iſlandia & Gronlandia per legatos: & ſe adiri ab omnibus paſſim ille permiſit, in omnes regiones & inſulas ordinans epiſcopos. Gaudens enim repetere ſolebat, *Meſſis quidem multa, ſed operarij pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat cooperarios.* Quorum ſpecioſa temporibus ſuis multitudine exhilaratus pontifex, primus omnium ſtatuit in Dania ſynodum celebrare cum ſuffraganeis ſuis: quoniam & temporum opportunitatem habuit, & regnum illud multis iam redundabat epiſcopis: & quoniam multa emendanda videbantur in nouella plantatione, præſertim ſuper acceptis donis in ſacramentorum adminiſtratione, imò etiā quaſi pro iure exactis, deque crapula cleri & populi, atque incontinentia. Ad quæ omnia ſummi pontificis authoritatem, regisque promptiſſimum auxilium ſperabat interuenire. Emanabant iam à ſummo pontifice literæ, & ipſe archiepiſcopus in prouincias ſuis directis epiſtolis, omnes conuocabat: ſed mors (vt ſolet) omnia interuertit. Plures tamen ordinauit epiſcopos in gentem miſſos, quorum ſedes tum erant incompertæ. Poterant etiam nonnullæ transferri de loco in locū, quod crebrius & in aliis prouinciis acciderat. ſed quorum comperta ſint nomina, hi fuere: Rodolphus ex capellanis ſuis ordinatus eſt in Sliaſwicum, Odo in Ripā, Chriſtianus in Aruſiā, Heribertus in Wigbergū, Magnus & Albertus in Wendilā, quæ nunc dicitur Burglauenſis eccleſia. Eilbertum in Farriam & Fioniam, Wilhelmū in Sialandiam (hic eſt ille qui tanti nominis erat apud regem, quiq; illum tanta charitate conſtrinxit, vt cum illo tumularetur, & poſt mortem clareſceret miraculis, quod in Dania ſumus executi) Eimonem in Scaniam prouinciam promouit. In Suediam verò conſecrauit ſex, Adalwardum & Acilinum, alium Adalwardum & Tadicum, Simonem, & Ioannem monachum. Adalwardus tamen ſenior vtrique præfectus eſt Gothiæ, iunior ad Scithonam & Vpſaliam eſt directus, Simon ad Scrittafinnos, Ioannes ad inſulas. In Norwagiam duos tantùm ipſe conſecrauit, Tolphum & Siwardum. Cæterùm aliundè ordinatos, quum ſibi ſatisfacerent, & ſecum benignè tenuit, & hilariter dimiſit: ſicut Menardum, Oſmundum, Bernardum, & Aſgotum, aliosq; multos. Prætereà Turolphum quendam miſit in Orcadas, & alium quendam Adalbertum, Iſleph in Iſlandiam, quò etiam miſit Ioannem in Scotia ordinatum, & in Wandaliam Oldenborg Eizonem. Sunt autem omnes quos ordinauit, epiſcopi viginti: quorum tres abortiui, & extra vineam ocioſi remanſerunt, ſua quærentes, non quæ Ieſu Chriſti. Quos vniuerſos archiepiſcopus in decenti habens honore, ad prædicandum barbaris verbum Dei prece &

Patriarchatus Hamburgenſis animo conceptus euaneſcit.

Pro ſacramentis aliquid exigi, ſymoniacum.

Epiſcoporum numerus ab Hamburgenſi miſſorum.

ce & præmio commouebat. Nunquam tam erat ſolitarius, vt non aut quatuor aut quinque epiſcopis ſtiparetur. Tres indiuiſos ſemper comites habuit: Tanquardū ante epiſcopatum familiariter cognitum, iam ſine epiſcopatu manentem, quòd Brandenburgenſis ſedes eius à Wandalis proximè eſſet deuaſtata: Ioannem Scotorum epiſcopum, quem poſteà miſſum in Wandaliam perfidi trucidauerūt cum Godſcalco principe: tertius erat Bono, de terra ſancta veniens: vbi diu manſitans, plures nolens ac volens luſtrauit prouincias. Hi ſemper aderant, quum alij euntes & redeuntes mutarent vices, quandoque plures, quandoque pauciores. Hæc idcirco ſub hoc pontifice repetiuimus, ne ignorata iacerent, quando huc perductus eſt limes illius tam latæ in gentes legationis, vt deinde ceſſaret cū eo honor Hamburgenſis eccleſiæ, interim duplici malo affectæ. Nam proximè in anno quo mortuus eſt Albertus, vno bis anno à Wandalis euaſtata, ciuibus & clero eſt exhauſta: nunc etiam legationis veteri honore deſtituitur. Quod quo ordine factum ſit, inferiora docebunt.

Cap. 19. VERDENSIS interim eccleſia paſtorem Zegebertum, Henrico Imperatori percharum, habuit: qui illi & eccleſiæ ſuæ donauit foreſtam venationis in Magetheide, cum terminis ſuis, & prædium in Hermensborg, in comitatu domini Witelonis comitis, cum omnibus pertinentiis. Circa quæ tempora ad annum Chriſti,
1098. MXCVIII. cœpit ordo Ciſtertienſis, in quo Bernardus breui pòſt effloruit Clare-
Ciſtertienſis ordo & Carthuſienſis. uallenſis. Circa huius quoque pontificis tempora initium fuit Carthuſienſium in Burgundia, in diœceſi Gratianopolitana, ſub Brunone Colonienſi inchoatore, viro ſacris literis doctiſſimo. Qui ipſe ſeptimus acceſſit Hugonem loci epiſcopū, exponens ſancti propoſiti deuotionem, vt ille opem ferre, & locum permittere, & authoritatem dignaretur interponere. Atque impetrauit amplius quàm poſtulauit: non ſolùm enim quod petiuit obtinuit, ſed illum ipſum pontificem meruit ſacri ordinis habere conſortem. Incredibile dictu quàm breui res noua coaluit, quàm viriliter inchoata durauit, nulla per annos quadringentos indigens reformatione (vt cæteri omnes, collapſi paulatim) ſed ſeuera patrum induſtria, & crebra viſitatio, & ſilentium cum ſolicitudine, hoc illi miſerante Deo præſtitit, vt cōceptum feruorem non intermittat in vniuerſum. Poſſunt membra diffluere pro humana fragilitate, ſed ordo perſtat immotus. Hoc ergo quòd eccleſia perſenſit in Cæſare detrimentum, redditum eſt illi ad incrementum deuotionis in ordine nouo: cui ſimilis alius in eccleſia non extat, per rigorem, per auſteritatem, per obſeruantiam ſedulam.

Cap. 20. INTERIM Henrici quarti tēpora per omnes eccleſias fuere turbulenta, propter ſuperbam eius dominationem: qui non contentus rebus Imperij, eccleſiarū etiam iura inuaſit, epiſcopos pro ſuo arbitrio inſtituens, deſtituensque. Summum pontificem Gregorium ſeptimum, virum ſanctum, inſectatus eſt, & contumaciter illi ſe obiecit, quòd non illius voluntate ad ſummum pontificatum perueniſſet.
Roma regi Romanorū Germano pecuniā pendebat. Quumq; Anno Colonienſis archiepiſcopus, & Hermannus Bambergenſis (quod diximus) Romam miſſi pecuniam, quæ regi debebatur, congregare, quum legatione peracta reuerterentur, literas Alexandri papæ detulerunt, regem vocantes ad ſatisfactionem pro ſimoniaca hæreſi, aliisque nonnullis emendatione dignis, quæ de illo Romæ fuerant audita. Quo etiā tempore Saxones arcem Hartesburg diruunt, clauſtrum canonicorum quod inerat, deſtruunt, oſſa itidem filij regis ibidem ſepulti, in contumeliam patris de ſepulcro proiiciunt. Sed interim Alexandro papa defuncto, ſurrogatur Hildebrandus archidiaconus, vocatus Gregorius ſeptimus: quem Henricus in conuentu Imperij refutauit pontificem. Sed tamen ipſe potius Imperator à ſuis epiſcopis eſt deſertus: nam Colonienſis & Magdeburgenſis archiepiſcopi, ilicò regem deſeruere contumacem: ſolus Liemarus Hamburgenſis (quem ille prouexit) manſit in contubernio. Hinc Saxonum principes miſſa relatione ad ſedem apoſtolicam, conqueſti ſunt, quòd rex diuinæ legis con-
Quæ regi Henrico vitio vertebantur. temptor, eccleſiis Dei in conſtituendis epiſcopis omnem liberæ electionis facultatem ademerit, ponens per violentiam epiſcopos quos voluiſſet: inſuper quòd more Nicolaitarum, de coniuge ſua publicum voluit facere proſtibulum, vt ſubiiceret

ceret (quod in ſe fuit) aliorũ libidini: aliaq; multa auditu horrẽda crimina. Quamobrem papa zelo iuſtitiæ permotus, crebris epiſtolis & nunciis regem denuò ad ſynodalia reſponſa,& ſedis apoſtolicæ deuocauit audientiam. Sed rex ſecundã & tertiam eius vocationem diſſimulauit. Quocirca Anno Clonienſis, Sifridus Moguntinus, Bucco Halberſtadenſis, Weſſilo Magdeburgenſis, & omnes principes Saxoniæ deſeruere regem: ſolus Liemarus permanſit. Habuit deinde rex conciliũ apud Wormaciam, pręſente Henrico rege, in quo pars regis videbatur per multos epiſcopos conualeſcere: ſed non diu poſt maximum hoc colloquium principum apud Oppenheim factum eſt: vbi pene totius regni principes, ſed maximè Saxonũ & Sueuorum, ſubiectioni regis contumacis renunciabant: cauſam prætendentes, quòd à duobus ſummis pontificibus euocatus ad ſatisfactionem non veniſſet, & pro contemptu ſententiam excommunicationis in Romana Synodo à papa accepiſſet. Hac re cõperta, rex humiliter, vtpote reconciliationem eccleſiæ petiturus, Romam verſus proficiſcitur: inuentoq; pontifice in oppido citeriore, ibi per triduum ad portam oppidi, depoſito omni regio faſtu, diſcalceatus, & laneis indutus perſtitit: donec interuentu plurimorũ reconciliationem acceperit. Relaxato tandem anathematis vinculo, in communionis gratiam, & ſinum matris eccleſiæ eſt receptus, acceptis ab eo in futurum vitæ melioris aſſecurationibus multis. Adiiciunt Annales noſtri, publicam tunc regi à pontifice iniunctam pœnitentiam, Romam per annum non exeundi, equum non aſcendendi, inter martyrum ſepulcra diuerſandi. Sed eam rem iuſtis de cauſis in Saxonia non probauimus, neq; hîc recipimus. Maximum deinde bellum inter Henricum & Rodulphum illi in regno ſurrogato conſurgit, multisq; præliis variè eſt dimicatum: ſed ceſſit Rodulphus ad extremum, ex vulnere moriens. Henricus autem poſt aliquantos annos conuentum habuit triginta epiſcoporum & optimatum Italiæ & Germaniæ, apud Brixinam Noricam, contra Gregorium Papam: quem à ſede apoſtolica detrudere contendit, & Rauennatem archiepiſcopum Wicbertum ſurrogare.

Crambe bis poſita.

WICBERTVM ſuum Henricus antipapam duxit Romã: eam obſidens, multis laboribus cepit: in Palatino monte caſtra fecit. Papa in arce Creſcentij delituit. Fiunt tranſactiones, ſtatuitur dies de omnibus cõueniendi: papa ſe in tutum clàm recepit Salernum. Rex ſuum Wicbertum inthronizans, Clementem iuſſit appellari: & ab eo cum regina Imperialem benedictionem (ſi non execrationem) accepit. Reuerſus in Germaniam Imperator, res regni reperit perturbatas. Nam Saxones in locum Rodolphi, regem creauere Hermannum Lutzenburgenſem, qui & ipſe breui periit. Henricus autem Imperator Moguntiæ ſynodũ contraxit, anno LXXXV. poſt mille: vbi præſente Wicberto antipapa & Imperator aderat, & legati Romanorũ. Omnes inibi epiſcopi rebelles Imperatori, deponendi iudicantur: cæteri cum Gregorio ſentientes, anathematizantur. Gregorius interim rebus exceſſit humanis. Succeſſit Victor, annitente potentiſſima per Italiam domina Mathilde, quæ Romano vero pontifici in Cæſarem ſemper adhæſit. Victori Vrbanus, Vrbano Paſchalis in Romana ſede ſucceſſit, Imperatore cum idolo ſuum ſchiſma continuante. Franciæ, Siciliæ, Hiſpaniæ reges catholicam partem fouerunt, tuentes veros pontifices, quum illos Henricus inſectaretur. Octuageſimus nonus erat annus, quum Imperator ſchiſma ſuum prolongaret: & bella in Saxones cõtinuans, arcem obſedit Gliche. Vnde Egebertus Saxoniæ marchio illum fugauit: qua in pugna cecidit epiſcopus Laſannenſis, qui lanceam regalem præferebat. Ibi etiam Liemarus Bremenſis archiepiſcopus, captus eſt à Ludero comite: qui poſteà dux fit Saxoniæ, & inde imperauit. Archiepiſcopus captus, pro redemptione ſua dedit aduocatiam Bremæ (hoc eſt iudicium vrbis temporale) & trecentas marcas argenti: & ita reſtitutus eſt epiſcopatui ſuo. Hic baſilicam, quam Albertus prædeceſſor ſuus cœpit reædificare, de incendio villæ parumper maculatam, funditus deſtruxit, & à fundamentis aliam extruxit. Hoc ſolum in præclaris eius operibus numeratur. Cæterùm curiam ſequens, & eius infinitis perplexitatibus inuolutus, intendere quî potuit gregi ſuo? Interim verò Imperator Henricus quum iam alterã ſibi iunxiſſet vxorem, Vtonis marchionis relictam, nihil modeſtius in ea ſe geſſit,

Cap. 21.

1085.

Mathildis papæ ſtudioſiſſima.

1089.

Atrociſſima Henrici ſcelera, ſi non conficta, infrà cap. 27.

quàm priore. Nam filium ſuum Conradum, optimum adoleſcentem, & qui meliori parente dignus videretur, ad vxoris fertur inuitaſſe complexum. Quumque horreret infandum crimen bonus iuuenis, vt eum ad ſcelus animaret, fertur illi in aurem dixiſſe ſe patrem illius non eſſe, natum adulterio: & ideo torum ſuum non eſſe illi tantopere refugiendum. Magis magisque aucto in pudente iuuene horrore, meditatur patris cedere furori: idque fecit, concedens in Italiam. Vbi præſidio Mathildis nobiliſſimæ fœminæ ſuſcipitur, magnumque illi regnum paratur: nam pater illum iam antè regem iuſſit coronari. Regina verò elapſa de manibus Henrici, peruenit & ipſa in Italiam, ductuque Mathildis ad Vrbanum pontificem: qui deteſtatus ſcelera regis, renouauit excommunicationem in ipſum. Cæterùm regina vſa pontificis conſilio (qui eam fortaſſe toro Henrici abſoluit) reuerſa in patriam, monaſticam vitam ingreditur: & profecit in matrem multarum Chriſti puellarum.

Cap. 22. *Expeditio Hieroſolymitana.* PARABATVR per hæc tempora paſſagium illud grande in terram ſanctam, excitante Vrbano pontifice in Concilio Claromontenſi. Proceres Franciæ cum multis millibus militum & populo ſignantur cruce: inter quos Godfridus dux *de Buhon*. Lotharingiæ is locus eſt, non quidem ducatū habens, ſed quòd Godfridus dux dicitur, magnifica eius per Palæſtinam geſta fecere. Erat tamen materno genere ex ducibus Brabantiæ: nam auunculus eius dux erat Brabantinus. cæterùm pater eius comes Bononiæ Gallicæ, in parte maritima Picardiæ: ſeptem millia diſtat ea vrbs à Caliſia. Nihil mouerat Imperatorem Henricum zelus Francigenarū, pro Chriſto longinquā militiā ſubeuntiū, quo minus ipſe ſchiſma ſuum continuaret, filio etiā Conrado minitās arma. ſed modeſtus adoleſcens, quoad potuit, quieuit, cedens ſemper parenti. Henricus autem vbi videt omnia filio Conrado proſpera, impiumq; eſſe oppugnare cedentem & reuerentem, alia in eum intentauit arma. Nam depoſito eo, quem antè iuſſerat regem coronari, iuniorem filiū Henricū pro eo regem creauit. Nihil nocuit Conrado paterna inſultatio. Cauſam autem paternæ in ſe indignationis, paucis, & his familiariſſimis, detexit. Erat vir per omnia catholicus, & apoſtolicæ ſedi ſubiectiſſimus, plus religioni quàm armis aut faſcibus intentus, fortitudine tamen & audentia militari ſatis præſtans. Per nouem annos quibus ſuperuixit, Italiæ quædā loca, nomine & re rex habitus, gubernabat. *Conradi qui patrem Henricum deſeruit, virtutes & mors.* Lectioni quàm luſibus, vacare malebat: miſeris omnimodè, ſed præcipuè militibus inopia laborantibus, compaſſione erat proximus, nemini contemptum, nulli vim, nemini præiudicium intendens, omni perſonæ, omniq; conditioni fuit affabilis: inde non immeritò Deo & hominibus fuit amabilis. Hic ergo nono poſtquā à patris diſceſſit palatio protinus anno, Mathildis, illius magnæ & nobilis fœminæ, ſicut ſanguine, ita & contubernio & virtute iunctus, & in rebus per Italiam diſponendis, tam illius quàm apoſtolici, cæterorumque Deum timentium perſonarum conſilio ſemper vſus, immaturo præuentus occaſu, deceſſit, anno poſt Chriſtum,
1101. MCI. Sunt qui eum veneno ſcribant interiiſſe: teſtabantur qui aderant, in eius brachio crucem ſe vidiſſe. Eo etiam tempore Henricus Craſſus, filius Ottonis ducis, Bauaria pulſi, cæditur in Phriſia, cum multis aliis. Libenter vſi digreſſione propter nobilem adoleſcentem, ad Liemarum Hamburgenſem, ſiue (vt ex eo tempore cœpit vſurpari, quando ceſſabat legatio) Bremenſem archiepiſcopum redeamus: qui circa finem vitæ peregit, vt cōuentus in Herſefelde monachis impoſitis perficeretur. Iam erat poſt mille centeſimus primus annus, quum religioſum Deo ſpiritum redderet Liemarus, XVI. Cal. Iunij, quum annis triginta cathedram tenuiſſet: ſepultus in baſilica, quam ipſe à fundamentis erexit.

Cap. 23. IN eccleſia Paderburnenſi, ad annum Chriſti poſt MLXXX. quartum, Poppone
1084. mortuo, cœpit de ſucceſſore haberi controuerſia, quòd regnū eſſet diuiſum. Nam *Schiſma in eccleſia Paderburnenſi.* Hermannus dux Lutzenburgi, rex electus à Saxonibus, Henricū comitis de Aſlo filium, conſentiente capitulo, præfecit eccleſiæ. Sed Henricus rex, vt vbiq; æmuli Hermanni facta ſubuerteret, huic eccleſiæ præeſſe voluit alium Henricum, comitis de Werle filiū. Senſit motus hos eccleſia diu, dum quiſq; ſuæ parti ſtuderet: ſed vbi defecit rex Hermānus, cedere oportuit & illū quem pręfecit: pręualuitq; Henricus

ricus

ricus de Werle, qui eccleſiam illam rexit annis quadraginta quatuor. Sed in ſchiſmate quod diu continuauit rex Henricus, iſte epiſcopus non paſſus deſerere prouectorem ſuum, ſuſpenſus eſt diu à diuino officio per Moguntinum archiepiſcopum, apoſtolicæ ſedis commiſſarium. Tum verò Henricus colluctatus omnibus qui cum pontifice Romano ſenſerant, omnes pene epiſcopos Saxoniæ, Magdeburgenſem, Halberſtadenſem, Mindenſem, ac nonnullos alios, ſedibus ſuis eiecit. Ob eandem cauſam Saxones & Sueui obſederunt Wirtzburgum. Venit Henricus obſidionem ſoluere. Verſi in eum, repellunt venientem: & capta vrbe, verum reponunt pontificem, eiecto quem Henricus præfecit: & relicto vrbi militari pręſidio, abſcedunt. Reuerſus Henricus, ſuum reponit, æmulum eiicit. Ita ferox Bellona verſat res eccleſiæ, dum Henricus iura tuetur (vt putat) Imperij, pontifices nō cedunt eccleſiaſticæ libertati. Quod enim temporum neceſſitate indultum eſt Henrico tertio huius patri, vt de Romanis pontificibus diſponeret, non potuit iuri diuino præiudicare: quod vtique tradit, *Nolite tangere Chriſtos meos*. Nam immunitatem eccleſiæ & ſacerdotum, & reges Ægypti & Babylonis ante Chriſtum diu conſtituerunt, quod ſacræ literæ non tacent. *Facere mala, vt bona veniat.*

Halberstadensi eccleſiæ poſt Buccam (qui Goſlariæ cæſus eſt) præficitur ab Henrico Detmarus, vnde ortus, incertum, niſi quòd Henrico regi coniunctiſſimus creditur: alioqui non eſſet paſſus illum in media Saxonia ſurrogari. Continuauit autem idem rex ſchiſma ſuum, & antipapam fouit cum iis qui illi inhærerent. Sæuiit Henricus gladio in aduerſantes, viciſſim ſummi pontifices gladium ſuum ſtrinxerunt in omnes ſchiſmaticos. Archiepiſcopus Moguntinus Rotardus, & Conſtantienſis epiſcopus, apoſtolicæ ſedis commiſſarij, reconciliarunt omnes ad ſacra promotos per epiſcopos Henricum ſequentes, impoſitione manuum, vt executionem haberent miniſteriorum ſuorum: epiſcoporum autem reconciliationem ſedi apoſtolicæ reſeruarunt. Prodigij loco habitum eſt, vermiculos multos, quos multis regionibus erat cernere, non longè à terra volantes, ita vt manu vel virga tangi poſſent, groſſitudine quidem muſcis æquales, ſed longitudine diductiores: quorum tam infinitus erat exercitus, vt vnum pene milliariū in latitudine, tria in longitudine occuparent: denſitate autem ſua ipſam ſolis lucem obſcurare videbantur. Per quam prodigioſam viſionem, illā, quæ poſt quadriennium facta eſt, Hieroſolymam tendentium profectionem, quidam interpretati ſunt figurari. Secuta eſt autem hominum & pecudum intolerabilis peſtilentia, de aeris corruptione: vnde & illa tum nata fuere animantia, quæ mortua auxerunt intemperiem aeris. Signa quoque in cælo apparuiſſe ferunt, globos igneos variis in locis emicuiſſe, & deinde alia cæli parte ſe condiderunt. Angelicas multi interpretantur fuiſſe poteſtates, qui ad ſacram expeditionem inuitarent mortales. Nam Vrbanus papa in concilio Claromontenſi excitauit Gallos. Petrus, natione Hiſpanus, eremita, excitauit cæteras nationes, & ſe prębuit ductorem, aſſerens è cælis miſſam epiſtolam, quæ ad eam expeditionem nationes hortaretur. Ingreſſus eſt dux Godfredus cum duobus fratribus Balduino & Euſtachio, multiſque nobilibus & epiſcopis. Quæ verò peregerint, quia apud multos leguntur, à nobis prætereuehuntur. Cap. 24. *Vermiculorū prodigioſa multitudo.* *Epiſtola cælitus, demiſſa ad cogendum exercitum.*

Mindensi eccleſiæ per hæc tempora Henrici quarti, præfuit ordine pontificum octauus decimus Reinwardus. Cui controuerſiam de eccleſia mouit Volmarus, quòd adſtipulantibus cognatis, per ſecularem potentiam ſe putauerat ingreſſurum. Iam enim ambitio, pernicioſum malum præſidentium, irrepſerat in eccleſiam. Pax erat rebus à perſequentibus: multiplicabantur eccleſiarum prædia pontificum diligentia, & bonorum deuotione cordium: inde ſe inſinuauerat ſemen zizaniorum, quod perturbauerat tempora huius pontificis. Sed pręualuit iuſtitia & veritas: quia abactus eſt, qui non per oſtium (quod Chriſtus eſt) ſed aliunde tentauit intrare. Huius autem pontificis tempore, anno eius tertio, cœpit ordo Carthuſienſium ſub Brunone de Colonia, in diœceſi Gratianopolenſi prouinciæ Burgundię, quum ſeptem viri in literis primarij, ſe eius loci epiſcopo pręſentaſſent, rogantes locum in quo Domino deſeruirent, ſimul aperientes votum quod Cap. 25. *Imò verò iam pridem.*

conceperant. Et præualuit ſanctum eorum propoſitum, adſtipulante plurimùm & adiuuante eodem pontifice. Hic autem Mindenſis pontifex Reinwardus, annum Chriſti attigit octogeſimum nonum: & in craſtino beati Matthæi apoſtoli tranſlatus eſt ad meliora. Verſiculi in eius laudem ſeruantur, vtcunque tornati:

Hic eſt Reinwardus, animoſus vt leopardus,
Qui quaſi flos redolet, & vt aroma viget:
Vnde debetur ei iure corona poli.

Quam ſi eſt aſſecutus, ſatis proſpere proceſſit vt regnaret.

CAP. 26. OSNABVRGENSI eccleſiæ per ea tempora Henrici quarti præfuit Benno ſecundus (quem nos Bernardũ dicimus) ordine pontificũ eius loci decimus octauus: vir ab ineunte ætate Deo deditus, origine Sueuus. Qui quum ſcholis præfuiſſet apud eccleſiã Hildeſemenſem (docebant enim illa ætate ſcholaſtici ſacras literas, & habebant qui ſubdocerent in triuialibus) clarũ illi nomen ex doctrina, & ex vitæ religione, conciliabat eum Imperatori Henrico, Goſlariæ manenti illa tempeſtate. Quumq; vacaret Oſnaburgenſis eccleſia, Benno magnis ſuffragiis ab Imperatore aſſumitur: dabatq; operã, vt vitæ ſanctimonia, quantum dignitate, excreſceret. Moniales extra regulæ limites euagantes, retruſit ad obſeruantiã. In monte conſpicuo & amœno, ex altera parte monaſterium ſub regula diui Benedicti erexit: in altera parte arcem firmauit, Iborg nomine, inter firmiſſimas Saxoniæ. Imperatori paruit, ita tamen vt ſummo pontifici non contrairet. Deniq; quum Imperator hoc ageret, vt contempto Gregorio ſeptimo, antipapam ſurrogaret, latuit hic pontifex, nec voluit intereſſe concilio. Multa virtutũ eius referuntur inſignia. Præfuit eccleſiæ cũ ſumma laude per annos viginti: migrauit anno octogeſimo octauo poſt mille, vndecimo Cal. Auguſti. Fertur exturbaſſe glires prouincia, vt per multos annos non cernerentur, annis (vt ferunt) ducentis octoginta.

Scholaſticorũ antiquitus in eccleſiis quod munus.

1088.

CAP. 27. MAGDEBVRGENSI interea eccleſiæ poſt Hardwicum, diu perſecutione Henrici laborantem, præficitur Henricus de Aſlo comes, iamdudum ab eodem Henrico eiectus eccleſia Paderburnenſi. Venerat hoc tempore Henricus de Aſlo Magdeburgam: & quum Hardwicus aut iam functus eſſet, aut breui concederet è vita, aſſumptus eſt à fratribus in archiepiſcopum, nihil requiſito regis conſenſu. Quippe Saxones, ſicut à multis annis, ſic etiam nunc regi repugnauere, parentes mandatis apoſtolicis in regem: quocirca parui fecerunt regis aſſenſum vel diſſenſum, in aſſumendo archiepiſcopo. Erat autem vir Deo deditus, religioſus epiſcopus, & eo loco dignus: ſed non erat digna eccleſia frui virtute tanti viri. Nam anno quarto defecit, iam tum initio pontificatus ſui. Erant ex canonicis qui ambirent locum illum: quumque exiſſent vt regem adirent, & eius authoritate pontificatum inirent, obſeruata ſunt à bonis viris illorum veſtigia, & capti, pro cathedra, quam ambibant, carcerem acceperunt. Indignatur rex iſta audiens: ſed iam tantis erat implicitus nexibus, vt omnia pro motu gubernare non poſſet. Iam enim creſcentibus malis, & (vt Saxones noſtri ſcribunt) multiplicatis eiuſdem Henrici peccatis, & principes & pontifices habere cœperunt auerſos ab illo animos. nam neque diuini, neque humani iuris apud illũ reſpectus permanſit. Contempſit apoſtolica mandata, principes honore ſuo non habuit, proprium connubium turpare conſtituit: adulteria non ſolùm ipſe commiſit, ſed ſuaſit, hortatus eſt. Ea ſi vera ſunt, nec ab æmulis maiorem in modum elata, magnas cauſas præſtiterunt futuris eius calamitatibus.

Henricus in epiſcoporum creatione nimium ſibi conatur ſumere.

CAP. 28. VERDENSI per ea tempora eccleſiæ præfuit vir præcipuus Ricbertus, ordine vigeſimus tertius, nobilis (vt præſumitur) origine: quòd tum regia voluntate promotis pontificibus, primus erat locus aulicis, & qui alto ſanguine preferrent nobilitatem. Hic fratribus eccleſiæ ſuæ Verdenſis, conſentiente filio fratris ſui, comite Geuehardo, curtem in Honſtede cum omnibus attinentiis contulit in ſupplementum præbendæ. Nec hic erat modus benefactorum: plura enim contulit eccleſiæ, quæ ſcripta non ſunt. Hæc ſunt illa tempora, quibus Henricus quartus, rex in Germania, aduerſus eos qui pontificem ſequerentur, & in Italia aduerſus Conradum filium ibi regnantem, multa peregit: ſed non eſt proſperatus, aduerſante ſibi in Ita-

lia

lia Mathilde potentissima fœmina, de genere Saxonum: & in Germania, Sueuos cum Saxonibus & multis pontificibus habuit obuios. Nam Vrbanum Papa super ecclesiarum commotione multiplici, congregauit multa concilia, multa etiã promulgauit decreta. *Henricus rex sacris motus.* Inter quæ conuocatis ad Placentiam ciuitatem ducentis ferè patribus, Henricum Imperatorem, tam à se, quàm prædecessoribus suis, communione priuatum declarauit: maximè regina Henrici vxore adstante, multaque in illum nefanda ad aures totius synodi significante. Sed Vrbanus antequam ex hac vita migraret, spiritu instinctus diuino, Reinerium cardinalem sancti Clementis, sanctæ conuersationis & boni testimonij, abbatem Romanum designauit successorem deligendum: quem etiam reuelationibus insuper denotatum, vniuersa Romana ecclesia pastorem sibi consecrat inuitum. Expeditio interim in terra sancta prosperatur. Nam magnis difficultatibus emensi viam duces cum militibus, diuersis itineribus peruenerunt in terram sanctam: & multis antè vrbibus per Ciliciam & alias regiones captis, Antiochiam, & deinde post multa Hierosolymam recepere, anno Christi, millesimo nonagesimo nono. *Hierosolyma à Christianis capta.* 1099.

Cap. 29.

Mimigardevordensi verò ecclesiæ per eadem tempora præfuit Erpo, vir nobilis, sanguinem tangens (vt ferunt) Magnopolensem: sed erat illa tempestate nobilitas ista in paganismo non magnum habens nomen: Wandaliæ nobiles & Obotriti vocabantur ex antiquitate. Cæterùm Magnopolense vocabulum, Græco Latinoque compactum, ex veteri oppido *Mekelnborg* ortum habet, quod sonat magnã vrbem: hodie curtem vnã præfert, quales insidere solẽt militares. Erat hic pontifex nepos sui prędecessoris Friderici (quem ex marchionibus Misnæ ortũ ferebant) ordine decimus septimus in hac ecclesia: vnus ex iis qui cũ Dodone episcopo Leodiensi, & Godfrido duce Bulionis, ad exhortationem Vrbani papæ secundi, cùm magna expeditione populi Christiani mare transierũt, & Antiochiam cum ciuitate Hierosolyma receperunt. Reuersus est hic pontifex, voti compos factus, in patriã: & ecclesiã suã multis pòst annis feliciter gubernauit bonoq; fine consummatus, bonus Christi miles, pastorq; plebis emigrauit, sepultus apud sanctum Mauricium extra muros. In huius sigillo, quod hodie extat, scriptum cernitur, *Erpo Episcopus Mimigardeuordensis*. Durauit contumacia Henrici regis in ecclesia: nec emollitus est pietate ad imitanda Gallorum exempla, qui Christi militiam consectati, Dominicum sepulcrum & ipsam Hierosolymam ceperant, defenderant, & Christianismo reddiderant. *Gallorum in sancta expeditione obeunda laus.* Iam Wicbertus in antipapam erectus (qui tribus Romanis pontificibus superfuerat) dolens ac gemens quòd in eas vias perductus esset, concessit è vita. Iam videbatur ecclesia adunata, & vni subesse capiti, Paschali Romano pontifici. Henricus inde Imperator, habito cum principibus colloquio, Romam se profecturum, ac generale cõcilium ad Calendas Februarias inibi conuocaturum condixit: quatenus tam Imperij quàm apostolici causa ventilata, canonicè inter regnum & sacerdotium catholica vnitas firmaretur, quæ tot annis scissa permãsit. Constat tamen nec ipsum iuxta placita venisse, nec nuncia dignitati apostolicæ subiectionem profitentia misisse: quodque alterum papam ipsi Paschali superimponere (si fieri posset) sit conatus, nec tamen profecerit. Igitur vbi firmatus est Paschalis in sede apostolica, præcepit excommunicari Imperatorem ab vniuersis episcopis & Catholicæ ecclesiæ cultoribus: & continuantur mala per Germaniam.

Cap. 30.

Herandvs (quem alij Annales vocant Stephanum) per hæc tempora præfuit in ecclesia Halberstadensi, non sine contentione, propter Henrici regis schisma grauissimum. Sed Saxones semper fuerunt contemptores tyrannidis eius, etiam armis (vbi opus) sese tuentes ab illo. Sed hic bonus pontifex non diu præerat ecclesiæ suæ: tertio enim anno defecit, febre absumptus. Interim Imperator natale Domini Moguntiæ celebrans, filio suo Henrico regi, rerum summam dimissurum, seque sepulcrum Domini visitaturum, per Euerhardum episcopum publicè fecit prædicari: *Henricus sepulcrum Domini se adire velle fingit.* indeque fauorem maximum tam vulgi quàm principum, cleri, populi ac totius regni conquisiuit: multosque è diuersis regni partibus ad eiusdem itineris comitatum se præparare voto ipso succendit. Sed

cùm nihil se ad rem pararet, cecidere animi. Mutauit enim quàm frequenter sententiam, nihil veritus quid de se homines loquerentur. Sequentis anni natalia Christi Ratisponæ peregit, conuocauitque suæ obedientiæ principes & pontifices. Rarò autem conuenerant, nisi insigni aliqua cæde tempora signarentur. Nam proximo anno Moguntiæ cæsus est Cono, filius Ottonis, ducis quondam Bauariæ, nunc ad Weseram manentis, frater Henrici Crassi, quem Frisones ad se transgressum ceciderunt. Nunc autem comes Sigihardus à militibus regis cęsus est, incertum an iussu, an conniuentia eius. Sed per multa mala, quæ sub regimine eius gerebantur, parabatur regnum iam ab eo transferri ad filiũ Henricum, prima quidem fronte præferentem vmbram pietatis: sed vbi conualuit in regno, patris etiã acta in deterius superauit, ecclesiæ grauior quàm fuerit parens eius. Sed hæc in sequentibus.

Henricus pater & filius, ecclesiæ graues.

CAP. 31.

HVMBERTVS per ea tempora, post Liemarum agebat in archiepiscopatu, iam Bremensi. Nam Hamburgensis titulus ex die constitutorum in prouinciis Aquilonaribus archiepiscoporum, cœpit aboleri, quando retraxerunt obedientiam sedi Hamburgensi: desiitque legationis superioritas, quæ sub titulo Hamburgensi debebatur. Tenuitque archiepiscopatum annis solis tribus, qui pro suorum temporum breuitate nullis rebus insignitur in historia: vir vndecunque natus, nisi præcipuus extitisset aut stemmate sanguinis, aut eruditionis prærogatiua, ad archiepiscopatum tum non peruenisset, quando necdum erant libera electionis suffragia, sed Romani Imperatores se de sedibus archiepiscoporum vestiendis intromisere. Viuebat adhuc Imperator Henricus quartus: qui, vbi firmatus est in sede apostolica Paschalis, ab illo (vt à prædecessoribus) excommunicatur, & mandatur ab vniuersis episcopis catholicæ pacis euitari. Et quanquàm pater vmbram pietatis præ se ferret, de peregrinatione in terram sanctã, quia tamen nihil apparabat, filius Henricus (quem iam antè regem declarauit, & iussit consecrari) in Bauaria rebellionem molitur in patrem, machinantibus Dietpoldo marchione, Berengario comite, & Ottone quodã nobili, sibiq; materna stirpe cognato. Quorum consilio atq; auxilio ante paucos dies à patris latere discessit. Primò quidem hæresin patris anathematizans, apostolicæ sedis pontifici debitam profitetur obedientiam. Indeque sociatis sibi Noricis principibus (qui sunt nunc Austrij & Bauari) necnon à Sueuia & orientali Francia nonnullis nobilibus, ad Saxones conuertitur, à quibus honorificè suscipitur, & in Quedelinborg Pascha celebrans, in breui vniuersis Saxoniæ optimatibus potitus, dignitate regia satis est honoratus. Consilio tamen & ministerio Rothardi Moguntini, & Gebehardi Constantiensis episcoporum, responsalium Paschalis Papæ, totam Saxoniam Romanę sedis communioni reddidit, & reconciliauit. Episcopis verò & clericis conuentum generalem in villam regiam, quæ Northusen dicitur, IIII. Cal. Iunij indixit, vbi super ecclesiasticæ institutionis iam deprauata disciplina tractaretur. In quo concilio idem rex non modicam bonæ indolis spem, magna humilitate simul authoritate coram omnibus prætendit. Nam quum seruorum Dei conuentui nõ nisi vocatus interesse vellet (ingens enim ibi cum episcopis, abbatibus & clericis, etiã monachorum ecclesiasticã sitiens vnitatem turba confluxerat) tandem rex in abiecto productus habitu, stans loco editiore, omnibus iuxta decreta principum, suas leges atque iura rationabiliter innouauit. Si qua verò irrationabilia rogabantur, mira & vltra suos annos prudentiæ magnanimitate confutauit: in omnibus his inauditam seruans innocentiæ verecundiã, & Christi sacerdotibus dignã exhibens reuerentiam. Inter hæc obortis lachrymis, ipsum regem cæli testabatur, se nulla regnandi cupiditate paternum sibi regnum vsurpare, neque patrem ac dominum suum à Romano deponi Imperio exoptare: imò debitam pertinaciæ & inobedientiæ eius semper compassionem exhibere, si sancto Petro suisq; successoribus lege Christiana subiici velit, siue regno cedere, siue similiter sibi subesse, repromisit. Quod auditum omnis multitudo collaudãs, lachrymas simul ac preces tam pro patris conuersione, quàm pro filij prosperitate fundere cœpit: voce magna proclamãs, κύριε ἐλέησον. Rebus igitur ecclesiasticis ibi satis prudenter ordinatis,

Rebellio filij in patrem.

Henricus filius concilium aduersus patrem cogit.

ordinatis, assumpto secum legato Romano, Bauariam Saxoniamq; adiit, inuasores ecclesiarum synodaliter deposuit: reliquos verò fautores hæresiarchæ, ab officio suspendit, ac subiacere examini sedis apostolicæ coegit.

MAGDEBVRGENSIS ecclesia Henricum suum breui amisit: Nam secunda feria in Paschalibus, dum expectaretur de more venturus in monasteriũ montis, defunctus efferebatur tristi ministerio. Et in locum eius quintus Henricus, iam rex, constituit ex choro Halberstadensi egregium virum Adalgotum, vndecimũ ordine archiepiscopum, qui vndecim illi præfuit ecclesiæ annis. Eius institutum, vt quotãnis per Quadragesimæ singulos dies centum pauperib. singuli panes cum singulis halecibus tribuantur. Quo tempore Otto princeps insignis, origine Saxo (quem Henricus quartus ducatu Bauariæ destituit, reddiditq; Welponi Sueuo) rebus excessit humanis. Habuit autem hic Otto tres filios: Henricũ Crassum, quem dixere Landgrauium, hoc est comitem prouincialem, patrem Rixæ (quam duxit Luderus postea imperans) hunc Frisii ad se transgressum, armis perdiderũt in Norden: & Cononem, Comitem de Bichling, qui occisus est in conuentu Imperii Moguntiæ: & Sifridum de Bomeneborg, patrem iunioris Sifridi. Habuit idem Otto quatuor filias: quarum vna fuit mater Conradi de Witen marchionis: alia, mater Friderici comitis de Arnsberge: cuius vnam filiam duxit Godfridus de Arne nobilis baro, pater comitum Henrici & Friderici, comitum de Arnsberge: secundã duxit Otto de Cappenberge, cuius filia Elica, vxor Elimari, mater fuit Hẽrici & Christiani comitum de Aldenborg, & Ottonis maioris præpositi Bremẽsis: tertia, vxor fuit Hermanni de Caluela, quæ genuit Ottonem & Henricum comites de Rauẽsberge: quartam deduxit nequam seruus. Quilibet etiam filiorũ Ottonis ducis memorati, in comitatu Stadensi vnam habebat curiam: Henricus Crassus, curiam in Alerstede: Cono curiam, quæ dicitur Koninghoue, in villa Hersuelde, hic fundauit Katelenburg, & eandem curiam illi claustro dedit: quam postea Fridericus Stadensis primò oppignoratam, deinde emptam dedit Herseuelde: Sifridus habuit curiam Hetuelde, quam filius eius Sifridus dedit conuentui Amelingsborne, quam etiam pòst Henricus dux de Brunswig emit à monachis. Hanc tamẽ (vt dicitur) modò quidam abbas loci illius, apostatare volens, duci vendidit, conuentu ignorante: tandem medietate pecuniæ soluta, & re comperta, abbas fugit, & dux curiam vsurpauit. Hæc de Annalibus transcripta hunc teneant locum, vt antiquitatis perseueret memoria: præsertim in stemmate nobilium, de quo frequens est ignorãtia. Sed Humbertus, vt diximus, Bremensis archiepiscopus, vix expleto triennio vitã finiuit, anno quarto post mille centum à Christo & eius exortu.

CAP. 32.

Ottonis Saxonu posterorũ series.

1104.

MIMIGARDEVORDENSIS, quæ nunc est Monasteriensis ecclesia, passa est per hæc tempora, quod multæ aliæ, de suis pontificibus. Nam Henricus IIII. illi præfecit Burchardum, virum excellẽtem: sed illum velut schismaticum, & Henrico anathematizato subscribentem, eiecerunt ministeriales sui, & comes de Arnsberge. Sed Henricus quintus illum potẽter reposuit. Et vt expressius rem explicemus, Albanensis episcopus cardinalis, Apostolicæ sedis legatus, archiepiscopũ Coloniensem, & episcopum Monasteriensem Burchardum, ab officio suspendit: & ipse episcopus Monasteriensis, coniurantibus contra eum ecclesię ministerialibus, adnitente comite Westphaliæ de Arnsberg Friderico, expellitur, capitur, & ad Imperatorem Henricum quintum deducitur, & in vincula coniicitur: quem postea Henricus idem rex, Monasterium veniens, sedi suæ restituit. Fit conuentus tum in Natali Dominico apud Moguntiã totius regni Theutonici, tanta frequentia, quanta nunquam ab hominum memoria. Referebant qui aderant, quinquaginta duos optimates ibi tunc laicos principes, aut suprà, affuisse: adeo vt solus dux Saxoniæ Magnus (quem iam grauior ætas detinebat) defuisset. Ibi superuenientes Apostolicæ sedis legati, episcopus Albanus cardinalis, cum Constantiensi, sententiam anathematis in Henricum seniorem dictum Imperatorem à tot sibi succedentib. apostolicis sæpius promulgatam, scriptis simul & dictis testificantes, vniuersam multitudinem, imò totam toto orbe dispersam ecclesiam, ab eius communione, Christi & beati Petri authoritate, multis iam annis sequestratam confirmabant:

CAP. 33.

Pontifices vitio passim creantur.

Renunciatur Henricus ab ecclesia extorris

& eovsq; sententia inualuit, vt Henrico diadema tollendum, & ad filium decernerent transferendum. Venerunt ergo principes ad eum Ingelheim, Mogūtinus, Coloniensis, Wormatiensis, & Imperialia ab eo exegerunt insignia. Quam rem, quia in Saxonia scripsimus, hîc transilimus, ad ecclesiastica rursus exequenda redeuntes. Sed Burchardus tum restitutus, denuo laborabat sub Henrico, nihilo meliora moliente quàm pater eius: quæ suis temporibus attingemus. Paschalis autem pontifex tum in Galliis apud Trecas habuit generale concilium. In quo inter alia decretum est, quòd nemo inuestituram alicuius beneficii aut ecclesiasticæ dignitatis à manu laica excipiat, quoadusque hæc quæstio inter papam & regem synodaliter terminaretur: & restituit papa omnibus ecclesiis libertatem suam, vt secundū præcepta canonum prælatos sibi eligerent, quos dignos iudicarent. Quo tempore ex eisdem causis patriarcha Aquilegiensis, Leodiensis & Cameracensis episcopi, anathematizantur, Mindensis quoq; & Halberstadensis priuantur, Coloniensis & sui suffraganei ab officio suspenduntur: quia aberāt concilio generali: archiepiscopus Moguntinus, & episcopus Constantiensis suspenduntur, quia aliquos cōtra canonum statuta electos instituerunt. Henricus interim Paderburnensis profectus Romam, quia perplexitate quadam innodatus videbatur, obtinuit plenam restitutionem, per conscientiæ serenationem.

Inuestitura discordiæ malū.

CAP. 34. VERDENSI quoq; ecclesiæ per hæc tempora præfuit Harduicus, numero & ordine vigesimus quartus, qui sincerè fertur dilexisse ecclesiam, cui contulit prædium in Ride. Instituit etiam solennem memoriam tam fratribus quàm scholaribus, in anniuersario suo peragendam. Cuius temporibus res Wandaliæ occiduæ cœperunt paulum à paganismo respirare. Factum est enim, postquam Crito Wandalorum princeps, Christiani nominis persecutor acerrimus, iam cōfectus est senio, Henricus Godscalci filius, egressus Dania (vnde illi maternum & regium erat genus) percussit Aldenburg, iam in paganismo sedentem, & omnem maritimam Wandalorum prouinciam: duxitq; magnam inde prædam, & exterruit vetulum illum principem. Qui versus ad astus, simulata voluit amicitia iuuenem (quem armis vincere non potuit) opprimere. Præmonitus ab Sclauina Critonis vxore Henricus, quæ annis puellaribus senem exosa, ad nuptias aspirabat Henrici iuuenis: vnde factum est, vt ea prodente cæderetur Crito: &, quod ambo cupierunt, nuptias consociarunt. Accuset quis fœminam incontinentiæ, & pariter Henricum, quòd duxerit coniugem quę viri excidium procurauerit: sed odium paganismi, & amor restituendæ Christianitatis alleuat culpam vtriusq;. Conabatur autem Henricus, quantum potuit, Christianismum reparare: & paulatim profecit, ope virorū Christi zelo feruentium: quod suo loco ostendetur.

Crito Christi hostis, ab vxore proditus occiditur.

CAP. 35. MINDENSEM ecclesiam per hæc tempora in controuersia tenebat Volmarus quidam, canonicus Hildesemensis: quibus ex causis, satis ambigitur, nisi quòd temporum ratione coniectatur, esse nisum regia voluntate (vnde tunc pendebant omnia) Mindenses verò suo fretos iure, assumpsisse virum pontificatu dignum, quem etiam in eo defenderant. Poterant quidem hoc aduersus regem & Imperatorem, adiuuante eos tempore, quum rex magnis bellis implicitus, Saxonibus colluctaretur: quod in Saxonia diximus. Inde etiam Romanæ ecclesiæ se opposuit: vnde ei non minimus labor creuit. Continuauit autem iste Volmarus præsumptum pontificatum in annum quintū, donec miserabili & terribili (vt ferunt) morte consumeretur. Tradunt nonnulli cæsum nocte media in peccatis suis, gladio: beatumque Gregorium apparuisse custodibus ecclesiæ, & ostendisse pallam cruentā, nunciasseque mortem pontificis, vt eam cæteris patefacerent. Hanc tamen narrationem Annales non firmant, sed relinquunt legentis iudicio, quid credat. Multæ fabulationes per quorundam leuitatem, aliorum simplicitatem, se inseruerunt veris narrationibus, quibus vulgus inhæret, facile creditu, docti contemnunt. Sed tamen malè ingressum, deterius progressum, verisimile est non esse bene egressum. Quamuis operum districtionem non ostendat semper Deus in hoc seculo, seruās iudicio futuro: quædam tamen etiam hîc distringit, ne omnino peccatores sibi promittant impunitatem, & insultent longanimitati & patientiæ eius. Sed hæc interim de Volmaro.

Crebra in ecclesiis schismata.

Multa ad terrorem vel odium cōciliandum finguntur.

IN

CAP. 36.

IN Osnaburgensi ecclesia per hæc tempora quarti Henrici, præfuit Marquardus, ordine pontificũ decimus nonus, ex abbate Corbeiensi factus episcopus. Præfuit annis sex, & depositus est pontificatu. Non tamen memorant Annales causam & ordinem depositionis eius: sed datur conijectare, vt quoniam turbulẽtissima fuere tempora inter sacerdotium & regnum, inter summos põtifices & Imperatorem Henricum quartum, super inuestitura pontificum, quam vsque in illa tempora habuere Romani Imperatores, obnixi contrà nõ cedere iuribus Imperii, sed quæ ipsi comperissent, illibata relinquere successoribus. Romani pontifices, inchoante septimo Gregorio, dissimulandum non putauere, quòd laica potestas dominaretur ecclesiis, & de pontificibus & abbatibus soli curarent. In hac controuersia, diu continuata per multos pontifices, (præerat enim quartus Henricus ex puero annis penè quinquaginta) facilè fieri potuit, vt quoniam hic põtifex, vel apertè nimis se opponeret Imperatori, parens pontifici, ab ipso Imperatore fit ecclesia destitutus: aut econtrà, nimium pertinaciter inhærens Imperatori, fit à summo pontifice in exemplum aliis, & in terrorem destitutus pontificatu. Dum enim Annales de causa nihil attingunt, locum faciunt conjecturæ ex perturbatione tunc currentium temporum. Quæ vsq; adeo inualuit, vt filius patri æquiuocus, Hẽricus quintus, sese parenti opponeret pro Romanis pontificibus: & quadam pietatis specie in oculis totius conuentus regni, etiam lachrymas daret, testatus cœli Dominũ, pro matre ecclesia se opponere terreno patri, vt eum deturbaret Imperio. Quam rem in Saxonia nostra plenius sumus executi. Ipse tamen assecutus Imperium, victo & deturbato patre, rem nihilo fecit meliorem. Nam eadem impietate, maiore etiam sæuitia, quum esset Romæ cum exercitu, summum pontificem cum cardinalibus captum, Roma extraxit: minitatus mortem, nisi votis eius subscriberet pro Imperio. Perseueranter restitit Papa, donec victus lachrymis eorum, quos se occisurum minitabatur Imperator, verbo subscriberet, testatus vim & iustum metum: donec rediret ille in Germaniam cum exercitu: quum retractaret Papa, quæ per vim & iustum metum illi essent extorta. Sed tandem cessit Imperator, passus rem componi ad ecclesiæ nutum, per submissos in eam tem cardinales. Quod idcirco nunc memoraui, vt videatur quæ potuerit esse causa depositi huius Marquardi, posteaquã annis sex præfuit ecclesiæ Osnaburgensi. Erat autem tum annus millesimus nonagesimus tertius, in quem incidit huius pontificis depositio, quum adhuc in Imperio esset quartus Henricus, pater iam senex: iam etiam ab annis in tanta calamitate, quam filius inferebat, miserandus, si posset amor dominandi flecti ad misericordiam.

Papa iugum quo premebatur, excuterẽ cogitat.

Quod suspicionem præbet, non eam fuisse rebellandi causam.

1093.

Vera rebellionis causa.

CAP. 37.

FRIDERICVS eius nominis primus, in ecclesia Bremensi successit Humberto: tenuitq; per annos octo, vt ferunt annales: sed, vt ego arbitror, octodecim: nisi antè decennio vacasse sedem, aut alium interpositum fateamur archiepiscopũ, cuius nomen non sit illatum fastis. Nam hic Fridericus fertur obiisse mortem vigesimo tertio post mille centum. Quumq; decessor eius anno quarto (iuxta eosdẽ Annales) excesserit, alterum ex duobus necesse est: aut inter Fridericum & Humbertum fuisse alium medium, aut sedem tam diu vacasse. Quorum quum sit neutrum verisimile (relatum enim esset in Annales) fatendum est, hunc Fridericũ ad annum decimumnonum peruenisse. Cuius tempora nihil insigne aut memorabile, quod ad religionem pertineat, præferunt: nisi quòd illa cõtentio tunc super Stadensi comitatu erat inter nobiles: necdum enim peruenerat (vbi iam diu fuit) ad ecclesiam Bremensem. Superiori quidem ætate, quum Albertus pontifex frequenter in conuentu Imperii versaretur sub Henrico III. nobilis è Sueuia domina, cui nomen Ida, in Stadensem comitatum in villam Elstorpe, quam exædificauit, sese collocabat. Denupserat primò Lupoldo nobili viro, cui filiam peperit Odam, quam primò sanctimonialem fecit in Rintelen: postea inde translatam, Russorum regi coniugem dedit. Erat autem Ida non vulgari nobilitate progenita: nam Henricus III. illi patruus erat, & Leo papa IX. (cui pridem Brunoni nomen erat, quum esset Tullensis episcopus) illi erat auunculus. Ea filia, quam Russorum regi diximus denuptam, viro peperit filium Warcislaum: mortuoque rege, ex thesauris regiis

Stadensis cõmitatus contentionis materiem præbuit.

magno auri pondere, quia asportare non fidebat, in terram defosso (quũ ministros operis, vt nihil horum proderent, de medio iussisset auferri) cum paruulo filio, mores exosa gentis, redibat ad matrem. Filius tamen postea reuocatus in regnum, eò transiit: & matris reuelatione defossum thesaurum reperit, & accepit. Ida verò, posteaquam primus maritus in fata concessit, duobus post inuicem iuncta est maritis, Dedoni, & Etelero Albo: qui ambo comitatum administrantes in Thietmarsia, ab insolenti populo per seditionem oppressi, interierunt. Ex quorum altero filiam sustulit Rikensam, siue Rixam, quam Eilmarus comes de Oldenburg vxorem accepit: indeq; sustulit Eilmarum filium: qui per tempora huius Friderici archiepiscopi mouit quæstionem Vdoni marchioni, comitatũ Stadensem iam tunc tenenti, in quo sæpe dictæ Idæ hæreditas (super qua nunc agitur) erat collocata. Tenebat autem Vdo cum comitatu dictam hæreditatem non vno iure, sed duplici: quòd virili prole deficiente ex Ida, ad eum quasi directum dominum, feudum reuerteretur (sed hoc fortè iure tunc necdum vtebantur) alio autem capite peruenit ad Vdonem. Filium Idę Egbertum, congressus Vdo oppressit in acie. Mater orba filio, quũ terrenam consolationem non acciperet, Romam deuotionis gratia inuisere constituit: peruenitq; itinere trãsmisso. Erat in Romana sede auunculus eius Leo, quẽ tertius Henricus ad sedem illam, rogatus à Romanis, animauit & prouexit: quam rem in Saxonia quia diximus, hîc transimus. Leo neptem suam perbenignè accepit, conquestamq; de filii peremptione consolatur: hortatus, vt pro remedio peccatorum suorum inimicos diligeret, iniurias ex animo remittat, eisdem, quod in se est, reconcilietur: vt in ea conualescat euangelicum præceptum, & crescat meritũ patientiæ in vitam æternam. Quæ exhortatio tam profundè descendit in animum fœminæ, vt reuersa in patriam, Vdonem filii oppressorem non solùm non odiret, sed etiam reconciliatum, filii loco adoptaret. Ille non ingratus adoptanti fœminæ matri, curtes de suis multas permisit: quas viuens illa pro arbitrio administrabat: quum autem moreretur, Vdoni omnia sua reliquit. Quam rem Eilmarus iunior, comes de Oldenburg, nepos ex Idæ filia, subuertere conatus, iudicio cœpit experiri: sed nihil profecit. Nam Fridericus quidam, Stadẽsis comitatus pro Vdone administrator, gratia illum & ære à petitione submouit. Quis autem, & vnde fuerit iste Fridericus, postea dicemus.

Thesauri abscondendi ratio.

Inimici ex præcepto quomodo diligendi.

CAP. 38.

SED ab Osnaburgensi ecclesia non statim nobis discedendum, quia per hæc tempora deposito Marquardo, vigesimus ordinatur episcopus, cui nomẽ erat Wido. Cuius temporibus hoc solùm memorabile, pariterq; miserabile commemoratur, quòd vetus ecclesia Osnaburgensis incendio conflagrarit, tumultuariè tum disiectis sanctorum reliquiis, per trepidationem eripere incendio festinantium: vt diu ignoraretur, quem in locum essent translatæ, donec diuino miraculo innotesceret, & ad priorem cultum reuocarentur. Præfuit autem hic Wido ecclesiæ suæ per annos octo (quum adhuc Imperio potiretur quartus Henricus, necdum à filio deturbatus Imperio) peruenitq; viuendo ad annum primum post mille centum,
IIII. vndecimum. Calendas Maii (sicut Domino placuit) translatus ab hoc exilio, meliora nactus est regna, vt confidimus.

Reliquiæ incendio amissæ restituuntur.

ALBERTI KRANTZII
METROPOLIS, LIB. VI.

CAP. I.

Stadensis comitatus Bremensi ecclesiæ quondam attributus.



QVIA in ditione Bremensis ecclesiæ, comitatus Stadensis atque Thietmarsiæ ab olim fuere, operæprecium est eam rem ab antiquissima memoria reuocare. Magnus Carolus quum ecclesiam Bremensem fundaret, terminos eius distinxit, & limites assignauit in literis, vt esset ecclesiasticæ ditionis, quicquid illis finibus includeretur: non tamen voluit, nec debuit, suo quenquam iure despoliare. Erant in his locis viri potentes, qui subiectos agros cum

cum plebe tenerent. Diſcreuit Imperator agros eccleſiæ fructificantes, omnem autem terrã eccleſiaſtico iuri ſubeſſe voluit: quo modo & cæteri principatus reſpondent eccleſiis de ſuis iuribus, primitiis, decimis & oblationibus. Tales in diſtrictu Bremenſi dominatus ante Carolum fuere, & permanſere in Chriſtianiſmo. vnde Stadenſis comitatus, qui ſemper annexam habuit Thietmarſiam, ex his fuiſſe creditur: & tranſiit in ius marchionum Vdonis & filiorum eius, per tempora Henrici tertii. Peruenitq; per Hartwicum poſtea archiepiſcopum ad eccleſiam Bremenſem, à qua abſtulit eum comitatum Henricus Leo dux Saxoniæ. Sed hæc poſtea. Per tempora autem quæ tenemus nunc in manibus, ſub Friderico archiepiſcopo, Stadenſem comitatum adminiſtrabat quidam Fridericus pro Vdone. Operæprecium eſt agnoſcere, qui & vnde fuerit iſte Fridericus adminiſtrator comitatus: vt temporum ſeriem agnoſcamus, & humanarum rerum varios caſus, & cõtumelioſam multorum fortunam, & patrum impiàs leges nõnullas agnoſcamus. Quo tempore ſenior Vdo marchionatum, cui tum inerat Stadenſis comitatus, adminiſtrabat, venerant ex Anglia nobiles fœminæ, mater & filia, Albim fluuium naui aſcendentes, cum ingenti theſauro, quem nobiles fœminæ ſecum extulerant fugientes. *Inhumanitas deteſtanda in naufragos.* Naufragium paſſæ (vt eſt infidus nauigantibus ille fluuius) peruenere in ditionem Stadenſem. Mox barbarico ritu miſerè inuaduntur, rebus omnibus ſpoliantur, trahuntur ipſæ in prædam cum vniuerſis rebus, vendicantur in ſeruitutem. Calamitoſa rerum conditio, quæ afflictis afflictionem aggerebat. Sed ex paganiſmo durabat adhuc illa immanis barbaries. Mater ſeruitura pertrahitur in domum Vdonis principis, coniugi eius aſſecla futura. Filia & ætate & forma præſtabat: inuenit ex aulicis qui eam acciperet coniugem, cui multas illa filias peperit: quæ nuptiis impleuere plurimas domos miniſterialium, qui nunc amant dici militares. Vna ex his Reinoldo cuidam denupta, filios peperit Fridericum & Vlricum, cum nonnullis filiabus. Cæterùm filii ætatem aſſecuti idoneam, ſtrenuos ſe rebus gerendis præbuerunt: vnde illis crédita eſt adminiſtratio Stadenſis comitatus. Ea tempeſtate tres è Dania pontifices, magno ſecum ducto auri pondere, Albim fluuium tranſierunt, Italiam fortè petituri. *Spoliantur onuſti auro ſacerdotes.* Sed vbi innotuit, aurum illos in zonis magnum habere, perierunt in flumine auri portatores: miſerabile dictu. Non erant in Bremenſi ditione bene habiti, neq; gratis oculis viſi, qui pridem archiepiſcopo ſubiectionẽ denegaſſent. Fridericus & Vlricus eò tum accepto auro ſunt locupletati: fortè ſecum reputantes, qua infelicitate auia atq; proauia aurum quod ſuum erat, amiſere naufragio, illis per eandem viam licere vnde locupletentur, corradere. Non laudo factum, ſed coniecto conſilium. Quo theſauro inſoleſcentes fratres memorati, nihil ſecum mediocre cogitarunt.

VLRICVS alter ex fratribus, Imperatoris ex illo die curiam ſequitur, ita ſe nobilitati inſinuans. CAP. 2. Vbi quum ſe iactitaret inſolentius, Vdo marchio ſciſcitatus à circumſtantibus, mancipiúmne ſuum vbique liceret vendicare: illis reſpondentibus licere, ſublata manu alapam dedit Vlrico, addens cõuicium, quid ſe ſeruus nobilitati insereret? *Qui naui fracta eiiciuntur, ſerui habentur* Cæſar circumſpiciens, indignatur: illi arma ſtringunt: ſed interuentu cæterorum res quietatur. Goſlariæ tum erat comitatus Cæſaris, quum interim pater Vdo defeciſſet, filiusque eius nominis non diu ſuperfuiſſet. Henricus iunioris filius, puer nomine magis quàm re, maiorum ſuorum hæreditatem tenebat. Nam adminiſtrationem comitatus Fridericus memoratus habebat. Et vt maiori ſecuritate idem Fridericus rem ageret, adiit Imperatorem Henricum quintum, eique quadraginta marcas auri puri oblatas donabat: orans, vt quoniam eſſet ingenuus ac nobilis ab origine, licet parentes eius barbarica lege ex naufragio in ſeruitutem vocarentur, nemini liceret quæſtionem ſibi ſtatus mouere: vtque Cæſaris protectione ac beneficio libertatem, ingenuitatem, nobilitatemque generis ſibi tueretur. Conceſſit Imperator, auro hilaratus. Luderus autem dux Saxoniæ, quam prouinciam pridem Luderus idem, mortuo duce Magno ſine prole maſcula, ab Henrico Imperatore acceperat (quòd magnam iam partem in dotem inde accepiſſet) infeſtus erat Friderico dicto. Nam quum dudum illi bellum cum Vdone fuiſſet marchione, Fridericus ei (vt debuit) primus ꝓ domino ſuo reſtitit. Is ergo

Frideric' multorum odio premitur.

dux Fridericum Bremensem archiepiscopum stimulauit, vt dictum Fridericū velut mancipium suum, in seruitutem vendicaret, quòd ibi auia & proauia eius fuissent (vt diximus) naufragatæ. Instituit in illum pontifex querimoniam. Cęsar solenni misso nuncio causam agi curauerat: sed Rodulphus comes, iunioris Vdonis frater, quum infensus Friderico incumberet, placitis interfuit. Videns autem Fridericum plebeiis niti testibus, indignatus, tumultum excitauit: & captum inde Fridericum in Soldwedel abduxit. Sed Imperator Henricus, ne frustra videretur aurum accepîsse, vinculis solutum iussit secum manere, donec ira nobilium deflagraret. Restitutus autem in administrationem suam, nō facilè potuit obliuisci iniurię pridem irrogatæ: totis igitur conatibus vindictam cogitabat. Quum igitur Henricus puer (proximi Vdonis filius, & maioris nepos) nomine quàm re magis, Stadensis comes haberetur, administratio verò libera esset Friderico, Rodulphus patruus assumpto secū puero Henrico (qui illi ex Vdone fratre nepos esset) magna manu militari Stadium petit. Fridericus vix prænoscens, alia vrbis parte egreditur, fuga sibi consulens, noctis & nemoris beneficio: peruenitq; ad Luderum Saxoniæ ducem: quem auri etiam fulgore victum, in suas iam partes traduxit. Illi occupatis quas inuenissent de Friderici rebus, comitatum ipsi exinde administrantes tenuerunt. Interim Luderus dux iam aduocatiam Bremis (hoc est vrbis imperium) ex capto Liemaro (vt diximus) archiepiscopo tenuit, arcemq; Vorden fundauit: totiusq; Saxoniæ viribus, de restituendo ad comitatum Friderico deliberauit, de suo interim cogitans prouentu: nam facilè ex Friderico, qui prolem non haberet, ad se reuerteretur. Quomodo autem ad ecclesiam Bremensem hic comitatus peruenerit, inferiora docebunt. Nunc verò permansit in manibus marchionum, nihil obstante molitione Luderi atque Friderici.

Saxonem iratum anteasibi placat.

CAP. 3.

Thietmarsi vetustatem cōmentitiam sibi tribuunt.

THIETMARSIÆ quoniā mentio incidit, antiquitatis eius memoriā quanto possumus longius repetamus: præsertim quia & nunc & ab olim se ecclesiastici fuisse iuris confitetur is populus. Prætereo autem fabulationes ferentium ex Romano populo hanc esse gentem ortam, & in argumentū eius rei nomen ducis Romani esse relictum nationi, vt ex Tito Marco, Thietmarsi dicantur. Adiiciunt, Romanorum familias etiā nunc in terra illa permanere: nam Columnenses Sulmans, Vrsinos Bermans hodie extare, & reliquos eius ordinis. Sed hæc inania sunt, puerilia, fabulosa, & risu digna. Nam Titus Marcus ambo prænomina sunt, vni viro nunquam ex Romana consuetudine attributa. Romani autem quomodo tam longè peregrinarentur, ex Italiæ fertilissimo solo, cæloq; clementissimo, in horridam palustremq; regionem? Sed securitati, inquis, suę prospexere, vt longè essent ab vrbe, timentes nescio quid ab Imperatore. Conuellit autem totam hanc machinā, quòd nomina Columnensium & Vrsinorum (de quibus hi tanquā antiquissimis glorientur) hesterna sunt, & in vrbe Roma recentia, vt vix trecentesimum superent annū: quum Thietmarsi ante quingentos commemorentur. Magis autem arbitror indigenam gentem, quòd ex vetustissimis Germaniæ populis, teste Tacito & Beroso, Marsi numerentur. Fabulationem verò, quam Saxonum Speculum introducit, de origine Macedonum, in principio Saxoniæ nostræ subuertimus. Marsos autem in hoc angulo seruasse nomen suum, coniecto, cum aliquāta diuersitate, vt alii Thietmarsi, fortè à riuo iam non apparente: alii Wilstermarsi, alii Crempermarsi, à suis quiq; riuulis dicantur. Et quoniam gens illa palustribus & à flumine Albi irriguis locis habitat, omnes qui ad fluuios accolunt, ab his sumpsere nomen, vt Marsi dicerentur. Sunt & in Italia Marsi, qui si sint origine Germani, incompertū habeo. Multas tamen olim fuisse transitiones nationum, nouas sedes quærentium, est compertissimum: multoque plura sunt in his & similibus rebus facta, quàm scripta. Thietmarsos ergo gentem habeo indigenam, origine vetustissimam, vsq; ad Marsi patris (qui filius erat Tuisconis, & is Iani Noe) antiquitatem.

Columnenses & Vrsini quā vetusti Romæ

CAP. 4.

IGITVR quòd vetustissima habetur in literis Annalium nostrorum huius gentis commemoratio, hoc est, quòd marchionibus suberat ea pars Transalbinorum, à memoria Henrici tertii Imperatoris, sub quo Dedo & Ethelerus Albus, ambo post inuicem Idæ nobilis ex Sueuia fœminæ mariti, comitatum Stadensem

cum

cum Thietmarsię gubernauere, ambo in Thietmarsia oppressi cæsiq;. Stadensis autem comitatus, qui vsq; in hæc tempora cum Thietmarsia apud marchiones per- *Stadensis comitat⁹ variis dominis subest* mansit, ad Rodulphum Vdonis fratrem, & filium eius Rodulphum nouissimū, qui & ipsi sunt post inuicem ambo in eadem terra cæsi: & peruenit Thietmarsia in ius Hartwici, qui frater erat iunioris Rodulphi, filius itidem Rodulphi. Is Hartwicus casum fratris patrisq; veritus, Thietmarsiam tradidit ecclesiæ Bremensi, accipiens vicissim comitatum ab ea Bremensem: qui iam alia ratione ad ecclesiam peruenit. Factus autem archiepiscopus idēm Hartwicus, vtramq; ditionem pertraxit ad ecclesiam Bremensem, in cuius iure vtraq; ditio in hodiernum permansit. Superiori quoque memoria ad tempora Ottonum, marchionum ditio fuisse Stadium comperitur. Nam Sifridus inde marchio pugnauit aduersus Ascomannos (sic enim piratæ tum Dani vocabātur) egressos de mari: de cuius posteritate fuisse Vdones creduntur. Tentauere plures Thietmarsiam subigere, post tempora cæsorum in ea co- *Thietmarsi dominationis impatientes.* mitum: sed varia fuit fortuna, victores victiq; abscessere. Casus autem nouissimus ad annum Christi M D. fuit omnium grauissimus, qui cum pondere suo memorabitur suo tempore: nunc digressione missa reuertamur in viam, ad Fridericum Bremensem archiepiscopum, cuius tempora sunt in manibus. Cuius opera Vicelinus vir Deo deditissimus, incomparabilis acrimoniæ in studio lucrandarum Deo animarum, magna instantia verbum vitæ in Faldera (quam ipse postea, ædificato in ea parte monasterio, nouum monasterium fecit appellari) prædicauit: quum ille ab archiepiscopo cōmendaretur, viro terræ primario, Marquardo, & Henrico Wandalorum principi, Godscalci Christianissimi viri (qui etiam pro Christo occubuit) filio, cui erat Vicelinus acceptissim⁹: & perinde in veteri Lubica, quæ erat in Zuartow, prædicans, multos ex Wandalorum gente Christo lucrabatur, annitente & plurimum adiuuante eodem Henrico, Christo fideli. Status autem rerum per Holsatiam tum is fuit. Nam Crito Wandalorum (quos Sclauos dixere) princeps, Christiano nomini infestissimus hostis, quū sępius euastata Holsatia & Stormaria Hamburgum igni & ferro subiecisset, Lubicam nouā, in eo quo nunc manet loco, communiuit, anno Christi quarto post mille centum: sed tamen veterem, tanquam mu- 1104. nitiorem, in loco Zuartow nō omisit. Quumq; senuisset Crito, Henricus Godscalci filius, materno genere ex regibus Daniæ ortus, redibat in Holsatiam: & occulta nonnunquam cum paternis amicis sumpsit colloquia. Critonis vetuli vxorē iuuenculam nonnulli conciliauere Henrico. Præposuit mulier iuuenem seni: & pacta *Mulier religionem prodendo marito promouet. Sup. lib. 5. cap. 34.* Henrici nuptias, maritum prodidit hosti. Obtruncato igitur Critone, mulier quod in pacto cauit, accepit, Henrici nobilis viri torum consecuta: & ille Magno duci Saxoniæ fecit fidelitatis iuramentum. Orientales autem Wandali cum occidentalibus conspirauere in Henricum, quòd Christianus esset, & Saxonibus pareret: maximè veriti vindictam, quam ille sumeret de cæso patre suo. Sed inito prælio, Wandali victi sunt & cæsi: & facti sunt omnes qui superfuere, Henrico subiecti. Exterminauit ille latrunculos, & pacem constituit Holsatis. Exieruntq; de latibulis suis, & tranquillitatem temporum acceperunt. Christianismum verò Wandali pertinaciter recusauerunt: nec erat ecclesia in vniuersa terra, præterquam in veteri Lubica, eo quòd Henricus ibi cum familia frequenter versaretur.

CAP. 5.

QVA tempestate Luderus marchio (qui & Vdo) habita conuentione cum Magno duce Saxoniæ, & Friderico Bremensi archiepiscopo, vehementi infirmitate cœpit repēte laborare: deportatusq; Hersueldiam, ibi diem clausit extremum. Eodem anno, qui fuit sextus post mille centum, Magnus dux Saxoniæ, decrepitæ se- 1106. nectutis, finem viuendi fecit: & dedit rex Henricus quintus ducatum Ludero co- *Saxoniæ ducatus quomodo in Luderi manus venerit.* miti, eo quòd Magnus filium non haberet, & Luderus magnam Saxoniæ partem à marchionibus Saxoniæ prouenientem, & ab Ottone duce (qui ad Weseram habitabat, pulsus ab Henrico IIII. Cæsare Bauaria) per dotem teneret. Magnus autem Saxoniæ dux, ex linea Hermanni ducis (quem primus Otto extulit) duas reliquit filias: quarum prima Eila, nupsit Ottoni comiti de Balingstede, cuius posteri sunt comites de Anholt: genuitque Otto Albertum marchionem, cognomento Vrsum. Altera filiarum Wulfildis, data est vxor duci Bauariæ Welpo, siue Catulo:

quæ peperit ei Henricum Welpum, Henrici Leonis patrem. Luderus autem quũ obtinuisset ducatum Saxoniæ, gubernauit Saxones cum Wandalis, Henrico principi suo parentibus. Quo etiam tempore Comes Holsatorum Godfridus, cæsus est à latrunculis Wandalorum: deditq; dux Luderus comitatum nobili viro Adulpho de Scowenburg comiti: fuitq; pax inter Henricum Wandalum, & Adulphum comitem. Hoc est illud tempus, quo Henricus rex v. eius nominis, deiecto patre, regnum occupauit: quod in Saxonia scripsimus: & Italiam ingressus, nihilo se meliorem sedi Apostolicæ exhibuit quàm pater suus. Quam rem qui nosse volet, requirat ab illo loco. Circa hæc quoque tempora claruit vir sanctitate præcipua, Otto Bambergensis episcopus: qui, inuitante pariter & adiuuante Bolislao Polono, adiit peregrinationem ad gentem Wandalorum, qui dicuntur Pomerani: prædicauitq; barbaris verbum Dei, omnemq; gentem illam cum principe suo Warcislao cõuertit ad Dominum: quod in Wandalia explicuimus, nunc temporum designatione abimus contenti. Fridericus autem archiepiscopus, expleto sui cursus tempore, 1123. anno Christi MCXXIII. migrauit ad Dominum.

Henricus V. pulso patre regnum occupat

CAP. 6. HALBERSTADENSI ecclesiæ præfuit per tempora quinti Henrici, Reinhardus, vir vndecunq; natus, præstans: nobili tamen prosapia ortus creditur, quòd episcopatus illa tempestate per arma gubernati, non aliis quàm magna & nobili progenie editis credebantur. Erat grauissimum ea tempestate bellum Henrico v. aduersus Saxones. Habitauere Imperatores Goslariæ, & Saxonum gentem ad ea tributa & pene seruitutem deuocabant, qua in cæteros vtebantur. Sed non erat ea animis Saxonum humilitas, vt ad nutum subiicerentur: armis libertatem adserere (vt sæpe aliàs) sunt aggressi. Henricus rex duxit in eos, castraq; posuit in locum Welpeshold. Saxones cum duce suo Ludero, & Reinhardo Halberstadensi archiepiscopo, ex aduerso ascenderunt. Congressi sunt, & ancipiti prælio dimicauere: sed tamen Saxones infracti permansere, victoriaque sunt potiti. Quo etiam tempore quum vocasset Imperator Wandalorum gentem, Saxonibus infestam, vt inuaderent ea parte prouinciam, detinerentque illa parte Saxones, ne Imperatori occurrerent, Otto de Balingstede comes, qui tum orientalem Saxoniam (quæ nunc est vetus Marchia) tenebat, Wandalis inde promotis ad arma se opposuit: & eodem penè tempore, quo Luderus submouit arma Cæsaris, ille quoque superauit Wandalos: vt magna parte cæsi, multique ex his capti, non se venisse gaudebant ad arma. Ita gemina tum victoria Saxones vno pene tempore sunt potiti. Hic est Otto marchionum & comitum de Anehold progenitor, magnæ stirpis & nobilissimæ familiæ stipes.

Regnum Christi ex hoc mundo non esse desiit.

Saxones Henrico V. fiunt pugna superiores.

CAP. 7. HILDESEMENSI tum ecclesiæ post Vdonẽ (qui varia fortuna diu præfuit) surrogatur Bertoldus, ordine decimus nonus: vir eo loco non impar, & genere & moribus optabilis. Præfuitq; ecclesiæ suæ cum magna laude per annos sedecim, pacem ipse, quantum potuit, amplexus, quum vndiq; bella detonarent sub v. Henrico. Peracto in loco Welpesholde insigni prælio, erexere Saxones trophæum, virũ scilicet in statua armatum, claua subnixum, arma Saxoniæ tenentẽ, equinum candidum pullum. Rustica plebs (vt est superstitioni propior) idolum coluere, tanquã veterem Saxoniæ deum, quẽ Iodute dixere. Permanet hodiè execrabilis illa vox, vt in omni repentino periculo exclament eo more Saxones. Deriuatum autem autumant ex Italico verbo, *Io mi adiute*. hoc est, me adiuuate: siue à memoria Drusorũ permanserit in prouincia, siue citeriori ætate manauerit per quamlibet occasionẽ in nostram gentem. Sed tum viri sensati horrentes superstitionem sacrilegam, deiecto trophæo capellam erexere: nunc aiunt esse monasterium ordinis prædicatorum. Sed tum Saxones, quum non ignorarent infensum sibi regem imminere, longius circumspectabant auxilia, ad Albertum Moguntinum archiepiscopum fœdera iungentes: qui Henrico erat infestus, quòd diu illum Cæsar carcere tenuisset, & ciuium solo fauore erutus esset. Iam enim Saxoniam auferre Ludero, & conferre Hogero de Mansfelt comiti, cogitabat. Sed aduersum ei prælium in Welpesholt, subuertit cogitationem eius: nam ibi cecidit Hogerus memoratus. Albertus vero vtroque gladio desæuit in Henricum (nam legatus erat sedis apostolicæ) vt il-

Plebs in superstitionem facilè labitur, magnæ tamẽ traditionum partin magistra.

vt illius vbiq; partes infirmaret. Excreueruntq; Henrico tam magna in aduersum, vt facilè Saxonum obliuisceretur. Nam redibat in Italiam, & antipapam erexit in veros pontifices, Paschalem, Gelasium, Calixtum: demum sub Calixto res pacata est: quod in Saxonia scripsimus.

MAGDEBVRGENSI interim ecclesiæ post Adalgotum præficitur Rotgerus, Cap. 8. vir potens, qui opponebatur viribus & minis Wiberti, burggrauii Magdeburgensis: qui sub Adalgoto, viro Christianissimo, multas ecclesiæ intulit ærumnas: sed nunc viribus Rotgeri retusus, conquieuit. Præfuit autem annis iste solis sex. Non ab Imperatore inuestitur, quòd esset ille dudum censuris innodatus: sed ab legatis sedis apostolicæ, ecclesiæ suæ iura suscepit. Deinde sub Calixto summo pontifice, qui Burdinum antipapam captum inclusit monasterio, sancitum est, ne amplius sibi Imperialis potestas vsurparet inuestituram spiritualium, sed libera fieret electio à clero & à populo: & sic insigniretur regalibus per sceptrum. Quod papa & Imperator confirmauerunt: sicq; pax rediit inter sacerdotium & regnum. Comitatum interim Stadensem Fridericus iste, origine Anglus, in administratione habuit, fauente ac defensante Ludero duce Saxoniæ: qui tum in arce Vorden firmauit præsidium, & gubernabat pene omnia per diœcesim Bremensem. Sed Henricus marchio puer, qui hæreditabat eum comitatum (cuius etiam nomine memoratus Fridericus tenebat administrationem) veneficio interiit, non dubium cuius machinamento. Quo defuncto, comitatum Stadensem, quem prius habuit Fridericus in administratione, obtinuit per pecuniam ab archiepiscopo Bremensi in beneficio: hoc est, vt infeudaretur ecclesiæ nomine de ipso. Quo autem iure peruenerit ad ecclesiam, non satis compertum est: nisi credamus à Cæsare impetratum, vt deficienti fine legitimo & suo hærede, succederet ecclesia. Erant enim comites Thietmarsiæ fratrueles eius: qui cur non successerint, non satis apparet.

Inuestitura magistratui adempta, electio libera ecclesiæ redditur

MIMIGARDEVORDENSIS ecclesia tum de episcopo suo laborabat. Nã Cap. 9. Burchardus ibidẽ constitutus à suis ministerialibus, eiicitur, & Henrico regi præsentatur: qui illum seruauit aliquandiu in carcere: sed deinde reuexit cum honore in ecclesiam suam. Efferuescente autem bello inter Henricum Cæsarem & Saxones, quum Burchardus suum restitutorem negligere non potuit, iterum eiicitur: & Theodoricus de Wintzenburg reponitur: donec illum quoq; Henricus rex eiiceret, Burchardum reponeret. Quum autẽ Henricus Imperator iam summo pontifici reconciliaretur, Burchardus quoq; de sua ecclesia fit securus. Sed erat causa, cur illum Imperator ablegaret pro magnis causis ad Imperatorem Constantinopolitanũ: in qua legatione moriẽs defecit. Tum Luderus dux, & comes de Wintzenburg, Theodoricum suum reduxere. Sed erat tanta ciuium & ministerialiũ ecclesiæ pertinacia, vt nullo modo sibi paterentur præesse Theodoricum: armis cogẽdi erant, vt parerent. Qua in conflictatione quum iacula ignita mitterentur, cum vniuersa ciuitate conflagrauit ecclesia sancti Pauli. Sed dux compatiens tantę iacturę, ꝓspexit vt impendio suo pro magna parte, & ecclesia & ciuitas restauraretur. Quos in prælio multos iure militari captos, & morte mulctauit: & ecclesię ædificandę sic prospexit, vt quorum opera male defensa perierit, eorum pecunia de nouo fundaretur. Erat ea tempestate homo ferox, comes de Arnsberg, Fridericus, qui se Westphaliæ dominum prętenderet. Is quum arcem vetustissimam ab Hunorum memoria in Weiuelsburg renouasset, multos inde incursans firmauit: sed ille haud diu pòst vitam finiuit. Theodoricus in ecclesia sua in finem vitæ permansit, reparationi structurarum & reformationi morum, tum plurimum necessariæ, institit: perfecitque ad bonum modum, priusquam viuendi finem faceret.

Episcopus per vices eiectus & receptus.

Ecclesia in contentione de episcopo conflagrat.

PADERBVRNENSI ecclesiæ circa hæc tempora præficitur post Henricum Cap. 10. Bernardus, eius nominis primus: qui rexit ecclesiam annis tribus & viginti. Quo tempore, mortuo Henrico quinto, ad Imperium prouehitur Luderus, pridem comes de Supplenburg, iuxta Brunswicum, inde dux Saxoniæ, ad extremum rex electus Romanorum. Fremuerunt Franci (si diis placet) quòd virum Saxonem supra se viderent. Non illos dico Gallos, sed Germanici generis Frãcos: quorum domus proximos quatuor habuit Imperatores, Conradũ, & tres deinde Henricos, tertiũ,

Regnum Germaniæ à quatuor, continuo ordine, ex eadem familia tenetur.

quartum,& quintum eius nominis. hoc eſt, proauum, auum, patrem, filium, qui erat quintus Henricus, ſine prole moriẽs: quod illi dicitur imprecatus Paſchalis papa, quum illum captum in eccleſia diui Petri Roma eduxit, captum tenuit, comminatus illi & ſuis mortem, ni faceret quod iubebat, conſecrationem(imò execrationem) illi impendens,& conferens non priuilegium, ſed prauilegium, inueſtiendi epiſcopos & abbates. Quod quia iuſtus metus extorſit, poſtea reuocabatur. Sed tũ Luderus Saxo regnum obtinuit, rebellantibus illi Friderico & Conrado fratribus, Alſatiæ ducibus: quòd Friderico ſumma ſpes eſſet conſequendi regnum. Peruenit res in apertum bellum: obſedit Luderus Spiram. Qua in expeditione quum fere omnes per temporum conſuetudinem nutrirent comam, multis in exercitu & per caſtra Luderi fulmine ſunt exuſti capilli: & credita eſt vltio diuina: ceſſauitq; ea abuſio nutriendorum & tantopere excolendorum capillorum. Sed ceſſere Ludero principes, rebus ad bonum modum compoſitis. Interim Romani tumultuãtur aduerſus Innocentium pontificem. Petrus Leonis papatum inuaſerat, eiecto vero pontifice. Innocentius deſcendit in Franciam, inde Leodium: vbi conuocato concilio, aderat Luderus Imperator. Multa ibi conſtituuntur, deducitur papa Romam ab Imperatore: ibi Bernardus Paderburnenſis epiſcopus à præſente Romano pontifice impetrauit priuilegia, ad vſum rationalis, in certis temporibus pro ſe & ſucceſſoribus ſuis. Conflagrauit iterum ciuitas cum eccleſia, quod ibi crebrius quàm alibi quomodo acciderit, ſatis eſt mirabile, quum aquis abundet vicinis, imò ad eccleſiam effluentibus. Imperatori ſe præſentauit Daniæ rex Canutus, qui cum duobus regnum eſt partitus, Waldemaro & Zuenone (erant enim fratrum filii aut fratruelium) & tum ſe ſubdidit Imperio, recognoſcens ſuperioritatem. Sed quia reuerſus in regnum, obtruncatus eſt à Zuenone, Dani non receperunt eam ſubiectionem.

Petrus Leonis papatum vi occupat.

CAP. II.

HALBERSTADENSIS eccleſia, poſt Reinhardum accepit præſulem Ottonem, virum proculdubio nobilem. Qui quum decem annis eccleſię ſuæ præfuiſſet, conuictus de ſimonia, à ſummo pontifice deponitur Honorio. Feruebat noua conſtitutio ſuper eccleſiis, de manu laica non recipiendis, facta compoſitione inter Calixtum & Henricum Imperatorem: & quoniam res noua fuit, ſancienda erat inflictione pœnæ, vt horrerent contemptores,& in viam redirent. Otto fortè non magni faciens, aut non attendens quod conſtitutum fuerat, Ludero pro eccleſia blanditus eſt,& neſcio an & largitus. Depoſitus eſt ergo ab Honorio: ſed in concilio Leodienſi reſtitutus eſt ab Innocentio, interueniente Ludero rege. Ille interim Romam reducens Innocentium, ab illo coronatur cum vxore, Imperiali corona. Cœpitq; in diebus Lotharii Cæſaris (ſic enim Luderum appellauere Itali & Galli, quod Lotharii nomen Imperatorium illis videretur, Luderi autem, incompertũ) oriri noua lux non tantùm in Saxoniæ finibus, ſed in vniuerſo regno, tranquillitas temporum,& abundantia rerum, pax inter regnum & ſacerdotium. Sed & Wandalorum populi iuxta Holſatiam agebant ea quæ pacis ſunt, eo ꝙ Henricus eorũ princeps, comitem Adolphum & contiguos Nordalbingorũ populos, omni fuerat beneuolentia amplexatus. Quo tempore non erat eccleſia in omni gente Lutinorũ, Obotritorum,& Wagriorũ, niſi in ſola Lubeke veteri: eo quòd Henricus ibi Chriſtianus princeps, cum familia ſua moraretur. Surrexit eo tempore ſacerdos Vicelinus, venitq; ad principem Wandalorum Lubeke: orauitq; præſtari ſibi facultatẽ prædicandi verbum Dei intra terminos ditionis ſuæ. Natus eſt hic vir præcipuus de Quernhameln. Manſit aliquandiu in arce Euerſtein, cum matre Conradi comitis: inde inuidia ſacerdotis, per Statium in Achilleide diſturbatus eſt. Requiſiuit enim ex eo, legeritne Statium in Achilleide, propoſuitq; verſum illi ex poeta: quem quum expedire non poſſet, erubuit: abiitq; Paderburnam,& ibi ſub Hermãno docente apud eccleſiam, vigilantius literis incubuit. Dedit autem illi Dominus intellectum & cor docile: cœpitq; breui in docẽdo magiſtri coadiutor exiſtere. Orationi ſæpius vacãs, omnium ſanctorũ ſuffragia efflagitabat, præcipuè verò beati Nicolai, cui ſe ſpecialius mancipauerat. Vnde etiã contigit, vt quadam vice eiuſdẽ natalitia celebraturus, in oratorio ſanctæ Brigidæ ſocios cõuocauerit: vbi veſpertino & matutino

Deponitur episcopus ob simoniam.

Episcopus pudore ad discendas literas cõpellitur.

matutino officio ſolenniter expletis, angelicæ voces à quibuſdam ſunt auditæ, pſallentes iuxta morem cleri, reſponſoriū, *Beatus Nicolaus iam triumpho potitus.* Poſt mortem igitur confeſſoris Chriſti Ludolphi de Feulo, ſub Friderico archiepiſcopo vocatur Bremam: ibiq; ſcholas ſtrenuè rexit. Poſtea cum quodam iuuene Thietmaro perrexit in Franciam, ſtuduitq; ſub magiſtris Rodulpho & Anshelmo. Tribus igitur annis in ſtudio tranſactis reuerſi ſunt: Thietmarus Bremæ fit canonicus: Vicelinus Magdeburg ad Nortbertum veniens archiepiſcopum, fit ſacerdos. Sed hîc interponenda ſunt aliorum tempora, vt deinde ad Vicelinum redeamus.

Angelorum cum hominib. concentus.

MAGDEBVRGENSIS eccleſia ad initium regni Lotharii tumultuabatur ſuper epiſcopis: tres enim de eius pontificatu contenderunt: Adeo intumuerūt canonici, iam liberalem electionē nacti: ſperabat ſibi quiſq;, & amicis & infinita ambitione contenderant pro epiſcopatu adipiſcendo. Nec finis erat contentionū: donec Luderus (ſiue Lotharium dixeris) omnibus deſtitutis, ſuaſerit vt Nortbertum, virum religioſum, ordinis Præmonſtratenſium, ſumerent archiepiſcopum. Surrexerat paucos ante annos ille ordo in Burgundia, in diœceſi Landunenſi. Colonienſis hic erat Nortbertus, & in Burgundia eius ordinis inchoator. Peruenit autem in Magdeburgam, miſſus à Deo, & accepit loci archiepiſcopatum, quem tenuit per annos octo. Ad hūc Nortbertum venerat Vicelinus, vir Deo & ſempiterna dignus memoria, vir religioſus ad religioſum, & de manibus archiepiſcopi accepit ſacerdotium. Sed de Nortberto necdum recedimus, requirentes quomodo vir nouam ferens religionem, præfuerit aut diuerſæ religionis fratribus, aut canonicis ſecularibus. Equidem Otto magnus dum expeditionem primam terminaſſet in Italiam, voto conſtrictus, quòd milites ſui ſe inuito monaſterium diui Mauricii male habuiſſent, nouum extruere monaſterium in honorem eiuſdem diui Mauricii. Idq; opere compleuit, dum rediret in Magdeburg: ibique fundauit monaſterium fratrum diui Benedicti, Mauricium faciens ſanctum loci tutelarem. Ad ſequentia verò tempora quum cerneret creſcere ciuitatem, multiplicariq; populum Chriſto crediturum per vicinam Wandaliam, erexit in eodem loco eccleſiam Metropolitanam: cui præfecit (vt diximus) Adalbertum, monaſterio Maximini de Treueri tranſlatum. Sed quum eſſet eccleſia futura metropolitica, non erat fratribus diui Benedicti locus, propter ceremonias multas, fratrib. alienas, in eccleſia prima peragendas. Igitur deputauit Otto fratribus locum extra muros in monte, vbi iubebat refici cœnobium. Tranſlati ſunt igitur, licet plurimum renitentes & inuiti, & in vigilia Laurentii emigrarunt, cuius emigrationis mœſtiſſimæ diu annuam pere gere memoriam, in vigilia diui Laurentii. Prædia pridem data illis, remanſere ad cultum. Cæterùm eccleſiæ metropoliticę contulit, quæ pater ſuus Henricus largitus eſt epiſcopatui Vallerſleue: qui ex illo die ceſſauit, tranſlatus potius quàm extinctus. Tum verò in Magdeburgo crediderim regulares fuiſſe canonicos, ſicut ferè per omnes eccleſias: donec degenerarent in eam quæ nunc eſt formam, quæ ſi Deo placita ſit, ipſe nouit: cæterum ſcripturis & legibus diſſona nimis eſt. In vniuerſum loquor & de maiori numero: cæterùm eſſe Deo placitas in his animas nemo dubitet. Talibus quum accederet regularibus cum noua regula Nortbertus, facilè obtinuit vt nouitati cederent, ſumentes habitum eius, vt Nortbertini exinde dicerentur.

CAP. 12.

Libera electio ſuis non caret incommodis.

Monachos & canonicos ob ceremonias diuerſas, idem locus capere non poteſt.

Krantzius canonicorum ordini iniquior.

BREMENSI eccleſiæ (nam Hamburgenſis titulus paulatim aboletur, retracta obedientia Aquiloniarium prouinciarum) poſt Fridericum præficitur Adalbero, vir & prudentia & religione ſingulari: cuius pontificatus initio mirabilia multa fuere. Nam Henricus Wandalorum princeps, vir optimus, exceſſit rebus humanis: & Henricus puer, marchio, comes Stadenſis, immatura morte diſceſſit: quum Fridericus (cuius de origine proximè multa diximus) comitatum ab eccleſia Bremenſi ſumeret in feudum, quem habebat antea pueri nomine in adminiſtratione. Adalbero diœceſim ſuam vigil viſitabat: nam legationis dignitas iam antiquata, remiſit noſtris pontificibus laborem longinquæ peregrinationis in prouincias Aquilonis. Ex qua re honor etiam & titulus Hamburgenſis eccleſiæ aboletur: cui titulo inhærebat legationis miniſterium. Deperiit autem (quod ſuprà attigimus)

CAP. 13.

Hamburgenſis eccleſiæ metropoliticus honor deſinit.

ex eò quòd prouinciæ illæ ſuos acciperent in regno metropolitanos. Adalbero autem pontifex trans Albiam veniens in Miltendorp, quod nunc oppidum Thietmarſiæ Meldorp vocant. Ibi ab Holſatis conuentus rogatur, vt Vicelinum pridem terris ſuis cognitum, illis prædicatorem diuini verbi confirmaret. Ille pronus annuit, & Vicelinum iterum atq; iterum illis propter barbariem Wandalorum commendauit. Ergo ſub Adalberone pontifice Vicelinus cum Ludolpho Hildeſemenſi, & Rodolpho Verdenſi canonicis, legationem accepit in gentem Wandalorum. Iam Henricus gentis princeps, vltimam agebat ætatē. Quo ſuperſtite, legatio profecit vehementer: illo autem ſublato, quum filii eius parum paternæ virtutis oſtenderent, breui ſunt euerſi vt interirent. Variaq; deinde fortuna ac maximo labore per annos XXX. prædicationem continuans Vicelinus, ad extremam etiam ipſe properans ætatem, quum iamdudum in Faldera nouum monaſterium erexiſſet, fratribusque impleſſet, ac religioſè diu gubernaſſet, epiſcopatum promeruit, vir ſanctitate præcipuus, in Aldenburg: quod ſuo tempore commemorabitur. Sed ad ſuperiora pauliſper redeamus.

Vicelinus euā gelium Dei apud Wādalos propagat.

CAP. 14. QVVM res in manu Vicelini prædicantis creſcerent in immenſum, venerunt ad illum Ludolpus, Eppo, Lutmundus, Folcardus, ſacerdotes, mercedem in vinea Domini laborantium cum illo accepturi. Quo tempore Canutus iunior, Henrici filius, in oppido Lutkenburg, quum inſolentius ageret, eſt interemptus: Suenteploch frater, ſolus obtinuit principatum. Qui iuncto ſibi Adolpho comite, cum Holſatis atque Stormariis expeditionem fecit in terram Obotritorum (hi ſunt Magnopolenſes) obſeditq; vrbem Warlo. Qua in poteſtatem ſuam redacta, vltra eſt progreſſus ad vrbem Kiſſin, quam hebdomadis quinq; obſedit: eaq; ſubacta, acceptis de implenda fide obſidibus, Suenteploch reuerſus eſt Lubeck: Holſati, cæterique in ſuas quiq; ſedes redierunt. Videns autem Vicelinus ſacerdos, quia princeps Wandalorum humanius ſe gereret erga Chriſticolas, acceſſit eum, & innouauit apud eum paternæ promiſſionis cœptum: impetratoq; principis fauore, miſit in vrbem veterem Lubeke venerabiles ſacerdotes, Ludolphum atq; Folcardum. Qui benignè recepti à mercatoribus, habitauerunt iuxta eccleſiam ſitam in colle, quæ eſt è regione vrbis trans flumen. Rugiani autem Wandali, quòd inimicarentur generi Godſcalci principis (quem ipſi cum cæteris coniuratis oppreſſerunt) facto agmine, per mare aſcenderunt Trauenam: Lubicamque veterem aggreſſi, oppidum cum arce ſua demoliuntur: ſacerdotes autem tam diu perſtiterunt, donec hoſtib. per vnam eccleſiæ ianuam irrumpentibus, per aliam vix elaberentur: & ad Falderam refugerunt. Suenteploch autem princeps, non longè pòſt interfectus eſt, dolo cuiuſdam Daſonis prædiuitis de Holſatia. Reliquit ille filium nomine Suinecke: ſed & ille interfectus eſt non diu pòſt, apud Eteneburg: defecitq; ſtirps Henrici in principatu Wandalorum. Tranſlatus eſt autem principatus ille ad nobilem virum Canutum, inter Danos regii ſanguinis, cui cum Henrico Wandalo ex Henrici matre & ſanguinis neceſſitudo, & morum ſimilitudine, maxima, dum viueret, familiaritas & ſincera charitas interceſſit: vt etiam rogaret Henricus Canutum, quia filiorum ignauiam proſpiceret, ditionem ſibi Canutus poſt ſe haberet commendatam: perduxitq; Henricus Canutum ad Luderum (tum ducem Saxoniæ, poſtea imperantem) vt eius authoritate cuncta fulcirentur. Quamdiu autem ſuperfuerant liberi ex Henrico, Canutus amici functus munere, conſilio & auxilio illis non deerat: vbi defecerunt, morte ſubtracti, permittente Ludero iam Imperatore, Canutus Wandaliam regebat: intantum commendatus regi, vt coronam illi imponeret, nominans regem Obotritorum. Sed quoniam hæc in Dania, in Saxonia, in Wandalia, pro ſua vbique parte attigimus, nunc breui commemoratione tranſimus.

Obotriti bello ſubiguntur.

Canut' ob virtutem admirabilis, regium nomen accipit

CAP. 15. 1134. INTEREA ad annum Chriſti trigeſimum quartum poſt mille centum à Chriſto, quum Canutus Obotritorum rex in Dania cæſus eſſet, ſucceſſerũt in principatu Wandaliæ Pribiſlaus atq; Niclotus: altero Wagrienſium & Polaborum, altero Obotritorum, quæ eſt Magnopolis, prouinciam gubernante. Chriſtianis nullus locus ſub his videbatur, inualuitque nimis idolorum cultura. Vicelinus autem, qui

per

per tempora Canuti Obotritorum regis (cui erat pro vtriuſq; virtute familiariſſimus) plurimam in gentem verbum Chriſti diſſeminaſſet, cerneretq; zizania nimis ſuperexcreſcere, adiit Imperatorem Luderum (Lotharium vocant Itali) in Bardewico tunc agentem: expoſuitque multos conatus reducendi Chriſtianiſmi in Wandaliam eſſe fruſtratos: non niſi in manu forti ceſſurum populum. Eſſe opportuniſſimum locũ muniendæ arcis in terra: quæ ſi firmaretur, ſub iugo poſſet populus contineri. Miſit Imperator qui ſpecularentur. Placuit locus editiſſimus: iubet conuenire gentem Wandaliæ omnem, quæ Saxonibus parêret. Venerant Wandalorum primores, iubentur operas partiri ad arcem inibi firmandam. Tunc inter ſe collocuti Wandali alter ad alterum, Quis, inquiunt, Imperatori prodidit locũ illũ? ego tibi auguror, ex hac arce, in omnem Wandaliam grauiſſimas nobis gentique noſtræ excurſiones imminere. Ad quam vocem quidam eorum, Vides, inquit, homuncionem recaluum Imperatori adſtantem? (Vicelinum autem demonſtrabat) ille nobis malum hoc inuexit. Firmatur arx in monte, nomenq; ſortitur, vt Mons victoriæ, hoc eſt, lingua noſtra Segeberg, diceretur: quum pridem eſſet illi nomen Alberch. Quam Imperator cuidam Hermanno ex ſuis miniſterialibus commendauit: eccleſiamq; ad radicem montis iuſſit extrui, quam vna cum Lubecenſi, in vrbe veteri, commendauit Vicelino. Et quum per id tempus obiiſſet Fridericus comes Stadenſis, Imperator veniens Herſfeldiam, pecuniam quam Fridericus comes Stadenſis eidem monaſterio contuliſſet, ſexcentas marcas argenti, altari abſtulit. Ordinatiſque rebus, dedit ducatum Saxoniæ genero ſuo, Henrico Catulo, duci Bauariæ, qui erat ex matre nepos Magni Saxoniæ ducis. Quem etiam ſecum aſſumens, profectus eſt ſecundò in Italiam: ibique defecit in reditu.

Idololatria denuo graſſante euangelij curſus ſiſtitur.

Arcem extrui Wandaliæ grè ferunt.

Cap. 16.

VICELINVS autem legationis ſibi creditæ ſolers curator, idoneas euangelio perſonas ad opus ſacri miniſterij conciuit: ex quibus Ludolphum, Hermannum, Brunonem in Lubeke cõſtituit, Lutmundum cum cæteris in Segeberg. Iſte Lutmundus poſtea factus eſt præpoſitus in Heſlinge, & clauſtrum tranſtulit in Zeuenam locum, quo etiam nunc manet. Qui conuentus olim habuit inſignes abbatiſſas, quarum nouem ſepultæ memorantur in Heſlinge: nunc verò ſolùm eſt prioratus. Obitus deinde Imperatoris Lotharij (ſiue Luderi) & aſſumptio Conradi Sueui, res quoque harum partium perturbauit. Nam Conradus rex non paſſus præeſſe vnum duobus ducatibus, Saxoniã ademptam Henrico Bauaro, dedit Alberto, nomine Vrſo, marchioni de Brandenburg: qui & ipſe nepos erat Magni ducis Saxoniæ, ex altera filia. Occupauit Albertus arcem Luneborg, & vrbem Bardewick cum Brema. In id enim licentiæ proceſſum fuit, vt vrbem Bremam eccleſiæ ademptam, duces ſibi vendicarent ex eo tempore, quo Luderus captum Liemarum archiepiſcopum laxauit, dato illi vrbis imperio, vt diximus ſuprà. Adolphus quoque Holſatiæ comes (nam pater in fata cõceſſit, quum ſequeretur fidem Henrici Bauari, & ſocrus eius Rixæ, quondam Imperatricis) cedere Holſatia, quã ex Ludero tenuit, armis cogebatur. Eamque Albertus commendauit Henrico de Badewide comiti, qui etiam arcem Segeberg occupauit, Hermanno, quem Luderus præfecerat, iam mortuo, pulſis cæteris, qui obſtare videbantur. Quo etiam tempore Pribiſlaus Wandalorum princeps, nactus temporis opportunitatem, quum videret principes Chriſtianos inter ſe collidi, facto impetu, ſuburbium Segeberge euaſtauit, oratoriũ incendit. Ex fratribus quoſdam, quum pertinacius ſacra tuerentur, gladio cecidit: alij fugerunt in Falderam. Qui verò Lubeke demorabantur, in arce ſtabant cum principe Pribiſlao, qui illis non aduerſaretur. Vnde coniici poteſt, expeditionem illam non odio Chriſtianitatis, ſed odio tributorum aut aliunde eſſe excitatam. Viderant tamen alligatos à barbaris Chriſtianos trahi, ac dirè tractari. Vigebat adhuc in gente Wandalorum diuerſitas ſuper principatu, inter poſteritatem Critonis & Henrici. Aberat Pribiſlaus domo, quum aduerſæ factionis hoſtes Lubecam inuadunt, veterem arcem cum oppido demoliuntur: ſacerdotes elapſi, Falderam requirunt.

Henrico Bauaro Saxoniam Conradus adimit.

Principum Chriſtianorũ diſſidia perniciosa.

Cap. 17.

VICELINVS pater iterum cernens opus diaboli præualere, Chriſtiq; honorem poſthaberi, ingemuit: orationibusq; & lachrymis intentus cum fratribus, hoc

armorum genere interim militabat. Henricus verò qui Holſatiam adminiſtrabat, ſategit paria in Wandalos pridem excurrentes referre: nam crebrius euaſtatis vicinis locis, cum præda redibat. Holſati autem priſtinæ virtutis memores, inuicem hortati, etiã ſine comite arcem & præſidiũ Plone oppugnãt, & capiũt: firmanteſq; præſidium militum, exinde tenuere pro ſuo. Henricus interea Bauarus, Saxonia eiectus, viribus comparatis, redibat, & amiſſa recuperabat, & Albertum conſobrinum ſuum viciſſim eiecit, rediitque cum illo Adolphus de Schowenborg comes in comitatum. Sed Henricus ille pridem impoſitus, quum partibus ſuis diffideret, abiturus, omnia igni conſumpſit, quæ antè firmauit: in Segeberg & Hamborg, arcem firmiſſimam, quam opere murato mater comitis ibi fundauit, fugiturus deiecit: & quicquid ſenior Adolphus exædificauit, ipſe fugiens proſtrauit. Ita rediit Adolphus ſecundus in antiquam poſſeſſionem & paternam ditionem. Sed mortuo non diu pòſt Henrico Bauaro, filius eius Henricus Leo paruulus, ſucceſſit in vtroque ducatu. Mater autem pueri quum aduerſaretur Adolpho Holſatorum comiti, dedit Wagriam (quæ iam capta fuit à Wandalis) memorato Henrico de Badewide: præſertim quum ille bonã ibi partem gladio cepiſſet. Quum autem mulier illa, Henrici Leonis mater, ad ſecunda vota cõuolaret, nubens Henrico fratri Conradi regis (quem ille ducem Auſtriæ crearat) abalienata negociis Saxoniæ, Adolphus apud pueri tutores egit, vt Wagria accederet Holſatiæ, ſibique redderetur: Henricus autem acciperet terram Polaborum, qui eſt comitatus de Raceborg. Ita rebus compoſitis, Adolphus inſtaurauit arcem Segeberge, cinxitq; muro. Ædificauit deinde ciuitatem in loco qui dicitur Bucu, quem olim inceptauerat Crito, cui ex vna parte Trauena præterfluit, ex altera lacus ingens Wakeniſſe: appellauitque eam Lubeke, eo quòd non longè eſſet à veteri Lubica, quã Henricus princeps Wandalorum firmauit. Erat autem poſt M C. annus quadrageſimus. Ea eſt quæ nunc floret ciuitas opulentiſſima, omnium vrbium Saxonici nominis ornatiſſima: cœperuntque inhabitari deſerta Wagrienſis prouinciæ: & multiplicabatur numerus accolarum eius, de variis nationibus, quos inuitauit datis agris Adolphus, immunitatemq; præſtabat per certos annos tributorum. Venerant ex Weſtphalia, Phriſia, Hollandia, qui accolerent.

Henricus Bauarus Saxoniam recuperat, & vaſtitatem magnã edit.

Lubica noua conditur.

1140.

Cap. 18. VICELINVS tum quoque prædia recepit, adiutorio comitis Adolphi, quæ Imperator Lotharius ad vſum monaſterij & ſubſidia ſeruorum Dei, non longè à Segeberge donauit. Viſum fuit eſſe ex commodo fratrum, propter tumultus ab arce, & crebras conuentiones militarium, monaſteriũ in proximo villagio (quod Sclauicè Cuſalina, Saxonicè autem Hagerſtorpe dicitur) fundare, & eccleſiam nihilominus in memorato loco relinqui. Miſit Vicelinus Folcardum ſacerdotem, cum induſtriis viris, qui oratorio & clauſtralibus officinis exædificandis operam darent, maneret tamen prior eccleſia ad radicem montis in Segeberg. Eo tempore Thietmarus, Vicelini quondam diſcipulus, relicto decanatu Bremenſi, deuouit ſe Falderenſi collegio: qui deſtinatus Hagerſtorpe, tranſmigrationi nouæ magno fuit ſolatio: vir vtique in ſpirituali conuerſatione ſummæ perfectionis. Vicelinus quoque nouellæ eccleſiæ ſibi commiſſæ ſolers curator, omni ſtudio peregit, vt eccleſiæ opportunis locis ædificarentur, prouidens eis de Faldera tam ſacerdotes quàm reliqua neceſſaria. Per hæc tempora comitatum Thietmarſiæ marchionatui ſubditum, Rodolphus Rodolphi filius, marchio marchionis, regebat: & per inſolentiam habitatorum cæſus (vt pater ſuus) interiit. Frater autem eius Harduicus, maior, erat Bremenſis præpoſitus: egitq; apud pontificem Alberonem, vt conceſſo patrimonio ſuo eccleſiæ (erat enim legitimus ſucceſſor in Thietmarſia) perficeret vt in perpetuum is dominatus apud eccleſiã remaneret: ipſi viciſſim, quoad viueret, Stadenſis comitatus, quem iam liberè tenebat eccleſia, permitteretur. Placuit vtrinque commutatio, authoritate Cæſaris roborata: qui etiam comitem Palatinum dedit Hartuico defenſorem. Henricus interim Leo puer, per tutores & conſiliarios querimoniam excitauit archiepiſcopo Alberoni, coram Imperatore Conrado: quòd idem archiepiſcopus pollicitus diceretur matri Henrici, vt defuncto Friderico Stadenſi comite, comitatum illi permitteret. Poſt multas querelas,

Monaſterium in arce extructum, aliò transfertur.

Stadenſem comitatum eccleſia Bremenſis pro Thietmarſia accipit.

las,decreuit rex vt conuenirent in Ramslo,causam discussuri. Archiepiscopus,vbi ventum est,stabat ex vna:dux puer cum suis,ab altera parte. Auditores erãt Thietmarus Verdensis episcopus, Albertus marchio, Hermannus comes de Wintzenborg,& frater eius Henricus de Asle. Vbi diu verbis est disceptatum, milites ducis arma capiunt,archiepiscopum captum abducunt, & in Luneborg arcem perducunt. Ibi multo tempore illum tenuerunt,vt minis extorquerent, quod aliâs non poterant:sed vbi nihil profecerant, abire sinunt. Hartuicus præpositus si venisset in manus ducalium,actum de illo fuisset: sed ille mittebatur Alberto marchioni propinquo suo:ille acceptum cum honore remisit in sua.

Archiepiscopus etiam captiuus nihil remittit.

VERDENSIS ecclesia paulo ante hęc tempora pontificem habuit Masonem, ordine vigesimum quintum:qui,vt ex scriptis suis colligi potest, non diu præfuit ecclesiæ:quia Thietmarus successor suus eum dicit episcopum designatum. Obiit VIII. Calend. Nouembris. Huius episcopi ordinationem Theodolphus Mindensis præpositus,& fratres sui, pro certis beneficiis sibi ab ecclesia Verdensi collatis, facta conuentione donauerunt ecclesiæ Verdensi prædia in Gheldersen, in Borstele,in Esle,in Holtenbúttel,in Bollande,& in Norta. Et quoniam magis electus erat quàm plena authoritate gubernans,vix meruit in numero pontificum collocari:quia tamen numeratum in eis accepimus,hunc dedimus ei inter alios locum. Successit illi Thietmarus secundus, ordine vigesimus sextus. Hic contulit ecclesiæ vndecim decimas,quinque mansos in Masendorpe,& VI. mansos in Roschow. Instituit etiam sibi adhuc viuens solennem memoriam: & multa alia bona fecit, quibus fratrum stipendia plurimum ampliauit. Hic etiam contulit fratribus decimam in Esle,diuq; præfuit ecclesiæ suæ, per annos quadraginta: & post multa laudabilia opera,ad annum Christi,MCLXVIII. ex hac vita migrauit,IX. Calen. Octobris. Hoc tempore multi pręstantes viri claruerunt,Petrus Lombardus,quem vocant Sententiarum magistrum, Hugo de sancto Victore, Richardus de sancto Victore:Gratianus monachus,decretorum conscriptor:ac nonnulli alij,quorum ingenia præclara illos misere in æternam memoriam, per præclara quæ reliquere opera. Vidit hic pontifex, & interfuit, quum abduceretur Adalbero archiepiscopus Bremensis:indoluitque vim tantam. Sed quid faceret, armis ducalium deterritus? Vidit multas Friderici Imperatoris violentias,quas ille per tyrannidem diu exercebat in ecclesiam, quum vellet Imperij iura (pro quibus duo Henrici certauerant,quartus & quintus) recuperare:sed nihil profecit, domitus (vt alij) gladio ecclesiæ spirituali,qui solus præstitit incolumem rem ecclesiasticam in omni prouincia,aduersus tyrannos obluctantes.

Cap. 19. — *Episcopus dimidiatus.* — *1168.* — *Petri Lombardi & aliorum doctorũ ætas.*

IN Mimigardeuordensi ecclesia hoc ordine inuenio Burchardum post Theodoricum:nec adiiciunt Annales, an is sit qui cum Theodorico de cathedra certabat,quum partes eius tueretur Henricus quintus: sed cùm pro Theodorico faceret dux Saxoniæ Luderus (pòst imperans) deiicitur, & Theodoricus reponitur. Sed quòd sit iste alius, conuincitur ex hoc, quòd Burchardus prior in legatione Imperatoris Henrici defecit:& tum primùm Theodoricus reponitur. Non potuit ergo Theodorico succedere iam antè defunctus in legatione. Habetq; testimonium iste Burchardus post Theodoricum numeratus,quòd ecclesiam,sub Theodorico per bellicum tumultum concrematam, restaurauerit: quod temporibus primi Burchardi dari non potuit. Facit tamen numerus & ordo (nam iste Burchardus decimus nonus habetur) vt prior Burchardus in numerum non ponatur:alioqui esset iste vigesimus. Hoc tempore claruit Petrus Comestor,presbyter ecclesię Trecensis, vir in diuinis scripturis eruditus,atque in secularibus literis non minus egregiè doctus,carmine insignis & prosa. Scripsit vtroq; stylo plurima, quæ ecclesia vsque hodie comprobauit. Scholastica historia eius opus est, sermonesq; reliquit egregios de tempore & de sanctis. Eodem tempore Petrus dictus de Riga,clericus ecclesiæ Rhemensis, multa scripsit. Eius est opus, quod inscribitur Aurora. Scripsit in omnes pene sacri canonis libros memorabiliter. Tum etiam Ioachim abbas Florensis,ex Calabria natus,multa scripsit,& spiritu prophetiæ clarus habebatur. Sed quum in sanctam Trinitatem introducere niteretur quaternitatem,ad-

Cap. 20. — *Petrus Comestor egregius scriptor.* — *Quaternitas pro Trinitate.*

uersus Petrum Lombardum differens, meruit ab ecclesia condemnari. Virorum virtutes illustris quoque fœmina insigniuit Roswida: ea fuit sanctimonialis Gandersensis, in diœcesi Hildesemensi. Scripsit comœdias ad virgines sacras, castitatem & continentiam in primis commendando. Scripsit & panegyricum de gestis Ottonum, hexametro versu: in laudes diuę Dei genitricis, elegiaco carmine, quod incipit, *Vnica spes mundi.*

CAP. 21. HILDESEMENSI ecclesiæ per hæc tempora, post Bertoldum præfuit Bernardus, vir præclarus, vndecunque natus, singulari affectus deuotione ad prædecessorem suum Godehardum: quem miraculis crebrescentem, effecit vt de tumba leuatus canonizaretur, relatus in catalogum sanctorum. Ipse verò sancto nomini eius dicauit monasterium fratrum in parte ciuitatis, quod extat hodie in Brule. Præfuitque ecclesiæ annis XXII. cum magna laude. Hic est ille, qui ecclesiæ suæ addidit dominatū de Wintzenborg, cum oppido Aluelde: admonitus (vt ferunt) à spiritu, qui se in arcibus ecclesiæ familiariter fertur iunxisse multis, vera sæpe prædicens: Piliolum appellauere. Qui, quum comes de Wintzenborg à milite Sueuo, cuius ille temerasset vxorem, oppressus esset, excitatus dicitur primo mane ab eo spiritu pontifex, vt indilatè profectus, arcem vacantem occuparet. Non cōtempsit ille vocem monitoris, reperitq; quod audiuit verū: & occupatā arcem, Imperatoris deinde authoritate tenuit tenetq; in hodiernum. sed oppidū Aluelde, hodie florens, paret ecclesiæ. Sunt autem ista tempora Imperatoris adhuc Lotharij, qui eadem tempestate monasterium dominarum in Lutter, commutauit in locum fratrum, iubens consecrari in honorem apostolorum Petri & Pauli. Profectusq; secundò Romam, quum à summo pontifice Innocentio secūdo vocaretur, inde reportauit insignes indulgentias, quæ vsque hodie celebres habentur. Ipse tamen deficiens in itinere, non est reuersus: sed corpus eius cum literis papalibus perducitur in locum memoratum: ibiq; religiosè tumulatur: & dedit nomen loco, vt ex eo die dicatur Regale Lotharium. Erat annus trigesimus septimus post

Spiritus familiaris episcopū monet, vt arcem occupet.

1137. M C. Moguntia, Spira, Goslaria, eodem tempore penè deflagrarunt. Maxima tum in Imperatoris exercitu subitò est exorta mortalitas: de qua & ipse tactus, decessit, tertio Nonas Decemb. Conturbati sunt hac fama omnes principes Imperij: virtus quoque Saxonum tanto principe illustrata, penitus concidit: & in Wandalia res ecclesiasticæ labefactatæ sunt. Statim enim vt corpus defuncti Cæsaris perlatum est in Saxoniam, & Lotharij tumulatum, ortæ sunt seditiones inter Henricum generum Cæsaris, Bauariæ ducem, & Albertum marchionem, cōtendentes pro ducatu Saxoniæ. Ambo enim nati sunt ex filiabus Magni ducis Saxoniæ, ante Luderum siue Lotharium nouissimi.

Principum dissensiones ecclesiæ luctuosæ.

CAP. 22. MAGDEBVRGENSI ecclesiæ post Nortbertum, virum religione præcipuum, præficitur Conradus comes de Queruorde, ordine XIIII. præfuitq; ecclesiæ annis septem. Obierat per id tempus Burggrauius Magdeburgensis, sine prole legitima: & suffectus est Imperiali beneficio Burchardus, germanus frater archiepiscopi Conradi. Dudum quæsiui mecū, nec reperi, quid habeat diuersum Burggrauius, comes, marchio, comes prouincialis, quem non bene Latinè appellant Landgrauium. Equidem de prouinciali comite & marchione iam compertū est: quia inter principes numerantur, comites indistinctè non ità. Sunt enim in eis qui principes habentur, de Anehold, & de Suartzeburg, & si qui sunt alij. Ex domo quidem de Anehold prodierunt principes, videlicet de Brandenburg marchiones, & Saxoniæ duces inferiorum partium. De Suartzeburg autem domus etiam Imperatorem habuit Guntherum, qui Carolo quarto cessit. Ea si sit domorum in nobilitate prouectio, vt inde numerentur inter principes, *Quærite quos agitat mundi labor.* Cæterùm comites à Burggrauiis quid discrepent, audire velim, & quis maior gradus in nobilitate. Video quia comes prouehitur ad hoc, vt sit Burggrauius: sed quis est, qui etiam cum accidente lucro non accipiat minorem, si offeratur, dignitatem? Doceant nos heraldi nobilitatis præcones, & referant, qui tenent, in literas, vt passim omnibus compertum habeatur, an ibi quoque mundus opinionibus regatur. Sed iam finis sit ad alia festinantibus.

Nominum & titulorum varietas.

Cap. 23.

Halberstadensi ecclesiæ illo ferme tempore sub Lothario præficitur insignis vir Rodulphus, ordine XVII. præfuitq; annis quindecim. Eius memoriale est iter, quod est per immeabilem paludem: ipse verò magno sumptu & labore fecit, vt esset transibile. Ferunt, hoc tempore in ciuitate Paderburnensi visos circulos ad solem duos: quorũ interior ecclesiæ magnitudinem, exterior vrbis complexus fuerit latitudinẽ. Vixdum euanuerat, exortũ est incendium, & vrbs pene tota cum ecclesia miserabiliter conflagrauit: versaq; est dies meridiana in noctem. Claruit hoc tempore Rupertus Tuitiensis abbas, è diuerso Coloniæ, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis, spiritu sancto per visionem illustrante, doctissimus, & seculariũ literarum non ignarus. Quum esset monachus sancti Laurentij Traiectensis, propter incredibilem eruditionem suã à Friderico Coloniensi archiepiscopo in hoc monasteriũ translatus, abbas claruit. Multa præclara scripsit. Ex eo enim tempore quo in adolescentia cœnobiũ primò attigit, tantũ se in scripturis sanctis exercitauerat, vt nec dormiens quidẽ à meditandis illis videretur quiescere. Scripsit de victoria verbi Dei libros XIII. incipit, *Nuper quum tu hospes optabilis.* Scripsit & in Genesim libros nouem: incipit, *Quicunque fideli animæ.* In Cantica canticorũ: incipit, *Qui contra hominem similem sibi.* In Apocalypsim libros duodecim: incipit, *Vt tu quoque venerabilis.* De officiis diuinis libros tredecim: incipit, *Et quæ per circulum anni.* Meditationes de incendio Tuitiensi: incipit, *Ecce quomodo criminator Satan:* & reliqua multa. Obiitque sub Imperio Lotharij Saxonis, cuius tempora tenuerunt & illi pontifices quos memorauimus.

Rupertus Tuitiensis abbas.

Cap. 24.

Bremensi deinde ecclesiæ post Adalberonem, sub Conrado Imperatore tertio, præficitur Hartuicus maior, pridem eius ecclesiæ præpositus, iam etiam comes Stadensis, permutatione (vt diximus) facta cum ecclesia, vt pro Thietmarsia Stadensem sumeret comitatum. Operæprecium est nobilitatis eius altius stemma repetere, vt principum eius temporis originem recolamus, perinde de statu rerum ac temporum magis ac magis instructi: simul inspicientes, quo iure quæq; prouincia ex vicinis tum censeretur. Quum Henricus primus rex esset per Germaniã, pater magni Ottonis, ante annos ex hoc tempore supra ducentos, Stadensem comitatum tenebat Henricus cognomento Crassus, arcem insidens in loco Rosenuelde, nunc Hersevelde. Hic ex vxore filium sustulit æquè Henricum, qui in choro Hildesemensi canonicus, ad sacros ordines peruenit. Defunctis parentibus & fratribus, quum solus superesset, hæreditatem arripuit paternam. Vxorem duxit, Apostolica fortè interueniente dispensatione: quam si, pro temporum simplicitate & insolito ritu inductus fortè neglexit, eleemosynis tamen postea largissimè redemit. Nam tempore primi Libentij arcem demolitur, conuentum ibi clericorum instituit, & censibus locum ditauit. Ter se captiuum ecclesiæ cõstituens, auro, prædiis & ornamentis, quasi de manu victoris se redemit: quæ omnia donabat instituto fratrum conuentui. Genuit ex vxore Hildegarda filios, Sifridum marchionem, & Tiadericum comitem: quorum Sifridus instaurati oppidi Stadensis nomen habet. Iam Otto tertius ad Imperium venerat: & rebus gerendis per Italiam implicitus, locum fecit Danis & Normannis digrassandi, qui graui manu per littora Germaniæ atque Franciæ diuagabantur. Ascenderant per Albim fluuium: & ingressi terram, vicina Stadij populantur, oppidum expugnant, arcem confringunt demolientes. Marchio Sifridus cum fratre & militaribus viris, quos habebant, collecta manu valida ex omni Saxonia, illis occurrit. Pugna grauis geritur, diu pari marte certatur: sed inclinata Saxonum virtute, piratis victoria prouenit: capitur quicquid cædi superfuerat. Sifridus cum fratre & multa nobilitate in manus hostium peruenere. Quumque demorarentur piratæ, vt capti precio redimerentur, Sifridus piscatoria naui furtim per noctem abducta elabitur. Indignati hostes, quòd nobilissimum ex captiuis amiserint, cæteros inhonestis vulneribus deformãt, manibus, pedibus, naribus aut auribus præcisis: quorum multi diu superfuere. Sifridus marchio Bennonem Saxoniæ ducem, Hermanni filium (quem primus Otto ad ducatum prouexerat) interpellat de auxilio ferendo. Validum exercitum conscribit, & versa in se victoria, cædit & capit

Sacris initiatu coniugium iure papa permitit.

Dani & Normanni piratæ primò victores, deinde victi.

immanem illam barbarorum multitudinem. Multos appendit strangulatos: vnde loco diu nomen remansit, vt Worgebur diceretur. Alia deinde manus Ascomannorum (hoc enim nomen piratis tum vulgò dabant) per ductorem quendam Saxonem ad iter monstrandum vi coactum, in locum abducti difficilem, superueniente Saxonum militia, miserabili exemplo perimitur. Hic Sifridus filium sui nominis reliquit: qui accepta vxore Adila, genuit Luderum comitem. Cuius tanta extitit fortuna, vt duceret vxorem, Rodulphi Sueuiæ ducis amitam, quem Henrico quarto principes opposuere regem. Hic genuit Vdonem primum, cuius temporibus Stadensis comitatus prouenit ecclesiæ Bremensi, vt tamen in feudum teneret marchio Vdo memoratus. Geminos hic filios reliquit, Vdonem atque Rodulphum. Rodulphus iste pater erat huius Hartuici atque Rodulphi iunioris, quē Thietmarsi post patrem & nonnullos priores cōtrucidarunt. Quum interim mortuo secundo Vdone, & filio eius paruulo Henrico, comitatus Stadensis ad Fridericum alienigenam peruenisset: cuius morte rediit ad hunc Hartuicum, & per illum ad ecclesiam. Nam interim patrimonium suum in Thietmarsia, ecclesiæ iam tum præpositus, redonabat. Quam rem idcirco commemorandam putaui, vt illorum temporum cursum & terrarū dominia cernamus: præsertim quia hodie multi requirunt, quomodo Thietmarsia ad ecclesiam peruenerit.

Bremensis ecclesia et Thietmarsiam & Stadium possidet.

CAP. 25. HARTVICVS ergo vir nobilis, ex maiore ecclesiæ præposito pontifex factus, quum cerneret antiquam matrem Hamburgensem ecclesiam veteri legationis honore destitutam, institit ab alia parte religionem propagare: præsertim vt multis ex paganismo Wandalis ad Christum, opera Vicelini, prędicatoris strenui, conuersis consuleret, ecclesias olim per eam gentem demolitas renouauit, Aldenburgensem, Mekelnburgensem, Raceburgensem. His enim locis à memoria primi Ottonis erant institutæ, quæ in morte nepotis eius, & deinceps sunt demolitæ: sunt deinde per Godscalcum gentis principem instauratæ: sed demum cum illo extincto iterum subuersæ, quum occiso per martyrij gloriam eodem principe, tota fere gens ad paganismum iam tertiò est relapsa. Prima quidem renegatio fuit post susceptum à Carolo Magno Christianismum, de qua in Wandalia nostra. Sed pontificum loca primus discreuit Otto magnus, qui in Aldenburg, ciuitate primaria Wagriorum (pars ea prima fuit Wandalicæ gentis ad Oceanum) primum posuit Marconem episcopum, subiiciens illi omnem prouinciam vsq; ad Panim fluuium, & oppidum Demin. Alios inde à Magdeborg idem Otto, quam ordinauit metropolim Wandalorum, in eam Wandaliæ partem, quæ nunc marchia vetus Brandenburgensis appellatur, fecit episcopatus: quod in Saxonia attigimus. Marconi autem in Aldenburg successit Egwardus, cui Wago, illi Ezico subrogatur: inde Folcardus, deinde Rembertus, sufficiuntur ex ordine. Benno illum excepit, & deinde illum Meinerus, quem insecutus est Abelinus, illum Eizo: quo modo illorum quoque suprà meminimus, hoc ordine. Tempore autem Adalberti archiepiscopi Hamburgensis, episcopatus Aldenburgensis in tres est diuisus, pro sui districtus magnitudine, vt esset Raceburgensis & Mekelnburgensis: ex Wandalica lingua autem in Latinam, iuncta Græca, sonat Magnopolim: qui nunc ducalis est titulus, olim fuit ecclesiæ, quæ exinde transiuit in Suerinensem. Raceburgensi Adalbertus per sua tempora præfecit Aristonem, in Mekelnborg Ioannem de Scotia venientem, qui in persecutione nouissima meruit cum Godscalco principe martyrio coronari, quod in Wandalia diximus. Erat autem Mekelnburg grandis villa, duo pene millia passuum Teutonica complexa in longitudine, tribus arcibus insignis, in vtroque termino & in medio principum habitationi firmatis. Postquam igitur, permittente Deo propter peccata hominum, Christianitas est annullata in Wandalia, vacauerunt hæ sedes annos LXXXIIII. à cæde Godscalci, in hunc annum Hartuici archiepiscopi: qui propter generis nobilitatem, duplici principatu clarus, magno studio enisus est, pro recuperandis episcopis suffraganeis per vniuersam Daniam, Suediam, Norwagiam: quas ecclesiæ Hamburgensi ab olim fuisse subiectas memorauimus. Sed quum obsequiis & variis largitionibus apud summum pontificem & Conradum regem nihil profecisset, nè omninò ecclesia sua careret

Christianismi apud Wandalos florentis & ruentis vices.

Magnopolis vrbis magnitudo.

careret suffraganeis, aggressus est, veteres episcopatus, per Wandaliam iamdudũ supplantatos, resuscitare, redeunte fide Christi per gentem.

Cap. 26.

ALDENBVRGENSI igitur, quæ prima fuit, & duarum mater ecclesiarum, accitum venerabilem sacerdotem Vicelinum, sedi consecrauit episcopum, quum iam esset ætate prouectus, & mansisset prædicans per Holsatiam & Wandaliam annis triginta. Huius verò sanctissimi pontificis præclara opera, in nostra Wandalia pro magna parte explicuimus: sed vnum, quod sanctitatem eius contestatur, ibi præteritum, commemorabitur hoc loco. Virgo quædam Imma nomine, grauiter hoc tempore à dæmonio vexabatur, & ad Vicelinum perducta est. Qui quum interrogaret ex spiritu, cur vas incorruptum temerare præsumpsisset, respondit, Quia tertiò me offendit. In quo (ait ille) te offendit puella? Quia, inquit, negocium meum præpediuit. Bis enim transmisi fures ad perfodiendam domũ: sed hæc iuxta ignem sedens, clamore suo eos absterruit. Nunc quoque legatione principis nostri in Daniam functus, videns hanc in via, tertiò offensus, in eam sum deuolutus. Sed quum vir Dei coniuraret eum, ait, Cur propellis paratum vltrò egredi? iam enim abibo ad proximam villam, visitaturus sodales meos, qui illic latent: hoc enim in mandatis accepi, priusquam in Daniam proficiscar. Quod tibi est nomen? rogat Vicelinus, aut qui socij tui? vel cum quibus habitant? Ego, inquit, Ruffinus vocor: vnus sociorum meorum est cum Rotesto, alter cum muliere quadam eiusdem oppidi. Hos hodie visitabo: cras, priusquam prima pulsata fuerit, huc valedicturus reuertar, & tunc in Daniam proficiscar. Et hæc dicens egreditur, & virginem dimisit. Iussit eam Vicelinus refici, & crastina ante horam primam reduci in ecclesiam. Quam quum mane parentes ad ecclesiam ducerent, priusquam limen calcarent, prima pulsari, & virgo cœpit vexari: nec tamen Vicelinus prius abstitit, quàm idem spiritus, potentia Dei fugatus abscessit. Rodestus breui maligno spiritu correptus, laqueo semetipsum strangulauit. In Dania quoque occiso Erico rege, perturbatio grauis erupit: adeò vt oculis probari poterit, magnum ibi diabolum aduenisse in afflictionem gentis illius. Vicelinus autem, his atque aliis sanctitatis præcipuè pollens testimoniis, ad episcopatum Aldenburgensem meritissimus prouehitur, quem tenuit per annos quinque. Medium verò temporis huius vix peregit incolumis, reliquum autem in grauissima paralysi, mirabili probamento patientiæ eius: & euolauit anno Christi, MCLIIII. multis clarescens miraculis, & ante & post mortem. Nec cessant in hodiernum mirabilia, quæ per merita illius dignatur operari solus sanctus Deus noster: de quibus pauca diximus in nostra Wandalia, quæ etiam in diebus nostris apparuerunt.

Vicelini cum dæmone virginem obsidente colloquium.

Vicelinus episcopus paralysi detinetur.

1154.

Cap. 27.

MEKELNBVRGENSI ecclesiæ idem Hartuicus, eodem tempore, videlicet anno Christi, MCXLIX. in terra Obotritorum ordinauit episcopum Emehardum, alij vocant Euerhardum (quod non propius accessit vsui nostro) quum antea habuisset solum Iohannem martyrio coronatum, ante annos octoginta quatuor. Ponebantur tum episcopi quo modo Apostoli, ad prædicandum & ad baptizandum: non (vt hodie) ad excommunicandum & triumphandum. Cœperant Wandali tum primùm, post longum errorem, iterum auscultare verbo Christi, & euangelio eius, mansuetudine potius inuitati, quàm terroribus coacti. Susceperant Obotriti (qui nunc Magnopolenses honestato vocabulo dicuntur) fidem Christi sub Magno Carolo, cui erant fœderati: sed statim abiecerant, illo iam humanis rebus exempto. Coegit Otto Magnus fidem semel proiectam recipere, quum illos subiiceret episcopo Aldenburgensi. Seruarunt aliquandiu: sed tributis grauati, abiecerunt in morte Ottonis tertij. Superuenit contemptus principis Mistiwoi, & vindicta de nece paterna Godscalci iuuenis: & redierũt ad sordes pristinas. Sed idem Godscalcus iam canescẽs, errorem suum correxit: & impensa singulari opera, omnem penè terram Christo reduxit. In qua sanctissima opera periit, Christo animam suam offerens: & secuta est tertia omnium grauissima Wandalorum ad paganismum reuersio, durans per annos octoginta quatuor, hoc est ab anno Christi, MLXVI. ad annum MCXLIX. (qui est annus quem nunc scribimus) quo plene

Quæ hodie faciunt episcopi, ab Apostolis non didicerũt.

ad Christum reuersi Wandali, nunquam de integro recidiuarunt. Verum est tamen, quòd post hæc tempora plurimus fuit labor cum gente, priusquam ad fidem firmarentur: sed ex hoc die tota gens nunquam est relapsa. Perdurauit autem sedes ista episcopalis in loco suo per tempora huius pontificis, qui plurimo labore institit ad gentis conuersionem: multos quidem lucratus est, sed plures remanserunt increduli ad tempora successoris. Apostolicam & vitam & conuersationem inter gentes habuit hic pontifex, non palatiis gloriatus, aut sublimibus caballis vectus, sed pedes ipse cum peditibus peragrabat. Modestia, mansuetudine & humilitate plures lucratus, quàm alius potuisset armatus gladio. Peruenit autem vsque ad annum Christi sexagesimum: & in pace Christi quieuit, necdum populo omni ad Christum conuerso, magnatibus etiam restantibus.

Qua ratione homines ad Christum adducantur.

CAP. 28. RACEBVRGENSI autem ecclesiæ per idem tempus Hartuicus archiepiscopus præfecit Euermodum, qui ante memoratum tempus annorum octoginta quatuor, solum habuit præcessorem Aristonem. Sed nullæ erant reliquiæ aut possessionum, aut prædiorum aut sacrorum eius, per tantum tempus, omni populo permanente in paganismo. Sed Henricus dux Leo, facilè tum impetrauit ab episcopis quos constituit, vt ab eo paterentur inuestiri: quippe qui nihil omnino nisi de illius manibus habebant. Reluctatus est tamen diu Vicelinus, qui non ignoraret desuper constituta & conuenta inter regnum & sacerdotium, tempore Calixti pontificis & Henrici Imperatoris quinti ex eo nomine: admonente etiam Hartuico archiepiscopo, ne faceret. Sed diu reluctatus quum ab ecclesia sua excluderetur, nec alia esset via ad perueniendum eò quò tendebat (vt doceret & firmaret in fide populum) cessit necessitati temporum: & fecit inuitus, quod sciebat non licere. Euermodus autem bonus pontifex, iam Racisburgi ordinatus, non habebat quod recusaret, quia non inuenit aliunde vnde viueret. Erat autem præpositus aliquando Magdeburgensis, inde translatus ad hunc episcopatum, ordinem Præmonstratensium (quem ibi susceperat sub Nortberto patre) huc adducens: permansitque is ordo in episcopatu, & capitulo eius vsque in presentem diem. Multa preclara feruntur de hoc pontifice, ex quibus quædam signauimus in nostra Wandalia, inde repetat qui nôsse volet. Vnum præcipuum, quòd quum in pontificalibus quippiam operis nudis manibus esset facturus, chirothecas pontificales deposuit, vt illi videbatur, in locum paratum. Festinans autem ad id quod erat gerendum, non attendit vbi posuerit: inuentæ sunt autem in aere pendere sine adminiculo: quod stuporem visentibus incussit. Multa sunt eius generis signa, quæ in conspectu gentis in fide firmandæ facta sunt, ad exemplum apostolorum, & deinceps Apostolicorum per ecclesiam virorum: quia tum linguis loquebantur nouis, fulsere miraculis, donec firmaretur Christi fides: idem quoque istis temporibus in noua gente vsuuenit.

Inuestiri se à principe episcopi quando patiantur.

Episcopi chirothecæ sublimes pendent.

CAP. 29. VERDENSI autem ecclesiæ per eadem tempora, defuncto Thietmaro, ad annum Christi XLVIII. post centũ mille præficitur Hermannus: vndecunque natus, vir præcipuus, multum dilectus Friderico Imperatori, qui Conrado, sub quo assumitur, successit in Imperio. Huic pontifici lis oritur aduersus Hartuicũ archiepiscopum Bremensem, super possessionibus in palude, vbi sunt termini ambarum diœcesium. Sed interuenere magni viri: qui limitibus vtrinque consideratis, documentisque altrinsecus auditis, terminarunt controuersiã: adiudicantes tamen ecclesiæ Verdensi prædia, de quibus contendebatur. Hic pontifex contulit ecclesiæ suę mediam decimam in Hasselwerder, & integram in Rockstede & Tunderlinge. Eugenius tertius summus pontifex, huic dedit priuilegium singulare, confirmauitque omnia ecclesię Verdensis vetera indulta. Peruenit hic pontifex à temporibus Conradi ad multos annos primi Friderici, viditque transferri corpora trium regum ex Mediolano Coloniam. Vidit temporibus primis episcopatus sui, expeditionem Conradi regis in terram sanctam, quum ex latere Italiæ, Ludouicus rex Franciæ similem faceret expeditionem. Sed Conradus cum exercitu transiens per terram Imperatoris Constãtinopolitani, ab illo mirabiliter ludificatus est: quũ polliceretur Imperator regi nostro commeatus abundè subministrare, misit pro farina calcem

Episcoporum de finibus agri lis.

Constantinopolitanus occidentalium expeditioni inuidet.

calcem commixtam, vnde multi de exercitu mortui sunt. Peruenit tamen cum exercitu lacero in terram sanctam: & iunctis agminibus cum Ludouico rege Franciæ, multa tentauerunt magis quàm peregerunt. Nouissimè accessit illis rex Hierosolymæ Balduinus cum militia, quam promptam habebat: & cœperunt consilium obsidendi Damascum, potentissimam vrbem. Obsederunt: & proculdubio perseuerantes, fuissent prosperati. Erat inter primores regis Balduini, vir Armenus, diu nostris militans: qui corruptus ingēti pecunia ab vrbicis, suasit Balduino, suasit regibus, vt altera potius parte oppugnarent vrbem, qua capi posse facilius videbatur. Transtulerunt castra, credentes: sed erat consilium obsessorum, vt ab aquis discluderentur: quod quia effecerant, siti laborantes, coacti sunt obsidionem soluere cum pudore. Ita parum profuit expeditio Conradi. Vna tamen in re profuisse Germaniæ dicitur, quòd qui soliuagi consueuissent per itinera latrocinari, in eam militiam conscripti, pro magna parte non redierunt.

Expeditio Hierosolymitana Germaniam latronibus exhaurit.

Cap. 30.

Magdebvrgensi quoq; ecclesiæ, circa eadem tempora, præfuit vir insignis, Fridericus, vndecunque natus, ordine & numero xv. qui in annum vndecimum præfuit eidem. Quo tempore Conradus rex, grauissimam in regno controuersiam super ducatu Saxoniæ sedauit, quum de eo Henricus Bauarus & Albertus consobrini contenderent. Obierat Henricus Bauarus, relicto filio paruulo Henrico, qui cognomen sumpsit Leonis: & fuit æquè grauis controuersia, paternis amicis pro puero certantibus. Ad digladiationem sæpe peruentum est, captæ vrbes & arces: sed rex, mortuo per id tempus sine hærede Henrico, Brandenburgensi marchione, eum principatum contulit Alberto de Soldwedel, qui aliâs patrem habuit Ottonem de Salingstede & Anehold comitem. Vnde sedata est differentia super ducatu Saxoniæ, quum haberet Albertus prouisione regia, quod illi compensaret. Per idem tempus anni quadragesimi primi post mille centum, 1141. excitauit Deus spiritum trium fratrum, Dudonis, Adeconis, & Richsberti, vt nouellam plantationem in suburbanis Stadij erigerent, capellam ibi ligneam construentes: quam Adalbero, adhuc viuens Bremensis archiepiscopus, pontificatus sui decimo nono anno dedicauit: & Conradus abbas Hersueldensis, virum venerabilem Adalwardum, cum Eluero, Godscalco, & aliis fratribus eò misit. Dedicata est autem capella in nomine sanctæ Trinitatis, & Perpetuæ virginis, Petri & Pauli apostolorum, Ioannis apostoli & euangelistæ, Viti, Cosmæ & Damiani martyrum. Statuitque idem archiepiscopus, vt dicti tres fratres cum vxoribus & liberis, & reliqua progenie, & familia ipsorum, ibidem in perpetuum reciperent ecclesiæ sacramenta & sepulturam. Concessit etiam omnes colonos ecclesiæ, ab omni censu, expeditione villæ, vel vrbis munimine aut petitione precaria liberos. Idem verò conuentus diu in religione florens, vbi defloruit ętate nostra, ad annum Christi millesimū quingentesimū (quum grauis illa gregariorum militum manus immineret diœcesi) ciues subuerterunt domicilia firma cum ecclesia, ne essent hostibus receptacula: reddideruntq; fratribus numero paucis, locum in vrbe, in capella sancti spiritus. Sic res vadunt: non deficiunt fratrib. temporalia, nisi antè defecerint spiritualia. Sed hæc aliâs, & alibi, & per alios melius.

Grauis de Saxoniæ ducatu contentio.

Conuentus ab ipsis Christianis diruitur.

Cap. 31.

Paderbvrnensi ecclesiæ post Bernardum primum, præficitur Euergisus: præfuitque eidem ecclesiæ in decimum septimum annum, sub Conrado tertio Imperatore: quamuis alii reputent eius tempora sub primum Fridericum, cuius quidem Imperium potuit viuendo attingere. Quo tempore sub Conrado rege Bernardus Clareuallensis, in Francofordia crucem in expeditionem Hierosolymæ publicauit, vbi etiam puerum cæcum & claudum in præsentia comitis de Holsatia Adolphi sanauit. Signati sunt ibi, Conradus rex Romanorum, Ludouicus rex Franciæ, Fridericus dux Sueuiæ, Welpo Bauariæ, & multi principes Theutoniæ & Franciæ. Exercitus conflatur maximus, qui se in tres partes diuisit. Prima & maxima cum regibus Conrado & Ludouico transiuit Vngariam & Græciam, multo cum periculo. Dum enim inter quædam montana circa latera montis essent castrametati, bigæ, quadrigæ, victualia, sarcinasque portantes, iumenta, animantia & armenta sunt in medio locata propter pascua. Circa crepuscu-

Bernard' Francoforti miracula edit.

lum facta sunt tonitrua in supercilio montis, & tempestas maxima: & ecce noctis medio, aqua proruens, omnia quæ erant in vallis medio, homines & iumenta protraxit in mare. Residui transierunt Constantinopolim, deinde ad brachiũ sancti Georgij. Et Ludouicus rex Franciæ, dirigens iter versus Hierosolymã, magnã partem perdidit exercitus sui. Homines Conradi regis, siti & fame perierũt, rege cum validioribus in Græciam reuertente. Alter exercitus eiusdem signationis, nauigio transiens, rogatu regis Gallitiæ, Vlyxbonam cepit, antè à Sarracenis, inde à Christianis inhabitatam. Tertius exercitus se accinxit ad Wandalos, cum episcopis Saxoniæ. Intererat Henricus dux adolescens, Conradus dux de Laringia, Albertus marchio, Conradus de Within, cum pluribus, quorum in veste signum erat circulare, cruce superextante. Niclotus Wandaliæ princeps hoc sentiens, congregauit exercitum: & primus aggreditur bellum. Fama rei volauit per Saxoniam & Westphaliam: & omnes signati processerunt contra ipsos, obsidentes Dobbin & Demin. Ad extremum malis coacti Wandali, promiserũt suscipere fidem Christi, & Danos (quos multos tenuerunt) laxare captiuos: sed male impleuerunt. Sic illa expeditio sine magno fructu est soluta, festinante quolibet in sua.

♁ Signum militantium in expeditione sancta.

CAP. 32. MIMIGARDEVORDENSI ecclesiæ tum præerat pontifex Egbertus, ordine vigesimus inter pontifices huius ecclesiæ. Hic monasterium puellarũ trans amnem, tempore Theodorici episcopi incendio consumptum, restaurauit: & fœminas, ex illo incendij tempore euagantes in cognationibus suis specie quærendæ opis, sub anathemate reuocauit, & plurimum renitentes inclusit. Hæc sunt illa tempora, quibus in gente Sarracenorum claruerunt illa lumina literarum, Auicenna in medicinis princeps egregius, Auerrois diligentissimus Aristotelis commentator, Auenzoar quoque medicus, floruerunt in regno Granatæ. Nam Auicenna fertur fuisse dominus Cordubæ: ea olim patria fuit Senecæ & Lucani, clarissimorum in vrbe Roma virorum, qui origine Hispani fuere. De Auicenna fertur, quòd quum esset legis Mahumeticæ, pietatem tamen coluit: domum hospitalem exædificari fecit Cordubæ, in quo collegit omnium generum infirmos, vt experiretur in eis medicinæ suæ efficaciam. Ita libuit principi facere artis suæ experimentum, curiositate nescio magis an pietate inductus. Auerrois quoq; tum floruisse Cordubæ creditur: nam filios eius se vidisse in curia Friderici Imperatoris primi, testatur Ægidius de Roma in Quodlibetis. Vir ingenij singularis is erat Auerrois: & qui vbique suam secutus sententiam, aliorum sectas declinauit. Qualis inuentus est in omni philosophia, talis erat & in medicina. Vnde factum, vt pauci medici inhæreant doctrinæ eius. Magis enim ad iactantiam quàm ad veritatem, à multis iudicatur scripsisse.

Auicennæ, Auerrois, & reliquorum Sarracenorũ ætas.

CAP. 33. MINDENSI ecclesiæ per ea tempora præfuit Witelo, ordine pontificũ eius loci vigesimus secundus. Cuius temporibus diuus Bernardus, postea Clareuallensis abbas, insignis doctor, cum sociis supra triginta, ordinem Cistertiensem ingreditur, iam recens enatum de regula diui Benedicti, cum additionibus quarundam constitutionum. Nec diu pòst ordo Præmonstratensium exoritur sub patre Nortberto: qui nomen tenet (vt fieri solet) à loco originis, qui Præmonstratum dicitur, sicut Cistertiensis à Cistertio. Quo etiam tempore moniales ordinis sancti Augustini, monasterium in Verden à comitibus in Wunstorpe, siue Leuenrode fundatum, de monasterio Auerenkercken assumptis virginibus, quæ intrauerunt festo Katharinæ virginis, anno Christi millesimo, centesimo, decimoquarto. Migrauit autem hic pontifex Witelo ex hac luce ad meliora anno vigesimo post MC. indictione XIII. die sanctorum Innocentum. Habet autem hic pontifex testimonium laudis & virtutis suæ in versiculis:

Cistertiensis ordo è Benedictinõ effluxit.

Supplicat iste Deum, & motum detinet iræ,
Sedauitq́, trium vox lachrymosa precum.
Quos fructus habeat simplex oratio iusti,
In precibus Moisi quisque notare potest.

Testimonium deuotæ mentis, quæ apud Deũ (vt videmus) potuit impetrare quod postu-

postulauit. Deus enim (vt scriptum est) non exaudit peccatorem: sed si quis eius operetur voluntatem, illum promptus audit. Stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio, vt scriptum legimus: & ante illum auus eius Aaron, medius inter Deum & populum sustinuit manum Dei vindicantis, & exclusit ignem sæuientem. Scripta sunt hæc propter nos, vt intelligamus, diuina decreta, quæ scelera persequuntur, precibus & meritis sanctorum posse suspendi: tolli posse, vt fiat repropiciatio. Non quo mutetur Deus vt homo, sed signa donat suæ perpetuæ in nos benignitatis & gratiæ: vt fugiant homines à facie arcus quem tetendit, in quo parauit sagittas suas. Nisi enim sanctorum preces & merita temporibus putaret profutura, nõ tam lachrymosè diceret, *Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus.* Nunc, inquit, auxilium ex hominibus defecit, ideo tuis nunc succurre præsidiis. Sed quid attinet inter narrationes temporum theologizare? nisi quia admonuit iste pontifex, multum fiduciæ ponere in suffragiis sanctorum patrũ: qui nobis per tempora magis atque magis incipiunt deesse, senescente mundo, & refrigescente multorum charitate, vt abundet iniquitas. Qua in re vigilandum magis pro se cuique, vt videat, & emendet vias suas malas, instructus lucerna pedum nostrorum, verbo Dei: quod vsque hodie non tacet, quod etiam præstat lumen semitis nostris. Sed hæc interim: ad tempora redeamus.

Piorum hominũ preces mala, alioqui ventura, arcent.

Ad resipiscentiam omnes inuitantur.

Cap. 34.

PHILIPPVS, ortus comitibus de Catzenellenbogen, in ecclesiam Osnaburgensem pontifex assumitur, ordine & numero vigesimus quintus: præfuitque cum summa laude. Nam & armis & religione tutatur ecclesiam, vt vtrobique res crescerent. Erant nobiles de Holte Barones (nam ministerialibus supereminebãt) qui quum fiderent arci munitissimæ, turbabant multorum pacem. Admoniti ab episcopo, rem contempserunt. Armis agendum putauit: vallauit arcem inexpugnabilem: & in septennium ita communiuit itinera, vt adiri non possent importandis commeatibus: & finaliter arcem de manibus eorum ademit, vt ęquiores essent in reliquum paci seruandæ. Duo monialium monasteria sub huius pontificatu sunt erecta: primum ex arce Ozede, quum vir militaris eius nominis esset sine prole, & è consensu domini feudi, prædiis & curtibus dotaret ad victum Deo seruientium puellarum. Alterum in Quarnhem, quod ætate nostra, anno octogesimo quinto (sub Conrado de Retberge pontifice) post MCCCC. à Christo, sanctam subit reformationem in moribus & disciplina. Erat controuersia inter ecclesiam maiorem & diui Ioannis collegium, super obseruatione solennitatũ in idem concurrentium. Opera pontificis cessit minor maiori: & in recompensam prorogata est iurisdictio secundæ ecclesiæ in multas villas, quæ ante illi non parebant. Vidit hic pontifex tempora Friderici primi Imperatoris: vidit Henricum ducem cognomento Leonem, qui & Bauariæ & Saxoniæ tenebat ditiones. Vidit sanctorum trium magorum in ciuitatem Coloniensem deportationem, opera Reinoldi de Dassel comitis, archiepiscopi Coloniensis: qui in expeditione militari pro Imperatore Friderico, mortuus est in Italia peste, quæ multum sæuiebat in exercitu. Successit illi Philippus, imperialis pridem cancellarius: qui post, destituto Henrico Leone per Imperium, ducatum Westphaliæ suæ coniunxit ecclesiæ. Sed hæc plenius in nostra Saxonia. Hic autem Philippus Osnaburgensis cum summa laude præfuit ecclesiæ suæ, per annos triginta duos: defecit in pace Christi, tumulatus. Erat autem tum Westphalia in summo labore, quum inter manus hinc archiepiscopi Coloniensis in ius ecclesiæ traheretur, inde ab Henrico duce Leone pro suo iure defenderetur: qua de re plura leges in dicta nostra Saxonia.

Episcopus in vtrunque paratus.

1485.

Trium magorum corpora Mediolano elata.

Cap. 35.

MAGDEBVRGENSIS ecclesia crebrius tum mutauit episcopos, quòd non diu superessent. Successit autem Wichmannus Friderico, assumptus fauore Friderici, tum primùm regnantis post Conradum. Erat hic Wichmannus genere nobilis, animo insignis, gubernatione felix: prȩfuit autem ecclesiæ suæ annis quadraginta duobus. Erat pridem Citzensis episcopus: sed maiore dignus loco visus, trãsfertur Magdeburgam. Magna fuit vbiq; huius pontificis authoritas, siue apud regem, siue apud pontifices alios. Auxit ecclesiæ suæ iura, quatuor arcibus, quas antea non habebat, ei comparatis. Imperatorem assiduè sequitur: regiam secutus, ec-

Lombardia verè est Imperij.

clesiæ curam non posthabuit. In Wirtzburg curiam habebat,& conuentũ principum: fecitque omnes in expeditionem Italicam iurare: præsertim vt Lombardiã (quæ sine controuersia regni erat & Imperij) iam rebellantem edomaret. Anno quarto regni sui veniens in Italiam, Placentiam subegit: quædam castella Mediolanensium & Cremonensium combussit. Vltrà progressus, Spoletum, rebellionem ostendens, igne consumpsit: & deinde Romæ propinquans, terruit pontificem Hadrianũ, qui cessit vrbe: sed tamen, oratoribus inter vtrosque alternantibus, cõuenit super omnibus. Vidit (vt ferunt) inuitus Fridericus in pariete opere musiuo factã picturã, quam oculis vt annotauit, vultum auertit contractum. Erat eiusmodi: Sedit in pontificali cathedra Innocentius secundus, ad cuius genua Lotharius Imperij coronam curuatus accepit. Fremuit, nihil dicens, Fridericus: & quum rediisset in Germaniam, Hadrianus Papa misit ad eum cardinales duos, rem magnã acturos. Scripsit inter alia Papa, *Beneficium tibi coronæ concessimus.* Quod verbum indignè ferens, efferbuit. Nostris, inquit, Electoribus acceptum ferimus, post Deum, quòd regnamus: primam coronam à Coloniensi recognoscimus, Imperialem à Papa. Cæterùm beneficium ab illo non recepimus: Deo soli debemus & Electoribus, non Papæ, quòd regnamus. Auxere indignationem principis, aulici asseuerantes. Principum maxima pernicies: quòd nemo illis nisi placita loquitur, rarò vera. Wichmannus ecclesiam suam, ad finem vsque prosperè gubernabat.

Pictura Imperatoris coronam supplicis more à Papa sumentis.

CAP. 36. HALBERSTADENSI quoque, per idem tempus, ecclesiæ nouus pontifex accessit Vlricus: qui illi præfuit per annos triginta tres. Magnum illi luctamen cũ Henrico duce fuit, magni labores: quos quia in Saxonia attigimus, hîc transimus. Imperator quum iam se validius præpararet ad Lombardicam expeditionem, præmisit Ottonem comitem Palatinum, & cancellarium suum Reinoldũ, cum exercitu, ad oppugnandas maritimas vrbes, Rauennam atque Anconam: ipse secutus cum mole exercitus, obsedit Mediolanum. Erant cum Imperatore rex Bohemiæ, Henricus dux Saxoniæ, Henricus dux Elsatiæ, Fridericus dux Sueuiæ, Bertoldus dux Carinthiæ, Ludouicus Landgrauius Hassiæ, Conradus comes Palatinus, & Fridericus archiepiscopus Coloniensis. Mediolanenses tribus portis vnà erumpunt, & castra Imperatoris inuadũt: sed magna sua clade repulsi, retrocedũt, non aliâs iterum temere erupturi. Videntes igitur quòd armis eius resistere non possent, deditionis faciunt mentionem, & in gratiam eius concedunt. Imperator ciuitatem coronatus ingreditur: & acceptis obsidibus pene quingentis, indictoq; annuo tributo, abscedit. Inde quum tributum impositum exigeret missis oratoribus, Conrado Palatino comite, & Reinoldo cancellario, ciues in tumultum versi, pene manus iniecissent in eos: illi verò mutato habitu, vix incolumes abierunt. Imperator vbi audiuit rebelles animos, quum vires auxisset, rediit ad obsidendam vrbem. Ipsi quoq; ciues animo aucti, inuectis commeatibus, fortiter obsidionem triennio pene toto sustinuerunt. In qua obsidione, iam mortuo in expeditione militari, Friderico Coloniensi archiepiscopo, cancellarium suum Reinoldũ ad eam sedem promouit, missis literis ad ecclesiam Coloniensem. Mortuo etiam Papa Hadriano, quum de successore ageretur, scinduntur vota. Maior pars elegit Rolandum Mediolanensem: cæteri qui Imperatori fauebant, extulerunt Octauianum, appellantes eum Victorem. Imperator vtrosque vocauit ad concilium, vt discussa re, qui potior esset, remaneret. Venit Octauianus Victor: Rolandus Alexander nõ venit. Quapropter Imperator cum suo concilio adhæsit Victori, Alexandrum contempsit: & facta est in ecclesia diuisio pessima. Interim Vlricus episcopus Halberstadensis, variis casibus luctatur cum Henrico Leone duce: quod in Saxonia nostra scripsimus, inde requirat qui nosse volet.

Mediolanum obsidetur & deditur.

Mediolanenses iterum faciunt rebellionem.

CAP. 37. MINDENSI deinde ecclesiæ post Witelonem, præfuit ordine pontificum vigesimus tertius Sigewardus. Erat illa tempestate legatus de latere in his regionibus, ad cõponendas res ecclesiæ, per Imperatores miserabiliter disiectas: à quo iste pontifex accepit consecrationem. Quo etiam tempore ortus est comitatus de Marca, per duos fratres Adolphum & Ioannem, descendentes ex Italia. Tum quoque

Comitatus de Marca origo.

quoq; religiosum in Werden locum intrauere moniales, quem dudum canonici regulares profanarunt. Vide rerum etiam in religione vicissitudinem. Illa ætate moniales successere monachis ad reparationem disciplinæ regularis & morum: nunc autem, rebus conuersis, regulares fratres, pulsis ob vitæ dissolutionem monialibus, ad hoc peruenerunt, vt collapsa monialium loca reparent in vitam regularem. Sedit hic pontifex annis viginti vno, & in die sancti Victoris Papæ transit ad meliora. Plures enim fieri necesse est sacerdotes, idcirco quòd morte prohibentur permanere: qui autem manet in æternum, sempiternum habet sacerdotium, Dominus Iesus, secundum ordinem Melchisedec pontifex in æternum.

ALDENBVRGENSI interim ecclesiæ præsidens Vicelinus, ex hac vita migrauit. Et suffecit Henricus Leo (qui hęc ab Imperatore obtinuit) Geroldum quendam ex nobilitate Bauarorum. Hartuicus Metropolitanus hoc ægrè ferens, recusauit consecrare, quem non electio legitima, sed principis voluntas extulit. Quum ergo prima expeditione transiret rex in Italiam, Henricus dux Leo illum comitatur magno suorum agmine, secum trahens Geroldum suum, vt à summo pontifice cōsecraretur. Præmonitus ille literis archiepiscopi, aures diu habuit occlusas. Sed quoniam Romani tumultu maximo sæuierūt in Pontificem & Imperatorem, Henrici ducis cohortes illo die maximè bonam nauarūt operam in repressione Romanorum. Placatus pontifex, ad eius postulationem consecrauit Geroldum. Fratres autem de Faldera, mortuo suo patre Vicelino, recesserunt à subiectione Aldenburgensis episcopatus: eligentes sibi Epponem præpositum, redierūt in obedientiam (vt debuerant) ecclesiæ Bremensis. Non enim licuit illis subtrahere se priori ecclesiæ. Creuerat per id tempus sub Adolpho Holsatiæ comite, ciuitas Lubecensis in bonum modum: & multis contendebat Henricus dux, ab eo ciuitatem in suam ditionem deducere. Diu ille repugnauit: demum permisit, rebus currentibus, quo modo signauimus in Wandalia. Sed tamē episcopio digniorem locum quærebat: & placuit vt in Lubeca sedem haberet. Introductus ergo à duce, ibi consedit, ecclesiam extruxit diui Ioannis (vt vocant) in arena. Dux vicino loco mansit, habitationes fratrum distinxit, præbendas tenues constituit: & (vt fieri solet) ab aceruo non magno creuit res paulatim in bonum modum. Hic Geroldus Hartwicum archiepiscopum Bremensem adiens, quum plurima illi obsequia promptus impendisset, pro restitutione Falderensis monasterii, quod nouum dicunt (quod suus antecessor Vicelinus fundasse & possedisse dinoscitur) instantissimè orabat: quia diœcesis omnibus modis parua, nec satis commoda erat mansionib. Archiepiscopus in suæ ecclesiæ partem pronior, callidis sponsionibus episcopum Geroldum differebat, & in fine vacuum abire permisit. Geroldus verò ædificauit oppidum Vthin, domū sibi & mansionem inibi constituens. Idem verò, anno episcopatus sui quarto, videns vrbem Lubeck excrescere opibus & ciuium frequētia, & Aldenburgensem, propter Wandalorum adhuc infidelium crebriorem incursum, miris modis extenuari: obtinuit (quod diximus) ab Henrico duce, vt in eam cathedra transferretur. Designauit dux locum construendo oratorio, & constituit præbendas duodecim pro clericis, & tertiamdecimam præposito assignauit, areasq; pro curiis deputauit, assignans redditus & decimas, & certas villas in stipendia fratrum ibidem Deo seruientium. Geroldus concessit eisdem fratribus ecclesiam forensem beatæ Mariæ, cum omnibus suis emolumentis. Et anno sexagesimosecundo post millesimum & centesimum, præfatus Geroldus, Aldenburgensis ecclesiæ episcopus duodecim⁹, Lubecensis verò primus, sacramentis salutaribus communitus, illucescente die, carnis sarcinam deposuit: sepultusq; est in medio basilicæ Lubecensis, quam ipse fundauerat: sed hodie ad nouum chorum translatus, sub paruo quiescens lapide blauio, statim supra cancellos. Sedit annos quatuor.

Cap. 38.

Papa cōsecrat quem archiepiscopus recusauerat.

Cathedra episcopi Lubecā transfertur.

MEKELNBVRGENSI ecclesiæ, per idem tempus, defuncto Euerhardo, præficitur Benno, vir Deo ac pontificatu dignus: sed non erat quod ad honorem & dignitatem se subleuatum arbitraretur, verùm ad laborem & omnem patientiam vocabatur. Nam principes in ea gente, Niclotus cum filiis, adhuc seruiebant idolis, non multi ex populo Christum adorabant: & quotidie instabat bonus

Cap. 39.

pontifex,vt multiplicarentur qui salui fierent. Eius temporibus Henricus dux Saxoniæ Leo,terram Wandalorum hostiliter inuasit:principem Niclotũ (quem nos dicimus Nicolaum)oppressit,& rebelles subiugauit: occupabat omnem terrã vsq; in Demin.Et ex filiis Nicloti alterum, quòd incentor esset fratris ad rebellionem, quum captus apud se teneretur,iussit in conspectu agminis hostilis iugulari: armis alterum expulit omni ditione.Sed inter alia Suerinum captum ex hoste,dedit cuidam ex suis Guncelino,qui inde creatus est comes. Quem in locum,viuẽte adhuc Bennone (sed longè post hæc tempora) translata est sedes,& manet vsq; hodie.Miris inde perplexitatibus inuoluitur bonus pater,quum inde docẽdi erant increduli,inde verò placandi, qui suos amiserant in bello : solum hoc illi erat inter multas tribulationes solatium, quòd in præsidiis, quæ communierat dux victor, Saxones consederant,qui illum tuerentur : alioqui mille sæpe gladiis confectus interiisset. Sed metus continuit eos à malo magis,quàm modestia. Ferox nimirum natio, & duræ ceruicis.Quod etiam nunc in posteris cernitur, si aliqua præditi essent potestate:sed dura seruitute tenentur subacti. Huius autem optimi pontificis præclara merita,& duram in gente patientiam, & magna pericula, scripsimus in Wandalia nostra:nunc breui rerum commemoratione contenti,ad alia proficiscimur. Henricus interea dux,victoriam in gẽte prosecutus, Werlo cepit : & vocatis episcopis, qui tum in tribus ecclesiis præerant,Geroldo,Euermodo,Bennone,voluit à se episcopatus recognosci:hoc agens,vt ille velut institutor haberetur,& pro maiori coleretur:hoc quærens in sua parte,quod Imperatores diu luctati cum Romanis pontificibus,quærebant in vniuerso regno.Restitere boni pontifices duci,allegantes, non esse fas,de manu laica pendere ius ecclesiasticum.Sed quoniam ille potens erat,nec nisi de manu illius pendebat ecclesiarum prosperitas,fecere quod necessitas indixit,non quod ius dictauit.

Rebellionis autor occiditur.

Henricus operam suam in promouendis ecclesiis nimio vult vendere.

Cap.40. RACEBVRGENSI quoq; ecclesiæ, post Euermodum,vir æquè optimus Isfridus præficitur episcopus:qui tanta fulsit sanctitate, vt miracula nonnulla faceret inuitus. Iusserat sacra die parasceues, vt minister aquam ei inferret in potũ. paruit ille,& aquam afferebat. gustauit pontifex,& reperit vinum. Toruo vultu versus in ministrum,Num,inquit, iussi vt aquam inferres, non vinum ? Territus ille, quàm sanctè affirmauit aquam se attulisse de fonte. Iussit iterum haurire,ac vinum erat:tertiò item res iteratur,& idem prouenit. Tum resolutus in lachrymas, oculos in cœlum extulit. Quando,inquit,tua voluntate,mirifice creator, creatura mutatur,cedo quod iubes,ecce in die passionis filii tui sumo quod præstas.Monstrant hodie fontem iuxta domum thesaurariæ in Raceburg,vnde hausta fuit aqua.Hoc quoq; fertur de illo,quòd quodam tempore quũ circuiret cœmeterium cum processione,vidit cæcum quendam sedentem secus viam,& mendicantem:quem adspergens aqua benedicta,versiculum illum dixit propheticum, *Dominus soluit compeditos,Dominus illuminat cæcos.* Et statim cæcus est illuminatus,& visum recepit. Horum duorum pontificum Euermodi & Isfridi reliquiæ,in choro, in quadam capsa ad austrum,quæ ad hoc est ordinata,conseruantur. Sunt asscripti versus Isfrido:

Episcopus miracula imprudens facit.

Versus plusquam scazontes.

Huic Thetis inualuit,in vinum versa,cæcatus
Est illustratus:talibus effloruit
Laudibus insignis Isfridus,annumerandus
Catalogo sanctis cælitibus iugiter.

Fuit huic quoq; sancto perpetuus labor in vinea Domini,dum Wandalis suis prædicaret,necdum bene firmatis in fide. Nam gladius temporalis magis quàm vlla res,eam gentem duræ ceruicis,in fide continebat. Profuit induratis cordibus habere magni meriti pontifices,qui precibus apud Deum impetrarent, ianuam cordis ad lumen fidei reserari.

Cap.41. HILDESEMENSIS ecclesia,quum haberet pontificem Bernardum,virum quidem præstantem,sed cæcitate percussum,per annos fere decem : intellexit vir Deo plenus,etiam corporalibus oculis opus esse pontifici,qui omnibus vndiq; luceat luminibus antè & retro,renunciauit pontificatui:& cessit in fauorẽ æquè prę-stantis viri Brunonis,qui pridem decanatum administrabat. Insigne est quod de eo fer-

eo fertur. Primus hic natiuitatem Virginis glorioſæ cœpit cum octaua celebrem habere, quum ſit eius eccleſiæ patrona. Aderat matutinali officio nocte media: & ecce ſplendor fulſit inſolitus, & omni meridiana luce fulgentior. Stupuere qui aderant, & pene ex cantu obmutuerunt. Pontifex, quid eſſet, curioſius contemplatus, vidit oculatè ſanctiſſimam virginem ſibi intendentem. Procidens in ora ſupinus, O, inquit, ſacratiſſima regina, quid te ab alto traxit inuiſere manſionem humilium tuorum? Tum illa, Placuit altiſſimo vnico meo tua deuotio, placet cum cælitibus & mihi: perſeuera in eo quod cœpiſti: & cum dicto diſparuit. Honouer oppidum vetus, iam tamen ad inſignem pauperiem redactum, renouatur per Henricum ducem Leonem. Per hæc tempora obierant comites de Lowenrode. Arcem cum hęreditate accepit Henricus, quòd legitimum hæredem nullum relinqueret: ea fuit in parte vltra Leinam, quæ nunc eſt noua ciuitas. Paruitq; ex hoc tempore ducib9, nunc verò in diuiſionem cecidit, vt Gottingẽſi iungatur ditioni. Originem autem nominis alibi ſignauimus: quòd ibi cæſus in duello Haneuus dux Saxoniæ, ante tempora Caroli Magni, ab rege Danorum, nomen reliquit loco, vt Danica lingua Hanefrœ diceretur: deinde noſtri, parumper detorto nomine, Hanouer appellauere. Claruit hoc tempore Petrus Bleſenſis, archidiaconus Batonienſis, vir in diuinis ſcripturis doctiſſimus, qui multa reliquit ad eruditionem poſterorum præclara opera. Eius eſt opus De amicitia Chriſtiana, quod incipit, *Quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* De pœnitentia ſalutari, cuius eſt principium, *Rogaſti me.* De qualitate pœnitentiæ, quod incipit, *Nimia tui rigoris auſteritas:* & alia præterea plurima.

Virgo mater Christi ſuo ipſa cultui aſpectabilis intereſt.

Petri Bleſenſis eruditio & ſcripta.

MINDENSEM tum eccleſiam, poſt Sigewardum, tenuit Henricus, ordine pontificum vigeſimus quartus, aſſumptus de cœnobio ſancti Mauricii, quod eſt in inſula: tranſlatus primùm de Burſueldia, vbi ſe monachum fecerat. Quæ magnæ ſunt virtutis teſtimonia, vt primùm de alieno monaſterio aſſumeretur abbas, inde ex eodem monaſterio vocaretur ad regendam eccleſiam Mindenſem. Temporibus cuius monaſterium in Schima fundatum eſt per Comites de Halremont in honorem ſancti Viti martyris, anno Chriſti MCXLVIII. Ad vltima tempora Imperatoris Conradi tertii, monaſterium quoq; in Lucka, ordinis Ciſtertienſium, ſub honore ſancti martyris Georgii fundatur, coniunctim per comites de Halremont & de Aldenborg: nam vtrique erant hæredes nouiſſimi Comitis de Lucka. Sedit hic pontifex annis duodecim, vſq; ad quinquageſimum ſextum, poſt M C. (hoc eſt, ad initium Imperii primi Friderici) ſepultusq; eſt in Burſuelde monaſterio patrum ſuorum, vt poſtulauit: vnde tranſlatus erat in diœceſim Mindenſem: vt vbi initia ſacræ religionis fecerat, ibi inter patres ſuos expectaret nouiſſimam tubam, ad iudicium euocaturam vniuerſos.

CAP. 42.

1148.

LVBECENSI deinde eccleſiæ, pridem Aldenburgenſi, per mortem Geroldi vacuatæ, ſucceſſit germanus eius frater, Conradus, abbas in Reddageshuſen. Erat autem ſexageſimus tertius poſt mille centum. Quem inuitis, ſed repugnare nõ audentibus, dedit præſulem Henricus dux Leo. Hartuicus Bremẽſis archiepiſcopus reclamabat, adſtruens non oportere per manum laicam de eccleſiis diſponi: ſed non eſt auditus. Nam refragari Henrico eo tempore formidoloſum erat, quando in hac prouincia ſolus imperabat. Conſecratus eſt per manus Hartuici epiſcopi, in oppido Stadii, vt alii, in arce Horborg: ibiq; per aliquot dies manere coactus. Tempeſtas enim tanta tum eſt exorta, vt Albis fluuius fieret immeabilis. Multa hominum millia, infinita pecora in terris paluſtribus Albis & Viſurgi fluminum, perierunt. Quod ideo commemorandum fuit, ne viderentur noua quæ patimur in diebus noſtris, intumeſcente fluminum diluuio. Tum Hartuicus archiepiſcopus Stadenſem baſilicam in honorem diuæ Marię conſecrauit: quam pridem ſub Alberone archiepiſcopo viri religioſi tres fratres, datis prædiis, in conuentum religionis erexere. Hoc eſt illud tempus, quo dux Leo bellum in Wandalos renouauit: filium Nicloti principis, in conſpectu fratris, in agmine ſtantis, appendi iuſſit in arborem, patrem Buruini, cui poſtea dux dedit coniugem filiam naturalem. Conradus autem Lubecenſis epiſcopus, literatura, facundia, largitate & affabilitate pollebat:

CAP. 43.

Principes terrore eccleſias ſibi ſubiugunt.

Malis edocti ſapimus.

clero tamen ſuo ſeueritate quadam abuſus eſt, in principio extraneos diligẽs, ſuos faſtidiens: ſed poſtea in alterum virum mutatus eſt. Multis enim aduerſitatibus à duce Henrico, quum epiſcopatum ab eo per virgam recipere recuſaret, perpeſſis, clero ſuo compati didicit. Iſte Conradus eccleſiam beati Petri in Lubeke, cum offertorio & emolumentis perpetuò conceſſit fratribus. Profectus in terram ſanctã cum duce Henrico, in ciuitate Tzurs (quæ aliâs Tyrus dicitur) ſpiritum Deo reddidit. Sedit annos ſex.

CAP. 44. OSNABVRGENSI eccleſiæ, vigeſimo ſexto loco præfuit dominus Arnoldus, pridem eccleſiæ maior præpoſitus, deinde epiſcopus: auxitq; & prædia & poſſeſſiones eccleſiæ. Stabiliuit etiam monaſterium in Ozede, adiectis illi prædiis de Bardinghuſen: qui Comes pro tempore de Tekeneburg feudi dominus, conceſſit monaſterio, authorizante epiſcopo per formam ſolennem, quam ille in terrorem excogitauit. Erat nobilis domina Eilica comitiſſa, quę & ipſa auxit monaſterii prędia, larga de ſuis manſis contributione: & epiſcopus factam donationem approbauit, & authorizauit: interdicens, ne quis in futurum auſit in irritum reuocare. Præfuit autem eccleſiæ hic pontifex cum ſumma laude per annos duos & viginti: &

Eccleſiæ prædiis augentur.

1186. tranſlatus eſt ad meliora, appoſitus patribus ſuis, ſupra annum Chriſti MCLXXXVI. vel circa.

CAP. 45. MIMIGARDEVORDENSI (quæ eſt eadem Monaſterienſis) eccleſiæ tum præerat Wernerus, ordine vigeſimus primus, vir omni virtute conſpicuus. Cuius tempore, & accedente niſu, eſt facta inſtitutio monaſterii in Cappenberge, ordinis Præmonſtratenſium: qui tum pro ſui nouitate feruebat, & diffundebatur latè per omnem Germaniam. Intantum verò dilexit eum locum pontifex, vt ibi eligeret ſepulturam. Creſcebat per hæc tempora in maritimis Wandaliæ, noua ciuitas Lubeck, inhabitata Saxonibus ſub Adolpho Comite Holſatię, qui eam primus cœpit ædificare. Poſteaquam Crito Wandalus, qui opportunitatem loci primus conſpexerat, inchoatam, morte ſua deſertam liquit & imperfectam: Adulphus inſtitit, & profecit: ſenſit Henricus Leo dux, detrimentum in ſuo Bardeuico, quòd nouæ vrbis ciues præoccuparent omnes à mari merces, & interioribus vrbibus præiudicabant. Hoc quum animaduerteret, egit multis modis cum Adolpho Comite, cui erat ipſe feudi dominus, vt vrbem nouam illi relinqueret. Non potuit perſuadere. Interdixit mercatoribus Lubecenſibus, ne ad interiora Saxoniæ mercarentur, ſed auehi paterentur ſua per cæterarum vrbium habitatores. Incommodum erat: ſed non profuit. Nouam vrbem ad Wokeniſſam erexit, quam appellauit Leoninam: non profecit. Salinam in Todeſlo, quòd nouæ eius ſalinæ in Luneburg repertę detraheret, immiſſa aqua dulci, vehementer afflixit. Sed nõ flexit comitem. Demum quum noua Lubeck incendio tota conflagraret, queſti ciues, quòd reſtaurare fruſtra viderentur, niſi duci conciliatus, efficeret liberam mercaturę negociationem. Id perſentiens dux, iterum inſtitit, & perfecit apud Comitem, vt ciuitas illi permitteretur. Quo facto, incredibile eſt memoratu, qua celeritate creuerit, quę frequẽtia ſit facta habitatorum. Iuſſit proclamari ad omnia emporia de immunitatibus ciuium, inſtituit ordinem reipublicæ, delegit ſenatum, numiſma conſtituit, & omnem ciuilitatem direxit, auxit, amplificauit: & facta eſt breui Lubeck ſplendida ciuitas, & cæteris quæ ante eam fuere, incomparabilis.

Lubecæ incremento oculi dolent Henrico.

Lubeca incenſa vt inſtauretur, Henrici autoritatem interponi neceſſe eſt.

CAP. 46. HARTVICVS Bremenſis archiepiſcopus, quum eſſet inter alios Veſontii, in concilio generali (quod in Burgundia Imperiali, propter confinia regum Franciæ & Hiſpaniæ, ibi iuſſit Fridericus Imperator conuocari) & Victor tum pro ſummo pontifice ſe gerens, ibi adeſſet: propoſuit querimoniam, quòd eccleſia ſua, olim legationis dignitate ſuper omnia Aquilonis regna prædita, miſerè per Romanos pontifices eſſet deſpoliata, quum tribuant prouinciis illis ſuos archiepiſcopos, non reſeruato iure archiepiſcopi Hamburgẽſis. Et quoniam Woldemarus rex Daniæ ibi adeſſet, ſperabat Hartuicus decreto concilii conſtitutum iri, vt iterum parerent archiepiſcopi cum epiſcopis, Hamburgenſi, tanquam patriarchæ. Sed quoniam rex Daniæ ius habebat remeandi domum, quòd aliis conditionibus elicitus diceretur: & quia patres non ſatis confidebant, aliquid aduerſus conſtituta Romanorum

Archiepiſcopꝰ de acciſa ditionis ſuæ amplitudine conqueritur.

notum pontificum decernere, quòd reges euocati non adessent: rex Daniæ eluso per alium colorem concilio, venantis specie egressus, magnis itineribus domū repetebat, & Hartuicus archiepiscopus in sua questione nihil profecit. Quo tempore Imperator Moguntiam subuertit, vindicans necem pontificis Arnoldi, quem ciues per tumultum oppresserunt. Deinde renouata in Italiam expeditione, Mediolanum quoq; deiecit. Tum Reinoldus corpora trium regum inde extulit, & Coloniam deportauit. Erat autem annus MCLXIIII. Tum Victor antipapa decessit, & surrogatur Guido Cremensis episcopus, & Paschalis nuncupatur. Victor apud Lucam sepelitur. Alexander interim pontifex in Francia agebat, vt aduersus Imperatorem sibi conciliaret cæteras nationes. Apud Senonas die Parasceues, quum ageret Alexander diuinum officium, horribiles factæ sunt tenebræ: & dum lector passionem Dominicam personaret, perueniretq; ad eum locum, *Consummatum est*, fulgur tam stupendum cecidit, & tantus fragor intonuit, vt Alexander dimisso altari, & lector omissa passione, ac omnes qui aderant, fuga sibi putarent consulendum. Quo etiam tempore archiepiscopus Coloniensis, Padeburnensis, Mindēsis & Monasteriensis episcopi, & Henricus dux Saxoniæ, obsident arcem Arnsborg, q; Henricus comes multa aduersus singulos commiserit, & nouissimè fratrem puerum in carcere tenuerit, in quo mortuus est. Capitur arx, & euertitur, & Henricus exulatum abit. Postea tamen reuersus in gratiam, recepit arcem: quam post obitum consignauit ecclesiæ Coloniensi, quæ totam hodie tenet ditionem antiquæ illius nobilitatis. Caroli Magni tum ossa leuata sunt de sarcophago, & ascriptus est ipse sanctorum catalogo, magno pontificum & principum conuentu, ac celebri festiuitate, tripudiantibus omnibus ad memoriam victoriosissimi quondam Imperatoris, nunc sanctissimi principis. Ibi Henricus puer, Friderici filius, corona donatur à principibus ad successionem paternam.

Moguntiæ & Mediolani excidium.

1164.

Caroli Magni apotheosis.

CAP. 47.

HILDESEMENSIS ecclesia iterum nouauit pontificem suum. Nam Bruno septem solis præfuit annis, & insequitur Hermannus: seditq; annis sedecim, consecrauit ecclesiā sancti Blasii in Brunswick, quam à fundamentis Henricus dux Leo ædificauit, amplificans, & exornans mirificè ciuitatem. Erexit super basim leonis effigiem, quæ hodie extat: vnde nata fabula de leone, qui sequeretur exulantem. Infelices & miseri, qui fabulas concinnant. Nomini suo dux fecit honorem, quòd Leo diceretur. Vrbem fossa & vallo circumdedit: & quia potens & diues erat, multos præ se contempsit. Vnde conspirantibus in eum cunctis, non erat factu facile, incolumem seruare dignitatem. Insigni victoria in Wandalos tum elatus fuit: omnem terram Obotritorum fugato Pribislao occupauit: & principibus Pomeranię, qui congentilem suum defenderant, satis onerosus incubuit. Amisit tamen in obsidione Demin vrbis, duos comites cæsos, dum castra metarentur: Adolphum Holsatiæ, & Reinoldum Thietmarsiæ. Quo stem mate hic progenitus sit, non inuenimus, quum tamen comitatus iste in ius transierit Bremensis ecclesię, quod dixim⁹. Sed Henricus dux animo sublimis, miscens profanis sacra, qui ciuitatem Bremam pro sua tenuerit, quiq; Stadensem Comitatum sui iuris fecerit, potuit & Thietmarsiæ præficere quem volebat. Nam quòd armato agmine terram intrauerit, populumq; domuerit, & ad tributa in granis soluenda coegerit, compertum habemus. Potuit perinde tum illis imponere comitem, qui eius nomine eos in fide contineret: sed nisi belli fortuna ipsum consumpsisset, pari cum prioribus exitu fortasse terminasset. Non est passus populus ab omni memoria dominantem. Nam Adolpho tertio (quod suo tempore dicemus) quum resistere non possent, sed grandem pecuniam (quam etiam soluere non poterant) expromisissent, alio se genere vindicabant, transferentes se ad ecclesiam Slesuicensem. Sed hæc postea.

Imò nequissimi & execrandi.

At isti non miscent, dum tot opes cōparant.

CAP. 48.

FERBVIT tum controuersia inter ecclesiam & Imperium, quum Alexander pontifex Franciam, Hispanias, Angliam, & quandam Germaniæ partem haberet obedientem. Reliqua Germania cum Imperatore sensit, hoc solum prætendens, quia Alexander concilio congregato noluit adesse, pertinax & contumax habebatur. E diuerso pontifex asserebat, quia indubitata fuit electio sua à maiori parte, nō debuit sine illius authoritate conciliū à quouis cōgregari. Reinoldus Coloniensiū

Pontifices se mutuò diris deuouent.

electus, inuitato Imperatore Coloniam, à ſuffraganeis conſecratur: ſed ab Alexandro excommunicatur, qui tunc in Galliis diuerſatus, Turonis concilium congregauit. Sed quum anno proximo, hoc eſt LXVII. quum Imperator in Italiam renouaſſet expeditionem ſuam, Reinoldus Colonienſis archiepiſcopus, & Chriſtianus Moguntinus electus, cum exercitu Romam vadunt, vbi tunc Alexander Papa con ſedit. Romani hortatu pontificis, impetum faciunt in exercitum Imperatoris: & pluribus occiſis, ſuper haſtas figũt capita cæſorum. Imperatorii duces prælium inſtaurant, hoſtes inuadunt: & in hoc congreſſu pluſquam ſex millia Romanorum ceciderunt. Alexander fugit, vrbs vacua pene remanſit. Peſtis ex cadaueribus exorta, multos contaminauit: & ex victoribus qui conſtiterant, ad vicina victoriæ loca peſſundedit. Ibi Reinoldus Colonienſis archiepiſcopus interiit, & dux Sueuiæ Fridericus. Oſſa Reinoldi Coloniam tranſportantur: cui Philippus decanus eiuſdem eccleſiæ ſurrogatur. Chriſtianus comes de Aldenburg, Henrico duci ſe opponens, arcem Wegæ euertit, Bremam introiuit: Bremenſes eum recipiunt, volentes iugum ducis excutere. Dux collecto exercitu Bremam proficiſcitur: ſed Chriſtianus vada fluminis Geræ occupans, duci tranſitum prohibuit. Ibi vterq; conſedit exercitus, mutuo conſpectu, diebus quatuor. Quinta die Chriſtianus quatuor inſtruxit acies, pugnaturus: dux terga vertit, & abiit. Poſtea verò cum magno exercitu reuertitur, & Chriſtianus ſe recepit in Aldenburg, nihil timens. In eodem turbine obiit idem Chriſtianus. Et quia milites (ſicut ipſe rogauerat) mortem eius diſſimulauerant, ei tanquam viuenti cibaria inferentes, exercitus ducis affectus tædio, eſt ſolutus. Moritur etiam Henricus frater Chriſtiani. Hic vxorem duxit ſororem Henrici comitis de Gelria, de qua genuit Henricum & Gerhardũ, poſtea clericum: & filiam, quam duxit Wedekindus de Stumpenhuſen, filius Geronis. Chriſtianus etiam genuit de Cunnegunda Mauricium & Chriſtianum: & ſolus Otto Bremenſis eccleſiæ præpoſitus, de filiis Eilimari remanſit, qui factus eſt tutor pupillorum. Poſtea Aldenburgenſes bello ſe confodiunt inteſtino, ita vt ſacerdote miſſam celebrante, Phriſones calicem Domini effunderent, & auferrent. Vnde eadem vrbs in manus Henrici ducis data eſt: eamq; obtinuit, vſq; dum ab Imperatore humiliaretur. Mira huius principis fortuna. Bello fortunatus erat & victorioſus: quod bello nõ potuit, ingenio peregit: quod verò neq; bellum neq; ingenium præſtitit, ipſa rerum domina fortuna elargitur. Fortunam voco, ſortem à Domino diſpenſatam, quæ humanis obtutibus non præuiſa, fortuna dicitur.

Duo exercitus instructi ſibi inuicem terrori.

Militum furor ad ſacra ipſa peruadit.

Fortuna quid.

CAP. 49.

BREMENSI tum eccleſiæ poſt Hartuicum (qui anno ſexageſimo octauo defecit) præficitur Balduinus, Halberſtadenſis præpoſitus, annis grauis, ſed Henrico duci charus: cuius voluntate tum omnia per Saxoniam gerebantur. Nam electio diſcors ſe diuiſit in duos: Sifridum, Alberti marchionis filium, præpoſitus eccleſiæ maior cum conſortibus fouebat: Guncelinus autem Suerinenſis comes, authoritate ducis ſui, huius Sifridi partes tuetur: & pro rerum gerẽdarum commodo, quòd in Brema non ſatis eſſe tuti viderentur, in Aldenburg conceſſere: nam ibi tum ducis erat præſidium. Altera verò pars capituli, & ea maior, elegerat Otbertum eccleſiæ decanum, cuius fautores in arcem Hamburg commigrauere. Dux autem vbi comperit diuiſionem, vtrunq; ſubmouit: & tertio, quem diximus, Balduino archiepiſcopatum conſignauit, durante ſchiſmate in Romana ſede. Sifridus autem in Brandenburgenſem epiſcopum ſtatim aſſumitur. Balduinus conſecrationem (ſi non execrationem) à Paſchali aſſequitur. Is duci gratificans, multa illi eccleſiæ bona permiſit, ſuiſq; plurima donauit in eccleſiæ detrimentum. Per cuius tempora durauit adhuc diuerſitas inter Alexandrum & Fridericum, qui ſuum antipapã Paſchalem circumduxit. Quum Chriſtianus Moguntinus electus, bella pro Imperio in Italia gereret ſatis feliciter, legatum ſe ferebat ſummi pontificis Paſchalis, Imperialis aulæ cancellarium, & ſedis apoſtolicæ vicecancellarium. Brabantinos fertur in agmine duxiſſe, tum promptiſſimos: perq; Lombardiam & Tuſciam omnia depopulans, Bononienſes ad extremum inuaſit. Ipſe equo ſedens, indutus thorace, & deſuper hyacinthina tunica, in capite galeam ferens deauratam, in manibus autem clauam trinodem, fertur vno in prælio ſua manu nouem ſtrauiſſe pugnatores.

Schiſmatis tempus miſerum.

Archiepiſcop⁹ militaris.

Henricus ſcholaſticus Bremenſis efferebat (vt qui tum trigeſimum quintum ætatis agens annum, notarius eſſet Chriſtiano) eundem archiepiſcopum XVIII. nobilioribus terræ, dentes cum petra, propria excuſſiſſe manu. Bononienſes egreſſi ad prælium, confertis manibus, ſtatim fugiunt: ipſe ſecutus, obſidet ciuitatem: exercitus eius obſeſſis (vt fieri ſolet) inſultat. Paſchalis, viri feruens ingenium ſimul & ſtrenuitatem in armis admirat⁹, & complexus, ſic ei ſcribere ſolebat, *Paſchalis epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Chriſtiano Chriſtianiſſimo ſedis apoſtolicæ legato, Imperialis aulæ cancellario, & Romanæ eccleſiæ filio fideliſſimo.* Die quæ proxima fuit victoriæ in Bononiẽſes, archiepiſcopus indutus pontificalibus, magnam fecit ſolẽnitatem, ob memoriam inſignis victoriæ, & ipſe aſſiſtens aræ quæ eſt extra muros Bononiæ (vbi quidam Aquilegienſis epiſcopus ædificauit præclarum palatium de marmore, & templũ honorabile ęquè marmoreum) celebrauit ſolenniter diuina. Adſtabant choro canentium trecenti ex militantibus, omnes monachi apoſtatæ, & fere tot moniales eiuſdem ſectæ. Singulari enim odio inſectabatur Fridericus ordinem Ciſtertienſium, Alexandro præcipuè inhærentem. Vnde ſubuerſis eius ordinis monaſteriis, ex monachis tot fuere ſatellites, & item ex monialibus non pauciora ſcorta. Iſte canentiũ tam numeroſus tamq; præclarus chorus, concinebat ſacrum officium martyrum Thebæorum, *Gaudeamus omnes in Domino:* Euangelium, *Quum audieritis ſeditiones.* Expleto ſacro miniſterio, archiepiſcopus & ſui, acceptis ex vrbe obſidibus & infinita pecunia, cum multa præda, duxit in Anconam, obſidens illam fere per biennium. Multa videbantur in hoc viro præcipua, quòd facundus, largus, illuſtris, ad omnia magnanimus haberetur: Latina, Romana, Gallica, Gręca, Lombardica, Brabantina, linguis, vt ſua vtebatur. Erat autem natione Thuringus. Hunc ſuo tempore orantem Itali ſunt mirati. Diuinarum ſcripturarum non erat ignarus: quem Leo Tuſcus, notarius Emanuelis Imperatoris orientalis Græcorum, laudib. effert. Scripſit etiam ingenii ſui præclara monimenta: Friderici Imperatoris geſta ac vitam, epiſtolas diuerſas, & orationes præſtãtes. Nulla ciuitas, arx nulla reſtitit oppugnanti. Henricus memoratus, Bremenſis ſcholaſticus, retulit famam eſſe, idq; ſe à dignis viris accepiſſe, quòd aſini & meretrices in eius exercitu maiores facerẽt ſumptus, quàm omnes exercitus Imperatoris, & familia, quæ tamen opulentiſſima Cæſari erat. Clerici & fœminæ in exercitu eius, duo munitiſſima fortalicia memorantur expugnaſſe: ita etiam inter arma ludebat. Anconam verò tunc obſeſſam ſic affecerat, vt calceorum coria & ſcutorum vorarent. Subiugauit etiam Ferrariam & Rauennam: & fortunatiſſimo procurſu victoriæ eſt tamen pro Imperio vſus. Anconã deinde redactam in ſuam poteſtatem ſubuertit, & naues trecẽtas, quas reperit, Imperii & ſuis vſibus deputauit. Paſchali deinde per mortem deficiente, ſurrogatur abbas Strumenſis, ex Ioanne dictus Calixtus. Romani autẽ vt euitarent arma Chriſtiani, neq; Alexandrum recepere, neq; Calixtum: ſed Calixtum idem Chriſtianus ſolus fouit in valle Spoletina. Sed ſiſtamus hìc calamum.

Similes habent labra lactucas.

Archiepiſcop⁹ Cæſari quàm Petro ſimilior.

ALBERTI KRANTZII
METROPOLIS, LIB. VII.

CAP. I.



MAXIMVM in orbe terrarum tum excitauerant, & diu ſuſtinuerant, duo principes malum. Fredericus Imperator luctatur cum Alexandro ſummo põtifice, pro rerum ſumma: & per Saxoniam dux Henricus Leo, cum Wichmãno & Vlrico, altero Magdeburgenſi, altero Halberſtadenſi, contenderat. vna vtrobiq; ambitio in cauſa fuit. Volebat Imperator imperii ſui iura repetere ſuper ſummis pontificibus & aliis epiſcopis conſtituendis: Papa contrà, innixus iuri diuino & humano, res eccleſiaſticas poteſtati laicorum eximebat. Henricus autem dux elatus victoriis & rerum amplitudine, inuiderat epiſcopis rerum omnium tam latam ditionem, arbitratus adminiſtrationem rerum per pro-

uincias deberi principibus, episcopos autem solis curandis sacris intendere oportere. Sed Imperator facti sui colorem maximum prætendit, quòd Alexander pontifex iudicium uideretur subterfugere ecclesiæ: & ideo de mala causa prædicauit suspectum, qui nollet ab ecclesia iudicari. Quam rem postea in quæstionem reuocabant patres in concilio Basileensi, concilium esse supra papã: cùm pontifex contra niteretur. Henricus autem facti sui non alium quærebat colorem, quàm vt armis & seculari potentia niteretur. Pontifices autem memorati, murum illi pro domo Domini opposuere. Alexander solus, quia iustitiæ fidebat, tribus antipapis superstes fuit, Victori Octauiano, Guidoni Paschali, Ioanni Calixto: sed duo priores mortui sunt in schismate: Ioannes autem, dictus Calixtus, penè inopia adactus est in gratiam conuolare Alexandri papæ. Erat annus septuagesimus septimus, quum Imperator schisma fastidiens, de pace cogitauit: sed accessit causa, quòd Veneti, qui iamdudum Alexandro fauerant, vagantem in Hadriatico mari Ottonem, Friderici Imperatoris filium, cum classe, quam Christianus Moguntinus Anconitanis ademerat, intercepere: & perductum Venetias, coegerunt iurare, quòd apud patrem de pace tractaret. Alexandro iam regna omnia consenserant: solus Christianus Moguntinus fouet (vt diximus) Ioannem in valle Spoletina. Nunquam cessauit interea Imperator, Mediolanensibus inferre quod rebellantes meruerunt: quæ fuit vel maxima causa continuandi schismatis, quòd Alexander papa, origine Mediolanensis, fauerat ciuibus suis. Tum Henricus dux Saxoniæ causatus ætatem, petiit missionem, & cum Imperatore non iniit expeditionem: quæ res illi auxit indignationem, & auertit ab illo Imperatorem, iam cunctis principibus eidem Henrico pro sua superbia infensis. Sed quoniam hæc in Saxonia sumus executi, satis est semel esse narratione digestum: nunc rem ecclesiasticam exequimur.

Si papa est superior, frustra cogitur concilium.

Imperator Mediolanensibus infestus.

CAP. 2. LVBECENSIS ecclesia iam ex Aldenburgensi honorem nacta, in peregrinatione Henrici ducis in terram sanctam, Conradum suum episcopum amisit: diuq; ignorauit, donec duce ad reditum propinquante, certior fieret. Tum verò fratres scientes sine ducis assensu nihil agere, virum popòscerunt duci gratissimum, iam longè ante nominatum, Henricum abbatem sancti Ægidii Brunswicensis, doctrina, eloquentia, sanctitate iuxtà insignem: qui & ipse cum duce peregrinatus, grandem sustinuit disputationem in conspectu Imperatoris Constantinopolitani, præsente domino suo Henrico duce, super processione Spiritus sancti, quum sermo oriretur de controuersia orientalis & occidentalis ecclesiæ. Ostenderat Henricus testimonio Græcorum doctorum, controuersiam non esse de re, sed de verbo, copiosè allegans, ita vt omnium & Latinorum & Græcorum ora in se conuerteret. Sed iam reuersus in prouinciam, quum à fratribus Lubecensibus episcopus posceretur, dubitauit dux quid sineret, dubitauit & ipse Henricus quid faceret. Nam dux carere eius præsentia de Brunswico (vbi plurimum ingrauescente ætate manebat) graue duxit, viro pleno prudentia & consilio: ipse Henricus addubitabat monasticam quietem mutare negocio pontificio. Post multa adquieuit vterq;, & factus est Lubecensis episcopus: ab episcopis Hauelburgensi, Raceburgensi, & Suerinensi, in præsentia ducis Henrici consecratur. Hic vir magnę eruditionis & sanctitatis, facundus, de Brabantia oriundus, primò præfuit scholis in Brunswico: postea abbas, inde factus est episcopus. Huius tempore dux Henricus ædificare cœpit ecclesiam Lubecensem, quæ nunc est, in honorem Ioannis Baptistæ & Nicolai, & cum dicto Henrico episcopo primum lapidem posuit. Fundauit monasteriũ ordinis diui Benedicti in honorem Ioannis euangelistæ, constituens in eo fratres ordinis sui, qui hodie sunt translati ad Cismariam, certas decimationes & agros in dotem illis conferens. Per medium huius Henrici, Fridericus Imperator primus quũ conclusisset obsidione ciuitatẽ Lubecensem, fortissimo exercitu ab impugnatione cessauit, donec ciues consulerent dominum suum Henricum ducem: & eius consensu homagium Cæsari prestiterũt. Huic tum crebris vexato febribus, Fridericus Imperator, ꝙ in homine sibi cõplaceret, misit propriũ medicũ, vt remediis opportunis ei subueniret. Multa in eius laudẽ feruntur, quorum quædam signauimus in nostra Wandalia:

Catholicæ ecclesiæ membra inter se dissentiunt.

Ecclesiæ Lubecæ construuntur.

dalia:ſed in ea infirmitate tum ille defecit. tumulatus eſt in choro monaſterii ſancti Ioannis,per eum fundati,quum adhuc fratres ſui ordinis ibi commanerent.Sedit in epiſcopatu per annos quindecim, immortale nomen cum plurima laude relinquens apud poſteros. Reliquit quædam ſui nominis monimenta, ex quibus eſt Homilia in euangelium, *Stabat iuxta crucem Ieſu*: quæ qualis fuerit in cæteris, ſatis demonſtrat,quàm ſenſu profundus,quàm excultus eloquio. Sed præſtabat omnibus ſincera in viro deuotio.

Cap. 3.

Hildesemensis eccleſia per hæc tempora accepit nouum pontificem, Adologum,virum præſtantem,qui præfuit eccleſiæ ſuæ annis decem: Quanto minimè poterat,ſe implicabat aut rebus Imperatoris, aut factionibus Henrici ducis, qui diuerſis itineribus eccleſiam tum affligebant.Celeberrimum concilium congregatum eſt tum ab Alexandro papa,vigeſimo pontificii ſui anno.Ibi ceſſit à ſchiſmate Ioannes Calixtus,& factus eſt epiſcopus Beneuentanus. Archiepiſcopi, pallia accepta à ſchiſmaticis abiecerunt.Chriſtianus Moguntinus, & Philippus Colonienſis,per manum Hiacynthi cardinalis, receperunt noua pallia, refutantes omnem hæreſim & ſchiſma,præcipuè Octauiani,Guidonis & Ioannis:ſic in hæc ſingulis verba iurantibus: Ego N.anathematizo & recuſo omnem hæreſim, extollẽtem ſe aduerſus ſanctam Romanam eccleſiam catholicam, præcipuè verò ſchiſma Octauiani,Guidonis,& Ioannis,& ordinationes eorum irritas iudico, & eis contradico:& modò,& in antea,me obediturum iuro,& promitto fidelitatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ,& domino meo Alexandro,& ſucceſſoribus eius iuſtè intrantibus: ipſiq; ſeruiam abſq; omni malo ingenio,contra omnem hominem ſecundum ordinem meum. Cõſilia eius,quæ mihi ſcripto certo mandauerit,vel ipſe commiſerit, nulli hominum prodam,nec etiam pro periculo corporis aut membrorum.Legatum eccleſiæ Romanæ honorabo,& ducam,& reducã, & iuuabo expenſis. Sic me Deus adiuuet,& hæc ſancta euangelia. His verbis dabantur pallia: In nomine Patris,& Filii,& Spiritus ſancti,& in honore Dei genitricis, & in honore apoſtolorũ Petri & Pauli,& ſanctæ eccleſiæ Romanæ,& domini Alexandri papæ,tradimus tibi pallium, ſumptum de beatiſſimo corpore Petri apoſtoli, vt eo vtaris in confectione ſacramentorum & corporis & ſanguinis Domini, & conſecratione eccleſiarum & chriſmatis,& ordinatione clericorum, & celebratione ſynodorum, ſecundum eccleſiæ tuæ conſuetudinem, Amen.Ita finem habebat ſchiſma,& requiem inuenit papa,& Imperator conciliatus eſt eccleſiæ. Sed Henrico duci Saxoniæ iam primùm imminebat periculum ſuum, cunctis in eum principibus conſpirantibus,quum etiam Imperator pro recuſata expeditione Italica eſſet infeſtior. Sed hæc de Saxonia noſtra petantur,vbi plenè ſunt explicata. Ad pontifices conuertamur proſequendos.

Abiurãdi ſchiſmatis formula

Pallia unde, & quibus rebus adhibeantur.

Cap. 4.

1178.

Bremensis eccleſia tum quoq; innouabat pontificem. Nam anno Chriſti ſeptuageſimo octauo poſt M. C. Balduinus exceſſit humanis rebus,quũ ipſa die eſſet ſuæ depoſitionis literas à Romano pontifice accepturus: & quidam Bartoldus, inſignis vir literaturæ eligitur,vt præueniatur Henrici ducis molitio. Solus Otto præpoſitus ab hac electione appellabat,prætendens Sifridum, marchionis Alberti filium,epiſcopum iamdudum Brandenburgenſem,in eam ſedem ſuſtolli: quod etiam poſt multa prouenit. Aſcenderat Bartoldus electus ad cõcilium Lateranenſe,quod Romæ audierat congregari: petiuitq; conſecrationem, certiſſimus ſpei, quòd omnia ex voto conſequeretur. Sed pridie ſederat in concilio inter epiſcopos infulatus,quum tamen non eſſet presbyter:vnde magnam cõtraxit inuidiam. Aderat illi quidam magiſter Gerardus,qui pro illo allegabat in concilio, Domine pater,ecce Bremenſis eccleſia, cõcordi & vnanimi voto, offert tibi ſponſum ſuum magiſtrum Bartoldum,virum vtiq; dignum & moribus approbatum, ſcientia decoratum,liberalibus artibus inſtructum,vtriuſq; teſtamenti pagina eruditum, decretorum & legũ induſtria peritum,virum(vt apparet) perſonatũ,canonicè & ſine omni contradictione electũ.Petitq; à te hodie accipere gradũ ſacerdotii, & cras epiſcopalẽ benedictionẽ.Papa breuiter ad hęc,Credimus tibi dicenti,magiſter:ſed ſcriptũ eſt,*Manũ nemini citò impoſueris*. Loquamur cũ fratrib. noſtris,audiam⁹ formã

Contentio de Bremenſi admittendo pontifice.

electionis. Examinantur Bremenses per duos cardinales. Reinerium Papiensem, & Ioannem Neapolitanum: & inuenti sunt discordare. Papa in consistorio suo sententiam dixit, Fratres, vidimus electum vestrum: placet persona, placet sciētia, placet eloquētia: placent etiam, quantum nouimus, mores: verùm modus electionis displicet, præsertim quia est infra sacros ordines, non dico subdiaconatum, sed acolythatum electus. quo gradu, secundum rigorem iuris, licet contrahere matrimonium: quod canonicis obuiat institutis. Appellationem quoq; super hoc factam audiuimus, quam coactus est resignare appellator: insuper se denuo fecit eligi, & secunda electio cassauit primam. Præterea electus vester ante sacros ordines accepit regalia de manu Imperatoris. Hæc non admittunt dispensationem de facili: & alia quæ præterimus. Inde est quòd electionem vestram infirmamus, & irritam nunciamus. Data sententia, volenti loqui deposito, non est data audientia: sed ostiarii clamabāt, *Leuate, audate, audate, audate.* Sifridus autem, & fauore principum iam reconciliatorū, & suopte merito (quòd esset nobili origine, bonis moribus) obtinuit translationem de sede Brandenburgensi ad Bremēsem. Quietus quidem ab armis fuit, sed intestinam sensit commotionem. Nam Theodoricus decanus, Hartuicus custos, postea archiepiscopus, & Segebodo sancti Pauli abbas, Hermannus præpositus de Bucken, & Eilo prępositus sancti Willehadi, & alii quos archiepiscopus honoribus sublimauerat, conspirauerūt in ipsum, mittentes in vrbem Henricum canonicum: qui, quòd aleator esset, nomen est inde consecutus, vt Dabelstein agnominaretur. Hic vbi incognitus fuit, simulator erat sanctitatis egregius: sed Henricus scholasticus Bremensis, ex aduerso missus pro pōtifice, ei restitit in curia, & sufficiēter de obiectis archiepiscopum excusauit, purgauitq;: videlicet quòd varium non ferret, nisi quum suis vestibus alicui pauperi erogatis, mantellū clerici aut militis induisset: & quòd deauratis phaleris non incederet, nisi equo suo per munificentiam erogato in piam causam, iumentum militis conscendisset: multasq; prætere alias friuolas obiectiones in pontificem idem scholasticus elisit. Operæpreciū est intueri, quid tam magni piaculi in pontificem obtenderetur, virum natu nobilem, & summis per Germaniam principibus parem, quòd varium induisset, quòd auratis phaleris vteretur: nimirum friuola erant, quę de antiquis, nescio si abolitis, constitutionibus criminatores repetebant. Quum esset olim in Imperio Romano Ludouicus primus, synodales desuper editę erant constitutiones, de honestate cleri in vestibus & ornamentis: sed secula quæ intercesserant, multa antiquitatis constituta obliterarunt. Vtinam, ait Platina, hodie viueres, Ludouice, cerneresq; nostrorum temporum in his rebus licentiam: castissimam diceres memoriam tuæ ætatis. Eodem tempore quidam Sueciæ episcopus Ioannes, quum Bremā pertransiret, interpellatus ab archiepiscopo, obedientiam illi pręstitit, tanquam legitimo superiori. Seruiuit necessitati, cessit tempori: quid faceret, non aliter abiturus? Antiquæ obseruantię renouationem facere voluit archiepiscopus, recordatus illorum temporum, quo trium regnorū episcopi subditi erant archiepiscopo Hamburgensi: sed in futurum ea res nihil profuit. Sifridus autem, expletis in pontificatu annis sex, post quindecim in Brandenburgensi ecclesia exactos, concessit è vita, anno Christianæ salutis MCLXXXIIII.

Papa Bremensis episcopi electionem irritam pronunciat.

Bremensis maleuolorum crimina diluit.

Cōstitutiones apostolicæ quæ dicuntur, abolentur.

CAP. 5. MIMIGARDEVORDENSI ecclesiæ, per ea tempora præfuit Henricus secundus, ordine vigesimus secundus: qui multum laborauit pro noua ecclesia erigenda, prouiditque quę necessaria fuere: sed ad effectum ipse non perduxit, passus quod sanctus Dauid in ædificando templo Hierosolymitano, cui non est datum (q. vir bellator esset) templum instruere, sed seruatum est hoc Solomoni pacifico. Ita contigerat huic pontifici, qui sub Friderico Imperatore inquieta nactus est tempora. Tum verò Emanuel Græcorum Imperaror, bellum in Soldanum habuit, de quo Imperatori Friderico scripsit, salutatione sic posita: Emanuel in Christo fidelis Imperator, Porphyrogenitus, diuinitus coronatus, regnator potens, excelsus & semper Augustus, & moderator Romanorum magnificus: Nobilissimo & gloriosissimo regi Alemanniæ, & Imperatori, & dilecto fratri Imperii nostri, salutem, & fraterni amoris affectū. Conclusit epistolam hoc modo: Soldanus Imperio

Quibus se titulis insigniret Constantinopolitanus Imperator.

noſtro ſe dedidit:& miſſis legatis,miſericordiam poſtulauit, fecitque Imperio noſtro hominium & iuramenta: pollicitus eſt ſeruire nobis cōtra omnem hominem cum exercitu ſuo, ita vt ſit amicorum noſtrorum amicus, & inimicorum inimic⁹. Erat ſcripta aureis tota literis,ſed vanitate pleniſſima. Sciebat enim Frideric⁹ quid eſſet in facto.Nam antè receperat legationem Soldani,quę rem omnem plenè aperuerat. Munera tamen precioſa allata ſunt Imperatori noſtro, ex Soldano (credo) potius quàm Conſtantinopolitano.Erat cantharus ſmaragdinus,capiēs ſextarium balſami,& gemmæ precioſæ plurimæ. Illuſit autem Fridericus vaniſſimo Imperatori Græcorum,ita reſcribens: Fridericus diuina fauente clementia, inclytus triumphator,Romanorum Imperator à Deo coronatus, ſublimis, in Chriſto fidelis, magnus,pacificus,glorioſus Cæſar, Græcorum moderator, & ſemper Auguſtus: nobili & illuſtri regi Græcorum Emanueli, dilecto fratri,ſalutem,& fraternæ dilectionis affectum. Et inter cætera, Sicut ille rex regum, à quo omnis poteſtas, Romanum Imperium caput totius orbis conſtituit:ita etiam Romanam eccleſiam omnium eccleſiarum vnicam matrem,dominam & magiſtram ordinauit. Quod vtiq; duorum gladiorum numero figurauit, quos etiam ſufficere perhibuit author fidei noſtræ. Quapropter tuam prudentiam commonemus, quatenus nobis & Romano Imperio honorem debitum impendas, & ſummo pontifici (quem nomine tenus ſanctum appellas) debitam obedientiam exhibeas,& honorem. Nuncii qui cum muneribus venerant,munerati quoque ab Imperatore ſunt remiſſi. Hæc etſi in Saxonia dixiſſe meminerimus, pro inſigni tamen rerum memoria, hunc voluimus tenere locum.

Fridericus Emanuelem Cōſtantinopolitanum vt ſalutat.

Cap. 6.

Mindensi eccleſiæ per ea tēpora præfuit dominus Wernerus, ordine pontificum vigeſimus quintus,ſucceſſor Henrici,magno ortus genere, pridem eccleſiæ huius maior præpoſitus. Præferunt annales ortum genere Wilhelmi Imperatoris,mendoſè.Nam illa tempeſtate,etiamſi ab initio recenſeas Imperatores, nullus erat in Imperio hoc nomine. Poſt annos autem centum, ex hoc die, erat Wilhelmus comes Hollandiæ,electus in differentia rex Romanorum. Sed de hoc loqui non poſſunt annales,quaſi diuinantes,quis poſt annos centum ſit futurus in Imperio. Ergo Conradum aut Fridericum accipimus, quorum ſunt vicina tempora: vt illuſtri illorum ſanguine ſit ortus,comitum genere.Erant autem memorati Imperatores genere Franci orientales,quibus iam Galli verum & antiquum nomē ademerunt,vt illi Franci noſtri dicantur Francones per inſcitiam. Debuerant autem patrium & antiquum nomen tueri,vt non Francones,ſed Franci dicerentur. Poterat etiam iſte pontifex eſſe Saxonico genere, de ſanguine Luderi Saxonis Imperatoris,ante duos memoratos:qui non magno genere ortus peruenit ad Imperium: prout in Saxonia diximus. Sed hæc miſſa faciamus: attigimus tamen, non inuenientes aliud in Annalibus,vnde pontificem illuſtremus.Sedit autem annis ſeptēdecim,tranſlatus ad meliora,anno Chriſti MCLXVII. in vigilia diui Martini: quæ erant tempora primi Friderici. 1167.

Nullus Imperator nomine Wilhelmus.

Francones in Germania hodie, qui olim Franci.

Cap. 7.

°Ecclesiæ Oſnaburgenſi,ſub primo Friderico Imperatore,vigeſimus ſeptimus præfuit pontifex Gerardus de Lippia,vir acer ingenio: qui capitulo ſuo & miniſterialibus multa pro veteri licentia poſcentibus, non acquieuit: & ideo ab illis non amabatur,nec proinde ſcribi curabant, quæ ſonarent laudem. Monaſterium tamen in Hersbroke monialium, quod iamdudum à regula degenerabat, curauit reformari:ſorore ſua (quæ præerat alteri monaſterio) huc ad regendam ſanctam confirmationem tranſlata.Multa multis dedit feuda comitibus.Extant deſuper literæ:ſed(vt diximus)ſuo capitulo & miniſterialibus non erat acceptus. Vnde factū eſt,vt quum in eccleſiam Bremenſem eſſet poſtulatus,facilè cōſenſerit,illuc tranſlatus:ſed inuenit acerrimum bellum,aduerſus Stedingos,homines male Chriſtianos,in quos etiam crucem obtinuit prædicari. Multi ibi nobiles perierunt,duces, comites,barones:in fine victi ſunt,captiq; ad quatuor millia: primores iudicio perimuntur,multitudini emendatæ parcitur.

Stedingi non ſinceri Chriſtiani, bello domantur.

Cap. 8.

Paderbvrnensi eccleſiæ poſt Euergiſum præficitur Sifridus, maioris eccleſiæ pridem præpoſitus: præfuit annis nouē, à ſeptuageſimo octauo ad octua-

gesimumseptimum. Vidit ille humiliationem principis Henrici, quem antè quidẽ exosum pro impotentia & superbia omnibus, diu Imperator defendit: sed vbi etiã Imperatorem contempsisse videbatur, in eum armis versus & sententiis, exuit honore & rebus. Nam per hæc tempora conuentus principum erat in Magdeborch, vbi querimoniæ multæ tam ab Imperatore, quàm principibus contra Henricũ ducem Saxoniæ sunt factæ, inchoatusq; est processus ille iudicialis, quem in Saxonia diximus. Vbi ille contemnitur, armatus contra eum descendit Imperator in Saxoniam, fugans eundem ad extrema Germaniæ: hoc est, in Lubecam, maritimam ciuitatẽ, sed nouam. Non ausus fidere loco Henricus, præsidium validum vrbi imposuit, & concessit in Stadium. Venit cum exercitu Imperator, & Lubecam obsedit,

Henric' Saxoniæ dux dominatu exutus, in Angliam exulat.

1180. & deditam accepit. Erat annus octogesimus post M C. quum in Wirtzburch abiudicaretur Henrico omne feudum: sed ille diu se armis defendit. In Westphalia congressus militibus archiepiscopi Coloniensis, qui eam partem occupauit ab Imperatore concessam: prosperè pugnauit Henricus: captus est Simon de Tikemborch comes. Titulum Saxoniæ cum partibus ad Albim fluuium Imperatoris dono accepit Bernardus de Anholt: sed non se ille commisit in aciem aduersus Henricũ. Proximo anno Lubecam aggreditur Imperator, & accipit. Henricus nullam reliquam gratiam assequitur, quàm vt pareat iudicato, cedens omni regno. Ille concessit in Angliam, vnde vxorem habuit. Tertio post LXXX. anno Imperator Erfordiæ periclitatus est, fracto lobio super latrinam. Perierunt homines centum, & inter alios comes de Suartzeborch: qui prouerbio, nesciens præsagiebat mortem suam, *Hoc*, inquiens, *si fecero, mergar in latrina.*

CAP. 9. LVBECENSIS tum ecclesia, morte Henrici viduata pastore, accepit successorem Conradum, Imperialem cancellarium, qui Lubecam vidit, & placuit: vir literatus & facundus, & qui in multis ecclesiis iam esset intitulatus. Licet autem per archiepiscopum Bremensem sit confirmatus, non tamen peruenit ad consecrationem pontificalem. Dum autem ad regendum accederet, & Adolphum comitem tertium eius nominis, super aduocatia in Vthin & aliis multis sibi cerneret aduersari, suis rebus ordinatis, cum supellectili omnis generis & iumentis, quæ hinc extorserat, abiit ad Sifridum archiepiscopum Bremensem: cui curam, quam ab illo acceperat, resignauit, & clero Lubecensi se minimè reuersurum rescripsit. Vir erat maioris animi, quàm vt illis angustiis posset contineri. Diu secutus aulam, cum Imperatore profectus est in Hierosolymitanam expeditionem. Quumq; ille in Armenia deficeret, mersus in amni, Fridericus filius Imperatoris, & hic Cõradus cancellarius, curam exercitus susceperunt, & in terra sancta diu rem sustinuerũt. Aderat Adolphus comes Holsatiæ, cum multa nobilitate. Sub eius ductu inchoatus est ordo Theutonicorum militum diuæ Mariæ, initium facientibus ciuibus de Brema atq; Lubeca: quod in Saxonia & Wandalia ostendimus. Hic ille Conradus (vt arbitror) ad ecclesiam peruenit Hildesemensem: sed quum ecclesiam Herbipolensem cerneret vacare, priore dimissa, ad illam transiuit, neutram assecutus: quia non meruit quam contempsit, nec apprehendit quam curiosè ambiuit. Extant decretales epistolæ super hac re. Postea tumultu nescio vnde exorto immixtus cæditur: & inuentus est sub armis gestasse cilicium. Interim Henricus dux exulans, mansit in Anglia, vsque dum audiret Imperatorem concessisse in expeditionem terræ sanctæ. Priusquam tamen abiret in exilium, in gratiam Imperatoris dimisit, quos habuit, captiuos: Ludouicum comitem prouincialem Hassiæ, Hermannum eius fratrem, comitem Palatinum, Wedekindum de Waldegge, cum mille & suprà militibus. Reliquit enim illi Imperator magnam Saxoniæ partem, quæ illi de materno genere peruenit: quam hodie tenent posteri eius omnes principes, qui de domo Brunswicensi censentur.

Conradus ecclesia Lubicensi pro sua amplitudine non contentus.

Episcop' duabus sellis sedẽs.

CAP. 10. VERDENSI tum ecclesiæ præerat vir insignis Hugo, Imperatori Friderico non in postremis charus. Litem habebat in iure cum episcopo Halberstadensi de terminis in prato. Vterque suæ studebat ecclesiæ: sed Imperator, pensatis omnibus, pratum adiudicauit ecclesiæ Verdensi, præcipiens Ottoni de Brandenborch, ne permitteret episcopum Verdensem eo prætextu aliquatenus molestari.

Ecclesiæ zelus qualis in episcopis.

Contulit

Contulit ecclesiæ decimã de allodio in Elstorp. Obiit die Cal. Martij, anno Christi, MCLXXXIX. Eius temporibus Imperator celeberrimã curiam habuit Mogun- 1189. tiæ. Ibi filius eius Henricus, iam rex, fit miles auratus, ibi confirmatum est matrimoniũ Constantiæ cum eodem Henrico, Imperatoris Friderici filio. Fuit ea filia regis Siciliæ, Calabriæ & Apuliæ, Rogerij, soror regis Wilhelmi, qui sine prole decessit. Fuit autem Constantia iam (vt ferebant) sexagenaria, rex autem adolescentulus: impar nimirũ coniugiũ, sed quod magna dos regnum vtriusq; Siciliæ conciliabat. Pactumq; est, vt si post fratrem viueret Constantia, regnum obtineret. Lucius Papa instititit, vt coronaret Henricum de regno Siciliæ: sed est à quibusdam cardinalibus impeditus. Conuenerant Veronã Lucius Papa, & Imperator Fridericus. Venit eò nuncius Saladini, qui se in literis suis Saladinum, Felicem, Ioseph Ægypti, & dominatorem Damasci nominauit, & principem Babylonis: minatus, se repetere Hierosolymam, quam sibi asseruit hæreditario iure prouenire de Sara. & in fine literarum subiunxit: Sic me adiuuet propheta meus Mahumeth. Super hoc nuncio contristata tota curia indoluit: & quod minatus est, statim perfecit. Nam Hierosolymam cepit, desidentibus nostris. Capta est autem anno LXXXVII. Qua de re Henricus Albanensis episcopus, de latere Vrbani Papæ legatus, crucem prædicauit, & vltramarinam solicitauit expeditionem. Armauit se Imperator, & infinita omnis generis multitudo nobiliũ, militum, ciuium, gregariorũ satellitum: sexcenta feruntur millia in eam expeditionem conscripta. Feruor optimus, si bonus rebus ordo infuisset. Profectus est Imperator cum multis millibus per Vngariã, venit Constantinopolim: inde in minorem traiecit Asiam, quæ nunc magna Turcia dicitur. Ibi aliquot præliis feliciter gestis, & captis vrbibus, miserabiliter periit in aquis, vidente exercitu toto: & concidit magna spes concepta.

Dotem duxit, non vxorem.

Hierosolyma à Saladino capta.

CAP. II.

CONRADO Imperatoris cancellario cedente, & ecclesiam Lubecensem linquente, de nouo pontifice erat agendum. Ergo Theodoricus præpositus in Segeberg, vir bonus, pius & mansuetus, in episcopum Lubecensem, Harduico archiescopo Bremensi se electioni immiscente, & capitulũ Lubecense vsque in Hamborch citante, pari voto, & vnanimi consensu archiepiscopi & capituli (quum esset ecclesia suo orbata pastore) in episcopũ est assumptus, anno Christi octogesimo 1188. octauo post centũ mille. Quòd se archiepiscopus interposuit, inde erat, quia Conradus episcopatum reliquerat in manibus prædecessoris sui Sifridi: alioqui ad eum non pertinuisset. Theodoricus quum se absente & ignorante ista gererentur, intimata sibi electione, omnibus modis contradixit, & quantum potuit, reluctatur: ad exhortationẽ tamen episcopi, & comitis Holsatiæ Adolphi, non sine lachrymis cõsensum præbuit, recipiens inuestiturã de manu Friderici Imperatoris de Italia redeuntis. Iste episcopus, quum dominus de Mekelnborch, deficientibus Wandalis, de insula Pole Theutonicos colonos colligeret, illosq; ne episcopo Lubecensi decimam persoluerent, pertinaciter defenderet, considerans tutum non esse, cum eo qui haberet sociam multitudinem, contendere, cedendo potius in parte, vt reliquam partem cum pace obtineret, de cõsilio episcopi Suerinensis & capituli sui, decimarum medietatem dicto principi feudum concessit, vt de altera medietate iustam decimam expeditè ipsum accipere efficeret. Illo tum ingenio nobiles immiscuere se decimis: fecere idem comes de Racesborg, & Adolphus de Holsatia, vt vasalli per feudum fierent ecclesiarum, accepta quota parte decimarum, vt adiutores essent residuæ partis extorquendæ. Nam nouus in fide populus, grauis ad persoluendas decimas nimis videbatur: pro qua re in Dania dudum est cæsus à populo Iutarum, rex Canutus, in sanctos relatus: multiq; periissent in Wandalis episcopi, si non defensores habuissent comites aut principes, gladium portantes. Per id tempus, quum esset Imperator in expeditione Hierosolymitana, Henricus dux Leo ex Anglia reuersus, paulatim vires resumpsit: & collecto exercitu obsedit, cepit, & perfregit Bardewicũ, potentem vrbem, vtpote quæ Henrico tanto suo principi auderet claudere portas. Erat annus nonagesimus octauus post MC. Theodo- 1198. ricus autem bonus pontifex, ecclesiam suam in pace regebat, per viginti tres annos. Plura de ipso signauimus in nostra Wandalia, quæ indè repetantur.

Episcopus ægrè ad onus suscipiendum adducitur.

Decimæ vt extorqueantur, nobilibus in prædæ partem cedunt.

Cap. 12.

Contentio de inueſtitura.

MINDENSEM eccleſiam, durante adhuc Imperij primi Friderici tempore, poſt Wernerum nobilem virum, ordine pontificum vigeſimus ſextus, Anno gubernabat, natus è comitibus de Blanckenburg. Valuit tum maximè controuerſia inter ſacerdotium & regnum, quòd epiſcopatibus prouideret Fridericus, ius patrium reuocaret: pontifex proximis pactis & diuino iuri pariter & humano inhærebat, eſſe indignum, principem laicum diſponere de rebus eccleſiaſticis. Multi per Imperatorem ſuffecti, ſed à Papa cum ſuo Imperatore anathematizati. Sedit autem hic pontifex annis quatuordecim, & in craſtino Valentini martyris, anno MCLXXXV. migrauit ex hoc ſeculo. Feruebat ea tempeſtate multo maximè ea diuerſitas. Nam ad nouiſſima tempora ſua (hoc eſt poſt annos circiter decem, ex hoc tempore) Fridericus Imperator, ſumpta cruce, peregrinationem inſtituit in terrã ſanctam, in qua moriens defecit (quod in noſtra Saxonia plenius expreſſimus) facta tamen antè reconciliatione cum pontifice, quæ pacta fertur Venetiis, quum papa eò incognitus tectusq; perueniſſet. Anno autem is pontifex, non memoratur huic ſe diuerſitati immerſiſſe: ſed in pace obiens, pacis petiuit authorem.

Cap. 13.

Hieroſolyma capta à Chriſtianis non poteſt recipi.

Henricus ſe altero oculo captum aſſimulat.

BREMENSI eccleſiæ poſt Sifridum, Harduicus ſecundus præficitur, pridem eccleſiæ cuſtos, ſiue theſaurarius, aſſumptus eodem anno, quo & Lubecenſi eccleſiæ præuiderat epiſcopum. Iſte Hartuicus iamdudum Henrico duci ſeruiens, quũ aſſumeretur archiepiſcopus, & ille omnium indigens ab exilio rediiſſet, nulla de parte voluit adeſſe, ſciens quàm grauis fuerit olim eccleſiis. Tertio ſui pontificatus anno inſtituit ſolenne collegium in ciuitate Brema, ad honorem ſancti Anſgarij, donans redditibus: inſuper conuentum inſtituit virginum, in valle Liliorum. Habuerunt huius pontificis tempora caſus luctuoſos. Nam noſtrorũ in Aſia ignauia, pariter & diſſenſione, Hieroſolyma iterum ab infidelibus capta eſt, duce Saladino: nec ad hunc vſque diem recuperata, licet multa ſint in eam rem intentata. Summi pontificis iuſſu iterum crux prædicatur. Suſcepit eam Imperator Fridericus, & cum eo filius eius, cognominis patri, dux Sueuiæ, multi archiepiſcopi, dux Bohemiæ, dux Auſtriæ, & multi nobiles & magnates, ita vt computarentur in exercitu Imperatoris ſexcenta millia pugnatorum. Crucis autem legatus à papa Clemente miſſus erat Henricus cardinalis, epiſcopus Albanenſis. Imperator circunduxit exercitum per Vngariam & Græciam. Reges Angliæ & Franciæ, diuerſis itineribus, eódem contenderunt: Bremenſes, Dani, Lubecenſes, Phriſij, & omnis naualis exercitus, mare tranſierunt. Periit Imperator, quod diximus. Rex Franciæ cepit Damiatam, vrbem Ægypti: ſed diluuio Nili interueniente, coactus eſt relinquere. Reges deinde iunctis viribus, Ptolemaidam, quæ Acon dicitur, recuperârunt: ſed Richardus rex Angliæ male notatus eſt, quòd cum infidelibus ſit occultè pactus. Rediens ignoto habitu, quum exercitus eius diſperſus eſſet, & magna parte amiſſus, Viennæ agnitus eſt, captusq; ingenti auro ſe redemit. Henricus Friderici filius patri ſuccedit in Imperio: filiam Rogerij regis Siciliæ Conſtantiam (mortuo fratre eius ante illam Wilhelmo) monialem, annoſam ducit vxorem, ex qua filium Fridericum memoratur ſuſtuliſſe. Imperator cum coniuge Conſtantia intrauit Apuliam, habens in comitatu Conradum archiepiſcopum Moguntinum, & Philippum Colonienſem. Inualuit autem maxima peſtis in exercitu, in qua Philippus Colonienſis deceſſit: cui ſucceſſit Bruno iam decrepitus. Imperator quoque grauiter infirmatus, & in ſorella portatus, ita vt diceretur iam mortuus. Theutonici de rege alio iam tractabant, & maximè dux Henricus, cuius filius Henricus iam conſpirauerat cum Tancredo, vno ex primoribus regi: qui nuper reuerſus per Græciam & Vngariam, venerat in ſpecie monoculi, emplaſtro ſuper alterum oculum impoſito, quo ignotus tranſiret: & profuit dolus illi, bonus ad fallendos inimicos. Hartuicus autem archiepiſcopus, contracto vndecunque exercitu, manu valida intrauit Thietmarſiam, vt ad deditionem compelleret rebelles. Militabat illi Adolphus Holſatiæ comes, & profecit. Illi autem pecuniam infinitam, vt redimerent tempus malum, expromiſerunt. Sic pontifex cum magna rerum iactantia, reuerſus eſt in ſua, credens in omnibus ſe rectè proſperatum: ſed ex ea radice magna pullulauit eccleſiæ vaſtitas. Nam quum Adolphus

phus de Holſatia,& Chriſtianus de Oldenborg comites,& alij nobiles ſtipendium militiæ requirerent,promiſſum Archiepiſcopus reddere non valens, miniſtrorũ ſuorũ ſtimulis adactus,qui fideiuſſores interuenere,redditus epiſcopales per triennium abiurauit,vt infra tempus illud omnia ex integro ſoluerentur. Ipſe verò de iis quæ de cathedratico,vel eccleſiarũ conſecrationibus conſequi poterat, victitabat. Thietmarſi quoq; pecuniam quam expromiſerant,ſoluere non valentes,ad Waldemarum Sleſuicenſem epiſcopum ſe contulerunt,qui erat filius Canuti regis,à Zuenone in conuiuio perempti: manſeruntq; ſub corona Daniæ vſque in diem pugnæ in Bornehœuede,vbi clypeos verterunt. *Archiepiſcop' bellator ad inopiã redigitur*

HALBERSTADENSI eccleſiæ,poſt Vlricum longæuum, laborioſum, ſed in fine calamitoſum epiſcopũ,præficitur Theodoricus: præfuitq; annis tredecim. Tempeſtates tum crebræ,& excrementa erant fluuiorum maxima, terræ fluuiatiles & maritimæ plures interierunt:domus integræ innatabant,ſedentibus quibuſdam ſuper ſummitate,pueri in cunis viſebantur,in doliis alij,omnes perituri, miſerabile ſpectaculum. Quo tempore Henricus ſextus Imperator,iam creditus mortuus, quum ſe in regno nonnulli commouiſſent,conualeſcens ex infirmitate, miſit exercitum contra Tancredum principem:& ipſe morã fecit cis Rhenum. Donauit autem Romanis oppidum Tuſculanum,quod ipſi funditus euerterũt. Quo tempore Chriſtianus de Oldenborg comes,reuerſus de terra ſancta,machinatione Mauricij fratris ſui,quum dormiret in vili horreo,eſt trucidatus. Interfectores examinati,iudicio duodecim vomerum,rotę ſupplicio ſunt affecti,de conſciis vel authoribus quærebatur illa purgatione.Per eam tempeſtatem in terra ſancta Bremenſes & Lubecenſes ciues,quum intereſſent expeditioni,inter primos ordinem beatæ Mariæ Theutonicorum militum excitarunt, infirmorum peregrinorũ ſub tentoriis cuſtodes. Viderant per agros proiectos ægrotantes, extulerant nauibus vela,fixerunt papiliones,ſuſcepere laborantium cuſtodiam. Acceſſere pietati nobiles:dux Sueuiæ Fridericus,& Imperij cancellarius Conradus,rem fouebant:inſtituti fratres,habitum quem in eis cernimus,ſuſceperunt. Poſtea inſtante Friderico Imperatore ſecundo,à pontifice ſummo confirmatur. Harduicus interim Bremenſis pontifex non æquè gratus ſuis atque Burgenſibus erat: nam ciues incommoda plurima intulerunt eccleſiæ,propter illum. Cauſam annales non præferunt: fortè (vt erant Bremenſes ſemper iunctiſſimi domui de Aldenborg) Ottonem præpoſitum,qui poſteà peruenit ad eccleſiam Monaſterienſem, maluere pontificem. Inter præclara autem huius pontificis opera numeratur, quòd Bertoldum quendam ordinis Griſei,hoc eſt,Ciſtertienſium (ſic enim initio dicebatur, ab habitu quem præfert) conſecrauit epiſcopum Liuonienſem, emiſitque in terram. Primus autem fertur fuiſſe in ea prouincia epiſcopus Menerus quidam, qui in Liuonia pridem presbyter prædicauit, à mercatoribus inuectus: cui poſt plurimos pro Chriſto labores morienti,ſucceſſit iſte Bartoldus. Sed nec ille diu præfuit, cæſus ab infidelibus in acie,quum equus,cui bene regendo impar erat, illum abduceret. Surrogatur illi ab Harduico Albertus Bremenſis canonicus, vir ſingularis induſtriæ,qui per annos triginta multis laboribus & periculis, res eò perduxit, vt Rigenſis eccleſia metropolitica fieret. Eam ciuitatẽ ille fundauit, vt ſuffraganeos haberet Curonenſem,Torpatenſem, Oſilienſem.Nam Reualienſem Lundenſis archiepiſcopus ex Dania, occupauerat, quòd rex Daniæ Canutus, deinde Waldemarus (quibus ille comes aderat) cum Adolpho Holſatiæ comite eam terram ſubegerint. Inſignis autem erat Alberti epiſcopi opera, qui annis fere ſingulis nauigabat in has terras, reductis militibus, qui per annum ſacram ibi militiam peregiſſent,nouis in idem opus reuectis. Habebat enim à ſummo pontifice gratiã cruciatæ in perfidos. Multi ſe pontifices, aliquot duces & comites, innumeri militares eò ſe contulerunt:quorum alij ibi vitam finierunt,alij cum laude redierũt. Sed hæc plenius in noſtra Wandalia.

Cap. 14. *Miræ aquarũ inundationes.* *Euangelium in Liuonia prædicari incipit* *Aſsidua aduerſus paganos militia.*

MONASTERIENSI eccleſiæ tum præfuit vir nobilis, Ludouicus, patruus Ottonis comitis de Tekenborg,qui tum potenter dominabatur in terra,ſubducto iam iugo Henrici Leonis:qui nouiſſimus ducũ Saxoniæ, Weſtphaliæ imperabat. *Cap. 15.*

Successit illi archiepiscopus Coloniensis, accipiens ab Imperatore Friderico feudum terræ, posteaquã Henricus ducatu erat destitutus per Imperialem sententiã. Hic Ludouicus vir erat magnanimus, & qui ecclesiam amplificauit, multisq; donabat rebus & libertatibus. Interim Harduicus archiepiscopus Bremensis, suscepto voto & ipse nauigabat in sanctam terram, longa circuitione vsus. Nam è mari nostro peruenit Vlysbonam, honorificè susceptus ab loci pontifice. Ea est in vltimis Hispaniæ terminis, sub flexu ad meridiem. Inde enauigata diu reliqua Hispania & barbarie, rursus in orientem, flexo cursu, longo itinere peruenit in terram sanctam. Sed non erat virium suarum, aliquid ibi magni peragere, vbi tot reges & duces sunt frustrati. Reuersus inde post annum, pertransiuit Venetias: indè reuersus, attulit reliquias sanctæ Annæ, & cultrum, quem ferunt fuisse Petri. Interuenit autem mors Henrici Cæsaris: coactique sunt peregrini in terra sancta pugnantes, propter Imperij vacationem, imò & lacerationem, per duos in discordia electos, treugas cum Sarracenis facere in annos sex. Philippus Friderici Imperatoris filius, Henrici frater, à quibusdam eligitur Moguntiæ: Otto Henrici Leonis filius, à Coloniensi episcopo maximè assumitur. Cruentis illi inter se præliis mutuas attriuere vires: quæ plenius in Saxonia.

Bremensis archiepiscopi nauigatio in Palæstinam, sed parui emolumenti.

CAP. 16. VERDENSIS ecclesia per eadem tempora pontificem habuit Tannonem, virum præcipuum, ordine episcoporum vigesimum nonum, qui pridem erat thesaurarius ecclesiæ, seruus fidelis & prudens, qui contulit ecclesiæ duos mansos in Bernestede, & vnam domum in Valentlo: comparauitque ecclesiæ calicem aureũ maiorem, & auream imaginem diuæ Mariæ semper virginis: consecrauit ecclesiã maiorem, quæ creditur tertia ab initio, cooperantibus sibi Annone Mindensi, & Adologo Hildesemensi episcopis. Excessit rebus humanis anno MCXCVII. Idibus Decembris. Temporibus eius Richardus rex, quum pecuniam (vt fertur) accepisset à filiis Saladini, duodecim, vt ferunt, comariorum (ita tum pondus significabant) vt desereret cæteros Christianissimi principes, conculcauit tentoria regis Franciæ, & ducis Austriæ, vt seditionem commoueret, quia abire proponebat. Quumque abiens nauigaret in patriam, naufragatus est: pecuniam perdidit malè acceptam, cum multis militibus: & ipse vix euasit, cæteris dispersis. Venit in Austriam, vt putabat, incognitus: & in ciuitate Vienna cognitus est, & captus, quum sederet ad ignem, & gallinam in veru versaret: traditus est Imperatori Henrico: sed ipse pecunia se redemit. Albertus Leodiensis episcopus, nutu (vt dicitur) Imperatoris, à sicariis est interfectus. Richardus pro sua liberatione persoluit Imperatori centum & quinquaginta millia librarum argenti. Balduinus tum episcopus Traiectensis, fugatus est in Trent, ante Cosueldiam pluribus interfectis. Henricus filius Henrici Leonis, duxit Agnetem, filiam Conradi comitis Palatini vnicam: & habitus est comes Palatinus. Bremenses tum canonici Hamburgensibus multa incommoda intulerunt, pro suscepto Harduico eorum pontifice, quem omnes infestabantur. Vetus odium, nescio an inuidia incesserat canonicos ambarum ecclesiarum. Hamburgenses canonici: in matrice ecclesia confidentes, honorem sibi veterem tuebantur, vt essent Metropolitanæ ecclesiæ canonici: prætendentes, Bremensem vnitam & infusam Hamburgensi, minorem maiori, suffraganeã metropoliticæ: & ideo primas sibi deberi partes censebant. Ediuerso Bremenses, vetera trãsisse, abolitum honorem legationis, euanuisse ius Hamburgensis ecclesiæ: se tenere archiepiscopum, sicut ab initio & à memoria Ansgarij primi archiepiscopi, ibi essent omnes commorati & disiuncti. Hamburgenses nomine tenus solùm fuisse aliquando metropoliticos: cæterùm corpus ecclesiæ fuisse semper Bremæ, vmbram Hamburgi, quæ iam aufugisset. Itaque diu contenderãt Bremenses, cum honore metropolitici iuris, iam sublato, etiam ecclesiam omnem absorbere, præbendas & omnia iura & prædia Bremam transferre. Sed conatibus defuit fortuna, defuit optatus exitus, non permittente eo qui ex alto cuncta dispensat.

Richardus Anglus erga Christianum exercitum perfidus.

Tricæ apinæ, canonicorum inter se dissidia.

CAP. 17. HILDESEMENSI tum ecclesiæ præficitur Berno, vir eximius, ordine vigesimus quartus: anno vix vno præfuit, & concessit in fata. Successit ei tum Conradus, Imperialis cancellarius, quem alij Claudarum nominant: siue id cognomen illi

illi fuerit, ſiue alio errore prodierit. Hic eſt ille, qui Lubecenſem eccleſiam deſeruit, & poſt peregrinationem terræ ſanctæ, cum Friderico Imperatore patre, & deinde Friderico eius filio, vacantem Hildeſemenſem eccleſiam eſt conſecutus: vir ſummæ authoritatis apud omnes, & cui nemo facilè refragaretur. Sed & illa viſa illi non ſatis compar, maiorem ambiebat. Vacabat Wirtzburgenſis, quæ titulum habet ducalem: ea placuit, & eam ſine ſummi authoritate pontificis appræhendit. Vnde factum eſt, vt pontifex à diuerſa ſentientibus monitus, eum priuarit vtraq;, vt ſcribitur *c. iij. De tranſlatione epiſcopi.* Quod & antea diximus, quum eius mentionem inter epiſcopos Lubecēſes faceremus. Interim Henrico Imperatori natus eſt filius in valle Spoletana, in ciuitate Aſſiſio, nocte quæ præcedit dormitionem Ioānis euangeliſtæ: & quindecim epiſcopis & cardinalibus præſentibus eſt baptizatus, dictusq; eſt Fridericus auito nomine. Imperator cepit Salernum: cepit etiam Margaretam, potentiſſimum piratarum, qui ipſum dolo voluit occidere: captum autem excæcauit. Captus eſt etiam filius Tancredi, qui, dum viueret, ſe pro rege contra Henricum gerebat: & mater eius vidua, & filia. Capta quoque eſt Kriſac, filia regis Conſtantinopolitani, Tancredi filio deſponſata, nomine Cæcilia: quam poſtea duxit Philippus Romanorū rex, Henrici germanus frater. Imperator etiam ipſe ſe crucis ſignauit charactere, & Chriſtianorum plurima multitudo: ſed ad expeditionem ipſe non venit, tardatus infirmitate corporis. Delatum eſt per ea tempora Imperatori, quòd Conſtantia Imperatrix miſiſſet iocalia precioſa cuidā Iordano, & recepiſſet precioſiora: qui ſe perinde gloriabatur futurum regem, & ducturum matrimonio Conſtantiam. Quem Imperator captum, in ſedem ferream poſuit igne candentem, & coronam ignitam clauis ferreis capiti eius iuſſit infigi. Quendam etiam Richardum per plateas tractū, iuſſit ſuſpendio necari, quia eum (vt ferebatur) iuſſu Conſtantiæ voluit impotionare. Imperator etſi ipſe in terram ſanctam non venerit, fecit tamen maxima ſubſidia peregrinis. Inde in Siciliam profectus, quum Meſſanam & Brunduſium, & ciuitates alias ſubiugaſſet, regnum quoque vltra Pharum Siciliæ, & Apuliæ, & Calabriæ, iam pacificè poſſideret, vitam finiuit, feſto Michaelis, anno nonageſimo octauo. Peregrini ignorantes diu celatam Imperatoris mortem, iam Baruth occupauerant, & Thurin obſidebant. Cognoſcentes autem de morte Imperatoris, territi ſunt, & Accaron fugerunt. Qui tum regis Hieruſalem titulum habebat, ſurrexit, vt vrinā proiiceret: & cadens de feneſtra, fractis ceruicibus, expirauit: & cliens ſimiliter, qui eum retrahere curabat. Principes autem peregrini de ſucceſſore Imperij ſoliciti, direxerunt vota ſua in Fridericum Henrici filium, adhuc infantem, quem alio nomine ex matre dixere Conſtantinum: ſed Imperatorem, non puerum, Alemanniæ principes voluerunt, eligentes Philippum Henrici fratrem: excepto Adolpho Colonienſi archiepiſcopo, qui cum ſuis complicibus elegit ducem Zaringiæ. Qui quum recuſaſſet, præferebat Ottonem, filium Henrici Leonis, ante paucos annos defuncti, conſilio & auxilio fretus Richardi Anglorum regis, eius auunculi: Henricus frater, & dux Brabantiæ, hanc rem magnopere procurabant. Otto Aquiſgrani, Philippus apud Maguntiam coronatur.

Epiſcopi ambitio deluſa.

Conſtātia Imperatricis ſuſpecta erga maritū fides.

Contentio & ſchiſma de ſurrogando Imperatore.

Per quæ tempora Mindenſis eccleſia fertur habuiſſe pontificem Dithmarū, ordine ſuorum vigeſimum ſeptimum: de cuius virtutibus hoc prædicant, quòd inter alia claruerit in vita miraculis. Nam quum eſſet vir abſtinentiſſimus, multis vtens ieiuniis, die Paraſceues miſit quendam qui hauriret aquam, qua ſola tum vteretur in potu. Fecit ille quod iuſſus eſt: ſed vbi venit in manum Pontificis, vertitur in vinum: Illuſum ſibi arbitratur Pontifex à miniſtro: ſeuerè iubet, vt aquam illi, non vinum, proferat. Miratus miniſter, quàm ſanctè teſtatur, non vinum, ſed aquam ſe hauſiſſe. Iubetur iterare miniſterium: accidit quod prius. Tum verò non credens fidum miniſtrum, cum illo egreditur, intuitus vnde ille hauriret. Quumque cerneret de puteo produxiſſe quod afferebat, videns aquam eſſe mutatam in vinum, Dei bonitatem collaudabat, qui vetera erga illum miracula renouaret. Cuius temporibus monaſterium diui Benedicti in Nendorp ſumpſit initiū. Sed & comitatus de Hoia eadē ætate exoritur, quum eſſet in Imperio Hen- CAP. 18.

Miraculum ſuprà iam commemoratum.

ricus sextus, Friderici maior filius, cui desponderant Constantiam monialem, vt per eam regnum assequeretur Neapolitanum, imò vtriusque Siciliæ. Quo de matrimonio natus fertur secundus Fridericus, de radice reguli basiliscus. Erat enim iste secundus maior, quàm auus, hostis ecclesiæ. qui multa diu fecit ad eneruandã ecclesiæ potestatem. sed impegit in lapidem, super quem Deus ædificauit ecclesiam: cuius tantum est robur, vt nec portæ inferi præualeant aduersus eam: quanto minùs mortalis homo, vas putredinis, concha sterquilinij? Cepit Cardinales, ex prouinciis in vrbem properantes pro concilio, in quo res omnes pacarent. Nulli immunes: Prælati, Abbates, Præpositi, Archidiaconi, ad vnum omnes in carcerem coniiciuntur. In quo dum manent, supra duos annos vacabat sedes apostolica, miserabili facie ecclesiæ: donec quibuscunque conditionibus laxati, creârunt ex suo numero Pontificem Sinebaldum, virum nobilem, doctum, & (vt putabatur) amicum Imperatori. Qui gratulatum festinabant ad Imperatorem, nunciantes, amicũ Cardinalem esse creatum Pontificem, respondit: Sinebaldus ex amico Cardinali, factus est inimicissimus pontifex. Is erat Innocentius quartus, cuius extant commentaria in Decretales, omnibus doctis veneranda. Imperator execrationibus petitur à Pontifice, celebrante concilium in Galliis, quò se venturum pollicitus est Imperator: sed misit pro se nuncium, doctorem Thadæum iurisconsultissimum, qui multa pro Imperatore allegaret, sed frustrà. Multo enim plura opponebantur de iure diuino & humano, quæ omnia Fridericus temerauit depositus & execratus: sed perstitit in duritia in finẽ. Detmarus autem Pontifex Mindensis, sedit annos vigintiunum, sub hoc turbine rerum, dum Otto & Philippus digladiarentur

1206. de Imperio: & in vigilia Thomæ de Aquino emigrauit, anno Christi MCCVI.

CAP. 19. *Adolphi Osnaburgensis ecclesiæ vigesimi octaui virtus & pietas.*

OSNABVRGENSI ecclesiæ, post translatum in ecclesiam Bremensem Gerardum, vigesimo octauo loco præfuit Adolphus, vir singularis industriæ, & deuotionis non vulgaris: qui officium cantoris auxit: sed onerauit vicissim, vt cultũ religionis amplificaret, multa per industriã & solicitudinem adiunxit ecclesiæ: simul insistens & spiritualibus & corporalibus incrementis. Ad declarandam sanctitatem viri, hoc referunt memorabile, quòd quum iter facerent in Varstenouw, itinere medio casellam habuit vir leprosus, quem miseratus episcopus, quoties pertransiret, curauit inuisere: & allocutione fraterna inuitauit ad patientiam, proposita ei in exemplum Christi passione: & nihilominùs eleemosynam reliquit indigenti. Pertæsum erat ministerialibus moræ, quam ibi faciebat præteriens episcopus: & tamen quum illi nemo opponere auderet fastidium, effecêre, vt transituro per viam episcopo, subduceretur, per ordinationem illorum. Intrauit de more casellam episcopus, & quem illi dudùm transtulisse videbantur, ne ibi tempus perderet episcopus, videt ille ante se in loco sedere consueto. *Miraculum.* Cui quum solita monita repetîsset Adolphus, in gratias soluitur leprosus: dicens se doctrinis eius plurimùm profecisse: & videntibus cunctis qui aderant, spiritum efflauit: dabatq; signa sanctitatis, cunctis admirantibus, & de sua fraude quam commiserant, dolentibus. Adeò fuit opinatæ sanctitatis moriens episcopus, vt qui lapidem sepulturæ eius transiens, inhonoro pede tangeret, eo die singularem ignominiam incurrebat. Præfuit autem ecclesiæ suæ vigintiuno annis, cum plurima sui laude, & suorum profectu.

CAP. 20. *Quemadmodũ Brun Wardus in ecclesia Seuerinensi se gesserit.*

MECKELENBVRGENSIS ecclesia, nouissimo tempore Bennonis episcopi, qui annis quinquaginta præfuerat, multo labore, & periculis non paucis, transfertur in Suerin: & succedit Bennoni Brunwardus, ex fratrib⁹ eius vir præcipuus, qui ecclesiam moribus & rebus plurimùm ornauit. Quum enim esset Berno, siue Bruno (vtrunque enim legitur) ordinis Cistertiensis, creditum est, illum vixisse cũ aliquantis sui ordinis fratribus: tamen certã inde traditionem non habemus. Præfuit autem & iste ecclesiæ suæ longè post hæc tẽpora, per annos quadraginta qua-

1200. tuor. Excessit enim rebus humanis vigesimo septimo post MCC. Vidit mirabiles mutationes temporum, Henrici Leonis & Friderici Imperatoris exitum, laborem filiorum ad retentionem partæ dignitatis: quanuis filij Henrici ad ducalem honorem nunquam redierint, nisi quòd ex filiis eius Otto electus Romanorum rex, à

summo

ſummo pontifice gratificante partes eius, meruit coronari, vt eſſet Imperator. Sed erat ei labor plurimus, & infinita perplexitas, dum luctaretur cum Philippo æmulo. Maior etiam ſuccreuit illi in fine aduerſitas, quum Romanæ eccleſiæ contumax fieret, ab illa excommunicatus: etiam Imperio depoſitus, quum aduerſus illum Fridericus ſecundus eligeretur, multa etiam illi conflictatione reſiſtens. Ceſſit idem Otto in Flandria aduerſus ſe ductanti exercitum regi Franciæ, quum Otto propinquo ſuo regi Angliæ ferret ſuppetias. Captus eſt ibi comes Flandriæ, & vix euaſit manus Gallorum, Romanorum Imperator. Hoc illi arbitrantur infortunium obueniſſe, quia Romanam eccleſiam, quam antè ſemper veneratus eſt, & à qua potiſſimum in id dignitatis prouectus, videtur contempſiſſe. Multa fecerat pro eo Innocentius III. vt aduerſus potentiſſimum hoſtem, ipſum tueretur, quod alioqui ſuis viribus non potuiſſet. Fefellit eum amor Imperij, cuius antiqua iura per Italiam contenderat recuperare: illa impetens, quæ iam aliquandiu Romana poſſediſſet eccleſia. Sed Fridericus aduerſus hunc electus, nihilo fecit rem meliorem, ſi non deteriorem: quod in ſequentibus narrabitur.

Ottonis Romanorum Regis infortunium,

CAP. 21.

MONASTERIENSEM, quæ pridem Mimigardeuordenſis dicebatur, eccleſiam, per ea tempora gubernabat Godſcalcus, ordine pontificum vigeſimus quartus, humili genere, Saxo natus: ſed natalium originem, virtute & induſtria ſuppleuit. Nam Imperator Fridericus, eius laudabili vita permotus, eidem de Mimigardeuordenſi eccleſia prouidit: quam & laudabiliter rexit, & fortiter aduerſus inſurgentes defendit. Nam confiſus in adiutorio altiſſimi, & in protectione ſancti Pauli, ſuſtinuit impetus inſurgentium ſibi comitum de Tekeneborg, qui omnia ſibi pro conſuetudine inolita licere putabant. Nam & comites de Arnsberge, & militares de Meinhœuele ſuperauit, adiutus à paucis fidelibus, quū multi ex ſuis eum deſererent: de hoſtibus glorioſè triumphauit, eccleſiæ iura defendit: & poſt multum laborem, in pace quieuit. Senſit procul dubio ſuis temporibus motus prouinciarum ſub Imperatore Friderico, & Henrico duce, in nouiſſimis diebus illi ſe obiiciente: quum illum Imperator poſt multam principum querimoniam euocatū, & contemnentem imperialia iuſſa, pro inſigni contumacia in Imperium, deſtituit honore ducali, & aliis principibus attribuit eius dignitates. Nam archiepiſcopus Colonienſis ducatum Weſtphaliæ, quæ eſt vetus Saxonia, ſibi deſumpſit, & retinet in hodiernum. Bernardus quoque de Aneholt, ducatum cum titulo Saxoniæ ſuſcepit Imperiali munere: & tenent vſque hodie poſteri eius, inferiorem ad Albim Saxoniam. nam ſuperiorem habent Miſnenſes: quod in Saxonia oſtendimus, quomodo, & vnde, & quando factum ſit.

Epiſcopus prô Eccleſiæ iure defendendo arma capit.

Henricus ob contumaciam ducali honore deſtitutus.

CAP. 22.

IN eccleſia Ratzeburgenſi optimo pontifici & longæuo Iſfrido, tum deficienti, ſurrogatur Philippus, non ſine contentione fratrum: nam alij capellanum, alij præpoſitum præferebant. Sed, quod in Wandalia diximus, Albertus comes aſſumptus arbiter, litem diremit, & Philippo conſignauit. Præfuit autem eccleſiæ ſuæ in omni ſanctitate & iuſtitia, imitatus recentia ſui prædeceſſoris veſtigia. quæ illi ſanctitatis memoriā adeò commendabant, vt niſi eſſet ipſe duriſſimus, eis inſiſtere pro virili moneretur. Hoc eſt illud tempus, quo Teutonici cum Gallis & Venetis, capta Conſtantinopoli, regem ſibi creauerunt comitem Flandriæ Balduinum. Veneti autem ex ſuis patriarcham conſtituerunt. Præfuit aliquandiu plurimo labore, quod neceſſe fuit: vir alienigena, Græcis & domeſticis & forenſibus coflictatus: ſed grauiſſimo in prælio cæſus, occubuit, quod conſtabat. Inuentusque eſt poſteà homo, qui ſe Balduinum diceret, non cæſum, ſed prælio cedentem: quando neque victoria proſperari potuit, nec gubernatio illi in gente aliena ſucceſſit. Multos in eam fidem traxit principes, vt Balduinus crederetur: plures experimenta fecēre, & tentamenta plurima, & multis fidem fecit: alios reliquit in ambiguo. Filia erat Balduini, quæ nullo pacto induci potuit, vt crederet eſſe patrem ſuum: ſemper exufflauit, falſarium dicens. Ad extremum etiam de mendaciis conuictum, iuſſit in Inſulis (ciuitas eſt extrema Flandriæ ad occiduum) appendi in furcas. Obiit per hæc tempora Agnes vxor Henrici comitis Palatini, qui filius erat Leonis. Ea tumulatur in eccleſia beatæ Mariæ ad Sta-

Comes Flandriæ Balduinus in regem eligitur.

dium: nam Stadensem comitatum ex paterna ditione sibi defendit idem Henricus.

CAP. 23. IN ecclesia Verdensi tum Rodolphus præfuit, ordine trigesimus eius ecclesiæ episcopus, magni nominis apud Imperatorem Henricum sextum. Hic Rodulphus cruce signauit Fridericum Imperatorem, eius Henrici patrem, dum proficisceretur in terram sanctam: sed in Armenia defecit, quod diximus, aquis præfocatus: princeps, qui mari & terræ dominaretur. & quum Henricus filius ei successerit in Imperio fauore Rodolphi sui, multùm respexit in ecclesiam Verdensem, & contulit eidem ecclesiæ in perpetuum contemplatione pontificis, ducentos mansos cultos circa Notendorpe, & bona in Frilede cum omnibus suis attinentiis: item prædia in comitatu Stadensi, quæ sibi Harduicus archiepisco-
1196. pus iniustè vsurpauit, anno Christi, MCXCVI. & acquisiuit ecclesiæ aduocatiam in Honstede. & multa alia bona, & magna priuilegia ab eodem Henrico Imperatore: cui idem Cæsar donauit medietatem arcis, & de subtus Salinæ in Luneborg, prout in priuilegiis desuper confectis plenius continetur. Hic ædificauit arcem Rodenborg, & instituit vicariam episcopalem in foro Verdensi. Per-
1205. uenit autem ad annum Christi MCCV. Luctabantur tum de Imperio Philippus
De Imperio concertatio. Sueuus, & Otto Saxo: & dubia sæpè victoria conflixerunt. Philippo maior pars principum inhærebat: Ottonem etiam proximi aliquando deseruerunt. Nam ad oppidum Brunswig descensurum in aciem ad confligendum, frater eius Henricus deseruit, transiens ad hostem. Sed tamen fortuna, imò respectus Dei desuper, seruauit Ottonem. Colonienses etiam, dimisso Ottone, in gratiam Philippi redierunt. Deinde habito conuentu in Quedelinborg, duobus cardinalibus præsentibus, de concordia & reconciliatione tentantes, nihil profecerunt: treugas tamen dederunt vsque ad festum Ioannis baptistæ. Sed proximo anno cæsus in aula Philippus, controuersiæ finem dedit.

CAP. 24. HILDESEMENSI tum ecclesię pręfuit Harbordus, ordine vigesimus sextus, præfuitque annis nouem, natus genere militari: vir industrius & bonus, qui sub Imperio sexti Henrici, vidit filios Henrici Leonis pro recuperanda dignitate ducali laborare: sed erat Imperator Fridericus tam tenax, vt non mutaret, quod tanta maturitate, & tanto principum consensu erat constitutum: nec filius eius Henricus obsequiis deliniri potuit, vt patris sententiam retractaret. Quomodo enim appræhensam ab aliis possessionem poterat extorquere de manibus promerentium ab Imperio iusta feuda? maiora quidem prouenerant duobus. Nam tertius Wilhelmus erat contentus retentis à patre ditionibus Brunswici & prouinciarum, qui sunt hodie magni principatus. Henricus autem filius Henrici, quum sequeretur Imperatorem Henricum in expeditionem, tam sedulis obsequiis peruicit, vt vnicam filiam Conradi comitis Palatini coniugem acciperet cum paterna dignitate. Creauit illum Imperator militiæ suæ magistrum, & ductabat ordines in Siciliā: & charus erat satis Imperatori. Otto autem germanus eius, Anglorum regi auunculo inhærebat, qui tum hæreditario bello luctabatur cum Francis. Inde auocatus ad Imperium, inextricabilem suscepit laborem: sed propitio Deo, fauente Romano pontifice, & rerum voluente fato, vt de medio fieret
Ecclesiæ gladius qualia immittat vulnera. æmulus, superabat, & indubitatus erat Romanus Imperator: felix, si non Romanæ ecclesiæ pro iuribus, vt putabat, Imperij se obiecisset. Gladius ecclesiæ diu contemnitur: sed tamen durant eius vulnera, & putrescunt, inde sorde sua admonent mortales, vt in viam redeant.

CAP. 25. MAGDEBVRGENSIS quoque ecclesia, post Wichmannum suum longæuum pontificem, meruit successorem Ludolphum, hominem rustica origine na-
Ludolphi Magdeburgensis ecclesiæ episcopi vita. tum, sed non vulgari virtute, neq; industria. Erant ei natalia ex villa Kræppenstede. Wichmannus videns indolem eius, curauit vt ad literarum gymnasiū Parisios perueniret. Ibi bonis literis indulsit per annos viginti. Quibus cumulatus, reuertitur in patriam, suo se reddens archiepiscopo. Ille eum docendis paruulis iussit præesse. Quam rem ex animi sententia ita curauit, vt pontifici suo semper magis ac magis commendaretur: inde assumptum, fecit ecclesiæ canonicum.

Quo

Quo in loco ad decanatum profecit,& archiepiſcopo in curis ſecularibus per multa bella occupatiſſimo,rem diuinam Ludolphus curauit.Quum autem Wichmannus poſt plurimum laborem è vita migraret, non eſt inuentus in eo cœtu, quem Ludolpho prępo nerent. Igitur voluntate patrum creatur archiepiſcopus. Voluere,credo,virum Deo inhærentem,non ſecularibus tantoperè rebus implicitum. Cernebant in Wichmanno,quid oneris eſſet, habere & fouere pontificem, ſemper inter arma diuerſantem:ſed tamen quum neceſſe eſt, vtraq; manu pugnandũ eſt pontificibus.Nunc autem poſt virum bellatorem,voluere pacificũ: imparem natu,ſed parem induſtria.nam authoritatem ex ſapientia & ſanctitate facilè mutuabatur. Igitur ſuſceptam eccleſiam Ludolphus religioſè tuetur, vt in fide & in moribus proficeret:idq; per tempora ſua religioſè curauit,quoad potuit,à ſecularibus negociis ſe retrahens,vt ei placeret,cui ſe probauit: & deinde compoſitus, æterna pace quieuit,tumulatus in eccleſia ſua.

Pontificũ ſtudia eſſe quæ debeant.

CAP.26.

HALBERSTADENSI quoque eccleſiæ præfuit epiſcopus,nomine Bartoldus,incertum vnde ortus:ſed niſi præſtantem,præſumere nemo poteſt,ea tempeſtate,inter tot rerũ turbines,conſcendiſſe ad pontificatum:in illa præſertim eccleſia,quæ temporalium rerum ſplendorem nõ minimum tum habebat. Erat autem à primo vigeſimus: præfuitq; per tempora imperantis Henrici ſexti, annis ſeptẽ: & ſolutus,in fata conceſſit. Feruebat tum bellum in terra ſancta, pro recuperanda Hieroſolyma:ſed non potuêre vires Germaniæ,Franciæ,& Angliæ,quæ tum conuenerant in eam prouinciam,recuperare amiſſam ſanctam ciuitatem. Obſtitit vigor & induſtria Saladini,fortiſſimi & inuictiſſimi regis, ne in vniuerſum contemnamus nationem Sarracenorum. Multitudine magna prodeũt,ſed & vigor regnat in pectoribus.Nihil enim Saladino ad ſummi regis gloriam defuit,niſi veritas religionis,quam ille ſuſceptam à patribus falſam,feruentiſſimè defendit. Et vbi conceſſit naturæ,iuſſit in haſta circunferri camiſiam,præcone clamante: Hanc ſecum feret mercedem Saladinus,Aſiæ domitor,gentium victor. Filij eius de regno diſſenſere,vt fieri ſolet. & erat opportunum tum inſtitiſſe: ſed neſcio quæ noſtratum fortuna,aut quæ fides in religione. Vbi armis & ferro non potuere, auro pugnauere Sarraceni,& vicerunt:vidente & ab alto diſſimulante, qui mundum tacitus gubernat,ſinens in mœnibus terrenæ ciuitatis ſedere cæcos & claudos, ad ſugillationem eorum, qui iuſtum imperium non ſatagunt propagare ad infideles. Sed hæc aliàs. Iſte pontifex,ſeptem annis in pontificatu peractis, conceſſit in aliam regionem,vacuefaciens ſedem ſucceſſori.

Bellum pro recuperanda Hieroſolyma fruſtrà ſuſceptum.

Saladini virtus.

Belli gerendi occaſio.

CAP.27.

MIMIGARDEVORDENSEM eccleſiam, ad nouiſſima Friderici tempora,& per ſucceſſionem Henrici filij eius,regebat Hermannus,eius nominis ſecundus,comes in Catzenellebagen,quem patrem cognominabant, ordine vigeſimũ quintum à primo,triginta annis præfuit eccleſiæ ſuæ.Hic intra ciuitatem ſuam inſtituit duas eccleſias collegiatas,augens rem diuinam ſanctorum Martini & Ludgeri.Inſtituit etiam & dotauit monaſterium campi ſanctæ Mariæ, in quo & primũ lapidem poſuit,& magnã pecuniæ ſummam ſuperimpoſuit.Obſecutus Imperatori in expeditione Italica ad Mediolanum,obtinuit,vt ipſe & deinde ſucceſſores ſui eſſent deinceps,& appellarentur in perpetuum,principes. Hoc mirum quomodò ſcribatur in annalibus,præſtari ab Imperatore pontificibus,vt principes dicantur. Si accipiunt feuda cum regalibus,ſi rurſus largiuntur nobilitati feuda, præſertim ducibus & comitibus:cur non hoc nomine ſine dono Imperiali memorantur?Sed multa ſunt eius generis in cæremoniis, quæ expectantur à ſummis principibus, etiamſi dari nihil opus eſſet,vt conſpectior ſit & illorum qui largiuntur, authoritas,& eorum qui ſuſcipiunt,dignitas. Sub Harduico Bremenſi epiſcopo, ad eius tempora nouiſſima prouenit,vt Canutus Daniæ rex,miſſo in expeditionem Waldemaro fratre,duce Sleſuicenſi,Hamburgum & Stadium contenderit occupare, vt in poteſtate haberet Albim fluuium,vnde locupletem intellexit nauigationem. ſed archiepiſcopus Harduicus,& Adolphus Holſatiæ comes, ad Eidoram illi occurrentes,illa quidem vice reſtiterunt, & repreſſerunt venientem : ſed anno proximo,qui erat primus poſt milleſimum ducenteſimum,reuerſi duplici & vtroque 1201.

Pontificibus ab Imp. præſtari,vt dicantur principes.

Hamburgum capitur. maiore agmine, dux Waldemarus per Albim aſcendens ratibus, rex Canutus terreſtri itinere, capiunt Hamburgum. Adolphus comes, qui inerat oppido, pridem fugatus à rege, Holſatia pactis conditionibus egreditur: ſed quum non poſſet implere pacta, mittitur in carcerem, reclamans, quòd publica fides interpoſita diceretur. quo tum etiam incluſus tenebatur Waldemarus, Sleſuicenſis epiſcopus, eius Canuti filius, quem Zweno rex Roſchildiæ mactauit in conuiuio, cùm eſſet regnum tripartitum. *Lubeca capitur.* Progreſſus cum exercitu dux Waldemarus, Lubecam quoque cepit. tenuitque per annos ſupra viginti, quum nemo illam tueretur. Longè erat Imperator impar Adolphus comes, cui erat permiſſa. Imperium tum Romanum diuiſum de gemino capite laborabat, Philippo & Ottone. Anno deinde proximo, Otto qui de corona conflictabatur, filiam fratris ſui Henrici in Hamburg copulauit eidem Waldemaro, duci Sleſuicenſi: viciſſimq; alteri ſuo fratri Wilhelmo, ſororem eiuſdem Waldemari, dedit coniugem: vt auctis inde viribus, fortior occurreret fortiſſimo hoſti Philippo. Erant autem ſolenni apparatu amborum nuptiæ Hamburgi apparatæ.

CAP. 28. PADERBVRNENSEM eccleſiā per ea tempora, poſt Sifridū, ſuſcepit Bernardus, eius nominis ſecundus: præfuitq; annis XVI. Hic, quum Fridericus Imperator ſe accingeret expeditioni in terram ſanctam, tantæ fuit authoritatis apud nobilitatē, vt vicini eius fidei permitterent præfecturas & ditiones ſuas, quum ſequerentur Imperatorem, neſcientes an, & quando eſſent reuerſuri. Wedekindus comes de Zualenberg, & de Waldegge alius, aduocatias ſuas in manus domini Bernardi epiſcopi Paderburnenſis conſtituerunt, in præſentia Prioris & totius conuentus Paderburnenſis eccleſiæ, adſtantibus fratribus, Hermanno & Henrico comitibus cōſentientibus: & ſi quid iuris in eo haberent, etiā abdicantibus. & ſic teſtamento ſuo condito, iter Hieroſolymitanū arripuit, cum Imperatore. Accepit autem pro hac beneuolentia ab epiſcopo, tradente eccleſia ex theſauro ſuo CCC. marcas argenti. Attende qui legis, quia annales commemorant Priorem & conuentum eccleſiæ Paderburnenſis, non decanum & capitulum, num fortè eccleſia illa tum adhuc regularis extiterit. Eodem anno idem Bernardus epiſcopus Paderburnenſis, montem Iburg occupauit, & munire cœpit: ſed conſilio eccleſiæ & fidelium ſuorū, ab incepto deſtitit. Quis iſte mons fuerit, annalium ſcriptor incertū habuit, eo quòd ex ſuperioribus Carolus Magnus dedit eccleſiæ Paderburnenſi arcem Iburg, quæ nunc corruptè dicitur Driburg. Si enim tempore Caroli Magni iam ibi arx erat, nō epiſcopus iſte montem occupando, arcem primus ædificare cœpit, niſi antiqua munitio diruta fuiſſet omninò, & nunc de integro cœpta renouari. Hîc tamē adiicitur, quòd epiſcopus cœpto deſtiterit, & tamen arx illa vſq; hodie perſeuerat: niſi forſan alius, poſtquam ille epiſcopus cœpto deſtiterat, quod ille inchoauit, poſteà conſummauit. Hoc etiā tempore rapinæ & incendia fiunt per diœceſim à Wedekindo & Hermanno de Waldeggen comitibus, qui complices ſuos contraxerant in munitiunculam Brobecke: quam idem epiſcopus cepit, & deſtruxit.

CAP. 29. HILDESEMENSEM eccleſiam, circa illa tempora digladiantibus pro Imperio Philippo & Ottone, regebat Sifridus epiſcopus per annos decem, quem Philippus ſuis partibus roborandis ibi collocauit. Prouenit autem, vt cùm ad Brunſwicum obſidendum Philippus contendiſſet, magnis agminibus (duodecim enim principes cum cohortibus ſuis auxiliares ductabat Henricus, Ottonis, qui iam in vrbe erat, frater) non paſſus coanguſtari fratrem, cum agmine magno expeditorum ad germanum properauit, ingreſſurus, quod fecit, oppidum. Ciues autem Hildeſemenſes ſuo pontifici gratificaturi, armati exibant, Henricum ingreſſu vrbis prohibituri. *Hildeſemenſis ciuitas graui obſidione cincta, & tandem miraculosè liberata.* Congreditur illis Henricus: & penè omnes aut cepiſſet, aut ad internecionem deleuiſſet, niſi Philippus iam expedito agmine illis opportunè affuiſſet. Obſidetur vrbs magno molimine, pugnatur etiam acerrimè in diuerſum. Penè captam vrbem, qui intrà fuêre, defendentes, eiecerunt denuò eos, qui per arma introierunt. Ducta in longum obſidione, beatus Author ſe fulgenti gladio oſtendit in muris, & terruit Philippū, &, qui viderāt, vniuerſos. Eam rem quia pleniùs in Saxonia tractauimus, nunc paucis attigiſſe contenti, abimus. Sifridus tamen

poſtea

posteà in gratiam Ottonis reuersus, effecit vt ecclesia sua indemnis esset, alioqui igni & ferro castiganda. Magnus tum labor in Romano Imperio: vbique mala plurima. Goslariam pro Philippo sentientem quum principes edomare non possent, ciues Brunswicenses in absentia cepêre, ingressi noctu, dum nemo vigilaret, in vrbem: clàm muro transcenso, magnam ibi prædam in plumbo, stanno, argento habuerunt. Grata res principibus: tum Bremam cepêre, & Stadium, & episcopũ miris modis coangustârunt. Nam paterni iuris arbitrabantur vtranque vrbem: causam suprà ostẽdimus. sed Hildesemensis, vt potuit, episcopus, in neutralitate permanens, finiuit in pace tempora sua, appositus patribus suis post annos decem ingressus sui.

Goslaria à ciuibus Brunswicensibus capta.

VERDENSI ecclesiæ, post Rodulphum, præficitur Iso, filius comitis de Welpa, ordine pontificum trigesimus primus. Præfuit ecclesiæ annis viginti sex. Hic quanto paternæ solicitudinis affectu fouerit ecclesiam suam, facta eius laudabilia testantur. Nam bona hęreditaria militarium de Westene, pro ecclesia data, magna pecunia comparauit, prædia in Rauene & alia nonnulla donauit ecclesiæ. Hic est ille author collegij ad sanctum Andream in vrbe Verdensi, vbi & monumentum habet. Per eius tempora quum se Brunswicenses principes, nuptiis in Hamburg celebratis, deuinxissent coronæ Danicæ, Adolphus Holsatiæ comes, qui captus tenebatur à rege, vt laxaretur, tradidere Holsati duci Sleswicensi Waldemaro fratri eius posteà regnanti, arcem Louenborg. Proximè rex Canutus decessit, successitque in regnum frater Waldemarus. Electi ad Imperium duo, Philippus atque Otto, grauissimis sæpè præliis diuerso exitu concurrerunt. Quum ad vicina Brunswici pugna instaret, Henricus, deserto fratre, ex causis quas in Saxonia memorauimus, transiuit ad Philippum. Hartuicus interim Bremæ archiepiscopus, in Stadio recipitur, quòd Henricus Palatinus, qui pro suo comitatum defenderet, eum exclusisset: siue quia Waldemaro regi tum oppugnaturo faueret. Stedingi interim genus hominum palustre, & perinde indomabile, vltra Bremam confidens, Deo hominibusq; contumax, erexere cornua in suum pontificem. archiepiscopus cõtracto exercitu, mouit in eos. Illi prætensa in tempus obedientiæ specie, quum bonam auri summam archiepiscopo persoluissent, tum placatum abire sinebãt: non quòd ad sanam mentem populus sine sanguinis impendio reuerteretur. Harduicus autem administrato per annos viginti tres pontificatu, pacem, quam in vita rariùs est expertus, in morte, vt speratur, accepit. Pontifex zelo Dei & religionis amore non mediocriter laudatus, quod illius opera pietate plena, apertiùs contestantur. Tales autem frequenter à mundo, iuxta euangelicum veritatis verbũ, pacem non habent, qui illam potissimùm solent à Deo pro pietatis officiis & postulare, & longanimiter expectare. Erat autem, quum ex hac vita migrauit, annus à Christo nato MCCVII. & surrexit ecclesiæ tempestas maxima de successore: quòd 1207. tum minimè rebantur, qui rem promouerunt, quum vellent statum ecclesiæ reddere meliorem, renouantes antiqua iura.

CAP. 30.

Brunswicenses principes coronæ Danicæ deuincti.

BREMENSIS ecclesia post Hartuicum, quum spem conciperet ad antiquum legationis honorem redeundi, multi ex canonicis elegerunt Waldemarum, Sleswicensis ecclesiæ episcopum, sed eo iugo summi pontificis authoritate absolutũ. Erat vir regij sanguinis, filius eius Canuti, qui cum Zuenone & Waldemaro regibus, quorum alter ante se, alius post illum regnauere, est tripartitus: sed in conuiuio Rodtschildiæ per Zuenonem cæsus, cùm Waldemarus quoq; qui periculum euaserat, peteretur. Is quum esset episcopus Sleswicensis, per materni generis amicos Norwegios studebat coronam regni iungere mitræ pontificali. Id quum persensisset Canutus rex Waldemari filius, captum seruauit, ac diu macerauit in carcere: interuentu tamen reginæ post multos annos laxatur, & summi pontificis interueniente decreto, abiurauit ecclesiam Slewicensem, & omnem locum, in quo suspectus videri posset regi: profectusq; est Bononiam, & ibi literis vacabat, quum haberet ex patrimonio, vnde viueret abundantissimè. Eum virum quum scirent canonici Bremenses absolutũ ecclesia sua viuere, simul quòd sperarent per illum, magni sanguinis virum, recuperaturos pro ecclesia sua legationis honorem per

CAP. 31.

Episcopus coronam regni mitræ pontificali studet iungere.

regna Aquilonis,elegerunt epiſcopum. Alij tamen poſtularunt Gerardum,Oſnaburgenſem epiſcopum:ita inter duas poſtulationes res hærebat. Quumque Waldemarus decretum electionis ſiue poſtulationis ſuæ ad eccleſiam Bremenſem,per ſolennes oratores accepiſſet,profectus eſt cum illis Romã, & apud ſummum pontificem de confirmatione inſtabat. Gratulabatur illi pontifex, quòd poſt eccleſiã, cui cedere cogebatur,inueniſſet digniorem:nec feſtinabat confirmare,ſuſpicatus eſſe in itinere,qui aliud nunciarent. venit cancellarius regni, amiſſis in itinere literis incurſu latronum,ſed verba oppoſuit Waldemaro,ab illo præſtitũ iuramentum,quòd in nullo loco,quo regi ſuſpectus videretur,conſiſteret. In Brema autem ſuſpectiſſimus eſſet,quòd eſſet ille locus inſidiandi regno opportuniſſimus. Itaque quum cerneret ſe Waldemarus nihil in vrbe perfecturum,abiit inſalutato pontifice,quum tamen eſſet iuſſus,indiſcuſſa cauſa non abire. Contulit ſe ad regem Philippum,quem ſciebat Ottoni æmulo,& Danorum regi,qui illi affinis erat,infeſtiſſimum. Cuius ope & literis & nunciis miſſus eſt Bremam,& ab eligentibus nõ mediocri ſuſceptus honore. In vrbe,quòd illicentiatus abiiſſet, excommunicationis literæ in eum decernuntur:quæ multo tempore latuerunt, nemine audente illas inſinuare. Erat ſumma Bremæ feſtiuitas,fortè Dedicationis: & magna multitudine ad altare pro oblatione contendente,immiſcuit ſe turbæ qui literas tenebat: & illas incognitus,citò manum retrahens,arę impoſuit,in turbam amiſſus:ita patuit, quum mirantibus cunctis poſt ſacrum officium,quid literæ,vnde veniſſent incertæ,continerent, Waldemarum non ſolùm non eſſe confirmatum,quod prætendebatur,ſed à ſummo pontifice etiam excommunicatum. Ita res in multam differentiam excreuit,quum papa Gerardum Oſnaburgenſem ad hanc eccleſiam confirmando tranſtuliſſet.

Prudenter.

CAP. 32. LVBECENSIS quoque eccleſia, per ea tempora viduata ſuo pontifice Theodorico, accepit epiſcopum ex fratribus Lubecenſis eccleſiæ Bertoldum, virum præſtantem. Iſte ob certas incommoditates reſignauit Burgenſibus Lubecenſibus habitationem,quam habuit in veteri Lubeck,cum conſenſu capituli ſui. Tenuit tamen vicinam manſionem vſq; hodie eccleſia in Algide curia. Inſtituit iſte camerarium perpetuum pro canonicis ſuis, & illi de perpetuis redditibus menſæ ſuæ prouidit. Primus hic exædificauit molendinum in Vthin, ſeditque annis viginti quatuor. Interim Waldemarus de Bremenſi eccleſia contenderat, quum pars ſe illi opponeret,quæ mallet epiſcopum Oſnaburgenſem à ſede Apoſtolica tranſlatum: in quibus erat oppidum Stadenſe, quod Waldemarus armis expugnauit. Dux Saxoniæ Waldemarum defendit. Is erat Bernardus de Aneholt,qui memor beneficij, quod à Friderico Imperatore acceperat, filio eius Philippo,nũc de Romano Imperio contendenti, inhæſit: & quoniam Philippus Waldemarum, aduerſus Ottonem æmulum ſuum,& regem Danorum illi affinem,quęrebat epiſcopari: Bernardus iam dux Saxoniæ, illum armis adiuuit. Ciuitas Bremenſis vſqueadeò inhærebat Waldemaro,vt pateretur ſe propter eum eccleſiaſtico ſupponi interdicto: quippe quæ poſteritati Henrici Leonis aduerſaretur,quòd in ea dominium quæreret,vnde per Waldemarum ſperabat exire. Dux autem Bernardus de Hadelerio reuerſus Berneborg,diem clauſit extremum. In ducatu Saxoniæ illi ſucceſſit iunior Albertus: nam Henricus ſenior maluit Comitatum quietè poſſidere, quàm maiorem dignitatem cum labore: quàm diu enim ſupererant Henrici filij, ſemper in oculis eorũ fuit,quod paternum honorem, paterna & auita prædia,poſſideret extraneus. Non poterant æquis oculis intueri æmulos,de ſuo patrimonio glorificatos. Sed Henricus tum vſus modeſtia,fratri iuniori ducatum permiſit plenum laboris. Nam Philippo inde, quandiu ſupererat, cogebantur militare:tamen erat Philippo ſuperſtes Bernardus, & ante mortem Ottoni reconciliatus:quod in Saxonia oſtendimus.

Aemulatio.

CAP. 33. MONASTERIENSIS,quæ & Mimigardeuordenſis eccleſia,tum epiſcopũ meruit poſt Hermannũ,inſignem virũ, Bremenſis eccleſiæ præpoſitũ, natũ de Benthem Comitem,de Cappenberg comitis propinquum. Hunc primum ferunt per capitulũ electũ:ordine vigeſimus ſextus,epiſcopus fuit.nam eatenus Imperatores

pro ſuo arbitrio conſtituere ſolebant. Eo tempore quum à Soldano Babylonis obſidionem duram pateretur ciuitas Acon, vltra mare in Palæſtina, Ludouicus rex Franciæ,& Eduardus rex Angliæ,illuc expeditionem inſtituerũt militarem. Idem Otto cum fratre ſuo de Benthem comite, & Guntero epiſcopo Oſnaburgenſi, & Conrado præpoſito Monaſterienſi,& aliis compluribus, iuncti regibus & principibus memoratis,mare tranſierunt,& ciuitatem obſidione liberarunt memoratã. Captas quaſdam vrbes recuperauerunt, & multa alia memoratu digna peregerũt. Interim in ditione Bremenſi Stedingi,homines infrenes,qui pridem ſub Hartuico archiepiſcopo reſipuiſſe videbantur,iam recrudeſcunt: arces Mintzow & Zehuſs deſtruunt,Hagena obſident. Waldemarus eos excitaſſe videbatur, quãdo reliqua omnis prouincia,publicatis literis Apoſtolicis,illi fuit aduerſata. Storlo deſtruunt, & plurimam vndiq; vim intendunt. Henricus comes de Hoia congreſſus graſſantibus,magnam eorum manum fudit. Gerardus iam archiepiſcopus Sluttere excitauit. Henricus dominus Brunſwicenſis Leonis filius, illi oppoſuit pro Waldemaro Falkenberg. Diu valuit ea diuerſitas. nam anno MCCXV. rex Danorum Waldemarus,per Albim aſcendens, Imperator Otto à terra cum fratre Henrico, & marchione de Brandenburg,& Waldemaro epiſcopo, Hamburg iterùm obſederunt, & ceperunt. Iam enim in eum modum coaluit vetus illa ciuitas, vt portas clauderet tot venientibus ex aduerſo principibus. Senſit enim cum Gerardo, quem Romana ſedes confirmauit archiepiſcopum Bremenſem. Interim Adolphus comes Holſatiæ, Monaſterienſem epiſcopum captum eripuit. nam arcem Werdenæ obſedit: ſed mouit tum ex comitatu de Schowenburg. Nam Holſatiæ ditionem tum Dani tenebant in diem ſuum.

Expeditio aduerſus Soldanum Babylonis feliciter ſuſcepta.

1215.

Hamburg iterum capitur.

CAP. 34.

RACEBVRGENSI verò eccleſiæ poſt Philippum, vir inſignis Henricus pręficitur: nimirum ex fratribus, qui tum feruente noua religione, & ipſi omni deuotione feruebant. Sed facit illorum temporum incuria, quòd non multa de præſtantibus illis viris relata ſunt in literas. Celebrata eſt eo tempore Romę inſignis illa Lateranenſis Synodus, ab Innocentio tertio, anno pontificatus ſui decimo octauo, in qua multæ conſtitutiones, hodie in corpus iuris redactæ, promulgantur. Aderant epiſcopi quadringenti, quos facile eſt ex Italia congregari, ſingulis oppidulis ſuos epiſcopos præferentibus. Præcipui fuere in ea patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus. Antiochenus enim graui languore detentus, venire non potuit: ſed miſit pro ſe vicarium Antiſiodorenſem epiſcopum. Alexandrinus verò ſub Sarracenorum dominio conſtitutus, fecit quod potuit, mittens pro ſe germanum ſuum. Primates autem & Metropolitani affuere ſeptuaginta vnus. Cæterùm abbates, priores, præpoſiti, vltra ſeptingentos. Legati Imperatoris affuere, & Friderici regis Siciliæ oratores: Imperatoris quoq; Conſtantinopolitani, regis Hieroſolymitani, regum Franciæ & Angliæ, Cypri, Aragonum: aliorumque principum & magnatum, ciuitatum & communitatum ingens ibi erat multitudo. Multa ibi conſtituta ſunt eccleſiæ profutura. Teſtantur decreta, quæ ſunt hodie in corpore iuris. Sed de recuperatione terræ plurima ſunt tractata, nihil autem prouenit fructuoſum. Anno deinde proximo, rex Danorum Albim glacie rigentem tranſiens, Stadium iam pro ſuo Waldemaro, quem antè oppugnabat, iam verò defendit, voluit expugnare: ſed veritus, ne fortè ſoluta glacies difficultatem faceret repedandi, totas vires ſuas conuertit in Hamburgum: quæ iam aliquoties in deditionem eius acceptа, iterùm atque iterum rebellauit, pro eccleſia Bremenſi potius, quàm Comite. Nam ille iam pro derelicto habuit Holſatiam, in qua tamen filius eius quartus Adolphus tum educabatur, in ſpem abiiciendi Danici iugi, quod poſtea prouenit, vt in Saxonia oſtendimus.

Synodus Lateranenſis celebrata ab Innocentio III.

CAP. 35.

MAGDEBVRGENSI eccleſiæ tum præerat inſignis vir, Albertus de Kirberge, in Thuringia comes: præfuitq; annis vigintiquinque, ordine decimus octauus. Infauſtum videbatur habere ingreſſum. die enim Paraſceues quo primùm introducitur, incertum vnde, exoritur incendium graue, conflagrabat eccleſia cum campanili, decidere campanæ graui mole. Conflictus erat huic pontifici aduerſus Ottonem Imperatorem, iam excommunicatum, deſtitutum à ſummo pontifice,

Episcopus cum Imp. ausus manum conferre, sed infeliciter.

Obuius ibat in armis Imperatori, ausus etiam conferre manum: sed victus multitudine & armorum peritia, retrocessit. Idem verò Otto cùm non diu post coronationem suam in Italia quædam oppugnasset, & arripuisset, quæ iuris essent Romanæ ecclesiæ, ipse verò ad Imperium arbitraretur pertinere: monitus à summo pontifice, vbi non destitit, est excommunicatus. & deinde, durante ac etiam crescēte contumacia, est ab Imperio destitutus: & instigante eodem pontifice, contra eum est Fridericus secundus, rex Siciliæ, electus, in diabolum malum in Israel. Multiplicata sunt mala super terram, vndique bella & motus. Fridericus ex Italia descendens cum exercitu in Germaniam, terram patrum suorum, Ottone occurrente, variis in locis cum illo conflixit. Filiam iam antè Philippi, æmuli quondam sui, duxit vxorem, nuptiis in Northusen solenniter peractis: sed ea tamen humanis rebus excessit. Infeliciter inde in Flandria in regem Franciæ pro Anglo pugnauit. Incendia, rapinæ, bella plurima inter Ottonem Imperatorem & regem Fridericū facta sunt: donec Otto dysenteriæ morbo exhaustus, mortē obiit, & iam Fridericus solus rerum potiebatur. Fertur Otto ad extremum sincerè compunctus obiisse, quòd ecclesiam insectatus sit, quòd mala multiplicauerit per incendia & rapinas: & in arce sua Hartesburg ante obitum, à Sifrido Hildesemensi episcopo absolutus: quam absolutionem Honorius Papa fertur habuisse ratam, vt esset vigorosa. Sepultus est in Brunswick cum patre suo. Quo tempore ministeriales ecclesiæ Bremensis, arcem Vorda, quam dux Saxoniæ Luderus extruxit, hactenus ducales tenuerunt, occuparunt, & tenet ecclesia in hodiernum.

Inter Ottonē & Fridericū Imp. plurima bella.

CAP. 36.

GERARDVS Osnaburgensis episcopus, ad sedem Bremēsem est translatus: licet plurimum illi laborem creauerit Waldemarus, Sleswicensis primùm episcopus: quem initiò rex Daniæ detrudere, postea etiam in episcopatu illo Bremēsi defendere conabatur, cum ad omnia præstaret patientiam. multaq; pro eo passi sunt Hamburgēses, quos rex Daniæ sæpè afflixit plurima calamitate. Tum verò, quum illum diffidentia glaciei, quæ Albim cōstrinxerat, terreret, versus à Stadio, in Hamburgum conuertitur. Quæ vrbs iam aliquoties in deditionem accepta, iterùm Gerardo legitimo pontifici paruit. Nam Adolphus comes, qui iam filium habebat in Holsatia paruulum, ipse agens in dominio de Schowenburg, potuit occultis consiliis rem agere (nam de apertis præliis non legitur) sed tamen vrbs Hamburgi obsidionem passa, diu tolerauit, quum à superiori parte orientis à terra illi immineret Albertus comes, rex desubtus ab Albi tonaret, duobus fortaliciis eam vrbem constrinxere. nam rex desubtus ad Albim præsidium firmissimum collocauit. Manet hodie nomen loco intra vrbem, qui tum erat extra, vt platea dicatur noua vrbs. Albertus comes idem ab altera parte Orientis factitabat, obseruans terra & flumine, ne quid inueheretur. Manent hodie vestigia eius præsidii, non longè à villa Schipbeke. Quis verò fuerit iste Albertus, malè in annalibus explicatur: nam Holsatorū in linea nusquam iste est inuentus. Alii Albertum illum tradunt comitem de Aneholt, qui longè falluntur. Nam Bernardi de Aneholt, postea ducis Saxoniæ, minor filius Albertus ducatum post patrē obtinuit. Alii affirmant, hunc Wilhelmi Brunswicensis domini filium, Waldemari regis ex sorore nepotem: appellant enim annales illum regem, Alberti auunculum, hoc est, matris eius germanum. Sed erat Albertus iste reuera comes de Orlemunde, natus Henrico patre, qui pro Adolpho tertio, quum pater eius apud Demin cæderetur, pro puero administrabat comitatum Holsatiæ: duxitq; relictam Adolphi secundi matrem tertiam, ex qua sustulit hunc Albertum, vterinum Adolphi germanum: sed hæc alibi latius. Hamburgenses ita obstricti, vt neq; terra, neque mari sinerentur exportare vel importare quicquam, cedunt necessitati, dedentes se victoribus. Stedingi populus palustris, vt magis magisq; Bremensibus aduersarentur, relinquentes Waldemarum, cui hactenus studuerant, Gerardo archiepiscopo & ministerialibus eius adhærent. Contra quorum insultus Bremenses Henricum Palatinum, Henrici Leonis filium, inuitant. Gerardus, & comes quondam Holsatiæ Adolphus, eiectus terra, cui Stadensem comitatum episcopus Holsatia exuto permisit, quòd causaretur in ecclesiam, de eo quod militassent magno suo impendio in Thietmarsia Hartuico archiepiscopo.

Hamburgenses Daniæ se dedunt Regi.

po.Hoc enim loquuntur nonnullæ literę, per hæc tempora ſigillatæ, prę ſertim fundatio monaſterii veteris Buxtehude. Præſidium ergò firmant ad oſtium fluminis Swinge: ſed dux illud euertit. Scire velim, quis ſit ille dux. Nam Henricus Leonis filius, dux non erat, & hoc penè tempore defunctus Henricus de Aneholt fratri permiſit ducatum. Bremenſes malis coacti, & ipſi, eiecto Waldemaro, vnà cum archiepiſcopo ſuo & Stedingis arma iungunt, & archiepiſcopum ſuum introducũt, anno decimo, poſtquàm à ſummo pontifice eſt confirmatus. Qua re prouocatus Imperator Otto, cum fratre Henrico Bremenſem prouinciam vaſtat & incendit. Comes autem Albertus nauigat in Liuoniam: & multi peregrini Hieroſolymã petiere, de Marſilia profecti (ea eſt ciuitas Franciæ, ad mare mediterraneum) in quorum comitatu erat magiſter Oliuerius, inſignis prædicator, poſtea ſanctæ Sabinæ presbyter cardinalis. Sed parum in ea expeditione eſt perfectum.

HALBERSTADENSIS eccleſia tum pontifice gubernabatur Conrado, inſigni & religioſo viro. Qui quum ſeptẽ annis illi præfuiſſet, tædio rerum ſeculariũ, ex authoritate ſummi pontificis eam dimiſit: & in monaſterium Sedebeke conceſſit, ibiq; vitam finiuit. Supererant tum ex filiis Henrici Leonis, ducis quondam Saxoniæ, Henricus comes Palatinus, & Otto Imperator: ſed ille multis laboribus cõflictatus, primùm Philippo ſecum electo, deinde Friderico ſecundo contra ſe electo, viuendi finem fecit. & Henricus frater inſignia Imperii Friderico ſecũdo præſentauit in Francofordia, iamdudum contra Ottonem, iuſſu ſummi pontificis, electo: effecitque, vt ad cœtum Imperii Gerardus archiepiſcopus Bremenſis euocaretur ſuper comitatu Stadenſi, quem Henricus pro ſuo defenderat, archiepiſcopus Adolpho comiti de Schowenburg permiſerat. Ibi dum Gerardus compareret, diem ſuum obiit, anno Chriſti MCCXX. acto pontificatu in omni controuerſia in annum duodecimum. Nam Waldemaro occupatori non tam ſucceſſit, quàm acceſſit, illum magnis laboribus ſede ſua occupata deiiciens. Cuius pleraque omnia vſque ad finem eius, quamuis ea ſimus executi, ne non tamen habere vir inſignis peculiarem ſuorum temporum mentionem videatur, inſerẽda ſunt quæ de illius rebus geſtis nondum commemorata ſuperſunt. Tertio demùm anno poſt mortem Hartuici, tranſlatus eſt in ſedem Bremenſem: cui duras in archiepiſcopatu partes fecit intruſus quondam Sleſwicenſis Waldemarus. per omnem enim vitam illi laborandum fuit aduerſus potentem, & apud principes gratioſum aduerſariũ. Nam Henricus Leonis filius, dominus Brunſwicenſis, prius illum oppugnauit: inde rex Daniæ Waldemarus, Stadium pro Waldemaro atque Hamburgum expugnauit. Stedingi quoque, inuenta occaſione, multa aduerſus eccleſiam & Gerardum pro Waldemaro fecerunt, magis ſuo feruentes in omnes odio, quàm vlli ſtudentes: durauitque ea contentio, donec Stedingi in odium, vt diximus, Bremenſium, Waldemarum cum archiepiſcopo perſequerentur. ſed & Otto Imperator, qui initiò multa in Philippum competitorem ſuum, & diuturna pro Imperio bella gerebat, quum demum extincto Philippo pacificus videretur, ducta in vxorem hoſtis ſui filia, iam etiam prouinciam Bremenſem cœpit populari, quòd Stadenſem comitatum teneret, iuri ducum, vt aſſerebant, pertinentem. Sed non deſtitit archiepiſcopus iura eccleſiæ ſuæ tueri. Nam Adolpho de Schowenburg comite accedente, cui illum commendauerat ad oſtia, quod diximus, fluminis Swingæ erexit præſidium, vt omnem ingreſſum & egreſſum prohiberet euntibus, qui ſtuderent principibus. Henricus hoc ipſum demolitur: ſed hæc alibi perſequimur latius.

CAP. 37.

1220.

HILDESEMENSIS verò eccleſia tum pontificem habebat Conradum, virum præcipuum, qui de religione cenſetur ferbuiſſe: nam per annos vigintiquatuor, quibus præfuit eccleſiæ, ſex fertur monaſteriorum author extitiſſe erigendorum. Nam cœnobium in Falkenberge ad Goſlariam, ipſe author prouexit, vt fieret: deinde in Winhuſen ad Alram fluuium, vt fieret, ipſe coniugi Henrici Palatini adiutor acceſſit: duorum deinde in vrbe Hildeſem fratrum mendicantiũ conuentus fieri iuſſit. Feruebat enim tum recens amborum ordinum inſtitutio: & ideò quum ſpęrarentur in illo feruore permanſuri, ab omnibus amabantur. Nunc tem-

CAP. 38.

Murem in peră miſſum eſſe. porum ſucceſſiones declarant, murē eſſe miſſum in peram: quem & ſummus pontifex, & maiores in orbe prælati, reſpiciūt magis, ne noceat, quàm vt proſit: ſed hęc verecundius dici ob eandem cauſam par eſt. Duo præterea monialium monaſteria in diœceſi: alterum, quod dixere Wulffinghuſen, alterum intra vrbem ad vicina maioris eccleſiæ. De prędiis autem auxilio cęterorum prouidendum fuit. *Mendicantes monachi.* Mendicantes autem fratres etſi prædia non ſunt inſtituti habere, nihil habentes tamen, omnia poſſident. Dum iſta gererentur, Otto Imperator (aduerſus quem Romanus pontifex procurauit erigi atq; eligi Fridericum ſecundum, primi ex filio nepotem, quòd contumax eccleſiæ Otto videretur) intromittens ſe de hæreditate Mathildis, potentis per Italiam dominæ, quam illa Romanæ reliquiſſet eccleſiæ: Otto autem arbitraretur ad domum pertinere Saxoniæ, vnde illa fuit progenita, vel ad minus ad Imperium, cuius ille iura debuit tueri. Vocauit autem Otto principū cœtum in Francofordiam, Alemaniæ res volens componere, vt expeditius ferretur in æmulum Imperii Fridericum, totisq; viribus tranſmitteret Alpes ad domandam Italiam, quę cornua cœpit erigere aduerſus Imperium: ſed illum acerba mors ſurripuit. Interim Fridericus ſecundus patre, vt putatur, Henrico ſexto Imperatore genitus, ad Imperium peruenit. cuius pertinacia, & (vt verius dicam) dura ceruix, non ſinit aboleri fabulam, quæ de illius natalib. diſſeminabatur. Domina Conſtantia, filia regis Siciliæ Rogerii monialis, nupſit Henrico regi, Friderici primi filio, hac lege, vt ſi patruus eius, qui regnum vtriuſq; teneret Sicilię, ante eam moreretur, ad eam tota hæreditas perueniret. Fruſtra autem pactio interueniſſet, ſi non is extitiſſet Henricus, qui armis ius ſuum ipſe extorqueret. Noua nupta iam ſexagenaria ferebatur, annos longè tranſgreſſa fœcundos. Medicorum adhibita ſunt conſilia, ne ſine hærede Siciliæ regnum permaneret. Spondent operam, ſpem largiuntur prolificandi vetulæ mulieri. Intumuit venter ſperatæ puerperæ, incertum quibus ex cauſis. Creditum eſt à multis, prægnantem eſſe reginam: credidit, cuius maximè intererat, Imperator. Ordinatum, vt in publico poneretur ad pariendum: aulæis tamen ad pudorem circumpendentibus prouiſum ferunt, vt in horam partus ei alienus ſupponeretur, quem enixa regina videretur. Tres vno tempore mulierculæ non longè à reginæ domo prægnantes, non magno interuallo omnes peperere: phyſici, molendinarii, aucupis vxores. vnius ex tribus, incertum cuius, infantulus affertur, & ſupponitur, vt aiunt, reginæ, vt ab illa progenitus à cæteris putaretur. Auito nomine pater illum vocare Fridericum, mater ſuo de nomine dici *Friderici II. natalia.* cupiebat Cōſtantinum. Ea ferebantur natalia eius Friderici, qui ſe orbis malleum prædicabat: qui cum ſummis pontificib. grauiſſimas geſſit ſimultates, qui cum Soldano Chriſti hoſte occulta, vt ferebant, colloquia ſerebat, qui grauis omnibus Imperio, non Auguſtus ferebatur. Hæc non infamandi principis gratia retexo. Quid eſt enim immanius, quàm pugnare cum laruis? Quid immodeſtius, quàm principum honorem contaminare? ſed quæ reperi, ſcribo, vt legentes execranda eius malè facta, illum pulchrè, ſi verum eſt quod prætenditur, reſpondere natalibus ſuis ſciant.

CAP. 39. PADERBVRNENSEM eccleſiam hoc tempore regebat Bernardus, eius nominis tertius. Præfuitq; annis nouendecim. Vidit mutationes temporum mirabiles, pariter & miſerabiles, in Ottone quarto: qui ad Imperium prouectus, oppugnatur à Philippo Sueuo, defenditur à ſummo pontifice. Vbi illum euaſit hoſtem, ſuſcepit Imperii coronam: & iam per Italiam circumſpiciens, quum iura Imperii inciperet repoſcere, admonetur, excommunicatur, deponitur à ſummo pontifice: Fridericus aduerſus illum eligitur, cum quo luctatur de regno ad finem vitæ. Hoc Ottone mortuo, quia abundabat opibus, de diuite Sicilię regno & de prouentibus Sueuiæ effertur in ſuperbiam, & fit cunctis intolerabilis. Curiam primam quam celebrauit in Francofordia, celebriter egit: ibiq; promiſſum accepit à principibus, vt filium eius Henricum paruulum, quàm primùm per ætatem liceret, crearent regem: quod ſuo tempore impleuerunt. Et reuerſus in Italiam, ab Honorio ſummo pontifice coronam Imperii accepit. ſed quum multa gereret in Sicilia, non etiam à terris eccleſiæ abſtinuit: & monitus, non deſiſtens, ab Gregorio non primùm excommu-

communicatur,& anathematizatur. Inter hæc Hogerus comes de Falkenſtein, cepit Quedelinborg:& inopinatiori caſu, Henricus de Suerin cepit regē Daniæ, venantem in regno,& abduxit vltra mare in ditionem ſuam. *Daniæ rex in venatione capitur.* Creuit intereà Henricus filius Friderici Imperatoris:& coronatus à principibus rex, duxit coniugem, filiam Lippoldi ducis Auſtriæ, cuius Ducis filius accepit vxorē, filiam comitis prouincialis Haſſiæ. Vtrorunq; nuptiæ peraguntur feſto ritu Nurenbergæ. Iam ciuitas Brunſwicenſis erat in manibus regis Romanorum Henrici. Otto filius Wilhelmi, domini Brunſwicenſis, nepos Leonis, obſeruata rerum gerendarum occaſione, ciuibus non inuitis, recepit eam vrbem, quum minùs hoc timeretur. Facile eſt autē, volentes capere. Commiſſum eſt tamen intra vrbem prælium, quum præſidiū regis vrbi impoſitum ad arma concurreret: ſed quoniam inclinauere ciues veteri & natiuo domino ſuo, eiecti ſunt regii vrbe. Hic Bernardus Paderburnenſis, expleto in pontificatu anno decimoſexto, conceſſit in fata. Succeſſit illi Oliuarus, præſtans vir, prædicator inſignis,& qui maiori dignus loco videretur. Vnde factum eſt breui, vt relicta Paderburnenſi eccleſia, conceſſerit in vrbem Romam, ibique creatus eſt cardinalis Sabinenſis: duobusque tantùm annis præfuit Paderburnæ. Cedenti ſuccedens Wulbrandus, vir vtiq; inſignis,& ipſe ſolis duobus annis præfuit, tranſlatus ad eccleſiam Traiectenſem. Vnde propter temporis breuitatem, Bernardo tertio ſubiiciuntur, vt non ſpeciali quiſque capite deſignentur.

Cap. 40.

Bremensis eccleſia, morte Gerardi viduata, alium recepit Gerardum, domini de Lippia filium, pridem Paderburnenſem prępoſitum, religioſi patris filium æquè religioſum. Nam Bernardus nobilis dominus de Lippia (nam ſe comites nō aſſerunt) relicto ſeculo, monaſterium ingreditur,& in abbatem prouehitur: inde etiam aſſumptus, cùm deuotione pro Chriſto peregrinandi tangeretur, conſecratur epiſcopus Lealhenſis in Liuonia. Ottonem inter alios Bernardus de Lippia habebat filium, epiſcopum Traiectenſem: qui manibus ſuis parentem ſecundum carnem, conſecrauit epiſcopum, factus parentis parens: & inde pater cum eodem filio, Gerardum archiepiſcopum Bremenſem, alium filiū, oleo ſancto initiauit. *Otto Traiectenſis epiſcopus patrem ſuum epiſcopum conſecrat.* Tam religioſam iſte Gerardus duxit originem, nec minùs reſpondit generi ſuo in adminiſtratione: cui præſtitit Deus, vt dominus Brunſwicenſis omnem quæſtionem de comitatu Stadenſi ſopiuerit, tribuens ius ſuum, ſi quod illi competeret, eccleſiæ: deinde arcem eccleſiæ Ottersberg à Bernardo comite de Welpa occupatam, archiepiſcopus per arma, quę contraxit in manu forti, recuperauit. Hoc eſt illud tempus, quo rex Franciæ Damiatam in Ægypto capit, ſed non diu tenuit. *Damiata in Ægypto per Regem Franciæ capta.* Treugæ interponuntur ad annos octo. Soldanus crucem Domini vltrò reddidit, Chriſtianos ſaluis rebus & corporibus Ægyptum exire permiſit: omnes captiuos reddi iuſſit, ita vt tunc temporis captiuorum triginta millia laxarentur. *Triginta millia captiuorū laxata à Soldano.* Præcepit etiam alimenta diuitibus pro precio vendi, infirmis & pauperibus gratis exhiberi. Sed hæc meliùs alii, nos ad noſtram prouinciam regrediamur. Quum per hæc tempora, quod diximus, rex Daniæ Waldemarus captus teneretur à comite de Suerin, Henricus rex Romanorum deſcendit Bardeuicum vrbem, ab Henrico Leone duce ſubuerſām, ſed tamen aliquantas ſuæ priſtinæ conſiſtentię reliquias ſeruantem. Ibiq; cum epiſcopo Colonienſi cœpit agere pro liberatione Danorum regis: ſed conatus fruſtrà erat, quum ſine magno impendio laxari quæreretur: poſtea tamen laxatus eſt, datis quinquaginta millibus argenti marcis. Venerat tamē in eundem carcerem, priuſquàm laxaretur, Albertus comes de Orlemunde, rerum potitus per Holſatiā: quem congreſſi, huius pontificis tempore, comes Holſatiæ Adolphus & Henricus de Suerin, ceperunt. Redemit autem ſe, reddita arce Luwenburg, quam tenebat, in manus Alberti ducis Saxoniæ.

Cap. 41.

Halberstadensem excepit eccleſiam Fridericus per hæc tempora: præfuit annis vndecim, cum ſumma laude. Sacrum ex miraculo cruorem inuexit vrbi & eccleſię. Aderat cum clero ſuo in Magdeburg, quum archiepiſcopus Albertus craneam diui Mauricii, dono Friderici Imperatoris acceptam, cum ſumma celebritate inueheret eccleſiæ ſuæ Magdeburgenſi. Hoc eſt illud tempus anni vigeſimi quarti, poſt milleſimū ducenteſimum, quū veniret in Flandriā, qui ſe aſſereret

comitem prouinciæ Balduinum: qui ante viginti annos cum peregrinis Conſtantinopolim profectus, ad Imperiale culmen ibi fuerat coronatus. Qui quia ſimillimus comiti Balduino fuit, vel ſi ipſe fuit, Flamingi receperũt eum, multis eum muneribus honorantes. Cicatrices in corpore teſtabantur eundem, forma & habitudo corporis conſenſit, niſi quòd aliquanto breuior videbatur, quod defenſores ſenio aſcripſere. Prouinciam non benè diſcreuit. Interrogatus & in lingua Gallica, quam egregiè antè nouerat, aliquantulum ceſpitabat: nec mirum, quia inter Græcos & Sarracenos tot annis, à quibus captus erat, ſi is fuit, diu commoratus, volubilitatẽ Gallici ſermonis poterat intermiſiſſe. Sed Balduinus comes, Imperator Conſtantinopolitanus, à Conrado epiſcopo Halberſtadenſi (qui poſtea Ciſtertienſem ordinem intrauit) & à quibuſdam aliis qui tunc Conſtantinopoli erant, cùm Balduinus Imperator contra Sarracenos conflixit, dicebatur veriſſimè interfectus. Iſte aũt ſe retulit mortis periculum euaſiſſe: à Sarracenis poſtea captum, tandẽ ſe aſſeruit abſolutum: & quòd poſt abſolutionem ad Papam venerit, confeſſus, quia inter infideles infideliter vixerit. Qua de re Papa ſibi ſeptennem pœnitentiam iniunxerit, affirmans, eandem pœnitentiam tunc expletam. Venit primò Valentiam: & comitiſſa Flandriæ, Balduini filia, eò conuolauit. Eo viſo, dubitauit, patrem nécne recognoſceret: & ab eo diſceſſit. Multi barones pro eo conſenſerunt, ſed plures diſſenſerunt. Rex tandem Franciæ volens examinare virum, iuſſit adeſſe Peronam, ſiquidem auunculus eius eſſe debuit. Et inter cætera dum ab illo quæreret, vbi honorem militis aurati ſumpſiſſet, vel vbi & quando duxiſſet vxorẽ, non ſatis ad rem acceſſit. Fautores excuſauere, quòd terrore mortis, quæ minitabatur, titubauerit. Tum multi deſeruere virum. Dux Brabantię doluit: ille enim cum eo venerat. nec permittebatur intrare, quia eum eſſe comitem Balduinum certo certiùs aſſerebat. Rediit iterum Valentiam, paucis eum comitantib. Poſtea venit Coloniam ad Engelbertum archiepiſcopum, auxilium rogaturus: ſed Leodienſis epiſcopus, qui internouit diſcrimen veri Balduini, grauiter eum & ſæpius ſuis literis infeſtauit, Trutanium & Ribaldum appellans. Ille verò ſe comitem Flandriæ & Imperatorẽ Conſtantinopolitanum affirmabat, habens ſigillum eodem titulo innotatum. Rogauit ergo archiepiſcopum, vt Leodienſem vocaret. Vocatus, venit: Miſſæ officium ex conſtituto peregit. Ante perceptionem corporis & ſanguinis Dominici, acceſſit archiepiſcopus, à viro prouocatus, & ait: Adiuro te frater epiſcope, per myſterium Dominici corporis & ſanguinis, quod percepturus es, ſi veritatem dixeris, ad ſalutem: ſi mendacium, ad damnationem: vt mihi dicas, quis ſit ille, quem tu dicis Trutanium & Ribaldum in Flandriam veniſſe, & qui ſe comitem dicat Balduinum. Epiſcopus ſtupefactus, fertur reſpondiſſe: Comes Flandriæ Balduinus eſt. Tum archiepiſcopus viro conſuluit, vt Romam iret, querimoniam Papæ deferret: promittens, ſi ad honorem rediret, eccleſiæ ſubſeruiret. Proficiſcitur, teſtimonia multorũ Flandriæ prælatorum & baronum ſecum deferens. Sed ſtudio comitiſſæ & Arnoldi de Aldennardi, cui comitiſſa dicebatur familiaritatem nimiam exhibere, vię vndique occupantur: traditur, capitur, & apud Inſulam ciuitatem Flandriæ ſuſpẽdio necatur. Abbas ſancti Ioannis in Valentia, ſepeliuit eum in monaſterio: ſed iterum comitiſſa mortuum ſuſpendi iuſſit in furcam. Verus, nécne fuerit, Flamingi diu certarunt. Libuit ad liquidum renouare annalium narrationem, quamuis breui commemoratione aliis quoque locis ea res ſit attacta.

Balduini Conſtantinopolitani Imp. caſus.

Suprà, cap. 22

CAP. 42. MINDENSEM eccleſiam per ea tempora excepit Conradus, natus ex nobilibus de Depholt, ordine pontificum vigeſimus nonus. Cuius temporibus fundatum eſt monaſterium Biſchoprode, tunc ordinis Ciſtertienſium, per hunc pontificem, iuxta oppidum Greuenalueshagen: inde per Adolphum illum, qui poſtea ingreditur ordinem Minorum, transfertur in oppidum veteris Rintelen. Demùm, vbi nunc manet, collocatur in oppidũ noui Rintelen. Ita mutauit ſæpe locum, donec inueniret vbi conſiſteret. Huius etiam temporibus pontificis, fratres Prædicatores locum acceperunt in Minda, anno Chriſti MCCXXXVI. Mirum, qua celeritate diffuſi ſunt duo ordines mendicantium, per Chriſtianiſmum. Volabãt fratres de prouincia in prouinciam, de ciuitate in ciuitatem: nec quieſcebant. Et erat expeditum

1236.

peditum illis iter,quando populus Chriſtianus facilè mouebatur, cõſpecto feruore nouæ & inauditæ religionis:quando paupertatis amore,deſertis omnibus,ſpontaneam mendicitatem fratres obibant. Nihil erat tale auditum à ſeculo: & tamen quia vita illorũ & prædicatio erat conformis Chriſti euangelio,non poterant Chriſti fideles reſiſtere tantæ deuotioni. Erant etiã tum pontifices viri oculati,qui proſpicerent quid futurum erat,& iam factum cernimus. Graue eccleſiarum præiudicium,qui non facilè admitterent fratres memoratos, nec locum darent conſiſtendi. Cæterùm prædicationem diuini verbi impedire non poterant: & eſt populus ſemper illa affectione,vt feruentiùs inhiet ad ea,quæ cernit interdici. Et quoniam primus feruor infrigeſcebat,factæ ſunt noſtris penè temporib. reformationes obſeruãtiales:quæ vbi fuerint,veterem fructum renouant in eccleſia.Cæteri fratres, quos dicunt Gaudentes,ita ſe gerunt,vt etiamſi non eſſent, eccleſia Dei nihil pateretur detrimenti: poſſent ſine illis, paſtores eccleſiarum Dei populum gubernare:nunc verò priuilegiis ſuis,quæ præferunt, mirabile faciunt eccleſiis detrimentum,non contenti mendicitate,quam ſponte ſubierant,in qua nihil habentes omnia poſſident,magnis eccleſiæ prælatis non impares. Hoc illis præſtant Chriſti ſacramenta, & præſertim pœnitentiæ, quæ ſunt illis aurifodinæ. Sed quò me rapuit vehementia? redeundum ad Mindenſem pontificem Conradum, qui qualicunq; ſpe fructuum in eccleſia,locum fratribus permiſit in ciuitate ſua. Quòd ſi refragatus eſſet,populus ipſe etiam inuito aut non cõſentiente pontifice permiſiſſet. Præfuit autem eccleſiæ ſuæ hic pontifex annis vigintiſeptem & tranſiuit ex hoc mundo die ſanctorum Ionnnis & Pauli:bonum nomen auro precioſius relinquens poſteris ſuis,vt qui ſequi volent eius veſtigia,non aberrabunt.

Mendicãtium duo ordines mira celeritate per Chriſtianiſmum diffuſi.

Vulgi ingenium.

Monachis mẽdicantibus vnde opes.

Cap. 43.

OSNABVRGENSEM eccleſiam poſt Adolphum excepit vigeſimus nonus, Bruno, comes de Iſenborg,frater Theodorici Monaſterienſis epiſcopi.Hi tertium habuere fratrem laicum,Fridericum,qui iure non ſuo premebat eccleſiam regalẽ Aſſindenſem.Monitus ab Engelberto archiepiſcopo Colonienſi, vt vim contineret,& apoſtolicæ authoritatis & ordinarii literas contempſit: vnde procedente & creſcente contumacia,cenſuris eſt innodatus à dicto venerabili archiepiſcopo Colonienſi. Ferebat indigniſſimè comes,obſeruabatq; tempus, quo archiepiſcopum in agris deprætenderet.Conſecrare ille conſtituit eccleſiam in villa Zuelme. Superuenit illo fortior comes armatus, & intentis viribus proſiliens in archiepiſcopum,quum nihilominùs à ſuis defenderetur, magno certamine cùm vigintiocto vulnera intuliſſet,crudeliſſimè occidit.Magnus erat vbiq; luctus pro optimi pontificis indigna cæde. Henricus archiepiſcopus eius ſucceſſor,ita rem vltus eſt, vt arcem Iſenbergk deiiceret ipſe Fridericus,ſubmiſſo & pecuniæ obærato qui inſidiaretur. Anno reuoluto vixdum capitur,& Coloniã introducitur,per aduerſam portam,qua erat inuectus cæſus archiepiſcopus. Crudeli facto ſæua pœna imponitur: decernitur rotis tormentalibus per crura,per brachia,per dorſum & ceruicẽ confringi,ita pauit coruos nobile cadauer.Germani fratres eius,Bruno Oſnaburgenſis,& Theodoricus Monaſterienſis,velut complices,& ad minùs conſcii,accuſantur apud ſummũ pontificem: &,vt fertur, etiã conuincuntur,deponũturq;:ſed gratia aſſecuta,reſtituũtur.Comites de Tekeneburg & Zualenberge,cùm ſuper eadẽ factione accuſarentur,feruntur ſe legitimè purgaſſe. Negare tamen nec poterant, nec volebant, quin in fœdere fuerint cum Friderico memorato. Cæterùm conſilium cædis longè à ſe remouerunt. Feruntur tamen ambo in monaſteriis diuiſis, legitimam in finem vſq; vitæ peregiſſe pœnitentiam. Bruno autem Oſnaburgenſis multa fecit in componendis controuerſiis, quæ erant inter canonicos eccleſiæ & nonnullos citerioris ordinis: nonnullasq; quęſtiones reſoluit inter epiſcopos & capitulum,vt ſe pacis ſequeſtrum monſtraret diligentiſſimum. Octo autem ſolis annis fertur eccleſiæ huic ſuæ præfuiſſe,quos impendit reb. eccleſiæ ſalutaribus:plura facturus,ſi longior illi fuiſſet pontificatus.

Engelberti Colonienſis archiepiſcopi cædes.

Cædes ſeuerè punitur.

Cap. 44.

MAGDEBVRGENSI eccleſiæ poſt Albertum præficitur inſignis vir Burchardus,præfuitq; in annum ſolùm tertium. Iam Ludouicus comes prouincialis Thuringiæ,maritus B.Eliſabeth,in peregrinatione terræ ſanctæ necdũ perueniẽs,

Brundusii moritur: sanctissima Elisabeth vidualem vitam in omni patiētia peregit. pater eius rex Vngariæ, iam tum obierat, vt defensore careret. Gregorius papa IX. Fridericum Imperatorem cruce signatum, quia in terram sanctam, quod diu & sæpe pollicitus est, ire dissimulabat, excommunicationis sententia innodauit, eumq; per totum Imperium denunciari præcepit. Imperator hanc sententiam paruipendens, mare transiuit: ibiq; ab omnibus regni illius ciuitatibus solēniter est receptus: sed patriarcha Hierosolymitanus his solennitatibus se subtraxit, cum tota ecclesia spiritualium personarum. Patriarcha in suo palatio Imperatorem excommunicatum denunciauit. Interea vasalli Imperatoris, & fautores papæ, vires suas per Italiā graui bellorum tumultu, non sine detrimento vtriusq; partis, sunt experti. Erat in parte pontificis capitaneus Ioannes de Bien, rex Hierosolymitanus, qui terram sanctam pro treugis obliuiscens, pugnauit in Italia. Interim res in Saxonia & Holsatia prosperantur. Rex Daniæ fugatur è prælio cum filio in Bornehouede. Otto dominus Brunswicensis capitur. Lubeck libertatem suam à Cæsare impetratam defendit. Otto dominus Brunswicensis quum in carcere esset comitum de Suerin, moritur Henricus comes. Placuit Guncelino fratri, vt dominus de Brunswico super ipsius gratiam laxaretur: sed Albertus dux Saxoniæ restitit, donec Hidesacker ipsius dominio traderetur. Laxatus autem, plurimam guerram circa Brūswigk à suis ministerialibus est perpessus, episcopis Magdeburgensi ac Halberstadensi partes eorum iuuantibus, nutu, vt dicitur, Imperatoris. Nam Brunswicum tenuerat Henricus Romanorum rex, Friderici Imperatoris filius, emptum à ducibus Bauariæ, qui filias tenebant Henrici comitis Palatini, qui erat filius Leonis: sed Otto non diu pòst recuperauit.

Imp. Fridericus papæ excōmunicationem cō temnit.

CAP. 45. RACEBVRGENSIS tum ecclesia, mortuo Henrico, vacabat: & se ingerebat non electus à fratribus Lambertus quidam, Hamburgensis & Bremensis canonicus, qui ecclesiam alienigena à summo pontifice ad se nihil pertinentē impetrauit. Vide in quantum licentiæ tum processit, post Imperatorum destitutionem Romana ecclesia, vt se inciperet intromittere de ecclesiis vacantibus. Solebant Imperatores de Romana aliquando disponere ecclesia: peruētum est eò, vt de solis Germaniæ ecclesiis & abbatiis disponerēt, idq; extortum est manibus eorum tempore Henrici V. Imperatoris. tum ecclesiis prouenit libera electio: in eam quoq; papa manus iniecit per hæc tempora, & creuit illa facultas in immensum, vt satis sit per Germaniam res tolerabilis, sed in Frācia & Anglia immoderata. Fertur de hoc Lamberto, quod in aduentu suo, quum debuit intrare ecclesiam, quendam mirabilē & intolerabilem sensit ruborem in facie, tanquam ignis vehemēter ardentis, quasi introitum in ecclesiam illi prohibentē: sed breuis hospes erat, quia eodem anno defunctus est: quia alienigenā ecclesiæ ferre nō potuit. Extant versiculi malè tornati:

Scilicet, licentia omnes sumus deteriores

Vt lupus intrauit, canonicè non vocitatus:
Paulo regnauit, morte præuentus erat.

Regnare dicit episcopum, quum sit seruus Deo seruientium. Vnam Missam die assumptionis beatæ Mariæ virginis solenniter peregit, & vnum cœmeterium dedicauit, nec plura peregit, solutus morte. Successit illi Godscalcus eiusdem ecclesiæ præpositus, quem fratres canonica electione subuexerunt. Nihil tum opus erat Apostolica confirmatione, satis erat, electionem ab archiepiscopo comprobari: nūc ad se omnia ecclesiarum iura traxit Romana ecclesia. Gregorius papa eo tempore veniens Assisium, ibi canonizauit in conspectu maximæ multitudinis, quæ de diuersis regionibus confluxerat, beatum Franciscum, sic dicens omnibus conspicua voce: Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei patris & filii & spiritus sancti, & gloriosæ virginis Mariæ, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & ad honorem ecclesiæ Romanæ, beatissimum patrem Franciscum, quem Dominus glorificauit in cœlis, venerantes in terris, de consilio fratrum nostrorum & aliorum prælatorum, in catalogum sanctorum decreuimus annotandum, & festum in die obitus sui celebrari. Statim cardinales, *Te Deum laudamus*, incipiunt: & populi voces, laudes Dei depromunt: papa de solio descendit, & cum cardinalibus sanctum corpus de tumba leuauit, mira omnium alacritate.

Ritus canonizandi.

HAL-

HALBERSTADENSI ecclesiæ per hæc tempora pontifex præficitur Ludolphus, comes de Sladen, præfuitq; ecclesiæ annis octo. Per cuius tempora, vt tradunt nonnulli, Hierosolyma Imperatori Friderico, voluntate Soldani redditur, quam nudis pedibus in vigilia Paschæ est ingressus, & in templo Deum adorauit: & Nazareth & Bethlehem, cum aliis sacris locis in deditionem acceptis, in Siciliã reditum maturauit. Id verò quum diligentiores rerum scriptores non attingant, crediderim præsenti Imperatori illum esse honorem delatũ, vt ingrederetur cum aliquantis deuotionis gratia: cæterùm vt teneret, & pro suo haberet, non facilè credo, quòd sit illi permissum. Nam Hierosolymam, post Saladini victoriam, semper mansisse in potestate Sarracenorum omnium est consona testificatio. Papa interim propter insolentiam Romanorum Imperatori fauentium, vrbe cedens, in Perusium se recepit. Tum etiam Albertus Liuoniensis episcopus vitam cum morte mutauit: & Bremensis ecclesia iure suo vsa, magistrum Albertũ, Bremensem scholasticum, insignem virum, in episcopum constituit: sed Rigenses canonici aliũ Nicolaum elegerunt: diuque fuit altrinsecus coram iudicibus delegatis à sede Apostolica litigatum: tandem papa Bremensibus silentium imposuit, pro sua, vt dicitur voluntate. Postea idem Albertus anno MCCXLVI. à papa Innocentio IIII. apud Lugdunum ciuitatem Galliæ tunc morante, legatus in Prussiam & Liuoniam est transmissus: & sequenti tum anno, defuncto Ioanne Lubecensi episcopo, residentiam obtinuit in sede Lubecensi: demùm factus archiepiscopus post Nicolaum defunctum Rigensis.

Cap. 46.

Hierosolyma Friderico à Soldano redditur

1246.

LVBECENSI ecclesiæ post Bartoldum præficitur Ioannes eiusdem ecclesiæ pridem decanus, qui mox post suam consecrationem dedicauit ecclesiam monasterii in Reinfelde ordinis Cistertiensiũ, quod extruere cœpit Adolphus III. priusquàm Holsatia pelleretur primùm à Leone, inde à rege Danorum. sed filius eius IIII. Adolphus tum præfuit, quum ecclesia eius consecraretur. Memorabilem instituit memoriam Dominicæ cœnæ, relinquens pecuniam pro vino, pane, & cereuisia: præfuitq; ecclesiæ annis vigintiduob. Quo tempore archiepiscop⁹ Stedingorum (populi sunt palustres, ad ripas fluuiorum accolentes) insolẽtiam repressurus, die natalis Domini valido eos prælio aggreditur: ibiq; frater ei⁹ Hermãnus de Lippia, vir vtriq; sapiens, & bonus, ac nobilis solus occiditur. vnde subita confusione facta, totus ille bellicus apparatus dissoluitur. Tum erigit archiepiscopus arcẽ in Slutere ad edomandum infrenem populum: sed illi protinùs euerterũt. Crescente autem contumacia & malitia eius gentis, crux contra eam tanquam infideles cœpit prædicari, & à multis suscipitur. Oriẽtalis Stedingia à peregrinis, occisis Stedingorum plurimis, deuastatur. Burchard⁹ comes de Aldenborgk, à Stedingis penè cum ducentis peregrinis prosternitur. Inde verò Henricus dux Brabãtiæ, & Florentius comes Hollandiæ, Bremam venientes, contra Stedingos perfidos viriliter se accinxerunt, tanquam contra manifestos ecclesiæ inimicos. Nam sicut probatum est liquidò contra eos, & per Mindensem, Lubecensem, Raceburgẽsem episcopos est auribus papæ intimatum, quòd ipsi, doctrina ecclesiæ penitus vilipensa, ipsius libertatem conculcarunt, nulli parcentes sexui vel ætati: quæsierũt responsa demonum, simulacra fecerunt cerea, consulentes etiam in suis spurcitiis erroneas pythonissas: & quod deterius est omnibus, viaticum salutis æternæ horribilius quam deceat exprimi, pertractantes: clericos etiam & religiosos impiè lacerantes, cruciabant omni genere tormentorum. nec propria eis suffecit perditio, sed omnes quos poterant, & maximè rusticos, in foueam suæ perfidiæ secum trahere nitebantur. Ita miseri & miserabiles Stedingi, ponentes sibi Deum contrarium, suis persuasionibus & malis exemplis grauiter infecerunt populum Christianum: ita vt infinita rusticorum multitudo tam in remotis quàm vicinis prouinciis cõstituta, verbotenus eos defenderet: & si se opportunitas obtulisset, prompto animo proteruiæ eorum auxilium attulisset. Sed Deus misericordiarum dominus, suis fidelib. inspirauit, vt ad prædicationem crucis se viriliter accingerẽt, ad exterminium tam reprobæ nationis, illa gaudentes indulgentia, illoq; priuilegio, quæ accedentibus in terram sanctam pro eius subsidio conceduntur. Itaq; Bremensis archiepiscopus, dux

Cap. 47.

Crux contra Stedingos prædicatur.

memoratus & comes, peregrinorũq; non modica multitudo, VI. Cal. Iulii, die sabbati, processerunt vnanimiter contra ipsos, tanquam diuinæ patientię abusores: parati occumbere, vel ipsos cum eorum nefandis operibus ad honorem & gloriã Iesu Christi penitus abolere. Illi è diuerso tanquam ferinis vberib. enutriti, etiam crudeliùs sęuiebant: & in suo Asmodet ponentes fiduciã, non diffidebant se posse resistere potenti brachio Domini Sabaoth, & tantæ multitudini signatorum. Mira miserandaq; pertinacia. Obstinati non cessabant claues ecclesiæ sceleratis verbis contaminare. Capitanei eorum Boleke & Bardenflete, Tammo de Huntorpe, Teduardus de aggere, aliiq; horum similes, vt vitam & patriam defenderẽt, fortiter admonuere, dicẽtes: Quòd ipsos aut oporteret succumbere, aut velut canes rabidos insanire. Transierunt autem medio tempore Othmõdam fluuium peregrini, pontem de nauibus facientes: & cum transierant, sapienter suas acies ordinabant. Stedingi velut amentes furebant: & quadam insania ventilati, non timuerũt multitudinem cruce signatorum, nec spiritualis, nec materialis gladii potestatẽ: sed ordinata quidem acie, inordinato autem furore, tanquam furibundi canes processerunt obuiã peregrinis. Dux Brabantiæ & comes Hollandiæ primo congressu pestilentes illos, super agrum Oldenesche, vbi conuenerant, viriliter inuaserunt: ipsi se summo conamine defenderunt. Statim comes de Cliuia cum suis à latere irruens super illos ipsorum aciem dissipauit. Clerus, qui eminus adstans, rei exitum expectabat, *Media vita*, & alia miserationis implorandę carmina cum mœrore cecinit, & pro crucis victoria supplicabat. Nec mora, illi insipientes & maligni euanuerunt in cogitationibus suis, quia ab exercitu Domini opprimũtur. Hastis perfossi, gladiis percussi, equorum pedibus conculcati: & ita manus Domini inualuit super eos, vt breui temporis spatio sex millia ex illis interirent. Plurimi ex eis fugæ præsidium quærentes, in proximis foueis, inq; Wisera submersi perierunt: qui euaserãt, quatuor cœli ventis sunt dispersi. Sic pertinacia eorum facta est coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum. Henricus de Oldenburg comes ibi cecidit, & cum eo peregrini nouem: ita victorem exercitum Deus seruauit incolumem.

Pertinaciæ obstinatæ exemplum.

Stedingi ad internecionem cæduntur.

CAP. 48. VERDENSI ecclesiæ per eadem tempora præfuit post Isonem, Luderus, vir deuotus, & magnæ humilitatis, ordine trigesimus secundus, inter huius loci pontifices: præfuitq; annis viginti. Contulit ecclesię decimam in Emelendorpe cum aduocatia, & prædia in palustribus & fluuialib. locis, & Oldendorpe. Ordinauit scholaribus decimam in Nendorpe. Huius tempore capta est ciuitas Verdensis à comite de Welpa, & facta est eclipsis magna. Quo tempore Imperator duxit coniugem, sororem regis Angliæ: & medio Augusto, curiam Moguntiæ celebrauit. Ibi filium suum Henricum, cui ex quibusdam causis nimium infestus erat, regno priuauit, & eum in Calabriam detinendum misit. In ipsa curia dominus Otto, Brunswici & Luneborg dominus, se in gratiam Imperatoris contulit, & omnem hæreditatem suam Imperio resignauit. Imperator Brunswicense dominium in ducatum prouexit, & ducem de eo creauit eundem Ottonem. Dux ergò de Brunswico, circa festum Martini Bremam obsedit: & factis exactionibus & incendijs, redijt. Arcem Otterberch furtim quidam noctu cepere, ac Ottoni duci tradiderũt. Eodem tempore in die Pentecostes, soror regis Bohemiæ, domina Agnes, hortatu Minorum fratrum, se tradidit ordini pauperum dominarum de regula B. Francisci in Praga, spreto propter Christum Imperatore Friderico, qui eam antè contoralem postulauit. Bremensis archiepiscopus & dux de Brunswico, super querimonia de Brema sunt reconciliati, & promissa est perpetua pax inter ecclesiam & ducem: Duci autem quędam ab ecclesia feuda porrecta sunt. Otterbech & Horburgk arces iterum subuertuntur, vt non remaneret de illis quæstio. B. Elizabeth in Marburg canonizata extollitur, præsente Imperatore & multis principib⁹, anno Christi MCCXXXVI. Tanta ibi erat hominum multitudo, quantam se nemo vnquam meminerat vnà conspexisse. Oblatio auri & argenti sine fine, pro miraculis quæ crescebant circa dominam illam.

Eclipsis.

Agnes vitam monasticã nuptiis imperialibus præfert.

B. EliZabet in Marburg canoniZata.

1236.

CAP. 49. RACEBURGENSI ecclesiæ post Godscalcum Petrus præficitur: sed neque Godscalco, neq; Petro diuturnus erat pontificatus. nã ambo vix annos quatuor impleuere.

pleuere. Per quæ tempora cùm arcem Vordenſtein iterum principes Brunſwicenſes occupaſſent, præfuit eorum nomine vir militaris de Ottinghuſen. Præualuit in eo oppido ſuperſtitio magna. Nam vir paſtorius Otbertus, iniecit religionem magnam hominibus, quòd multorum oculis vanam ſanctitatis imaginem prę ſe ferebat, ita vt putaretur ſancta reddere quæcunq; tangere dignaretur. Augetur longè, lateq; fama diffunditur: Eſſe hominem in terra, ſanctitate venerabilem. Ingens ſtultorum hominum concurſus creſcit, crebreſcitq;: felicem ſe reputabat, quiſquis Otberti audire murmura, aut contingere manus ſineretur. Hanc ſuperſtitionem ruſtici hominis aluit & tutabatur arcis præfectus, quod oblationis nomine multa cōgererent, qui accurrerūt. Hac occaſione freti miniſteriales archiepiſcopi, cùm ſcirent rem ſuperſtitioſam deteſtandamq; geri, magno numero adunati, ſpeciem prę ſe ferebant peregrinorum, petendi ac viſendi hominis ſanctiſſimi gratia venientium: nihil veriti arcis cuſtodes, quod ingens hominum concurſus per ſingulos eſſet dies. Aditum fecere militibus archiepiſcopi, aliena ſpecie occultatis, negligentius habita cuſtodia. Ita arcem occupantes, eiiciunt ducales. Otbertum, hominem ridiculum, à ſuperſtitione depellunt, & ruſticis operibus ſe reddere cogunt: iuribusq; eccleſiæ arcem, quam hodie primam habet, reſtituūt. Inceſſit autem eo tempore archiepiſcopo grauis diſcordia aduerſus Bremam ciuitatem ſuam. Arcem ille erexit, quam Albam vocauit, ſuper Weſeram (Viſurgum dixere veteres) vectigal exigens ab vniuerſis aſcendentibus ac deſcendentibus per fluuium: æquum arbitratus, non eſſe ciues ſuos melioris cōditionis, quàm Rhenum tranſeuntes, qui grauia & multa ſoluunt principibus vectigalia. Sed ciues refragantur. Capiūtur ergò à terra tranſeūtes. Minùs hoc formidabatur: nec magnoperè mouit vrbicos, quòd à mari maior illis eſſet quæſtus, & crebrior tranſitio. Ita inuiū quoq; flumen archiepiſcopus facere diſponebat. Palos magni roboris defixit in profundum, catenamque in illis firmauit, ne vllus eſſet nauigio tranſitus. Bremenſes expedita magna naui, quam ferro in proram durauerant, vſi valido vento, plenis velis adnauigant. diſſilit catena: quam ciues correptam, duxere in ciuitatem. Palos eodem modo nauibus applicatis, facili conatu extraxere de profundis. Viderat pontifex à vicina arce, quæ gerebantur, omnia. Aderat miles de terra Lippiæ, conſolatur pontificem: medium ſe interponit componēdæ rei, magis vt marinam, vt ille appellauit, arcem (nauim magnam dicebat) videret, quàm vt tranquillitati conſuleret. Publica fide interpoſita, ſuſcipitur in nauim conſpicuæ magnitudinis. Miratur homo mediterraneus, qui marinos labores non vidiſſet. vbi ſummo exceptus honore, vidit omnē in naui velut domi ſupellectilem, non thalamos, non puluinos, non cameras, non feneſtras deeſſe, cœpit ex animo de pace agere. Conuenit inter partes, vt, alio in loco opportuniore exædificata arce, hanc faceret in poteſtatem ciuitatis. Extruitur archiepiſcopo impēſis ciuitatis arx in loco Languedel, demoliuntur hanc Albam arcem, immunitas permittitur ciuibus.

Homines ad ſuperſtitionē procliues.

Stratagema.

PADERBVRNENSEM eccleſiam poſtquàm duo proximi deſeruere pontifices, aſſumpti ad maiores (nam Oliuerius ad cardinalatum peruenit: nōdum erat, quæ nunc valet, conſuetudo, vt eccleſias multas cumularent cardinales: Wilbrandus ad Traiectenſem aſſumitur epiſcopatum, ambo intra annos quatuor tranſlati) ſucceſſit in eccleſia Paderburnēſi Bernardus, eius nominis quartus, peruenitq; ad annos octodecim ſuæ adminiſtrationis. Sub hoc pōtifice in eccleſia Paderburnenſi adhuc obſeruantia regularis inter canonicos viguit: & ſub eo commutatio facta videtur de regulari obſeruantia ad ſtatum canonicorum ſecularium. Sed quærimus, quid ſit canonicus ſecularis. Nam interpretato nomine, ſi canon eſt regula, canonicus eſt regularis: ergo ſecularis canonic⁹, eſt regularis ſecularis: & expreſſius, regularis ſine regula, aut regularum irregulatio. Idem arbitror factitatum per cæteras eccleſias: ſed Præmonſtratenſes, præterquam in Magdeburg, ſuam regulam tenuerunt, in Hauelberge, Brandenburg, Raceburg, & pleriſq; aliis. Cumq; Fridericus Imperator excommunicationis ſententiam in eum latam leuipenderet, Gregorius papa concilium in vrbem congregauit. Legatos quos miſit in prouincias, reuocauit. Conuenerant Genuæ multi cardinales & prælati, ituri per mare Ro-

CAP. 50.

Canonicus ſecularis.

mam. nam Fridericus obſeruabat itinera. Genuenſes armauere claſſem ſuam, vt incolumes Romam perducerent. Piſani & Siculi Imperatori auſcultantes, mare obſeruabant. Adnauigant Genuenſes armati, vt armatos euadant. Concurritur, præliatur, vincuntur Genuenſes, tres biremes mergũtur cum hominibus: tres cardinales capiuntur, multi prælati, quatuor millia ciuium Genuenſium. Cardinales cum prælatis aſſeruantur in cuſtodia, ciues diſpertiuntur, vt ære ſe redimant. Imperator expugnauit Fauentiam, mox Bononiam obſeſſurus. Obſedit: ſed vbi audiuit tantam ſuorum victoriam, intermiſit. Rex Frãciæ vbi audiuit captos prælatos, ſcribit Imperatori. Ipſe reſpondit, ſic cõcludens: Cùm animalia omnia leonis veſtigia pertimeſcant, non miretur regia celſitudo, quòd prælatos Franciæ in anguſtiis tenet Auguſtus, qui ad Cæſareas anguſtias conabantur. His etiam temporibus orientalis eccleſia à ſede Apoſtolica ſe ſubtraxit. Dicitur, quòd illa eccleſia & merito, & numero præcelluerit eccleſiam occidentalem. Imperator collectis viribus, profectus eſt in Lombardiam, & papa Romam rediit, & pacem inter Romanos tumultuantes fecit. Suſpectus erat pontifici Imperator, eò quòd erga Sarracenos, quibus tam in pace quàm in bello ſe credidit, affectu nimio ducebatur. cum Soldano etiam multam amicitiam habuit: ſed hæc omnia ſecretò, Sarracenos in Italia fouet in Nuceria.

Genuenſium clades.

CAP. 51. MINDENSI tum eccleſiæ præfuit dominus Wilhelmus, vir vndecunq; natus, ordine pontificum trigeſimus. Vidit dura tempora laborãtis eccleſiæ ſub atrociſſimo hoſte Friderico ſecundo, qui vires ſuas, quas de Italia & Germania maximas habuit, in afflictionem eccleſiæ conſumpſit. Erant tempora, quando terra ſancta iam denuò à Sarracenis occupata, erat recuperãda. In eam expeditionem multum hortabantur Romani pontifices, virum pacis & quietis impatientem, duplici lucro: vt & terræ ſanctæ per vires eius, quas de Imperio & regnis ſuis habuit maximas, conſuleretur: & ipſi interim fruerentur ocio & trãquillitate, moleſtia eius carentes. Sed ludificabat iſte pontifices, & vanis promiſſionibus differebat: nec tum impleuit quod pollicitus eſt. Maluit vir malignus eccleſiam lacerare, quàm amplificare: maluit rodere viſcera eius, quàm fidem Chriſti propagare. Malignitatem eius vel vna in re euidenter eſt videre. Fratrem regis Tunitii Sarracenum, baptizari, & ſacris Chriſtianis initiari properantem, auertit. Satis erat felix iſte pontifex, ſi motum horum temporum non ſenſit. Sedit autem in põtificatu annis ſex, & in die

Prudens conſilium, ſed ſine effectu.

1242. Pancratii moriens emigrauit, anno MCCXLII.

CAP. 52. SVERINENSIS eccleſia poſt Brunwardum põtificem, habuit Fridericum, antiqui Guncelini comitis filium. Solis duobus annis permanſit in põtificatu, cùm duo prædeceſſores eius penè centum annos continuarunt: ſed non eſt in homine via eius. Eo tempore rex Daniæ Waldemarus, nuper bello ſuperatus in Holſatia, vt Lubecẽſes in ſuam ditionem reuocaret, ſuper fluuium Trauenam, ad exitum ſiue oſtium eius, firmat duo præſidia: ſed facilè à ciuibus expugnata ceſſerunt, vt liber illis in mare & à mari maneret aditus. Imperator per Italiam contra hoſtes ſuos per totum tempus rebus bellicis inſudauit: comes Holſatiæ Adolphus, cum vxore ſua Liuoniam adiit, pugnaturus in hoſtes fidei Eſtones. Hoc etiam tempore ſacerdos in Brema Marquardus nomine, domum epiſcopi noctu ingreſſus, res ibi repertas ſurripuit: & exiens, concremauit. Capitur, & poſt degradationem ſuſpendio necatur. Tum quoq; papa Imperatorẽ, q incorrigibilis videbatur, in cœna Domini extinctis ſuper eum candelis anathematizauit, ita dicens: Excõmunicamus & anathematizamus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & beatorum apoſtolorũ Petri & Pauli, & noſtra, Fridericum dictum Imperatorem, pro eo quòd contra Romanam eccleſiam ſeditionem mouit in vrbe, per quod intendit pontificem & fratres à ſua ſede repellere: & cõtra priuilegia dignitatis & honoris Apoſtolicæ ſedis, & libertatem eccleſiaſticam, contra iuramentum, quo ſuper hoc tenetur eccleſiæ, temerè veniendo: Item pro eo, q venerabilem fratrem noſtrum Præneſtinum epiſcopum, Apoſtolicæ ſedis legatũ, ne in ſua legatione procederet, quã in Albienſiũ partib. pro corroboratione Catholicæ fidei commiſim⁹, per quoſdam fideles ſuos impediri mandauit: Item pro eo, quòd non permittit quaſdã cathedrales eccleſias,

Sacrificuli furtum laqueo punitur.

Excõmunicationis formula

&

& alias vacantes in regno reparari. Et hac occaſione periclitatur libertas eccleſiæ, perit fides: quia non eſt qui proponat verbum Dei, nec qui regat animas, deficiente paſtore. Item, quod in regno clerici capiuntur, incarcerantur, proſcribuntur, & occiduntur. Item, quòd in regno eccleſiæ Domino conſecratæ, deſtruuntur & prophanantur. Item, quòd non permittit ſeranas eccleſias reparari. Item pro eo, quòd nepotem regis de Tuniſi, venientem ad Romanam eccleſiam pro ſuſcipiendo baptiſmate, detinet, nec venire permittit. Item pro eo, quòd Petrum Sarracenum, ciuem Romanum, ex parte regis Angliæ ad ſedem Apoſtolicam venientem cepit, & detinet carceri mancipatum. Item pro eo, quòd terras eccleſiæ occupauit, contra iuramentũ, quo ſuper hoc tenetur eccleſiæ, temerè veniendo. Item pro eo, quòd terras quorundam nobilium de regno, quas eccleſia tenebat, ad manus ſuas occupauit, & deuaſtauit. Item pro eo, quòd quaſdam eccleſias cathedrales ferè bonis omnibus ſpoliauit. Item pro eo, quòd multæ eccleſiæ cathedrales, & aliæ, ac monaſteria de regno, pro iniqua inquiſitione fuere penè bonis omnibus ſpoliata. Item pro eo, quòd Templarij in regno & Hoſpitalarij, mobilibus & immobilibus ſpoliati, non ſunt iuxta tenorem pacis integrè reſtituti. Item pro eo, quòd exactiones contra pacis formã ab eccleſiis & monaſteriis per ipſum extorquentur in regno. Item pro eo, quòd in regno prælati eccleſiarum & abbates Ciſtertienſis & aliorum ordinum: compelluntur dare certam ſummam pecuniæ per ſingulos menſes, pro conſtructione nouorum caſtrorum. Item pro eo, quòd contra tenorem pacis, hi qui adhæſerunt eccleſiæ, bonis omnibus ſpoliati, exulare coguntur, tanquam proſcripti, vxoribus & liberis captiuatis. Item pro eo, quòd ipſe impediuit negocium terræ ſanctæ, & recuperationem Imperij Romani. Omnes autem, qui iuramento fidelitatis eidem tenentur adſtricti, ab eiuſmodi iuramenti obſeruatione decreuimus abſolutos, ne ſibi fidelitatem obſeruent, diſtrictius inhibentes, quandiu fuerit vinculo excommunicationis adſtrictus. Super oppreſſionibus verò & grauaminibus aliis nobilium, pauperum, orphanorum, viduarum, & aliorum de regno, pro quibus quidem idem Fridericus iurauit ſtare mandatis eccleſiæ, ipſum intendere, amouere: & in ipſo negocio, dante Domino, procedemus, ſicut fuerit procedendum. Porrò pro omnibus & ſingulis ſupradictis, ſuper quibus dictus Fridericus à nobis fideliter fuerit admonitus, & frequenter, nec pacem curauit: eundem Fridericum excommunicationis & anathematis vinculo innodamus. Proindè quia idem Fridericus de tam multis ſuis factis, multis etiam fide dignis clamantibus per vniuerſum quaſi orbem, quòd de Catholica fide rectè non ſentiat, eſt grauiter infamatus: nos, dante Domino, ſuo loco & tempore procedemus, ſecundum quod requiſierit ordo iuris.

MAGDEBVRGENSI eccleſiæ poſt Burchardum, prouenit ad archiepiſcopatum vir inſignis, Wilbrandus, militari genere natus: præfuit annis octodecim per tempora, quibus Fridericus Imperator ſub anathemate laborauit: quo eum papa propter incorrigibilem proteruiam percuſſit ex multis cauſis, quas ſuprà memorauimus. Imperator vbi intellexit, ſe publicè Romæ anathematizatum, indoluit, & cardinalibus reſcripſit in hunc modum: Cap. 53.

FRIDERICVS Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ rex, vniuerſis ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, dilectis amicis ſuis, ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum. Quum ſit Chriſtus caput eccleſiæ, & in Petri vocabulo ſuam fundauerit eccleſiam ſupra petram, vos Apoſtolorum ſtatuit ſucceſſores, vt, Petro pro omnibus miniſtrante, vos, qui eſtis candelabra eccleſiæ, ſupra montem, non ſub modio conſtituta, reuerà omnibus qui ſunt in domo, ex effectu bonorum operũ luceatis. Non à publica mundi lingua & conſcientia generali vos ſubtrahere intenditis, cùm ad ſingula, quæ præſidens ſedi Petri proponit ſtatuere, vel denuncianda decreuit, æqua participatio vos admittat: niſi præuiſus religionis eccleſiaſticæ ſtatus & zelus effluens, euitandi ſcandali generalis vobis cautelã ſuggeſſerit ad futura. Quis enim non miretur & ſtupeat, quòd tot venerabilium patrum congregatione munita eccleſia generalis, ſedens in ſolio, & vtinam iuſtus iudex, velit inconſultè procedere, ac ſuis motibus excan- *Friderici Imp. ad Cardinales literæ.*

deſcens in Romanum intendit principem, aduocatum eccleſię, ad prędicationem euangelij ſtabilitum, ob fauorem Lombardorum rebellium exercere ſpiritalem gladium: ſi dicere liceat, minus iuſtè: quum aliâs, quicquid ex obiectis eccleſiarū grauaminibus, quæ dicuntur obiecta, quantum vt ſpecies à genere per indiuidua deriuentur, vel emendationem receperunt, vel ex deliberata noſtri prouiſione cō ſilij ſit in proximo, prout iuſſio iam proceſſit, debita & integra emendatio ſecutura. Nam ecce & patentes literas prælatorum damna paſſorum, quos Apoſtolicum mandatum præſtitit monitores, euidens teſtimoniū declaratur: & præcedens noſtra conſtitutio ſuper vocatione prælatorum damna paſſorum, & de pręſtanda integra ſatisfactione prælatis: cùm per literas, venerabili archiepiſcopo Meſſano, vocato ad hoc aſſeſſori noſtro tranſmiſſas, euidens exhibet teſtimonium veritati. Propter quod non indignè dolemus, ſi pater Apoſtolicus nos offendere tam grauiter intendat, vt in conſtantem virum tam vehemens cadat iniuria: & ſi patienter ferre velimus, immanitas negocij non permittit, quin ad vltiones, quibus Cæſares vti ſolent, facti violentia nos impellit. Veruntamen dum conſideramus impatientiam procedentis, & difficultatem attendimus aſſeſſoris, ſi ex æquo liceret priuatas exercere vindictas, quas in hominem, per quem ſcandalum venit, & in ſui participes ſanguinis compenſare poſſemus, vt in ipſum & in ſuos attenta noſtræ ſedis iniuria redundaret, tolerabilius duceremus. Sed quum nec ipſe, nec tota ſua propter hoc paſſura progenies tanti forent, vt culmen Imperij zelaret vltionem ipſorum: quumque ſedis authoritas audaciæ ſibi frena relaxet, & tot venerabilium fratrum moles eum in concepta fouere pertinacia videatur: angit nos altiori mente turbatio, quòd dum nos intendamus à perſequente defendere, oporteat nos grauiùs offendere reſiſtentes, ſalua in omnibus eccleſiæ ſanctitate, quam cultu ſacro & debita reuerentia corde corporeque veneramur. Quapropter venerabilem cœtum veſtrum affectuoſius deprecamur, quatenus motus ſummi pontificis, quos ex cauſis euidentibus non tam iuſtos quàm voluntarios mundus agnoſcit, deliberata modeſtia compeſcatis, generali ſtatui, & præſertim quieti mentium, à ſcandalis prouidentes. Nam cum ad ſalutem & honorem omnium veſtrûm fauorabiliter alligemur, ab iniuriarum offenſa non poterimus æquanimiter abſtinere. Quin etſi obſtare principiis non poſſemus licitè, liceat iniurias, quas reuocare nō poſſimus, iniuriis propulſare. Datum Paduæ.

Non minùs tamen Papa ſolicitauit archiepiſcopos & epiſcopos, vt Imperatorem denunciarent excommunicatum: ſed epiſcopi Teutoniæ, ne hoc fieret, ſupplicabant. Interim ille Lombardos fortiter impugnauit: & procedens vltrà, plurimas ciuitates eccleſiæ occupauit, vſque ad Viterbium.

ALBERTI KRANTZII

METROPOLIS, LIB. VIII.

Cap. I.



Qvvm haberet infeſtam Fridericus Imperator Romanam eccleſiam, Saxoniæ eccleſiæ ſatis elongatæ ab Imperatore, neque conſilij neque bellorum vllum habebant participium: quod ſub Henricis duobus, quarto & quinto eius nominis, Imperatoritoribus, & ſub Ottone quarto, qui in Saxonia plurimùm verſabantur, euitare non poterant. Illi quidem Imperij iura, poſitis antipapis, repoſcebant: recordantes illorum temporum, quo etiam de ſummis pontificibus Imperatores noſtri ordinauerunt ſub Carolo Magno, Ludouico atque Lothario, & ſub Ottone primo, maximè verò ſub Henrico tertio. Quartus verò Otto, potentis fœminæ Mathildis contribulis ſuæ patrimonium vendicabat, quod iam Romanæ eccleſiæ qualicunque donatione prouenit. Primus autem Fridericus & ſecundus, penè pares habuere cauſas, cùm Lombardos, ad ius Imperij à temporibus Magni Caroli pertinentes, reuocarent: qui etiam

sub Ottone primo ad eam sunt ditionem, victis Berengariis, reuocati. Deinde sub Henricis tribus, à secundo ad quartum, satis paruere. Sed quum eos summi pontifices tutari cœperunt, Alexander præsertim tertius, cum quo luctamen erat primo Friderico, erexêre in Imperatores cornua, & rebellarunt: inde illa crebra Mediolani obsidio, captio, deletio, cæterarumq; illi adhærentium, se in libertatem vendicantium, labor assiduus in Imperatores, vsq; ad hunc secundum Fridericũ. Sub quo nata est per eam occasionem, tartarea illa diuisio Guelforum & Gibellinorũ: quam pessimus dæmon seminauit, & cordibus Italorum ita implantauit, vt radices ageret, duraret ac cresceret in diem vsq; hodiernum, vt sint partes ecclesiæ & Imperij per omnes penè ciuitates Italiæ. Quanuis totæ vrbes ita, pulsis aduersę factionis partibus, sint Guelfi, vt Florentini: aliæ, pulsis aduersariis, sint totæ Gibellini, vt Pisani & Senenses: permanetq; semen infernæ maledictionis in Italia vsque hodie. quanuis nonnulli iam pertæsi veteris nominis, vocabulũ aboleuere, rem retinuere, pro Guelfis & Gibellinis, Albi nunc & Nigri vocitati. Quæ inferna odiorum semina, nescio quando abolebuntur. Inque illis gyrationibus & tumultuationibus Italiæ, totus effunditur Blondus, quasi in reliquo terrarum orbe nihil agatur. Summam ducunt prudentiam in illis luctaminibus, per ingenia, per summas fraudes diuersari. Sed miscuit nostris temporibus pontifex in eam gyrationem, qui eam disturbet, & extra gyrum aliquando per nouos eiiciat labores. Ea autem non est huius temporis narratio: ad ordinem nostrum reuertamur.

Pontifices in Impp. erigunt cornua.

Guelforum & Gibellinorum factio.

Cap. 2.

HILDESEMENSIS ecclesiæ per eadem tempora accepit pontificem venerabilem, Henricũ, ordine vigesimũ nonum, præfuitq; annis viginti. Quo tempore Adolphus comes de Holsatia ac Schowenborg, se tradidit fratribus Minoribus in Hamborg, die sancti Hippolyti, relinquens post se filios Ioannem, Gerardũ & Ludерum: quibus tutorem dedit generum suum Abel, ducem Slesuicensem. Cuius frater Ericus rex Daniæ, duxit vxorem, filiam Alberti ducis Saxoniæ. Eodẽ anno, ac die Dionysij, Hermannus filius sanctæ Elisabeth duxit Helenam, filiam Ottonis ducis de Brunswico. Interim verò Papa archiepiscopos & episcopos ad denũciationem Imperatoris solicitauit: sed non profecit, nisi in Francia & Dania. Archiepiscopi verò & episcopi Germanię rescripserunt pontifici, supplicãtes eidem, vt pro graui scandalo ecclesiæ vitando, de pace inter se & Imperium cogitaret. Papa tamen Imperatori omnes, quos potuit, aduersarios excitauit: crucem prædicari faciens super omnes, qui ecclesiam infestabant. Quo tempore Albertus Stadensis abbas (quem sequimur authorem in antiquitatibus huius regionis: scripsit enim temporum annales) cùm diu institisset reformationi sui monasterij, & pro ea re curiam adiisset Romanam, impetratis literis ad archiepiscopum Bremensem & decanum: posteà tribus annis laborasset, nec profecisset, dimisso conuentu suo, tradidit se nouellæ plantationi ordinis Minorum in eodem oppido. Papa tum scripsit Electoribus de nouo Imperatore deligendo. Illi rescripserunt, non esse sui iuris aut arbitrij, Imperatori nolenti substituere, sed vacanti sedi Imperatorem constituere. Tum verò iustissimo Dei iudicio, quum inter se principes Christianismi digladiarentur, Tartari, gens Scythica, primùm auditi sunt se per Russiam Poloniamque, ac vicinas prouincias diffundere: exemplum sequentes præcedentium Vngarorũ, Hunorum, Alanorum, & quidquid gentium illa vasta Scythiæ solitudo per Europam diffuderat. Nam Gothi, Gepidæ, Wandali: Europæi, non Asiani, fuere: quod suis locis ostendimus.

Adolphus comes Holsatiæ monachis se tradit.

Papæ aduersus Imp. Fridericum II. odium.

Tartari.

Cap. 3.

SVERINENSIS ecclesia tum quoque mortuo Friderico, nouum accepit pontificem, Theodoricum, pridem eius ecclesiæ præpositum. Misit ille in vrbem magistrum Eglerum Hamburgensem, & Sibodonem Suerinensem, canonicos: nescio quid impetratũ, quando ab archiepiscopis illa tempestate pendebat & con firmatio & consecratio. Illi qui missi fuere, cum huiuscemodi literis redierunt. Libet enim inserere, vt illius temporis stylum agnoscamus:

GREGORIVS episcopus, seruus seruorũ Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Bremensi, & episcopo Verdensi, salutem & Apostolicã benedictionem. Ex parte dilectorũ filiorum decani & capituli Suerinensis, fuit præpositum coram

Grego. Pontif. ad archiepisc. Bremẽs. et episc. Verdens. litera

nobis,quòd eadem eccleſia paſtoris ſolatio deſtituta, ipſi conuenientes in vnum, de futuri ſubſtitutione pontificis tractaturi,quaſi diuinitus inſpirati omnes, voto vnanimi,& voluntate concordi,in dilectum filium præpoſitum eiuſdem eccleſiæ, virum (vt aſſerunt) ſcientia præditum, diſciplinis eccleſiaſticis eruditum, & morum honeſtate præclarum,per cuius induſtriam dicta eccleſia in medio prauæ ac peruerſæ nationis poſita,poſſe creditur à ſuis tribulationibus & anguſtiis reſpirare,ſua deſideria direxerunt,votis populi ac cleri concurrentibus in eundem : ſed intellecto,quòd defectum in natalibus pateretur,vtpotè de quodam milite ſoluto genitus & ſoluta,ad electionem non proceſſerunt ipſius,ſed ad nos potius habuere recurſum. Nobis tam per literas,quàm per dilectos filios magiſtrum Elgerum Hamburgenſem,ac Sibodonem Suerinenſem canonicos,nuncios ſuos,viros prouidos & diſcretos,qui apud nos ſuper aſſumpti promotione negocij fideliter inſtiterunt,humiliter ſupplicantes, vt vtilitate ac neceſſitate eccleſiæ ſupradictæ penſatis,ſupplentes defectum eiuſmodi,ipſum eis in patrem & paſtorem animarum eorum concedere curaremus:veſtris,& plurium aliorum tam prælatorum & capitulorum,quàm nobilium pro ipſo ſupplicantium nobis literis præſentatis,qui eum ſuper præmiſſis reddunt multipliciter commendatum. De veſtra ergò circunſpectione plenam in Domino fiduciam obtinentes,fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de modo poſtulationis, ſtudiis poſtulantium & poſtulati meritis,veritate ſolicitè inquiſita,ſi poſtulationem ipſam aliâs inueneritis de idonea perſona canonicè celebratam,cum eo ſuper huiuſmodi defectu authoritate Apoſtolica diſpenſantes,præficiatis eum eidem eccleſiæ in epiſcopum & paſtorem,ac faciatis ei à ſubditis Suerinenſis eccleſiæ obedientiam & reuerentiam debitam exhiberi. Contradictores,ſi qui fuerint,vel rebelles, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo : alioqui prouideri præfatæ eccleſiæ per canonicam electionem faciatis. Datum Laterani XVI. Cal. Iunij,anno pontificatus noſtri XIIII.

Archiepiſcopus Bremenſis & Verdenſis epiſcopus,receptis literis,in domo fratrum Minorum in Stadio,euocato ad hoc Lubicenſi epiſcopo Ioanne,conueniũt: ibiq; idem præpoſitus vna & eadem die,ſcilicet quarto Calendas Auguſti, legitimatur,examinatur,confirmatur,& in epiſcopum conſecratur. Quam idcircò cantilenam libenter ex annalibus in hanc paginam tranſcripſi, vt illorum temporum ſtylus & obſeruantia videatur.

CAP. 4. VERDENSI tum eccleſiæ præfuit vir inſignis, Gerardus ordine trigeſimus tertius,filius comitis de Hoia : ſeditque annis ſedecim. Amator fuit cleri: vtilitatibus eccleſiæ vigilanter inſiſtens,multa temporibus ſuis fecit,& ordinauit, quæ in priuilegiis ſuper hoc editis lucidè declarantur. Monaſterium interim diuæ Mariæ iuxta Stadium iam tunc in eum deuenerat modum, vt religionis obſeruantiã haberet in poſtremis. Abbas cùm multa faciens nihil proficeret,Minorum induit habitum. Scripſit idem,quo inſtinctu hoc egerit. Legerat in regula diui Benedicti, quam profeſſus erat,animaduertitque eum articulum quo dicitur : *Qui eam ſeruare tenetur,& non ſeruauerit,ſciat ſe à Deo damnari,quem irridet.* Romanam idcircò ſedem adiit,anno Gregorij Papæ II. ſupplicãs,vt locum ſuum in Ciſtertienſem ordinem commutaret : vt ſic fratres ibidem commorantes,ſub obſeruantia ſanctæ regulæ, poſſent diem extremum & aduentum diſtricti iudicis, ſine grauiſſimo animarum ſuarum periculo expectare. Papa petitionem ipſius exaudiens, talem ei dedit epiſtolam :

Gregorij Papæ ad archiepiſcopum Bremenſem epiſtola.

GREGORIVS epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Bremenſi archiepiſcopo,& dilectis filiis,decano,& Ioanni de Beuerſack,canonicis,Apoſtolicam benedictionem. Deſideria deuotorum,in quibus fructus æternæ vitæ contineri dinoſcitur,eo promptioribus à nobis ſunt ad effectum deducenda ſtudiis, quo ſuper talibus excipiendis nobis ineſſe debet diligentia ſpecialis. Hinc eſt, quòd quum monaſterium ſanctæ Mariæ in Stadio ordinis ſancti Benedicti, Bremenſis diœceſis,ſicut accepimus,ſit peccatis exigentibus ita diſpoſitũ, quòd euidenter ibidem,non abſque offenſa diuini nominis,ſalus negligitur animarum : ad

preces

preces abbatis eiuſdem monaſterij,ſuper hoc ſalubriter prouidere volentis,diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus,quatenùs ipſum,ſi ſalubriter in ſuo non poſſit ordine reformari, de Ciſtertienſi ordine, Deum habendo præ oculis, reformare curetis:illos ex eiuſdem monachis,qui fortè meliorationis huiuſmodi conſequi gratiam recuſantes,noluerint habitum Ciſtertienſem aſſumere, in aliis locis ſui ordinis collocando:contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita,compeſcatis. Quòd ſi non omnes his exequendis intereſſe poteritis,Tu frater archiepiſcope, cum altero eorũ nihilominùs exequaris. Datum Viterbij,ſecunda Nonas Maij,pontificatus noſtri anno XI.

HVIC negocio archiepiſcopus prima fronte aderat, & abbas ad curiã de ipſius conſenſu & voluntate peruenit.Cui etiã,ad eiuſdem rei executionem,fidum conſilium,& firmum auxilium repromiſit.Die igitur Mariæ Magdalenæ, abbatem & totum conuentum in capellam ſuam Stadij conuocauit, cum collega in hac parte ſuo,Geruando decano,eiſq; decretalem epiſtolã declarauit: hoc hortatus, quòd ſe ſtuderent in ſuo ordine reformare: alioqui vellet circa ipſos mandatũ Apoſtolicum adimplere.Duo de Minoribus fratribus, & Ioannes monachus de Raſtede, qui etiam ſe poſteà ad Minores fratres coniunxit,huic intererant actioni. Abbas executionis finem ab illa die in triennium longanimiter expectauit: & ſæpiùs monens archiepiſcopũ,ſæpiſſimè decanum,videns quia nihil proficeret, ſed in deterius res prolaberetur,& periculum immineret animarum, ab admonitione deſtitit:& propoſitum ſuum fieri poſſe deſperauit.Ille ſe ad fratres Minores cõtulit: ibi vitam finiens,fratribus reliquit,vt Deo reſpondeant.

MIMIGARDEVORDENSEM eccleſiam, quæ eſt eadem Monaſterienſis, tum regebat pontifex,poſt Ottonem,Theodoricus, ordine vigeſimus ſeptimus, natus ſanguine comitum de Iſenborg. Huius hoc eſt præclarum memoriale, quòd ædificandæ eccleſiæ nouæ ſancti Pauli, primum poſuit lapidem cum ingenti pecuniæ ſumma, ipſo die Mariæ Magdalenæ, quem deinde ſolennem inſtituit. Deditque fratribus nouem eccleſias,deinceps ab ipſo conferendas, ſed quæ cenſum ſoluerent matrici & capitulo:& alia pleraque fecit memoratu digna,quæ tamen in faſtos nõ ſunt relata,ac ne anni quidẽ regiminis eius annotati.Gregorius Papa per hæc tempora inſolentias Friderici Imperatoris metuens contra eccleſiã, principes Electores ſuper alterius pro illo aſſumptione ſolicitauit: ſed nihil profecit,quia quidam ei principes reſcripſerunt,non eſſe ſui iuris, Imperatorem ſubſtituere,ſed tantùm electum à principibus coronare. Hoc fuit reſponſum Colonienſis ac Moguntini. Electio enim ad quoſdam ex deſignatione tertij Ottonis,ad certos principes Germanię pertinet:inter quos Treuirenſis,Moguntinus,Colonienſis archiepiſcopi. Treuirenſis enim, licet omnem ſuã ditionem in Galliis teneat, Elector tamen conſtituitur: quia illa tempeſtate omnis illa Germaniæ prouincia annumerabatur. Teſtatur hodie lingua, qua vtuntur, promiſcua. Ferunt Treuerim,pro ſua antiquitate venerabilem, quòd Nini Babyloniorum regis filius eam extruxerit temporibus Abrahæ, fugiens Semiramidis nouercæ incontinentiam. Cæterùm hoc indubitatum eſt,à tẽporibus Petri apoſtoli ſemper eam fuiſſe Chriſtianam. Palatinus comes inter alios eligit, quia dapifer eſt: Dux Saxoniæ, quia marſcallus:& Marggrauius,quia camerarius,regem Bohemiæ annumerãt in differentia cæterorum ſex:tum ab initio annumeratus erat Teutonicis, quia in ſolo Germanico ſedet,circunfuſus Germanis: ſed nunc quia nationem ſpecialem fouet,& regnum eius in ſchiſmate eſt,ad electionem non vocatur. Ottonis quidem tertij tempore paruit Imperio:& quoniam quartus Carolus, qui eam rem ponebat in ordinem,dans auream deſuper bullam ſuper ordine,officiis, miniſterio ſingulorum, rex erat Bohemiæ, non præteriuit Bohemiæ regem in hac deſignatione, licet filius eius Wenceſlaus eum ordinem primus ruperit per ignauiam ſuam, etiam Romanorum regno deſtitutus, vt ſuccederet Robertus Bauarus: & deinde frater eius Sigiſmundus, qui adeò reperit rem Bohemicam turbatam ſchiſmate, vt reparari non poſſet,inde eſt illa in electione omiſſio regis Bohemiæ: nec ille,credo,magni facit.

CAP. 5.

Papa laborat de alio Imperatore Friderico ſubſtituendo.

De Electoribus Imperij.

Treuerenſis ciuitatis antiquitas.

Bulla aurea Caroli IIII.

CAP. 6. MINDENSEM ecclesiam post Wilhelmum regendam accepit vir præstans, Ioannes, ordine pontificum trigesimus primus, vndecunque natus: nam hoc annales non memorant. Huius temporibus nouissimis fundatum est monasterium Clotaw, ordinis Cistertiensis. Religiosi honestius illi nomen indiderunt, vt appellarent Vallem benedictionis. Fundator erat Henricus de Oldenborg comes, qui pleraq; tenuit hæreditaria in hac regione, ex successione legitima comitis de Lucca. Sed pro pietate & munificentia sua sortitus est nomen, vt passim diceretur ab omnibus, largus & pius donator. Senserunt hæredes hanc eius largitatem, sanctis egentes parentibus. Vocatæ sunt autem pro huius cœnobij institutione moniales de Leiden. Post paucos annos translatum est in locum Reme: nam in priore indigebant aqua, quæ in primis necessaria est monialibus, multùm ea vtentibus. Hic verò secundus locus superabundabat vsqueadeò, vt brumali & autumnali tempore omnia replerentur aquis: quod & ipsum magno fuit incommodo puellis. Tertiò translatum est monasterium in locum quem vsque hodiè tenet, sub veteri vocabulo Vallis benedictionis, in loco Valdorpe: cuius ecclesiam Ludouicus episcopus monasterio deputauit, & Gerhardus comes de Schowenborg, cum filiis suis Gerhardo, Henrico, Adolpho & Ottone, iuribus in ea villa in fauorem sanctæ religionis renunciauit. Habitauit hic Gerhardus in Holsatia, & tamen iura tenebat comitatus de Schowenborg, vbi de filiis suis deputauit nonnullos, qui regioni & ditioni præessent. Necdùm enim diuisum erat inter comites vtriusque ditionis, quia nondum linea generis in longum processerat. Vbi verò nati sunt filiorum filij, cœpit cuique sua esse successio: & patruelium paulatim increuit obliuio, donec redirent ad successionem eius partis comites de Schowenborg, quam in Holsatia tenent ad Albim in præfecturis Pinnenberg, Barmstede & Hartesborg: nam tunc numeratis lineis, æquè ad successionem propinqui sunt inuenti, comites in Schowenborg & Holsatia ad hæreditatem nouissimi Adolphi in Wagria. Wedekindus quoque de Schowenborg memorato monasterio, pro sui ac suorũ memoria, contulit decimam in Vfelen, non longè à monasterio. Sedit autem memoratus pontifex in ecclesia Mindensi annis decem, & mortuus est anno MCCLII. cùm adhuc ferueret controuersia cum Friderico & ecclesia, quæ cum vita eius terminata est: & successerunt turbida tempora, quum diu nesciretur propter diuersitatem Electorum, quis Romano præesset Imperio. Compleuit autem iste pontifex in ecclesia annos decem, & appositus est patribus suis.

Aqua in primis necessaria monialibus.

1252.

CAP. 7. OSNABVRGENSEM ecclesiam post Brunonem trigesimum accepit Wedekindus, ex comitibus de Waldegge: præfuitque cum eximia laude per tempora sua. Erat rebus gerendis idoneus, in rebus familiaribus ciuiliter tritus: agrum ex myrica redegit plurimum ad culturam, auxitque fruges, & in frugibus prouentus ecclesiæ plurimùm. Vnde factum est, vt albus panis triticeus ad abundantiam proueniret canonicis. Prædia quoque adauxit vt potuit, perpetuò ecclesiæ seruitura: pro quibus temporale præstitit beneficium, quod cum vita tenentis finiretur. Cuius temporibus Fridericus Imperator secundus, Imperio deponitur: & Conradus ecclesiæ Coloniensis archiepiscopus, natus ex comitibus de Honsten, plurimum inde laborem accepit, quum de mandato summorũ pontificum tribus post inuicem electis, primam impendit coronam in Aquisgrano: primùm Henrico cognomento Raspen, Thuringo, qui sanguinem trahebat diuæ Elisabeth, pro quo etiam se per arma obiectabat Conrado Friderici filio, quem collata manu vicit, & fugauit. Quumq; Henricus non diu superesset, electus est Wilhelmus comes Hollandiæ: qui & ipse accepta benedictione regali de manu Coloniensis, aliquandiu res administrabat Imperij, consumptus bello, quod illi erat in gentem Phrisiorum. Tertius, comes Cornubiæ Richardus, frater Anglorum regis, rex declaratur, & consecratur Aquisgrani, non cum magna laude Germaniæ, quasi non videretur habere illa principem Imperio dignum. Ita sumpsere alienigenam: sed neque ille prosperatus est, omissis regni rebus, cùm videret se principibus Germaniæ non esse probatum. Wedekindus autem pontifex cùm decennio rem ecclesiæ suæ laudabiliter procurasset, migrauit ad meliora, vt confidimus, regna.

Wilhelmus comes Hollandiæ in regem vngitur.

Imperator alienigena.

RACEBVRGENSIS eccleſia per ea tempora pontificē habuit, inſignem virum Ludolphum, cuius tam ſunt eximiæ laudes, vt breui pagella compræhēdi non poſſint. Multum illi ac diuturnum luctamen erat pro eccleſiæ ſuæ libertate, ſtetit vt murus: qui licet tormentis & machinis quateretur, immobilis tamen permanſit. Ponenda ſunt ad fidem annalium verba: Ludolphus hic vir perfectus erat, & cunctis virtutibus adornatus: qui pro eccleſia ſua in longa perſecutione, martyriū fecit ſub duce Saxoniæ Alberto, pro eo quòd vineam Naboth, hoc eſt, eccleſiam ſuā noluit dare in hortum olerum: hoc eſt, transferri ad vſus prophanos: & quòd domum Dei, curiam videlicet ſuam epiſcopalem Richaw, noluit fieri ſpeluncam latronum, prout in paſſione eius plenius cōtinetur. In qua etiam legitur, quòd poſtquàm à nobili viro domino Magnopolenſi Ioanne, in nouam ſuā ciuitatem Wiſmariam eſt ſuſceptus, præbente ſibi requiem & pacem in eadem, quam in reliqua diœceſi à facie perſequentis non haberet, iam viribus totis deſtitutus, poſt varia tormentorum genera, diem expectans extremum, nocte pręcedente cœnam Domini duo ex fratribus ad eum venientes, poculum ſalutis ei dederunt: quo confortatus, viribus receptis, ipſo die cœnæ officium ſuum deuotiſſimè peregit: &, vt piè creditur, duo illi fratres qui poculum tradiderunt, anteceſſores ſui epiſcopi Euermodus & Godfridus fuere. nam vnde venerint, quò abierint, vidit nemo. Paſtor hic bonus animam ſuam pro ouibus poſuit, & pro ſuo grege mori dignatur. Huius temporibus tanta religioſitas, ſanctitas, & diſciplinæ ſeueritas in Raceſborg ſeruabatur, quòd monaſterium hoc tam à clero quàm à populo carcer ordinis vocaretur. Hic pontifex monaſterium in Rene, cultum Dei amplificando, ſui ordinis, induſtria ſua fundauit, & de menſa ſua epiſcopali dotauit. Inter alia autem miracula, quæ Dominus per eum poſt eius mortem operari dignatur, hoc memoratur: Erat vir militari genere Hartuicus de Ritzerow, qui pilum ſagittæ diu geſtabat in capite, cui ligno effracto ferrum includeretur, vnde doloribus cruciabatur aſſiduis. Adhibuit chirurgū, qui telum extraheret. Ille benè ſperare iuſſum, pollicitus eſt ab eo ferrum extrahere: conuentione facta de precio, locum aperuit vnde educeret. Et vbi magnis afflixit hominem cruciatibus, ferrum aliud quod attulerat in eam ſpeciem qua extractum videretur, clàm adduxit, & inſtituta opera monſtrauit, velut eductū. Credidit ille, & preciū perſoluit: nam continuatus dolor, noui vulneris molitione factus credebatur. Poſt adductam cicatricem dolor renouatur, & ingraueſcit. Ibi ſe deluſum ſenſit, & humana iam ope & conſolatione deſtitutus, ad præſidium ſanctorum confugit: orans, vt quoniam meritis ſancti pontificis Ludolphi multa mirabilia narrarentur impleta, dignaretur illum Dominus interuentione ſancti ſui, dolore & cruciatibus liberare. Non multò pòſt, ferrum vulneris loco propinquauit, adeoque eminuit, vt ipſe ſua manu educeret. Vir autem iſte gratias agens, ac benedicens Deum, qui tanto ipſum periculo & dolore per famulum ſuum liberaſſet, Deo ac beatę Virgini, ac ſancto viro Ludolpho, ſolennem oblationem intulit, ornamentum miſſale precioſum, caſulam & dalmaticam cum ſubtili de ſerico laſurio, cum omnibus attinentiis, albas cum ſtolis, manipulis, amictu: quæ ſingula auro, argento, margaritis precioſis decenter ornabantur, ad laudem & gloriā Dei & ſanctiſſimę matris eius, ac glorioſi viri Ludolphi martyris atq; pontificis. quibus in hodiernum diem vtitur eccleſia. Extant verſiculi tornati artifici manu, in laudem huius pontificis, quæ quoquo pacto legeris, ſiue per capita verſuum deorſum, ſiue per directum, ſonant idem:

Cap. 8. — De Ludolphi epiſcopi virtutibus annalium verba. — Miraculum. — Hoccine miraculum?

Gemmula paſtorum, lux fulgens, regula legis,
Paſtorum ſpeculum, iuuenum dux, ſenis icona,
Lux iuuenum clara, reparator, gloria plebis,
Fulgens dux, reparator cleri, pacis amator,
Regula ſenis, gloria pacis, formula dulcis,
Legis icona, plebis amator, dulcis adeſto.

Eoſdem reperies verſus, ſi ſingulorū dictiones primas iunxeris, fit verſus primus: inde ſi ſecundas ſingulorum iunxeris, fit verſus ſecundus: & ſi tertias, tertius, vſque in finem ita deinceps.

CAP. 9. HALBERSTADENSI tum eccleſiæ pręfuit Meinerus, ordine vigeſimus quartus in ea eccleſia, de genere miniſterialiū, qui cognominabâtur Kransfelder: pręfuitq; annis quatuordecim, cum plurima laude, ſepultus extra muros vrbis, ad ſanctum

Tartarorum eruptio. Burchardū. Huius temporibus increbuerunt horrendi de Tartaris rumores, qui pertranſeuntes innumerabili multitudine & manu valida, Ruſſiam & Poloniam & alia regna ſubuerterunt: nulli parcentes, ſed omnes quos attingere poterât, cuiuſcunq; eſſent profeſſionis, ſexus vel ætatis, crudelitate nimia peremerunt. Peruenerunt in Vngariam inopinatiſſimo euentu: factaque infinita hominum ſtrage, regem, occiſo fratre eius in prælio, de ſuo regno in Græciam expulerunt. Erat au-

1240. tem annus MCCXL. Imperator vbi intellexit Papam vocaſſe in vrbem concilium, omnes vias obſedit cum fautoribus & adiutoribus ſuis: omnes euntes ad vrbem ſi comprǽhendit, detinuit, & carcere macerauit. Legatū Angliæ Ottonem, & Franciæ Præneſtinū epiſcopū, profeſſione Ciſtertienſem, à Genua per mare Romā redire volentes, cum infinita pecunia cepit: & proſpero euentu quatuor tum millia Genuenſium, qui ſecuritatem ſunt polliciti euntibus, & tres galeas cum omnibus quæ inerant, cōfligens demerſit. Cepit viginti duas galeas, prælatos & clericos in eis infinitos, & ambaſiatores plures quàm centum. Tartari verò tum tanto timore omnium corda concuſſerunt, vt homines contra eos in diuerſis prouinciis, authoritate epiſcoporum ſe crucis charactere inſignirent. Tandem Papa ad inſtantiam regis Vngariæ, ducis Auſtriæ, & Carinthiæ, dedit generalem terræ Hieroſolymitanæ indulgentiam contra eos, & diuina virtute repreſſi ſunt.

CAP. 10. LVBECENSIS eccleſia per hæc tempora paſtore viduata, inſignem virū Albertum archiepiſcopum Rigenſem, quem Bremenſis conſecrauit (ſed Rigenſes non receperunt, electo ex ſuis archiepiſcopo) ſuſcepit. Quumq; ordinem teneret epiſcopalem, & eccleſia careret, vir magno loco dignus, conſedit Lubeck, expectans ex Romana curia literas, & ex Liuonia reſponſa molliora. Dum præſtolatur longanimiter, moritur Lubecenſis epiſcopus. Placuit canonicis, Albertus aſſenſit, papa approbauit, vt titulum retinens quem haberet eccleſię Rigenſis, adminiſtraret Lubecenſem, donec de Rigenſi aliter cōſuleretur. Adminiſtrauit cum ſumma laude annos ſex. Anno eius ſecundo cœpit diſcordia grauis inter eum & comites Holſatiæ, Ioannem & Gerardum, ſuper decimis in terra Aldenborg. Nam comites aſſerebant, ſe magnam partem decimarum in feudum tenere ab eccleſia, & ſimiliter vaſallis ſuis decimas certas in eum modum contulerunt. Tandem poſt varios tractatus, compoſitione interueniente, publicè fatebantur, ſe per totam terrā Aldenborg nullas ab eccleſia decimas in feudum tenere, vel aliis concedere potuiſſe, exceptis duabus villis dictis Tom Brode, in quibus medietatem percipere conſueuerunt. Inſuper ſolenniter concordarunt, vt de ſingulis manſis cultis & incultis, & qui redigi ad culturam poſſunt, à palude quæ Dolge dicitur, ipſa palude incluſa, vſque ad mare, decimæ quatuor modiorum puræ ſiliginis maioris menſuræ exoluantur. Et dederunt comites eccleſiæ duos manſos in villa Suſowe, cum omni iure & libertate, in quibus fecit epiſcopus granarium magnum erigi: & vt ad illam villam omnes homines in terra Aldenborg ſuas decimas ſingulis annis, propriis impenſis, deducerent, comites diſtrictè præcipiebant. Iſte Albertus emit medietatem molendini in Zwartow pro centum marcis. Nam alia medietas iam fuit eccleſiæ, ſed hodie totum eſt in iure ciuitatis per viam emptionis. Dedit etiam centum marcas domino Henrico Godowen militi, pro liberatione certarum villarum, in quibus de facto ſibi ius eſſe dixit idem dominus Henricus. Albertus autem, poſt annos ſex ſuæ adminiſtrationis, iam vacuata per mortem ſede Rigenſi, in eam ſuam transfertur: vir magnæ authoritatis in diebus ſuis, & qui Innocentio quarto, ſui temporis ſummo pontifici, erat acceptiſſimus, qui illi permiſit legationem ad omnes hyperboreas regiones.

CAP. 11. MAGDEBVRGENSI verò eccleſiæ poſt Wilbrandum Rodolphus, natus de Dingelſtede, præerat, ordine vigeſimus primus, præfuitque annis ſeptem. Is ad eccleſiam prouexit comitatum de Aluenſleue: ab Innocentio quarto ſuſcepit pontificij muneris dignitatem. Cuius quidem temporibus Imperator Fridericus à ſuo

propoſito

propoſito non quieuit, ſed pro ſua parte omnes ſolicitauit, quos potuit: & plurimi pro eo, & multi contra eum, diuerſis opinionibus ſenſerunt, ita vt quidam eum nõ ſolùm excommunicatũ, ſed etiam hæreticũ appellarent. Quo tempore, anno quadrageſimo quarto poſt mille ducentos, frater Adolphus olim comes Holſatiæ, ſedem adiit Apoſtolicã pro diſpenſatione, quia ſacros ordines ardentiſſimo deſiderio flagitabat: & rediens, diſpenſationem largam tali forma reportauit: Vniuerſis præſentes literas inſpecturis, frater Reynardus & frater Gerhardus, domini Papæ pœnitentiarij, ſalutem in Domino. Noueritis, quòd nos audita confeſſione fratris Adolphi, ordinis Minorũ fratrum, præſentiũ exhibitoris, eidem ſuper omnibus articulis pro quibus duxerat ad ſedem Apoſtolicã laborandũ, & de ſimilibus ſiue minoribus, ſi quos in obliuionem deduxit, de ſpeciali mandato venerabilis patris noſtri Ottonis, S. Nicolai in carcere Tulliano diaconi cardinalis, cui dominus Papa plenariam ſuper hoc conceſſit poteſtatem, beneficiũ abſolutionis impendimus, & vt ad omnes ſacros ordines promoueri valeat, diſpenſauimus cum eodem, iniuncta ſibi pœnitentia ſalutari. Datum Laterani decimo Cal. Maij, Pontificatus Innocentij Papæ quarti, anno primo. Idem frater Adolphus ſubdiaconus rediens, à Ioanne epiſcopo magiſtro ordinis Prædicatorum in diaconũ, & à Ioanne Lubicenſi epiſcopo in Aduentu Domini, XVI. Calen. Ianuarij eſt in presbyterum ordinatus: qui etiam in Dominica, Omnis terra, primam Miſſam in Zwentina loco valde ſolitario, & fratrũ Minorum eremitario, & in Hamborg, cui comes præerat, in Quadrageſima apud Minores fratres, die Gregorij celebrauit Miſſale officium. Circa feſtũ Michaelis ſequentis anni viderunt quidam intempeſta noctis hora in Oriente, ſurgere lucem clariſſimam quaſi ſolem, & tandem euaneſcere per aerem, & in colorem rubrum, hominum permixta ſpecie, commutatam. Quod prodigij loco habitum, quid portenderet, varij varia dixerunt.

Diſpenſationis formula.

Albertus comes Holſatiæ monaſterium ingreditur.

Prodigium.

CAP. 12.

HILDESEMENSI deinde eccleſiæ præfuit per ea tempora inſignis vir, vndecunque natus, Ioannes. nam niſi aut inſigniter doctus, aut nobiliter natus, ad illum epiſcopatum peruenire non potuit. Præfuit autem ſolis annis quatuor. Quo tempore Innocentius Papa quartus, Lugdunum, quæ prima ſedes eſt Galliarum, veniens, poſt feſtum Ioannis Baptiſtæ, ibidem concilium celebrauit: & quintam partem reddituum ab eccleſiis accepit. Ea fuit gemina decimatio vnius anni. Imperator pro ſe nuncios miſit, inter quos erat quidam Thadæus, inſignis legum doctor, qui pro eo elegantiſſimè allegauit, ita vt plurimorum ſibi audientiã conquireret & fauorem. Nihilominùs Papa Imperatorem feria tertia in die Iacobi, quæ tertia fuit dies concilii, excommunicauit. Interim verò per totam Germaniam idẽ pontifex lugubrem epiſtolam principibus eccleſiaſticis miſit, conquerens fideliter, quòd à gente quadam Sarracena, quam Choreſinorum populum appellauit, ſepulcrum Domini eſſet enormiter violatum. Adiecere alii, quòd eodem tempore fuerint ab eiſdem Sarracenis ad vndecim Chriſtianorum millia in vrbe ſancta oppreſſa, & in templo & circa ſanctum ſepulcrum etiam ſex millia. Intellexere omnes qui audierunt cum ſummo mœrore, venerabile Chriſti ſepulcrũ funditus euerſum, & locũ ſanctum in planitiem redactum: vnde ſolicitari iuſſit Papa fideles, vt ſe cruce ſignarent. Nihil tamen fructuoſum inde prouenit: cognitumque eſt poſteà, non tam penitus eſſe ſubuerſum Dominicum ſepulcrum, etſi enormiter eſſet læſum. Papa verò in iam dicto concilio contra Imperatorem excommunicationis ſententiam renouauit, & eum ab Imperiali culmine authoritate ſua depoſuit: & hanc depoſitionem per totam eccleſiam promulgauit, præcipiens ſub interminatione excommunicationis, vt nullus eum decæterò Imperatorem vel haberet, vel nominaret. Qua ſententia per multum volante, nonnulli principum cum aliis multis reclamabant, dicentes, Ad Papam non pertinere, Imperatorem eis vel inſtituere, vel deſtituere, ſed electum à principibus, coronare. Intereà pontifex ſolicitari iuſſit principes Electores, & eos quos ad regendum Imperium credidit idoneos, vt aliquis eorum onus Imperij ſumeret, & laborem: promittens eidem, quicunque ſubiret, conſilium, auxilium, pariter & fauorem. Sed diu omnes recuſarunt.

Lugdunum prima Galliarum ſedes.

Saraceni vaſtant vrbem ſanctam.

Imperatorem inſtituere vel deſtituere, ad quos pertineat.

Cap. 13. SVERINENSI interim per hæc tempora præficitur post Theodoricum præpositum olim, insignis vir Wilhelmus, etiam ille ex præposito pontifex electus, dignus vita & episcopatu longiori: nam duobus solis annis præfuit. Quo tempore, deposito Friderico ab Imperio, non destitit pontifex Innocentius multis de assistentia pollicitationibus. Peruicit Henricum Landgrauium Thuringiæ, comitem de Swartzburg, cognomento Raspen, vt consentiret. Moguntinus & Coloniensis archiepiscopi illum elegerunt, & iuxta Herbipolim de more inthronizarunt. Indixit ille principibus conuentum in Francofordia, sed ibi occurrit cum expedito exercitu Conradus rex, Friderici filius: qui commisso in eum prælio conuentum disturbauit, multis captis, plurimis etiam cæsis. Appellatus est deinde idem Henricus, rex ecclesiasticorum, à sequacibus Friderici. Papa tamen hortatur per literas, omnes Germaniæ principes, vt deserto Friderico contumace ac perfido, Henrico ad omnia legitimo regi pareant. Quo tempore dux Austriæ cæsus est ab Vngaris, mansitque terra sine principe. Vnde hi versus in quodam loco Austriæ in lapide sunt inuenti, cælatura veteri:

Henricus Landgrauius contra Fridericum assumit imperium.

De Austriæ ducibus.

Anno milleno centeno terq; triceno,
His quinquaginta si misces, tunc benè disces,
Austria quod tota sit principibus viduata,
Terraq; cornuto discit seruire tributo.

Sæpè nouauit ea terra principes suos, postquã cœpit habere eius tituli duces. Nam primus eum titulum gestabat Henricus, Conradi tertij Romanorum regis frater germanus, ante annos centum ex hoc tempore: qui sine prole mascula defunctus, iterum reliquit Imperatori, vt concederet in feudum, & nunc vacuatur morte ducis sui. Non longè autem post hæc tempora, iterum ad Rodolphum Imperatorem peruenit, qui suam ibi posteritatẽ reliquit ad nostra vsque tempora, cùm esset ipse non sublimior genere, quàm comes de Habspurg ad vicina Suitensium, olim Heluetiorum, gentis ad arma natæ, quod nostra etiam secula confitentur, magnis rebus per eam gestis. Iste verò Wilhelmus Suerinensis episcopus, cuius tempora signamus, cùm duobus annis præfuisset ecclesiæ suæ, decessit, ad annum Christi,
1249. MCCXLIX.

Cap. 14. MIMIGARDEVORDENSEM, hoc est, Monasteriensem, ecclesiam tum gubernabat Ludolphus, agnominatus de Holte, ministerialium ordine, qui nunc honoratiori vocabulo dici volunt militares: quod facilè fineremus, si non etiã per audaciam maiorem, se etiam nobiles præsumerent appellare quam appellationẽ baronibus, comitibus, & ducibus antiquitas tribuit: cùm summi pontifices nõ alia dignãtur appellatione nostri temporis duces, quos appellant nobiles viros. Veteres etiam dixere, nobile scortum, nobilem mimum. Sed ad Ludolphũ pontificem reuertamnr, qui vir magnanimus in episcopatu multa dura perpessus, de inimicis suis & ecclesiæ vastatoribus gloriosè triumphauit. Extruxit, firmauitque arcem in Woldbecke: & familiam veterem militarium de Meinhouele, qui diu graues incubuere ecclesiæ, prorsus exterminauit. Tradunt per ea tempora summum pontificem Innocentium quartum, tanto zelo in Fridericum eximperatorem prouectum, vt non modò Christianos principes illi opponeret, sed etiam misso nuncio ad Soldanum Ægypti, illum à familiaritate eius sit nisus auertere. Extat exemplar literarum Soldani, Græca lingua pontifici ab illo remissarum, quod pro rei nouitate libet inserere, in hanc formam:

Innocentij IIII. implacabilis in Fridericum Imp. animus.

Soldani ad Innocentiũ IIII. literæ.

Præsentiæ Papæ, nobilis, magni, spiritualis, sancti, affectuosi, tertij decimi apostolorum: Vniuersalis loquela Christianorũ, manu tenentis adoratores crucis, iudicis populi Christiani, ductoris filiorũ baptismatis, summi pontificis Christianorum. Confirmet eum Deus, & det illi felicitatem. A Soldano potentissimo regnante super collationum, continente duas virtutes gladij & calami, possidente duo præcellentissima, scilicet doctrinã & iudicium, rege duorum mariũ, dominatore austri & septentrionis, rege regionis Ægypti, Syriæ & Mesopotamiæ, & Mediæ & Idumææ & Ophir, rege Fabelbesech aiob, filio Soldani Chamel helesmenaphat, Mechmet filij Soldani regis Holdal Ioberir filij aiob, cuius regnum Deus diligit.

In nomine Dei misericordis & miseratoris, præsentatæ sunt scripturæ papæ magni, affectuosi, sancti, tertiidecimi apostolorũ, vniuersalis loquelæ Christianorum, manu tenẽtis adoratores crucis, iudicis Christianorũ, summi pontificis filiorum baptismatis. Faciat eum Deus de affectãtibus bonũ & facientibus illud, & affectantibus pacẽ & perseuerantibus in causis eius: & adiuuet eum Deus in his quę decẽtia sunt ad illos, qui sunt sui cultus siue ritus, & ad alios. Respeximus illas scripturas studiosè, & intelleximus capitula quæ eis inserta erant: & eorũ continentia nobis placuit, & delectatus est auditus noster in relatu eorum. Et nuncius venit ad nos quem misit sanctus papa, & ipsum præuenimus cũ honore & dilectione, cum deuotione & reuerentia. Ipsumq; vocauimus ad conspectum nostrũ, sibi inclinantes, intendimus autẽ verbis eius, & fidem adhibuimus ei nuncianti nobis de Christo, super quem sit laus: de quo Christo plus scimus, quàm vos sciatis, & magnificamus eum plus quàm vos magnificatis. Et de hoc, quòd dicitis vos desiderare tranquillitatem & quietem, & habere materiam conuocandi populos ad pacem: Similiter & nos desideramus, nec volumus contraire: & hoc semper voluimus, & desiderauimus. Sed papa, quem confirmet Deus, scit, quòd inter nos & Imperatorem iamdudũ fuit familiaritas & concordia perfecta, à tempore Soldani patris nostri, quem Deus ponat in claritate: & inter vos & Imperatorem vestrum, est, sicut vos scitis. Vnde non licet nobis aliqua componere cum Christianis, nisi prius habuerimus super his ipsius consilium & assensum. Et nos scripsimus nuncio nostro, qui est in curia Imperatoris, pro causis quas detulit nuncius papæ, nunciantes & capitula & proposita vestra. Ipse nuncius noster veniet ad præsentiam nostram, & loquetur nobis: & postquàm renunciauerit, faciemus iuxta tenorem responsi. Nec discrepabimus ab eo, quod vtile videbitur vniuersis. Ita quod possumus habere meritum à Deo, hæc vobis annunciamus, & bonũ ampliabitur, Deo dante, in posterum. Scriptum est hoc in septima die mensis Macharon, quę fuit lunatio Augusti iuxta glosellam. Laus Deo soli, & benedictio eius super dominum nostrũ Machometum, & super genus ipsius. Ipse sit pars nostra.

Hanc igitur epistolam, cùm Græcè scripta fuerit, quidam Latinus Græcè peritus, transtulit de verbo ad verbum. Sed hæc hactenus. Ludolphus episcopus, cuius tempora signamus, vbi cursum vitæ peregit, concessit ad manes, vtique superos, vt speratur.

Paderbvrnensi ecclesiæ post quartum Bernardum, præficitur Simon, Cap. 15. qui ei prẹfuit annis viginti tribus, vir insignis, frater nobilis domini de Lippia Bernardi. Adiutor hic erat septem annis Gerhardo archiepiscopo Bremensi, patruo suo. Circa hæc tempora Henricus Thuringię & Swartzeborg prouincialis comes, qui contra Fridericum assumpsit Imperium, rebus excessit humanis. Quumque hæredem masculum non relinqueret, dux Brabantiæ terram eius manu valida ingrediens, vt filiam suam in ea defenderet, quam Henricus habuit vxorem, & iam viduam reliquit. Is igitur possessiones arcium ingressus, se de omni dominio intromisit. Assumpserunt autem in locum eius principes Electores Wilhelmũ, Hollandiæ comitem, in armis validum, ætate & opibus florentem. In Nussia eum elegere nonnulli. Aderat Ioannes Holsatiæ comes, qui inter multos, vt habet cõsuetudo, est ab illo, cingulo militari decoratus, vt exindè haberetur miles auratus. Fridericus interim eximperator, iam quatuor coniugibus post inuicem defunctis, de quinto matrimonio disponebat. Mittitur ei filia ducis Saxoniæ Alberti, quæ antè fuit desponsata Ottoni, filio Ottonis ducis Brunswicensis: sed ille priusquàm ad nuptias consummandas perueniret, mortem obiit. Nec tamen inuenio, si etiam ad has nuptias puella peruenerit. Nam Fridericus tum maximis rebus in Italia implicitus, incertum si vacauerit ad torum maritalem. Verisimilius est etiam hìc fuisse frustratam. Nam idem Fridericus non multis pòst diebus excessit rebus humanis. Per hæc tempora, quod in Dania diximus, inter Daniæ regem & Abel fratrem eius, ducem Sleswici, mirabiles fuere conflictationes. Nam fraternum odium ad necis insectationem peruenit, cùm esset tamen Ericus rex, vir multorum opinione sanctissimus, & qui miraculis coruscauerit. Christophorum aliũ fratrem regno

Wilhelmus Hollandiæ comes in Imp. eligitur.

Milites aurati quo ritu fiant.

Fridericus quintam ducturus vxorem, moritur.

Odium fraternum.

eiecit. Canutum consanguineum fratrem, etiam captum tenuit in arce Stekenberg. Lubicenses adnauigauêre,& capta arce, Canutum vinculis exuerunt. Sed hæc per transitum attigisse contenti sumus, vt temporum recordemur. Erat autem
1247. annus MCCXLVII.

CAP.16. MINDENSEM ecclesiam per ea tempora gubernabat dominus Wedekindus de Hoia, à comitibus originem ducens, ordine pontificum trigesimus secundus. Cui quum controuersia esset cum vicinis principibus & nobilibus, arma pro sui iuris tuitione capere audebat in ducem Luneburgensem, & comitem de Wunstorpe. Augebant vires eius ciues Mindenses, quanto poterât numero egressi pòst suum pontificem, militares ecclesiæ non deerant ministerio suo. Exeuntes, latè populati sunt ditiones hostiles. Congressi autem hostibus, vbi manus conseruerunt, victoriam reportarunt. Signa militaria quatuor, diu pòst visebantur in ecclesia Mindensi ab hostibus capta. Sed non erat huius pontificatus longæuus. Nam expletis in pontificatu annis octo,& paucis mensibus, dolore omnium plurimo, bo-
1261. nus pontifex emigrauit, anno Christi MCCLXI. in vigilia Matthæi: & introiuit, vt confiditur, in gaudium Domini sui fidelis seruus & prudens.

Wedekindus Mindensis episcopus in ducem Luneburgensem arma capit.

CAP.17. LVBICENSI ecclesię ademptus Albertus, in Liuoniam ad ecclesiam suā Rigensem, iam occupatore vacuatam, trāsfertur: & succedit illi in eadem Lubicensi frater Ioannes de Dest, ordine Minor, oriundus de Brabantia, ad petitionem Romanorum regis Wilhelmi, cuius fuit capellanus & consiliarius, per Innocentium quartum, à Sambiensi ecclesia, quam antè tenuerat, ad istam translatus. Magnus theologus,& prędicator crucis solennis: prudens nihilominùs pastor ecclesię. Hic reperit redditus mensæ episcopalis valde dissipatos & diminutos per comites Holsatiæ, Ioannem & Gerhardum: & propter penuriam cùm non haberet vnde se sustineret, cum familia cessit ad integrum annum. Et reuersus, consecrauit plures ecclesias in diœcesi & extrà, vt illis velut quotidianis procurationibus sustentaretur. Tandem considerans gentem grauem & asperam, redemit vexationes bonorum ecclesiæ DCCC. marcis, à comitibus & ministerialibus, vt pacem inueniret, relaxauit remisitq; comitibus ducentas marcas, & villam Flemingdorpe resignauit, & villam Lankem commutauit, vt liberaret colonos ecclesiæ vniuersos à præstatione collectæ, quæ dicitur Greuenstaht. Et aduocatiā in Vthin emit à Wolrado de lapide, & mansionem principalem aduocati sexcentis marcis. Instaurauit quoq; in ecclesia Lubicensi nouam dignitatem cantoriam: statuens, vt certis festiuitatibus, cum argenteo baculo, cum socio similiter gerente baculum eiusdem formæ, incedat, assignando ei certos redditus. Oppidum quoq; mansionis suæ Vthin iuri subdidit Lubicensi, quæ magna censetur liberatio, vt causas appellationum deuoluant ad iudicium, quod habent velut Imperiale, in vrbem Lubicensem. Fecit etiam plures milites & militares suæ diœcesis pro suis excessibus nudatos, in processione reconciliari. Multa vtilia priuilegia pro ecclesia impetrauit. Tandem rediens ad Romanorum regem, obiit circa partes Rheni in Essendia,& sepultus est in Nussia. Præfuit autem suæ Lubicensi per annos solos sex.

CAP.18. RACEBVRGENSI ecclesiæ post Ludolphum præficitur Fridericus, magni decessoris locum accipiens, in quo nisi magnum sedere virum oportuit. Vnde, etsi annales sobriè de hoc viro scribant, insignem tamen fuisse virum,& loci tum celebris religio,& magni præcessoris exemplū persuadent. Cuius temporibus Guntzelinus comes Suerinensis, ius patronatus ecclesiæ parochialis in Wittenborg, conuentui monialium in Tzertin donauit: quam donationem episcopus confirmauit: sed fortè post obitum comitum Suerinensium, per dominos Magnopolenses, ad quos principatus eorum peruenerat, supradicta donatio est cassata & irritata. Viuebat per hęc tempora Fridericus, Imperio licet destitutus, cùm per occasionem eius mirabiles & miserabiles hęreses pullularent. Nam quidā circuncelliones, pulsatis campanis,& conuocatis baronibus terrarū, in Hallis Sueuiæ sic feruntur prædicasse in publica statione, quòd Papa esset hæreticus, omnes episcopi & prælati Simoniaci & hæretici, inferiores quoq; prælati cum sacerdotibus, quia in vitiis & peccatis mortalibus non haberent authoritatem ac potestatē ligandi & soluendi

In Hallis Sueuiæ ob religionem motus excitantur.

ſoluendi,omnes eſſent hominum ſeductores. Item, quòd ſacerdotes in mortalib. conſtituti,non poſſent conficere altaris ſacramentum. Item, quòd nullus viuens, neq; papa,neq; epiſcopi,neq; alii poſſent interdicere diuina:& qui prohiberent,eſſent hæretici & ſeductores.& permittebant in ciuitatibus interdicto ſuppoſitis,diuina peragere,vt ſacramenta eccleſiaſtica liberè perciperent, quia ipſis perceptis, mundificarentur à peccatis.Item,quòd fratres Prędicatores & Minores peruerterent eccleſiam falſis prædicationibus: & quòd omnes illi fratres vnà cum Ciſterti-enſibus,& aliis,prauam vitam ducerent & iniuſtam.Item,quòd nullus eſſet qui veritatem diceret,& qui fidem iuſtam opere ſeruaret,niſi ipſi & eorum ſocii: &,ſi ipſi non veniſſent,priuſquàm Deus fidem ſuam periclitari ſineret,de lapidibus excitaſſet alios,qui eccleſiam Dei vera prædicatione illuſtraſſent. Prædicauerunt,inquiunt,ad hoc tempus prædicatores noſtri, & ſepelierunt veritatem, & promulgarũt falſitatem.Nos contrà veritatem prędicamus,& ſepelimus falſitatem.& in fine,Indulgentiam quam damus vobis,non damus fictam vel compoſitam ab Apoſtolico vel epiſcopis,ſed de ſolo Deo & ordine noſtro. Adiecerunt,Nihil opus eſt habere mentionem de papa, quia ita peruerſè viuit, & tam mali exempli homo eſt, quòd tacere & in obliuionem oportet illum adducere. Et blaſphemãdo adiecit perfidus concionator:Oratę,inquit,pro domino Friderico Imperatore & Conrado filio eius,qui perfecti & iuſti ſunt. Audebant dicere, quòd Papa neq; haberet authoritatem ſoluendi & ligandi,quia non habet vitam Apoſtolicam : & hoc probare inſtituerunt per quandam gloſſulam,ridiculum nimirum caput & Hippocratis vinculis alligandũ.Iſtos hæreticos fouit & defendit Conradus rex, filius Friderici quondam Imperatoris,arbitratus ſe ac patrem per ea figmenta cunctis conciliandũ : ſed res futilis facilè euanuit. quia vbi Catholici prædicatores his monſtris valde reſtiterunt,miniſteriales à Conrado rege receſſerunt,ita vt contra exul & profugus de Sueuia,in Bauariam tectus tranſiret.

OSNABVRGENSI autem eccleſiæ per ea tempora,moriente Wedekindo, tricesimoprimo loco præfuit Balduinus de Ruſsle,vir inſignis,epiſcopatu dignus: qui inceptum prædeceſſoris ſui Brunonis de eccleſia collegiata in Widenbrugge conſummauit, præbendas auxit, præpoſituram pro canonico maioris eccleſiæ reſeruauit,datis deſuper literis in perpetuam rei memoriam quæ extant.Ita cultu religionis aucto per eius tempora, poſteaquàm decem annis cum omni laude præfuit,tranſiuit ad meliora. Eius tempora cernebant vacare Romanum Imperium, poſt Fridericum ſecũdum depoſitum,cùm ex ſurrogatis nemo proſperaretur: iam in eam vilitatem rebus defluentibus,vt etiam Anglicus primam coronam acciperet Aquiſgrani. Crediderim principes Germaniæ non adſpiraſſe ad Imperium, quòd tam erat labefactatum. CAP.19.

BREMENSI metropoli poſt Gerhardum, qui præfuit annis vno minùs quadraginta,præficitur eidem Hildeboldus,quem alii dixere Hildebrãdum,antè Bremenſis canonicus,Ruſtringiæ archidiaconus (nunc vocant præpoſitum) filius comitis de Brochuſen,vt alii de Wuſtorpe,à maiore parte capituli electus. Quamuis alii vota dirigerent in Gerhardum de Lippia, maiorem eccleſiæ præpoſitum, defuncti archiepiſcopi ex fratre nepotem: cui parti adhæſit capitulum ſancti Willehadi,prætendens ſe ius in electione poſſidere. Miſſusq; eſt in vrbem Godeſcalcus, ſancti Willehadi decanus. Tum verò Simon Paderburnenſis epiſcopus, quem diximus pro Gerhardo adminiſtraſſe arcem Langwedel, acceptis quadringẽtis marcis,cuſtodibusq; corruptis,Hildeboldũ in eam admiſit. Similis exitus in arce Vorden.nam & illam data pecunia redemit Hildeboldus. Simon adminiſtrator, cùm adhuc electi de ſuo iure contenderent,ad Stedingos verſus (nam rebellionem parauerant)armauit exercitum:exiuitq; cum expedito exercitu, contendens in Wildeshuſen. Præuenientes autem comites de Aldenburg,qui iam pro Stedingis arma ſuſceperant,cùm obuiã irent,fuderunt agmen Simonis. Crediderim iam non, vt priùs cauſam agi fidei Chriſtianæ & religionis, ſed alterius ciuilis debiti: alioquin comites memorati,qui ſemper ſtabant aduerſus perfidiam, non illos fuiſſent tutati. Simon adminiſtrator, agminis ductor, vix ipſe elabitur, monachali te- CAP.20.

ctus habitu. Ferunt, hunc Simonem poſtulatum ab Hamburgenſibus canonicis, pro ſuo iure contendiſſe, cui plurimùm inclinabant comites Holſatiæ: ſed cauſam eius nemine proſequente in vrbe, protinùs euanuit. Intereà Hildeboldus ipſe Romam petit cum Godeſcalco decano, qui Cœleſti cauſam ſuſcepit. Clam loquitur, literas eius accepit, magna pollicitus, & ius in eccleſiam perinde cumulauit. Obtenta in vrbe confirmatione, regreditur, lætusq; excipitur Bremæ. Prima illi contentio fuit de arce Bersflete, quam firmauit conſilio ſuorum, renitente plurimùm ciuitate Brema. quæ controuerſia diu durauit. Multa incendia, prædæ, homicidia, multæ viciſſim crudelitates, &, qualia ſolent in bello, immania plurima. Phriſonū aliquanta millia in ea controuerſia perierūt. Poſt multum temporis res pacata eſt. Phriſonibus ab epiſcopo perſoluta eſt pecunia: exilis tamen ad æquiparationem damnorum, & in prælio cæſorum. Sed de his aliquanto pòſt.

Belli incommoda.

Cap. 21. SVERINENSI deinde eccleſiæ poſt Wilhelmum præficitur Rodolphus, vir inſignis, præfuitq; eccleſiæ annis duodecim. Solēne tum fuit eccleſiis eligere præpoſitos, vt perinde gradum illi facerent ad epiſcopatum: quod hodie, quia ſedes Apoſtolica primas dignitates ſibi reſeruauit, fieri nequit. Vnde & iſte Rodulphus ex præpoſitura conſcendit pontificatum. Quo tempore rex Franciæ Hieroſolymam petens, forti expeditione in Ægyptum conceſſit, cepitq; Damiatam: ſed non ſtetit Chriſtianis diuturna victoria. inundans enim Nilus, reniſus eſt illis. Wilhelmus interim Romanorum rex, Aquiſgrani coronatus, circa Rhenum aliquādiu commoratus, quum expenſas regi congruas non haberet, in Hollandiam eſt regreſſus: iterumq; poſt interualla ad vrbes Imperii cis Rhenum eſt reuerſus. Iam certior ex Ægypto nuncius venit, captum Francię regem, Damiatam denuò redditam Sarracenis, omniaq; eſſe Chriſtianis improſpera. Tum quoq; Ioannes comes Holſatię, auxilio Bremenſis archiepiſcopi & auunculi Simonis electi Paderburnenſis, expeditionem fecit in Daniam, ſororio ſuo Abel duci ferēs in regem auxilia. Arcem Reinoldesburg, quam rex firmauerat, forti impoſito præſidio, oppugnauit. Interea circa diem Laurentii de Erico rege rumores aduerſi ſuccreuerant, quum quidam captum, alii mortuum prædicarent: & innotuit res vera, quòd nihil mali veritus, quū fidem integratam putaret ad Germanum, fit captus, in nauim abſportatus, & in lacu Slyæ capite truncatus, alligatoq; ſaxo demerſus. Sed non diu pòſt inuentum cadauer, tumulatur religioſè in eccleſia Sleſwicenſi. inde tamen poſt aliquantos annos extrahitur, & in Daniam transfertur, proq; ſanctis reliquiis excolitur. Sed nec Abeli fratri, quùm rex poſt illum crearetur, melior exitus erat. nam vix duobus in regno peractis annis, quum exercitū duceret in Friſiam, illam Aquilonarē, Nordtſtrant vocant, concurſu habitatorum opprimitur: mole ſua periit cum exercitu in terra paluſtri, idq; propter grauem armaturam.

Suprà, lib. 7. cap. 40.

Erici Daniæ regis caſus.

Friſonum contra regem Daniæ victoria.

Cap. 22. HALBERSTADENSI eccleſiæ per ea tempora poſt Meinerum præficitur nobilis, ſed ætate iuuenis, Ludolphus comes de Sladem, ordine à primo trigeſim[9], qui magis adminiſtrationem, quam pontificium gerebat, vt arbitror: idq; ab ætate coniecto, & breui tempore quo præfuit. Faciunt locum coniecturæ annales, tam breuiter rem annotantes, vt nihil ſatis explicent. Quia ergò iuuenis acceſſit, & poſt biennium deſiit, arbitror, quod ætate noſtra vidimus plerunq;, fuiſſe temporaneū adminiſtratorem, nō perpetuum pontificem. Quo tempore quū Fridericus quondam Imperator mortem obiiſſet, ad annum quinquageſimum primum, & ab archi epiſcopo Panormitano ante mortem abſolutus, & in Sicilia in eccleſia Panormitana tumulatus, Wilhelmus Romanorum rex duxit coniugem Elizabeth, filiā Ottonis ducis Brunſwicenſis: & in ipſa nuptiali nocte, quæ fuit Conuerſionis Pauli, palatium in quo quieuerūt ſponſus & ſponſa in Brunſwigk iuxta leonem, penitus orto incendio conflagrauit, ex candelarum & ſtraminis incuria. Corona regis conſumitur, & multæ res precioſæ: Duo ſartores qui in opere ſuo totam noctem labori addiderant, in ea camera qua ſe incluſerant, ſunt exuſti. rex & regina vix euaſerunt, regina regem educente, quòd penetralia domus illi eſſent notiora. Otto puellæ pater, anno proximo cùm eſſet in procinctu vt iret in curiam indictam Francofordiæ, quam Wilhelmus principibus conſtituerat ad diem Ioannis, & ad ſummū

Incendium.

Iacobi, diem suum obiit. Albertus interim filius eius Harburgk restaurat, patris violans iuramentum. Comitissa Flandriæ bellum gerebat in regem Romanorum: copiosamq; militiam nauibus impositam, nauigare iussit in Hollandiam. Sed rex occurrens victoria potitur, cùm multos perderet, plurimos caperet, & multam inde prædam locupletatus abduxit. Deinde cùm in Nussia controuersia oriretur inter Romanorum regem & archiepiscopum Coloniensem, propè erat vt applicato igni à Coloniensis militib. ad ædem in qua rex manebat, cum legato Romani pontificis ambo cremarentur: sed illi vix euasere periculum. Tum quoq; primùm erigitur fortalicium illud, nō tam muris & mœnibus quàm inuiis paludibus inuictū, Honeborgk super Luriuum in fundo Hersueldensi. Sextus erat post quinquagesimum annus, cùm Wilhelmus Romanorum rex, congressus Frisonibus, opprimitur prope Hollandiam, in loco incognito, clàm ab eis magis obrutus, quàm tumulatus. Sed ad nostra redeamus.

Comitissa Flādriæ cum Imp. bellum gerit | sed infeliciter.

Wilhelm⁹ Romanorum rex à Frisonib. opprimitur.

CAP. 23.

MAGDEBVRGENSIS autem metropolis post Wilbrandum accepit pontificem Rupertum, comitem de Monsfelde, æquè præstantem virum, qui antè in eadem ecclesia cum summa laude administrabat decanatum. Sorbitium adiecit diœcesi, quod nunc, vt accipio, subest Saxoniæ superioris ducibus: nisi sit aut arx, aut oppidum aliud eius nominis. Præfuit autem vir iste ecclesiæ annis octo. Profectus est ipse in vrbem Romam vt confirmaretur, consecraretur, & pallium acciperet. Reuersus autem, quum ingentem impendisset pecuniam, Iudæosq; cerneret per Magdeburgum & Hallensem ciuitatem opibus florescere ex vsuris & iniquitate, inuenta causa, quæ illi ad canes illos deesse non potuit, omnes captos insigni ære mulctauit centū millia feruntur intulisse ærario eius, absq; auro & argēto, quod in vestibus & poculis erat, quod etiam spoliantium violentiæ subiacuit. Hallenses se pro Iudæis opposuere pontifici, vt quos illi securos esse iussissent, non paterentur in sua ciuitate spoliari. Obsedit eam vrbem, & malis adegit, vt cogerentur illi Iudæos permittere: data etiam pro contumacia & rebellione sua non mediocri pecunia. Ita de iniquo Iudæorum mammona locupletatur, vt impleatur verbum Euangelicum, *Habenti fidem dabitur: non habenti, quod habet, auferetur.* Expedit enim, malignos publica egestate laborare, vt fit quod de illa gente præcinuit Dauid: *Ne occidas eos: circumeant ciuitatem huius mundi, vt canes:* si verò non fuerint saturati opibus, auro & argento (vt est genus auarum) murmurabunt, & Christianis per angulos suos blasphemias & imprecationes multiplicabunt. Sed nil ad rem pertinet proiectorum blasphemia. Si conuertantur ad vesperum mundi, fratres habebuntur: nūc sunt canes, genus viperarum, & homicidæ, super quos venit omnis sanguis iustus, iuxta verbum Saluatoris.

Iudæi malè mulctantur.

CAP. 24.

LVBECENSIS ecclesiæ pontifices per ea tempora breues gerebant episcopatus. Nam Ioanni religioso Minorum fratri, post annos sex, successit Ioannes Tralowe, scholasticus antè eiusdem ecclesiæ. Præfuit autem annis sexdecim, confirmatus est in Stadio per archiepiscopum Bremensem. Nondum enim ea potestas tota, vt nunc, translata est Romam. Nam quod proximè de Magdeburgensi legitur, ex aliis fieri potuit causis, vt Romam proficisceretur. Nostri tamen suis contrò uersiis amplificaruut supra se Romanæ sedis potestatem. Hildeboldus autem archiepiscopus nihil moratus, confirmationem & consecrationē illi impendit, quo tempore tum ciuitas Bremensis incendio graui penè tota conflagrasset. Sed instantia archiepiscopi & ciuitas & ecclesia satis profecit in temporalibus. Nam oppidū Wildeshusen eius opera accessit ecclesiæ, quum persolueretur pro eo pecunia comitibus de Oldenburg: quam illi ipsi ciues, quorum de capitibus ius comparabatur, facta collecta, eam mox archiepiscopo renumerarent. Iste qnoq; Bremensis archiepiscopus, accepta à rege Daniæ pecunia, ciuitatem Sleswicensem obsedit, primus nostrorum pontificum, qui venalem produceret exercitum. Nam alii pro iure & libertate ecclesiæ, aut amplificanda ditione, aut amicorum iure tuendo arma sumebant. Sæpè amicos sunt tutati, nunquā stipendia meruerunt. Albertus & Ioannes duces Brunswicenses, filii Ottonis, quem primū in ea ditione creauit ducē Fridericus II. Imperator, cùm alios duos Germanos in vicinis episcopatib. Hildese-

Brunsuicensis primus dux.

menſi Ottonem, Verdenſi Conradum collocaſſent, arma mouerunt in Hildebol- dum archiepiſcopum Bremẽſem: incertum, quibus ex cauſis. Veterem fortè quæ- ſtionem de Stadenſi comitatu, aut ſimile aliquid prætendentes: vt ſolent nonnun- quam principes cauſas ex cineribus excitare. Archiepiſcopus autem, vir prudens, omnia priùs, quàm arma, ſtatuit experiri. Non imparatus tamen, vbi opus videre- tur, præmiſit ex ſuis, qui rem, ſi fieri poſſet, tractatibus interciperent: promiſſaq; pe- cunia, pacem emit, redemitq; plurimum cum ſanguine laborem. Cuius etiam tem- poribus memorabile hoc factum in vrbe Brema, vt Artiſani, qui manu victũ quæ- ritant, quum pridem concilio publico ciuitatis per omnia parerent, plurimum ta- men gubernantibus laborem crearent, nouis ſemper perplexitatibus rem intricã- tes: tum extorquerent, vt illis permitteretur ſuis frui iudiciis in emendandis erro- ribus & exceſſibus, citra ſanguinem puniendis: ita tamen, vt magiſtri per annos ſin gulos renouati, iuramenta præſtarent, viris conſularibus rempublicam gubernan tibus, nunquam ſe aduerſaturos. Turpis eſt enim pars, quæ toti corpori non con- gruit. Archiepiſcopus autem cum per annos quindecim eccleſiam gubernaſſet lo cupletaſſetq; plurimùm, in pace Chriſti quieuit, anno poſt datam mundo ſalutem milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimotertio, tumulatus in eccleſia ſua Bremenſi cum prædeceſſoribus. Sed ad Ioannem Lubecenſem reuertamur. Vno die ordina tus eſt in presbyterũ, in armario ſuperiori eccleſiæ Lubecenſis: & ſequenti die con ſecratus eſt epiſcopus apud fratres Minores, quia comites Holſatiæ ſe diuinis vole bant ingerere, quum eſſent excommunicati. Ædificauit hic põtifex magnam do- mum lapideã in Vthin magnis ſuis ſumptibus, & impẽſa, vt cerni poteſt, plurima. Occaſione cuius, magnum contraxit æs alienum, per ſucceſſorem poſtea exoluen dum. Emit ab Ottone de Plone iudicia villarum Malente & certarum aliarum, ex- promptis ducẽtis vigintiquinq; marcis. Sedit, vt diximus, annis ſexdecim, & tranſ- latus eſt ad meliora.

Principũ ingenium.

CAP. 25. HILDESEMENSI eccleſiæ, poſt Ioannem præfuit nobilis & inſignis vir Ot to, frater ducum de Brunſwico, patre natus Ottone, qui primus poſt Henricũ Leo- nem ducatus titulum recuperauit: ſed de generali Saxoniæ, peruenit ad partialem Brunſwici, appellationem. Benè commutauere principes. Dux Saxoniæ poſt Hen ricum Leonem, magnum tenet titulum, & tenuem ditionẽ: è diuerſo duces Brunſ wici, partialem Saxoniæ ſumpſere titulum, ſed lõgè maiorem ditionem, ſi omnem recenſeas principatum. Huius quoq; hoc eſt memoriale, quòd arcem Woldenber ge addidit ditioni. Peine quoq; dominatum, eccleſiæ illi fecit pacificum. Nam quũ comites eius nominis tales ſe gererent, vt à ducibus Brunſwici & Ioãne huius præ- deceſſore in epiſcopatu, coniunctis armis oppugnarentur, facta fuerit etiam arcis Peine obſidio per illos comites, quum percenſerent ſui ſtatus conditionem, quòd legitimos hæredes neuter haberet, volentes animarum ſuarum ſaluti proſpicere, præparareq; longi itineris poſt mortem viaticum, vocato clàm Ioanne pontifice, votum quod conceperant, exponunt: arcem & omnem dominatum offerunt di- uæ Mariæ, vt poſt illos habeat eccleſia in perpetuum. Viderit nunc pontifex, ne ec cleſiæ ſuæ arcem ſinat obrui & interire. Ille vbi accepit, atq; approbauit donatio- nem, loquitur cum ducibus: conteſtatus, melius eſſe vt omiſſa oppugnatione arcis & obſidione, quæ diuturna videretur futura, alia via incedant ad comites permol- liendos, quam ſecum ſe iam reperiſſe dicebat. Quid multa? ſuadet, & perſuadet Al berto duci magno, vt ſoluat obſidionem. Poſteaquàm abduxere arma, innotuit Al berto duci conuentio inter epiſcopum & comites. quodq; colluſiſſent ſe ignoran- te, voluit oppugnationem renouare: ſed placatus eſt, data illi ſpe ad ſucceſſionẽ fra tris ſui Ottonis in eccleſiam: quod ita prouenit. Otto autem poſteaquàm eccleſiæ per annos nouem & decem præfuit, conceſſit è terris.

Ottonis Hildeſemenſis epiſcopi prudens factum.

CAP. 26. HALBERSTADENSI quoq; eccleſiæ tum nouus prouenit pontifex, Vol- radus, ex miniſterialium genere de Kranesfelde: præfuitq; eccleſiæ per annos no- uem. Eius temporibus Imperium Romanum miſerè iactabatur, quum eſſet vena- le, & ſenſatis principibus non valdè optabile: ita laceratum in Italia, vt inde penè nihil illi remaneret: in Germania, vt nemo penè illi pareret. Igitur principes Ele- ctores

ctores ipsum penè in ludibrium verterunt, quum archiepiscopus Moguntinus ab Alberto duce Brunswicensi captus, suam liberationem pacisceretur, ad dandã vocem suam Richardo Anglico: Treuerensis autem iam Alphonsum Hispanum constituisset cum adhærentibus: sed prior & modestior Alphonsus cessit, presertim instinctus à summo pontifice. Richardus diutius in opinione regni permansit. Ad eadem tempora inuentus est homo perditæ audaciæ, qui se fingeret esse Fridericum Romanorum Imperatorem, non mortuum, sed clàm suis elapsum, qui peracta gestorum perperàm pœnitentia, nunc se redderet principibus. Fecit fidem aliquantis per corporis lineamenta non abhorrentia, per multa quæ nouerat eius secreta: quippe seruierat diu Imperatori, & penitiora quædam intellexit. Sed vbi detecta est eius falsitas, clàm perditur, nemine sciẽte quò euaserit imaginarius Imperator. *Fridericum se mentitus clã perditur.* Multa eius generis figmenta leguntur in historia. Magna est hominum audacia, in sublime tendentium per friuolas adinuentiones: sed fucus inanis facilè dissoluitur. Comites de Dassel, agnominati ruris comites, Rugreuẽ, incompertum vnde, tum graues imminebant vrbi ditionis suę Eimbecke. Vbi se aliter euadere non posse videbant, subdidere se Alberto duci Brunswicensi, & permansere in ditione vsque in diem hunc, cedentes partitioni fratrum & fratruelium ex vna domo Brunswicensi: de qua pleniùs in Saxonia diximus. Sed nunc pontificum successiones scribimus, non principum secularium.

MINDENSEM ecclesiam tum gubernabat Cono, vndecunq; natus (nam hoc annales non præferunt) ordine pontificum in ea ecclesia trigesimus tertius. Cuius tempora satis fuerunt turbida, quum Romanum Imperium sine certo capite fluctuaret. Nam Friderici atrocia facta impulerunt pontificem summum, vt stimularet principes Electores, deposito Friderico alium sufficere: sed nimium valuit inter eos controuersia. Nam quidam elegerunt Hollandię comitem Wilhelmum, virum strenuum, & ad arma natum, qui videbatur Imperii iura posse tueri. Sed quid facies sine neruo belli? Peragrabat ille Rhenum, & vectigalia colligebat, Imperii patrimonium: sed rebus gerendis nõ satisfaciens. Interim Electores alii Alfonsum regem Castellæ, extra nationem Germaniæ delegere regem. Quid non suadet pecunia? Volitabat ille per Germaniam, auro implens marsupia fautorum: & impetrauit, vt rex Romanorum deligeretur. Quumq; illi principes Germaniæ non parerent, propensiores in Wilhelmum, suę nationis hominem, nihil potuit magnum intentare: sed fastidio rerum victus, quum nihil se cerneret profecturum, cessit iuri suo, & transtulit in Wilhelmum. Sed neque ille satis prosperè egit. Nam principes Germaniæ iam diu assueti libertati, quòd ex multo tempore ab Imperatoribus negligerentur, ipsi quoque Imperii contemptum induerunt, minoris faciẽtes quę ad publicam Imperii curam pertinerent. Quæ res ad perniciem eiusdem Imperii durauit in hodiernum, & durabit, donec consurgat Leo, qui ingenio magis quàm viribus contendat sparsum Imperii corpus adunare. Potens est Deus talem terris donare: sed necdum apparent media, quibus ille in eam gloriam consurgat. Dudum elanguit Imperium. Italici ferunt emortuum, nos magni nominis vmbram possumus appellare: nam res dudum euanuit. Germania viribus non caret, si bono ordine cuncta gererentur. Pulsat claustra nostra hostis atrocissimus Turcus, sed non euigilamus, penè ad nos penetrauit, vastans Romani Imperii prouincias: sed ea res non mouet. Quid tandem mouebit, nisi extrema aduenient pericula, quæ diu auertat miseratus Deus. Hic autem pontifex breuem pontificatum in solum annum quintum, non plenum, produxit, moriens die Cathedræ Petri, anno MCCLXV. 1265.

Cap. 27. *Dignitas sine opibus.* *Imperii contemptus vnde*

OSNABVRGENSEM ecclesiam post Baldewinum excepit vir nobilis, ortus comitibus de Retberge, Conradus, ordine pontificũ trigesimus secundus. Cuius memorabile factum per sua tempora translatio collegii de Quakenbrugge in Bramesche, cõsentiente venerabili capitulo eius, quòd is locus commodior videretur rebus ad ecclesiam pertinentibus: seruato tamẽ cuiq; iure suo illibato, vt par erat. Hic arcẽ in Tekeneburg cum pertinẽtiis suis data pecunia accepit in pignus, cùm capitulum & ciuitas non paruas summas in eam rem impenderent, præstita

Cap. 28.

cautione de indemnitate rerum sub certis pœnis. Hic etiam contulit capitulo suo piscaturam, quæ illi fuit ad molendinum in vrbe, Molenkolck dixere locum. Tum etiam initia fuere obseruationum laudabilium, quòd iudicia feudi seruarentur in ciuitate. Ita vt quoties esset de inuestitura tam marium quàm fœminarum controuersia, causæ discuterentur inibi, coram iudicibus ad hoc deputatis, vt cessaret strepitus & fatigatio de talibus rebus ad sublimiora tribunalia. Quo tempore in ecclesia Monasteriensi præfuit Euerhardus de Dest, cuius fiet mentio suo loco. Hic autem pontifex, per annos viginti octo quum præfuisset ecclesiæ, viam ingreditur vniuersæ carnis, longum sui desiderium relinquens. Scriptum est enim, *In memoria æterna erit iustus.*

Cap. 29. Racebvrgensi ecclesiæ per eadem tempora præfuit vir insignis, de genere ministerialium de Blucher. Multæ eius virtutes leguntur: pauperum erat consolator egregius, in eleemosynis largus, misericordiæ operibus singulariter deditus. Fertur de ipso, quòd granarium suum plenum farina & frumento totum in manus pauperum exhausit, ita vt nihil sibi ac familiæ reseruaret. Superuenere pauperes, qui eleemosynam efflagitarent. vocato procuratore, iussit vt pauperibus consuleret, dans quicquid superesset: erat enim annonæ caritas insignis, & fames valida super terram. Procurator sciens granarium euacuatum, respondit nihil superesse, quo pauperes consolaretur, sed omnia in similes vsus dispensa. Fiducia plenus dixit illi episcopus: Vade, & vide, si fortè vel modicum supersit, vt non vacui discedant pauperes: Vade in nomine Domini, & da eis. fortè arbitratus, quòd dispensator timidiùs consuleret futuro tempori, cùm reuerà nihil superesset. Mira res, & veterum miraculis meritò comparanda. Granarium aperuit, & frumento atq; farina plenum reperit, & pauperibus abundanter elargitur. Vbi innotuit res gesta pontifici, resolutus in lachrymas, Deo omnium largitori largas gratias persoluit. In arce Schonenberge lapideam domum cum cellario à fundamentis extruxit, præfuitq; ecclesiæ suæ cum plurima laude. Circa hæc tempora, quum Manfredus Friderici Imperatoris ex concubina filius, regnum Siciliæ post fratrem teneret, nec Romanæ ecclesiæ iura seruaret illibata: quumq; monitus à pontifice non resipisceret, sed magis magisq; insolesceret, Sarracenis in militiam conductis: Romanus pontifex Vrbanus quartus, aduersus eum vocauit è Galliis Carolum, Ludouici Francorum regis, quem inter sanctos retulerunt, fratrem, in regnum: isq; colluctatus Manfredo & Corradino successoribus Friderici, ius primus peperit Gallis, quod ætate nostra multis laboribus vendicare cõtendunt, pulso iam sanguine Aragonum, vt suo tempore in mentionem adducemus.

Miraculum.

Cap. 30. Sverinensi autem ecclesiæ post Rodolphum præficitur Hermannus, vir sine hæsitatione insignis: quem nisi virtus extulisset, in id culminis non peruenisset. Præfuit autem ecclesiæ suæ annis triginta vno. Romani tum pontifices benè consuluere ecclesiæ Romanę. Nam memores, quantum malorum à duobus Fridericis pertulissent, præsertim à nouissimo qui Siciliam tenuit, Manfredũ malignantem & Sarracenis vtentem militibus, non alia ratione compescendum duxerunt, quàm vt illi ex Gallico sanguine opponerẽt principem. Itaq; per cardinales in eam rem missos, conditiones sumendi regni proponũt, vt annua millia duodequinquaginta pendat Romanæ ecclesiæ tributi nomine, etsi ad Romanum imperiũ se nunquàm patiatur assumi. Veritus est enim pontifex, ne, si Romanorum Imperator fieret, cum illo quoq; esset de iure veteri Imperii contendendum. Hoc voluit præuenire, præsertim propter statum præsentem rerum, quòd inter duos electos fluctuaret. Germani principes videbantur non difficulter in hunc Carolum Gallum consensisse, qui Gallorum viribus iunxisset Siciliæ opes, quando alii in Anglum, alii in Hispanũ iam consensere. Miser tum status Germaniæ, quandò non est in ea repertus, qui regno dignus crederetur. Inuidebatur, vt credo, Saxonibus duobus Albertis, alteri Saxoniæ, alteri Brunswici ducibus. Res autem tum pondere suo in manibus videbatur pontificum electorum. Et is videbatur status regni, vt sensati principes indignum ducerent archiepiscopis Rheni pro eo eblandiri. Vnde factum est, vt ad alienigenas transiret. Poterant sperare pontifices illi, quòd regnum intestinis

At sub Henricis pontifices sub regib. inuestiebãtur. lib. 4. cap. 31.

malis

malis exhaustum,opibus alienigenarum repararetur : sed spes euanuit, quum nemo illis pareret,& ab vltimis finibus terræ gubernare prouincias longinquas difficilimum videbatur.

MIMIGARDEVORDENSI autem ecclesię per ea tempora post Ludolphũ Cap. 31. præfuit Otto de Lippia,nobilis,eius nominis secundus.Huius præclarum opus est & memorabile sempiternum,quòd ditionem ecclesiæ auxit, comparato dominatu de Vechta, non mediocri, vt liquidò sciri potest, impensa in eam rem pecunia. Vixit per ea tempora Albertus,Magnus cognomento, natione Sueuus, ex oppido *Albertus Magnus.* Laugingen ad ripam Danubii.Hic quum esset in gymnasio Parisiensi doctor omnium celeberrimus,ordinem Prædicatorum profitetur:inq; eo scripsit,quæ hodie illi nomen conseruant,vt meritò Magnus cognominetur. Vbi fama nominis eius percrebuit in patria,vocatus est in episcopatum Ratisbonensem : eumq; assequutus,aliquandiu gessit laudabiliter. Sed quid faciet assuetus literis in vmbra, inter tumultus seculares? Ob amorem doctrinæ & religionis relicto episcopatu,Coloniæ per multos annos publicè philosophiam ac theologiam docuit. Qui & omnia Aristotelis opera commentatus est,& Christianam theologiam insigniter aperuit, in libro Sententiarum.In Euangelia & epistolas Pauli doctissimè scripsit:& alia,laude & admiratione digna,multa conscripsit.Ad octuagesimum septimum perueniens annum,Coloniæ manens in conuentu fratrum suorum, spiritum Deo reddidit,translatus ad meliora.Bonauētura deinde Cardinalis,nunc etiam inter sanctos relatus,eadem illa tempora & loca gymnasij illustrauit:natione Tuscus,ordine Minor,qui septimo ingressus sui ad ordinem anno,cathedram magistralem in theologia accepit.Elegantissimè in Sententias scripsit. Generalis minister assumitur: deinde cardinalis Albanensis,nunc à Sixto quarto inter sanctos relatus. Magistrum habuit excellentissimum virum, Alexandrum de Ales, qui parem in florentissimo Palladio non haberet.Hunc fratres Christo & ordini piscati sunt,hoc modo:Constituerat in animo Alexander,nihil se quicquam negaturum, qui precibus suis interponeret diuam Mariam.Viderunt fratres excellentissimum virũ, & in vrbe nominatissimum : & incidit animo alicuius ex ipsis, vt virum de religione pertentaret : Obsecro,inquit,excellentissime magister,vt paucis me audias pauperem fratrem.Quumque ille auscultaret:Innotuisti,inquit,mundo clarissimè, magnum habes vbique nomen:sed vide si hæc via sit ad æternitatem. Vides ordinem pauperũ fratrum Minorum, in quo multi simplices & boni fratres, sed pauci docti : quantum in eo fructificares,obsecro te per diuam Mariam, vt nobis accedas. Missum à Deo credidit hominem. Aderat inspirator castorum votorum, recordatur, quia per nomen Mariæ admonetur:mox consensit,& sequitur fratres,ordinem ingressus Minorum.Eadem quoque tempora,aut propinqua,illustrauit clarissimum ecclesiæ iubar diuus Thomas de Aquino, ex comitibus regni Siciliæ natus, ordinis *Thomas de Aquino.* Prædicatorum : de cuius meritis pauca dicere,detrahit magnitudini eius. Sed ad pontifices reuertamur.

PADERBVRNENSI autem ecclesiæ post Simonem surrogatur pontifex Otto,natus de Retberge ex comitibus,præfuitq; ecclesiæ annis triginta. Hic multas Cap. 32. cum ciuibus exercuit controuersias,quæ in apertum bellum exierunt. Ciues quũ ex episcopo poscerent vt negaretur,sibiq; debitum arbitrarentur,armantur in dominum suum:& arcem,quam nouam dixerunt,iniecto igne concremarunt.Quũque ad complananda fossata pertinaciter instarent, superueniens cum armatura pontifex, cinxit operi instantes, & intentis in eos armis, ad internecionem penè deleuit. Quingenti cæsi sunt gladio, capti nonnulli,pauci elapsi. Cæsorũ cadauera plaustris in vrbem reuecta,communi tumulo obruuntur. Interuenere qui rem conuentis placitis componerent. Polliciti sunt ciues,idque iuramento firmarunt, immunitates ecclesiæ se seruaturos,excommunicatos vitaturos,in familiam canonicorum nullam exercere iurisdictionem, coram suis iudicibus reos persequendos.Erat & contentio super iudicio seculari,quod ciues defenderant suum esse supra omnium memoriam.Episcopus ab ecclesia pendere dicebat.Post multam disquisitionem,inuētum est, hoc ipsum esse feudũ ecclesiæ, & ab ea recognoscendũ.

Ecclesiasticorum & secularium perpetua contentio.

Ea est perpetua ecclesiasticorum & secularium contentio super iurisdictione, & facilè in vrbibus, vbi pontificalis dignitas exuperat secularem potestatem, obtinet ecclesia ius suum: in aliis verò, vbi potentia secularis excreuit, nonnunquam leges & plebiscita imminēt ecclesiis. Sed Otto annis triginta in episcopatu peractis, non sine labore & controuersia, concessit è vita, locum faciens successori.

CAP. 33. MAGDEBVRGENSEM ecclesiam post Rupertum regendam accepit insignis vir, Conradus, natus familia comitum de Sterneberge, qui prædecessoris sui cancellariam cum laude gubernabat: præfuitq́; ecclesiæ per annos decem. Ferunt virum religione feruentem, Iudæis satis infestum. Iudæus die Sabbati incidisse fertur latrinam, vnde se nō posset eximere. Implorat miserabiliter opem sociorū. Accurrerant, & querula voce testati esse sabbatum, non licere illis opere manuū exerceri, seruaret patientiam in diem posterum, quamprimum liceret operari, educendum. Innotuit res pontifici, quòd pertinaces Iudæi in sabbato suo obseruando fratrem latrina non educerent. Mandauit sub pœna capitis, vt qui sabbatum suū pertinaciter obseruarent, sabbatum quoq; Christianorum, diem proximam, eadem celebritate seruarent. Quid facerent? Imminebat pœna capitis, parendum fuit, sedebat interim Iudæus in pedore & periculo duobus diebus ac noctibus, vt pertinaciam suam agnoscerent improbi homines, qui occidentem literam sequuntur, & illi pertinaciter inhærent, non ferentes de facie Mosi tolli velamen, vt, quid subtus sit, inspiciāt. Quum hoc tempore iaceret Romanum Imperium, effulsit ecclesia in nouis religionibus, viros clarissimos vel enutriens, vel accipiens: qui per sua tempora, & vsq; modò, & in finem luxerunt, lucent & lucebunt in ecclesia. Alternatio est ista seculorum, vt cum splendore rerum secularium non currat profectus spiritualium: attamen initio nascentis ecclesiæ erant in vtroque genere præclara lumina. Nam Apostolis & Apostolicis viris in ecclesia benè responderat in seculo magnorum ducum & Imperatorum præstantia, insuper oratorum & poëtarum insignis excellentia. Sed nos, in quos fines seculorum deuenerunt, quid (oro) magnum præferimus?

De Iudæo historia.

CAP. 34. HALBERSTADENSI quoq; ecclesiæ tum successit in pontificatu Hermannus, ex comitibus de Blanckenborch: præfuitq́; ecclesiæ suæ per annos vndecim. Cuius temporibus facta est prima partitio ditionis Brunswicensis. Nam Albertus Ioanni fratri permisit Luneburgensem, quæ nunc est, ditionem: ipse sibi meliores partes seruauit, Brunswicensem & Gottingensem dominatum, qui & ipse postea diuisus est multipliciter. Hoc tempore quidam Iudæus in Hispania cùm scinderet rupem vineæ suæ imminentem, vt amplificaret vineam, & solem admitteret, fertur in concauitate rupis reperisse librum: cùm tamen nullum antè scissionis in rupe signum inuenisset, sed solidam scidisset, Erat liber nō ex membranis aut linteo, vt olim, sed velut ligneis tabulis compaginatus, qui tribus linguis, Græca, Hebræa & Latina scripturam haberet, qui magnitudinem æquaret psalterii: & loquebatur de triplici mundo, ab Adam ad Antichristum. Proprietates verò & conditiones hominum de vnoquoque mundo discreuit. Principium tertii mundi sic orsus est: Filius Dei nascetur ex Maria virgine, pro salute hominum patietur. Quod quum legisset Iudæus, cum omni domo sua baptizatus est. Erat quoque scriptum in eodem libro, quòd tempore Ferdinandi regis liber ille inueniendus, prodiret in publicum. Simile aliquid legitur in Romana historia, quum reperiretur tabula huius inscriptionis, Nascetur Christus ex Maria virgine, credo in eum. O sol, sub Irene Imperatrice iterum me videbis. Sed hæc ego inter neutra deputo, quib. fidem nec addo, nec detraho.

Liber in rupe scissa per Iudæū in Hispania inuentus.

CAP. 35. BREMENSI ecclesię per ea tempora pręficitur nobilis Giselbertus de Brückhorst, propinquus genere præcessori suo, electus concorditer per capitulum, & eos qui interesse debuerunt. Ipse profectus in Franciam, Gregorium papam decimum reperit Lugduni in concilio, tractantem cum prælatis de recuperatione terræ sanctæ, quum decima ecclesiis in sex annos persoluenda imponeretur: ibique Giselbertus electus, presbyterii ordinem cum confirmatione Apostolica impetrauit. Feliciter reuersus in sua, regalia accepit ab Rodulpho, nunc Romanorū rege,

antè

antè comite de Habſpurgk, quia aſſecutus Auſtriæ ducatum, primus in eam domũ imperatoriam dignitatem inferebat. Prima archiepiſcopo fuit controuerſia in Kedingos, populum Albis fluminis accolam, & pro conſuetudine omnium paluſtrium, contumacem: ſed archiepiſcopus diſſimulata indignatione, ad haſtiludium ſuos ac finitimos conuocauit in Stadium. Conuenerunt frequentes ex omni conuicinio. *Stratagema.* Cœpta res eſt in ludo, ſed finiit in ſerio. Nam vbi conuenere armati, mox mouit in Kedingos, nihil minùs quàm bellum formidantes. Ibi rebelles cæſi ſunt, aliquot capti: & rebus in ſuum modum compoſitis, deinceps imperata fecere. Ciuibus ſuis perbenignus erat hic archiepiſcopus, amauitq; plurimum cœtus hominum & conuentus, ita vt à miniſterialibus ſuis ciuium archiepiſcopus diceretur, profeceruntq; plurimum ſub eius ditione. Sed hic tantus in ciues amor & indulgentia, *Indulgentia.* eos, vt fieri ſolet, fecit inſoleſcere, ita vt obliuiſcerētur ſe bono ſubeſſe pontifici. Ille in cœna Dominica cõſecrato chriſmate, domi ſuæ manſitabat. Quũ quidam ex eius familia aurifabrum quendam, cum quo in rixam inciderat, vulneraſſet, vulneratus terribili clamore ciues cõuocat. Armati domum archiepiſcopi circumſident, vociferantes, ſemel ſe tandem ſeruitutem exuentes, in libertatem redituros. Tempus erat, vt arbitror, tumultibus & armis idoneum in populo Chriſtiano. Sic meruit archiepiſcopus ille ab amato ſuo populo turbam in ſanctiſſima ſolẽnitate. Irrumpunt domum, corripiunt familiam: quamuis archiepiſcopus multa obteſtaretur, facturum & curaturum ſe, vt omnia pro dignitate æquarentur, nõ auditur, diripitur ſupellex, domus incendio conflagrauit. Sic rependunt beneuolentiam, *Quippe, ira furor breuis eſt.* hoc vulgus, pelagus, indeclinabile virus. Archiepiſcopus egreditur indignatione iuſta plenus, vertit amorem in iuſtam perſecutionem. Res miniſterialib. non diſplicuit, cæduntur, capiuntur, opprimuntur ciues vndiq;, agnoſcunt reatum ſuũ de pœna. Ita ſubmiſſis mediatoribus, obuiàm pergunt pontifici venienti viri & fœminæ nudis pedibus, gratiam repoſcunt: & veniam oratorum facilè impetrant: redit priſca in homines benignitas. Nam durante auerſione, Friſones ſæpè inuecti nauibus, ſæpe aliis rebus ciues ſpoliarunt, quum nõ auderent Bremenſes erumpere: vt experimento diſcerēt, quanti ſit habere propitium ac fauentem terræ dominũ: quia & à Friſonibus damnificatio & incurſio cum reconciliatione finem habuit. Luſtrata eſt iterum Brema purgatorio igne per dies illos, parui tamen ducebant ciues detrimentum. Erat enim per eam tempeſtatem plenis nauigãs velis ciuitas Bremenſis, quum liquor ibi in potum decoctus, cereuiſiam noſtri vocãt, vndiq; vel ſolus in precio eſſet. Victualia vili mercabãtur, nullo ferè precio: incredibile memoratu, quàm vili agnus, quanti bos etiam craſſus, & quàm parui emeretur. *Annonæ vilitas.* Ex adipe & pelle, carnes lucrifaciebant. Sed de his poſteà.

VERDENSIS autem eccleſia tum pontificem meruit ex ducibus Brunſwici, CAP. 36. Conradum, germanum fratrem Ottonis Hildeſemẽſis, & Alberti atq; Ioannis ducum. Sedit in epiſcopatu annis triginta tribus. Quum primùm ad eccleſiam veniſſet, rerum eccleſiaſticarũ inſolens, aliquanto ſe videbatur immodeſtius, quàm par erat, gerere: ſed poſteà ad cor rediens, glorioſè rexit eccleſiam. Cantoriam, nouam in eccleſia ſua dignitatem inſtituit. Hoc infelicitatis expertus eſt in ſuo epiſcopatu, quod quum bellum illi eſſet cum archiepiſcopo Bremenſi, eccleſia hoſtili igne cremata eſt, anno octuageſimo primo, & prouenit irrecuperabile damnum, qualia ſolent in bello multa etiam inuitis principibus contingere. Hic pontifex contulit fratribus duos coros ſalis in ſalina Luneburgenſi, & adiecit eccleſiæ bona, quæ *Belli incommoda.* dicuntur Vriban, & præfecturas quas vocant Gogreueſcop, in Verda, in Doruerden, in Zueuerdinge, Schiſlo, & Viſſelhouede. Poſuitq; primum lapidem huius nouæ baſilicæ, anno MCCXC. in quo etiam deceſſit XVIII. Cal. Octob. Per huius pon 1290. tificis tempora Bremenſis archiepiſcopus Giſelbertus, poſt bellum quod illi cum Verdenſib. erat compoſitum, ſumma tranquillitate viuebat ad vicinos. Erat enim is archiepiſcopus in amicos humilis, in hoſtes animoſus, ſuis plurimum beneficus. Comites Holſatiæ multis vicib. defendit, à regib. Danorum laborantes, eccleſiã in omni bonitate regebat. *Quàm cũ multu illi commune crimen.* Vnũ gloriæ eius crimẽ inſcribitur, tantum implicitus dicebatur curis ſecularibus, vt eccleſiaſtica miniſteria penè negligeret. Multum profe

cit ecclesia in temporalibus sub illo. A fundamentis erexit arcem Tedinghusen, Ottersberge demolitam instaurauit: turrim solidam ex cocto lapide in Vorde, lateritiam, similemq; Bremæ domum extruxit. In Languedel quoq; mansionem erexit, & ornauit. Nouum oppidum iuxta monasterium virginum Buytehude, quòd à monasterio nomē sortiretur, communiuit. quod hodie visitur magis olim, quàm nunc, floruisse. Præiudicium inde monasterio natum, interuentu episcopi Verdensis, magnificè compensauit, datis pecuniis ac literis de nouo collatis super omni iure monasterii. Perennauit hic pontifex in ecclesia memoriam suam cōstitutis redditibus, vt etiam suorum inde prædecessorum mentio in precibus haberetur. Extruxit autem altare in ecclesia ad monumentum & bustum prædecessorum. Peruenit ad senectam vberem: sed in ea, vt fieri solet, etiamsi morbi, quod rarū est, non accedant, ipsa sibi senecta est pro morbo. Nam & calculo vexabatur, vt eques incedere nō posset, sed vectationibus circumferebatur. Quæ res Kedingis contemptū eius nutrire videbatur. Accesserant in eam sententiā cum Kedingis nōnulli Transalbiani: nec vlla re eualuit proteruiētes ad sanam reducere mentem, quū hoc multis viis, antequam arma corriperet, pertentasset. Nouissimè autem auxilio ducum Saxoniæ & de Brunswico, comitum Holsatiæ & de Oldenburg, adunatis ministerialibus ecclesiæ, de omni terra exercitum copiosum immisit cōtumacibus Kedingis: & facta multa strage, malis suis perdomiti cesserunt. Indoluit tamen archiepiscopus vehementer, quòd sine cæde & sanguine plurimo res fieri non potuit. Angebat ea res decrepitum pontificem, ita vt morbus inde cresceret, & ad capulū res perduceretur. Nouissima decumbentis verba pœnitudinem effusi sanguinis indicabant. Bonus enim pastor non sanguinem corporum, sed lucra quærere debuit animarum. Sed quid fiet, quando ad sanam mentem pertinaces aliter reduci nō possunt? Quieuit in pace Christi, postquam annis triginta tribus præfuit ecclesiæ, cùm

Senectus per se grauis.

Omnia verbis quàm armis prius sapientem decet experiri.

1296. post Christum natum MCCXCVI. decurrisset. Tumulatus in ecclesia sua, quā non mediocriter extulit opibus, vtinam & moribus prouexisset.

Cap. 37. LVBICENSI tum ecclesiæ longæuus senex Burchardus, agnomento de Sarken, anteà cantor in ea ecclesia, octuagenari[9], ad episcopatum adsumitur: & quum nō putaretur quinq; aut sex superuicturus annis, peruenit in ecclesia ad annū quadragesimum primum: quod monstri simile est, & in terris rarum, tam viuacem esse senem, vt perueniat ad annos centum & viginti. Nec erat illi ocium, sed labor plurimus primo anno sui pontificatus, propter debita per suum contracta prædecessorem. Abiit in Franciam vt parceret impēsis, & perinde absens ex prouentibus multum æs alienum soluit. Villam quoq; Eggerdistorpe CCCCXXX. marcis comparauit, & tertiam partem iudicii supremi in villis ad mensam episcopalem spectantib. Surrexere graues controuersiæ capituli & fratrum: quibus adeò se immiscuere ciues, vt capitulum cedere cogeretur de loco, formidine maioris mali. Erat annus in episcopatu quartus, hoc est millesimus ducentesimus octuagesimus, quum occasione causæ fratrum cederent. Altera vice anno pontificatus vigesimotertio, hoc est, Christi nonagesimo tertio quum omni Lubicenses conatu contra ecclesiam agerent, super iure molarum aquatilium, non longè ab ecclesia: tum pontifex ipse in persona curiam adiit Romanam, ibique per annos quatuor constitit, pro ecclesia sua viriliter decertans: gloriosè tum, licet sumptuosè & laboriosè, triumphauit in causa. Nouum in ecclesia ministerium instituit, cellarium faciens, qui canonicis panes præbēdales singulis quartis feriis & sabbatis ministraret: pro qua assignauit singulis annis sexaginta mensas siliginis ex decimis mensæ episcopalis. vndè factū est, vt successores eius in hodiernum soluant capitulo sexaginta marcas. Ædificauit idem capellam cohærentem magnæ domui lapideæ in Vthin, quę tamen hodie diruta est: & maior capella & solennior per quendam ex successoribus eius Euerhardum est exornata. Fundauit quoq; perpetuum beneficiū in ecclesia Lubicensi ad altare sancti Habundi, hodie tamen ad aliud altare est translatum. Huius authoritate ecclesia pridem parochialis in Vthin, est in collegiatam erecta, licet sit per alios sic dotata. Nec enim omnia possumus omnes. Maior pars rei, principium est, &, vt Horatius, *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.*

Senectus longæua.

Ordi-

Ordinauit etiam carceres tenendos per decanum Lubicensem, certos redditus assignando, ne clerus esset laicis ludibrio. Peruenit viuendo ad annum Christi millesimum trecentesimum decimum septimum, in episcopatu XLI. & quieuit.

CAP. 38.

Ex votis in electione diuisis graue oritur bellum.

MAGDEBVRGENSIS ecclesia post Conradum passa est diuisionem grauem, quę in apertum bellum processit. Nam diuisis in electione votis, quidam prępositum maioris ecclesię Ericum, de Brandenburg marchionem: alii ex canonicis Bussonem de Queruorde comitem, assumendum per electionem putauerunt. Durum inde bellum enascitur, multa leuia prælia, damna, incendia, cædes. Res deinde cōponitur, data pecunia electis, vt cederent: & assumitur tertius, dominus Guntherus, de Sualenberg comes. Marchiones tamen pacta violarunt, renouantes bellum pro fratre in Guntherum. Ille vbi persensit multorum in se perfidiam (nam magni se principes immiscuere bello, duces ac comites) tranquillitati suæ consulens, quum non annum integrum impleuisset, cessit Bernardo de Welp comiti: nec illi quies erat, marchionibus ad cuncta tumultuantibus pro fratre suo Erico. Diuisi tamen erant altrinsecus: nam erat ex marchionibus, qui huic episcopo auxiliaretur in patrueles. Episcopus quoq; Hildesemensis inter auxilia erat Bernardi, nihil veritus, quòd frater eius Albertus dux Brunswicensis, staret in altera parte. Multa incommoda vicissim intulere partes: nec requies erat, donec nonnulli turbatores pacis de medio fierent. Iste verò Bernardus solis duobus annis in magno labore præfuit, ita vt triennio multi in ea ecclesia episcopatū ambirent: duo susciperent, Guntherus & Bernardus: quorum postremus concessit in fata, locum faciēs successori.

CAP. 39.

HILDESEMENSIS ecclesia post Ottonem meruit pontificem Sifridum, natum comitibus de Queruorde. Arcem Rutę hic à fundamentis erexit, restaurauitque Leuenburg priùs demolitam: præfuitq; ecclesiæ per annos triginta. Quum initio pontificatus eius, marchiones de archiepiscopatu Magdeburgensi laborarent, non potuit immunis esse, quo minùs Bernardo propinquo suo assisteret, quod ei bellum velut hæreditarium ex antecessore prouenit: illo verò pacato, reliquū tempus ad finem in tranquillitate peregit. Præfuit Romano Imperio per eius tempora Rodolphus, pridē comes de Habspurg: qui initio Imperii sui de ecclesia benè merendum putauit, restituens illi Bononiam cum Romandiola, quam prædecessores eius, præsertim Fridericus II. per Gibellinos suos sibi conciliauit. Magno ille bello conflixit cum rege Bohemiæ, qui illum indignaretur agnoscere Imperatorem, quem pridem habuit suæ curiæ magistrum, & perinde suum ministrum. Sed hæc in Saxonia diximus pleniùs. Floruit illa ætate, relicta ducis Poloniæ, Hedwigis, fœmina mira sanctitate. Paternum illi genus fuit ex Bartoldo marchione Badensi, duceq; Morauiæ, in oppido Kitzing literis edocta: nupsit Henrico duci Slesiæ, qui quòd barbatus semper incederet, inde mutuatus est cognomen: genuitq; illi filios tres, quorum maior natu bello Tartarico periit. Erexit monasterium virginū in Trebnitze iuxta Vratislauiā, in quo cælibem vitam duxit. Filia eius Gertrudis inibi centum virginibus præfuit. Mater autem ita vixit, vt & viuens & moriens clareret miraculis: quibus adductus Clemens papa, eam in sanctorum retulit catalogum. Per idem tempus quum in Traiecto iuuenes, puellæ, viri, fœminæ choreas ducerent in ponte frequentes, venerabile Christi sacramentum deferebatur, nec illi prosternuntur, intenti vanitatibus, mox ponte desidente, ducenti propè mortales perierunt. Discite non temnere diuos.

Rodolphus comes de Habspurg Imp.

Casus miserabilis.

CAP. 40.

Libertas Italiæ ciuitatib. venditur.

HALBERSTADENSI autem ecclesiæ prope eadem tempora præfuit Albertus, vir insignis, ex comitibus de Aneholt, qui ecclesiam illam annis quadraginta quatuor feliciter gubernabat. Quo tempore Rodulphus Imperator cancellariū suum, hominem Genuensem, in Italiam misit, præsertim in Hetruriam: omnes qui pecuniam attribuerūt, in libertate dimissos, Imperii fideles pronunciauit. Per quā occasionem Lucenses duodecim millibus aureorum datis, libertate donati sunt: & Florentini ad quietem perducti, nouam inchoarūt reipublicæ gerēdæ formam, in qua vsq; hodie permanserunt. Hic nostrorum Imperatorum primus Italiam pro deserta videtur habuisse, quamuis nonnulli ex successorib. sint illis colluctati: nullus tamen ante hunc ciuitatibus vendidit libertatem. Fecit, quod solent, qui rebus

melioribus desperatis,non quod volunt,sed quod velle cogũtur, faciunt: aliquanto tamen melius erat,si nihil ille armorum pro recuperandis Imperii iuribus intentare voluit,causam ipsam integram seruasse successoribus. Interim res floruerunt in Sicilia sub Carolo secundo primi filio,qui ex filia regis Vngariæ multam prolem reliquit,è quibus Robertus patri & auo successit in regnum: Carolus filius,materno genere,ad Vngarię regnum peruenit: Ludouicus filius,ordinem Minorum amplexatur,ita in eo viuens,vt inter sanctos sit relatus. Ob cuius viri mentionem,patris eius memoriam fecimus, in hac religionis sacræ & ecclesiasticarum rerum prosecutione.

Regis Fil. ordinem amplexatur Minorum.

CAP. 41. MAGDEBVRGENSIS ecclesiæ tum crebriùs innouatur archiepiscopus. nam Bernardo vita functo,capitulum cum militaribus finem bello cupientes,Ericum quondam præpositum suum,marchionem de Brandenburg elegerũt: virum pontificatu dignum,sed qui ciuibus eius vrbis, propter grauia incommoda diuturno bello illata, displiceret: eductum in vrbem,tumultuantes circumsederunt. Vix elabitur magno suo periculo de manibus eorum: sed ita deinceps vixit, vt ciuibus suis esset acceptissimus,intantùm,vt quum bello postea captus, neque à fratribus, neq; à ministerialibus ecclesiæ suæ redimi ære curaretur,ciues enumeratis pro illo quingentis argenti marcis, à sua captiuitate eorum beneficio laxaretur. Denique quum bellum esset in diebus eius aduersus marchionem vnum (plures enim tum fuere)archiepiscopus tum educto exercitu cum fratre,qui illi auxilia miserat,obsedit arcem cum oppido Nouumgatersleue. Trahebatur in longum obsidio: & ipsi principes,recreandi animi gratia,relictis ad obsidionem suis,abierunt in arcẽ Calue.Collocuti inuicem ministeriales ecclesiæ,dum abessent principes, benè gerendæ rei occasionem prætermittere noluerunt:itaq; adunati ad hostes exierunt è castris,illos pellicientes ad prælium.Illi quoq; impigri exierunt euocati: & mixto inuicem prælio,multi de castris archiepiscopi capti sunt,& in arcem abducti.Reuersi principes,quum quid actum esset intelligerent, soluerunt obsidionem. vt capti laxarentur,dedit archiepiscopus in pignus pro accepta inde pecunia, Lusatiam, suæ partis ditionem.Marchio frater eam rem animo voluens acerbius, quum postea versaretur in Magdeburg, videretq; obuersantem oculis suis militẽ, eius prælii authorem,iussit eum in ecclesia sancti Pauli cædi, cæsumq; ecclesia per capillos extrahi.Ita violentia principum,fas atque nefas sæpè confunditur.

Odium in summam versum beneuolentiã.

Dirum & crudele factum.

CAP. 42. MINDENSIS ecclesiæ tum præpositus erat pontifex Otto, eius nominis primus,ordine pontificum trigesimus quartus,frater ordinis Prædicatorum:quod vnum inter mirabilia numerabimus,quòd viri militaris generis, qui eam ecclesiam tenuerunt,vt modò tenent,admiserint fratrem de ordine mendicantium. Hoc nisi factum sit per contentionem partium,vt nec mihi, nec tibi sit, aut per specialem prouisionem Apostolicam,prorsus non intelligo:nam ob religionem & eius amorem,assumptum virum,aliâs optimum,non facilè crediderim. Facit hoc morũ nimis magna diuersitas, & contemptus quidam in viris militaribus sacræ religionis. Vtcunq; fuerit,iste ad pontificatum peruenit,negociis ciuilibus & armis insuetus: cogebatur tamen se rebus & tempori coaptare. Defendisse iura ecclesiæ suæ fertur,ne quid caperet detrimenti. Sedit annis non totis septem, & in vigilia sanctæ
1275. Elisabeth,anno Christi MCCLXXV. emigrauit de turbine in requiem: vt experiretur, quantum intersit inter monasticam quietem, & perturbatissimam negociorum seculi inquietudinem.

CAP. 43. SVERINENSI ecclesiæ per ea tempora præfuit vir insignis, Gotfridus, genere ministerialium de Bulowe,seditq; in ecclesia annis viginti duobus. Vidit temporum mirabiles mutationes. Nam Imperator Rodulphus, ex comite non magno magnificus Imperator,Bohemorum domitor, regnum Germaniæ antè sparsum laboriosè adunauit, contumaciam & rebellionem in maioribus atq; minoribus inultam abire non permisit. Erphordiæ in ciuitate populosa, grauis erat ciuium tumultus. Insurrexit vulgus his qui rempublicam administrabant, & pro sua libidine omnia perturbauit. Cæsar velut oĩa dissimulãs, cógitauit quomodo vindicaret. Indixit principib. regni conuentũ in eam vrbẽ. Magno apparatu ciues rẽ gerunt, vt

Rodulphi Imper. encomion.

hospitia parent venturis principibus. Aderant cum Imperatore Saltzburgensis, Magdeburgensis, Moguntinus, archiepiscopi: Bambergensis, Halberstadensis, Hildesemensis, episcopi: Saxoniæ, Brunswici, Luneburgenses duces: marchiones & comites multi. iussit quoque ciues bonos in suo ordine non imparatos esse. *Seditio seuerè punita.* Inde vbi iam omnia ex sententia constiterant, euocauit noxios pristini tumultus authores, vt causam dicerent in conspectu principum. Conuicti autem de pertinaci ac irrationabili tumultu, iussit omnes noxios in medio foro mox gladio cædi: reddiditque ciuitatem in ordinem suum, quum senatui & patribus authoritatem suam in populo reddidisset. Magnæ enim vrbes, nisi in eis regnet iustitia, quid sunt nisi speluncæ latronum, vbi habens sociam multitudinem, impunè peccat? *Iustitia.* Nec facilè audita sunt maiora iniuriæ exempla, quàm in vrbibus malè ordinatis. Rodulphus Cæsar tamen benè consuluit Erphordiæ, quam ex Babylone, hoc est, magna confusione, reddidit in faciem legitimæ ciuitatis.

Cap. 44.

Racebvrgensi autem ecclesiæ per eadem tempora præfuit Conradus, vir ætate prouectus, qui multùm suæ assumptioni reniteretur: præualuitque sententia in eo beati Ambrosij, qui quum ad extremum laboraret, exiturus de hoc mundo, audiuit circa lectulum mussitantes fratres, quem tanto pontifici surrogarent. Erat inter eos qui nominaret Simplicianum. Hoc quum audisset Ambrosius, non creditus exaudire, respondit: senex, sed bonus. Id de Conrado tum sensere fratres sui, quòd senectam eius virtus animi fulciret. Præfuit ecclesiæ non paucis annis: quumque à familiari quodam ex fratribus interrogaretur, Quid est, pater? penè *Senectutis fulcra.* contra voluntatem assumpsimus vos ad episcopatū, nunc quid sentitis? essent fortasse, si cedere liberet, qui onus à vobis acciperent. Ille interroganti nil respondit: vt facilè intelligeretur, susceptum onus non esse tam facile deponere, quàm assumere. simul fortè & illud perpendit, esse rem non boni exempli, per ambitionem alios conscendere, alios detrudi. Igitur permansit in pontificatu ad finem vsque vitæ. Erant ea tempestate mirabiles & miserabiles gyrationes in vrbibus Brunswico atque Magdeburg. Communitas Brunswicensis adunata, per contubernales, Gildas vocant, creauerunt ex suo numero duodecim viros, qui rem omnem gesserunt pro arbitrio. Consilium publicum nullius erat precij, nulla in eo authoritas, omnia ad duodecim viros referebantur. Quum intereà mortuo Wilhelmo domini Brunswici fratres de successione dissentirent, commune Henrico, *Inter fratres de successione bellum.* maiores Alberto fauebant. Ingreditur Henricus, & à communi salutatur pro principe. Albertus posteà ab amicis immissus, fratrem expulit, & de duodecim tyrannis iustitiam fecit. In Magdeburg non minor rerum perturbatio, sed nō idem exitus ad vindictam malorum. Omnem in se authoritatem coniurationis principes conuerterant, publicum consilium pro nihilo fuit, moderabantur rem pro arbitrio: sed in fine, vis magna consilij expers, mole ruit sua, vt ait Satyricus: ita in magno populo magna ruina, vbi rem non ex certa prudentia gerunt administrantes. *Res magnæ absque consilio non geruntur.* Exempla cernimus quotidiana.

Cap. 45.

Mimigardevordensis ecclesia, quæ est Monasteriensis, tum pontificem habuit post Ottonem, Wilhelmum, ex ordine ministerialium de Holte, ordine inter eius ecclesiæ pontifices trigesimum: qui hoc tantùm reliquit in ecclesia memoriale, quia dedit fratribus in ecclesia sua diui Lamberti, & in Bilrebeke, prouentus. Iam tum Romanum Imperium post Rudolphum Sueuum, Adolphus de Nassow, electione principum accepit, defenditq; vt potuit: & erant Germaniæ res *Adolphus de Nassow eligitur in Imp.* sub eo aliquandiu quietæ. Italia iam Imperatoribus nostris valefecit, suis vtens legibus, sed res Christiana in Asia miris gradibus retrocessit: dudum amissa est Hierosolyma, posteà etiam Antiochia. Tripolis ciuitas potentissima hoc tempore *Soldani in Asia gesta circa hæc tempora.* expugnatur à Soldano, magna & miserabili multorum capitum interitu. nam captam vrbem cum vniuersis quæ supererant, victor incendit, & ferro excidit, in tumulum redegit ciuium suorum. Tyrus, Sidon, Barutum, eodem victoriæ cursu ab illo sunt in deditionem accepta. Restabat sola Christianis Ptolemais. Ei cum summus pontifex immisisset sine duce præsidium militum, maior ibi tumultus, quàm ciuitas portare poterat, erat: tenuere tamen eam vrbem aliquandiu post

hæc tempora Chriſtiani,ſed conceſſit etiam illa in fine victori Sarraceno. Miſerabile eſt memoratu,quo labore defendentium,qua calamitate obſeſſorum, infelix ciuitas in ius conceſſit obſidentis. Legat,qui volet,ex his qui rem ſcripſêre: nobis alia profeſſio eſt,contentis tempora magnarum rerum deſignare.

Cap. 46. BREMENSI eccleſiæ poſt Giſelbertum præficitur inſignis vir,Henricus, cognomento Goltorm,eiuſdem decanus eccleſiæ: vir prouectæ & penè decrepitæ ætatis,ſed omnium vnanimi electus voto:natus honeſto genere ex militaribus eccleſiæ,qui nunc honeſtiori vocabulo militares, etiam nobiles dici volunt: ſed ea appellatio ab aſſentatoribus ex ſuperiori Germania ad nos deſcendit: modeſtiores tamen eam non recipiunt. Hic ergo electus, miſſo ad ſummum pontificem eccleſiæ cantore, confirmationem cum pallio poſtulauit, impetrauitque. Deſcendens autem hic nuncius, in itinere defecit. Pontifex autem Romanus tum erat Benedictus vndecimus, qui per omnes gradus ſui ordinis ita profecit, vt cardinalis fieret Hoſtienſis, vnde illi proximus erat ad pontificatum aſcenſus. Memorabile dictu, quum humili genere natus eſſet, ad ſumma prouectus, non erubuit paupertatis ſuæ primordia. Mater eius dum adhuc in minoribus ageret, fratribus veſtimenta abluit. Iam pontifex factus, illam voluit in vrbe videre,iuſſitque adeſſe. Vbi venit,matronæ illam,vt pontificis matrem, ſummis honoribus extulerunt,veſtibus exornantes pro magnificentia ſummi principatus in filio,productam in cōſpectum pontificis,pontifex agnoſcere diſſimulauit: Ego,inquiens,matrem in illo ornamento non agnoſco,non eam talem reliqui:auerſusq́;, fecit cunctos qui honoris illam gratia deduxerant, erubeſcere. Exeuntes autem, pannoſas exuuias mulieri reddidêre,& ita reduxerunt. Tum amplexatus genitricem,In illo,inquit,veſtium apparatu matrem reliqui,ſic recipio:meum nunc fuerit,genitricem cohoneſtare. Sed non diu ſuperfuit. Hic eſt ille,qui Peruſij ſibi ſedē deſtinauit,quum eccleſiam fratrum ſuorum in ſublime extuliſſet,meditatus palatium pontificale deſuper conſtruere. Diis aliter viſum. Expleto vix anno, & paucis diebus,conceſſit in fata,defunctus ac tumulatus in eodem loco, in conuentu fratrum ſuorum Prædicatorum Peruſij. Fecit aliquot in pontificatu declarationes fratribus ſuis fauoroſas. Sed ad noſtrum electum reuertamur. Quum nuncius cōfirmationis ab vrbe allatæ,in ipſo itinere, vt diximus, defeciſſet, alij literas exceptas perduxere Bremam. Venientes autem, inueniunt iam tumulatum electum ſuum,cui confirmationem attulere. Nam itinere in Stadium à Brema inſtituto, media via febre corripitur,& in Vordis arce collocatus,non diu ſpiritum retinuit, vir pro virtute longiore dignus vita,tumulatur cum prædeceſſoribus.

Militares.

Memorabile factum.

Cap. 47. PADERBVRNENSIS eccleſia quum morte Ottonis eſſet viduata,ſcinduntur eligentium vota in duo:nam alij eligunt dominum Guntherū de Sualenberg comitem,qui eccleſiam Magdeburgenſem bellis implicitam dudum reliquit: alij Theodoricum de Ictere præferendum putarunt: & præualuit ſententia eorum, Gunthero per modeſtiam quieſcente, vt qui maiorem contempſiſſet eccleſiam, hanc quoque poſthabere pro minimo duceret. Præfuit autem Theodoricus huic eccleſiæ annis duodecim. Cœpere tum floreſcere nouæ per Chriſtianiſmum religionis,contra ſummorum decreta pontificum:ſed tamen procedunt ſuo more. Ex Cæleſtino ſummo pontifice,qui ceſſit octauo Bonifacio,nomen ſumpſit ordo Cæleſtinorum ſub regula Benedicti: hoc tempore initium, & mirum ſumpſit incrementum,eò quòd ſanctiſſimo viro in carcere defuncto, (cuſtodiri enim illum curauit Bonifacius,ne,quod intenderat,rediret in eremum) propter eius crebra miracula multi nobiles & docti viri,ſpretis ſeculi bonis,& pompis inanibus,ordinem nouum ingreſſi,citò & virorum numero, & cœnobiorum conſtructione mirabiliter eum ordinem prouexere. Ordo quoque Seruorum virginis Mariæ tum habuit initium,authore Philippo, viro religioſiſſimo: qui primus inſtitutor fuit, non longè ab vrbe Florentia. Hanc autem religionem ſub diui patris Auguſtini regula excitauit: atque ipſam verbo & exemplo, additis nonnullis conſtitutionibus, in formam redegit. Quem ordinem à multis improbatum, Benedictus vndecimus, Vrbanus ſextus, priuilegiis & exemptionibus munierunt, & inter mendicantes collo-

Cæleſtinorum ordo.

collocarunt: qui ordo viris clariſſimis, & in declamatione ad populum feruentiſſimis, multo apud plurimos habetur in precio. Sed quando erit finis multiplicandarum religionum, in vno magno eccleſiæ monaſterio ſub abbate Chriſto: cuius regulam per euangelia digeſtam ſi ſtrenuè obſeruaremus, nihil eſſet opus repertitiis illis & nouis religionibus. Siſtendus eſt hîc ſtylus: quia ſi exaudierint, multi cõſurgent in prælium: paratiores contendere, quàm animum ad obſeruantiam diuinæ legis intendere. *Sed an ideo tegenda veritas?*

MAGDEBVRGENSI metropoli, ad annum Chriſti milleſimũ ducenteſimũ nonageſimum quintum prçficitur inſignis vir, Burchardus, ex comitibus de Blanckenburg, gratus ciuibus & bonis omnibus: ſed non omninò approbatus miniſterialibus ſuis, qui quod voluerunt ad nutum ab eo non impetrauere: conſpirantes autem in eum, irrepſere noctu per Albim, vt caperent eum in eccleſia: ſed aduolantibus ciuibus in eius defenſionem, nihil perfecerunt. Annuit ille ciuibus, vt armati exeuntes, fortalicium Randowe, vnde multæ fiebant excurſiones, ſubuerterẽt, frementibus & ſumma indignatione conſternatis eiuſdem miniſterialibus. Quo tempore magna erat conuerſio orbis Chriſtiani, quum ſummi eius principes ſummum principatũ aut vi, aut dolo ſunt aſſecuti. Per idem enim fermè tempus, & Albertus Rodolphi Imperatoris filius, Adolphum de Naſſaw Romanorũ regem prçlio oppreſſit, & regnum Romanorũ, volentibus nolentibusq; Electoribus tenuit: ſed tamen acceſſere ei volentes penè omnes, quia non eſt viſus alius qui dignitatẽ eius poſſet melius tueri. Summũ autem pontificatũ quum teneret Cæleſtinus, vir ſimplex, & eremo paratior quàm throno, occultis modis ſuaſit illi Benedictus Caietanus cardinalis, vir doctiſſimus, experientiſſimus pariter & magnanimus, vt dimiſſo pontificatu, cuius oneri eſſet impar, rediret ad vitam priuatam: alioqui de magno animæ ſuæ periculo ageretur, qui ſe paſſus eſſet in eum locum cõſtitui, cui nulla poſſet ex parte ſatisfacere. Suaſit, ac perſuaſit. Ceſſitq; Cæleſtinus, ac ſucceſſit Benedictus, vocatus octauus Bonifacius. Hic quum legatos miſiſſet in Franciã, duriùs agentes ad mandatũ pontificis, rex illos iuſſit in libera cuſtodia haberi: Papa mox ſacris interdixit, regnoq; regem deſtituit, quòd ius gentium violaſſet: nec antè Imperialem infulam Alberto annuit, quàm ille ſuſciperet titulum regni Franciæ: polliceretur q;, armis ſe regnũ vendicaturum. ſed irrita venti vota tulere. Bonifacius centeſimũ annum nactus in pontificatu, renouauit iubileum, inſtituens eum centeſimo quoque anno venerandum: ſed poſteriores pontifices tempus mutârunt. Archiepiſcopus interim Magdeburgenſis anno nono defecit. *Cap. 48.*

Albertus Habſpurgẽſis Adolphum de NaſſaW Imp. opprimit.

Cæleſtinus Pontificatu cedit.

BREMENSI eccleſiæ poſt Henricum, qui ne viuens confirmationem ſuam cum pallio expectauit, quum prouidendũ eſſet, ſciſſa ſunt eligentium vota in duo: nam alij Florentium de Brunckhorſt ſcholaſticum elegerunt, nepotem Giſelberti, quem ille ſibi ſucceſſorem animo deſtinauit: alij verò Bernardum de Welpa comitem, eiuſdem eccleſiæ maiorem præpoſitum maluerunt. Erant in capitulo ſanioris conſilij viri, qui diſcordiam execrantes, quum ad concordiam qui diſſidebant, reduci non poſſent, neutralitatem elegerunt, ſcientes, quantum mali ſoleat eccleſiis diſcors electio importare. Sciuditur & populus in ſtudiis ſuis: nam Burgenſes præpoſito, miniſteriales inhæſere ſcholaſtico, tribuentes multum memoriæ patrui illius. Mittit pars quæq; nuncios in vrbem, ius ſuũ proſecuturos: imò ipſi electi, aceruatis vndecunq; pecuniis, vadunt ſedem Apoſtolicã inuiſuri: ſibi quiſq; ſtudet omni conatu conciliare fauorem. Res in longum ducta eſt, quòd Clemens quintus illorum temporũ pontifex, Franciam magis quàm Italiam honoraret, primus ſibi ſedem faciens in Auinione, execratus Romanorũ tumultus, quos illi magis ac magis intentabant: elongauit ergò Clemens cum ſua ſede, & Auinione moritur. Ibi diſputatum eſt diu ſuper iure electionis Bremenſis: ad aliquot annos res protrahitur. Bernardus præpoſitus, tædio rerum affectus, renunciauit iuri ſuo: vt alij dicunt, finem viuendi in lite fecit. Ita Florentius confirmationem Apoſtolicã obtinuit. Reuerſus autem ad eccleſiam, nihil magnum aut memorabile fecit: peruenitq; ad annũ milleſimũ trecenteſimum ſeptimum. Quumq; Giſelbertus XCVI. defeciſſet, ſucceſſor eius annũ non impleuiſſet, decem anni Florentio adſcribũtur, *Cap. 49.*

Diſcordia etiam res maximæ dilabuntur.

quorum partem maiorem consumpsit in lite, quam inchoauit sub octauo Bonifacio, & peruenit ad Clementem quintum: cuius sub nomine publicatæ sunt constitutiones, quæ vocantur Clementinæ. Florentius ergò solis quatuor annis ecclesiç suæ præfuit, reliquos sex impendit iuri suo exequendo: & sub Clemente quinto in pace quieuit. Hoc habet memoria eius præcipuum, quod primus vidit celebrari iubileum in Romana ecclesia, institutum per Bonifacium octauum. Ergò Christianismus MCCC. annis iubileum nesciuit, sed posteris seruauit, vt solent boni parentes reponere thesauros suos ad vsum seræ & longinquæ posteritatis.

Clementinæ constitutiones.

Annus iubileus.

CAP. 50.

VERDENSI quoque ecclesiæ post Conradum præficitur vir insignis, Fridericus, quietus, prudens, staturæ elegantis, supra hominum communem proceritatem, simplex & rectus: pro qua re multas molestias intulere improbi ecclesiæ, quũ esse videretur pontifex qui vindicaret. Subornati videbantur ex vicinis, & vt erat suspicio multorum, ab archiepiscopo Bremensi, qui arcem Rodenburg in solo, vt ferunt, Bremensi sitam, occuparent clàm noctu. & propè erat vt proficerent: sed erant in ecclesiæ Verdensis ministerialibus, qui pro sua fide vigilarent. Ergò insidiatores extracti de latibulis, cæduntur, vulnerãtur, capiuntur, & venisse nollent: ita remittuntur, qui fugam inierunt. Quum ergò hostiles in eum animos sic prodidisset Bremensis archiepiscopus: non est visum ex suo more ministerialibus rem sinere inultam. Igitur inuocato armorum præsidio à Duce Luneburgensi, expedito agmine inuadunt Bremensem ditionem, ferro & igni cuncta vastantes penè ad suburbia ciuitatis: magnaq; aucti præda, reuertuntur. Alia quoque vice quum equites incursarent prædia ecclesiæ, abacturi pro sua consuetudine iumenta, episcopus clàm armat suos quos habuit promptissimos, & egressus, manum conseruit cum prædatoribus. Fit pugnando superior, capit ex eo numero triginta, & victor in sua regreditur. Quòd in se, erat vir pacificus. Si temporum illi tranquillitas extitisset, ecclesiam suam locupletasset: sed non sinebat inquietudo proximorum. Præfuit autem ecclesiæ suç in annum vsque vndecimum, appositus ad patres suos, sepultus in senectute bona.

CAP. 51.

MINDENSI ecclesiæ per ea præfuit tempora Volquinus, ordine pontificum trigesimus quintus, vir vndecunque natus, virtute cõspicuus: qui tempora meruit videre tranquilla, quum in Imperio esset Rodulphus comes de Habspurg, cui vacabat ducatus Austriæ, quem assumpsit & transtulit in domũ suam: vnde etiã nati sunt comites Austriæ nostrorum temporum, qui redacti sunt in solum dominum Maximilianum Romanorum regem, & filium ac nepotes eius. Huius pontificis tempore migrauit ad Dominum vir sanctissimus, Thomas Aquinas: cuius transitus domino Alberto, quondam Ratisponensi episcopo, sed à turbine rerum seculariũ ad tranquillitatem monasterij redeunti, reuelatus est, quum maneret in conuentu fratrum suorum Coloniensi: Ille in lachrymas resolutus, testatus est multis fratribus, filium suum in Domino charissimum, Thomam, emigrasse. Post cuius obitum idem D. Albertus, vix quinque annis supererat, vir natu grandæuus, & qui Thomam quinquagesimo anno ætatis excedentem, multis annis præcesserat. Albertus autem anno Christi millesimo ducentesimo octuagesimo quinto excessit, teste inscriptione marmoris, illi in memorati conuentus choro superpositi. Dictũ verò D. Albertum morientem, pro vitæ sanctimonia & doctrinæ eminentia luxit omnis prouincia. Aderant eius funeri D. archiepiscopus Coloniensis Sifridus, aderant maioris & omnium collegiorum canonici, aderant deforis ex nobilibus plurimi, tota ciuitatis multitudo pompam funeris ornabat. Quæ testimonia sunt insignis & incomparabilis virtutis in viro memorabili: cuius exequias nemo qui adesse poterat, neglexit. Extraxere fratres ętate nostra reliquias eius, & in medio choro, extructo tumulo, supra pauimentum collocauere, admittentes viros graues vt cernerent integrum corpus, nulla deformatione, nisi quòd mandibula parum videretur collapsa: siue balsami beneficio, siue Dei miraculo, Deus nouit, ducentos annos durauit in sarcophago. Quę oculis conspexi, hac scriptura contestor. Sed ad Mindensem redeo pontificem Volquinum, qui ex hoc mundo transiuit ante D. Albertum triennio: hoc est, anno Christi millesimo ducentesimo octuagesimo secundo,

Austriæ ducatus.

cundo, in die D. Godehardi, Hildesemensis quondam episcopi, cùm annos non totos octo complèsset in episcopatu.

OSNABVRGENSEM ecclesiam post Conradum de Retberge, excepit Ludouicus, natus comitibus de Rauensberge, ordine pontificum trigesimus tertius, vir magni animi, qui ecclesiã laboriosè rexit, quum multa illi orirentur aduersa. Simon de Lippia tenebat arcem Engeren, veterem sedem principũ antiquæ Saxoniæ Wedekindi & filiorũ eius: vndè nomen Anglis Saxonibus, quod olim intulerunt Britanniæ, vt ex illis diceretur Anglia, quod nomen seruat in hodiernũ: seruatura, vt creditur, in finem. Ex hoc loco Simon comes multas iniurias ecclesiæ & eius subditis irrogabat. Non tulit episcopus Ludouicus, sed obseruato tẽpore, quũ in armis esset Simon memoratus, abstulissetq; pecora ecclesiæ, armatur & ille cum suis: & egressus, occurrit per compendia agmini hostium, & facta congressione de more militari, quum infesti inuicem concurrissent, multo labore exantlato, capitur comes, & in ciuitatem captus abducitur, sex annis retentus in vinculis, donec consentiret vt redderet arcem, nouum oppidũ stirpitus euerteret, iuraretq; in reliquum se abstinere iniuriis ecclesiæ. Fideiussores interuenêre comites de Tekeneburg, Benthem, Sualenberg: Balduinus de Steenforde, & Otto de Ahuss barones: Burchardus de Stroberge, Bernardus de Beuern milites, cum nonnullis aliis. Bellum ibi deinde oritur in Ottonem de Monte, occupatorem ecclesiæ Monasteriẽsis, quum illi inhæreret comes de Marca. Non dubitauit Ludouicus occurrere hostibus: facta congressione, fortiter pugnatur: & longa interueniente cõflictatione, superatur comes de Marca, qui antè tulit candidũ episcopi habitum, quem armis superinduit paludamenti loco: quumque capto supereminereт iacenti episcopus, aduolans quidã ex agmine episcopi, quum crederet episcopum premi sub comite, quasi comiti vulnus inflixit lethale, ignorans dominũ esse suum. Victoriã quum reportasset, tertia pòst die ex vulnere mortuus est: quum præfuisset ecclesiæ annis duodecim, plura quoq; iura ecclesiæ suo tempore recuperauit. CAP. 52.

Angliæ nomen vnde.

MAGDEBVRGENSI metropoli post Burchardum præficitur Henricus, ex comitibus de Anholt. Ipse profectus in vrbem, vt pallium cum confirmatione acciperet, res in longum ducta est: diu deliberatur de eius confirmatione. Vix enim primas literas attigerat, penè laicus: sed tamen assequitur quod volebat, reuersus in pace ad ecclesiam suam. Vir erat ingenio acri, etsi literarum esset expers. Tacitus multa machinatur: expediuit exercitum, equites peditesq; habuit promptissimos. Plaustra inania iussit velari quasi intus fruges veherentur: collocauit intus armatos, & ex latere curruum agnos & aucas appenderat, quasi transituris ad forũ rerum venalium. Propinquabat oppido Schonenbeke, cui erat iustis causis infestus. In media porta, ex composito rota egreditur ab axe: ruit plaustrum, exiliunt armati. Non erat longè cum agmine ductor, occupatur oppidum, & ad nutum diripitur. Omnibus ibi ex cõstituto ordinatis, eodem agmine Magdeburg ingreditur. posticę claues à portario capiuntur, maiori, vt putabatur, agmini immittendo. Vbi res innotuit ciuibus, fit concursus. Propè erat vt in tumultu archiepiscopus cum agmine cæderetur: sed pacata res est bonis conditionibus, vt non vltrà procederet tumultuatio. Seruauere ciues furorem suum in tempora successoris eius, in quem plenè, quod dicemus, debacchati, effuderunt quicquid à multis annis odiorum collegerunt in ecclesiasticos. Henricus autem ad annum pontificatus sui tertium emigrauit, translatus, vt confiditur, ad superos. CAP. 53.

Stratagema.

RACEBVRGENSI autem ecclesiæ post grandæuum Conradum surrogatur & præficitur ex fratribus Hermannus, germanus frater Vlrici episcopi, ante illum secundi. Ferũt, quum Vlricus optimus ægrotaret, magno sui desiderio adstitere fratres: & vbi de illo actum esse cernebant, interrogauit quidam familiariùs, si illum de medio faceret Dominus, quid videretur de illius germano Hermanno, essétne ecclesiæ præficiendus? Ille, ne sanctuariũ Domini hæreditario iure traderetur, fertur auertisse fratres, ne germanum assumerent. Igitur consilium secuti, prima vice fratrem præterierunt: sed nunc voto suo satisfacientes, eundem elegerunt. Fratricelli de opinione deprensi, tum iussi sunt, Papa Bonifacio præcipiente, extermi- CAP. 54.

nari. Vetus malũ,& quod in vrbe Roma ante Christũ depræhensum & punitũ scribit Liuius in tertia decade, toties renouatum, necdum exterminatum ferunt. Iussit pontifex corpus authoris, cui Hermanno nomen erat, apud Ferrariam extumulatum, post annos viginti à morte sua, concremari. *Nicolaitarum hæresis.* Nicolaitarum secta est de publicandis mulierculis,& promiscuo complexu. Noctu conueniunt in abditis locis, sacra execranda faciunt, lucent vndique luminaribus tenebrosa. Vbi concrepuit maior in cœtu, candelæ in vnum extinguuntur, ruunt in amplexus vt quisque proximus erat fœminæ. Initiantur terribilibus modis, ne se prodant. Pertinax hominum genus, sæpè deprensum. Legat, qui volet, in memorato loco Liuium, his de rebus vetera recensentem. Nõ minore tum odio Romani, quàm nunc Christiani, improbam sunt sectam insectati. Iudæi quoque, per hæc tempora inuenti malignari in Christianos, miseris modis exuruntur flammis, viri, fœminæ sine discrimine, paruuli ad baptismum reseruantur.

CAP. 55. MIMIGARDEVORDENSI ecclesiæ, quæ est eadem Monasteriensis, post Wilhelmum præficitur Gerardus, natus ex comitibus de Marca, olim dicebatur de Allena, vir illo sacerdotio etiam maiore dignus, qui religionis erat amator & propagator. Nam ad multiplicandum Dei cultum per ecclesiam, fundauit & dotauit collegium in Borkem: adeptusq; est dominiũ in Horstnow, non exili in eam rem impensa pecunia: multaque alia contulit ecclesiæ suæ, in augmentum & splendorem diuini cultus. Floruerunt tum illa lumina iuris per Italiam, Dynus Muxellanus, Iacobus de Arena, Petrus de Bellapertica, qui iuris obscuritatem illuminarunt,& perplexitatem resoluerunt:& in diuina sapientia, Ioannes Scotus, ordine Minor:& Renerius Pisanus, Prædicator. *Scriptores aliquot celebres.* Alanus quoque, insignis vir, tum floruit, qui acumine ingenij & promptitudine disputandi, in omni materia non habuisse fertur secundum. In monasterio Cistertij monstratur eius tumulus marmoreus, cum hac inscriptione:

Quem vides Alanum, breuis hora breui tumulauit,
Qui duo, qui septem, omne qui scibile nouit.

Clara quoque, Eremitarum ordinis virgo deuotissima, in monte Falcone agri Spoletani per hæc tempora claruit: quæ sanctissima virgo tantis fuit ornata meritis, vt sanctorum catalogo piè ascripta debeat haberi. De cuius sanctitatis præconio hoc vnum referimus testimonium, quod apertis oculis hodie conspici potest, quodq; de nullo sanctorum aliàs lectum est. *Crucifixi imago in puellæ demortuæ corde impressa.* Nam in corde eius imago crucifixi Domini concreuit: aperteque cerni potuit ex illo die, quo extractum corpori cor, apertè cerneretur. Tres quoque ibi lapilli sunt reperti, eiusdem ponderis. Mirabilem Dominum in sanctis prædicamus, quia ita per exempla cernimus de Ignatio primitiuo episcopo, qui semper in ore habuit, AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST. Simile aliquid reperitur, quòd in corde eius nomen Iesu aureis literis fuerit repertum post mortem: bestiis enim consumptis, cor inuentum, stuporem fecit Christi fidelibus.

CAP. 56. BREMENSI ecclesiæ post Florentinum præficitur, prouisione summi pontificis, Ioannes, pridem archiepiscopus Lundensis: sed qui regi illius temporis non consentiret, nec moribus aut vita congrueret. Natus militari & honesto inter suos genere. Nam mater etiam regium sanguinem ducebat. Primùm erat præpositus Roschildensis, inde archiepiscopus Lundensis: nouissimè ecclesiam accepit Bremensem, transferente eum Clemente quinto, pontifice Maximo, iuxta ordinem rerum à nobis infrà memorandarũ. *Lingua Danica.* Imperitia linguæ Danicæ fecit, vt apud nonnullos iste Ionas diceretur: nam ea lingua, sicut & Hebraica, Ioãnem solet Ion breuiando vocare: nam & Bariona dictus est Petrus, filius Ioannis. Poterat Bremenses excitare spes veteris iuris recuperandi per illum in regnis Aquilonis, sed nihil inde prouenit. Vir erat doctissimns,& iuris inter suos peritissimus: qui cùm archiepiscopatum Lundensem administraret, regi volenti quippiam per leges illicitum, restitit viriliter, etiam impendere sanguinem paratus, vt ecclesiæ libertatem tueretur. Quæ res tantam excitauit regiam indignationem, vt loco cedere cogeretur. Romam petiit,& apud Bonifacium octauum causam egit ecclesiæ suæ. Misit quoque rex

rex Daniæ poſt illum, ſuum oratorem, Martinum, virum vt tum habebatur, præcipuum, qui inſigne in illa gente non habebat, quòd grammaticolis metaphyſica proponeret perdiſcenda, miſceretq; inaniter longiſſimè diſtantia, inuento ridiculo opere modorum ſignificandi: in quo vſque hodie magnis boatibus tonant muti grammaticelli, quaſi rotati vertigine, quum nunquam ad elocutionem perueniãt: inde gloriam auſpicantes, vnde rideri meruerunt homines inepti. Sed nihil tum profuit Martino inſtantia ſua. Victor Ioannes Lundenſis archiepiſcopus, interdictum eccleſiaſticum per omne regnum obtinuit collocari: in quo quum aliquandiu terra omnis iacuiſſet, iterum rex miſſo oratore, compoſitionem impetrauit, vt Ioannes damnorum & intereſſe nominibus, quadraginta millium aureorũ nummûm ab rege acciperet. Suaſus à pontifice eccleſiam dimittere, quam ſecurus tenere non poterat, non ceſſit. Iſernus intereà quidam ex vicinis epiſcopis, illam adminiſtrauit. Vacabat interea ſedes Rigenſis, quæ huic eſt oblata Ioanni. Suſceptam aliquandiu tenuit abſens: nam Pariſiis habitabat, coemptis multis redditibus per aurum à rege Daniæ in vim concordiæ acceptum, præſertim vt dimitteret eccleſiam ſuam Lundenſem: ſed quum eam primam ſponſam nollet dimittere, caruit etiam ſecunda Rigenſi, quam prius illi contulit Benedictus Bonifacij ſucceſſor. Quumq; etiã illo per mortem ſubtracto ſuccederet Clemens quintus, vacabat interim morte Florentij ſedes Bremenſis, quam ſuadente ſummo pontifice ſuſcepit, dimiſſa tamen primùm Lundenſi: deſcenditq; ad eccleſiã iam ſuam, Bremenſem. Vnde venio in ſuſpicionem, vt credam Florentium in lite apud ſedem Apoſtolicã defunctum: alioqui quomodo priuaſſet pontifex Bremenſes canonica electione, nondum in eam poteſtatem prouectis ſummis pontificibus: vt, quomodo nunc, quibus vellent, prouiderent, ſi non obſtarent per Germaniam principum ſub Nicolao quinto concordata. Ioannes autem in ſuã prouinciã veniens, primùm in monaſterio Hude excipitur, ibiq; à prælatis & totius terræ miniſterialibus perducitur in eccleſiam ſuã cum honore debito: iuramenta fidelitatis expoſcit & accipit, clamante populo, Benedictus qui venit in nomine Domini, in laudem bonorũ, pœnam verò reproborum. Profectus in Stadium, clerum Hamburgenſem euocauit pro charitatiuo, vt vocant, ſubſidio, quod iam annuerat præſtare clerus Bremenſis. Hamburgenſis præpoſitus rem ingrauabat, quòd ſe neglectũ diceret cum ſuo capitulo in iure & honore ab antiquo ad eccleſiam pertinente: conuocandũ etiã clerum ſuum aſſerebat in cauſa præſtandi ſubſidij. Qua in re quia contemptus videbatur, recuſabat annuere. Minatur archiepiſcopus cenſuras: ille appellat ſedem Apoſtolicam. fit multa deſuper contentio. Ex quo die fuit crebra inter eccleſias Hamburgenſem & Bremenſem ſuper iuribus & honore concertatio: quæ durauit per annos multos, quum Hamburgenſis antiquum ſuum honorem recordaretur, quòd matrix & ſola Metropolis haberetur: Bremẽſis nouis rebus, & maximè præſentibus inſiſtens, antiquitatem contempſit. Arcem Vorde tenuit Henricus de Borg miniſterialis, contemptor ſuperûm, oppreſſor (vt ferebant) pauperum, qui neque ordini, neq; ſexui, neq; ętati parceret, paribus grauis, ſubditis intolerabilis, immitis, crudelis, atrox, qui ſine diſcrimine captos in carcere macerauit multos, & extinxit: ab archiepiſcopo monitus, arcem reddere contempſit, cenſuras nihili pendit: armis circunſeſſus, loco cedebat. Poſteà tamẽ pœnituiſſe videbatur, quòd ceſſerit, nulla re mitior in omnes quàm prius. Archiepiſcopus duci Luneburgenſi ac epiſcopo Verdenſi conciliatus, à quibus diu diſſenſerat, noxiam arcem diœceſis Hornborg obſedit: Henricum memoratum malorum incentorem cepit, in carcerem coniecit, quod ille multis immerentibus antè fecit, inde tranquillitas redditur terræ, malo germine euulſo.

INTEREA vocatur archiepiſcopus in vrbem Romam, vt cauſam tractet inter CAP. 57. archiepiſcopum Rigenſem, ac ordinem dominorum Teutonicorum, quod antè pollicitus videbatur. Quum ille accingeretur itineri, & iam paratus eſſet, ſuperuenere aliæ literæ, quæ illi peregrinationem remiſere, lætantibus cunctis, quòd paſtorem ſuum retineret in prouincia. Ea tempeſtate ciues Bremenſes erexere murum in vallo ciuitatis, è diuerſo ab eccleſia. Quam rem ſuſpectã ducens archiepi-

ſcopus, niſus eſt impedire: ſed quum armis & viribus poſſet difficulter, iure cœpit agere, conſtitutis pro ſe vicariis in eccleſia, qui pro abſente adminiſtrarent, domino Burchardo Grelle præpoſito Ruſtringiæ, & Ioanne Paruulo iuriſconſulto. Ipſe profectus Viennam Galliæ, vbi tum ſummus pontifex curiam habebat, cauſam egit aduerſus ciuitatem: ſed quum parum ibi proficeret, vicariiq́; rem omnem pro eccleſia diligentiſſimè curarent, vt moribus & religione cuncta apud eccleſiã reformarentur, parum abſens pontifex deſiderabatur. Reuerſus tamen, inuenit nõnullos militares proteruientes, quorum ductor quidam, quem ferebant non ſano capite: ſed multis ille fretus amicitiis, multa faciebat. Militares archiepiſcopi ex eius præcepto arma in illum ſumentes, diſſimulanter agebant, ne militare genus ſupplantaretur ab alienigena pontifice, quæ res multorum initia laborum dabat. Ea res, nonnullis cauſis accedentibus, omnem miniſterialium ordinem archiepiſcopo faciebat ſuſpectum, vt non ſe illi crederet. Ciuitatem ergo ingreſſus, ibi moram trahebat, dominum Martinum de Hude militem, terræ præfecit gubernatorem. Quem in Languedel commorantem, iuſſit infeſtare vicina loca comitis de Hoia, quòd ille arcem Tedinghuſen tuliſſet ab eccleſia: quem etiam citari eo nomine ad ſedem Apoſtolicam procurauit. Sed quum in vrbe Brema moraretur, omnia quæ foris gererentur, illi aduerſa fuere. quæ res ita illum turbabat, vt etiam inquietum illi faceret locum manſionis. Nam ſacerdotem in ipſa vrbe vinciri iuſſit, ac in Languedel perduci, quæ res capitulum atque populum ciuitatis æquè turbauit. Dominum doctorem Burchardum, & Ioannem, pridem vicarios ſuos, viros præſtantiſſimos, pontifex capitulo eiicere tentauit. Ciues plurimos, quòd ſacerdotem occidiſſent, proſcripſit, nec idoneam ſatisfactionem exhibitam ſuſcepit. Ioanni de Delmenhorſt comiti, grandem debebat pecuniam, pro qua ille auenam ex decima prouenientem accepit: quam etiam rem archiepiſcopus cenſuris eſt proſequútus. Multos ex prælatis & miniſterialibus varia occaſione cenſuris innodauit pro viſitationis impendio, quæ turbatio multiplicata, omnes in eum erexit, vt appellationibus & proteſtationibus vndique inſurgerent in archiepiſcopũ. Cumulabant vniuerſi tot in eum appellationes, vt ſex tabelliones per dies atque noctes ſcribendo fatigarentur. Arcem Languedel impignoratam tradidit pro accepta pecunia: centum conduxit armigeros. ſed ante expletum menſem, & donatiua & commeatus defecerunt. Ventum eſt ad arbitros in controuerſiis: nihil illi diffinierunt quod placeret, omnes traditores eſſe ſuos inclamitabat. Thietmarſiã ingreditur, ſperans ibi laborum ſuorum inuenire requiem, ſed quum illi omnia deeſſent ad ſumptus, facilè illum populus, alioqui inciuilis & contumax, contempſit. Tranſiuit in Norden Friſiæ: ibi contumelias expertus eſt à muliere. Venit in Wildeshuſen, ibi vinctus eſt & cæſus. Iam eum omnes iuxta contempſerant, nihil formidantes cenſuras, aut reuerentes pontificium. Ita generale odium hominem

Sua, vt apparet, culpa. conſectatur. Redibat in Friſiam ſuæ ditionis: dum ibi deſidet, capitulum cernens eccleſiam gubernatoris ſolatio deſtitutã, nobilem virum, Ioannem de Luneburg ducem, eccleſiæ ſcholaſticũ, generalem fecit eccleſiæ adminiſtratorem. Ille communem omniũ hoſtem Henricum de Borg carcere laxat, ac miniſterialem ſuum facit: quod iuxta omnes deteſtati ſunt, memores atrociſſimarum iniuriarum, quas ille cunctis ordinibus irrogabat. Contempſit epiſcopi cenſuras. Nam Marcellum quendam, pontificis mandatũ circunferentem, capit, & in carcere extinxit, quam atrocem iniuriam nulla vindicta plectebat.

CAP. 58. ARCHIEPISCOPVS Romam petens, ſcholaſticum euocauit, & omnes ſibi aduerſantes traxit in cauſam. Nonnulli in perſonis, alij per ſyndicos & procuratores comparuerunt. Ioannes ſcholaſticus præſens ſe tuebatur. Ventum eſt ad arbitros in vrbe, pronunciatum eſt in cauſis, euulgatum eſt à partibus laudũ. Redibat archiepiſcopus in prouinciam, ſperans ſuper omnibus iam eſſe conuentum. Sed parùm implebatur ex his quæ ſunt per arbitros diffinita. Ioãnes dux ſcholaſticus, breui excedens rebus humanis, eccleſiam in perturbatione plurima reliquit. Archiepiſcopus iterum abiens, vicariũ pro ſe dedit, Nicolaum epiſcopũ Verdenſem. Ille vaſtabat prouinciam, malis & improbis vſus miniſterialibus, publicã pacem

cem

cem diſturbauit,diſſimulauitq; violari. Archiepiſcopus illum abſens per literas accuſabat,mutabat vicarios per ſingulos menſes. ita vnius pontificis moto ac perturbato capite,totius eccleſiæ ſtatus fluctuabat. Multa aureorum millia impendebantur litibus,multa guerris: eccleſia miſerè inter manus lacerabatur. Iamdudum de hoſpitali (quod primi pontifices ornatiſſimè, ditiſſimè, diligentiſſimè curarunt) nulla mentio,pauperum reſpectus euanuit. Erat hic archiepiſcopus vir eruditione præcipua,& eloquentia ſingulari,ita vt Ioannes ſummus pontifex,coram ſe loquentem commendaret. Iuſtitiæ quoque tenax erat. nam mercator quidam pontem tranſiens,plauſtrum cum mercibus ſuis caſu ſubuertit. Præfectus defert rem pontifici,quaſi naufragium: merces tetigiſſe terram, & ideò cecidiſſe in commiſſum,vt confiſcarentur. Recuſabat archiepiſcopus,increpãs præfectum,quòd malis pontibus iter publicum ſterneretur: nihil peccaſſe hominem, qui culpa præfecti calamitatem incidiſſet: ſed etſi quid peccaſſet, non perinde mox amiſiſſet ſua. Iubebat reddi omnia eius bona. Vir erat ſeueræ induſtriæ,& qui nihil reliquit impunitum. Dixit enim,quum omnes illi aduerſarentur, Perſequar inimicos meos, & non conuertar donec deficiant. Quum Ioannes,quem diximus, dux Luneburgenſis Auinionem,vbi curia conſederat,peteret, reginam Franciæ interpellabat, vt apud pontificem pro eo interueniret. Illa,vt erat duci cognata,pontificem adiit in perſona. Motus Papa dignitate reginæ,archiepiſcopum euocabat,inter alia allegans, Adſtitit regina à dextris noſtris in veſtitu deaurato. Excandeſcens archiepiſcopus,verba Papæ intercipit,clamans: O diabole, quæ comparatio Chriſti ad Belial? Cui Papa: Viſne frater archiepiſcope bibere ſanguinem regum? Ad quam vocem moderatior factus, cauſas omnes, quod diximus,apud arbitros peregit. His moribus aſperrimis, cunctis ſe fecit pontifex intolerabilẽ,finiuitq; in Pariſio, quum anni viginti tranſiſſent ex eo tempore,quo eccleſiam Bremenſem accepit.

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Iustè factum.

MINDENSEM eccleſiã per ea tempora regebat Conradus, eius nominis II. ordine pontificum trigeſimus ſextus. Tranquilla ſatis vidit tempora: nam pax iam erat eccleſiæ ab Imperatoribus, pax ab execrationibus, quæ ſuperioribus fulminabãt ab vrbe Roma. Rediit eccleſia in poſſeſſionem libertatis ſuæ, vt iuxta prima tempora vacantibus eccleſiis prouiderent per electionem capitula: ſed eam libertatem coanguſtarunt Romani pontifices per multas reſeruationes, per confirmationes quas ſibi ſolis attraxerant,quum antè permitterentur Metropolitanis,cuiq; in ſua prouincia. Pium eſt credere,diuina diſpenſatione ſic rem geri,quando caro & ſanguis nimium imperitabat in archiepiſcopis. Sed hæc non ſunt noſtræ diſputationis. Mindenſis autem iſte pontifex nihil habet memorabile, niſi quòd in diebus eius fratres Minores impetrarunt locum in oppido Hannouer: quod ipſum rebus illius eſt impertinens,ſolum tamen in annali commemoratum. Exceſſit autem iſte pontifex rebus humanis quarto Calend. Iunij, anno Chriſti nonageſimo quinto,in die Marcellini & Petri,quum annos tredecim habuiſſet in Pontificio.

CAP. 59.

ALBERTI KRANTZII
METROPOLIS, LIB. IX.



SVMMORVM catalogum pontificum,ad Gregorium vſque ſeptimum productum,nunc proſequamur, quia pertinet nõ mediocriter ad ſacræ religionis,quam potiſſimum in hoc opere exequimur,illuſtrationem. Seponimus autem hanc commemorationem, quia factu protinus impoſſibile eſt,noſtrorum pontificum in hac prouincia annos & tempora aptare Romanorum pontificum temporibus,agente noſtrorum annalium ſemiplena, imò nulla ex parte plena rerum commemoratione. Non tempora, non res geſtas commemorant: ſolis nominibus & origine natalium commemorata, ſepe-

CAP. I.

Historiæ primæ lex.

liunt cætera. Difficile eſt in ea ſcribere materia, quando diuinare non licet, & lex prima hiſtoriæ ſit veritas.

166. VICTOR tertius, antè vocatus Deſiderius, abbas Caſſinenſis, pontifex ſubſtituitur Gregorio ſeptimo, difficili vtiq; tēpore, ſub Henrico Imperatore quarto. Gregorij ſucceſſor, Gregorij partes defendit in antipapam: ſed nō erat diuturnus eius pontificatus. nam anno ſecundo, non ſine ſuſpicione dati veneni moritur. alij dyſenteria periiſſe teſtantur, quod ipſum non eſt alienum à ſuſpicione dati veneni.

167. VRBANVS ſecundus, ex monacho cardinalis Hoſtienſis, inde Papa creatur. Exagitatus factione Henrici Imperatoris in vrbe, primùm Melphim ſe contulit, concilium habiturus: ſed quoniam non omnia ibi tuta videbantur, Placentiam conceſſit, ibiq; multa reformauit. Inde in Gallias Claromontem venit. Ibi omniū rem maximam aggreſſus in concilio, animauit ingentem principum, nobilium, militum, populi multitudinem, ad recuperationem terræ ſanctæ. Moritur anno duodecimo pontificatus, in domo Petri Leonis.

168. PASCHALIS ſecundus, natione Italus, ex monacho presbyter cardinalis ſancti Clementis, ab Vrbano creatur: ibiq; latitans, nihil minùs cogitans, rapitur ad pontificatū à clero. pontifex factus, ab Henrico quinto malè tractatur. Concilio tamē congregato, reparat per metum malè geſta: diuq; luctatus cum antipapis & cum hoſtibus eccleſiæ, triūphauit. octauodecimo pontificij anno, cōceſſit ad ſuperos.

169. GELASIVS ſecundus, monachus & ipſe anteà, cardinalis creatur, nobili genere, virtute meliore. qui in ea perturbatione pontifex creatur, quum Cintius Romanus ciuis, ex ſuis cardinalibus pontificē vellet. Capitur, in carcerem truditur: ſed Romanus populus non tulit iniuriam: mox ereptū iubet conſecrari. Ille profectus in Gallias, Cluniacū venit: ibiq; moriens, anno primo necdum exacto, tumulatur.

170. CALIXTVS ſecundus, natione Burgundus, nobili genere, regum Angliæ Franciæq; ſanguinem, & nonnullorum Germaniæ principum tangebat. Cluniaci à cardinalibus qui aderant eligitur: nec tamen ante ſumpſit habitum pontificium, quàm ab aliis in vrbe & Italia electio probaretur. Pacem compoſuit cum Henrico quinto. Concilium celebrauit, in quo multa conſtituit ſalutaria. Annos quinq; in pontificatu egit: febre ſublatus ex labore itineris, Romæ moritur.

171. HONORIVS ſecundus, Imolenſi agro, non magno genere natus, ſed magna virtute præditus, cardinalis erat Hoſtienſis. Leo Frangepanis, ciuis potentiſſimus cum populo, Saxonem cardinalem efflagitarunt S. Stephani. Perniciem exempli fugientes patres, ne ex ſententia potentum crearent pontificem, virum potentem, ſanctæ Anaſtaſiæ cardinalem præ ſe tulerunt. Hoc ne fieret, Leo inclinauit ad Honorium, qui annis quinq; in pontificatu peractis, Romæ moritur.

172. INNOCENTIVS ſecundus, patria Romanus, vir magni animi, poſtquā pontificatum iniit, nihil duxit antiquius, quàm Rogerium Siculū ex Normannis, qui ſe regem Italiæ diceret, reprimere. Eduxit exercitum, profligauit hoſtem: ſed à ſuperueniente cum exercitu filio capitur, à patre laxatur. Omnia præter regni titulū impetrauit. Interim Petri Leonis filius papatum inuadit, ſpoliat eccleſiam, Rogerium coronat. Innocentius in Franciam concedit, ab Lothario Imperatore reducitur, concilium celebrat. Moritur decimo quarto anno.

173. CÆLESTINVS ſecundus, natione Tuſcus, ſancti Marci presbyter cardinalis, pontifex ſine controuerſia creatur: nec ſenſit in breui pontificatu vllam turbationem: nam quum vbique peſte per omnem Italiam laboraretur, ipſe pontificatus ſui menſe quinto moritur, ac in Lateranenſi eccleſia ſepelitur.

174. LVCIVS ſecundus, patria Bononienſis, cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem, pontifex creatur poſt Innocentium, cuius tempore nuncius venit laborantis reipublicæ in Aſia. Pontifex ergò nulla interpoſita mora, expeditionem nouam ſolicitat, & ſupplementa exercituum: inq; eo dum ſolicitè immoratur, pontificatus ſui menſe vndecimo, finem viuendi fecit.

175. EVGENIVS tertius, Piſanus origine, monachus pridem ſancti Bernardi, ſancti Anaſtaſij abbas, maiori ſanctitatis amore, quàm rerum gerendarum peritia, patribus allectus: ita tamen gerebat, vt nemo quereretur. Quum intelligeret Romanos

nos poſcere quod non daret, clàm abit: reuerſus, quum nihil timeret, ſenſit malignari: delabitur Tyberi, petitus armis, venit Piſas, inde in Franciam, cum Bernardo ſuo loquitur: ambo armant regem Franciæ. Reuertitur Romam: & multis benè compoſitis, moritur pontificatus anno octauo.

ANASTASIVS quartus, patria Romanus, ex abbate ſancti Ruffi cardinalis, in- 176.
de factus pontifex, ædes pulcherrimas in vrbe ad Pantheon extruxit: plura in vrbe Roma moliturus præclara, ſi longior illi vita fuiſſet. Nam pontificatus ſui anno ſecundo, vitam cum morte commutauit.

HADRIANVS quartus, natione Anglicus, Albanus cardinalis epiſcopus, à 177.
præceſſore in Norwagiam mittitur, vt ibi rem eccleſiaſticam componeret. Reuerſus, pontifex creatur. Vrgent Romani, vt conſules authorizet, renititur, cardinalis armis impetitur. Roma ſupponitur interdicto. Propinquabat Paſcha, populus paret pontifici, conſecratur: Paſcha celebrat, conſul abrogat poteſtatem. Coguntur ad omnia parere, pulſis tumultuantibus. Anno quarto bene geſti pontificatus, Romæ moritur.

ALEXANDER tertius, patria Senenſis (alij ferunt Mediolanenſem) maiori 178.
parte cardinalium pontifex creatur. Octauianus quidam à minori parte electus, ſuffragia quærit Imperatoris Friderici primi, qui velut obedienti inhæret, oppoſitus Alexandro. Continuato ſchiſmate, tres poſt inuicem creat antipapas, Romam educit exercitum. Fugit papa Venetias clàm: ibi agnitus, honoratur, rependit vicem, ibi pax componitur. Pontifex regreditur, concilium agens. Vigeſimo primo anno pontificatus moritur Romæ.

LVCIVS tertius, Lucenſis, poſt Alexandrum papa eligitur. Laborat conſuli- 179.
bus, qui per Alexandri turbata tempora inoleuerant, deſtituendis: illi vrbe pellunt pontificem. Conceſſit Veronam, ibi concilium habiturus ad ſuccurrendum terræ ſanctæ laboranti. Patriæ conſuluit obtentu Friderici, cum quo illi pax erat, vt Hetruria non alia quàm Lucenſi moneta vteretur. Dum nuncij pro concilio eunt & redeunt, ille moritur, anno pontificatus quarto, Veronæ ſepultus.

VRBANVS tertius, Mediolanenſis, pontifex creatur, eodem feruore inſiſtens, 180.
vt rebus Aſiaticis ſuccurreretur. Quumq; principes Chriſtianos diſſidentes videret, de pace reformanda egit, vt expeditio in Aſiam procederet. Audit in dies res fieri deteriores, Saladino vbiq; triumphante. Audiuit iterum captam Hieroſolymam: & erat in itinere ad Venetias. In Francia ad dolorem corporis acceſſit angor animi. Ibiq; moritur anno primo, necdum expleto.

GREGORIVS octauus, patria Beneuentanus, nihil cedens prædeceſſori- 181.
bus animi feruore, ad recuperandam Hieroſolymam eò contenderat cunctis viribus, vt expeditio acceleraretur. Qua de re Piſas proficiſcitur, inter ciues illos & Genuenſes grauiſſimè diſſidentes, pacem reformaturus, vt vno animo nauigarent in Sarracenos. Dum hæc molitur, nondum expletis duobus in pontificatu menſibus, moritur.

CLEMENS tertius, patria Romanus, nihil ſegnior cæteris, principes anima- 182.
uit ad expeditionem. Signari ſe paſſi ſunt Fridericus Imperator, Philippus Franciæ, Richardus Angliæ reges, Odo dux Burgundiæ. Magnis agminibus eò contenderunt. Sed Fridericus Imperator terram ſanctam non tetigit, merſus in Armenia. Ex Dania & Flandria multi acceſſere, ſed nihil magnum peregerunt. Clemens ædificato ſancti Laurentij foris monaſterio, & reparatis ædibus Lateranis, moritur Romæ, pontificatus anno tertio.

CÆLESTINVS tertius, patria Romanus, Hyacinthus antè dictus, vir annis & 183.
moribus grauis, nihil omiſit quod ad ſuccurrendum rei Chriſtianæ in Aſia pertineret, Henricum Friderici filium coronauit. Ædes pulcherrimas, & in Laterano, & apud ſanctum Petrũ, pro recipiendis pontificibus extruxit, & exornauit. Viterbio eccleſiam dedit cathedralem. moritur Romæ anno ſui pontificatus ſexto, magno ſui deſiderio apud bonos omnes relicto.

INNOCENTIVS tertius, natione Campanus, Anagninus ex comitibus, pon 184.
tificatum iniit. Dum audit rem Chriſtianam in Aſia attenuari, Sarracenorum cre-

ſcere, Concilium maximum congregauit Lateranum. Ibi multa conſtituta, quæ hodie extant in corpore iuris. Hoſpitale in Saxia conſtruxit, quod quartus Sixtus renouauit. Turrim ad forum Neruæ comitum erexit. Laudabilia multa ſcripſit, multa conſtituit. Ottonem quartum defendit in Imperio. Anno decimo octauo moritur Romæ, cum luctu multorum.

185. HONORIVS tertius, patria Romanus, inito pontificatu Peruſij, quum Cardinales incluſi arctarentur ſubtractione ciborum, honeſtiſſima vi, accelerare electionem, Romam proficiſcitur, quoad potuit, Aſianæ rei conſuluit. Fridericum ſecundum contra Ottonem coronauit. Ordines Minorum & Prædicatorum confirmauit. Ioannem de Columna cardinalem legatum rebus Aſianis præfecit. Imperatorem Conſtantinopolitanum in baſilica Laurentij cum coniuge coronauit. Moritur pontificatus ſui anno decimo.

186. GREGORIVS nonus, Innocentij tertij nepos, Anagninus ex comitibus, cum Friderico ſecundo luctamen habuit: monuitq́; vt in terram ſanctam, quod pollicitus erat, properaret. Inſtituit, edixit, nauigrauit: ſed ſtatim iter reflexit: tergiuerſantem excommunicauit, anathematizauit, depoſuit. Franciſcum & Dominicum in *Decretalium opus.* ſanctos retulit. Opus Decretalium publicauit. Et multa cōſtituens, reparans, ædificans, decimo quarto pontificatus ſui anno, Romæ diem ſuum obiit.

187. CÆLESTINVS quartus, Mediolanenſis, ex nobili genere, vir ſenex, pontificatum iniit, quum Fridericus ſecundus omnia turbaret, obſeruatis itineribus terra mariq́; euntes Romam cardinales, archiepiſcopos, prælatos teneret, & vinciret in carcere. Sed vir grandæuus tantis moleſtiis non diu ſuffecit, intra primum menſem Romæ diem obiit. Vacauit ſedes, ob multorum cardinalium in carcere agentium abſentiam, penè annos duos, quum eligi non paterentur.

188. INNOCENTIVS quartus, patria Genuenſis, nobilis ex comitibus Lauaniæ creatur, Friderico non gaudente, quum ſciret viri acrimoniam: quum diceret, ex amico cardinale factum acerrimum in pontificatu hoſtem. Conatur pacem reformare, comperit inſidias, nauigat Genuam, elapſus, contendit in Gallias. Lugduni concilium agit: ibi multa ſcribit, nouem annis moratus. Execratur Fridericum, reuertitur Romam, & anno vndecimo pontificatus finem viuendi facit.

189. ALEXANDER quartus, Campanus, ex cardinali Hoſtienſi, Neapoli (vbi Innocentius moritur, & ſepelitur à cardinalibus, expeditionem pontificis in Manfredum Friderici filium ſecutis) creatur pontifex. Excommunicauit Manfredum. Damnat libros contra paupertatem. Claram inter ſanctos refert. Pacem inter Venetos & Genuenſes Viterbij componere anniſus, ita vexatur, vt ibi finem viuendi fecerit: ibi tumulatus, anno pontificatus ſui ſeptimo.

190. VRBANVS quartus, natione Gallicus, Trecenſis, patriarcha Hieroſolymitanus, humili genere, quod exprobranti cuidam reſpondit: Magnos viros non naſci, ſed virtute fieri. Feſtum corporis Chriſti inſtituit. Regem Franciæ armauit in *Verè & laudabiliter dictum.* terram ſanctam: cumq́; omnia circunſpiceret, quæ Chriſtianæ reipublicæ conducerent, in ipſo magnarum rerum conatu, anno pontificatus ſui tertio, moritur Peruſij, & in maiori eccleſia ibidem ſepelitur.

191. CLEMENS quartus, natione Gallicus, Guido Fulcodij, aduocatus conſiſtorialis in Francia, ex vxore duas filias ſuſtulit: inde Narbonēſis archiepiſcopus, poſteà Sabinenſis cardinalis, inde pontifex creatur. Filiarum alteram in monaſteriū collocauit, triginta libras paruorum Turonenſium dedit: alteram maritauit, dos erat ccc. libræ Turonenſium. Ne quid vltrà expectaret, conſtituit. nepotem ex tribus Præbendis vnam, quam ſolam retineret, eligere curauit: addens, non ſanguini, ſed virtuti ſtudendum. Anno quarto moritur. Viterbij ſepelitur.

192. GREGORIVS decimus, patria Placentinus, à vicecomitum familia tum Mediolano pulſa. Laudenſis archidiaconus tum egit in Aſia, & abſens creatur Viterbij pontifex, fratrum diſcordia. Venit, pontificatum iniit, pacem componit inter Venetos & Genuenſes. Lugduni concilium celebrat. Rodulphum Imperatorem approbat. Alphonſum Caſtellæ regem placat, vt iuri cedat. Aretij ex itinere moritur, anno quarto pontificatus. Romam pontifex nunquàm vidit.

INNO-

INNOCENTIVS quintus, natione Burgundus, ordine monachus Prædica- 193
tor. Insignis theologus, dictus anteà Petrus de Tarantasia, prim⁹ ex fratrib. ad pon
tificatum peruenit, creatus à cardinalibus Aretii, quum duraret vetus simultas, ne
ex collegio quisquam crearetur. Vix mensibus sex præfuit, Laterani mortuus, ibi-
que sepultus.

HADRIANVS quintus, Genuensis, ex gente Flisca, comitibus Lauaniæ, ne- 194
pos quarti Innocentii, cardinalis pridem sancti Hadriani, assumitur pontifex. Iam
Carolus Gallus Siciliæ rex, potentiam auxerat per Italiam. Non venit in Italiam, vt
est pollicitus, Rodolphus: igitur vt eius potentiam minueret, descēdit Viterbium:
ibique intra paucos dies vitam finiuit, mense secundo ab assumptione sua, sepeli-
turque apud fratres Minores.

IOANNES vigesimus primus, natione Vlysbonēsis, professione medicus, Tu- 195
sculanus episcopus, cardinalis, pontifex creatur: sed medicinæ quàm rerum in ec-
clesia & orbe Christiano peritior habebatur. Monuit tamen Imperatorem Orien-
tis super vnione promissa. Veneti tum Anconitanos fatigauere bello. Ioannes ca-
meram renouaturus, ruinis opprimitur, mense octauo pontificatus, Viterbii.

NICOLAVS tertius, Romanus, gente Vrsina, Ioannes Caietanus antè voca- 196
tus, præfuit conclaui Romæ Carolus rex, qui voluit Gallicum pontificem, vnde e-
lectio in quintum mensem differtur, odio in se omnium perinde concitato. Factus
pontifex, eius minuendæ potētiæ, instituit cardinales suæ gentis. Misit legatos per
Italiam, vt Romandiolam ecclesiæ recuperarent, vt Tusciam componerent, Caro
lo vbiq; aduersati. Multa struxit, ornauit in vrbe: plura facturus, si longior vita fuis-
set. nam anno tertio defecit.

MARTINVS quartus, Gallicus natione, patria Narbonensis, pontifex crea- 197
tus, Carolum regem ad se gratulatum venientem restituit dignitati, qua illum Ni-
colaus priuauit. Aberant cardinales Vrsini, alioqui Gallici non superassent. Dilata
erat electio in sextum mensem. Vrbem veterem inhabitauit, Viterbium vitauit, ꝙ
sacris esset interdictum. Pontifex erat vita & mente sanctissimus, quarto anno Pe-
rusii moritur, miraculis ad tumulum eius crebrescentibus.

HONORIVS quartus, Romanus, gente Sabella, Perusii creatur pontifex, ꝙ 198
diutina vacatio, perniciosa esset ecclesiæ. Pontifex optimus, qui Gallicis regibus
fauit. Habitauit Romæ in Auentino. eius ædes corruere videntur. Carmelitas mul
torum odio laborantes defendit. mutauit atrum exteriorem habitum, in candidū,
cæteris mendicantibus æquauit. Moritur Romę anno pontificatus sui secundo, se-
pelitur apud sanctum Petrum marmoreo tumulo.

NICOLAVS quartus, natione Picenus, ordine Minor, presbyter cardinalis, 199
Hieronymus antè vocatus, decimo mense pontifex creatur: quum iterùm cardi-
nales non vnum sentirēt, frater tulit papatum. Apud Mariam maiorem habitabat,
omnium ordinum cardinales cooptabat. Tripolis eius tempore in Asia amittitur,
& in Italia multa vidit aduersa. Fabula de illo mirabilis remansit, quòd exauthora-
uerit omnes cardinales, & fratres sui ordinis substituerit: sed ego relinquo in me-
dio. Moritur anno quarto.

CÆLESTINVS quintus, antè Petrus Morouęus, ex anachoreta, quum sedes 200
discordia fratrum vacasset biennio, instante Carolo rege, pontifex creatur. Serua-
uit pristinum vitæ tenorem. Eius incuria multa fiunt exorbitantia, quòd auari & su
perbi, simplicitatem eius contemnerent. Induxit in animum renunciare. Carolus
auertit: sed Benedictus Caietanus apud eum præualuit. Renunciauit in cœtu car-
dinalium: & quum redire ad solitudinem præpararet, capitur à successore, & serua
tur in arce, non diu superuiuens.

BONIFACIVS octauus, patria Anagninus, vir doctus & animosus, pontifex 201
creatur. Iste regna & imperia esse in sua manu arbitratus, duos gladios se habere ia
ctabat. Regem Franciæ destituit: Albertum Imperatorem non aliter confirmauit,
quàm vt Franciam occuparet. Iubileum primus instituit, anno millesimo trecente
simo, qui inde variatus est à successorib. Captus inde Anagnię in paternis ædibus, à
Columnensib. Romā ducitur: ibi dolore animi moritur, anno octauo pontificatus.

202 BENEDICTVS vndecimus,natione Taruiſinus,religione ordinis Prædicatorum,cardinalis Hoſtienſis,Peruſii,quò cardinales ſecuritatis gratia conuenerãt, pontifex creatur. Errata Bonifacii in rege Franciæ, in Columnenſibus emẽdauit: cardinales duos de Columna reſtituit. Moritur Peruſij, pontificatus ſui menſe octauo,ſepultus apud fratres ſuos.

203 CLEMENS quintus, natione Vaſco,Burdegalenſis epiſcopus, quum vrgerẽt Peruſini,creatur abſens pontifex. Electionis accepto decreto,Lugdunum conceſſit,cardinales ad ſe vocat: ſic in alterum annum res defertur, priuſquàm nomẽ Clementis,& conſecrationem pontificiam acciperet.Quæ fuit curiæ in Franciam omnimoda tranſlatio per annos ſeptuaginta quatuor. Creauit ex Gallis cardinales,vt rem Gallicam roboraret.Concilium celebrauit,anno põtificatus octauo moritur.

204 IOANNES vigeſimus ſecundus,natione Gallus,epiſcopus Portuenſis,cardinalis,Lugduni poſt longam viginti trium cardinalium cõtentionem,creatur pontifex,quum duobus annis vacaſſet:& niſi Pictauienſis comes,frater regis,incluſos cardinales coarctaſſet,diutiùs ſedes vacaſſet.Tholoſatiam eccleſiam fecit metropoliticam,Ludouicum Bauarum pro Imperatore ſe gerentem exauthorauit. Multa declarauit,ad nonageſimum annum peruenit, & pontificatus ſui decimo nono Auinione moriens.

205 BENEDICTVS duodecimus, patria Tholoſanus, profeſſione monachus Ciſtertienſis,papa creatur Auinione,qui ſententias prędeceſſorum in Ludouicũ confirmauit.Tum verò Italiæ populi ſe in libertatem erexere, eccleſiæ prædia & dominia inuaſere,quum pontificem ſuis abactum ceruicibus cernerent:ſed immiſit ille duces,cardinales,reges.Septimo anno moritur.

206 CLEMENS ſextus, Gallus natione,ex monacho Rothomagẽſis archiepiſcopus,inde pontifex creatur:qui in contumeliam Ludouici Bauari creat vicecomites Imperii vicarios. viciſſim Ludouicus Imperator in eccleſiæ ditione vicarios creat Imperii.Ita Malateſtæ,Feretani,Vrbini eccleſiam vexauerunt. Tum ſcriba Romæ potentiam aſſecutus,fugit tamen mutata veſte,& præſentatus eſt pontifici. Iſte mutauit Iubileum in quinquageſimum, & peruenit ad annum põtificatus decimum,& moritur.

207 INNOCENTIVS ſextus, item Gallus, Lemouicenſis iuriſconſultiſſimus, ex aduocato epiſcopus Claromontanus,inde cardinalis,põtifex inde creatur:vir integerrimæ vitæ,iuſtitiæ tenax,& ſeueræ induſtriæ. Familiam & ſumptus minuit,idẽ cardinalibus edixit. Legatum miſit in Italiam,qui rem eccleſiæ curaret. Vita probatiſſimos præferebat in eccleſiis.Quumq; claſſem pararet in hoſtes Chriſtiani nominis,anno pontificatus ſui nono moritur:& apud Carthuſienſes,quos prope Auinionem inſtituit,ſepelitur.

208 VRBANVS quintus, & ipſe Lemouicenſis,abbas Maſſilienſis,creatur abſens in legatione pontifex. Confirmat legatum Italiæ. Ipſe pontifex in Italiam deſcendit,Romam petit,Apoſtolorum capita apud Lateranum includit. Palatia in vrbe veteri,monte Faliſco conſtituit. Reducendæ in vrbem curiæ ſpe facta, reuerſurus in Galliam,præficit legionibus hominem Anglicum,carcere liberatum. Reuerſus,apud Maſſiliam anno pontificatus octauo moritur.

209 GREGORIVS vndecimus, & ipſe Lemouicenſis, Mariæ nouæ diaconus,cardinalis,Auinione pontifex creatur,nepos Clementis VI. In adoleſcentia verſatus in Italia ſub Baldo præceptore, conſiderauit rem eccleſiaſticam nulla re meliùs, quàm curiæ in vrbem reductione,poſſe componere. Acceſſit epiſcopi cuiuſdam admonitio, quem, cur apud eccleſiam ſuam non eſſet, quum corriperet: audiuit, Et tu cur non apud tuam? Clàm igitur Gallis, profectionem,vt potuit, habuit:& peruenit in vrbem.moritur Romæ,pontificatus ſui anno octauo.

210 VRBANVS ſextus,Neapolitanus,antè Bartholomæus,archiepiſcopus Batenſis,Romæ creatur,ob impreſſionem(vt Galli ferebant)Romanorum:vir ſęuus,crudelis,inexorabilis. Multos creauit ſui ſanguinis cardinales,veteres in carcere malè habuit,nonnullos necauit:& per omnem ſæuitiam res adminiſtrauit eccleſiæ. Pontificatus infeliciter geſti anno vndecimo,Romæ moritur.

CLE-

CLEMENS septimus, Gallicus, à Gallicis cardinalib. pessimo schismate crea- 211
tur, quum dicerent aliam electionem non fuisse liberam, & perinde illegitimam:
& cum suo idolo in Gallias redierunt, vbi summus pontifex à Gallis adoratur, gra-
tulantibus illis, quòd pontificem recepissent. Peruenit autem viuendo ad annum
decimum quintum.

BONIFACIVS nonus, in schismate substitutus Romæ Vrbano, patria Nea- 212
politanus, ætate iuuenis, vix trigesimum peregit annum. Iratus Romanis diù sedit
in Assisio: fatigatus Romanorum precibus rediit: & iugum illis, quale à seculo non
habebant, imposuit, omnia iura in se reuocans. Celebrauit Iubileũ millesimo qua- 1400.
dringentesimo anno, peruenit ad annum decimum quartum pontificatus.

BENEDICTVS decimus tertius, Petrus de Luna vocatus, in schismate sub- 213
stituitur Auinione Clementi, perdurauit vsque ad tempus concilii Constantien-
sis, inq; eo authorizando variauit: finaliter obduruit, destitutus in eodem, & in per-
tinacia sua permansit idolum cum idolis cardinalibus, qui etiam post ipsum tenta-
runt schisma continuare, sed prohibiti sunt.

INNOCENTIVS septimus, patria Sulmonensis, Cosmarus antè vocatus, san- 214
ctæ Crucis presbyter cardinalis, Romę pontifex creatur post nonum Bonifacium.
Vir grandæuus, experientia multa edoctus: sed tamen, quod in prædecessorib. car-
pebat, ipse faciebat, de vnione non passus audire. Sæuiit in Romanos, illi vicissim
in suos. Moritur Romæ pontificatus anno secundo.

GREGORIVS duodecimus, Romæ in locum demortui Innocentii creatur, 215
Venetus genere, dum Benedictus in Galliis ageret pontificatum. Is conciliũ Con-
stantiense approbauit: priùs tamen missis nunciis, pontifices cohortabantur se ad
vnionem. Tum de loco quærebatur: sed inuenta est mera collusio, quum neuter
cedere vellet: quapropter in concilio Pisano tertius eligebatur, iste tamen posteà
renunciauit in concilio Constantiensi.

ALEXANDER quintus, Cretensis, ordine Minor, Petrus de Candia dictus, 216
Pisis creatur, quum esset archiepiscopus Mediolanensis, & facti sunt tres põtifices.
Vir iste grandæuus, deplorabat sortem suam, diues episcopus, pauper cardinalis,
mendicus pontifex: vix annum impleuit, & mortuus est Bononiæ, tumulatus in
conuentu fratrum Minorum.

IOANNES vigesimus tertius, patria Neapolitanus, Balthasar Cossa, substitui- 217
tur Alexandro, vir seculari imperio, quàm pontificio, promptior. Sunt qui per suo-
rum militum impressionem tradant factum pontificem, quum esset legatus Bono-
niensis. Iam tres erant summi pontifices. Concilium Constantiense approbatur, in
quo renunciari facit Gregorius, & manet cardinalis legatus. Ioannes veniens ter-
giuersatur, & clàm abit. Captus deponitur, & Benedictus destituitur. Ioannes car-
cere elapsus, Florentiam venit, & in domo Cosmæ de Medicibus moritur.

VERDENSIS ecclesiæ habita est mentio, in commemoratione rerum ab Io- CAP. 2.
anne Bremensi archiepiscopo gestarum, cuius proximè meminimus: ideò de Ver-
densi nobis episcopo proximè agendum. Præfuit autem illi ecclesiæ per ea tempo
ra, anni millesimi trecẽtesimi & deinceps, Nicolaus, vir insignis, vndecunq; natus:
hoc enim annales non memorant. Præerat autem annis viginti vir magnæ proui-
dentiæ, siue congregandi, siue ædificandi, siue aliàs vtiliter impendendi habeas ra-
tionem. Prædia quæ prædecessor eius obligauit, iste redemit: agros reddidit ad cul
turam, qui diù iacebant inculti: arcem Rodenborck à fundamentis renouauit, tur
rim in ea firmauit, muro valloq; cinxit. Bona quæ pridem Waldemarus marchio
Brandenburgensis ab ecclesia in feudum tenuit, per eius mortem vacantia, quum
prolem non relinqueret, contulit Ottoni duci Luneburgensi, vt haberet ecclesia
defensorem, qui opportuno tempore gladium vibraret. Iste ergo, quia pacificus e-
rat, nummosus euasit: pacẽ quam gladio comparare non potuit, pecunia indeptus
est. Iste primus celebrauit diuinum officium in ecclesia noua Verdensi die natiui-
tatis Mariæ, quum ad illum diem anni vigesimi tertii post MCCC. renouata, necdũ
esset consecrata. Fames valida & annonæ caritas tum afflixit has prouincias, per an Cometã quæ
nos continuatos ferè nouem. Terribilis cometa cœlum contristauit per Decem- subsecuta.

bremanni decimi quinti poſt milleſimum trecenteſimum, & ſubſecuta eſt maxima hominum iumentorumq; mortalitas. Bonus autem iſte pontifex quum iam ad capulum perueniſſet, in lecto ſuæ ægritudinis cõtulit fratribus pro ſui memoria largam in auro benedictionem.

Fame multa millia hominum pereunt.

Sæuiit fames, quam diximus, vſq; adeò, vt multa hominum millia perirent: periiſſentq; plures in diœceſi Bremenſi, niſi vir magnarum virtutum Ioannes Bock, eccleſiæ Bremenſis decanus, largiſſimas feciſſet eleemoſynas in granis & farina, dudũ in eos caſus collectis. Erogabat ille largiſſimè. Quũ admoneret familia parum ſupereſſe, quod propriis neceſſitatibus vix ſufficeret ad dies paucos: Ite, inquit, donate, perquirite angulos omnes diligenter. Illi autem pridem vacuata vaſa relinquentes, vbi redierunt ad iuſſum domini, plena omnia reperunt: ſtupefacti, renunciant.

Miraculum.

Ille iubet largiùs erogari: Scio, inquiens, beatum Petrum non deſerturũ ſuos, cui dictum eſt à Domino: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Ferunt eundem virum in publica proceſſione eccleſiæ, die Victoris martyris, vidiſſe militem in eccleſiæ medio inſignem, ignotum, veſte præclara: decanum ſacris indutum, qui diuinum eſſet facturus ad aram miniſterium, interpellaſſe diaconum atq; ſubdiaconum ſibi aſſiſtentes, ſi cernerent illuſtrem virum non longè ſtantem.

Viſio.

Illi ſe non videre teſtantur. Tum decanus egreſſus ſtationis locum, ſolus, mirantibus cunctis quid ſibi vellet rei nouitas, adibat, quem ſolus ille videbat. Rogat, dignetur panem in ſua menſa, quem apoſtolus Petrus ſubminiſtraret, manducare. Ille ſe plurimum excuſat, quòd adeſſe non poſſit.

Imò Chriſtus, qui vera eſt petra.

Sciſcitatur decanus, accepta fiducia, quod ſit illi nomen. Ille ſe Victorẽ eſſe, cuius feſtum coleretur, reſpondit. Quũque decanus in genua volueretur, diſparuit. Vidit, & mirata eſt vniuerſa cleri populiq; multitudo egredientem loco ſuo decanum, adiiſſe quem ipſi non viderant: procumbentem autem in genua viderant, & mirati ſunt. Tum adorientes hominẽ ex commodo, qui ei erant familiares, rogant, dignetur exponere quid viderit, egerit. Ille gloriam Dei cum magna humiliate pandit. Ita necdum illo tempore defecit ſanctus in eccleſia Bremenſi. Fuiſſe tamen qui calumniarentur, & obloquerentur, tanquã moti capitis homini, phantaſticum aliquid & inſaniæ ſimile ſit viſum, non ambigo. Sed ita viuitur, vt improbi faciliùs contemnant, quàm venerẽtur, homines Deo deditiſſimos. Sed hæc interim.

CAP. 3. HILDESEMENSI autem eccleſiæ per ea tempora præfuit vir inſignis, Henricus, natus ex comitibus de Woldenborge, qui comitatum de Daſſel coniunxit eccleſiæ ſuæ, quum deficerent hæredes & legitimi ſucceſſores. Præerat tum in Imperio Henricus de Lutzelborg comes, vir inſignis, apud quem facilè fuit præuenientem obtinere quod vellet. Eius quoq; inſigne eſt memoriale, quòd arcem fundauerit ad mœnia Hildeſem: eique indidit nomen congruum ad cauſam, propter quam erigebatur, appellauit *Sturewold*, Compeſce vim improbam. Extruxit quoq; præſidium in loco, quem vocant Tergora canis. Quo tempore ciuitas Bremenſis verſa eſt in miſerum nimis tumultum. Nam pars conſularium in vrbe virorum diuitiis inſoleſcens, alebat audaciam iuuenum, vt impunè quodlibet per libidinem peragerent, homicidia, ſtupra, adulteria, tumultuationes, adminiſtrationem Reipublicæ inter ſe potentes in vrbe familiæ alternabant, omiſſis à conſilio bonis viris, quos libidini ſuæ videbant aduerſaturos.

Seditio ex opulentorum impotentia orta.

Ita renouato ex more per ſingulos annos ciuitatis publico conſilio, quos ſibi morigeros credidere, aſſumpſerant, aliis omiſſis. Per eam opulentorum in vrbe impotentiam (vnde naſcitur inſolentia) & iuuenum diu alitam violentam audaciam, quum virum quendam conſularẽ factioni ſuæ aduerſantem, iuuenes patricii opprimerent domi ſuæ, excita ciuium multitudo, cum nonnullis viris conſularibus ad arma conuolant. Violenti, qui ſibi malè conſcii erant de patrato facinore, cum vxoribus & liberis fugam inierunt. Nemini præcluſus eſt abitus, ita purgata ciuitate inſolentiſſimis hominibus, magno numero proſcripti ſunt omnes. Illi inuocato primùm duce Luneburgenſi, magnam ſubſtantiæ ſuæ partem impenderunt, vt reducerentur in vrbem. Dux aliquot vicibus productis armis, nihil de reducendis perfecit. Illi ad terræ militares conuerſi exules, illos pro auxilio implorabant. Ibi quoque multarum rerum impendia fruſtra perdiderunt. Fruſtrati vbiq;, tandem ad inopiam rediguntur ferè omnes exulantes,

tes, pauperati, qui illis inhæsere ministeriales, exinaniti exules: ærarium quoq; ciuitatis alterna molestatione est exhaustum. ad extremum, quum vndiq; fatigati essent, vtrinq; diffidentes: res finali transactione est sedata, vt euersa fortalicia militarium, non erigerentur denuò. Ciues multis agris villisq; nudati, damna non modica perpetiuntur: sed tamen priuatorum opes facilè reparabantur in terra vberi, magnis tum mercaturis ad mare decurrentibus, quum eorum cereuisia de longè peteretur. Sed incuria eorum fecit, vt Hamburgensium ac Wismariensium cocti ad potum liquores, paulatim excluderent Bremensem. Hęc tum post millesimum trecentesimum proximis annis ita composita sunt. Extant literæ transactionis: stipem annalem ciuitas erogat in memoriam victoriæ, quam se iactat retulisse de terrę ministerialibus, quos nunc vocant militares. Sed Henricus episcopus Hildesemēsis, post annos septem suæ administrationis, in qua sibi non omnimoda quies fuit, erigenti præsidiū in conspectum ciuium suorū, relicto mundo, concessit ex mortalib.

Cereuisia Bremensis.

Cap. 4.

MAGDEBVRGENSI ecclesiæ tum vacanti præficitur vir insignis, Burchardus, ex comitibus de Schrapelow, infaustus pontifex: in quo atrocissimam immanitatem & barbariem infinitam exercuerant, testimonium habētes sempiternum immanissimæ ac beluinæ feritatis suæ. Annis nouēdecim pfuit ecclesiæ, solicitè prouidens, ne quid detrimenti caperet res ecclesiastica: simul etiam procurās, vt temporalia non deficerent. Qua in re obuios semper habuit ciues Magdeburgenses, qui nescio quid iuris, immunitatis aut libertatis prætenderent, quod illis archiepiscopus non permitteret, perpetuo cum illo laborabant dissidio. Nouas, vt ferebāt, impositiones constituit, censibus, tributis & oneris prægrauatis. Obsederat vrbē, armis fretus Misnensium. Ciues nihil mouebantur, captum aliquando tenuerunt: ipse, vt laxaretur, venerabili adhibito Sacramento, pollicitus est, se ad antiqua redacturum omnia, demolitis quę in pręiudicium ciuitatis erexisset. Vi coactus videbatur, & iusto metu, quæ obligationem tollerent. Nihil ergò promissorum impleuit, perseueransq; insectatus est ciues. Illi indurduerunt, creuit in immensum inuidia. Armis diu diffidebant: nunc hac, nunc illa parte constitit victoria. Pertæsum est vtrinq;. Interuenere ex ciuibus boni viri, quibus fidem habebat pontifex. Sperauere ex sententia, si ex propinquo, omissis qui rem aut disturbarent, aut disturbatam tenerent, archiepiscopus cum vrbicis tractaret, colloqueretur q;, omnem amaritudinem facilè eradicandam, & ad bonam intelligentiam essent perducendi. Credidit archiepiscopus amicis, credidere illi simulatis conciuium verbis: falsi deceptique sunt vtriq;. Venit in vrbem, alloquitur, ciues sua iura reposcunt, demoliri quæ in se erexisset præsidia. Non tam benignè quàm sperauerant respondit, vtpote adhuc rebus ad extrema distantibus. Paulatim se boni viri, qui aliud sperabant, retraxere, ne pariter cum archiepiscopo descenderent in periculū. Nam vbi in vulgum manant consilia, omnis ratio, omnis honestatis respectus est à tergo. Circumsedetur archiepiscopus à ciuib. in domo sua. Post aliquot dies capitur, diro carceri mancipatur. Ibi quum diù latuisset, sedens in tenebris lucerna lucens, atrocissimo scelere armantur ex Magdeburgo, Hallis, Caluen, vel sorte quæsiti, vel temeritate pręcipui: & post multos dies ingressi carcerem, vinctum archiepiscopum cinxere corona: & gyrantes, clauis, quas singuli gerebant, confixere. Simili erant habitu, capitibus operti, infernales laruæ, durissimum scelus in Christum Domini, suum archiepiscopum peregerunt. Iam penè in obliuionem venerat. Integro anno ita mactatum contabuit corpus, quum interim capitulum vel metu vel odio viri, vel, quod veri est similius, expectantes atrocissimi facinoris exitum, non poterant aliud existimare, quàm quòd angerentur, quibus modis ab illo manus expedirent. Quum interim disseminato rumore audiunt emortuum, procedunt admissi in carcerem: nulla penè remanserant vestigia archiepiscopi, nisi quòd capitis rasura fuisse pontificem monstrabat. Tumulatur, & ipsi scelerum authores vtroq; gladio per successorem & omnes in circuitu principes, percelluntur.

Vulgus.

Episcopus in carcere clauis configitur.

Cap. 5.

PADERBVRNENSI verò ecclesiæ tum post Theodoricum præficitur Bernardus, eius nominis quintus, natus de Lippia: præfuitq; ecclesiæ per annos viginti, erat annus VI. Ludouici Bauari, hoc est Christi vigesimus prim⁹ post M.CCC. cui

memorandi principes Romanæ eccleſiæ homagium præſtitere, comes prouincialis Haſſiæ, Landgrauium vocant, propter arcem *Schowenborg*, qum eius beneficio tenebat, arx quoq; *Dreidenborg*, & nemus *Reinerſwalt* eiuſdem iuris ſunt, Henricus comes de *Waldegge*, Hermannus comes de *Euerſten*, Guntherus comes de *Swalenberg*, comes de *Retberg*, comes de *Rauensberge*, & Bartoldus baro de *Buren*. Hic Bernardus diffidebat nonnullis ex capitibus à ciuibus ſuis. Obſedit eam ob rem ciuitatem, ne quid importaretur: ſed interuenere tractatus vt placaretur: ciues illi argentum perſoluere marcas CCCC. laudum erat, cuius virtute & pax firma, & pecunia pontifici eſt adiudicata: & quia obſcuritas in nonnullis capitibus non ſatis explanatis remanſit, multi poſteà, & illius epiſcopi & ſequentium temporibus, iniecti ſunt ſcrupuli, quæſitæ tergiuerſationes in annos multos. Erat hic pontifex animo magnus, & in bello victorioſus. Erat familia magna, miniſterialium de *Homelinge*, qui ſe armis auſi ſunt obiectare pontifici, freti opibus & multitudine pugnantiũ. Progreſſus in eos pontifex, adeò confregit in acie, vt omnes penè caperet. Impleuit captis omnia latibula domorum ſuarum, turres, carceres, cellaria: & inſigni emunctos argento, dimiſit. Iſte fundauit arcem *Dringenberch*, & prouentus antiquos domus *Driborch* eò transferebat. Arcem quoq; *Beueringe* idem firmauit, renouauitq; collapſa dudum fortalicia, vt eſſent ſibi ac ſuis in hoſtes præſidia: peruenitq; viuendo, & eccleſiam ſuam fortiſſimè defenſando, in annum Chriſti milleſimum trecenteſimum quadrageſimum. Tum conceſſit è vita, vacuefaciens ſedem ſucceſſori, tranſlatus ad vitam diuturniorem.

CAP. 6. MIMIGARDEVORDENSI, quæ eſt Monaſterienſis, tum præerat ordine trigeſimus ſecundus Euerhardus, cognomento de Deeſt: miniſterialem arbitror familiam, vnde natus ſit. Vir ſine controuerſia magnus, qui maiore nobilitate, quę multa circumſedit illam eccleſiam, contempta, ad epiſcopatum aſſumitur. Hic in rebus arduis vtranq; expertus eſt, vt de illo ſcribitur, fortunã: nec explicatur quid egerit, quídve paſſus ſit, niſi quòd promptum eſt coniectare, rebus bellicis pro eccleſia implicitum, nunc victorem, nunc victum fuiſſe. Multa tum fuere in Chriſtianiſmo miranda. Imperator Romanus quum Italiam, à prædeceſſoribus ſuis penè pro derelicta habitam, inuiſeret, quam neque Rodolphus Sueuus, neque Adolphus de Naſſow, neq; Albertus Auſtrius Rodolphi filius, inuiſere ſunt dignati, potenter intrauit: inque ea magnas res geſſit, adiutus partibus Gibellinorum, qui ſub obtẽtu Imperii ſua commoda procurauere. Infenſus erat hic Imperator præcipuè Florentinis, quos parti ſuæ, hoc eſt, Gibellinis, cognouit magis aduerſari. Vrgebat eos duriſſima obſidione per multum temp⁹: & propè erat vt fame edomiti, in eius iura cedere cogerẽtur: tum verò ad arma quæ pugnant in tenebris, veneno aggreſſi hominem, interemerunt: vt fertur, de manu eius, vnde minimè debuit formidare. Quum enim animæ ſaluti proſpiceret, cibum pro Chriſtiana religione capiens animæ ſalutarem, fertur pariter ſumpſiſſe noxium ac lethale corpori venenũ. Eodem fermè tempore Templarii, qui ſe per Gallias & Hiſpanias diffuderant, poſteaquàm ſubacta Ptolemaida, ſunt expulſi terra ſancta, depræhenſi in perfidia & execratione crucis Chriſti, exterminantur vno die, rebus antè præparatis per Clementem ſummum pontificem, apud reges Franciæ & Hiſpaniæ: alioqui multarum arcium & præſidiorum domini, non tam facilè poterant ſubuerti. Magiſter ordinis cum quibuſdam præceptoribus ductus Pariſiorum in vrbem, ibi ignem eſt expertus vltorem. Non deerant, qui cum illis, & pro illis loquebantur, iniuriam illis irrogari, quòd arcibus & præſidiis multis, quę deſiderarentur, prę eſſent. Sed cui poteſt veriſimile videri, ſummum pontificem, & reges locupletiſſimos, non niſi euidentiſſimis rebus conuictos, perdere milites, qui titulum præferrent Chriſti?

Hoſtia altaris veneno infecta Imp. porrigitur.

CAP. 7. SVERINENSI autem eccleſiæ tum præerat vir inſignis, Hermannus: cuius de natalibus quia nihil memoratur, virtuti aliquid adiicitur. Quem enim ad epiſcopatum natalia non commendant, virtus & induſtria prouehat neceſſe eſt. Sedit autem in annum octauum, à decimo quarto ad vigeſimum ſecundum, exceſſitque rebus humanis in craſtino Vdalrici. Quo tempore milites Hoſpitalarii, diui Ioannis titulo inſignes, iam pulſi Aſia, cogitarunt, qua in re Chriſtiano nomini maximè

ſubſi-

ſubſidiarentur. Opportunam autem rebus gerēdis nacti occaſionem, aggreſſi ſunt omni quo poterant conatu Rhodum inſulam, pulſis inde Turcis, qui tenuerant, occupare. Nihil tum à Chriſtianis ex Aſia profligatis Turci timuerunt: & ideò vbi ſe arbitrati ſunt ſecuros, primū ſunt eiecti. Proſperis initiis ſucceſſere duce Chriſto, meliores exitus. Vrbem communierunt, commeatibus & armis importatis, quòd inſolam mari circumfluam, opportuno loco & Cypriis, & quicquid reliquum erat in oriente Chriſtianitatis, ibi conſederant, à Turcis & Sarracenis defendentes, quā ſemel tenuerant ſedem, annis totis quinq; Sarracenorum Saldanus à mari vexabat inſidentes, illi ſe fortiter ſunt tutati: nec quieuere Turci, quatuor maximis bellis eā inſulam infeſtantes: ſed protegente Chriſto, illi hoſtibus ſunt inuenti ſuperiores, vſq; ad memoriam noſtram, quo de prælio narrabitur ſuo tempore. Qui temporū ſeriem ordinat Deus, ita rem digeſſit, vt quum Templarii pro ſua nequitia interirent, Ioannis milites ſuccreſcerēt, non tunc primùm inſtituti, quippe qui diù Hieroſolymis pugnabant: acceptis munificentia principum præſidiis Templariorum, opibus, viribus, & nomine ſunt vehemēter adaucti, illorumq; virtute ſtetit in hunc diem Chriſtianiſmus qualiſcunque in Oriente: nimiùm minoratus ex eo tempore, quo Turcus Conſtantinopolitanum Imperium inuaſit: quod ſuo tempore commemorabimus.

Hoſpitalarii milites Turcos ex Rhodo eiiciunt inſula.

Cap. 8.

RACEBVRGENSI eccleſiæ per idem tempus præfuit inſignis vir, Marquardus, cognomento Ieſewen: miniſterialis erat familia in terra Wittenborg. Iam langueſcebat priſca religio, &, vt fieri ſolet, cum religione decreſcit prouentus rerum temporalium. Ita vſu compertū eſt, vt vbi cultus ſupernæ maieſtatis in precio eſt, omnia ſuccedant abundanter: ſed illa abundātia, niſi proſpexeris, creſcit in luxum: ille antiquat religionem, proſtrata religio facit pauperiem. Erant magnæ inter epiſcopum & capitulum, rurſum inter præpoſitum & fratres controuerſiæ, quibus ſopiendis, quum nō poſſet aliter fieri, adhibitæ ſunt perſonæ ſeculares, vt arbitri rem componerent. Erat eccleſia multo ære alieno grauata, nec erat alleuiandæ via, niſi exonerarent conuentum fratrib. Itaq; diſperſi ſunt per eccleſias, vt bini in *Loquiſch* alerentur, bini in *Greueſmolen*, bini in *Slaweſtorp*, tres de eccleſia ſancti Petri in *Raceborg* viuerent, & de capella ſancti Georgii in monte, & de capella in *Mieſtin*, qui interim de prouentibus monaſterii, vt alleuiaretur, & æs alienum abiiceretur, nihil acciperent. Qua ex re ſi quid priſcæ religionis remāſit, ex diſperſione euanuit. Sed cum nec ſic proficerēt, deterior ritus inoleuit, vt partitis in capita prouentib⁹, quiſque ſibi proſpiceret de neceſſariis. Peſſima inter fratres inſtitutio, vnde omnis diſciplina regularis auolauit. Inſtituit capitulum, vt quoniam foris eccleſia vexabatur, preces nonnullæ adderentur pro remedio. Sed ſi ad emendatiorem vitam perueniſſent, omnia facilè in ſalutem proueniſſent. Statuerunt tamen, vt omnes & ſinguli purè confeſſi & contriti, diebus Mercurii & Veneris vterentur ciliciis, ſumerent humiliter diſciplinam & correptionem corporalem. Hic pontifex in arce *Sconenberge* conſtrui mandauit refectorium æſtiuum & brumale, cum penu rerū cauſa conſeruandarum. Fecitq; quod potuit, rebus pro ſuo tempore meliorandis: appoſitus deinde ad patres ſuo in ſenectute bona.

Ex abundātia pauperies.

Cap. 9.

VERDENSEM eccleſiam per ea tempora tenebat Ioannes, vir inſignis, medicinæ artis doctiſſimus: qui eccleſiam, vt coniectura aſſequor, non legitimæ via electionis, ſed Apoſtolicæ prouiſionis ſit conſecutus: quòd iam pontifices Romani in Galliis manentes, eccleſias Germaniæ, vt Galliarum, cœperunt conferre, contempto eligentium iure: ſed magno vix labore recuperauit Germania ius liberæ electionis, niſi apud ſedem eandem vacent eccleſiæ. Idem Ioannes, quum ei non omninò regio & eccleſia placeret, maiori aſſuetus ſplendori, rediit ad ſedem Apoſtolicam, ibiq; permanſit, donec transferretur ad eccleſiā Friſingenſem, interim dum abeſſet, Verdenſem eccleſiam ex eius commiſſione adminiſtrabat dominus Godfridus de *Werpe*, qui illā laudabiliter rexit, prudenter inſtituit, potenter defendit, communita arce Rodenburg, vt ex illa excurſiones vicinorum, quales per abſentiam fieri ſolent, prohiberet. Auxit etiam eccleſiæ prouentus: vt facilè intelligeretur, qualis ille futurus eſſet pontifex, ſi per electionem aut aliam prouiſionem ad

eam peruenisset. Aduersus vicinos duces de Brunswico atque Luneburgo, crebrę huic Godfrido fuere de finibus ac de iure controuersiæ: sed nō defuit illi industria tuendæ ecclesię iura, quantùm pręualuit, aduersus potentiores. Hoc tempore quū Henricus Imperator ageret in Italia, filius eius Ioānes rex Bohemiæ per illum creatus, quòd filiam nouissimi regis teneret coniugem, vicariatum Imperii per Germaniam absente patre gerebat: & patre iam mortuo, vocatus in Italiam, venit cum exercitu, & ciuitates quæ patri parebant, aduersæ factionis incursionib. prohibebat. Magnas ibi res gerebat: filium Carolum postea Imperatorem, tum in primis armis agentem, sub se tolerare militiam perdocuit. Bello Gallico consumptus, quum iam cæcutisset in ætate vltima.

CAP. 10. MINDENSI interim ecclesiæ per ea tempora præfuit vir insignis, Ludolph[9], cognomento de *Rostorpe*, genere natus militari, ordine pontificum eius ecclesię trigesimus septimus. Insigniuit sua tempora per victoriam quam habuit de hostibus. Erat ei bellum fortè de finibus aut iure quopiam, quod facilè consurgit inter viros militares, armis & rapinis assuetos. Prodierunt in aduersum ciues Mindenses, secuti dominum suum, vt par erat: iunxere agmina, occurrerunt hostibus, instructi ordinibus: illis quoq; non segniter in ordines redeuntibus, in loco qui dicitur *Sandfort*, ibi digladiantes, varia fortuna pugnauere diù. Cessit terga vertens, nobilis vir Simon, de Lippia dominus. quo declinante, cæteri animis cecidere. Qui potuere, in fugam vertuntur: inter alios Gerardus de Monte, à tergo visus, quem aduocatū dixere. Victoria Mindensium clara fuit. Mansit eius rei diuturna memoria. multi militares viri ac ciues, qui pugnæ interfuere, celebrem habuere diem annuum, vigiliam diuæ Marię quum assumeretur. Pacabat ea res fines ecclesię, vt in reliquum sinerent contermini illibata ecclesiæ iura. Cuius episcopi tempore, monasterium in Esegestorpe fundatum est, & per insequentem pontificem sub honore diuę virginis, ad regulam beati patris Augustini, est consecratum. Multiplicatæ sunt dom[9] religiosorum: si sit pariter aucta religio, & perseueranter continuata, benè habet. Nunc quid fiat quotidie, cernimus: feruenter inchoata, facilè deferuescunt, & humano more dilabuntur in deterius. Quod nisi reparationi morum, sicut ædificationum, succurratur, ruunt omnia ad interitum. Melius fuisset, viam arctam nō ingredi, quàm ab illa turpiter declinare. Sed hæc interim. Hic verò pontifex viuendo peruenit ad annum Christi millesimum trecentesimum decimum quartum, & tum emigrauit ipso die S. Albini episcopi: vnde anni eius facilè cōiiciuntur ab excessu prædecessoris.

Feruenter inchoata, facilè deferuescunt.

CAP. 11. OSNABVRGENSEM ecclesiam post Ludouicum, accepit Engelbertus, cognomento de *Wepe*, qui vigilanter ecclesiæ commodis intendens, ordine trigesimus quartus, nōnullas fecit prædiorum commutationes ecclesiæ salutares, si in eo statu rerum diù permanere potuisset. Arcem in *Witlage* dicitur hic pontifex pro iuribus ecclesiæ suæ conseruandis exædificasse, lateq; prospexisse ecclesiæ suæ, tutandis & amplificandis libertatibus institisse. Hæc sunt illa tempora Ioannis vigesimisecundi Romani pontificis, quibus Clementinas ille cōstitutiones, quę hodie sunt in obseruantia, publicauit. Hic autem pontifex Engelbertus, posteaquàm ecclesię suæ per annos decem pręfuit, euocatus de hoc mundo, concessit, vt confidimus, ad superos, concurrens Ludolpho Mindensi proximè memorato.

CAP. 12. HILDESEMENSI ecclesię post Henricum pręficitur Otto, ex eisdem comitibus de *Woldenberge*, qui quum esset eius familiæ nouissimus, ditionem suam paternam transferebat ad ecclesiam. Ita potentia temporali creuit ea ecclesia in immensum, vt apparet, ad incrementum ministerialium suorū, qui inde profecerant aucti opibus & viribus, quum tenerent ab ecclesia arces & ditiones illi prouenientes. Memoriale autem insigne huius pontificis est, quæ vocatur in ecclesia Hildesemensi aurea Missa. Præfuit autem in annum decimum quartum, sepultus in ecclesia sua. Hoc tempore Robertus Siciliæ rex, cuius est in Clementinis constitutionibus memoria, præfuit reb. in Sicilia: vir præter omnes egregius, siue ad arma, siue ad prudētiam ciuilem, siue ad literas omnigenas respexeris: quem Henricus rex euocatum ad iudicium, nec comparentem, sententia sua damnauit. Papa illum non obstri-

Aurea Missa.

obſtrictum neq; iudicio, neq; affectum ſententia declarauit. qui cum multis fratribus & ſororibus ex ſecũdo Carolo relictus eſſet, ſolus omnibus vixit ſuperſtes: fratribus, qui ſecum in regno ſunt commorati, præmortuis. Ex ſolo fratre rege Vngariæ, nepotem habuit Andream, cui moriens ſine filio, regnum reliquit: ſed Ioanna ſoror eius, illum regnare non permiſit, de regno ſe viriliter intromittens, vſq; ad faſtidium omnium. Per eadem quoq; tempora in Italia, per abſentiam Imperatoris & pontificis, excreuerunt noui principatus: ex capitaneis domini, ne dicam tyranni, ciuitatum: ex tyrannis legitimi principes, Scaligeri, Carrarii. Veneta quoq; ciuitas tum experta eſt tumultum, quum inuẽti eſſent qui regnum ſibi & dominatum quærerent: ſed compreſſi ſunt partim exilio, partim vltimo ſupplicio.

LVBECENSI quoque eccleſię poſt longæuum pontificem Burchardum, circa hæc tempora nouus epiſcopus prouenit Henricus, cognomento Bocholt, plebeia origine, ſed non vulgari virtute: qui medicinæ artis periti ſſimus, multum inde auri conquiſiuit. Primùm decanus eccleſiæ eligitur, inde etiam prouehitur in præpoſitum: & quoniam nihil maius habuit, quod optimo viro crederet eccleſia, ſeipſam illi commendauit, eligẽs illum ſuum ſponſum fieri epiſcopum. Ex familia Lubecæ antiquiſſima ortus, & honoratiſſima: confirmatus à capitulo Bremenſi, & de eiuſdem mandato conſecratus, archiepiſcopo Ioanne in remotis agente. Seruabatur adhuc iſte honor eccleſiæ Metropoliticæ, vt inde confirmatio ſuffraganeorum peteretur, quum illi à ſummo pontifice ſoli confirmarentur, non habẽtes maiorem in prouincia. Sexaginta marcas currentis monetæ, & in confirmatione & in conſecratione perſoluit capitulo. Eodem verò anno, in die Galli, quum in eccleſia ſua primitias perageret, ad duarum marcarum millia fertur ſumptus feciſſe. Archiepiſcopus Bremenſis tum in Galliis agens, apud ſummum pontificem Ioannem vigeſimum ſecundum euocauit ad iudicium eundem D. Henricum, vt illi reſponderet de contemptu, quòd confirmationem non à ſe, ſed ſuo capitulo, accepiſſet: volens in irritum deducere, quæcunq; ab illo in ſacro miniſterio eſſent attẽtata. Cauſa agitatur, & lis in ſeptennium protenditur. Septem aureorũ millia fertur impendiſſe Henricus, priuſquàm efficeret, vt approbaret & ratificaret ſummus pontifex, quæcunq; per illum in ſpiritualibus & temporalib. eſſent geſta. Quo tempore abſentiæ epiſcopalis, Gerardus comes Holſatiæ, iniecta manu in prædia eccleſiæ, Vthin oppidum & alia nonnulla vaſtauit, ære emunxit eccleſiæ colonos, & prouentibus eccleſiæ ſe immiſcuit: ſed reuerſus ad annum milleſimum trecenteſimum vigeſimum quartum, in eccleſiam, gladio ſpirituali facilè peregit, vt Comes compoſitione peracta, daret epiſcopo & ſucceſſoribus in certis prædiis centum marcarũ redditus, ius patronatus in eccleſiis Luitkenborg & Plœne, & duarum præbendarum alternis vicibus in eccleſia Hamburgenſi, etiam Lubicẽſi: & vt humiliatus reconciliaretur ex forma compoſitionis, proſternebat ſe cum quadraginta militaribus ad pedes eius, poſtulans veniam de commiſſis: & terram ſuam ab eo recepit in feudum, & homagiũ ei præſtitit, ſicut progenitores eius conſueuerunt. In qua lite epiſcopus expendit mille ducentas marcas. Quum primùm reuerteretur ab Auinione, remiſit idem pontifex pro ſeruitiis cameræ Apoſtolicæ mille quadringẽtos aureos, inuento in eccleſia quodam Wilhelmo Cracht, qui ſe pro decano gereret, propter crimina & defect⁹ eum amouit, & aliis prouidit. Redemit octuaginta marcarum redditus pro trecentis marcis puri argenti, à domino Vlfone de *Buren* milite, & quindecim menſas ſiliginis pro centum quinquaginta marcis à quadam ciuis relicta in vrbe, & villam *Putekendorpe* pro ſexaginta marcis. Reperit opus Chori maioris eccleſię ante ſexaginta annos cœptum iamq; penè deſperatum, ad cõſummationem perduxit. Et cũ ambone, ſedilibus, feneſtris aptauit pariter, & ornauit: quo in opere bis mille quadringentas marcas expendit. Curiam epiſcopalem noua & inſigni domo ex coctilib. extruxit, & in eccleſia Lubicenſi vnam præbendã incorporatam, duas diſtinctas, & ſex vicarias dotauit, erexit, & fundauit. Pro menſa epiſcopali dedit villas, *Viſſo*w mille marcis, *Seutze* octingentis quinquaginta, *Stœne* & *Guſtenko*w bis mille quingẽtis marcis, XXIII. ſolidis comparatis, exceptis XCIIII. marcarum redditib. ad duas præbẽdas diſtinctas præfatas, in dicta villa Stœne aſſi- CAP. 13.

gnatis. Ad idem villam *Groteparin*, MCCXXV. marcis coemptam. Legauit in testamento suo successori mille marcas. Vir opulentissimus, quasi aurifodinam solus habuisset: sed medicinæ artis industria & patrimonium, super omnia verò parsimonia sumptuum, hæc vt posset, effecere. O dii, inquit Cicero, immortales, nesciunt homines quàm magnũ sit vectigal parsimonia. Sedit annis XXIII. sepultus in medio chori noui per eum constructi, sub imagine fusili eleuata, vt sunt merita eius.

Magnum vectigal parsimonia.

CAP. 14. MAGDEBVRGENSIS infausta tum ecclesia, post pontificem tam execrabiliter trucidatum, electione capituli sustulit è gremio quendam doctum virũ, magistrum Heidentricum de *Erpeden*. Hic quum exisset petere in persona confirmationem sedis Apostolicæ, statim captus (quòd propter abominabile patricidiũ execrabiles erant Magdeburgenses toti mundo, clerus cum populo: quòd videbatur nimis dissimulanter tolerasse clerus tam atrocem diu iniuriam) & missus in carcerem. Vbi dimittitur, non diu superfuit, mortuus Isenaco. Inde comitem de *Stalberge* eligunt canonici: sed comes prouincialis Hassiæ cum coniuge, tum in Auinione apud pontificem Ioannem demorabatur, is pro filio Ottone obtinuit ecclesiã Magdeburgensem quòd videbatur prouisio ad sedem Apostolicam deuoluta, propter longæuam à morte Burchardi vacationem: in qua non potuit capitulum ignoratione purgari. nam obiiciebatur eis, non illos satis institisse vt nossent, quid de suo pontifice actum esset. Ottone ergò veniente ad ecclesiam, cessit volens comes de Stalberge. Quid enim iuris poterat prętendere aduersus Apostolicam prouisionẽ? & si se armis commouisset, maiore potentia facilè superaretur. Præfuit autem ecclesiæ annis viginti tribus. Quum vndiq; ferro & flammis peterentur Magdeburgenses, & culpam agnoscerent, confugerunt ad archiepiscopum suum, vt illius ope gratiam sedis Apostolicæ recipere mererentur. Effecit, vt indicta salutari pœnitentia, pollicerentur ædificare capellam in locum carceris, aut statim suprà: ibiq; altaria sex cum beneficiis ad perpetuam sui sceleris memoriam, certè maximo piaculo mediocris pœnitentia. Digna fuerat iuxta antiquos canones perpetuò ciuitas priuari episcopali honore. Sed extitisset ea maior ecclesiæ, quàm populi, pœna, insolescentis, & magis sibi plaudentis, quòd episcopatus, cuius sub iure laborabãt, esset translatus. Otto autem in pace ecclesiam suam regebat, quòd recens sceleris memoria quietiores per humiliationem faciebat ciuium animos.

CAP. 15. HALBERSTADENSI in ecclesia, Alberto successit Albertus, comiti de *Aneholt*, dux de Brunswico, Alberti ducis filius. Cõsecrauit ecclesiam nouam in Brunswico, & domum Prædicatorum, quia pars eius ciuitatis ecclesiæ Halberstadensi paret. Præfuit annis triginta. Quo tempore valuit illa controuersia primùm inter Ludouicum Bauarum, & Fredericum, Austriæ duces, in diuisione Electorũ ad Imperium, de Imperio certantium. Sed prælio inito, capitur Fredericus: & donec iuri suo resignaret, tenetur in vinculis. Mox se Ludouicus iungebat administrationi rerum omnium, contempto summo pontifice: inuicem omnium maxima pernicie, per Italiam constituunt vicarios Imperii, papa in ditione Imperii, Ludouicus in ditione ecclesiæ. vnde maxima consurgunt mala. Ludouicus aluit audaciam vicecomitum Mediolani: & illis fauentibus, transiit in Italiam, exceptus à ciuitatib. amicis: coronatus primùm ferrea, peruenit Romam, vt ibi auream coronam acciperet: non de manu pontificis, quem cõtempsit, sed vicarii sui, Stephani Columnensis. Qua accepta, vltrà, quod nõ debuit, processit, & antipapam erexit: inde excommunicationes, execrationesq; in Ludouicum, contemptus in pontificem. Medio tempore crescunt Italiæ tyranni, nunc ecclesiæ, nunc Bauaro militantes: sed inter omnia sui commodi rationem habentes, & futuri principatus fundamenta iacientes. Interea Marchia Brandenburgensis, morte Waldemari sine hærede moriẽtis, vacuatur, & recidit Imperio. Ludouicus eam filio Ludouico permittit. Is aliquandiu eam administrans, permisit Romulo fratri, nato in vrbe, quum ibi Ludouicus coronandi gratia demoraretur. Sed eam rem plenius in Wandalia sumus exequuti. Albertus autem episcopus quum ecclesiam suam per annos triginta pacificè gubernasset, concessit è vita, tumulatus in ecclesia collegiata Brunswici, sepulcro patrum & auorum.

BREMENSI metropoli poſt Ioannem præficitur inſignis vir, Burchardus, cognomento Grelle, plebeio genere, ſed non plebeia virtute. Vir moribus probatus, corporis proceritate conſpicuus, ſermone verus, Bremæ honeſta familia natus, archidiaconus Ruſtringiæ, quem prædeceſſor ſuus tanti fecerat, vt illum per abſentiam eius ſuum cum ſecundo conſtituerit in temporalibus vicarium. Succeſſit autem in archiepiſcopatu hoc ordine: Quum Ioannes defeciſſet in Francia, nemo erat in eccleſia Bremenſi, qui ad pontificatum adſpiraret, ſcientibus cunctis quòd fruſtrà niterentur, quum Apoſtolica prouiſione ſedes implenda putaretur. Talis quoq; erat eccleſiæ ſtatus, vt rarus eſſet & penè nullus, qui epiſcopatum in ea deſideraret: attamen vno omnium conſenſu rogatur Burchardus, omnibus amabilis, etiam improbis venerabilis, vt tentet onus eccleſiæ ſupportare. Albertus maior præpoſitus, dux Brunſwicenſis, terræ proceres, & vniuerſum capitulum, præfecti locorum, vna voce poſcebant, ne detrectaret. Ille publicæ vtilitatis gratia laborem ſubiit itineris faciendi: rem cunctis deſperatam pertentauit, omnium ordinū, principum, nobilium, prælatorum, militarium, Burgenſium literas accepit vno tenore commendatitias. Ioãnes erat papa vigeſimus ſecundus, ad quem in Auinionem peruenerat. Pontifex tam multorum literas admiratus, quòd vno omnium conſenſu tam diuerſis ordinibus eadem de hominis virtute teſtimonia redderentur, rogat qua ſit origine, quibus literis inſtitutus. Ille ſe humili genere ortum, nec multis literis inſtructum reſpondet: cupere eccleſiæ ſuæ vehementer eſſe conſultum, ſi habeat ſua ſanctitas virum idoneum, qui meliùs quàm poſſit ipſe præeſſe afflictę eccleſiæ: non ſolùm ſe patienter, ſed etiam libenter excepturum quem dederit: papa quo minùs ille deſideraret, magis inclinabat. Igitur nihil grauatus, eccleſiam illi commendabat. Sacerdotio priùs initiatum, iuſſit epiſcopum eum conſecrari: pallioque dato, remittit ad eccleſiam gubernandā. Reuerſus archiepiſcopus, omniū beneuolis votis excipitur gaudioſè. Non deerant tamen qui clàm inuiderent, etiamſi palàm gratularentur. Damnabant ſuam in ſe ſocordiam, quum inſperatos in illo viderent exitus. Compoſuit res incuria temporum dilapſas, arces impignoratas qualibet conditione recepit: & breui aliam rerum faciem conſtituit per diœceſim. Præfecit locis viros militares, quos pridem nouerat, quum vicariatum gereret, virtute præditos: alios poſthabuit. Qui ab illo poſthabiti, verſi in apertos hoſtes, Redingo populo vario & tumultuanti ſe iungebant: ſperantes, Tranſalbianos ſibi acceſſuros, ad rem archiepiſcopi perturbandam. Sed ille quieto animo contraxit ex vicinis locis, Luneburgenſi ducatu, Weſtphalia, Thietmarſia, Holſatia, armigeros: & ducens in hoſtes, ita confregit animos eorum, vt victi manus darent pontifici ſuo, in reliquum veriti ſe opponere, cui ſubeſſe oportebat. Friſones, inquietum quoq; genus hominum, ſe commouerant aduerſus hunc ſuum pontificē, diuq; durauit rebellio, quum ſæpè illis armatos immiſit, qui ſuffoſſis aggeribus mare infunderent. Multoq; tempore infeſtati, multis malis edomiti, didicerunt frena ſubire: ſed multi interim perierunt, multi dilapſi diſſipabantur, donec ad ſanā mentem redirent.

Cap. 16. — *Virtutis comes eſt inuidia.* — *Friſonum ingenium.*

PONTIFICI bono per idem tempus emerſerant hoſtes ex diœceſi Verdenſi, qui præfecturam Languedel cum ſuburbio, vaſtatione & incendio vexauere. Nihil enim magnum ſine magno labore permiſſum eſt mortalibus, ait Ethnicus: ſed tamen rebus vtcunq; compoſitis, rediit tranquillitas. Anno epiſcopatus octauo, quum bonus pontifex chorum aſcendens, officium diuinum peragere veniret, in ipſo gradu vicinus choro murus magno ſtrepitu concrepuit. Terrefactus pontifex, quid eſſet, demiratur. Recolens deinde ſanctorum Coſmæ & Damiani venerandas ibi reliquias includi, quas à memoria veterum Imperatorum & Principum locus ille cum aliis ſanctorum exuuiis ſeruauit, ſtatim votum concepit, altiſſimo Deo ſanctiſq; martyribus ſe conſtringens, quòd in ſequentem annum feſto Pentecoſtes debita veneratione ſanctas reliquias eleuaret. Interim capſellis & ciſtellis in vſum pręparatis omnia inſtruebat, per omnem prouinciā rem iuſſit promulgari, inuitatis ſuffraganeis ſuis ad feſtam ſolennitatem, cum multis vicinarum terrarum nobilibus ac ſuæ ditionis miniſterialibus. Die conſtituto veniente, om-

Cap. 17. — *Ante virtutē dii poſuere ſudorem.*

nes aderant inuitati. Pontifex ſummo cum honore ſacras martyrum reliquias eleuabat, ac oculis omnium ingerebat. Quum oĩa foris & intùs ſumma lætitia & feſta ſolennitate perſonarẽt, epulis ſplendidè apparatis, prçlatos & nobiles excepit. Ineptus videbatur, qui ſe à generali oĩum gratulatione retrahebat. Ibi militarium haſtiludia, ſecuti Bremenſes iuuenes: ibi choreæ ac cantus dominarum, ibi quicquid vbiq; feſtum erat, percrebuit, omnium exhilarata mente ad prçcipuam ſanctorum martyrũ gloriam, quos cum Chriſto triumphantes nunc primùm iuſto honore veneratur patronos Bremenſis eccleſia. Die proxima, quæ fuit lunæ, in diebus Pentecoſtes, expleto iam diuino officio, ad oſtium ſui palatii pontifex duodecim ex miniſterialibus aulicis ſuis honoratiores creauit milites, in honorẽ ſanctorum patronorum martyrũ Chriſti. Stabat loci proconſul in dolio, oblationes fideliũ excipiẽs: tantum congeſtũ eſt auri atq; argẽti cum numiſmate ſignato, vt egredi cogeretur. Tanta fuit populi deuotio ad reliquias ſanctorũ propalatas. Trecẽtas denariorum marcas archiepiſcopo ex his contulerunt, in ſolatia ſumptuũ factorum in ea ſolennitate. Reliqua ad perornandam eccleſiam, & ad maiorem templi campanã opere fuſili inſtruendam, ſunt collata. Hunc pontifex iſte ſeruabat morem, vt deuotionis gratia in monaſteriis virginum, ad præcipuas feſtiuitates diuinum perageret officium: ſed venturus, cibos & omnia vitæ hominum iumentorumq; neceſſaria præmiſit, virgineſq; ſecum pranſuras inuitauit: nihil moleſtiæ aut ſumptuum paſſus fieri de rebus monaſterii, vt nulli grauis eſſet, aut oneroſus.

At longè alius Sanctorũ honor.

CAP. 18. CIVITATEM Bremenſem, vtpote patriã ſuam, in primis amabat: cuius adhæſione, nonnullos in ſe malignaturos territabat. Ruſtringi Friſones, diu infenſi ciuibus, naues illorum in Viſurgo exurebant, damna vndecunq; poterant irrogabãt: ſed illos archiepiſcopus ita impleuit terrore, vt ad æquas conditiones rem componi paterentur, licet mobile vulgus diuturnam pacẽ ſeruare non poſſit. Arcẽ *Tedinghuſen* Henricus de Hoia comes, occupauit. Dominus Liborius miles, qui cognatã archiepiſcopi duxit vxorẽ, *Wildeshuſen* gubernatione tenebat, epiſcopo reclamante. Ea fuerunt quæ ad finem vitæ iuuitus vidit pontifex. Fratrem vnanimem, vnicũ ſemper in aduerſitate ſolatium, animæ ſuæ dimidium, anno integro ante ſuã mortem præmiſit morientem: quem ſecutus anno vix impleto, circa feſtum aſſumptæ Mariæ, anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo treceнteſimo quadrageſimo quarto, expletis in põtificatu annis ſeptendecim. Sed ſtatim Kedingi audita morte ei⁹, quos, dum viueret, ſe commoueri timor non permiſit, præſidiũ quod apud eos firmauit, deiecere. ne Hadelerii idem facerent, reſtitere miniſteriales, qui Bedecokeſſa tenuerunt. Quo etiam tempore Waldemarus, vir nobilis, qui amiciſſimus diù fuerat vrbi Bremæ, quia lateres ex ſuburbanis coemptos ad nouem mille euehere non ſinebatur, prouocatus in ciues, damna illis plurima inferebat: oſtendens, quanto ſit ſatius experiri quid poſſit amicus, potiùs quàm idem inimicus. Illi enim caſus ſecuti ſunt exili ex re declaratam ciuium ſtoliditatem, qui facilè illorum pertinaciam contrà arguerint.

CAP. 19. MINDENSEM eccleſiam tum gubernabat dominus Gotfridus de *Waldegge* (nam his comitib. natus erat) ordine põtificum in ea eccleſia XXXVIII. Qui perpetuam ſibi meritorum memoriã præparauit in extructione arcis *Petershagen*, ad ripã fluminis Weſerç (Viſurgum dixere veteres) qui ex illo tempore manſio fuit aſſidua pontificũ. Inuitauit illum, vt omnes, loci opportunitas. Nam piſcium abundãtia ex flumine perfruitur, & poſitus in medio prædiorum eccleſiæ, cunctis ad victũ neceſſariis, importatione ruſticæ plebis gaudet. Permanſit in pontificatu annis x. ſecundo ſui pontificatus anno arcem cœpit inſtruere, & peruenit à decimoquarto Chriſti anno poſt MCCC. vſq; ad vigeſimum quartum: & tum felici exitu, altera die Seruatii epiſcopi, migrauit, vt confiditur, ad Dominum: ſepultus in pace, ad ſiniſtram Conradi primi, poſt altare diui Petri: memoria pontifex dignus ſempiterna. Reliquit poſt ſe ſui longæuum deſiderium, quòd benè de omnibus meritus haberetur.

CAP. 20. SVERINENSI eccleſiæ per eam annorum ſeriem poſt Hermannum, prçficitur vir memorandus Ioannes: quem niſi virtus & induſtria prouexiſſet, natalia non tacerentur. Præfuit autem eccleſiæ ſuæ per annos decem, per tempora quibus Ludo-

Ludouicus Bauarus,qui ſe pro Imperatore gerebat,rerum in Germania potiebatur,quum interim Saxonia noſtra pacem haberet,multiplicatis in ea principibus. Nam Saxonia iam ſuum habebat principatum,qui ipſe quoque diuiſus eſt in ſuperiorem & inferiorem. Brunſwicenſis verò, primò partitionem habuit inter fratres,Albertum qui Brunſwicum,& Ioannem qui Luneburgum pro ducatu tenebant,retinentes tamen communes titulos,vt vterque Brunſwici & Luneburgi appellationem retineret,& alternam ſucceſſionem expectarent, cuius rei vſus prouenit hac tempeſtate. Nam Ioannes dux Luneburgi filium reliquit Ottonem: is reliquit Wilhelmum & Ottonem:Otto filium habuit paruulum ſui nominis. Sed ille quum puerili in curru,paruulorum more vt baſes ſolident, decurreret, negligentia familiæ decidit in vicinum fluuium cum curru de ponte:& dicto citiùs demergitur,omnium acerbiſſimo dolore,quòd hæres maſculus terræ ſolus ille eſſet. Nam Wilhelmus frater ex quatuor vxoribus,quas viciſſim poſt alterutras habuit, duas modò reliquit filias:quarum altera duxit Ottonem de Saxonia ducem, alteram Ludouicum Magni dicti *de Sangerhuſen* filium,fratrem iunioris Magni,& Alberti Bremenſis archiepiſcopi. Ad hunc ergò Ludouicum duplici reſpectu ducatus relabitur,quòd eſſet fratruelis,& quòd filiam teneret Wilhelmi ducis nouiſſimi. Ergò Ludouicus poſt Wilhelmum Luneburgi ducatum tenuit per hæc tempora: ſed ea in Saxonia ſumus executi.

HILDESEMENSIS eccleſia per ea tempora grauiſſimã & diuturnã paſſa eſt cõquaſſationem,quum duo in diſcordia electi,de epiſcopatu contenderent per annos quatuordecim. Tanta erat pertinacia non cedendi. Cui ius fuerat,ei defuit ſecularis potentia:cui arma & amici promptius acceſſere,ius illi deceſſit. Perduelles erant,Henricus dux Brunſwicenſis,frater Alberti epiſcopi Halberſtadenſis, ambo filij ſecundi Alberti Brunſwicenſis,eius qui fauore ciuium potiorum, excluſo fratre Henrico Mirabili,ſucceſſit in ditione Brunſwicenſi Wilhelmo fratri impuberi. Alter perduellium de epiſcopatu Hildeſemenſi erat Ericus,comes *de Scowenborg*:ambo electi à parte capituli. Henrico miniſteriales plurimùm inhęſerant,qua de re arces eccleſiæ poſſidendas accepit. Erico cum parte capituli fauerunt ciues Hildeſemenſes:quocirca introductus in vrbem,ibi conſederat. Grauis & implacabilis contentio,per quam agri & oppida miſerè vaſtabantur: nec poterat interuenire per annos quatuordecim,qui rem componeret. adeò erant vtrique obnixi non cedere. Ciues egreſſi pro ſuo Erico,oppugnauere,& expugnauere magnis viribus nouam arcem,in conſpectu vrbis poſitam, quam hodie vocant, Compeſce violentiam. pro qua re,moriente ad decimumquartum annum Erico (nec enim aliter res ſedari potuit) ciues in compoſitione alteram eccleſiæ erexere arcem ſuper eodem flumine,altera parte ciuitatis paulò diſtantius ab vrbe, *Marienburg* vocant:quam nunc dicunt,incertum vnde,in iure præpoſiti conſiſtere,ſiue vt eccleſiæ nomine cuſtodiam agat,ſiue ex quadam inde ſecuta tranſactione. Res mihi incomperta in hodiernum permanſit. Cap. 21.

MIMIGARDEVORDENSI, Monaſterienſiúe eccleſiæ,per ea tempora præſedit vir memorabilis,Otto tertius,ex comitibus *in Retberge*,pridem præpoſitus Paderburnenſis,ordine trigeſimus tertius epiſcopus Monaſterienſis. Sex ſolis annis præfuit eccleſiæ ſuæ: & primo quidem tempore proſperè cedẽtibus rebus, poſtea quendam perpeſſus eſt Conradum prępoſitum Colonienſem. Cedens autem maiori potentia, ab eccleſia ſua exulabat bonus pontifex,inque exilio mortuus eſt. Succeſſit autem idem Conrado, qui trigeſimum quartum inter pontifices locum nactus eſt, quatuor duntaxat annos in epiſcopatu malè quæſito perſiſtens: damna primùm grauia & inferens & perpeſſus eſt. qua in re grauiter eccleſię prędia & miniſteriales laborabant,inq; ea perplexitate mortẽ obiit. Electionem eiuſdem Conradi,& quæcunque in eccleſia idem ordinauerat,cõceſſerat,inſtituerat, deſtituerat,authorizauerat, Clemens papa quintus tanquam inualida caſſauit, reprobauit,reuocauit in irritum. Interim verò innoxij per illa tempora miſerè vexabantur, foris gladio, intus perplexitate: neſcientes vbi eſſent, cui fiderent,quem ſequerentur. tamen conſolationem habent inde pia corda,quàm diu in poſſeſsione Cap. 22.

quacunque toleratur etiam qui parum iuris habet, donec reuocetur, omnia valida ſubſiſtunt. tantum operatur communis hominum exiſtimatio: alioqui in abſolutionibus & miniſteriis ſpiritualibus graue eſſet periculum animarum.

CAP. 23. VERDENSEM eccleſiam per eadem tempora regebat Daniel quidam, ordine Carmelita, ex aſſeclis curiæ pontificalis, tum in Francia manentis. Præfuit autem variis euentibus: magis autem incubuit, annis nouendecim. Iam enim inoleuerat, vt Apoſtolica prouiſione darentur epiſcopi, poſthabita capitulorum legitima electione. Ita & Ioannes huius prædeceſſor introiuit: qui quoniã, vt diximus, tranſlatione eiuſdem pontificis peruenit ad eccleſiam Eiſtadenſem, iſte frater Daniel Carmelita ab eodem pontifice ſurrogatur, vt præeſſet Verdenſi eccleſiæ. Erat in Theologia magiſter non vulgaris eruditionis, cum capitulo & prælatis malè cõſenſit, ſemper ſuam præferens ſententiam: imitatus mores aut curiæ, quam diu ſecutus vidit: aut monaſterij ſui, in quo eſt à puero educatus. Vnde propter diſſenſionem, quam cum ſuis habebat, ſeceſſit in partes Rheni: & Coloniæ vitam in excommunicatione finiuit. Litem enim inſtituit cum eccleſia ſuper iuribus, incertũ quibus. Multa interim damna, eius occaſione, eccleſia perpeſſa eſt: nihil reperit bonorum, quibus memoriam eius cum dulcedine ſeruet. Ferunt tamen inter bona eius quæ fecit, quod arcem *Rodenburg* inſigniter communierit, & valuam magnam partis auſtralis erexerit, immunitatis canonicorum apud eccleſiam. Sed cum grauiſſimè diſſideret à capitulo ſuo, intrauit in manu forti eandem partem auſtralem, quum nemo quicquam timeret, cepitq; armatis militibus canonicos ſuos: ſed in ea tumultuatione quum pro canonicis ciuitas commoueretur, ad eum laborem eſt peruentum, vt integra vrbis & inſignior platea concremaretur tota. Illius tempore & pernicioſa diſſimulatione in præiudicium eccleſiæ dux Luneburgenſis erexit fortalicium in *Lowenbrugge*, quod tenet hodie in non modicum grauamen Verdenſis eccleſiæ. Duobus verſiculis expreſſere, quanto deſiderio ſui pontificis eſſet:

Daniel antiſtes, non curat clerus, vbi ſtes:
Optans vt valeas, dummodò non redeas.

Satis acutè, quiſquis author erat, affectum non deſiderantis, neque amantis cleri in pontificem expreſſit.

CAP. 24. SVERINENSEM verò eccleſiam per ea tempora, poſt Ioannem ſuſcepit Ludolphus, vir memorabilis, ex miniſterialibus de *Bulow*: præfuitq; eidem in annum nonum, per cuius tempora facta eſt illa innouatio in Marchionatu Brandeburgenſi, quum mortuo ſine maſcula prole Waldemaro, feudum recideret ad Imperium: & iam Ludouicus Bauarus rerum potiebatur, qui filium æquiuocum fecit Brandeburgenſem marchionem, quo in principatu Lubicenſibus, ab rege Daniæ primùm, deindè à comitibus Holſatiæ laborantibus, præſidio fuit, quod in Wandalia noſtra diximus. Quo etiam tempore Ioannes papa vigeſimus ſecundus nouum ordinem militarem inſtituit in prouincia Vlyſſibonenſi, aduerſus diſcurrentes Sarracenos, qui ex Bætica prouincia fecere multas excurſiones in Luſitaniam. Appellati ſunt autẽ milites Ieſu Chriſti, quib. attribuit arces, præſidia & poſſeſſiones, quas multas habuere Templarij, in ea prouincia nuper, quod dixim⁹, exterminati. Attribuit autem abbati Alco, Aſiani monaſterij ordinis Ciſtertienſis, authoritatem inueſtiendi milites: qui etiam poteſtatem accepit exauthorandi milites, qui ſuæ profeſſioni non ſatisfacerent. Marmum vocant oppidum Syluenſis diœceſis, in quo ſedere iuſſit principalem magiſtrum in eo ordine. Cautione autem accepta ex ordine Templariorum, iuſſit abbatem memoratum prouidere, vt profeſſioni ſatisfacerent in militia, vtque fidei & religionis eorum diligentiſſimam & exactiſſimam haberet rationem.

Brandeburgenſis marchionatus innouatio.

CAP. 25. RACEBVRGENSEM verò eccleſiam per hanc tempeſtatem gubernabat memorabilis antiſtes Wolradus, natus miniſterialium genere Holſatiæ *de Dorne*, ex quo nemo nunc ſuperextat. Huius inſigne memoriale eſt, quòd domum lapideam *in Veichow*, vbi tum erat epiſcopalis manſio, extruxit, & imaginem argenteã maiorem diuæ Mariæ in altaris tabula, & ſcutellam maiorem argenteam in armario,

rio,ad vsum pontificis dedit ecclesiæ. Eius quoque tempore in oppido *Witenborg*, hostia altaris per miraculum apparuit sanguinolenta. *Miraculum.* Quo tempore Rochus Narbonensis prouinciæ nobilis iuuenis, cuius pater erat dominus oppidi Agathopolis, in locuplete hæreditate, dimissus à parentibus ad annũ ætatis duodecimũ patriam deserens, quam patruo dimisit gubernandam, Italiam petiit, peregrinatus pro Christo. Vidit plagam crebrescentem pestilentiæ,& misertus laborantiũ,cru- *D. Rochus.* cis impressione multos liberauit Romæ, Aquapendente. Cesenæ notior factus,aufugit. Placentiam quoq; vrbem adiit. ibi quum multos curasset orationis impendio,ipse quoque percussus est eodem morbo, velut ardente sagitta in coxam eius emissa. ilicò vrbe eiicitur,vexatus blasphemia: En qui alios curare præsumit, ipse ægrotat. In nemore solitæ precis præsidio,integrã recepit sanitatem. Tum in Gallias reuersus,patriam inuenit bellis tumultuantem. Eo quum concessisset,à lictoribus capitur,tanquam explorator: in carcerem coniicitur, vbi quinquennium egit in summa patientia. Demùm laxatus,domũ patrui, velut alter Alexius, mendicantis habitu excoluit. Anno ætatis suæ trigesimo secundo ægrotus, sacramentis ecclesiæ munitur,migrauitque ad Dominum. Inuenta est tabula ad latus demortui his verbis scripta: Peste laborantes ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem illam truculentissimam euasuros significo. Ea res ad patruum eius vrbis principem perlata,fecit attonitum. Vbi diligentius rem explorat,vidit ex fratre nepotem. Tum terrefactus, soluitur in lachrymas: sacellum ei dedicat,vbi miraculis fulgescit. Venit deinde in obliuionem Rochi nomen: sed anno Christi post MCCCCXV. cùm Concilium Constantiæ ageretur,ibique pestis desæuiret, ex Germanis cœpit Italis nomen eius insigne fieri. ad annum autem octuagesimũ quintum Venetias corpus eius deportatur,vbi summo in honore dicato sacello percolitur. Eius festum decima sexta Calendas Septembris.

PADERBVRENSI autem ecclesiæ post Bernardum, præfuit Balduinus an- *Cap. 26.* nis viginti, natus comitibus ex Steinfordia. Sensit iste statim præiudicium cuiusdam permissionis factæ rustico populo. Nam Bernardus, vt consentirent ministeriales cuidam collectæ faciendæ per omnem ditionem in capita rusticæ plebis, vicissim annuit populo, vt in cœmeteriis erigerent casellas, quibus tuerentur supellectilem suam ab incursu hostili,& in ecclesiis reponerent, si vellent, cistellas. Visa est prima fronte præferre prouidentiam ab incendio & rapina: sed quod excogitatum est ad securitatem, peruenit ad noxam, hominũ faciente malitia. potiùs enim factum est, vt cœmeteria profanarentur, quàm vt res securarentur. Auaritia enim *Auaritia.* miscet omnia: non discernit inter sacra & profana, dummodo precium sit aliquod malitiæ. Quo tempore floruernnt illa lumina iuris, Ioannes Andreæ Bononiensis, *Scriptores aliquot celebres.* ciuis Pistoriensis: Oldradus de Laudo, consistorialis aduocatus, omnes auditores Dyni. Ioannes autem Calderinus, ciuis & ipse Bononiensis, gener erat Ioannis Andreæ, qui socerum suum ex peste mortuum testatur anno millesimo trecentesimo quadragesimo octauo. Tum & Franciscus Maronis, ordine minor, theologus floruit acutissimus: & Michael de Cesena, eiusdem ordinis minister generalis, quem Ioannes vigesimus secundus pontifex notatũ de hæresi, magistratu suo destituit. Ille verò se calamo vltus est, ostendere volens innocentiam suam: sed aduersus mare intumescens, non proficit vnius hominis, quanuis validissimus, clamor, Ocium autem & cibus alienus, multa in multis, iuxta Comicum, operatur.

OSNABVRGENSI autem ecclesiæ, trigesimo quinto loco successit Engel- *Cap. 27.* berto nobilis Gotfridus, natus ex comitibus de *Arnsberge*. Multo tempore supra annos triginta gubernauit ecclesiã, multo labore: nam finitima bella euitare non potuit. Nam Ludouico Monasteriensi episcopo, nato ex comitibus Hassię prouin- *Aliquid mali propter vicinum malum.* cialibus, inhæsit, cui bellum erat in comitem de Marca, qui de vniuersis prouinciis occiduis collegit arma, de Gelria, de Monte, de Leodio, de Traiecto, de Flandria, Hollandia, de Arthesia. Tanta fuit conspiratio cum comite de Marca in vnum episcopũ Monasteriensem, cui Osnaburgensis Gotfridus inhæsit. Factæ sunt multæ ad partem conflictationes, varia fortuna. Et vbi totis agminibus concursatum, Monasteriensis & Osnaburgensis episcopi, fugatis hostibus, superiores fuere.

Multa prætereà per annos ſupra triginta huius pontificis facta ſunt: quæ, quoniam illuſtrandæ religioni non ſunt accommoda, tranſimus. Nouiſſimè poſtulatus, ad eccleſiam Bremenſem tranſiuit: quo in loco nō ſatis feliciter res eius tranſierunt, quod poſteà ſuis temporibus memorabitur. Pertæſum fuit bono patri multorum in eccleſia Oſnaburgenſi laborum: & ideo requiem ſenectuti quærens, ſuper eccleſia Bremenſi fecit diligentiam: & eſt aſſecutus. Sed exitus non is erat qui ſperabatur: quod ſuo loco dicetur.

Cap. 28. MINDENSEM verò eccleſiam, per ea tempora tenuit ac gubernauit illuſtris dominus Ludouicus, ex ducibus Luneburgi ac Brunſwici, ordine pontificū in ea eccleſia trigeſimus nonus. Tranquilla vidit tempora, quæ promeruit principis modeſtia: grandis tamen inundatio Viſurgi, cui à memoria tunc hominum, nec exinde pòſt ſimilis viſa eſt, paulò ante exitum eius fuit. *Viſurgi inundatio.* Nam anno Chriſti milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſecundo, ex reſolutione niuium, aut alia quadam occulta cauſa, vſqueadeò increuit fluuius, vt ſublimem eius pontem diſiiceret, & à ſoliditate, quam necdum recuperabat, deturbaret. Ingreſſus vrbem, ad quinque vſque pedes ſuper liminaria portæ contigit, per eccleſiam maiorem dilapſus in forum, omnes domos & concaua quæque ſubterranea impleuit. Mira fluuiorum intumeſcentia, de ſubita niuium multarū reſolutione ſolet crebrius prouenire: ſed tum anni tempus (erat enim dies diuæ Magdalenæ media fermè æſtate) ad hanc tum cauſam recurrere non ſinebat. dudum enim præterierat niuium reſolutio, quæ in anni ſolet principio prouenire. Siue maris inundatio tum aſſidua, influxum eius in Oceanum retardaret (nam inde ſolent incrementa fieri) ſiue ex occultis, necdum compertis cauſis fieret. Memorabili exemplo accolis plurima tum damna inferebat, demerſione pecorum, ſubuerſione domorum, interceptione multorum mortalium. Nam locis humilioribus riparum, latè in terram expatiabatur. nonnulla oppida concuſſit, villas multas ſubuertit: vt fortunatus videretur, quiſquis rebus amiſſis, coniuge, filiis ereptis, vel nudus exiret de profluuio. Tribuunt accolis flumina multa ſæpè commoda: ſed talibus caſibus cōpenſant, graui nimis retributione. *Flumina.* Ludouicus autem pontifex eccleſiam ſuam Mindenſem per annos viginti duos gubernans, anno Chriſti quadrageſimo ſexto emigrauit ex hoc ſeculo, apud monaſterium de *Walfrode*, terræ Luneburgenſis, quo eum loco extrema infirmitas appræhenderat. Nam ibi plerunque velut in prima ditione commanebat. Exutus autem corpore ſpiritus, rediit, vt cōfiditur, ad Dominum qui dedit illum. Tumulatum eſt corpus in eo monaſterio, ſolennibus de more illuſtrium peractis exequiis. Sed ea res ætate noſtra magis inclareſcit, vt ad imitationem Italorū incipiant funerales orationes habere de laudibus mortui, vſq; ad recordationem totius generis & omnis antiquitatis: quæ necdum res tum inoleuit. *Orationes funerales.* Influxit autem prouinciis cum bonis literis, quæ nobis prouenerant de multiplicatione ſepultorum antè codicum, per miniſterium impreſſorum. *Typographiæ commoda.* Iam enim paſſim habentur veterum ſcripta, quę olim apud rariſſimos tenebantur incluſa, & vix coniunctiſſimis fiebant ad vſum communia. Sed hæc interim.

Cap. 29. LVBECENSI deinde eccleſiæ poſt feliciſsimum pontificem præficitur D. Iohannes Muel, pridem eius eccleſiæ ſcholaſticus, vir illo dignus loco. Electus concorditer à capitulo ſuo, conſecratus eſt ab archiepiſcopo Bremenſi Burchardo, Suerinenſi & Raceburgenſi, comprouincialibus ſuis: & eodem die ſuæ conſecrationis dedicauit chorum nouum per prædeceſſorem conſtructum, & exornatum in honorem patronorū eccleſiæ. Iſte pontifex primus muniuit arcem ſuā in *Vthin*, foſſato grandi circunducens (quod antè non erat) aquā, pro firmamento, de conſenſu comitum Holſatiæ. Emit quoque villam Dodome, cum ſylua & attinentiis eius, mille ducentis marcis. Ædificauit quoque in eccleſia Lubecenſi capellam magnā prope armarium, in qua vnà cum epiſcopo Burchardo ſub lapide magno aurichalco tecto quieſcit, expectans nouiſsimam tubam. Sedit annis nouem, vidit mutationem temporum in Romano Imperio. Tum enim mortuo Ludouico in venatione, vt ferunt, toxico (quod ei amantiſsima ſui, vt credidit, domina bibendum dedit) tum electus eſt à nōnullis principibus dominus Guntherus de *Swartzburg*, *Ludouicus Imp. toxico perit.*

burg, vt pręesset Romano Imperio: sed Wenslaus Bohemiæ rex, Ioannis filius, Henrici Imperatoris nepos, qui tum opibus & armis præ cæteris floruit, iam tum sub patre militans in Italia, & Romanis pontificibus in Galliis manentib⁹ acceptus, quòd esset sanguine Gallico Lutzenburgensi editus, peruicit, vt ab aliis principibus nominaretur: & habebat paratum exercitum Moguntiæ, si opus esset cõfligere. Contraxit autem vires suas Guntherus, & venit Francofordiam cum amicis, vt ibi authorizaretur: sed Francofordenses, incertũ vnde persuasi, si fortè & ipsi aureo malo petiti, portas Gunthero habuere clausas: prætendentes, ab antiquo seruatum, in discordia duorum coassumptorum neutri pandendas esse portas, nisi aliquot mensibus sedisset in castris ad obsidionem vrbis. Intereà Wenslaus, qui cum honore nouo mutauit nomen, vt Carolus diceretur, ponens Wandalicum nomen, in quo contemneretur, assumpsit Imperatorium ex Magno Carolo: aduersus hunc Guntherum non armis, sed, vt ferunt, veneno pugnauit, subornans medicum eius, qui paulum discrasiato remedia pollicitus, mortem propinauit. O quàm dissimiles veterum Romanorum moribus. Illi corruptorem medicum remisere ad dominum, quem prodere est pollicitus: nostri submittunt, imò corrumpunt domesticos, vt occidant dominum. Sed tum Carolus præualuit.

Guntherus, comes de SWartZburg in Imp. eligitur.

BREMENSI verò ecclesiæ post Burchardum præficitur insignis & nobilis vir, dominus Otto, natus ex comitibus de *Delmenhorst*, pridem ecclesiæ decanus: vir iam grandæuus, & qui ætate fractus, eques incedere non potuit, humeris aut vehiculis vectabatur. quam rem multi in occasionem exercendæ malitiæ sumebant, innoxios viatores spoliando: nec facilè potuit ad archiepiscopum querimonia peruenire, obseruantibus aditum improbis, ne quisquam querularetur. Venerat cursor ab *Oldenburg* cum literis ad archiepiscopum. Rogabat bonus pontifex, vt fit, quid in diœcesi comperisset, quid audisset, quid rerum per publica itinera gereretur, securi transirent viatores, an minimè? Respondit homo simplex, & qui nihil inde mali formidaret, adstante loci præfecto: Gratiose pater, ab hominum memoria non fuit tantum viantibus periculum per itinera. Indignatus præfectus, hominem velut falsa locutum abripuit: Vade, inquiens, fatue, concede in popinam vt manduces, & conuersus ad dominum: tales inquit nebulones, vt placeant, vera falsis permixta deferunt. Vbi verò idem præfectus hominem illum in secretum seduxit, plagis & tormentis ab illo exegit, vt verbum apud episcopum incautè prolatum retractaret: tentumque per dies aliquot in carcere, iterum quasi venientem de *Oldenburg*, misit in conspectum archiepiscopi, iam instructum, quid interroganti responderet. Sciscitatur archiepiscopus quid afferat? Nullo, inquit, vllo tempore tanta fuit securitas transeuntibus, quantam in diebus istis cernimus. Ignorabat bonus pontifex domi sedens, quid illi actũ esset, iam repugnantia prioribus respondenti. Credidit, & ludificatus est, vt solent frequenter ab improbis terrarum domini, quum non ipsi prodeunt rebus contemplandis. Raro enim verum audiunt: nam nemo, aut ratus, non nisi placita loquitur. Sed vir grandæuus, iam impar administrationi suæ tantæ diœcesis, de consensu multorum in capitulo, dominum Mauritium de *Oldenburg* comitem, ecclesiæ decanum, nepotem suum adoptauit, vt filius esset. Vix quinquennio in pontificatu peracto, rebus excessit humanis. Quum interim nuncij & Oratores dicti domini Mauritij de *Oldenburg* adoptati, iter arriperent in Auinionem, vbi tum Papa consederat: alij de capitulo aliud sentientes, Osnaburgensem episcopum inuitauere, postulantes, vt & ipse diligentiam faceret pro ecclesia Bremensi à summo pontifice obtinenda, interposita sua, secundum iuris formam, postulatione. Erat illis in Mauritio nonnihil diffidentiæ, &, vt est captus hominum, complacuit illis amplius in episcopo memorato. Populus autem Bremensis ex longa memoria semper in domũ Aldenburgensem inclinabat, præsertim hi qui de maioribus erant in vrbe familiis. Nam quoties plebs furens tumultuaretur in vrbe, semper inuenere præsidiũ in his comitibus: quod suis locis ostendemus.

CAP. 30.

Præfecti improbi exemplum.

MONASTERIENSI autem ecclesiæ per ea tempora præfuit præclarus & magnificus vir, dominus Ludouicus de Hassia, canonicus Carnotẽsis, literis appri-

CAP. 31.

mè inſtructus:& hæc prouiſio prima facta eſt per dominum Clementem quintũ, ſummum pontificem. Introducitur in eccleſiã ſuam honorabiliter per Ottonem comitem Cliuenſem (nondum enim ducali titulo erant, vt poſteà & nunc ſunt, inſigniti) erat enim ex comitibus prouincialibus, de ſanguine ſanctæ Elizabeth. Eccleſiam Monaſterienſem benè ac laudabiliter rexit. In domeſtica familia clericos primos habuit: quo contrà noſtri temporis pontifices, clericos in poſtremis, militares, imò miniſteriales, habent in primis. Vita erat integra, pauperibus miſericors, bonis amabilis, reprobis erat terribilis, in bellis fortunatus, inter principes acceptus & honoratus, in caſibus duris interritus. Vltra omnes prędeceſſores ſuos opibus, gloria & honore pollebat, & anno præſulatus ſui quadrageſimo nono migrauit ad Dominum: hoc eſt, per tempora Clementis quarti, & Ioannis vigeſimi ſecundi, & Benedicti duodecimi. Iam tum ſurrexit nouis ex cauſis cruentiſſimum bellum inter reges Francorum & Anglorũ, vixdum ſopito benè veteri, quod erat de poſſeſſione Normandiæ, quam iamdudum Angli tenuerunt. Iam verò belligerare cœperunt de toto Franciæ regno, quum mortuis legitimis ex ſucceſſione ſine maſcula prole regibus, regnum Franci deferunt Carolo de Valeſio, fratrueli regũ: & Eduardus rex Angliæ, tenens filiam proximi regis coniugem, ſe regno ferebat propiorem. Franci in obſeruantia veteri ſtetere, agnatorum lineam ſequentes in ſucceſſione regia. Angli proximum intuebantur ſanguinem, illi ſucceſſionem attribuendam putauerunt. Longa diſputatio, maior digladiatio per multorum regum in vtroque regno ſuccedentiũ tempora. Et durauit ad ætatem vſq; noſtram.

Bellum inter Franciæ & Angliæ reges.

CAP. 32. SVERINENSI eccleſiæ poſt Ludolphum præficitur germanus eius frater, Henricus: vtriuſque certè bonum teſtimonium, vt in aſſumptione germani, deſiderium ſui quod Ludolphus reliquerat, agnoſcatur: & nihilominùs perſpicua virtus Henrici honoretur, qui bono fratri non impar futurus ſperaretur pontifex. Præfuit autem eccleſiæ in annum octauum, vir grandæuus quum aſſumeretur. Gloria non vulgaris contribulium ſuorum, duos in vna eccleſia ſine medio fratres ſui generis vidiſſe pontifices. Durat hodie, lateque diffuſa eſt ea miniſterialium familia, per multorum principum ditiones, opibus etiam non in poſtremis ſui ordinis viris circunfulgens. Floruit per eius tempora in Italia vir inſignis, Poëta laureatus, Franciſcus Petrarcha, ſummis pontificibus, Imperatoribus, regibus charus: ſed adduci non potuit, vt in cuiuſquam ſe familiam deuinciret. Vir animo libero, quem nullis nexibus præter literarum ſtudia voluit obligari. Viſitauit pontifices in Galliis, ſcripſit regi Carolo, & ab eo viciſſim literas accepit. Robertum regem Siciliæ familiariter adiit, ab eo lauream accipiens. Originem duxit Florentia natus, tamen Aretij in exilio (vt eſt gens illa factioſa) locum adeptus literis, delegit in rure in villa clauſa, haud longè ab Auinione. Peregrinatus eſt per Gallias & Germaniæ partem, perque Italiam quocunque declinabat, viris magnis charus. Contemptor honoris, contemptor opum, dulcedine captus literarum, amator ocij. Pater eum Iuris diſciplinæ & in monte Peſſulano, & in Bononia ſubiecit. Ille rem negligentius egit, affectuoſius auſcultans Poetis & Oratoribus: vnde factum eſt, vt in vtroque ſua emineret ætate. laudem præcipuam habet excitatorum per Italiã ſtudiorum humanitatis. Plures vſque hodie habet admiratores, quàm imitatores. Scripſit Bucolicum carmen egregium, Apologeticis ſermonibus plenum. Scripſit inſignem librum de remediis vtriuſque fortunæ, vbi ingenium, & multam eruditionem, latiſſimamq; lectionem oſtendit: de ſuo ſecreto, deque laude ſolitudinis: Epiſtolas plures, ad diuerſi generis homines, elegantiarum plenas: Inuectiuas in medicum loquacem, contemptorem Poetarum: adeoque affecit, vt etiã ſi illi ſenſus rerum remanſit, mallet ſe ſiluiſſe, & Petrarcham minimè contaminaſſe. Obiit ſuum diem in ſolitudine, quam viuendo dilexit, anno ætatis penè ſeptuageſimo. Vir longiori vita, & memoria dignus ſempiterna.

Franciſcus Petrarcha.

CAP. 33. VERDENSI eccleſiæ poſt Danielem, inſignis prouenit pontifex, dominus Rodolphus, Imperatoris Caroli aliquando cancellarius, ordine epiſcoporum trigeſimus nonus. Pauco tempore præfuit eccleſiæ: tamen condito teſtamento, charitatem quam habuit ad eccleſiam & fratres in ea ſuos, declarauit, erogatis trecen-

tis aureis pro sui memoria. Cuius temporibus Carolus, dominus eius, iam Electoribus in suam sententiam adductis, Romanorum rex Aquisgrani coronatur, & ab Innocentio Papa VI. missis Romam cardinalibus, iussus est Imperator consecrari. Posteà verò tempore Vrbani quinti, idem reuocatus est in Italiam, contra Bernabouem tyrannum Mediolanensium: cuius audaciam, ferociam, & potentiã aluit & auxit vehementer Ludouicus Bauarus, dictus à suis Imperator. Nam ecclesiam quoque & terras eius non præstitit immunes, multaq; multis damna irrogauit per Italiam. Misit Papa cardinalem legatum cum exercitu. venit Imperator & ipse stipatus agminibus multis: sed tamen sine magno profectu ecclesiæ rediit cum exercitu Carolus. Nam didicerunt Itali non ferro, sed auro pugnare. Quod verò nostris rebus accommodum est, dicamus. *Italorum arma.* Imperator Carolus, hoc Rodolpho cancellario plurimùm adiuuante, pro libertate ecclesiastica contra dominos temporales, multa statuta edidit, & ecclesiasticis personis priuilegia immunitatis & libertatis amplificauit. A laicis edita contra eandem libertatem statuta, vt erant antè, irrita declarauit. Nam & veterum Imperatorum leges, ea iamdudum cassarũt & annullarunt. Adiecit, vt quicunque laicus cuiuscunque status, gradus, dignitatis, eminentiæ, aut conditionis existat, ausu sacrilego, vel propriæ temeritatis audacia, sacerdotem aut clericum secularem aut regularem diffidauerit, proscripserit, captiuauerit, spoliauerit, mutilauerit, occiderit, aut in carcere detinuerit, aut huiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptauerit, vel fauorem eis præstiterit, eo ipso sit infamis & omni honore priuatus, nec ad placita aut consilia nobilium admittatur vllo pacto. Extat bulla aurea apud ecclesiam Hamburgensem, super his atque aliis exequutoribus ad ea datis regibus, archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus.

RACEBVRGENSI quoq; ecclesiæ per idem tempus præfuit insignis vir, dominus Otto, natus Militarium siue Ministerialium genere de *Gronawen:* deque actis illius, aut quanto tempore præfuerit, incertum qua negligentia, nihil relatũ est in annales: & ideo tempora eius commemoranda sunt per illustria aliorum opera. Iuo natione Brito, eruditissimus iurisconsultus, per hæc tẽpora Caroli quarti regnare incipientis, præter doctrinam & singularem eloquentiam, quibus insigniter præditus erat, mira etiam pietate ac misericordia in pauperes vsus, celeberrimus Romæ habitus est. Angelica enim fuit continentia, quæ in ea vrbe coruo rarior albo est inter seculares: & vitam suam à vino & ab esu carnium omninò cõseruauit intactam, corpus cilicio operuit: ieiuniis, vigiliis & orationibus disciplinas miras, plusquàm monasticas adiungebat: nudam pro cubili terram luteam, rigidum saxum pro ceruicali: sacræ bibliæ volumen, quod indefinenter portabat, capiti aptabat: suamque omnem cum pauperibus, quos procurando defensitabat, conuersationem duxit humilimam. Patrimonium amplum cum haberet, spem in Deo ponens, pauperum, orphanorum & viduarum causas ex eo protexit. Hic omnium procuratorum & aduocatorum vnica meritò lucerna, condignam sui laboris mercedem percepit à Domino. Nam eo iam vita functo, quum crebris fulgeret miraculis, inter sanctos meruit aggregari. Eius festum VI. Calen. Septemb. peragitur. Extant versiculi, eius laudem vtcunque perennantes. CAP. 34. *Romæ rara continentia virtus.*

Iuo, pater legum, custos, protector, & amplum
Egregiumq; decus: cui se debere fatentur
Iura, tuo toties iam debellata fauore,
Promptus eras iustas miserorum sumere causas.

HILDESEMENSEM ecclesiam post longum bellum, Erico iam rebus functo, Henricus dux Brunswicensis, rebus pacatis, obtinuit. CAP. 35. Dum illi digladiarentur graui inuicem bello, causa nihilominus apud sedem Apostolicam agebatur. Ibi Henricus excommunicatione graui feritur, siue quòd iustior erat pars altera, in tota causa victrix: siue quòd per contumaciam non respondendi eos laqueos inciderat. Tum verò absolutionem obtinuit, & introductus in ecclesiam, septendecim annis illi præfuit, pacatis ciuibus suis. Quum verò ad finẽ viuendi peruenit, optauit in sepulcro patrum suorũ tumulari, in ecclesia S. Blasij, collegio Brunswicensi.

Eius, vt diximus, iuſſione ciues ab illo capti, bello inſidiante, vrbem Mariæ in eodem flumine extruxere, ad aliã partem vrbis. Comitatum de *Sladen* ille adiecit eccleſiæ, cum arcibus *Widenlage*, *Woldenſtein*. Erat tum temporis error ille vulgatus de adulterino marchione Waldemaro. Effinxit ſe, vir ruſtica plebe natus, officio molitor, in ſpeciem eiuſdem marchionis, aſſerens ſe dilapſum, diu extra regionem peregrinatum. Multos in crudelitatem adduxit: nonnullos, etſi noſſent falſarium eſſe hominem, delectabat tamen quòd labor & perplexitas crearetur Ludouico Bauaro, quem pater Imperatorio iure inueſtiuerat de dicto marchionatu. In his ferunt extitiſſe Carolum regem, ob cauſas memorabiles infeſtum domui Bauariæ, & præſertim dicto Ludouico. Sed euanuit falſarius: & poſt multa mala inde exuſcitata conquieuit ea tempeſtas: prout latius illa à nobis in Wandalia commemorantur.

CAP. 36. EA tempeſtate eccleſiam Mindenſem pontifex gubernabat Gerhardus, nobili domo comitum de *Schawenburch* natus. Primus ex ea familia ad eius eccleſiæ põtificatum prouectus: quod ſatis videri poſſet mirabile, niſi maior pars eius generis comitum in Holſatiã reſpexiſſet, quam tenuere diu pariter, donec per longã ſucceſſionis lineam patrueles inter ſe ditionem partirentur. Vidit iſte pontifex lethifica tempora, graſſantis per omnes prouincias epidemiæ: quæ tanta fuit, vt tertia vbiq; pars populi extincta putaretur. Grauis ira Dei, monẽte ſcriptura Regũ & Prophetarum, in pœnam peccatis venire peſtem, famem, malas beſtias, quæ & fructus cõſumunt, & hominibus inſidiantur. Sed ea tum epidemia tanta fuit, vt parem nõ meminerit vlla ætas, nec poſterior aliqua talis, propitio deo, apparuit. Gerardus autem pontifex breui functus miniſterio, in ſeptimum vix annum peruenit: futurus eccleſiæ non inutilis, ſi diutior illi vita fuiſſet. Nam arcem Rodæ tempore ſuo adiecit eccleſię, daturus plura, ſi licuiſſet. Sepultus in eccleſia inter aram diuæ Mariæ nouæ, & Magdalenæ.

Epidemia tertiam populi partem extinguens.

CAP. 37. LVBECENSI deinde eccleſiæ vacanti præficitur præſtans vir, dominus Bertrahamus, cognomento Cremon, concorditer electus à ſuo capitulo. Huic iam cõſecrato quidã *Steno Berh* mouit quæſtionem ſuper oppido Vthin, fingens illud per parentes ſuos eccleſiæ impignoratum. Et tandem cauſa poſita eſt in manus Henrici comitis Holſatiæ, quem ferreum dixere, qui illud oppidũ cum iuribus & pertinentiis ſuis adiudicauit eccleſiæ Lubecenſi, præſantibus, & id fieri conſulentibus, Alberto & Ioanne ducibus iam Magnopolenſibus, & multis aliis viris miniſterialibus.

Dedit autem iſte pontifex Sacriſtiæ pro vſu ſucceſſorum ſuorum, precioſam mitram, ſiue infulam pontificalem, ad mille marcarum æſtimatiuam, ea conditione, vt extra ciuitatem & diœceſim Lubecenſem ſine ſpeciali capituli conſenſu non efferretur, nec impignoraretur, nec alienaretur. Dedit eidem ſacriſtiæ plura vaſa argentea, ſucceſſoribus ſuis vſum ſolum deputauit. Emit curiam *Hoberſtorper*, & villam *Hornſtorpe*, nongentis marcis. Emit quoque villam *Katkaw*, & curiam *Roberſtorpe* cũ ſtagno & molendino, & curtem dictam *Nigehoff* in parochia *Katkaw*, mille ducentis marcis Lubecenſis monetæ, de pecunia recepta ex venditione villæ *Prodenſtorpe*, ad menſam epiſcopalem tunc ſpectante. Emit curtem *Rodoſant*, & molendinũ Gremetze illi adiacens, ducentis marcis: villam *Techaw* centum quadraginta marcis: villam *Offendorpe*, villam *Gimmendorpe*, trecentis marcis eius monetæ impenſis. Vendidit villam *Holm* trecentis marcis. Vendidit quoque reditus quindecim marcarum Lubecenſium, quos ſolueret annuos oppidum *Lutkenborch*, centum ſeptuaginta marcis. Grauauit ſucceſſores ſuos in perpetuum quadraginta marcis Lubecenſibus, de prædiis & villis per eum emptis, pro certis memoriis & conſolationibus annuis ſoluendis in eccleſia Lubecenſi. Sedit in pontificatu annis viginti ſeptem, appoſitusque eſt ad patres ſuos in ſenectute bona.

CAP. 38. HALBERSTADENSI eccleſiæ poſt Albertum ducem præficitur Ludouicus, marchio Miſnenſis, & comes prouincialis Turingiæ, qui octo quidẽ annis præfuit

eccleſię cum ſumma laude, indè transfertur ad eccleſiã Moguntinam: illã quoq;, quanuis occaſione, poſtea dimiſit Apoſtolica authoritate, tranſiens ad Bambergenſem. Sed neq; ibi permanſit finiens: nam poſt annos ſupra viginti ab eo tempore, quo primùm Halberſtadenſis creatur, peruenit ad eccleſiã Magdeburgenſem, in qua malè finiuit: quod ſuo tempore commemorabitur. Mortuus eſt per hæc tempora Ludouicus dux Luneburgenſis, qui per filiam Wilhelmi nouiſſimi ducis hæreditauit terram. Eo iam vita functo, relicta eius accepit comitem de *Schomburg*. Ludouicus autem in extremis agens, quod in eo fuit, ſucceſſorem ſuum deſignauit Magnum, Magni ducis Brunſwicenſis, qui principatum de *Landesberge* tenebat, filium. Acquieuere proceres terræ, cùm magna iam ſpes optimæ virtutis in eo principe conſpiceretur. Approbauere ipſi quoque Luneburgenſes iudiciũ ſui ducis, & magnis fauoribus Magnum initiò ſunt proſecuti. Non erat diuturna in eo virtutis indoles: citò conuerſus in alium virum, longè aliam ſpem præferebat. Trahere ad ſe omnia, confundere fas atque nefas cœpit: nihil per leges illicitum, quod libitum eſſet, habere: quibus ex rebus omnium in ſe ſubitò contraxit odia. Ipſe parens & literis & nunciis eum commonebat, vt ab improbitate diſcederet, ad primam rediret dominandi ſpeciem: nihil profecit. Infremuit ſenior, & minatus eſt, vbicunque illum obuiam haberet, in proximam arborem appendendum: in quam rem promptos dicebatur funes circunducere. Ille patrem irridens, ex argento catenam iuſſit fabrefieri, quam collo circuntulit: vnde & nomen ſortitur, vt dux catenatus diceretur. Vertebat enim patris iram in iocum, dicens: Pater minatur me iugulare funibus, præparatam illi rem præferam, vt catena vſus, nihil opus habeat, quos circunfert, funibus. Sed hæc in Saxonia diximus.

Neronis quinquennium.

BREMENSI metropoli poſt Ottonem pręficitur Gotfredus, natus comitibus de *Arnsberg*, pridem Oſnaburgenſis epiſcopus. Præuenit enim apud ſedem Apoſtolicam Mauritij adoptati Oratores, ſiue iam erat quod ad agendã cauſam Mauritio deeſſet, ſiue potius gratiam meram Papa faceret Gotfredo, incompertum eſt: ſed tum Gotfredus confirmationem cum pallio eſt aſſecutus, fruſtratis, qui venerant pro parte Mauritij. Potuit fieri, vt pars poſtulantũ vel numero vel merito præualeret: aut formã ſeruauerint in poſtulatione, quam fortè eligentes, & archiepiſcopo ſuo ſubſcribentes, neglexere. Euentum videmus, quia fruſtrati ſunt: cauſam non ita. Annus erat milleſimus treceteſimus quadrageſimus nonus, quum nuncij eiuſdem confirmati redirent cum literis: nec tardabat Gotfredus eccleſiã Bremenſem petere. excipitur cum ingenti honore: & volentibus nolentibuſque, fit archiepiſcopus, quia literis ſummi pontificis refragari nemo poterat. Mauritius tamen arces eccleſiæ tenebat, iam ab annis patrui Ottonis. Nam illo viuente, vicariatum pro illo, quod diximus, gerebat. Difficile inde & arduum bellum enaſcitur, dum alter papalibus literis innititur, alter poſſeſſione terrarũ gloriatur. De ciuitate in ſuum votum vtraque pars inſtituit trahenda diligenter. Illa diu neutralitatem ſuſtinebat, fauens quidem Mauritio, quum literis Apoſtolicis refragari nec auderet, nec poſſet: tamen de voluntate Mauritij quieta diu ciuitas permanſit, nec ſe partibus immiſcebat. Facilè ſibi patitur deeſſe ciuitatem, ſi tamẽ æmulo non adſit. Gotfredus agebat in ſuorũ conſilio, quanam ratione ſibi deuinciret ciuitatem, quum alioqui impar & impotens videretur ad reſiſtendũ aduerſario, qui viribus vteretur diœceſis in eum. Erant qui dicerent, quatuor in plebe viros primarios, qui authoritate in vulgo & linguæ volubilitate præſtarent cæteris, pelliceret promiſſis & pollicitationibus, qui facilè cõmouerent infrenatã plebem: plebs mota vrgeret ciuitatis conſilium, cum maioribus cedere inclinationi multitudinis. Inſtruuntur, promiſſis animantur. Illi pollicitis magnis rebus operã pollicentur: ſeminant latè rumores in plebẽ, magno ciuitatem periculo inuolui, quę literis Apoſtolicis obuia fieri permittat: verum archiepiſcopũ à ſede Apoſtolica cõfirmatum opprimi volens, ſciensque patiatur adulterinum adminiſtratorem: niſi publicũ ciuitatis conſiliũ, & ipſi patres conſulares rebus aliter conſulant, magnum vrbi imminere diſcrimen. Quid multa? mouetur incompoſitũ vulgus his ſermonibus, & turmatim inuadunt prætorium, vrgentes conſiliũ ciuitatis publiçum, vt

CAP. 39.

1349.

discussa quam cum Mauritio seruarent amicitia, & occulta intelligentia, bellum illi indicant pro Gotfredo, vero pontifice: ni faciant, scituros se suis publicis rebus iam aliter consuluisse. Multis rationibus consulares tentant populū à sententia dimouere, prætendētes incōmoda & damna plurima, quòd spontè se bello, ad se nihil pertinente, immisceant: facilem esse ingressum ad bellum, sed egressus futuros difficilimos. Nihil agunt consulares apud persuasam iam plebem. Clamore pro sua consuetudine contendit semel inflammatū vulgus: iam patere, quid sibi velint crebræ cum Mauritio comessationes, & choreæ cum illo frequentatæ sub noctes. Non publico patres commodo, sed priuato Mauritij fœderi & affectibus inseruire: nec cessauere à tumultibus clamosis, quoad bellum decerneretur Mauritio. Omnia ciuibus per publicum consilium prædicta sunt, quæ essent secutura.

Cap. 40. MAVRITIVS acceptis à ciuitate literis, quæ hostilia illi nunciarent, publicas vias milite insedit. Wiseram fluuium ciuibus fecit infestum, nec erat facile quicquam in tenentem arces conari. Lesmonā transire ciues non poterant, quòd aditum seruaret Mauritius de Huda, vbi posuit militum præsidium. Pontem cum propugnaculis instruxere Bremenses supra fluuium, præsidiumq; firmarunt vnde defenderetur: sed neque sic transire poterant, nisi armatas naues ad propugnādum adiungerent. Quo facto, quum pontem transissent, vastatione, incendiis vniuersam ecclesiæ ditionem percurrebant. Mauritius autem collecta vndecunque valida manu, ad numerum nongentorum, armis expeditorum militum, cui agmini inerant de *Oldenburg*, de *Linow*, de *Stenforde* comites, Paderburnensis episcopi manus cum multis nobilibus: & ducebat in vrbem Bremam ad fortalicium, quod habebant ciues ad hospitale, qua promptius erat iter. Ibi se opposuere ciues armati, transitum prohibituri vlteriorem. Conseruntur manus, grauiter pugnatur, cadunt de Bremensium parte multi, plures etiā capiuntur. hostes vastant obuia quæque: nisi superstites ex ciuibus sepium præsidio, quò penetrare non potuit eques, defenderentur, omnes suæ temeritatis iustas luerent pœnas. Inde conuerso agmine ducebat Mauritius in portam Orientalem, vbi suburbium erat non contemnendum, ab ipsa vrbe vsque ad cœnobium sancti Pauli, ædificiis contiguum, habitatoribus plenum: rapinæ, cædes, incendia, ibi omnia miscuerunt. Mauritius priusquā prælium iniret, iam ordinatis aciebus creauit milites auratos, Conradum fratruelem suum de *Oldenburg* comitem, Engelbertum de Marca, Ottonem de *Linow* comites: & nōnullos militares, qui patrata victoria honorem illū seruauere. Quumq; ibi omnia incendio consumpsisset, processit vastans vsque ad Lesmonam, pontem vicit, præsidiū deiecit, nauim, quæ iuxta erat, vi cepit: rediens ad confinia ciuitatis, portas vidit non clausas. Introierūt speculatū ex agmine duo, & videntes clausas domorum fores, læti redierunt, dicentes in Mauritij esse potestate, si vellet, vrbem totam. Grassabatur autem pestis tum in vrbe terrificè, ita vt desperata salute, domi se quisq; suæ contineret. Audiens Mauritius, ingemuit, dicens: Quia supernus rex illam oppugnat vrbem, nolo vt accedat afflictis à Deo, afflictio nostra. Multa mihi iucunda in hac vrbe fuerunt: si modò diffidemus, redibit aliquando tranquillitas & reconciliatio: retrahamus ab illis manus, quos castigat seuerus rerum arbiter Deus, ne & in nos serpat contagio. Ita reduxit exercitū, vir, qui eius dignus videretur imperio, quòd tam benigno fuit animo in afflictam. Populus autem vrbis ad pœnitudinem conuersus, quòd incredibilia rerum damna pateretur, orabat consilium ciuitatis, vt de pace cogitaret. Difficilem fore rem cōsulares responderunt: omnia quæ cernerent, quæq; paterentur, illis esse prædicta. Pollicetur populus, nunquam se turbaturum acta atq; constituta publici consilij: idq; iuramento firmabant, statueruntque, vt in libro memoriali vrbis scriberetur propter venturos ciues. Omnes principes tumultuationis, polliciti sunt simile iuramentum exhibere senatui. Interuentu ergo publici consilij Bremensis, pax in hanc formam inter partes componitur.

Afflicto non debet addi afflictio.

Cap. 41. GOTFREDVS confirmatus archiepiscopatum teneat: Mauritius totius ditionis quæ ad ecclesiam pertineret, sit præfectus administrator. In hunc modum composita

compoſita res,non diu conſtitere. Nam quod neceſſe fuit in eo rerum ſtatu, auerſis inuicem animis,queri cœpit archiepiſcopus, neque commeatus abundè præſtari à Mauritio,neq; pontificatus honorem haberi ab illo. Tum conuerſus archiepiſcopus in Gerardum de Hoia comitem,illũ cœpit habere adiutorem, contempto Mauritio.Sed neq; is erat ſtatus longæuus. Nam ciuitas anno quinquageſimo ſexto cœpit populari tumultu iterũ indicere bellũ Gerardo,quòd multos ciuium ſuorũ ſuper ſeruitute impeteret.Coactus ſenatus à ciuibus iterum nunciare bellũ Gerardo,diu repugnabat:ad extremũ ſuperare quando ciuiũ clamores nõ potuit, bellũ,vt voluere,ſenatus indixit:quamuis comes multis ſe modis & viis ad ſtandũ iuri exhiberet:ad dictamen duorũ de capitulo,& totidem de ciuitatis cõſilio, rem omnem in ciuitate dirimi per electos arbitros pateretur.Nihil profuit apud infrenatam multitudinem tanta in iure exhibitio. Stimulabant cæteros, qui ſtatus ſui quæſtionem metuebant: nec poterat præterire ſenatus ipſe, longè aliud ſentiens, quo minùs bellũ comiti indiceret,cum adminiſtratore Mauritio & capitulo primum facta cõciliatione,vt adhærerent bellũ gerentibus ciuibus. Tenebat comes de Hoia memoratus arcem *Tedinghuſen*,quã à comite de *Bruckhuſen* qualicunq; ratione accepit,quum eſſet in iure eccleſiæ. Hanc amittere idem comes plurimum metuebat,quòd in ea plurimũ pręſidij ſua ditio teneret. Victi deinde eo bello Bremenſes,quum ingenti prælio inferiores eſſent,plurimos ſuorum amiſerunt,cæſos captoſq;.Quã rem illa tempeſtate in excuſationem prætendebãt, ne ad cœtum ciuitatũ de cõmunione anſæ Teutonicæ Lubecam euocati Bremenſes cõcurrerent. Accuſata erat in eo conuentu multiplex Bremenſium contumacia, eiecti ſunt de cõmunione anſę memoratæ.Opulentia tum illos fecit inſoleſcere,vt neq; intus pacem,neq; foris æquabilitatẽ poſſent ſuſtinere. Diu laborarũt, priuſquã ad memoratã cõmunionem iterũ reponerentur:hoc eſt, ad vſum priuilegiorũ in mercaturis.Obiectum eſt tum illis,quòd quidã Bremenſis ciuis damna in mari per piraticã ſine diſcrimine tranſeuntibus irrogaret.Replicatũ eſt ab illis,eſſe illum cõmunem omniũ hoſtem,& perindè ſuorũ ciuiũ aduerſarium: & tamen habere illũ in Hamburgenſes iuſtam cauſam quã cum multa ratione prætenderet. Bremenſes tamen ad eam communionem non reponuntur, niſi præſtita per literas cautione ſuper multis ibi compræhenſis,quam vtique cautionem dari opus nihil erat, ſi non magno interim deſiderio adſpiraſſent admitti in eam ſocietatem.

Quia malè fundamento non feliciter inædificatur.

Bremenſes iterũ cæduntur.

Cap. 42.

BREMENSES igitur renouato bello cum comite de Hoia, fama erat,trecentas illi lanceas venire præſidio:ciues ſexcentas iubent conſcriptas accerſiri,vt duplicatus eſſet illis numerus.Comites de Marca adduxere vrbi agmen præfinitum: quumq; perueniſſent in vrbem,currus omnes armamentis & impedimentis onerantur,& commeatibus implentur:ſed quum ad prælium eſſet exeundum, comes memoratus,acceptis literis à neſcio quo principe,irreuocabilis cum ſuis abſceſſit. Fruſtrata eſt ibi multiplex impenſa. Sed tamen miles vnus & aliquot militares, à comite de Hoia,ob neſcio quam offenſam,tranſibant ad hoſtes,quia feuda in arce *Tedinghuſen* in precium tranſitionis acceperant. Exibant ergò Bremenſes inde animati magno ſuo belli apparatu ad prælium, vaſtantes comitatum de Hoia. Quum non parcerent ſacris locis aut templis, comes inuocato Dominico nomine, cuius hoſtes ſacra profanabant, incurrit in eos:& multis occiſis, aliquot militares, & multos ex ciuibus locupletiores in prælio capit. Nec quieuere victi Bremenſes:dromones (genus id eſt nauium in ſummo natantium) expediebant, quibus armatis aſcenderant per aquas vſque Hoiam. Graue ibi prælium aduerſi conſerunt, fortiter reſiſtunt hoſtibus indigenæ:ignem Bremenſes immittunt,ſed pluuia occurrit incendio. Inde defluente ac prono amne mouent in *Tedinghuſen*. Ibi renouato prælio, multi vtrinque cadunt. Ad extremum ingraueſcente oppugnatione, arcem dedunt qui præſidio inerant: lætitia ingens Bremæ,mœror apud comitem. Victoriam priſtinam, ſi optio eſt, hoc incommodo permutaſſet: tantum repoſuit in hoc præſidio. Poſt annum facta vtrinque compoſitione,capti locupletes, ſuo ſe redimunt ære: pauperes clamitabant ad vniuerſam ciuitatem, vt ære publico laxati redimerentur. Voluit ſenatus imponere collectam cæteris ciuibus,

ad laxandum qui capti tenerentur: non ſuſtinuere populares. nam inde ortus eſt in vrbe tumultus inſurgentium, qui inita in vrbe conſpiratione, ſe grandem appellauere ligam, diu durans in parniciem ciuitatis. Mercatores vrbis ſe coniunxere ſenatui, paſſi imponere collectam. Cœperunt autem res ciuium paulatim diffluere ac minorari, intermiſſa per bellum negociatione. Nam & gramina in publicis locis ſuccreuere, paucitate commeantium. Sed & militares qui tranſierant à comite ad ciuitatem, ſuper damnis acceptis eo bello, publicum conſilium interpellant, volentes ſibi omnia ad integrum reſarciri. Res poſita eſt in arbitrū, Chriſtianum de *Delmenhorſt* comitem. Ita terminatur, vt dato illis feudali in *Tedinghuſen* beneficio, conquieſcerent. Hoc rerū ordine & curſu perplexo, archiepiſcopatum tenuit dominus Godfridus, per annos decem, ad annū Chriſti milleſimū treceteſimum quinquageſimum nonū. Tum cōſilio Gerhardi memorati, comitis de Hoia, qui ciuitati Bremæ iuſtis de cauſis erat infenſiſſimus, Albertum Magni ducis de Brunſwico filium adoptauit, vt de ſucceſſione certus maneret in præſulatum. Sed res duobus penè annis apud ſummum pontificem vix peragi potuit, vt viuente Godfrido Albertus confirmaretur. Superuixit autem Godfridus archiepiſcopus ad annum Chriſti ſexageſimū tertiū, & Stadij in non pontificali victu moriens, deceſſit calamitoſus ad finem vſq; pontifex ſepultus ibidem in eccleſia diui Georgij.

Factio in ciuitate Bremenſi.

1359.

Cap. 43. Sverinensi per eandem tempeſtatem eccleſiæ Henrico ſucceſſit pontifex, inſignis vir, Andreas. Cuius quia annales non commemorantur, genere plebeium, ſed virtute præſtantem, accipio: alioqui inter miniſteriales nō eminuiſſet, qui ſibi in talibus primas partes deſumunt. Præfuit autem eccleſiæ ſuæ cum plurima laude in annū octauum, & conceſſit è vita. Iubileus hoc tempore, quem Bonifacius octauus ad centeſimū inſtituerat, ad verū Iſraelitarū Iubileum, hoc eſt, ad annum quinquageſimū reducitur, in quo ſepties ſeptem quadraginta nouem conſtituunt, vt proximus quinquageſimus, ſit verus ſabbatiſmus, tribuens plenā remiſſionem peccatorū, quod in veteri præludio ſignificabant poſſeſſionum libertates, debitorū relaxationes, quas inuicem fratribus præſtare iubebantur in lege Moiſi. Rationabilis ea viſa eſt omnibus iubilei inſtitutio, quòd ad figuram veteris Teſtamenti aptaretur: & quòd breuis hominum vita, ad centeſimum pertingere non poſſet. Quo anno tantam fuiſſe hominū multitudinem Romæ, ſcribit Petrarcha, qui viderat, vt nihil mirum ſit ex ea colluuione ortam grauiſſimam peſtem: quæ omnem Italiam ita exhauſtam fecit, vt ex mille vix decem ſupereſſent. Manauerat latè ea lues, & ſerpebat eodem penè tempore per omnes prouincias, vt coortā potius* quàm concurſu hominum quiuis facilè ſecum reputet. Sed nihil obſiſtit, cauſam accedere cauſæ, & corruptionem aëris cælo influxam adiuuari corruptionibus terreſtrium cauſarum. Hoc verò aliàs.

Annus Iubileus Iſraelitarum.

Peſtis grauiſſima Italiam vaſtat.

Cap. 44. Paderbvrnensi eccleſiæ poſt Balduinum præficitur Henricus Spegel, abbas Corbeiæ, adiutor præceſſoris ægreſcentis Balduini: nam quum ille podagrę & paralyſis vexaretur incommodis, aſſumpſit illum de monaſterio ſibi ad omnia adiutorem. Hinc primùm per Apoſtolicam prouiſionem prouenit pontificatus, antè ſemper vel per electionem legitimam, vel principum voluntate aſſumptis ad eum diem pontificibus. Secta tum flagellantium, dudum orta in Italia, peruenit in Germaniam. Ibant bini, crucem præferri facientes per vrbes, nudati ad femora, flagelliſque ſe lacerabant miſeris modis. Species erat miſerabilis, & quæ facilè ad lachrymas commoueret viſentes: ſed horrendi intùs latebant errores, qui Deo volente, propalati, exterminabant dæmoniacas illas adinuentiones. Interim verò facie deiecti, vultibus ad commiſerationem flexi, canebant hymnos in laudem crucis Chriſti: & quoties nomen Chriſti interuenerat, quod vtique non rarò fiebat, proni cadebant ſine reſpectu loci, lutoſi, ſcrupoſi, leuis, aſperi, humecti, aridi, nihil verentes. Habet enim inter mortales & diabolus martyres ſuos. Sed ad Henricum reuertamur epiſcopum. Ex hoc Henrico irrepſit abuſus in eccleſiam hanc, & multas alias, vt erubeſcant epiſcopi ipſi facere ſacrum miniſterium in eccleſiis conſecrandis, ordinibus dandis, velandis virginibus: quod vſque ad hunc omnes prædeceſſores eius fecerunt ipſi. Nunc, ſi diis placet, erubeſcimus diuinum

Flagellantiū ſecta.

Martyres diaboli.

diuinum in eccleſia miniſterium,& ſacramus canes in nemore,aut adoramus ſeculares principes in aula.Et huius rei initium in hac eccleſia cœpit ex abbate, pridem religioſo viro, vt per titulares epiſcopos impleant, ipſi autē ocioſi, aut ſecularibus reb. impliciti,ſcilicet.Cæterùm erat vir ſatis ſeuerus,iuſtitiæ & veritatis tenax,inimicis durus. Comitem de *Arnsberg* frequentibus prælijs fatigauit, capto oppido ſub arce,vt ad æquas ſecum compoſitionis leges deſcēdere cogeretur. Et poſt hæc idem comes quum liberos non haberet,comitatum de *Arnsberg* in ſuo teſtamento legauit diuo Petro in eccleſia Colonienſi. Idem Henricus epiſcopus induxit omnes epiſcopos, comites, barones, & miniſteriales Weſtphaliæ ad iurandam pacem,ita vt ſacræ ædes & cœmeteria,perſonæ eccleſiaſticæ, mercatores peregrini, & orantes,cum rebus ſuis libertate tali gauderent, quòd nemo eis violentiam inferret:& quicunq; pacem illam violaret,ſuſpendio interiret.Et ſequuta eſt rigoroſa exequutio in violantes. Venit Imperator Paderburnam,quum Aquiſgranum peteret,& ab Henrico ſolenniter excipitur,deduciturq;. Peruenit autem Henricus apud eccleſiam ad multos annos,quieuitq; apud illam in pace.

Monasteriensi eccleſiæ proximus præfuit Adolphus, natus comitib. de Marca,canonicus antè Coloniēſis,ſatis in iure canonico doctus,qui aliquot annis pacificè gubernabat eccleſiam Monaſterienſem: ſed poſteà ingruentibus malis,preſſuram ſuſtinuit aduerſariorum, qui eum & eccleſiam ſuam grauiter impugnauerunt.Poſtea tamen per ſummum pontificem tranſlatus eſt ad eccleſiam Colonienſem,in qua non diù perſtitit,ſed in manus ſummi pontificis renunciauit.Ioannes autem de *Verneborch*, qui ei in eccleſiam Monaſterienſem ſucceſſit, ſolenniter quidem introductus,& honoratiſſimè ſuſceptus, quum vix vnum annum in ea perſtitiſſet,mox transfertur ad eccleſiam Traiectenſem.Ita eccleſia Monaſterienſis tum contempta eſt,vt facilè dimitterent,data ſpe vberioris loci. Tum quoq; cœpit iſta tranſlatio pontificii frequentari, quæ antè non conſueuit fieri, niſi magnis & ponderoſis de cauſis.Florentinus quoq; de *Weuelkauen*,trigeſimus octauus Monaſterienſis epiſcopus,quum eſſet canonicus Colonienſis,per Vrbanum quintum de eccleſia Monaſterienſi curam ſuſcepit. Hic in diebus ſuis vtiliter tantæ præfuit eccleſię,perdita recuperabat,quę reperit adauxit,& eccleſię rebelles domuit.Hic quoque poſt aliquot annos per eundem Vrbanum tranſlatus eſt poſt præceſſorem ſuum,in eccleſiam Traiectenſem,quam ſumma induſtria ad finem vſq; vitæ laudabiliter rexit.Hos ego pontifices vnà ponendos eſſe putaui, quòd illorum nemo apud ſponſam ſuam permanens, cum ea dormiuit in pace: ſed omnes, quod diximus,ad vberiores ſunt tranſlati. Cap.45.

Pontificii trāſlatio frequentari cœpta.

Verdensi autem eccleſiæ poſt Rodulphum præficitur Gerhardus, ordine quadrageſimus, in illa eccleſia,natus familia miniſterialium de Monte, qui poſtea tranſlatus fuit ad eccleſiā Hildeſemenſem. Ergo paruo tempore præfuit huic Verdenſi. Gurguſtium in Weſera, quo piſces in tranſuerſum agi prohibiti capiuntur, quod ad menſam pertineret epiſcopalem, renitente comite de Hoia, conſtruxit atq; firmauit,& ad menſam reduxit: quod tamen poſtea Otto, huius quoq; eccleſiæ pontifex è domo Brunſwicenſi,ad muliebrem,ſororis ſcilicet ſuæ, quā Comes memoratus tenebat cōiugem,inſtantiam,per occupationem Ottonis de Hoia comitis,ſatis facilè dimiſit in præiudicium eccleſiæ. Præfatus autē dominus Gerhardus tres pannos ſericos auro mixtos,ad præparamenta eccleſiæ donauit, & in memoriale ſui nominis perenne reliquit eccleſię:plura comparaturus,ſi apud eam eccleſiam permanere licuiſſet.Per hæc tempora Bartolus Saxoferratenſis,illuſtre legum lumen claruit,omnium ſuperiorum temporum interpretum facilè princeps: qui diſſonantes leges in vnam concordiam redigere, ſupra omnes ſingulari ingenio nouit,qui prę cęteris legum interpretibus in Digeſto veteri, Infortiato, Nouo necnon in reliquis codicibus legum,clariſſima edidit commentaria: quorum præſtantia poſteri omnes eum admirari coguntur.Scripſit & Tiberiadis tractatum,atque Conſiliorum volumen. Plura deinde nominis ſui præclara monumenta reliquit. Anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſexto exceſſit è vita, tumulatus ad Minores in Peruſio,vir memoria dignus ſempiterna. Cap.46.

Bartolus Saxoferratenſis Iureconſul.

Cap. 47. Racebvrgensi verò eccleſiæ præficitur per id tempus Wipertus, quem magna virtutis indole necdum profeſſum, necdum capitulàrem feruntur aſſumpſiſſe & elegiſſe fratres, vt eſſet eorum pontifex. Aſcendit ipſe, Romanum petens pontificem, quia & ab annis ei fuit diſpenſatione opus: alioqui Bremenſis archiepiſcopus illum confirmaſſet. Pontifex Romanus adoleſcentiam eius fertur contempſiſſe, nec facilè annuiſſe poſtulationi eius. Aiunt rem tum proueniſſe miraculo dignam, vt oſtenderet Deus, ex ſe prodiiſſe electionem eius. Ea, quæ proxima, nocte ita incanuit, vt poſtero die pręſentatus pontificis conſpectui, non eſſe putaretur is, qui pridem confirmationem petiiſſet. Vbi intellexit eundem eſſe, nihil moratus, diſpenſauit, confirmauit: iuſſitq́; hominem epiſcopum conſecrari, quem euidenti ſigno Deus à ſe comprobaſſet electum. Reuerſus ad eccleſiam ſuam, optimè illam gubernauit. Erat vir magni animi, non territus etiam difficilimis aggrediendis. Albertus dux Magnopolenſis, qui primus cum fratre intulit familiæ & domui ſuæ ducalem honorem, impetiuit, tanquam ſui iuris eſſet, villam Rodenſtorpe, quæ erat & eſt eccleſiaſtici iuris: hoc ſe probaturum pontifex oſtendit. Non auditur: ſed potenti manu, vt habent in more nonnulli potentes, ſine contradictione molitur auferre. Rogat pontifex, dignetur audire ſe deſuper, videre documenta, rem venire ſinat ad diſcuſſionem iuris vel amicitiæ: ſinat vel amicabiliter cauſam controuerſiæ in lucem venire coram paribus curiæ: nihil impetrat. Tum vbi videt omnes iuris & amicitiæ vias claudi, in cœtu multorum miniſterialium, pontifex: Audite, inquit, principes, & qui adſtatis vniuerſi verbum Domini. Deus qui per merita ſerui ſui Ludolphi prædeceſſoris noſtri, cui in tempore ſuo maiores veſtri impenderunt miſericordiam & cõſolationem in afflictione ſua, exaltauit & glorificauit domum veſtram, dux Alberte, vt inter multas paris gradus opibus, honore, ditione, creueritis: & hanc gratiam pro humilitate & miſericordia eſtis conſequuti. Video vos diuinis beneficiis & ſancti ſui peringratos: ſequar iudicium diuinæ pietatis, inferam pro benedictione maledictionem, & reſpiciet Deus preces ſeruorum iniuſtè afflictorum. Hæc ea voce terrificè dixit: & ſimul dicens, iubebat afferri pontificalia indumenta. Statimq́; emollitus dux, territum ſe oſtendens, velut à Deo aut angelo audiſſet increpationem, ceſſauit ab impetitione. In arce Schonenberge multa exædificauit, & ornauit: præſertim capellam, in qua diuinum peragitur miniſterium. Erat genere miniſterialium de *Blucher*: & optimo fine concludens, apud eccleſiam ſuam quieuit in pace.

Miraculum.

Potentum ingenium.

Cap. 48. Sverinensi eccleſiæ per idem tempus præficitur poſt Andream memorabilis vir, Albertus: ſed poſteaquàm illi eccleſiæ præfuit per annos octo transfertur in aliam, quod tum frequens eſſe cœpit per Gallicos pontifices, qui rem illã crebriùs, quàm vnquam antea vel pòſt fuerit audita, conceſſerunt. Ferũt eundem tertio tranſlatum ad eccleſiam Magdeburgenſem. Hoc vtrùm & quando factum, infrà non tacebitur. Succeſſit autem illi in eccleſia Suerinenſi Rodulphus, de quo nihil amplius in annalibus eſt, niſi quia Rodulphus ſucceſſit, & vix anno completo, in fata conceſſit, anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto. Hoc tempore claruit Romę Brigitta, fœmina Deo deuota, regno Suediæ oriunda. Quæ cum filia, morte mariti libera, peregrinationis & deuotionis gratia Romam commigrauit, ibiq́; cælibem vitam duxit, multis reuelationibus inſtincta eſt, quæ per vrbem & Italiam ſparſę tenentur. Habuit confeſſorem religioſum nomine Alfonſum: qui poſteà eremiticam vitam eligens, multa ſcripſit ex his, quæ ex ore memoratæ fœminæ audiſſet. Fertur Clementi papæ ſexto denunciaſſe, vt Auinionẽ veniret, Romanam eccleſiam reformaret, alioqui diuinam indignationem perſentiret. Monitus eſt, vt ferunt, & in Auinione viſione cuiuſdam fratris ordine Minoris, inſequutor eius Vrbanus quintus commonefactus, non cõtempſit. Nam biremes, quas occultò parari iuſſit, & deſcendens in portum Maſſilienſem, ab eodem fratre eſt interpellatus: quòd ſi rediret, vt facturũ apparebat, in locum ſuæ manſionis Auinionem (non enim ſe ita conferebat quaſi manſurus in Italia) futurum, vt fieret Ioſias, incipiens & non perficiens, & daturus eſſet locum ſchiſmati in proximo venturo, in quo mille millia animarum eſſent peritura. Ille ſe contulit Romam, & opportu-

nis

nis locis palatia iuſſit extrui,vt æſtiuo tempore haberet curia,quò ſe conferret. Pleraque in vrbe ordinauit, quaſi de proximo venturus cum omni curia. D. Brigitta, quum Romæ conſiſteret,vidit in viſione Mariam ſibi dicentem: Ecce papa redit Auinionem,cōtra Dei voluntatem: quod dum fecerit, ſtatim morietur, rationem Deo redditurus.Hanc reuelationem ſcriptam de manu fratris Alfonſi confeſſoris tradidi,qui perferendam ſummo pontifici polliceretur. Sed ille velut aniles næni-as & ſomnia contempſit: ſed ſtatim,reuerſus Auinionem,obdormiuit, prouenitq; quod mulier prædixit.

ECCLESIÆ Mindenſi per ea tempora præfuit Theodoricus, eius nominis tertius,cognomento *Cagelwid*, homo plebeio genere natus ex Stendalia, ordinem profeſſus Ciſtertienſium, in hac eccleſia quadrageſimus primus quem Imperator Carolus IIII. pro induſtria,quam in homine depræhendit, eductum monaſterio, ſequi iuſſit curiam,& paruit. Multa eius ingenii facinora deſignauimus in noſtra Wandalia.Imperator eum prouexit,fauore ſummi pontificis, ad eccleſiam Ebronenſem,inde ad Slefwicenſem,vt annalis teſtatur:quod ſatis nouum, extra Imperii fines,hominem Imperio deditum,epiſcopari. Ab illa verò eccleſia tranſlatus eſt ad Mindenſem,opera & prouectione eiuſdem Imperatoris,qui illum pro ingenio, quouis epiſcopatu dignum ducebat. In hac autem eccleſia præfuit in annum nonum non inutilis futurus pontifex. Memorāt ſeniores nonnulla eius dicta & facta, quæ à patribus ſuis audierint, prudentiam & alacritatem, & dexteritatem viri teſtantia. Quum intellexiſſet Imperator eſſe controuerſiam in eccleſia Magdeburgenſi ſuper electo,miſit nuncium ad pontificem,qui eccleſiam pro ſuo Theodorico obtinerent:quod iam exinde dicemus. CAP. 49.

MAGDEBVRGENSIS eccleſia vacabat,Ottone mortuo,& poſtularunt canonici Ludouicum Miſnenſem marchionem, epiſcopum Halberſtadenſem. Vbi res innotuit,ciues magnis clamorib. ſunt refragati: poſtulantes, ne vllo pacto hoc fieret,hæreditarium illis omnibus futurum bellum cum domo ſua. Dum res iſta penderet,venit qui afferret Apoſtolicas literas, eſſe prouiſum de eccclesia illa domino Theodorico Mindenſi epiſcopo, quem ad inſtantiam Imperatoris Caroli tranſtuliſſet ad eccleſiam Magdeburgenſem. Gauiſi ſunt ciues,quòd ab Ludouico diſcederetur.Conſolati ſunt quoq; canonici,qui non voluntate ciuium prouiderint eccleſię.Igitur Theodoricus in eccleſiam ſolenniter introductus,excipitur ſplendidè,& bonis initiis cœpit gubernare. Reperit eccleſiam maiorem ab annis centum quinquaginta perfectam,necdum conſecratam,quòd refugerent prædeceſſores magnitudinem ſumptuum,in tam ſolennis eccleſiæ dedicatione. Igitur proximo anno,paratis omnibus quę ad rem pertinerent,maximo ſplendore,quòd magn⁹ eius animus eò propēderat: viditq; in Imperatoris curia, quem diù ſecutus fuit,regium ſæpè apparatum,homo plebeio genere natus de Stendalia,nutritus in monaſterio Ciſtertienſium:ob eam rem,quòd Imperatori videretur ſingulari præditus ingenio,ad gubernandā curiam aſſumptus à cœnobio: de quo pleniùs in noſtra Wandalia. Inuitauit principes vicinos,epiſcopos,abbates, prælatos,nobiles, milites,& quicquid propè erat magnum:& ingenti apparatu,ſolennibus epulis,curiam celebrauit,cui nullius memoria parem vidiſſet.Poterat hoc vnius viri magn⁹ animus,quod multi principes non potuere. Igitur ſeptem annis eccleſiam gubernauit.Nonnulla,vt fieri ſolet,excreuere illi aduerſantia ex capitulo,ex miniſterialibus,ex ipſa ciuitate,quibus diù moderandis inſtitit,diuq; temperauit. Vbi vidit iam ſe rebus moderandis non ſatis eſſe, nolletq; præſens videre quæ diſplicerent, nec poſſent ad nutum eius reformari,commendauit eccleſiam canonicis, præſertim prælatis in ea miniſterialibus arces & oppida eccleſiæ:Magdeburgenſib.quoque verbum fecit,vt eccleſiam pro ſua virili tuerentur,proueherent,armarent:reuerſuſq; ad Imperatorem eſt in Bohemiam. CAP. 50.

HILDESEMENSIS eccleſia poſt principes,comites,barones,pontifices,accepit Apoſtolica prouiſione fratrem,ordinis Prædicatorum.Vide quò tendat ambitio.Monachus ille nō fuit clauſus monaſterio,ſed diuerſatus in curia papali,aut Imperiali:indeq; ꝓmotus eſt ad hanc Hildeſemenſem.Quid faceret canonici aper CAP. 51. Ambitio.

tas pontificis literas cernentes, quibus contraire non poterant? Ergo ſuſcipiũt epiſcopum: ſed illi naſcuntur, ſiue ex ſuis cauſis, ſiue ex ordinatione miniſterialium, vt facilè tęderet virum, monaſterio & quieti aſſuetum, curiæ perplexitatum. Hinc illi nunciantur hoſtilia, inde abacta pecora nunciantur: alius queritur ſe captũ, nonnulli per itinera rebus ſpoliatos. In armis exercendum fuit: loricam non patitur, aſſuetus vmbræ frater. Ergo vbi vidit quid ageretur, quodq́; non poſſet eccleſia, niſi armis, inter armatos defendi, vixdum expletis in pontificatu duobus annis, dimiſſa eccleſia, rediit ad pontificem. Magnus tum iunior, Magni ducis Brunſwicenſis filius, quum pręeſſet terrę Lunenburgenſi, omnes qui eſſent propè & longè, tenuit inquietos. Ipſe verò mercedem ſuæ inquietudinis accepit: quam rem in Saxonia exegimus. Sed, quod noſtræ fuerit accommodum rei eccleſiaſticæ, Brigitta iam in Italia innotuit reuelationibus ſuis, & vitę ſanctitate clareſcens. Ea monuit per ſchedulam, quam dominus Latinus de Vrſinis Romanus baro afferebat vndecimo Gregorio, iam recens ad pontificatum aſſumpto, niſi veniret Romam cum humiliate, & paterna charitate, viſurum duriſſimum rerum ſuarum exitum. Ille non contemnens admonitionem, ſemper quibuſdam ſe monentibus, fecit eandem per nuncium conſuli. Eius autem fuit exiſtimationis, vt nec pigeret põtificem quærere quid vellet, & non pœniteret nobiles viros ea nuncia perferre. Reſpondit interrogata in ſcripturis, de manu Alfonſi monachi confeſſoris ſui. Et eam ſchedam iuſſit geminari vno tenore: alteram cõſignari clauſam abbati, quem papa miſit in Italiam, magnæ rei gratia: alteram in conſpectu abbati legi, mox lectam in fruſta conſcindi, diceretq́;, quomodo papyrus cõſcinderetur, & ſpargeretur per minutias in ventum: ita, niſi rediret in vrbem Romam, eccleſiæ Romanę poſſeſſiones per Italiam eſſe lacerandas, & tyrannorum viribus diſſipandas. Iſtam reuelationem attulit Auinionem, vt traderet pontifici, dominus Nicolaus Comes de Nola, motus nécne fuerit pontifex his rebus, incertum eſt: hoc tamen certum eſt, hunc Gregorium reduxiſſe curiam in vrbem.

Maiora qui viribus ſuſcipit, turpiter deficiat, eſt neceſſum.

Transfert papa ex Gallia Romam ſedem ſuam.

CAP. 52. GERHARDVS autem epiſcopus Verdenſis, transfertur tum ad eccleſiã Hildeſemenſem. Erat, quod diximus, ordine miniſterialiũ de Monte prognatus, præfuitq́; eccleſiæ ſuæ Hildeſemenſi annis triginta tribus. Duas arces exædificauit in diœceſi ad ripam Leinæ fluminis, *Stenibrugge* & *Coldinge*: potitusq́; victoria, de qua ſtatim, ex præda inſtaurauit de nouo Carthuſiam in *Hildeſſem*, eamq́; dotauit, eligẽs in ea ſepeliri. Per quæ tempora noui iterùm ordines in Italia naſcuntur, Inieſuati: apud Senas concurrunt, habitu laicali, viuentes communiter de labore manuum, & in ſimplicitate ſua contenti, ad nullas opes, ad nullum ambiunt ſplendorem. Vrbanus papa quintus, quum de his audiret, iuſſit adeſſe ſibi. Interrogabat, audiẽs de ritu viuendi, ſatis approbauit, dans eis protectorem virum potentem, qui illo zelo efferueſcens, plura illis impetrauit priuilegia. Nunc diffuſi per Germaniam, Italiãque, crebras meruerunt per oppida domos. Ordo quoq; ſanctæ Brigittæ iam tunc ſumpſit exordium: viri ac fœminæ non iiſdem tectis, verum in eccleſia ita diuiſim habitant, vt ad alterutrum commeare non poſſint, niſi ad deferenda Sacramenta. Abbatiſſa regit omnia. Inter fratres, dominarum confeſſor præſidet. Formam viuendi ex regula diui ſumpſerunt Auguſtini. Baſilii autem vetus traditio eſt, ordinẽ in vtroq; ſexu haberi. Fratres ad neceſſitatem ſacramentorum, & ad forenſia negocia deſeruiunt. In pauimento eccleſiæ diuinum habentes officium, ſorores in ſolario deſuper diuiſis horis Deo perſonant laudes. Miſſarum tamen officium, cantu virgines proſequuntur. Profecta erat dum vixit Brigitta, deuotionis gratia Hieroſolymam: reuerſa autem, necdum emigraſſe pontificem Galliis intellexit, renouauit Neapoli, poſita deſuper ſua reuelatione, & miſit pontifici. Ille verò negligendam non putauit: ſed non erat facile inde diſcedere, vbi ex commodo erant omnia, ad locum quieti nunquam deditum, vbi exerceretur infinitis perturbationibus, peruicit tamen multiplex cauſa, vt Gregorius cautiſſimè curiam transferret. Moritur hæc domina Romæ, & in patriam reuehitur: monaſterio in *Waſten* à ſe condito tumulatur.

Ieſuitarum ordo.

CAP. 53. HALBERSTADENSEM interim eccleſiam Ludouicus Turingus deſeruit, ad

ad Moguntinam tranſlatus: & reponitur in eam vir doctrinæ & ingenii ſingularis, Albertus, cognomento de *Rickmerſtorpe*, paternę originis villa eſt, in qua ruſtica plebe natus, Pariſii tantum nominis emeruit ab ingenio, vt pontificatum in patria acciperet. Extant de eius nomine, quæ vocantur Alberti Sophiſmata. Præfuitq; eccleſiæ annis viginti quatuor. Inter cętera memorabilia huius pontificis eſt bellum, in quod ſe immiſcuit, quod erat Magno duci de *Brunſchwig* & *Lunenburg*, aduerſus Gerhardum Hildeſemenſem epiſcopum. Coierant in ſocietatem eius belli cum Magno duce, Theodoricus Magdeburgenſis, Albertus Halberſtadẽſis, duo comites de *Anholt*, comites de *Querforde*, barones de *Hamerſchleue*, omnium armorum apparatu contracto. Id erat in agmine roboris, id fiducię, vt hoſtes obuios adſpectu terrificarent. Quid faceret Gerhardus? In eius ditione tonabant armis, incendio graſſabantur: non erat quod diutiùs adſpectaret. Armauit ciues vrbis ſuæ, & ex miniſterialibus ſuis, quantoſcunque potuit, euocauit: expeditum habuit exercitum, ſed nequaquam numero aut viribus parem hoſtili. Sed erat fiducia magna, & animus inuictus: cauſam eccleſiæ Deo & diuæ Mariæ patronæ commendabat: & progreſſus in prælium, conſtitit ex aduerſo iuxta *Dingeber*. Signa ſonuere, concurrunt infeſtis haſtis, miſcent vtrinq; manus. Non longum tempus in medio, Gerhardus numero pugnantium inferior, fit robore ſuperior: cædit, capit obuios, Magnus ipſe dux capitur. Quod vbi innotuit, fuga de illius exercitu effuſa committitur. Albertus quoq; Halberſtadenſis capitur. Comes de *Querforde*, Magdeburgenſis canonicus, & baro de *Hamerſchleue* pugnantes cadunt. Victoria inſignis erat Hildeſemenſium. Tantum auri conflauit ex victoria de pręda, de redemptione captiuorũ, vt domũ Carthuſiæ fundaret ab imo, & arces duas, quod diximus, adderet his quæ antè multæ extiterant. Magnus dux, vt ſe captiuitate redimeret, vendidit principatum de *Landesberge* & *Hongerhuſen*, quem ex matre habũit hæreditarium. Viuebat in hunc vſq; diem Wilhelmus dux Lunenburgenſis, qui valetudine aduerſa, imbecilli erat corpore: ideoq; Ludouico genero ducatum permiſit, quo etiam moriẽte, permiſit vt Magnus iunior ad eam ditionem perueniret, malens Brunſwici principibus, quàm Saxoniæ duci, qui alteram eius filiam tenebat, cedere principatum. Prope idem tempus & Magnus Magni pater, rebus humanis exceſſit, qui filii temeritatem & improſpera bella ſemper accuſabat: ſed ferox iuuenis neq; patrem, neq; alium quemuis audiuit, peſſimam ducem ſequutus, ſuam temeritatem, quæ illum ſæpè in pericula miſit, ſæpè contruſit in maxima damna: & finaliter illum, quod dicemus, perdidit. Sed hîc ſit huius voluminis modus.

ALBERTI KRANTZII

METROPOLIS, LIB. X.



DVæ metropoles, quas ſolas & ambas deſcribimus, vno penè tempore vacauere, Magdeburgenſis atque Bremenſis eccleſiæ. Nam Theodoricus Magdeburgenſis archiepiſcopus, poſt aliquot annorum interuallum ad eccleſiam ſuam reuerſus, ſeptimo aſſumptionis anno migrauit ad Dominum, ſepultus in eccleſia ſua. Poſtularunt canonici Mersburgẽſem epiſcopum: ſed præuenit eos Albertus de *Sterneberg*, pridem, vt arbitror, epiſcopus Suerinẽſis, nunc fauore ac prouectione Imperatoris aſſumptus in eccleſiam Magdeburgenſem. Capitulum Apoſtolicæ prouiſioni refragari non potuit. Ciuitas tamen peregrinum dominum, Bohemia natum, difficulter admiſit. Sed quid faceret, ſuperata ſuorum authoritate maiorum? Quatuor annis præfuit: & tum exorta ſimultate inter eum & ciuitatem ſuam, quòd turrim in eius, vt apparuit, præiudicium erectam demoliri iuberentur, nec parebant. Obnixę erant partes, cedere non volentes: nec Archiepiſcopus relaxare voluit mandatum, nec ciuitas demoliri præſidium. Videbatur res in apertum bellum exitura. Sed inuenit Albertus ei rei facile remedium, CAP. I.

permutans ecclesiam Magdeburgensem altera, quæ esset in patria sua Bohemia. Quo tempore Otto dux de Brunswico, qui Gottingēsem terram ditione tenebat, arcem Hercyniæ *Hartesburg*, de qua ab olim multæ fuere quæstiones, expedito agmine petiuit: occultosq;, monstrante famulo, qui in ea diu seruierat, inuenit, & noctu clàm comprehendit, & occupauit. Primo mane comparatis vehiculis, arma & commeatus curabat inuehi. Iam conuenerant ministeriales Hildesemensis ecclesiæ, ex quorum numero fuere qui illam amiserunt, vt reciperēt occupatam arcem vi & manu. Otto vbi intellexit se numero superari, prudenter declinauit, citato agmine petens Alueldiam, quam noctu comprehendit. vbi audierant ministeriales ecclesiæ, tam magnum esse factum ecclesię præiudicium, conuerso & ipsi agmine, ducem sequuntur, dimissa arce quam petebant. Ibi pacto inter partes inito, Alueldia redditur ecclesiæ: ipsi ministeriales etiam adiutare armis ex formula iubentur, vt firmet à se captam arcem. Nec diu pòst idem dux quum ex hostium terris cum præda rediret, pernoctabat ad vicina arcis *Leuenburg*, quam ministeriales de *Suichelen* tenuerunt. Consedit ibi pernoctans: inuitatur ab arcis præfectis, vt quoniam festa esset diui Martini vigilia, dignaretur apud illos epulari cum suis. Noluit dux grauare illos, vrgēt: cedit, lautè excipitur. Mane profecturus, aurum exhibet cum gratitudine: recusant accipere, honorantes ea re magnificam nobilitatem eius. Ille verò, quòd commodi viderentur futuri custodes, arcem pridem captam *Hartesburg* illis permittit, incertum qua lege, & tenent posteri in hodiernum.

CAP. 2. BREMENSI quoq; metropoli per idem tempus alius Albertus post Godfridum præficitur: filius erat Magni ducis de Brunswico senioris, frater minoris Magni, qui omnes tum tenuit inquietos. Albertus autem pridem erat & Magdeburgensis & Bremensis canonicus, oculo alternans in vtranq; ecclesiam: & prouenit illi Bremensis, viuente adhuc Godfrido. prouenit autem hoc ordine. Annisus erat, vt diximus, Gerardus de Hoia Comes, infestus Bremensibus, vt Magnus dux Alberti pater Bremensibus bellum indiceret: hoc si faceret, obsequiis se apud ducem compensaturum. Recusabat dux, donec intelligeret quid inde speraret, effecturū se comes pollicetur, vt filius eius Albertus archiepiscopatum assequeretur. Hoc, inquit ille, si effeceris, faciam quod hortaris. Egit comes apud Godfridum archiepiscopum, & ille apud capitulum, vt consentirent: sed Mauritius de Oldenburg comes, iamdudum administrator ecclesiæ, formidinem illis iniecit, quo minùs facerent: misit tamen capitulum duos ex suis ad Albertum, qui cum illo agerent. Transacta res est amicissimè: ducali magnificentia remunerati redibant. Duobus annis apud sedem Apostolicam in Auinione agebatur causa, priusquàm confirmaretur. Vbi innotuit confirmatio duci Magno, cœpit cum capitulo & ciuitate de pace agere. Nunciauerat enim hostilia ciuitati, propter comitem de Hoia. Conuenerant in *Waldesrade*. Ibi dux interposita compositione, compleuit rem omnem inter comitem & ciuitatem. Magno ibi splendore feruntur paruisse Bremenses, multis militaribus ad iter conductis, & ex ciuibus iuuenes conspicuos habitu & armis instruebant. Ergo productis literis confirmationis pro Alberto filio, capitulum contradicere non potuit: homagium à ciuibus pro illo deposcitur. Responsum est, durare adhuc sacramenta quæ Mauritio præstitissent: quæ nisi priùs laxarentur, non possent alii obligari. Mittitur ad eundem Mauritium legatio, vt ostensis Apostolicæ prouisionis literis, cum mansuetudine duceretur ad parendum mandatis ecclesię. Ille vbi vidit, admiratione aliquandiu mutus stetit: inde infremuit, non hoc deposcere Bremensium à se beneficia, sua in illos merita. Quid multa? flecti non potuit, legatio vana fuit, ad arma concurrit senior Magnus cum filio, obsidet arcem Vorda: ibi instituta oppugnatione, aliquot cadunt militares. Post multa paciscuntur, vt Mauricius cedat arcibus ecclesiæ, remittat iuramenta Bremensibus: arcem Hagen illi, quoad viuit, permittant. Quibus ita compositis, toto armorum splendore tenditur Bremam: euocatur ciuitatis consilium ad præstandum confirmato homagium. Emittunt duos consulares camerarios, qui consilii nomine sacramenta præstarent. Displicuit forma rei gerendæ principibus: sed quum cōsuetudinem aliam non inuenirent in loco, abierunt contenti. Redditur illis promissio sigillata de ser-

uandis

uandis libertatibus,& priuilegiis illorum.Introducitur archiepiſcopus magno armorum ſplendore in vrbem,& ingenti apparatu excipitur,ſacris concinentib. per eccleſiam,& conuiuiorum apparatu cunctis magnificè perſtrepentibus.

IN vrbe Brema per eam tempeſtatem viuebat & vigebat adhuc in populo grauis illa diuiſio,quæ Grandis ſocietas dicebatur, opponens ſe conſilio publico, pro indictione collectæ ad redimēdos ciues captiuos, quos adhuc retinebat comes de Hoia.Senatus cum mercatoribus & magna ciuium parte indixit & ſubiit collectā: ſeditioſi non contenti recuſare,ad arma conclamabant,productis de naui quiſque ſua banneriis pro ſignis militaribus,plebem vocant ad arma : cōcurritur in domos conſularium,quæruntur ad mortem, enſibus ſcrutantur tumultuantes in abditis locis.Senatus immiſſo deforis armatorum præſidio,vrbis portas iubet ſerari.Dant ſignum è turri,ad arma vocantur boni ciues ſenatui inhęrentes:iam verſa fortuna, requiruntur ſeditioſi:compræhenſi,ad iudicium publicū perducuntur, datur ſententia in eos ſanguinis,& vt confiſcentur bona,cæduntur gladio qui capti ſunt,alii proſcribuntur.Decem & octo erant principaliores,qui aut cæderētur,aut proſcriberentur:ignoſcitur imperitæ multitudini.Sed non erat ibi finis malorum.nam ꝓſcripti foris cum archiepiſcopo, intùs cum amicis ſecretò agunt, vt ciuitas in plenas manus,& omnimodam poteſtatem veniat archiepiſcopi.Ioannes Holman inſignis latro,diù pirata,in hac tumultuatione ſecūda principatum agebat. Nauibus impoſiti multi ex eius complicibus prono flumine deſurſum introducunt archiepiſcopum cum expeditis armatis:proditores de intùs portas reſerant, noctu capitur ciuitas.Quum in forum prodiſſent,intonuit Holman in medio multitudinis ciuium concurrentium,veniſſe archiepiſcopum,vt nimiam potentiam & violentiā inſoleſcentis ſenatus domaret,iura reſtitueret,vnicuiq; ſua ſeruaret. Qui libertatem ſeruituti præferrent,agglomerarentur lateri eius.Rediiſſe cū illo diù peregrinantem ciuium immunitatem.Ea vox ſimplices multos decepit. Viri boni partim ad arma concurrunt pro libertate,capiuntur,cæduntur, malè habentur qui ſe non coniungunt archiepiſcopo,multi elabuntur. Erat vir conſularis,qui neglecta hæreditate propria & priuatis commodis,literas archiepiſcopi,quibus promiſſa ciuitati firmauerat,appræhendit: & illo velut ingenti theſauro animatus, vrbe egreditur. Ingreſſi,caſtella firmant opportunis locis in orientali porta, in lapidea domo ad Wiſeram inuehunt commeatus vndecunque ſumptos: nox plurimos animauit. Orta luce,quum videret populus rem aliter ac promiſſa ſit, per proditores agi,pœnitentia tanguntur, quòd illis paruerint: ſed interim ſilent, quum toto ferè menſe ſpoliis & incendiis vrbs vaſtaretur:coniurati qui pontificem introduxerūt, conſilium inierunt,vt archiepiſcopum qualicunque à ſe conditione dimitterent, quòd oneroſus,nec neceſſarius ciuitati videretur. Multa ei permiſſa vectigalia, pecunia prompta numeratur, & quicquid popoſcit vt abiret,accepit.Abiit,& iam rem omnem proditores in manu habere videbantur, quum interim dilapſi boni ciues, ad comites in *Delmenhorſt* atque *Oldenburg* confugiunt. Horum comitum conſilio & armis freti, deliberabant, quomodo ciuitatem eriperent de manibus ſeditioſorum.Secretò mittunt in vrbem ad amicos: docent quid moliantur,quídve poſcant, quum omnia conſtarent ex ſententia, iam penè ſecuris proditoribus illis,irrumpunt hi qui antè dilapſi fuere,aucti armis cæterorum. Conradus comes de *Oldenburg* valida ſtipatus manu, aderat. Qui intùs fuere viri boni, portas reſerant: mactantur obuii quique ex ſeditioſis, capita cæſorum ſuis cuiuſque in foribus appenduntur, fœminæ quæ archiepiſcopum iam iterùm ad arma vocaſſe dicerentur,ſine diſcrimine cæduntur. Holman cum omni familia ſua cæſus, inſigni ſpectaculo pendebat ad fores ſuas.Præfecti præſidiis impoſiti,pacti impunitatem, diſcedere ſinuntur:ita redempta eſt denuò ciuitas de manibus perditorum. Vulgus in vtranque partem mobile, quod victoribus ſolet inhærere, non tunc potuit non timere.Erant ex hoc grege fidentiores,qui legatione omnium ſuſcepta,ad comitem & patres reuerſos in vrbem,veniam precabantur imperitæ multitudini:allegabant culpam reſidere penes conſilium publicum: quia non in ſeueritate, ſed manſuetudine rem egiſſent,aluiſſent multorum audaciam. Quòd ſi in tempore

CAP. 3.
In Bremenſi populo diuiſio.

Seditioni quēadmodum sit obuiandum.

malis occurrissent, cæsis principibus, non esset in ea mala peruentum. Ignotum est multitudini, renouatum est iuramentum à ciuibus sæpè præstitum, nunquam se aduersus publicum ciuitatis cōsilium facturos. Ita misera ciuitas inter ciuium suorum manus lacerata, ad eam tenuitatem peruenit, quam forenses inimici nunquā inuexissent. Dici non potest, quos sumptus, quos labores impenderunt: æstimationem res non accipit, quæ ad infinitum vadit.

CAP. 4.

OSNABVRGENSIS ecclesia quum vacaret, facta translatione Godfridi ad ecclesiam Bremensem, quærebatur qui succederet loco & ordine trigesimus sextus. Erant illa tempestate insignes viri canonici Osnaburgenses, Doctor Lubertus Wend, & dominus Arnoldus cantor, contempto seculo, in cœnobio campi sanctæ Mariæ, conuersionis gratia, ordinem Cistertiensem sumpsere: ex quibus in nouitiatu electus D. Lubertus ad ecclesiam Osnaburgensem, renuit, & in religione sacra permansit, Deo inibi seruiens per annos viginti sex. Per hanc moram prouidit sedes Apostolica M. Ioanni Hoed decretorum doctori. Res erat insolita & noua, & ideò sine turbatione fieri non potuit animorum, & tamen quid facerent? digna erat loco persona: non tamen ingressa per ostium solitum liberæ electionis. Habebant autem exemplum proximi domini, Ludouici de Hassia comitis, qui per eandem viam prouisionis Apostolicæ, ad suam Monasteriensem peruenit. Fuit tum in Imperio Romano Carolus quartus Bohemus, qui ecclesiasticæ prospiciens libertati, dedit Carolinam constitutionem, quæ multis seruatur in locis, sub aurea bulla. Prouidit ergo dominus Ioannes episcopus, vt apud suam ecclesiam haberetur. Inuestiuit idem pontifex multos nobiles & militares de feudis ecclesiæ, per manū D. Conradi de *Essem*, decani. Non detrectauere comites accipere feudum de manu pontificis plebeii, tametsi durum hoc videretur militaribus. Vide, quid agit superbia? nobiles viri Nicolaus de *Tekeneburg* & *Suerin*, Baldewinus de *Stenforde*, sumpsere feudum: quorum exemplum contemnere non poterant ministeriales, qui nunc, abolito veteri nomine, dici amant militares: nec ibi contenti, prorepunt vltrà, iam etiam nobiles dici cupientes. Sed reclamat stylus Romanæ curiæ, stylus in cancellariis, qui barones inter nobiles seruant nouissimos. Emanauit hoc tempore sub bulla quadam, cleri secularis reformatio, ad Reuerendissimum D. Wilhelmum Coloniensem archiepiscopum, quam suffraganeis fecit communem, super habitu canonicorum, virgatis sagulis, & moribus improbis. Sed quis legem dat malè liberis? Exoritur huic Ioanni turbatio. Fœdus iniit cum militaribus & ciuitate, omisso capitulo, quod ipsum erat indignatione plenum. Non diù durauit ea res. nam ciues aliquot in *Iborg* publico iudicio condemnati, furcis sunt necati: nec diu pòst confessus est pontifex, citra suum consensum iniustè rem peractam: vtcunque erat, quia militaribus viris opus erat, illis auscultabat, vsqueadeò vt ecclesiæ arces & oppida alienare cogeretur, quæ res adeò excreuit, vt quum dilapidator rerū ecclesiæ haberetur, opus erat coadiutore. Is erat Theodoricus de Marca comes, frater Engelberti strenuè gubernabat, multa recuperauit, optima instantia rem gerebat: sed implicitus bello cum Mindensibus, multis suorum cæsis capitur, diu tenetur, donec fratris armis in libertatem restitueretur. Interim Ioannes episcopus, coadiutore omnia gerente, quiescebat. Docere curabāt plebeium hominem viri militares, quid esset in eorum medio principari: aliud esse, apud sedem Apostolicam multa agere, scholasticis doctrinis pollere, quàm versari inter arma, prouinciā gubernare, viris ministerialibus permisceri, adeò vt omnia illorum agantur arbitrio. Igitur Ioannes posteaquam per annos sedecim, ecclesiæ qualitercunque præfuisset, concessit in fata.

Ex malis duobus minus eligendum.

Aurea bulla

Constitutio Carolina.

Non omnes docti ad imperādum idonei.

CAP. 5.

MINDENSI ecclesiæ post Theodoricum translatum, præficitur nobilis vir, dominus Gerardus, comes de *Scowenburg*, nepos ex fratre prędecessoris sui mediati, intercedente solo Theodorico proximo. Erat eius ecclesię pridem thesaurarius: & quum ageret in pontificatu quietè, incidit ei spiritus nescio quis, videre terram sanctam, adorare in loco vbi steterunt pedes Domini, quæ est pars fidei. Nam pugnare pro recuperāda iam non poterat, versa in desperationē recuperatione. Et tamen cum Adolpho fratre iniit longæuam peregrinationē. Poterat nobiles viros su

pra

pra Christianam deuotionem inuitare recordatio Maiorum, qui pro Christi honore diu ibi pugnauere, fortemque diu operam nauauere, præsertim III. Adolphus: quem primùm rex Daniæ, posteà verò Henricus dux Saxoniæ, cognominat⁹ Leo, Holsatia deturbauere. Ille verò se consociauit Henrico Imperatori VI. primi Friderici in expeditione terræ sanctæ pereuntis, filio: à quo inter primarios duces missus in Asiam, ea gessit magnifica, quæ partim sunt in nostra Saxonia, adeoq; Imperatori conciliatur, vt eius opera in Holsatiam reponeretur: sed tamen ibi non remansit, iterùm extrusus à Danorum rege Canuto, & consedit vltra Albim, assequutus comitatum Stadensem, quo tempore vetus monasterium fundabatur, & extant literæ fundationis ab eodem Adolpho donatæ, tanquam Stadensi comite. Sed hæc per transitum rememorata sufficiant: nam pleniùs continet nostra Saxonia. Gerardus ergò pontifex, memoria huius sui prouocatus abaui, poterat inflammari ad videndam terram sanctam: in qua nil tum potuit fructificare ampliùs, quàm vt Christianam exerceret deuotionem: quod ipsum nonnihil est in sancta religione, licet perfectionem non afferat. Ego consentio sermoni, qui iam exiuit in prouerbium: Qui multùm peregrinatur, rarò sanctificatur. Qualicunque tamen deuotione profectus, neque ipse neque frater, quò cupiuere, peruenerunt. Morte enim correpti in mari, decesserunt, voluntatem cum conatu perficiẽdi, Domino in factum reputante. Nauigant eò principes nostri temporis & militares, vt cingulum ibi desumant militarem: arbitrati, ipsum quod est, fortis esse viri, hoc muneris petere tanto periculo, per magna maris discrimina, per barbariem hostium Christiani nominis: & obtinuit consuetudo, estque moribus receptum, vt non minùs habeantur aurati equites (quos vulgò solos appellat milites) quàm si in acie victores constiterint. Potuit ea res quoque fratres memoratos inducere, vt peregrinationem longinquam inirent: sed longiorem repererunt peregrinationem, &, vt confidimus, feliciorem, vnde reuersuri non sperantur: nec cura remansit inuisere regionem iterùm morientium, quin iam felici peregrinatione peruenere in terram viuentium.

Peregrinationes.

Milites aurati

Cap. 6.

SVERINENSIS verò ecclesia per hæc tempora crebriùs mutans pontifices suos, propter breuem vitam aut translationem, mortuo Rodulpho, accepit pontificem, insignem virum, Fridericum: qui si nobilium aut ministerialium fortè esset origine, non taceretur familia eius: nunc quoniam siletur, plebeium origine virũ, sed maiori virtute præstantem, debemus accipere, qui decem annis non mediocri laude præfuit ecclesiæ suæ. Per cuius tẽpora quum iterùm Brandenburgensis Marchia redisset, velut vacuatum beneficium, ad Imperiũ, ipse Carolus eius pro se possessionem accepit, vni filiorum inde consulturus. Nam Otto eiusdem Imperatoris gener, Marchiam accepit qualicunq; titulo, ab Romulo, Ludouici quondam Imperatoris filio. Is verò quum Marchiam parui duceret, socero illam permisit, vt ferunt alii, acceptis sex arcibus satis bonis. Tum verò in eam versus Imperator, cœpit incolere, delectatus Albi flumine, qui ex Bohemia sua missus, præterfluit Tangermundæ arcem cum oppido egregiam: quam crebriùs inhabitãs Carolus, miris modis donauit. Extat hodie, vt memorant, Imperatoria maiestate digna mansio, camera stellis ac fulgentibus gemmis mirum in ordinẽ distincta, quam ille princeps magnificus sibi suisq; adornauit. Dedit aliquando operam, vt amnis iste nauigabilis, portaret ex Bohemia naues, quibus merces omnigenæ deueherẽtur in mare: multas eius generis extrui iussit rates. Timuere, qui ad ripam eius fluminis accolũt, præiudicium non mediocre sibi fieri, Magdeburgenses in primis, qui etiam præsumptæ libertati suæ frena iri impositum arbitrarentur: sed vertit rerum cursus principis animum aliorsum, vt obliuisceretur mercaturę. nam filio eius post se, Romanorum Imperium mercari contendit, infinito eius Imperii detrimento: quod in Wandalia & Saxonia questi sumus. Sed nunc alias res exequimur.

Cap. 7.

MAGDEBVRGENSIS archiepiscopus de ecclesia sua non satis quietus, quod multa cerneret sibi aduersari, neq; mores satis congruerent Saxonum viro Bohemo, versuram fecit: & approbante summo pontifice, cuidam Petro in Bohemia episcopo, permisit Magdeburgensem, recipiẽs quam ille pridem tenebat in regno,

multam priùs gazam cumulauit,quod constat. Multas arces,agros,oppida,prędia, quæ ecclesiæ vndecunque obuenerant,ille distraxit:nemo tamen ambigat,ibi capitulum & ministeriales adhibuisse animũ & oculum,ne in priuatos archiepiscopi thesauros ea pecunia perueniret. Potuit aliquantam inde desumere, quam iustis rationibus impendisset. Decem numerant magnorum comitum dominatus,quos ille tum velut ecclesiæ inutiles,magis verò damnosos,distraxisse memoratur. Sed quis credat ita dormisse cæteros,vt ille solus rem contrectarit? Hoc certum,abiens Albertus nonnullas ecclesiæ preciosas secum reliquias auexit, caput D. martyris Sebastiani,digitum sancti Mauricii,& id genus nonnulla alia. Nam & brachium diui Philippi apostoli dicitur auexisse. Petrus autem Bohemus,ex episcopo factus archiepiscopus,authoritate legati apostolici,tum in prouincia agentis, præfuit Magdeburgensi ecclesiæ annis nouem: redemit tamen arces duas per prædecessorem pignoratas. Sed neq; illius mores,vtpote qui & ipse Bohemus erat,indigenis congruebant. vnde & ille de ecclesia respiciens in patriam,Ludouico Turingo,qui tot episcopatus mutauit,infelici fato,authoritate Apostolica permisit archiepiscopatum istum:ipse reuersus in Bohemiam suam. Hoc est illud tempus,quo Luneburgenses diù conflictati cum duce suo iuniore Magno,quum multa ab eo & satellitibus eius paterentur,libertati suæ grauia & onerosa,arcem effregere montosam, & eodem anno immissos furtim septingentos,quorum erat ductor de Homburg baro,qui oppidum pro duce occuparent,cecidere,cepere,vinxere, nullo ex vniuersis abeunte. Biennio pòst idem Magnus prælio occurrit Ottoni de *Scowenburg* comiti:& manu collata,cæsus est in acie,præliatus antè fortiter.

Cap. 8. Verdensi quoq; ecclesiæ per illa tempora præficitur,dum Gerardus transfertur ad Hildesemensem,memorabilis vir,Henricus de *Langen*,ortus oppido Luneburgensi,decenti & bona familia,ordine pontificum in illa ecclesia quadragesimus primus,sedit annis octo. Erat autem antè præpositus virginum in Lune,canonicus Verdensis ecclesię:pius quidem,sed tepidus,qui nullo feruore ad rem ducebatur:sed modestè rem inceptans,crebriùs intermittens. Sed sunt casus,in quibus neq; modestia,neq; mediocritas prosunt:nisi feruescas,nisi omni instantia rem vrgeas,sæpè non procedit. Sui sanguinis erat zelator maximus, si posset omnes sui generis magnificare,id verò præ cæteris eximiè studebat: sed tamen in re non bona quomodo potuit magnificare? Studium verò est quod prædicamus. nam exitus ante conspectum est. Post eius ex rebus humanis excessum, arx Rodenburg propinquis suis commendata,in alienas manus peruenit. Decimæ ecclesiæ & multa alia suis propinquis commendata,de manibus sunt elapsa: nec facilè,nisi magno labore & sumptu,poterant recuperari. Videlicet pigebat ministeriales viros, in ea re per episcopum posthabitis vrbicis, quòd non illorum fidei fuerant res permissæ, qui soleant arcibus & prædiis custodiendis ante alios præponi. Ergò qui non ipsi abstraxere,auferentibus ad minùs fauerũt,aut non restiterunt. Qua dissimulatione res ecclesiæ multipliciter perierunt,vt esset successori labor eximius ad ea recu-

Res gerendæ qualem requirant animum

1380. peranda. Excessit autem rebus humanis ad annum Christi millesimum trecentesimum octuagesimum,tumulatus in pace Christi apud ecclesiam suam mẽse Ianuario,die sanctorum Macarii & Emerentiani.

Cap. 9. Raceburgensi verò ecclesiæ per eandem tempestatem post Wipertũ præficitur vir memorandus,dominus Henricus, natus ministerialium de *Wittorpe* honesta familia:præfuitq; ecclesiæ suæ cum summa laude & industria. Transiit eius temporib. Imperator Carolus quartus profectus ex Marchia,sedula tum mansione sua,inuisere vrbem Lubicam Imperialem:& quum pertransiret terminos ecclesiæ Raceburgensis,obuium ibi habuit pontificẽ gratulantem de præsentia maiestatis suę,& in prędiis suis excipientem pro dignitate,quum exhiberet quicquid ex tempore posset. Exhilarabat Imperatorem alacritas viri,quum munera & obsequia sua benigno vultu duplicaret. Imperator autem vicissim annuit postulationibus eius,priuilegiis & immunitatibus cohonestans eius ecclesiam. Quæ reperit collata priùs à Cæsaribus superiorum temporum,confirmauit:quę non habebant, exhibuit, & donauit, vt non frustrà se impendisse operam, laborem & sumptum

videre-

videretur epiſcopus. Arcem Stoue primus iſte à fundamentis erexit, quamuis eam non in fundo eccleſiæ, ſed ducum Magnopolenſium erectam ferant principes Magnopolenſes. Vtcunq; fuerit, patiuntur epiſcopum frui poſſeſſione, certis & inter eos conuentis conditionibus. In arce quoq; eccleſiæ præcipua Schonenberge, inſignem quæ extat, turrim erexit. Quo tempore Imperator Carolus oppugnabat Erphordiam, pro Ludouico Miſnenſi & Thuringo, ad eccleſiam Mogũtinam, quam ambibat, ſed non eſt conſecutus. Adolphus de Naſſow competitor eius ſe continebat Erphordiæ, & eccleſiam finaliter obtinuit. Tonuit Carolus ad mœnia vrbis, & forti exercitu minabatur, quadraginta millia cum auxiliaribus principibus fertur in armis habuiſſe: ſed tum nihil profecit, niſi quòd villas & vineas omniquaq; exureret. Adolphus ad eccleſiam electus, in ea ad finem permanebat. Interim ſe Ludouicus in Bambergenſi continebat.

LVBICENSI verò eccleſiæ vacanti, proſpexit in Auinione, præueniens electionem, aut caſſans de ſuæ beneplacito voluntatis legitimam aſſumptionem, quã de ſuo decano faciebat eccleſia in capitulo Lubicenſi: deditq; fratrem Nicolaum de Miſna, Priorem & lectorẽ in conuentu Lipſenſi, Merſburgenſis diœceſis. Quid facerent patres aduerſus pontificis ſummi prouiſionem? Concorditer elegerant dominum Ioannem Cleendenſt, decanum eccleſiæ ſuæ, virum pontificio dignũ. Qui quum ipſe ad papalem curiam iter arripuiſſet, primùm contendit ad Imperatorem, literas ex eo commendatitias accipere ad ſummum pontificem: quòd nonnihil familiaritatis contraxerat cum eiuſdem Imperatoris familia, dum ille proximè Lubicam applicuiſſet. Tum didicit certa relatione in vrbe Pragenſi, eccleſiæ Lubicenſi iam eſſe de dicto Nicolao prouiſum. Cõuerſo ergo itinere, Lubicam repetebat, ſciens fruſtrà ſe niti aduerſus Apoſtolicam prouiſionem. Sed iſte Nicola9 quum ad eccleſiam ſuam Lubicenſem perueniſſet, non ſibi tantoperè complacuit in ea, maiorem enimuerò ſpem conceperat de illa, arbitratus ciuitatem Lubicenſem temporali eius dominio pertinere: quod quum ſecus reperiſſet, grauiter ſibi indignatus, quòd non antè perquiſiſſet rerum qualitatem, vt non tanti laboris & ſumptuum impendia feciſſet: quum tamen eſſet conſecratus epiſcopus, eſt tranſlatus ad eccleſiam poſteà Miſnenſem. Hoc eſt illud tempus, quo moriente ad vrbem Romam Gregorio vndecimo, qui curiam reduxiſſet in eam, graue & execrandum ſchiſma in eccleſia exortum eſt, quum Gallici cardinales propendentes in Galliam ſuam redire, improbabant electionem Romæ factam de Vrbano ſexto, Italico homine: ſecedentes vrbe, nouam inſtituere electionem ex ſuo numero, præferentes Gallicum pontificem, dominum Robertum de Gebennis, appellantes eum Clementem ſeptimum: quumq; eo feſtinauere in Auinionem redire. Et continuatum eſt ſchiſma peſſimum & ſubtile, in annum vſque quadrageſimum, de quo plura infrà dicemus.

Cap.10. — *Schisma.*

SVERINENSI autem eccleſiæ tum præerat memorandus vir dominus Marquardus, Beerman cognomẽto, vnde plebeium origine accipimus: electus per capitulum, & per archiepiſcopum Bremenſem confirmatus. Sedit in eccleſia annis ſolis tribus. Quo tempore, vacante Apoſtolica ſede per mortẽ XI. Gregorii, qui curiam Auinione reduxerat Romam, parabatur Romæ conclaue, vt moris eſt: & interim cardinales partim inter ſe tractabant de perſona eligenda, & diuiſi apparebant in duas partes. Ex vna erat Gebennenſis, Glandacenſis, Britanienſis, Lunenſis, & de Aluario cardinales: qui de Italia ſibi tres conſciuerant conſortes votorum, Florentinum, Mediolanenſem, & Vrſinum. Ex alia parte, erant Lemouicenſis, Vinarienſis, ſancti Euſtachii, de Agrifolio, Pictauienſis, & maioris monaſterii cardinales, qui traxerunt ad ſe cardinalem ſancti Petri. Primi voluere papã ex ordine Gallicorum, alii Italicum, & quum cernerentur partes penè æquatæ, quòd neutra poterat alteri præualere, quia in neutra erant duæ partes vocum, prout iura diſponũt: iam antequam conclaue ingrederentur, cogitauerunt neceſſe fore, eligere aliquẽ extra cœtum & collegium cardinalium, & ambæ hoc inter ſe ſecretò agebant. Viſum eſt vtriq; parti, ad hoc aptiſſimum dominum Bartholomæum, archiepiſcopũ Barenſem. Quidam tamẽ inclinauere in dominũ Martinum de Caluis, decretorũ

Cap.11.

Doctorem, referendarium domini papæ Gregorii: sed quia ille aberat, & iuuenis ætate, minor etiam ab annis videbatur illo pontificatu, conuenere vt eligerent dominum Barensem, quia esset vir literatus, honestus, Deo & religioni deditus: sciēs practicam cancellariæ Apostolicæ, quia erat vicecancellarius, & nouit omnē cursum & stylum curiæ. Hoc inter se partes diuisim agebant, altera nesciēte, prout ambæ fassæ sunt, electione iam facta. Quumq; die Mercurii septimo, mensis Aprilis, tam conclaue intrare disponerent, & magna esset serenitas aeris, ecce subitò tempestas oritur, & ictus tonitrui durissimus tectum palatii Apostolici percussit, & vsque in pauimentum signum deferens, quasi certum perturbationis ecclesiæ prębebat indicium.

Prodigium.

Quumq; cardinales post meridiem cum sonitu instrumētorum musicorum conclaue intrarent, Romani magno clamore postulabant papam Italicū, non Gallicum: non erat clamor vrgentium, sed precantium, quod gestibus apparebat. Die postera hora tertia per conclaue cardinalibus ambulantibus, quidam eorum colloquia inuicem serentes, vt erat res agenda omnium maxima, constiterūt. De parte quoq; altera & ipsi inter se conuenerunt, de re loquentes: & post interuallum inuicem sibi significabant, quòd in dominum Bartholomæum vtriq; propenderent. Attraxere ergo sine discrimine partium in eandem sententiam. Sedeamus ergò, inquiunt, ad eligendū. Et statim consedentes, emisere vota, & concordabant in dictum dominum Barensem, sine aliqua impressione. Et hoc quidam cardinales reuelabant secretò amicis suis, eodem vesperi quo conclaue exierunt. Sed cardinales timentes quòd electio illa displiceret Romanis, noluerunt eam statim publicare: quare ordinauere mittere certas schedulas vnius tenoris, nonnullis pręlatis Romæ morantib. Italicis, archiepiscopo Pisano, archiepiscopo Barensi, Episcopo Nucerino, & Abbati montis Cassini, venirent sigillatim secretò alter sine altero, ad ardua negocia quæ in conclaui emergerent. Quibus venientibus, cardinales ibāt ad prandium, quisq; in cellam suam: & prædicti prælati collocati sunt in camera parlamenti domus papalis, quæ erat prope conclaue, & ibi prandebāt. Deinde circa horam nonam, dum silentium tenuerunt Romani à clamoribus, dixit cardinalis sancti Petri cæteris: Ecce, domini, modò nullus clamat de Romanis: sedeamus, & iterum eligamus dominum Barensem, ne posteà dicatur quòd electio fuerit impressiua. Et iterum consederunt, eligētes eundem. Deinde circa horam vesperarum cardinales exiuerunt conclaue, non audētes detegere electionem propter populum Romanum. Tunc Agapitus de Columna, episcopus Vlysbonensis, capellanus cardinalis Gebennēsis, familiaritate fretus, alloquitur dominum suum: Multi, inquit, multa loquuntur de facta electione. Cui cardinalis respondit: Domine Agapite, si vultis liberare ecclesiam, vadatis cum comitiua vestra, quia magnum est nomen vestrum in hac vrbe, magna cognatio, dignissima familia, multa vobis ad populum inest authoritas: custodite diligenter hac nocte dominum archiepiscopum Barensem, qui est absconsus in palatio papali, illum elegimus, ille est verus papa, licet populus credat & cupiat cardinalem sancti Petri prouectum. Hoc enim insusurratum est, ab nescio quo, Romano populo, cui iam omnis cognatio sua magnum exhibuit honorem, & populus spoliauit ex more domum eius: quamuis ille respondit omnibus, se non electum. Inde idem cardinalis se intùs ornauit, & ad arcem Sagoroli se transtulit. Dominus Agapitus fecit quod monuit cardinalis: sed ibi sistamus.

In pōtificem electi dom⁹ spoliari solita.

CAP. 12. LVBICENSI ecclesiæ iterùm viduatæ per indignantem abitum fratris Nicolai, secretarius domini Caroli Imperatoris, Cōradus de Gisenheim, surrogatur, ignorante capitulo, cùm dictus frater secretiùs cum illo ageret, vt curaret ille sui translationem secum ad aliam. Dimisit ille ecclesiam Lubicēsem, & facta est prouisio per pontificem, ignorante capitulo. Venit in ecclesiam, & sedit annis octo, quum interim capitulum Lubicense secundò elegerit, quem antè, dominum Ioannem Cleendenst, decanū suum: sed reuertamur ad exequendū negocium electionis summi pontificis, quia nouum erat & ponderosum. Die Veneris primo manè, dominus Barensis, quum iam illi innotuisset de se facta electio, misit pro cardinalibus tam in vrbe quàm extrà, ad solennizandam electionem. Quibus venientibus, electus

electus dixit Cardinalibus in effectu: Domini, & patres reuerendiſſimi, quia dicitur quòd me immerentem elegeritis ſummum pontificem, ſupplico per nomen Ieſu Chriſti, huius mihi rei veritatem indicate: ſi per aliquam impreſſionem factum ſit, vel veſtri animi proprio motu. Adiurati per nomen Chriſti, reſponderunt, & iureiurando firmarunt, quod nulla facta impreſſione, ſed ſuis motibus liberè, legitimè, iuſtè & canonicè, concorditer, & quomodo vnquam facta fuerit, concordiſſimè. Et tunc conſedentibus ipſis, cardinalis Florentinus, qui Portuenſis erat, ad inthronizationem electi faciendam propoſuit hæc verba Apoſtoli: *Decet epiſcopum eſſe*, & reliqua. Quibus finitis, reſpondit electus: Timor & tremor venerunt ſuper me. Et quum orationem vix inchoaſſet, cardinales interruperunt verba eius, dicentes: Non eſſe de more concionari electum, ſed ſederet quietus in loco conſtitutus, vt induerent eum papalibus ornamentis. Quo facto, exhibuerūt ei ſigillatim papalem reuerentiam, oſculando pedem, manum, & os: & impoſitum eſt nomen Vrbano ſexto. Quibus expletis, exhibuerunt illum viſendum omni populo, & per literas ſuas regibus & principibus Chriſtianis: & prælatis multis intimauerunt, quòd dominum Bartholomæum archiepiſcopum Barenſem, papam elegiſſent. Deinde die Paſchæ, quæ tum erat decima octaua menſis Aprilis, ordinato ſuggeſto ad primas portas baſilicæ S. Petri, ſolenniter eum coronabāt, deduxeruntq; eum in Lateranū cum omni, & qua poterant maxima omnium feſtiuitate: ibiq; peractis ſolennibus, reduxerunt eum in palatium papale, apud ſanctū Petrum. Cardinales quoq; impetrarunt ab eo pro ſe, familia, & amicis beneficia & officia: abſoluiq; ab eo in certis caſibus, tanquàm à vero pontifice, humiliter poſtularunt, & permitti ſibi remiſſionem omnium peccatorum, prout fieri ſolet in creatione ſummorum pontificum. Nam & Cardinalis Glandacenſis impetrauit ab eo epiſcopatum Oſtienſem. Deinde D. Vrbanus quum eſſet vir ſeueræ induſtriæ, cœpit cardinales increpare, & exaſperare de multis, & præſertim cardinalem Ambianenſem, qui venerat de Tuſcia. Quam rem ægerrimè tulere patres: & proceſſit ea res ad acrem verborū contentionem cum cardinali memorato, in præſentia aliorum. Et reſpondit cardinalis Gebennenſis in hunc modum: Pater ſancte, vos facitis modicum honorem cardinalibus veſtris, verbis & geſtibus, nec eos tractatis honorificè ſicut anteceſſores veſtri: & ideò nos fortè taliter faciemus, quòd viciſſim à nobis modicum honorem reportetis. Hoc quidam cardinales referebant amicis ſuis ſecretò in eorum domibus, poſtquàm reuerſi ſunt de palatio. Ex tempore illo de ſchiſmate tractabant Gallici cardinales. Hæc ſumpta ab Alphonſo memorato, de tractatu quem deſuper edidit.

Electi Papæ ad Cardinales oratio.

Intronizatio electi papæ.

CAP. 13.

Ioannis de Lignano I.C. prognostici.

OPERÆPRECIVM eſt, nonnulla ſubnectere ad rem pertinentia, de ortu huius ſchiſmatis omnium maximi. Ioannes de Lignano, vtriuſque iuris excellentiſſimus doctor, ea tempeſtate floruit Bononiæ: vndecunque ille acceperit, ſolebat de hoc Vrbano prædicere, priuſquàm ſchiſma fieret. Hic, inquiens, Papa multos habebit aduerſarios, inducentes proditione principatus, retinebit tamen cum lite: & qui deberent eſſe auxiliarij, erunt aduerſarij. Aliquod tamen pro ipſo adiutorium veniet ex alto: ipſe declinabit multoties à propoſito ſuo, habens ſemper aliquos exoſos & inſidiantes ſibi. Regnum eius aliquantulum erit diuturnum, & non perdet dominium, ſed continuò habiturus eſt æmulos. Cauendum eſt ipſi in anno Chriſti octuageſimo primo, & deinde quinto ipſe timebitur: & impedimentum in facto ex ipſo erit, non obſtante quòd erit bonæ legis & religionis. Erit valde rigoroſus, per ſemetipſum multa expediet, & conſiliariorum miniſterio non vtetur. Sanus atque ſaluus ab infirmitatibus erit. Magna fraudulentia aduerſarij laborabunt contra eum, & finaliter cadent in perſecutionibus ſuis, & fortè incident in grande infortunium itineris, religionis vel mortis: inter amicos morietur, & extra propriam terram. Innouabit geſta deceſſorum ſuorum, de quo non commendabitur. Non erit bonum ei itinerare, licet ipſe intendat, mediante religione vel itinere, augere regnum: quod non fiet ex hoc, ſed à populo ipſum neſciente. Et auxiliatores impedient augmentum regni. Cardinales non diligent eum, & laborabunt contra eum, maximè qui ſunt

de natura Iouis: ſed qui ſunt de natura Martis, concordabunt ei, & immutabunt voluntatem ſuam infra præſentem menſem Septembrem anni ſeptuageſimi octaui, & tendent ad concordiam cum eo. Hæc, vt apparet, Aſtrologus ab aſtris prædixit. Idem quoque dominus Ioannes de Lignano, iam ſchiſmate inualeſcente, venit Romam, & à domino Vrbano honorificè eſt exceptus, & multas habuit cum eo collationes. deinde reuerſus Bononiam, peſtilentia grauiſſima per Italiam & Germaniam inualuit, & octuageſimo tertio idem Ioannes peſte abſumptus eſt. Ea verò quæ de Vrbano pontifice prædixit, ex ordine prouenerunt. Alphonſus autem monachus, de quo ſuprà diximus, in memorato ſuo tractatu ſcribit, quòd poſt quàm ſchiſma in eccleſiam erat introductum, cuidam in viſione dictum fuit: Vrbanus eſt verus Papa, & ſponſus eccleſiæ: ſed in regimine ſuo tenebit modum ſine modo. Cardinalibus igitur, vt ſuprà dictum eſt, propter correptionem domini Vrbani commotis, cardinalis Gebenenſis vnà cum quibuſdam aliis in menſe Iunio vrbem exiens, in vrbem Fundanam ſe recepit. Et receptus à comite Fundorum, cum aliis ſuæ ſectæ conſortibus cardinalibus, de impugnatione electionis domini Vrbani tractauit. Et tandem tribus aliis ad ſe attractis, qui vſq; in illum diem cum Vrbano remanſere, effecit, vt innouata electione, ipſe à conſortibus eligeretur, & Clementem ſe ſeptimum appellauit. Inde ſchiſma, quo maius in eccleſia Dei nullum erat, excreuit: & ſecuta ſunt homicidia, incendia, rapinæ, guerræ & deſtructiones non modò ditionum, ſed prouinciarum, & calamitates & errores in longæuum.

CAP. 14. CARDINALIS Gebennenſis, licet fauori dominæ Ioannæ Siciliæ reginæ inniteretur, non tamen audens intra regni illius diſtrictum permanere, cum cardinalibus ſuis Auinionem ſe contulit, & à rege Franciæ ſuſceptus eſt. Quid mirum? inde quoque reges, principes & prælati in Chriſtianiſmo, ſunt diuiſi. Rex quidem Franciæ cum vniuerſo regno ſuo, & ferè tota Hiſpania, & regina Siciliæ, cum maiore parte regni, Roberto antipapæ inhæſerunt: Imperator verò Carolus, & filius eius Wencelaus rex Boemiæ, Ludouicus rex Vngariæ, rex Angliæ, & omnia regna Septentrionis, necnon prouinciæ Italiæ extra regnum Siciliæ, regna Cracouiæ & Poloniæ, domino Vrbano ſubſcripſerunt. Quidam tamen principes ſuperioris Alemaniæ, cum nonnullis epiſcopis & collegiis ſibi in temporalibus obſtrictis, vt Lupoldus dux Auſtriæ palàm, & quidam nobiles inferioris Germaniæ, Engelbertus comes de Marca, & Adolphus frater eius comes de Cliuis, clam Roberto paruerũt, quòd iam tunc coronæ Gallicæ deuincirentur. Albertus dux Auſtriæ, principalis, frater Lupoldi, maior natu, domino Vrbano fideliter inhærere non ceſſabat. Dominus Vrbanus Robertum antipapam cum ſuis cardinalibus excommunicauit, & cardinalatus honore, beneficiis & dignitatibus omnib⁹ priuauit, & proceſſus graues contra eos in regnis adhærentibus fecit publicari. Deinde anno ſuo ſecundo omnes adhærentes Roberto beneficiis priuauit, & reſeruauit illa diſpoſitioni ſedis Apoſtolicæ: & demùm collectoribus & ſubcollectoribus fructuum, cameræ Apoſtolicæ debitorum poteſtatem, tales adhærentes priuare beneficiis, eadem diſpoſitioni Apoſtolicæ reſeruando, prout commiſſio & ſubdelegatio epiſcopi Wormatienſis collectoris per prouinciam Moguntinam vndique diſperſa continebat. Eodem anno ſecundo petitus veneno acerrimo idem pontifex, æmulorũ ſuorum procurante liuore, languebat, vt penè ab omnibus qui adſtiterant, mors vicina eſſe crederetur. Innixus autem verbo euangelij, *Si mortiferum quid biberitis, non nocebit:* liberatus eſt toxico, non ſine dolore maximo, ſed ſine adhibito remedio. Populus autem Romanus non longè pòſt ab eo volens, neſcio quid, quod negabatur, armatus petit palatiũ: minatusque, ni fierent quæ poſcerent, omnia ſubuerſurum. Vbi audiuit aduentare tumultuantes, iubet parari cathedram pontificalem ad ingreſſum atrij, reſerariq; portas palatij. Sedet infulatus, ingreſſoſq; primos magna ſtipante & à tergo vrgẽte turba, vultu truculẽto reuerberãs, Chriſti verbis increpitat: *Quem*, inquit, *quæritis?* Illi qui faciem viderant confidentis, muti & immobiles cõſtitere, obnixi prementibus à tergo, & pacati redierunt, qui venerant truculenti, paucis eius verbis & reuerentia pontificalis adſpectus conterriti.

Seditio per Vrbanum papã compoſita.

CAP.

CAP. 15.

IOANNA regina Siciliæ quum audiſſet Barenſem archiepiſcopũ factũ Romanũ pontificẽ, gaudio gauiſa eſt, & omni genere triumphi per vrbes & agros feſta iuſſit omnes ſolennitate triumphare, quòd pontificem haberet Neapolitanum genere, qui nutus eius ſequeretur. Sperabat enim, quòd pontifex nouum maritum ſuum, Ottonem ducem Brunſwicenſem, ex Tranſſyluanis, qui diu in Italia militauerat, & iam reginæ toro admiſſus eſſet maritus, regẽ Siciliæ & Hieruſalem cõtra Gallos & Vngaros declararet: idq; apud eum ſeriò egit per nuncios. Sed quoniam hæ nuptiæ nõ ex ſententia principũ erant, & illa iam annis aliquot ſpem prolis dare non poterat, pontifex nõ ignarus rerũ omniũ, reginæ deſideriũ non audiuit. Inde verſa eſt indignatio mulieris, in pontificem. ſecuta execratio. Perfecit, vt deinde Roberto mulier faueret, ſperans per illũ conſequi, quod ex Vrbano nõ poterat. Differebat eam verbis Robertus, quãdiu erat in regno eius, quia opis eius indigus videbatur: excreuitq; per regnũ diuiſio noua, & in ipſa Neapoli turba erat, clamantibus aliis, Viuat papa de Roma: aliis verò, Viuat papa de Fundis. Vltrà etiã progreſſa cõtentio, proceſſit ad arma. Secuta ſunt homicidia & proſcriptiones. Papa Vrbanus malignitate reginæ comprobata, eam per ſolennem ſententiã excommunicauit, depoſuit, omni iure, ſi quod haberet, priuauit in regno, ſubiiciens illã maledictioni. Carolo autem Duratio, filio regis Vngariæ, regnũ ſubiecit, quòd paterno genere reſpiceret in illud: erat enim natus fratre Roberti regis, qui patrẽ habuere Carolum II. Neapolitanũ regem, illiq; iniunxit, vt ſententias à ſe latas in Ioannam exequeretur. Rex igitur Vngariæ iamdudum contra reginã Ioannam ægrum gerens animũ, quòd Andream fratrem eius, primũ eius maritũ, regem Neapolitanum, in Auerſana ciuitate in palatio ſtrangulatũ, & feneſtra proiectum in hortis reperere mortuum: quam necem reginæ, generalis fama, imputabat. Licet autem eundem fratrem ſuum magnificè vindicauerit, ad eiuſdem tamen reginæ exterminiũ vehementior incubuit. Carolus ergò exercitu conſcripto per Italiã, contendit Romã, ibiq; Vrbano pontifici præſtito fidelitatis iuramento, coronam regni Siciliæ de manu pontificis cum regia conſecratione ſuſcepit. Ita profectus eſt in regnum. Regina dum aduentare Carolum audit, cõſternatur. Otto autem maritus, agmine ſuorum expedito, obuiam proficiſcitur, obſeſſurus anguſtias per quas ſolas erat venturo tranſitus. Sed erant in agmine eius nõ ſatis illi fidi, qui ſuaderent pauliſper ab anguſtiis diſcedere, vt ingreſſos Vngaros à tergo adoriretur. Ille Germanorũ more non præuidet inſidias malè conſulentiũ: fecit quod monitus erat. Interim tranſiens fauces Carolus, inter vrbem Neapolitanã & exercitum hoſtilem quum medius eſſet, arbitrium habens, aciem ne cõuerteret in ſequentem hoſtem, an ad oppugnandam ciuitatem contenderet, placuit ciuitatem recto itinere petere: & erat apertis portis, quòd nihil hoſtile formidaret, Ottone cum exercitu foris, vt ſperabant, omnia tuta præſtante. Ingreditur Neapolim rex Carolus, & ad oppugnandã arcem, cui regina inerat, recta cõtendit. Secutus agmine citato Otto, videt hoſtem ante ſe ingreſſum patentem ciuitatem: ingemiſcit, & conſiliũ damnat poſt factũ. Caſtellum ſancti Eraſmi in monte ad Neapolim petit cum agmine, ſumpturus cõſilium ab euentu. Interim Carolus arcem reginæ omni genere impugnat. Miſſilia multa iacit, frangit turres, deformat mœnia, quatit muros. Tormenta grandia, quibus vaſa humano ſtercore, cruore, membris cæſorum plena mittit in arcem. Non tam lædere poterant grauiſſimi ictus murorum præſidia, quàm fœtor & abominatio terruit inſidentes. Durauere tamen, tolerantes animo forti obſidionem. Otto verò dux, vbi incidit aquæductus ad vrbem, laborare fecit à ſiti vniuerſam ciuitatem: ſed interim miſeratus reginam, quòd in anguſtiis oppugnationum laboraret, cogitauit quibuſcunque viis, occupata ciuitate, opem ferre obſeſſis. Armato exercitu ſuorũ, eques cum equitibus, montem deſcendit inexploratò: iam enim Carolus pedites ſuos in vineis & caſellis abſcondit in eos vſus, vt inſidiarentur deſcendenti agmini. Igitur vbi ad pedem peruenere, inter anguſtias equites Ottonis depræhenſi, & circunfuſi à peditibus, nullo ſe poterant armorum genere tueri: lanceis vſus nullus, equis nulla excurſio, arcus videbantur inutiles. Ibi captus Otto, in manus Caroli peruenit. Regina vbi audiuit caſum mariti,

Vulgus amicitias vtilitate probat.

Regnum Siciliæ in Carolũ Duratium translatum.

iam cui se seruaret, quem expectaret ereptorem non habens, in gratiam se contulit victoris Caroli.

CAP. 16. REGINA in carcere mortem obiit, siue cruciata de morte Andreæ mariti sui, siue fame seipsam excrucians, ita finierit, incompertum: Otto seruabatur, nō enim erat, quod illi ad mortem meritam obiiceretur, vir militaris militariter se gerens, quum in eo complaceret reginæ: dux visus est non impar talis fœminæ toro. De Andrea autem primo eius marito, cur interierit, ita fama ferebat: Quum primùm esset Ioannæ toro coniunctus, regnumque administraret, iustam reginę iram incidit, quòd germanam eius venustissimam puellam, quæ Duratij tenebat principatum, Andreas plusquàm reginam amans, furtim se illi coniunxerit, & impleuit vterum puellæ prægnantis. Id quum renunciatum esset Andreæ, misit illam in regnū Vngariæ, peperitq; euoluto tempore filium, hunc ipsum Carolum, Duratium inde vocatum. Regina zelotypiæ inflammata furore, & suam & sororis iniuriam vltura, armatur in maritum. Carolus victor festa agit: spargit etiam pecunias, vt in lętitiam soluat vniuersos: verùm hæc initiò. Secuta est autem in regno disturbatio, quòd non idem sentirent vniuersi. Erant plurimi cōmiserantes reginæ casum, sed initium commotionis à Neapolitanis, qui exitiali odio persequebantur Germanos Ottoni militantes, petebant ab nouo rege, vt captiuos Teutonicos illis permitteret ad supplicium. Durum erat permittere, durius in nouo regno petentibus negare: permittit arbitrium magistro militiæ suæ. Ille ad arcem, qua tenerentur captiui, ducit Neapolitanos, vinctos autem ex Germanis laxat, cuique sua arma permittens, & iubet exire in planitiem apertam: constitere Neapolitano ex aduerso. Tum magister ait: Quia, inquit, viri Neapolitani Germanos poscitis ad suppliciū, permittit vobis rex. Numero longè superatis: capite eos, & pro arbitrio consumite. Frendebant dentibus, sed nemo se commouit: nam malè sibi quisque timuit ab armatis. Poscebant ergò Neapolitani, vt extra prouinciam ablegarentur. Rex paratis nauibus, iussit in secura deuehi. Durabat autem odium in eos quoq; Germanos, qui artibus inter Italos inseruiebant: aliquot inde trucidati, alij à matronis & zelosis viris absconsi, vix seruantur. Sed instabat Carolo labor aliundè: nam Ludouicus Andegauensis, qui se Ioannæ reginæ proximum ferebat, hæreditario iure de regno agendum putauit. Ab suo igitur antipapa coronatus, collecto exercitu grauissimo, contendit in Italiam. Duodecim equitum millia eduxit Francia. Auctus est continuò numerus, vt accurrentibus amicis vndecunque, octuaginta millibus ingrederetur regnum Neapolitanum. Suscepere illum amici perbenignè, agmen eius augentes, quotquot erant quos casus reginæ tangebat.

Germani captiui vti Neapolitanorum laniena subducti.

Ludouicus Andegauensis per Antipapam coronatus, Duratio se opponit.

CAP. 17. VRBANVS interim pontifex quum audiret eam regni commotionem, fretus multorum in regno principum familiaritate, vt pacaret regnum, eò contendit. Carolus rex etsi iureiurando pontifici obstrictus esset, nonnullis capitibus violatis malè sibi conscius, cœpit pontificem ducere suspectum: quòd non tam sui gratia, quàm suorum venerit, insidias illi parabat. Nam in ciuitatem Auersanam vbi intellexit ire pontificem, obuius illi factus, reuerenter descendit, salutat, osculatur manus & pedes: equi freno pręhenso, ipse pedes deducit pontificem in arcem. Sed refragatur eò ire pontifex, vnde posset non suo arbitrio à reditu detineri, declinat in episcopi curiam. Ibi rex suo sumptu cibum iussit apparari: cœnat cum pontifice, discedit sub noctem, quieuit vterque per diem sequentem. Nocte quæ proxima fuit, misit rex qui inuitarent pontificem, vt accedere in regiam dignaretur regem, recusantem etiam adduceret. Primùm pacatis verbis excusat pontifex ne veniat, quippe noctis horam duxit suspectam. Arripitur, deducitur. Ille excommunicatione cædit ducentes. Contemnitur, ad regem peruenit. Rex illū suscepit dignanter. Triduò cum rege agit in arce, ignorante familia quid sit factum de pontifice. Quarto die procedunt vnà Neapolim. Excipitur pontifex in arce noua: deinde pontifex in archiepiscopi curiam se conferens, solennia Romanæ curiæ ibi peregit, cancellariam disponens, causas iubet expediri. Ad æstatem proximam, Carolus magno exercitu conscripto, procedit in hostem Ludouicum. Desidebant ambo, minitantes inuicem magnis exercitibus: sed non sunt congressi. Papa curiam

in Luce-

in Luceriam transfert,ipse arcem insedit in Burgo,qui vix octuaginta domos habebat. Curia se partitur vt potuit:non Luceriam,sed miseriam appellant. Papa tamen eo consilio ibi consedit,vt restituta arce,oppidū quoq; renouaretur. Venerat dies ad prælium constituta,vt semel de regno decertaretur. Ad vicinia deduxere exercitus. Stabant triduo in acie mutuo conspectu, quum nusquam præliū iniretur. Post triduum,victualium defectu Ludouicus inde deflectit ad munitiora quæ tenebat loca,ibi breui emigrat. Quo mortuo,soluitur dux Otto à ducalibus è carcere,& in oppido sub fide præstita ire iubetur. Rex vbi comperit, mittit secretò, qui rapiant, & adducant. Ducales sequuntur, & de manibus capientium virum eruunt,ducem illum suum destinantes. sed non diu cum illis permansit.

Cvm Vrbanus ibi diutius in Luceria quàm prælatis par erat,commaneret,feruntur quinq; cardinales in pontificem conspirasse,quòd eum perderent vt hæreticum hominem. Ordinauere quibus viis. Cardinalem ex aliis tentauere,qui deliberandum putauit,& magis magisq; secum reputans,inhorruit: Ecce,inquit,si per quamlibet occasionem detegitur consilium,tu peribis cum cæteris. Ne fortè ab aliis præueniatur,secum constituit rem pontifici detegere. Detexit. Ille clam vocato nepote,principe Capuano,iubet ad diem in armis habere expeditos, capiq; cardinales quinque:sextus adiicitur Anglicanus,quòd sciens non detexisset. Ponuntur ad quæstionem,fatentur,ordinem edicūt,dispergitur eorū familia. Amici tamen eorū,quos non paucos habuere,ad arma concurrunt. Papā circunsident in Luceria. Compertum est pontifici,regem & reginam Margaretam fuisse conscios conspirationis. Excommunicat eos,deponit regno,priuat omni dignitate, interdictum ponit per vrbem Neapolim:qua de re vicissim cognatio pontificis in vrbe malè habebat. Redit rex Carolus,audit quid factum sit:comminatur sacerdotibus vltima,ni Neapoli diuinum impleant ministerium. Recusant, se retrahunt, abscondunt. Religiosi, Papæ minus quàm regi paruerunt,psallentes cum gloria. Interim crescit obsidio pontificis, expugnatur oppidum, diripitur, inceditur, veniunt in manus hostium propugnatores. Scribit interim pontifex amicis. Genuenses decem armatas misere biremes. Raimundus filius comitis de Nola,pontificem tueri & eripere contendit, conduxit thesauris pontificis ingentem exercitū, cuius, illo nesciente, ductores Carolus ære corrupit. Proficiscitur. In itinere intelligit se prodendum,equum stimulat, eius beneficio cum paucis euadit ad pontificem. Cum eo locutus,discedit, auxilia plura laturus. Proditores memorati principem Capuanum, pontificis nepotem, Carolo regi tradiderunt. Abbas Cassinensis infensissimus pontifici,præerat obsidioni. Is omnes vias obseruans, nihil patitur adduci. Vnde factum est, vt multitudo in arce cum pontifice vrgeretur, laboraretque fame ac siti. Cardinalis de Rauenna,dominus Pileus, legatus pridem de Germania reuersus,Coruetum regebat. Is duabus biremibus adnauigans,Carolo regi blandiebatur,interponens se rebus:sed & iste pontifici cœpit esse suspectus, vnde remeabat inanis. Papa igitur cum suis fame laborabat. Subtraxere se paulatim viri militares, & penè soli remansere ecclesiastici. Durauit ea calamitas in mensem vsq; Iulium. Tum Nolanus comes, & cæteri qui militauere pridem Andegauensi, ingenti conflato exercitu,ducunt Luceriam. vbi intellexere obsidentes, venire qui soluerent obsidionem, tum verò oppugnauere incessabili labore, terribili strepitu: sed nihil profuit. Magno labore per montes venerunt,angustiis occupatis per regios. Soluerunt obsidionem. Papa oneratis bestiis descendit, forte præsidium imponit arci. Proficiscitur Beneuentum: ibique proditio tentatur, sed dissipatur. Biremium ab Genua patroni veniunt ad pontificem: iubentur circunnauigare,vt pontificem accipiant. In itinere milites conductitij de stipendio certificari volentes,tumultuantur,minitātes Papā ducturū Auinionem, ni soluat. Gallici generis erant, de reliquiis Andegauensis. Papa quàm primùm ab eis se liberat, dimittens Gallos & Britones & Italicos, solum Raimundum Nolanum cum fidelibus & Teutonicis stipendiariis secū retinuit. Magnis & laboriosis itineribus pedestri via peruenere ad littus,circunspiciētibus in omni via hostiles incursus:diu non patuere biremes. Post aliquot dies prima antennarum capita

Cap. 18.

Conspiratio in Papam detegitur.

ſunt viſa:& ſex quidem propinquantes ſuſcepere pontificem cum ſuis, aliæ quatuor in Barenſi portu demorabantur. Vario caſu nauigabant, iam in Siciliam portu excepti:inde in latus Italiæ: deinde Neapolim & Tyberim præteruecti, peruenere Coruetum,cuius poſſeſſionem tradidit Genuenſibus in pignus pro precio & ſalario biremium, quod in quatuor menſes excreuerat, ad ſummam octuaginta millium aureorum,vigeſimo tertio menſis Septembris,poſt varios caſus peruenerunt. Ibi exiens pontifex in domum fratrum hoſpitalis ſancti Ioannis, excipitur, cardinalesq; vinctos mittit in carcerem. Hæc, & quæ pauca ſequuntur, ad fidem narrationis exhibui, authorem ſecutus qui his omnibus intererat, & ſua manu digeſſerat quæ vidit,quæq; audiuit:longioribus quidem ambagibus multa interponens,quæ omiſi,ſed in hanc tamen rerum ſummam,quam breuiando ſignaui.

CAP.19. VENERAT tum quidam Barbatus, qui eremiticam profiteretur, viſione, vt ferebat,admonitus,à Deo miſſus,vir pſeudopropheta, ex Galliis: qui Vrbanũ interpellauit verbis Dei,vt pontificatum dimitteret,vero pontifici Clementi cederet,alioqui ſentiret diuinam vltionem. Interrogabat pontifex, vnde noſſet viſionem veram,non illuſionem phantaſticam,neque diabolica eſſe figmenta. Nihil ille dixit probabile,ſed quæſtionibus ſe quibuſcunq; offerebat vera locutũ. Gemmam inſignem præferebat in auro. Hoc non eſſe eremiticum,quum diceret Vrbanus:ille ſubſequitur,Eam qui donauit, ſanctiſſimus in Chriſto pater,dominus Clemens,iuſſit vt perferam. Eam quum poſceret viſendam pontifex, tradidit proximè adſtanti ex familia:Vide,inquit,ſi quid eſt nigromanticum in ea, qua de re te multum aiunt callere. Arreptum deinde hominem iuſſit carcerari. Abierant duo dilapſi ex his qui cum eo venerant. Subiectum quæſtioni eò perpulit, vt fateretur diabolica eſſe figmenta. Voluit igne ſumere de eo ſupplicium. Rogatus à prælatis Gallicis ne faceret, quòd in omni regno vir eſſet notiſſimus, & magnus habitus, iuſſit vt proxima Dominica omnia palàm, quæ dixiſſet, reuocaret, ſeque vanum, mendacem,à diabolo inſtinctum,audacia fretum, dixiſſe quæ pridem. Redditis iumentis & annulo,iuſſit abire:promittentem,quòd in ſe eſſet, de vnione ex fide agere. Quo tempore Carolus Duratius, quia Ludouicus Vngariæ rex ſine prole maſcula obiiſſet,duabus tantùm relictis filiabus,quarũ natu maiorem cum regno Vngariæ Sigiſmundo Bohemiæ regi, Caroli Imperatoris filio deſpondiſſet, contendit in Vngariam:& oppoſitus Sigiſmundo,magnam regni partem ſibi conquiſiuit. Elatus in ſuperbiam, ibi cæſus corruit, relictis paruulis in regno Neapolitano,Ladiſlao filio,& puella Ioanna. Ladiſlaus autem quia impubes deceſſit, regnũ in manu Ioannæ filiæ permanſit,quæ variis hoc caſibus agebat.Otto tum Brunſuicenſis dux,Neapolim in poteſtate habuit:fretus veteribus amicis æmulos multos perdidit,alios etiam captos miſit Tarentum. Cùm veniſſet autem Ludouicus Andegauenſis filius,cum exercitu,Otto illi adhærens, magnã regni partem ſubiecit, ductor factus copiarum ſub ipſo:ſed ad magnam regni ſpem nunquã eſt reuerſus.

Superbia primus ad interitum gradus.

CAP.20. AVSTRIÆ dux Lupoldus illo tempore anni octuageſimi ſexti profectus in Suiceros,olim Heluetios,cum omni exercitu ſuo cæſus occubuit,& omni nobilitate,vſque ad Albertum fratrem,qui ſolus remanſit ſtirpis propagator. qui etiam proximo anno conuocatis copiis,ad vindictã proceſſit:ſed interuenientibus principibus,cauſa poſita in treugas,necdum ſopita. Intereà fautores vinctorum cardinalium multa ſunt moliti,vt eos eriperent:nam veneno ſæpè petitum pontificem ſubuertere tentauerunt. Quod vbi non proceſſit,etiam armati vi tentarunt eripere.Nocte media ingreſſi,quum ſperarent non omnes in palatio idem ſentire, primam perfregere ianuam. Ingreſſuri, quum iam commoueri cuſtodes in palatio ſentirent,retroceſſere. Pontifex quum diligētiùs iſta ſcrutaretur vnde eſſent, duo cardinales,D.Pileus de Rauenna,& de Petra mala,curia abierunt, non expectantes diligentiorem indaginem:vnde ſe ſuſpectiſſimos fecere, ad antipapam abeuntes,qui non inuitus eos accepit. D. Pileus pridem legatus per Germaniam Vrbani,ſcripſit principibus per Germaniam, ſe magno pridem errore captum, fouiſſe partes Vrbani:nunc diuina miſeratione illi apparuiſſe veritatem, quam tum præſtigiis eiuſdem Vrbani,oculos eius faſcinantis,videre non potuiſſet. Illos quoque conſu-

Heluetiorum victoria.

Principum Germaniæ cōstantia.

Cardinales quinque ob coniurationem puniti.

cōſulere animabus ſuis,& ab his quæ ille præſens diſſeminaſſet, prudenter emendati recederent, ſaniori conſilio ſeriùs, quàm nunquàm,emendati. Sed principes, acceptis literis,riſêre inconſtantiā viri,alioqui docti. Idem tum Pileus, priuſquàm Italia cederet,capellum, quem illi Vrbanus honori cardinalatûs contuliſſet, in fôro publico Papiæ concremauit, Comite Virtutum hoc ratificante, quòd illi Vrbanus nupèr negâſſet regni titulum, quem per Lombardiam voluit. Anno ſequenti, qui fuit milleſimus trecenteſimus octuageſimus ſeptimus,D. Vrbanus Genuā diſ- 1387.
ceſſit Romam verſus, cùm ſupra annum illic eſſet commoratus. Priuſquàm diſcederet,cardinales vinctos,in carcere ſtrangulatos,iuſſit ſtabulo infodi. Ità prædicabat qui tum affuiſſet:quanuis Blondus prędicet,culeo inſutos eſſe mari merſos. Adam cardinalis Anglicus cum eis vinctus,dimittitur,quòd conſcius,non approbator fuiſſet conſilii: ſatis pœnarum in carcere expendens ſuæ taciturnitatis. De Genua abiens Vrbanus, conceſſit Lucam, ibiq; per nouem menſes ſtabat: indè verò Peruſium,quo ex loco in regnum redire cōſtituit,quòd Romæ diffideret. Sed quidam eremita viſione admonitus, hortatur vt Romam peteret. Non ſatis animatus, dubius tamen quid faceret,vidit beatum Petrum in ſublimi ad eam partē quæ Romam ducit: vidêre cum eo plurimi,ſed ille iuſſit,ne,viuente ſe, cuiquam dicerent. Poſt obitum eius, epiſcopus Tarentinus confeſſor eius palàm dixit in ſermone ad populū, ſe cum pontifice & multis aliis tum in ea effigie vidiſſe Petrum in ſublimi, qua ſculptus adſtat ad porticū Baſilicæ. Inſigni honore à Romanis eſt introductus.

CAP. 21.

FECIT hic pontifex memorabilia tria poſt regreſſum ad vrbem:iubileum de anno quinquageſimo tranſtulit ad trigeſimum tertium, qui ſunt anni Chriſti iubileum prædicantis:tanto enim tempore moratus eſt nobiſcum in terris,ſtatuitq́;, vt proximo anno qui eſſet nonageſimus, & deinceps per trigeſimū tertiū ſeruaretur. Sed illum annum non vidit. Secundò decreuit & inſtituit feſtum viſitationis Mariæ,11 Iulii deinceps celebrari:ſed Bonifacius IX. decreuit literas. Tertiū fuit,quòd non obſtante interdicto eccleſiaſtico, in feſto corporis Chriſti poſſint apertis ianuis diuina celebrari,eo modo quo conceſſit Bonifacius in quatuor feſtiuitatibus. Et completū eſt quod de feſto corporis Chriſti venerabilis Doctor Ioannes Andreæ ante annos octuaginta prædixit in Clementina,Si dominum: in gloſſa, ſuper verbo, Relatum. Fecit quoque declarationem ſuper Clementinam,Dudum. de ſepulturis, propter varias opiniones & gloſſas doctorum:cuius copiam,quia paucis innotuit,deciſam annotare curaui.

Vrbani declaratio ſuper Clementinā. Dudum de ſepult.

VRBANVS epiſcopus,ſeruus ſeruorum Dei,dilectis filiis,vniuerſis religioſis cuiuſcunque ordinis vel religionis,præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi animarum affectantes ſalutem,&c. Nos igitur qui ex ſuſcepti Apoſtolatus officio,&c. vniuerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè pręcipiendo mādamus, quatenus parochianos diebus Dominicis & feſtiuis non recipiatis decætero in eccleſiis & oratoriis veſtris ad diuina,nec ipſos ſine licentia ſui ſacerdotis ad pœnitentiam aliqualiter admittatis:quum quis alieno ſacerdoti iuſta de cauſa ſua voluerit confiteri peccata, ſecundum ſtatuta concilij generalis licentiā prius poſtulare, ac etiā obtinere debet à proprio ſacerdote,vel aliàs ſibi primò confiteri, & recipere beneficium abſolutionis ab eodem. Aliter nanque ab ipſo abſolui non poterit,quum duplex in iudicando funiculus,poteſtatis ſcilicet & ſcientiæ,requiratur: quorū alterum in alieno conſtat deficere ſacerdote. Et ne parochialibus eccleſiis deuotio debita ſubtrahatur, ante Miſſarum ſolennia, ad quæ audienda parochiani prima diei parte in ſuis conſueuerunt & debent conuenire eccleſiis: nequaquam in eccleſiis veſtris ſupradictis ſolennes eis faciatis ſermones, ne propter hos audiendos ad vos confluens populus, parochiales eccleſias derelinquat. Sed nec ad prædicandum ad illas parochias procedatis,niſi à ſacerdotibus earū parochiarū fueritis inuitati, vel ſaltem ab illis petieritis humiliter,& obtinueritis vos admitti. Et vt debitus honor deferatur,eodem die quo diœceſanus epiſcopus, vel alius loco eius ſolenniter prædicat,maximè in eccleſia cathedrali:nulluſq; veſtrûm in ea ciuitate vel loco prædicare præſumat,ne ſalubris prædicationis doctrina ex inculcatione huiuſ-

modi frequenti,quaſi tædium generet,contemnatur. Si verò in caſu licito parochianos alterius,ad ſepulturam,quam nemo ſine iuſta & rationabili cauſa temerè debet eligere,antiquis parentum ſuorū dimiſſis ſepulturis, in veſtris eccleſiis vos recipere contingat:omniū quæ obtentu huius ſepulturæ fuiſtis conſecuti, medietatem,vel tertiā partem,vel quartam,iuxta felicis memoriæ Gregorij Papæ prædeceſſoris noſtri decretum,& ſecundū conſuetudinem,etiam non requiſiti, infra octo dies à tempore receptionis eorum,epiſcopo vel ſacerdoti, de cuius parochia eſt aſſumptus mortuus,exhibere curetis,&c. Si quis verò veſtrū eiuſmodi præcepti tranſgreſſor prouiſionis noſtræ extiterit,vel cōtra prædicta aut aliquid prædictorū venire præſumpſerit,præter inobedientiæ vitiū & excommunicationis ſententiā,quā de facto ipſum incurrere volumus,graui ſuo periculo ſubiaceat, & nihilominus à loci diœceſano ad præmiſſa omnia obſeruanda,cenſura eccleſiaſtica, appellatione remota,diſtrictiùs compellatur,nullis ei contra hoc indulgentiis,aut apoſtolicis priuilegiis valituris.Datum Neapoli,11.Cal.Decemb.pontificatus noſtri anno ſeptimo.Peruenit autem is pontifex viuendo ad annū duodecimum, & Romæ deceſſit,tumulatus in S.Petri Baſilica,in capella ſancti N. humili ſarcophago.Inde poſtea tranſlatus in eccleſiam,honoratiorem in locum. Hæc idcircò, vt vera videntis narratio confutet voces vanè fabulantium de hoc pontifice.

CAP.22. PADERBVRNENSIS eccleſia ſub Vrbano,moriente Henrico eius pontifice, vacabat, & ſuccedit ei Simon eiuſdem eccleſiæ decanus,natus comitibus de *Sterneberg*,impetrauitq; ab eodem Vrbano Papa,& præfuit eccleſiæ in annū nonū. Hic vt per archiepiſcopum Colonienſem apud ſedem Apoſtolicam promoueretur,quodq; remotum in eccleſiam remiſit,eidem archiepiſcopo citra conſenſum capituli ſui grandem pecuniam, quam debebat eccleſiæ Paderburnenſi, pro eo quòd Henricus prædeceſſor eius marſcallatus officium pro eccleſia Colonienſi magno ſuo & eccleſiæ ſuæ onere portaſſet. Munus autem conſecrationis accepit in Romana curia.Reuerſus,cum ſolennitate introducitur, perbenignè ſuſcipitur: de officio autem diuino non magna illi cura fuit,quod vix in omni ſuo pontificatu in pontificalibus perageret. Intrauit cum archiepiſcopo Colonienſi armatus Haſſiam,& violata eſt pax illa quā Henricus prædeceſſor magno molimine curauit cōcludi,& iurari. Multa permiſit ſuis miniſterialibus, quæ aliàs ſinenda non erant.Presbyterū,quòd eccleſiā vacantem,à ſede Apoſtolica impetraſſet, captum perpetuo macerabat carcere.Pulchra nimirū cauſa. Diſſimulabat capitulū, quòd idem presbyter aliquando litem fouiſſet aduerſum ipſum.Confœderationes quas alij cum viris principibus facere conſueuerāt,ipſe vertit ad miniſteriales ſuos, qui aliàs eſſent illi perpetuo iugo ſubditi: hos honorabat vt pares. quocircà in eum verſi,per contemptū publicè illi audebant hoſtilia nunciare.Quumque illos bello perſequeretur,obſidens in præſidio *Brobeke*, ſagitta percuſſus in inguine, mortis inde occaſionem habuit.Ita vir militari genere natus,dum miniſterialibus, ſuæ o-
Gladio qui pugnat gladio peribit. riginis hominibus,multum indulget,dumq; arma magis quàm ſacra proſequitur, finem aſſequitur, quem ſolent,iuxta verbum veritatis,gladio depugnantes.

CAP.23. MAGDEBVRGENSEM eccleſiam poſt Petrum Bohemum, aſſecutus eſt Ludouicus:qui per multas eccleſias ambulabat,quærens requiem,& non inuenit. Comes erat prouincialis Turingiæ,marchio Miſnenſis, idem qui ante multos annos erat epiſcopus *Halberſtadenſis:* quam dimittens,ambiuit Moguntinam magno bello,cui ſe immiſcuit Carolus Imperator:ſed eam non eſt aſſecutus,ad Bambergenſem autem peruenit.Sed cum memorato Petro Magdeburgenſi tractans, vſq; eò rem perduxit per amicos,vt voluntate ſummi pontificis ei permitteret eccleſiam Magdeburgenſem,in qua benè inchoauit:nam raptores inſectatus eſt cū Magdeburgenſibus,quibuſcunq; locis inerāt.Comites de Werningrode ſuperauit, quędam eorum prędia ſubuertit,bonamque de ſe ſpem prębuit futuræ tranquillitatis. Iam vergebat in ſenium,& tamē iuuenum leuitates,choreas & carmina, more ſuæ gentis non omiſit: plus in eo valebat patrius mos,quàm Chriſti religio. Ad dies ſolutos Carniſpriuii vocabat ex miniſterialibus cum puellis & dominabus in Caluen,vt more gētis reſoluti,carminibus,choreis,vanitatibus cæteris,lætos cum illo dies

dies agerent. Venerant frequentes: archiepiſcopus in primis choreis inerat fœminarum, nulli cedens circulationibus, ſtridoribus leuiſſimis & clamoribus. Die lunæ ad horam veſperam, quum mediis in vanitatibus verſarentur, apparuit ignis in camera, facilè, ſi quis anniteretur, reſtinguendus: ſed nemo occurrit. Interpretatũ eſt, immiſiſſe Dominum cunctis timorem vt fugerent. Igitur ad gradus feſtinabāt cum clamore vniuerſi. Archiepiſcopus vix chorea patitur abire, vt cōpeſceret populũ: ſed immixtus turbæ, nec procedere nec retrocedere quibat. Venêre in gradum tanta preſſura, vt mole ſua neceſſe eſſet dare ruinam. Igitur concidit gradus lapideus, cui imminebant. Ruebant vnà plus quàm trecenti homines vtriuſque ſexus. Ex omnibus læſus eſt nemo, præter archiepiſcopum, & tres alios. Ille delatus in domum, poſtera die ſpiritum efflauit. Ad locum deinde cremationis adſpexere. tam puſillum erat incendium, vt puer reſtinxiſſet. Hunc inuenit exitum per multas eccleſias tranſiens Ludouicus, vtinam bona pœnitudine excedens. *Choreas cum fœminis ducit archiepiſcopus*

Osnabvrgensem eccleſiam poſt Ioannem trigeſimum ſeptimum excepit Melchior ex ducibus de Brunſwick, prouiſione illi facta per ſedem Apoſtolicam. Iam enim illa via inceperāt ingredi in eccleſias, maiori etiam nobilitate illuſtres. Dubium non erat, ſi electio fuiſſet capitulo permiſſa, Theodoricũ de Marca comitem, adiutorem epiſcopi ſui, de eccleſia optimè meritum, aſſumpſiſſent. Sed quid poterant aduerſus Apoſtolicā prouiſionem? Quanquàm & illud venit in ſuſpicionem, quòd capitulũ, ſi occultè machinaretur, faueret tamen ſolicitanti Apoſtolicam prouiſionem, quòd notos odimus, fauentes ignotis: fortè erat nonnihil in moribus dicti domini Theodorici, quod formidaret capitulum. Vtcunq; fuerit, dominus Melchior ad eccleſiā peruenit. Arces & oppida erant in manibus memorati domini Theodorici: vnde non niſi ære redimi poterant. Multa enim cum fratre impendit in eccleſiam per arduos labores, quos exantlauit: renouauitq; multa in mœnibus & turribus fortaliciorũ. Igitur facta conuentione, dominus Melchior epiſcopus, capitulũ & ciuitas, pecuniam expromiſerunt, pignora tradentes donec exolueretur: cœpit interim adminiſtrare epiſcopus, ſed ſtatim ære inuoluitur alieno. Tradit in pignus arces & oppida, & cœpit eſſe grauis eccleſiæ. Oritur bellũ ad comitem de Hoia. damna viciſſim inferuntur: concurrunt aliquando armati. Capitur epiſcopus, abducitur, grauis pecunia redemptioni præfinitur: quam quum captus præſtare non poſſet, cogitauit dominũ Theodoricũ de Marca reuocare ad vicariatũ, vt eius ope relaxaretur. Defertur res memorato domino Theodorico, iam præpoſito Colonienſi. Rogatus, nō recuſat: erant tamen qui clanculò rem impedirent, quòd ſcirent illum pro induſtria reniſurũ eorum conatibus. Iam in diœceſi agit quiſque quod videtur: fiunt rapinæ, latrocinia etiam in porta ciuitatis cōcurrunt, conſultant, fit decretum, vt quoniam dominũ habeant captum, vt relaxetur curandum. Recurritur ad priſtinum conſilium. Dominus Theodoricus de Marca, præpoſitus Colonienſis, aſſumitur vicarius in ſpiritualibus & temporalibus. Fit melior rerum ſtatus. Relaxatur dominus Melchior, omnia ſunt in manibus domini Theodorici vicarij. Proſperatur negocium in manibus eius. Epiſcopus nihil agit, ſedet, intuetur omnia, cum ille nihil potuerit. Splendidè omnia geruntur per vicariũ eundem. Sed huius tandem ſtatus pertæſum eſt epiſcopo: agit omnia vt perturbet rerũ ſtatum. Proficiſcitur Auinionem, procurat vt citetur vicarius, & qui cum illo rem gerebant. Interim vacat eccleſia Suerinenſis, & agit omnia Melchior vt eò transferatur. Ita abſoluitur ab eo eccleſia Oſnaburgenſis, quæ tali pontifice non multum gloriabatur. Erat autem tum annus MCCCLXXVI. *Cap. 24.* 1376.

Mindensi quoque eccleſiæ poſt triſtia fata Gerardi II. ſufficitur, maximè cooperante, & apud ſummũ pontificem Auinione tunc manentem, Otto cognomento Wettin, militari genere natus ex Miſna, decanus eccleſiæ Moguntinæ pridem, vir moribus, virtutibus, eruditione & ætate plurimũ prouectus, ordine pontificũ in ea eccleſia & numero quadrageſimus tertius. Seriùs enim compertũ eſt apud eccleſiā, de morte peregrinantis in terram ſui pontificis: diuq; nec creditũ, nec ſperatum. Ideò ad canonicam electionem perueniri non poterat. Vnde factũ eſt, vt quum de morte dicti pontificis priùs apud alios quàm apud Capitulum ſit *Cap. 25.*

compertum, proceſſit de eccleſia apud ſummum pontificem prouiſio, priuſquàm poterat vlla electio celebrari: nec malè perindè conſultum eſt eccleſiæ, ſi, quem per eum modum acceperat pontificem, diu tenere contigiſſet. Præceſſit illum fama boni nominis: & non ſolùm quietos eſſe iubebat Mindenſis eccleſiæ viros, verumetiam de virtutibus & moribus viri exhilarabat. Mindam inuehitur de more ſolenniter, per cognationem & manum militarem plurimã, in vigilia corporis Chriſti. Sed non erat diuturnum gaudium de ſuſcepto nouo pontifice. Nam hydrops illum, morbus pernicioſus, ſtatim arripuit, ſiue ex aëris mutatione, ſiue ex natiuo veſicæ vitio, ſiue alia quauis ex cauſa, aut ex omnibus cumulatis, virum præſtantem mox rebus gerendis fecit inutilem: vnde nihil apud eum memorabile fieri potuit. Nam anno necdum expleto, nocte diui Alexij, longa fractus ægritudine, ſpiritum Deo reddidit, collachrymantibus cunctis, qui magnam ſibi ſpem fecerant de tanti viri prouectione: tumulatusque eſt manibus canonicorum ſuorum in choro fratrum Prædicatorum, quod ipſe cupierat, anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octauo. Ita ſe res habent humanæ, vt nihil ſolidũ, nihil ſit certum & perſeuerans in illis. Solicita primùm eccleſia de peregrino & incognito viro, non potuit non dolere prouiſionem factam ſine illius conſenſu. Vbi per famam cognouit hominis virtutem, exhilarata expectabat cum deſiderio præſentiam eius. Vbi accepit, non eſt fruita eius diu conſpectu: ſed ereptum congemuit, quem ſuſpirabat donatum. Ille verò ſtationem permutabat in melius tranſiens in conſortium ſanctorum, quo ſe dignum fecerat ſanctis ac venerandis moribus: & iam ex alto miſereſcit eorum, quorum venerat conſolari deſolationem. Patronus apud Deum, vt confiditur, factus ex pontifice.

CAP. 26. SVERINENSIS eccleſia crebriùs mutabat epiſcopos ſuos, propter breuem pontificũ vitam. Nam Marquardo ſucceſſit in ea eccleſia D. Melchior, dux Brunſwicenſis ex Tranſſyluanis, filius Henrici, qui fratrem habuit Ottonem in Italia militãtem, præſertim in regno Neapolitano. Vbi venit ad nuptias reginæ Ioannæ iam ſeneſcentis, & poſt eam diu permanſit in regno, ibi moriens: quod partim ſignificauimus ſuprà. Alium quoque fratrem habuit Balthaſar, qui ſecutus fratrem in Italiam, factus eſt, dum floreret frater, comes Fundorum in regno. Sed interea fratris fortuna mutata, quũ ille caperetur, carceraretur, & regno deſtitueretur, in quo tamen nunquàm eum Papa voluit cõfirmare, veriſimile Baltaſar fratrem in comitatu vix permanſiſſe. Per eos dies in diœceſi Bremenſi, quũ præeſſet Albertus archiepiſcopus, dux Brunſwicenſis, magna manus nobilium cum Bremenſibus cæſa eſt à Ruſtringis Friſonibus in Blexen. Mauritius pridem adminiſtrator Bremenſis, Gerhardus, Chriſtianus, Conradus, comites de *Aldenburg*, cum ſeptingentis armatis ibi ceciderunt. Capitaneus terræ Blexem, pollicitus eſt terram hoſtilem in eorum poteſtatem dare, ſi modo eius ditioni parceretur. Non annuerunt nobiles memorati. Erant in itinere auxilia illis ventura plurima, non expectabantur: tanta erat fiducia. Diuiſæ erant copiæ, medio flumine interfluente, ideò faciliùs opprimebantur. Vna erat huius cladis & ſequentium multarũ cauſa, præſumptio virium & induſtriæ, contemptus hoſtium. Quid enim, inquiunt, poteſt ruſtica manus aduerſus armatos equites? nimirùm hoc poteſt, vt ſui contemptores, & de ſe nimium præſumentes perdat. Sic eunt res, ſic periit illa nobilium armatorum caterua ab inermi plebe ruſtica. Vix euaſerat vnus, qui factum nunciaret. Auro ſuffarcinati nobiles illi dicebantur, quòd precioſa quæque ex præda coemere conſtituiſſent à gregariis militibus: tam ſibi certam promiſere victoriam. In ea qua cæſi ſunt terra, tumulantur: neminem ad ſepulturam educi permiſere. Corpore tegebant terram, quam viui ceperant. Res nimirùm ſimilima recentiſſimæ cladi, quæ hoc milleſimo quingenteſimo anno acciderat in Thietmarcio, quam ſuis locis commemorabimus. Plurimæ inſuper inundationes factæ per hæc tempora, calamitatem inferebant paluſtribus & limoſis ad mare & flumina terris. Quo etiã tempore Hamburgenſes liquore ſuo per mare deuehẽdo, certare cœperunt Bremenſibus. Specie prima Bremenſis liquor deuehebatur, quòd ille maximè tum erat in precio: ſed accepta fiducia, quum cerneret Hamburgenſes ſuam

Præſumptio virium & hoſtium contemptus quid operentur.

Hamburgenſis cereuiſia.

suam quoque cereuisiam amari, fassi sunt discrimen, & suo iam nomine distrahebant. Annus hic erat septuagesimus quartus post MCCC. cùm nata est contentio inter ciuitatum Bremæ & Hamburgi consilia de prioratu, & inter se ordine in cõuentibus publicis asseruando. Allegabant Hamburgenses pro se antiquitatem suam, & quòd primi archiepiscopatus honorem accepissent: Bremenses contrà præsentibus innixi, non quid olim fuit, sed quid sit hodie, intuendum. Qua in re primas tum obtinuere Bremenses, in cœtu & conuentu cæterarum vrbium, qui tum erant Lubecæ. 1374.

Cap. 27. *Vt in Politia, sic & ecclesia regnat ferè personarū respectus.*

MONASTERIENSI ecclesiæ per eam ætatem Apostolica prouisione datus est pontifex, Poto de *Potenstein*, vir Bohemus, ad hoc prouectus, vt facilè cerni potest, fauore Imperatoris Caroli, qui Bohemus ipse, suæ nationis homines efferebat. Venerat is cum decenti comitatu, ecclesiam suam inuisurus. Quum propinquaret oppido Hammæ, incursionem patitur equitū: quæ res non rara tum fuit in ea prouincia, præsertim quum alienigena venisset in ea ecclesia sumere pontificatum. Multi ex suis vulnerati sunt, & alij capti: ipse vix elabitur, defensus à suis. Et in prædicto oppido moram traxit aliquantam, donec ciues Monasterienses obuiam progressi, honorificè eum deducerent, vt saluum & incolumem in suā ciuitatē comitarentur. Honori hoc dantes sedis Apostolicæ, & nihilominus alienigenæ viro pietatem & humanitatem ostendere voluerūt: ipse tamen quum moribus alienus, & linguæ imperitus esset vernaculæ, sua sponte elegit abire: translatusq; est posteà, quod dicemus, ad ecclesiam Swerinensem. Per quæ tēpora non erat in omni Saxonia princeps maioris nominis Ottone Transsyluano duce, qui victorias suas vndique circuntulit, cessitq; illi prosperè quicquid agebat. Terra Brunswicensis, cæso Magno, principes habuit impuberes, dicti Magni filios: tutelam suscepit Otto, sed vt apparuit in rem suā. Quanquam Albertus dux de Saxonia, qui relictam Magni filiam marchionis nouissimi de Brandenburg duxit vxorem, eiusq; filios accepit in tutelam, pollicitus pro illis meliora: sed Otto patruelis legitimæ tutelæ debuit esse propior, vtpote agnatione iunctus pupillis. Ergò arcem præcipuā *Wolffenbuttel* accepit possidendam impuberum nomine, vt dicebat: sed recordatus est, maiores suos quandoq; ditione Brunswicensi violentè exclusos, non magnopere requirebat quomodo rediret, dummodo rediret ad eius possessionem. Sed maior iuuenum Fridericus, locutus cum nonnullis amicis, effecit vt excluderetur, exclususq; ab arce teneretur, succurrente manu ciuium de Brunswico.

Cap. 28.

ALBERTO per id tempus archiepiscopo Bremensi, ex ducibus Brunswici nato, insignis contumelia inferebatur, authore, vt ferebant, Ioanne decano suæ ecclesiæ. Nam oritur rumor cum infamia in archiepiscopum grauis, quòd sit hermaphrodita, & in vtranque venerem æquè promptus. Tulit eam rem grauiter, vt debuit, & iniquo animo. & questus oratoribus Senatus Bremensis in *Osterholte*, orabat ne criminatorem suum aduersus se tuerentur. Vix illi redierant in vrbem, intellexit decanus quid in se à pontifice constitueretur. orabat senatum, vt securitatem illi aduersus pontificem, in vrbe præstarent, perniciem exempli præuenientes, ne, quos vellet, vrbe extraheret. Quod quum non impetraret, mox inscenso curru festinus Verdam concito cursu petit. Nec longè aberat, quum superuenientes missi ab archiepiscopo equites hominem requirebant: quo non inuento, quum intelligerent abiisse, admissis iumentis, quàm properè secuti sunt fugientem, vt retraherent ex fuga. Vix ante illos portam oppidi petiti appræhendit. Vbi manens in reliquum tempus, posteà vacante ecclesia, assumptus in eius loci pontificem. Volens ergò archiepiscopus purgatam esse infamiam, quæ irrogabatur, videndum se præbuit in balneis multis militaribus, consularibus & ciuibus Bremæ, nec tamen quieuerat ortus semel rumor. Conuocatis suffraganeis suis atque ecclesiarum prælatis in Hamburgum, plus quàm quingentis personis iterum videndum se præbuit. Quo tempore, incredibile est memoratu, quanto splendore & apparatu conuiuantes, exceperit: ternis ferculis, vicies multiplicatis, prælatos omnes & nobiles plurimos exhilarauit: ad militares autem, diuisis locis bina toties fercula iussit apponi: reliquos singulis per vicenas vices honorauit Burgenses om-

Rumor semel sparsus non facile quiescit.

Conuiuii ſplendidiſſimi apparatus.

nigenas,laborante curioſiſſimo coquorum magiſtro antè per menſem ad apparatum inſtruendum. Viſebantur arces auratæ in menſa, intus viuæ volucres. Viui quoque piſces producebantur in ferculis apparatis: pauones, cygni iam cocti, iam ad edendum maturi, ſua tamen in ſpecie, ſuis plumis inferebantur. Armati quoq; viri in menſam edẽdi ſunt ſtatuti. Potus varij, vino, mulſo, medone, cereuiſia. Decanus memoratus ſuam interim proſecutus iniuriam, quòd ad capiendũ erat petitus, ex arce Meienburg eas intulit clades eccleſiæ prædiis, vt ad concordiam vrgeret archiepiſcopum. Dominus Chriſtianus, frater Conradi de *Bruckhuſen* comes, cauſæ arbiter pronunciauit, vt decanus centum adiunctis militaribus viris, veniam ab archiepiſcopo poſceret. Quod ita impletum reconciliauit vtroſque. Sunt tamen authores certi, quòd ad eam, quæ Hamburgi facta ſit, oſtenſionem, necdum ſit infamia purgata, contendentibus qui aduerſarentur, corruptos fuiſſe iudices, qui inſpiciendi operam deſumpſere, rogati: ita, vt ex ſuperabundanti longè in vltimis finibus ſuæ prouinciæ in ciuitate Sundenſi, iterum ſe viſendum exhibuerit quamplurimis grauibus viris.

CAP. 29. *Epiſcopi Verdenſis in opibus mundi cõparandis inſigne ſtudium.*

VERDENSIS interim eccleſia paſtore viduata, pontificem meruit ex miniſterialibus de *Seſterflet*, pridem decanum Bremenſem, inde fugatum metu archiepiſcopi: vir erat magnæ prouidentiæ ad cumulandum, diſpenſandum, circunſpiciendum ad omnia. Hic arcem *Rodenburg* alienatam, redemit precio octingentorum denariorum, imò marcarum Luneburgenſium, & ſuprà, à miniſterialibus de Mandeſlo, qui qualicunque ratione tenuerunt. Hic quoque per induſtriam arcem *Kedenburg*, quam dux Luneburgenſis occupauit, funditus demoliri procurauit. Multas decimas, terras & poſſeſſiones ad menſam epiſcopalem ſpectantes, recuperauit: in pecuniis, bladis, carnibus, pecoribus multùm proſpexit, vt haberet eccleſia ad copiam & neceſſitatem omnimodam. Quinquaginta curtes arabiles & cultas pro vſu eccleſiæ, magno ſuo ære impenſo, comparauit. curiam epiſcopalem in Verda reformauit, & propugnaculum fortiſſimum in arce *Rodenburg* extruxit. Sedit annis tantum octo, plura facturus in commodum eccleſiæ, ſi longior illi vita fuiſſet. Exceſſit rebus humanis decimo die Decembris, anno Dominicæ incarnationis milleſimo treceteſimo octuageſimo octauo, ſepultus in nouo monaſterio *Bredenbeke*. Anno pontificatus ſui primo militares de Hoia ingreſſi præfecturam de *Tedinghuſen*, abacta præda, igne ferroq; ſæuierunt. Loci præfectus ex vrbe Brema mutuatus eſt auxilia. Conuenerant numeroſi, vt hoſtibus facilè viribus ſuperiores eſſent. Vbi ſunt inſequi viſi Bremenſes, prædam hoſtes dimiſere: ſed quum in fuga res geritur, fatigati Hoienſes, quòd aliquot noctes laborauerũt, à fuga conſtiterunt. Viribus recollectis, qui primi ſequebantur, temerè ingreſſi prælium, antequàm aduentaret multitudo, vincuntur: cæſis multis, plurimi ex vrbe ciues capiuntur: capti, mille marcis argenti ſe redimunt. Sed qui interfuere rapinæ Hoienſes, hac ratione mulctantur, vt amiſſis prædiis, quæ illis erant in diœceſi Bremenſi, nihil lucrifeciſſe viderentur.

CAP. 30. *Gerardus eccleſiæ ſuæ debitum perſoluit.*

RACEBVRGENSI eccleſiæ per ea tempora præfuit memorandus pater Gerardus: cuius quia genus non memoratur, plebeio eſſe creditur, ſed inde prouectiori virtute (quem enim neq; genus, neq; cognatio prouehit, virtus in eo exuperet neceſſe eſt) quæ illũ bene natis & magnæ familiæ viris præferebat. Magnus in temporalibus procurãdis hic erat: nam prædia omnia, quæ prædeceſſores ſui multa pignori obligabãt, ille laxauit, redemit, & eccleſiæ vſib⁹ reddidit. Omne æs alienum, quod non paucum erat in prædiis eccleſiæ, perſoluit, liberamque reddidit omnem eccleſiæ poſſeſſionem. Ita res geritur: vnus ædificans, & vnus deſtruens, quid proficiũt, ait Scriptura, quid prodeſt eis niſi labor? Hoc eſt illud tempus, quo, mortuo Magno duce Luneburgenſi, terram illam antè ab Imperatore impetratã, Albertus dux Saxoniæ, natus filia Wilhelmi nouiſſimi ducis, teneret: qui qualicunq; ex cauſa, tum Bremenſi ciuitati aduerſabatur, cùm haberet archiepiſcopũ Albertum memorati Magni fratrem. Prædam ex iumentis ex ſuburbanis tulit: ſed egreſſi ciues, ita ſe vindicarunt capto oppido Walſrade & incenſo, vt non ſe iactaret de lucro. Arcem deinde *Drakenburg*, vnde prodierunt prædantes, obſident,

dent,oppugnantq; Bremenſes: capiunt, euertunt à fundamentis, quo in bello ius dimidiæ arcis in Bederekeſſa acceſſit ex pacto ciuitati. Mox autem grauius bellum imminebat Bremenſibus à vicinis Friſiis,cùm duo ex terræ domicellis confœderati ciuibus obſides dederant vrbi pro tertio eorum conſorte abſente,quòd cum illis & cum ciuitate belli ſocietatem iniret. Conueniunt armati, oppugnant orientalis Friſiæ pagos,incaſtellatas eccleſias expugnant:& captum eius loci domicellum Edonem Winike,qui ciuitati inhæſerat,miſeris modis victor excruciabat. Cõfecto bello,& rebus ex ſententia Bremenſium peractis,redduntur ex vrbe obſides.Tota terra præſtat ſacramẽta vrbis gubernatoribus.Circa quæ tempora extructa eſt turris illa lateritia cum ponte ad fluuium Liſmona,in loco quem nunc Burgum appellant:nam anteà vadum erat nauibus magno itinerantium incommodo & damno traiiciendum,nunc verò pons facilem tranſeuntibus viam præbet.

LVBICENSI eccleſiæ poſt Conradum præficitur D.Ioãnes Kleendenſt, diu eccleſiæ decan⁹, iterum atq; iterum electus, cùm primam de eo electionem frater Nicolaus intercepiſſet,ſecundam autem aſſumptionẽ illius Conradus fauore Cæſaris præuertiſſet. Illo mortuo,iterum ac tertiò eligitur concorditer à capitulo,& à ſede Apoſtolica confirmatus,conſecrationem accepit.Sed vir grandæuus,& ætate & labore exhauſtus, ne annum quidem expleuit in põtificatu, appoſitus ad patres ſuos. Quo tempore res omnes per Chriſtianum orbem in deteriores vergebãt exitus.Nam in eccleſia Romana peſſimum tum ſchiſma parabatur, de quo ſatis multa diximus:& in Romanorum regem creatus Wenſlaus Caroli filius,quàm caro inductus eſt precio totius imperii, tam illi fuit magno detrimento, omnia Imperii iura per Germaniam negligens: nam per Italiam iam diu erant amiſſa. Pater eius magnum imperii patrimonium,vectigalia Rheni ad cauſam impẽdit,vt filio fauorem Rheni principum conciliaret, maxima omnium iactura, quam vnquàm ſuſtinuit Imperium:ſed à quibus? nimirùm ab illis qui tueri,augere & prouehere debuerãt, ab Imperatore tradente,& ab Electoribus inde de ſuis manibus nullo pacto remittentibus quæ acceperant. Hæc eſt illa Aquilæ Imperialis deplumatio miſerabilis, quam Sigiſmundus alterius filius, alterius frater, qui deſpoliauerant, agnouit, vidit,carpſit:ſed emendare non potuit. CAP. 31.

Per quos imperium dilatari debuerat per eos coarctatur

EIDEM Lubicenſi eccleſiæ poſt breuem Ioannis ſui, ſed deſideratum pontificatum,quem ter elegerant,& primo pontificatus anno necdum impleto protinùs amiſerant, patres elegerunt præſtantem virum, dominum Euerhardum, cognomento Attendorne,in decretis licentiatum,ſuæ eccleſiæ decanum,virum pręſtanti eius vrbis familia natum: cuius germanus frater proconſulatum gerebat,germana ſoror abbatiſſa,monaſterium diui Ioannis intra vrbem regebat,ipſe pariter pontificatum adminiſtrabat. Eius memoriale eſt capella inſignis cum ſuperiori manſione in Vthin, domui magnæ cohærens,magnis, vt cernitur, impenſis exædificata. In epiſcopali quoque curia Lubeck capellam extruxit, ſed illa nunc ceſſit inſigniori operi: præfuitque annis XI. eccleſiæ. Hoc tempore Albertus dux Saxoniæ adunauit diù differentes domus Saxoniæ atque Brunſwici: recordabantur enim, nec poterant obliuiſci duces Brunſwicenſes ablati ſibi tituli honoratioris in perſona Henrici Leonis abaui ſui: ſed cùm paruulos cum eorum matre ſua coniuge ſuſcepiſſet commendatos,effecit,vt cùm adoleuiſſent,acciperent coniuges de domo Saxoniæ. Nam Fridericus & Bernhardus fratres, filii Magni, priuigni Alberti, duas ſorores filias Wenſlai ducis Saxoniæ, qui fratruelis erat Alberti, traduxerunt. Multum laboris erat per hæc tempora Alberto de ducatu Luneburgenſi:illum quidem tuebatur,ſed laborioſè: cui etiam, quod in Saxonia diximus, vitam impendit. CAP. 32.

PER quæ tempora Mindenſis eccleſia pontificem habuit poſt Ottonem, inſignem virum D. Wedekindum,cognomento de Monte, ex aduocatis viris militaribus,pridem eius eccleſiæ maiorem præpoſitum, ordine pontificum quadrageſimum quartum,quem virtuti & induſtriæ ſui prædeceſſoris canonici electores putauerant exæquandum. Vir in vtroq; ſtatu erat præſtans,in religione non ſegnis,in armis ſtrenuus,iura eccleſię ſuæ tuebatur aduerſus quoſcunq;.Erat illi cõtrouerſia CAP. 33.

cum ducibus de Brunſwico, quæ de more gentis non aliter quàm armis dirimi poterat. Peruentum eſt ad arma. Congreſſis vtrinq; manu militari, & confligentibus hinc atq; inde ferociter, victoria ceſſit magnificè pontifici. Victus dux, terga dedit victori. Sedit hic pōtifex in epiſcopatu annos fermè ſexdecim, & migrauit ex hoc mūdo in vigilia beati Dominici: tumulatus in eccleſia ſua inter altaria decem millium militum, & ſanctorum Ioannis & Pauli, à progenitoribus ſuis erecta: Anno
1384. Chriſti MCCCLXXXIIII. Poſt cuius obitum vacauit eccleſia menſib. ſeptem, per diſcordiam eligentium.

Wedekindus cum ducibus Brunſuicenſibus cōgreſſus, victoria potitur.

CAP. 34. MAGDEBVRGENSIS eccleſia, quia Ludouicum non diu meruit habere pontificem, accepit poſt illum electione canonica præſulem, D. Fridericum epiſcopum pridem Merſburgenſem, Apoſtolica venia inde tranſlatum. Magnificè quidem in eccleſiam introductus eſt, ſed non diu permanſit in ea: quippe quem in Quadrageſima de priſtina ſua in Magdeburgenſem eccleſiam tranſtulerunt, eum ad feſta proxima natalium Chriſti ſepelierunt. Quo tempore principes omnes per Saxoniam adunati, inter ſe tractauere de communi omnium tranquillitate, deque pace ſeruanda, & facienda ſecuritate tranſeuntibus per itinera publica. Conuenit inter omnes: idq; iuramento firmatum eſt, vt violatorem publicę pacis, ius regium abſumeret, ſineq; vlla venia moreretur: eamq; pacem procurauerunt regia confirmatione ſtabiliri. Sæuitum eſt aliquando ea occaſione in Comitem de Werningrode, ſed citò res relapſa eſt in antiquam malignitatem. Multitudo principum, indigentia nobilium, perdita miniſterialium audacia, rebus talibus occaſionem, ſi non cauſam præſtant. Tum quoq; in Wilſnaco oppido Prigniſſæ, hoc eſt, veteris Wandaliæ (ſic enim vocabulum conteſtatur) factus eſt ille concurſus iam ſupra centum annos durans, de miraculo cruentarum hoſtiarum. Multæ & magnæ concertationes doctorum & bonorum virorum fuere: &, ſi auaritiam cohibuiſſent, facilè rebus inueniſſent modum.

Principes de pace, cōſeruanda deliberant

Auaritia ſcil. eſt inſatiabilis

CAP. 35. EADEM Magdeburgenſis eccleſia breui mutauit pontificem ſuum, intra annum pro Friderico accipiens Albertum, natum ex comitibus de Querforde, qui eccleſiæ præfuit per annos viginti: multum ſollicitus pro recuperandis, quæ per variam tranſlationem, & breuem ſuorum prædeceſſorum adminiſtrationem erant vel amiſſa, vel pignorata, vel aliter grauata: nec modò recuperauit priora, ſed adiecit quæ non habebat eccleſia, plurimas arces cum prædiis adiacentibus: ſeruauitq; quod in eo fuit, cum omnibus pacem, nec ſe paſſus eſt diuelli à ciuibus ſuis, quos ſenſit ſibi ad ardua profuturos. Extiterat tamē ad finem pontificatus ſui cauſa, qua in Rodolphum ſuperioris Saxoniæ ducem, bellum conſurgeret, vel ex finibus ortum, vel ex aliis cauſis, quæ in Annalibus non memorantur. Cœpere in alterutrum leuia prælia multa fieri, excurſiones, incendia, captiuitates, prædæ: quæ cùm multò crebriora de parte ducis orirentur, pertæſus aliquando bonus pontifex moleſtiarum, quæ ſuis inferebantur, vim vi repellere cogitabat. Ex miniſterialibus ſuis quantos poterat armauit, ciues Magdeburgenſes & Hallenſes ad conſortium belli vocabat: nec ſegnes illi domino ſuo paruerunt, quem diu ſuis rebus habuere morigerum. Venitur in conſpectum hoſtium, acies diriguntur, ſigna canunt, acriter concurrunt: quod potuit virtus, fecit: fortuna ſuas quoq; partes habuit. Archiepiſcopus minor erat: nam eius de parte multi cæduntur, capiunturq;: fugiunt, qui poterant. Eius prælii diſcrimen diuerſos habuit, archiepiſcopum & ciues ſuos. Sed quid opus eſt multis? Suo ſe ære redemerunt: quia tamen ſpem dedit archiepiſcopus vni ex filiis de ſucceſſione ad eccleſiam, quod in eo fuit, ea res magnitudinem expoſtulati æris vehementer minorauit.

Epiſcopi de bonis eccleſiæ recuperādis induſtria.

Saxoniæ dux ſuperat epiſcopum.

CAP. 36. SVERINENSI eccleſiæ poſt Melchiorem, ex ducibus Brunſwici epiſcopū, quem fraga auidè nimis peręſa perdiderunt, pontifex præficitur Poto Bohemus, Apoſtolica authoritate & imperatorio fauore ex Monaſterienſi eccleſia tranſlatus ad Suerinenſem. Capitulum illi reſtitit, quoad potuit: elegerat enim decanum ſuum, D. Ioannem Iungen, qui arces eccleſiæ tenebat. Poto autem quomodocunq; deſtituebatur, licet Apoſtolicas literas præferret, ad poſſeſſionem nunquā peruenit. Tranſierant tamen anni ſex à morte Melchioris proximi pontificis, ad exitum huius

Melchior Suerinenſis Epiſc. fragorum eſu nimio perit.

huius Potonis: qui qualis fuerit, ignoratur: nisi quòd verisimilis præstat coiectura, illum rediisse vel in vrbem, vel in Bohemiam, quòd iam Carolus Imperator morte excessisset, non habuisse qui illi magnoperè assisteret. Obierat Melchior anno octuagesimo primo. De hoc autem Potone scribitur, quòd octuagesimoseptimo de ecclesia laborauerit, qui fuit sextus à morte prædecessoris. Hoc tempore cùm Albertus dux Saxoniæ, de terra Luneburgensi plurimùm laboraret, ad arcē pugnans Richeling, machina ictus in crure, mortem obiit, & Wenslaus fratruelis eius successit in ducatum de Luneburg. Is erat socer amborum principum de Brunswico, Friderici & Bernhardi: & tamen acerrimo deinde bello conflixerāt, cùm dux prudenter se retraheret, dissimularetq; rem omnem, permittens ministerialibus terræ ac ciuibus Luneburgensibus, qui tum magnum aliquid præ se ferebant, ad terræ gubernationem. Quippe quibus opus erat ad tuendam partam libertatē, in deiectione mōtanę arcis supra suum caput, fauore principū plurimo. Catharina Alberti relicta, Cellæ arcem propter nuptias possederat: vnde etiam repellere eam tentauere Luneburgenses: sed magno prælio victi, retro abierunt. Hæc pleniùs in Saxonia.

Eodem anno D. Ioannes Iunghe, decanus Suerinensis, electus à capitulo, sed impeditus à Potone Apostolico prouiso, arcem tenebat Butzow, quæ est ecclesiæ primaria, vbi à propria familia in ea arce est interemptus: & vacauit iterum ecclesia. Pene exciderat, quod in Saxonia omisimus, bellum ea tempestate grauissimū, inter socerum & generos. Wenslaus dux Saxoniæ, princeps Elector, terram tenuit Luneburgensem: quam sui iuris esse Brunswicēses sunt arbitrati, quòd ea lege primi fratres Ioānes & Albertus, ditionem sunt partiti, vt ex alterutris ad alteros vtraque recideret. Nam & titulum communem ambo tenuerunt cum posteritate, sicut hodie tenent, vt quamuis sit discreta ditio, vnus tamen amborum est titulus: vterque enim se Brunswici & Luneburgi ducem scribit. Wenslaus præsidium firmauit ad Alram, cuius hodie sunt nonnulla vestigia in villa Winsen. Obsederat quoque Cellæ arcem cum oppido. Vrbici Luneburgenses, quod opus erat, fortiter inhæsere Wenslao, aduersus duces Brunswicenses, quorum oculos semper vrebat deiecta arx montana. Fridericus ex fratribus ducibus senior, defensurus arcem, & obsidionem soluturus, in qua mater claudebatur, Brunswicenses suos ciues interpellat: viderint qua rerum angustia premantur, matrem etiam hostes suo iure depellere tentent, doleant vicem eius ac fratris, in affectum veniat materna iniuria, sumant secum arma, procedant in hostem, memorem se semper futurum in se obsequiorum: affuturum sperēt Deum iniustitiæ vindicem, oppressorum defensorem. Suadet, ac persuadet. Sumunt arma Brunsuicenses, suis principibus assistunt. Fridericus atque Henricus duces fratres, suis ministerialibus, & quos ex vicino poterant euocare, stipati, peditem validum ex Brunsuico, & nonnullos equites habuere, hostibus obuiam sunt progressi. Ad Alram fluuium obuios hostes in Winsen habuerunt. Ibi inito conflictu, fortiter certatum est diu. Volitauit incerta victoria: demum Brunsuicensibus aduolauit. nam victores facti, profligauerunt aduersarios partis Luneburgensis. Tum ad fugam versi, spem habent: desierunt in pugna. Captus ex agmine Luneburgensis ducatus, episcopus Mindensis, & comes de Hoia, aurati ex victoribus milites creati, eminebant. Ex illo prælio magnum vrbi Luneburgensi & diuturnum prouenit detrimentum. Tempore ex illo duces Brunsuici emerserunt. Captus erat à ministerialibus ecclesiæ Hildesemensis Bernardus, frater ducum de Brunsuico: aderant nihilominus ducibus in hoc prælio, qui captum fratrem tenuerunt. Luneburgensium ære luisse ferunt illum captiuitatem, & redemisse libertatē. Hæc etsi aliena sunt à proposito, quia tamen hoc tempore memorabiliter patrata sunt, ad annum octuagesimum octauum, post millesimum trecentesimum, & in Saxonia nostra tam explicata non fuere, non poterant sine culpa hoc loco tacitè transiri. Ad huius prælii aduersam fortunam diu retulere Luneburgenses æs alienum, quo rem suam publicam grauauere: vnde posteà ecclesiis multa deperierunt.

Cap. 37. *Decanus Suerinensis à propria necatur familia.*

Deus iniustitiæ vindex, oppressorum defensor.

1388.

Halberstadensi ecclesiæ post Albertū prouenit Ernestus episcopus, ortus ex comitib. de Honstein, vir seuerus & industrius, & iuxta nomen suū grauis. Cap. 38.

Inter episcop. Halberstadensem & ducem Brunsuicensem perpetuū bellū

Erat illi assiduum bellum in Fridericum ducem Brunswicensem, æquè grauem & seuerum principem,& qui nihil dissimularit aut minorationis,aut iniuriæ. Nulla vnquam compositione adeò firmari potuit inter eos familiaritas,aut integritas reformari,quin leuissimis semper causis dissiliret. Nam quod aiunt physici, & monstrant,duo acumina siue mucrones non se patiuntur contingere. Præfuit ecclesiæ suæ per annos decem,durus & intractabilis pontifex: eodem deficiens anno, quo & Fridericus suæ virtutis æmulus.Quo tempore principes Brunswicenses in angustum coarctati,cùm ditio illis abesset Luneburgensis,quamuis proxima elati victoria emicuerint,cogitarunt tamen quomodo ad iustam sui ducatus Luneburgensis redirent possessionem.Oppidum Luneburgēse obuium videbatur,quod duci Saxoniæ Wenslao,præcipuè inhęreret:hoc edomito,facilem ad reliqua viam sunt arbitrati.Oppidum Vlsen multorum conniuentia occuparunt,per occasionem quā in Saxonia diximus: inde publico itinere obstructo,detrimenta fuere ciuitati. Ligna quidem ad salinā plurima illis necessaria aberant:iis introducendis arma sumpserunt. Hoc scientes duces,magno equitatu egressi de Vlsen,incurrerant,ceperant,ceciderant. Erat in ministerialibus acerrimus illis hostis, qui quotquot per agros ex oppido inuenerat,mutilatos aut pede aut manu,remittebat:multi ex oppidanis ea signa referebant.Interuenere nonnulli ex militibus,qui cōpositione inita, ducem placabant Saxoniæ, vt dimitteret Luneburgensem ducatum generis suis: & reddita est terra Henrico & Bernhardo ducibus, cùm Fridericus frater teneret Brunswici.Incredibile est memoratu,quàm subitò post bellū trāquillitas & quàm grata redierit,quanta annonę,quanta commeatuum in precio vilitas:ouem solido denario,bouem quatuor modò solidis coemerunt. Oppidum Luneburgense ex eo die ducibus suis quàm pulcherrimè est obsecutum.

CAP.39.

Super episcopatu vehemens contentio.

PADERBVRNENSIS ecclesia post Simonem postulauit Rupertū,primogenitum Wilhelmi ducis de Monte,cui iam antè prouisum erat de ecclesia Patauiensi ad Danubium.Durum inde bellum excitatum.nam erat,quem duces Austrię efferebant ad illam:pro Ruperto stabant duces Bauariæ, cognati eius. Quindecim menses transierunt,priusquàm veniret Paderburnam: sæpe vocatus à suo capitulo.Per eius absentiam excitati raptores, incendiarii,homines inquieti, ad solitum quæstum redibant,hi potissimùm cum quibus res erat Simoni prædecessori: quorum primipilarius,Fridericus de Patberck iunior.Creuit eorū superbia,vt ponentes os in cœlum,blasphemarent:nam S.Liborium ecclesiæ patronum,euiratum ferebant,vt resistere non auderet.Gerardus de Spegel,aliàs præfectus ecclesiæ,ad tutelam nimis improuidus,nuper captus est:ordinati sunt alii qui rem curarent militarem,ne quid detrimenti acciperet ecclesia. Congressi hostibus capitanei noui, & ipsi capiuntur.Ecclesia in angusto posita,inuenit consilium vt salutem ex inimicis acciperent:ipsum Fridericum caput hostium accepere defensorem,obligata illi arce Dringenberg pro redemptione captiuorum. Inter hæc dominus Vrbanus Papa,ad instantiam ducis Austriæ, de ecclesia Patauiensi transtulit Rupertum ad Paderburnensem,& venit Paderburnam,solenniter introductus.Erat iuuenis imberbis,super canitiem senum prudens & ingeniosus,magnanimus, iustus, Deum timens,& in pauperes liberalis. Tantæ virtutis, vt breui diffusus virtutum eius rumor,timorem ingesserit latronibus raptoribusq;. Respexere in illū principes & comites,& barones non solùm Westphaliæ,sed omnis Saxoniæ. Prima eius opera,vt exoluta pecunia arcem Dringenberge de manibus Friderici memorati reciperet. Fridericus iam accepta pecunia cùm cerneret se administratione destitutum, nec esse liberum exercere veterem quęstum,cum multis complicibus,qui sibi nomen indidere *Bengheler*,quòd fustes argenteos ad pectus præferebant,insidiati sunt Ruperto:ad extremum etiam hostilia nunciabāt:arcem Forstenberg sine custode vacuam appræhenderunt,in ea præsidium habituri: sed Rupertus nihil moratus,arcem obsidione concludit.Durante obsidione,qui cum multis foris agebat incendia,latrocinia,rapinas,sine discrimine sacrorum & prophanorum agebat: redibat præda onustus ab ecclesia in Vernden,tendens in præsidium suum Patberg. Sciēs Rupertus,suos in obsidione relinquens, tacito itinere cum expeditis ad oppidum

S.Liborius euiratus esse dicitur,quòd hosti non resistat.

Ruperti Paderburnensis episc.descriptio

Buren occurrit. Collata manu conflixit, & illam latrocinantium manum numero ſeptuaginta octo cum capitaneo cepit. Tanta erat elatio mentis, vt iactitarẽt duodecim ex ſuo numero, præualere octodecim ex Paderburnenſibus. Inde ſumpſere prouerbium, *Octodecim Paderburnenſes efficiunt ſolidum.* is eſt nummus duodecim denariorum. Mirati ſunt dum caperentur, quòd pari numero vincerentur. Potuit maiorem produxiſſe manũ ex caſtris: ſed nunciabatur epiſcopo, non tantã eſſe, quantam inuenerat manum: & tamen vicit, cùm agmini ſuo ineſſent Burgenſes, quos illi minoris ſemper faciunt. Prodigii locò habitum eſt quod acciderat: nam capreolus incurrens agmini victorum, fractis ceruicibus expirauit. Mutationem inde fortunæ augurabant. Obſeſſi cùm audirent ſuorum fortunam, arcem protinus reddiderunt. Diem victoriæ, feſtum per ſingulos annos Rupertus inſtituit.

Prouerbiũ in Paderburn. cõtumeliam vſurpatum.

Prodigium de capreolo fractis ceruicibus expirante.

Cap. 40.

Ex illo die tranquillitas rediit eccleſiæ: nam fautores & adiutores Friderici aperti & occulti, animos poſuerunt. Herboldus de Brobeke, ad cuius arcẽ pugnans Simon prædeceſſor occubuit, miſſa legatione, veniam, gratiam, reconciliationem poſtulauit: magno ære exoluto, impetrauit. Cõradus Spegel miles, & ipſe gratiam quæritabat: ad ſpeciem aſſecutus, ſed non penitus. Inde cum principibus, nobilibus, & pręlatis per Weſtphaliam, Saxoniam & Haſſiam crebros conuentus egit, vt pacem terrarum procuraret. Conſenſere, ac iurauere omnes ad annos duodecim: tum qui ſupereſſent, de continuanda cogitarent: nam potuit intereà multorũ conditio permutari. Interim Fridericus de Patberg ſuam ac ſuorum redemptionẽ molitus, de ſumma conuenit: impetrataq; ſub fide venia ad eam conquirendam, acceruauit & remiſit: ſed ipſe redire, & de more iuramentum præſtare recuſauit, hoſtilia etiam nuncians epiſcopo: violauit proinde pacem publicam, iuratam & approbatam. Qua ex re omnium iuſto odio laborauit. Vnde factum eſt, vt vicini omnes iunctis armis, arcem cũi fidebat, circumſederent oppugnãtes. Oppidum facilè cepere, fugatis propugnatoribus. Cumq; arce diutius retinenda ſpes obſeſſis defuiſſet, D. Rupertus peſte attactus in caſtris, finem viuendi fecit: & capite poſito, iam opus erat membra ſpargi. Igitur ſoluitur obſidio, & ad tumulum cum magno ciuiũ planctu deducitur optatiſſimus omnium pontifex. Non eſt viſus aliàs ſimilis vniuerſorum luctus in morte vnius hominis. Omnes ordines, ætates, ſtatus ſine diſcrimine, viri ac fœminę planxerunt, quaſi ſuper vnigenito: exteri cum incolis. non erat qui non ſibi lamentum deſumeret, pro optimo ac deſideratiſſimo pontifice.

Cap. 41.

Sverinensis eccleſia, iam à ſuis cęſo D. Ioãne Iungen electo, accepit ſucceſſorem D. Rodulphum ex ducibus Magnopolenſibus, præfuitq; eccleſię ſuę per annos viginti ſeptem. Quo tempore ignauiſſimus rex Romanorum ac Bohemiæ Wenceſlaus, cùm nihil in omni regno vigilantiæ oſtenderet, ſoli ventri ac voluptati inſeruiens, pertæſi omnes illius gubernationis, imò pernicioſæ diſſimulationis, & dormitantis ſocordiæ, proceres regni fratris Sigiſmundi regis Vngariæ, ſi nõ iuſſu, tamen aſſenſu ceperunt, & in arce Pragenſi aſſeruandum curauerunt, ne, ſi nihil in regnis boni vellet, nihil etiam mali poſſet efficere. Succreuit per ignauiam eius, indigniſſima lues hæreticæ prauitatis, ex ipſa Praga ortum ducens, dum illi omnia in æquo eſſent, habenti in quo ſuam voluptatem expleret. Ioãnes alius, germanus eius, dux de Gorlitze, indignatus quòd ſe contempto tam audax facinus proceres in dominum ſuum eſſent aggreſſi, magno exercitu coacto ita detonuit in authores eius conſilii, vt protinus niſi excindi vellent, captum dimitterent. Bene actum cum vniuerſo Chriſtianiſmo, deinde Romanorum regno, ſi ignauum hoc pecus in vulua matris interiiſſet, lucemque nunquam adſpexiſſet: pro qua pater patrimonium Imperii, vt ſucceſſorem ſuum faceret, impendit, qui Chriſtianiſmo virus maximum enaſci, Romano regno irrecuperabilem iacturam procuraret.

Wenceslai Romanorum regis ignauia.

Sed nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.

Meruit eccleſia flagellum de viſceribus ſuis, quando non vnum caput in terris honorabat. Non ſatis illius calamitati, Turci, Tartari, Sarraceni fuere ad ſupplicium: nati ſunt de medio Germaniæ ſinu Bohemi, qui illam afflictarent. Sed hæc plenius in Wandalia noſtra.

CAP. 42. VERDENSIS ecclesia post Ioannem meruit pontificem ducali origine, Ottonem, filium Magni, germanum Friderici, Henrici, Bernardi, ducum Brunswicẽsium & Luneburgensium: qui ecclesiæ huic non diu præfuit, translatus ad Bremensem. Tum valuit translatio, nunc meliori consilio fit ecclesiarum cumulatio. Ætate nostra non dimisisset Verdensem: ea retenta in commendam, transisset ad aliam, titulo episcopali regendam. Inde multo tum innocentior erat illa ætas. Memorabile quod in ecclesia peregit, hoc erat, quia ecclesiam maiorem consecrabat, quæ stabat dudum sine consecratione per annos multos. Consecrauit autem die lunæ in Paschalibus ad annum nonagesimum, sed transtulit dedicationis diem in tertiam Dominicam post festa Pentecostes. Transiens ad Bremensem, omnia quæ prædecessor suus in arce Rodenburg reliquit, secum in diœcesim Bremensem transportauit, & ecclesiam Verdensem nudatam in paupertate reliquit: sed moribus eius facilè potuit ecclesia carere. Ottone autem, vt præmittitur, ad Bremẽsem ecclesiam translato, & arce Rodenburg nihilominus in sua potestate retenta, D. Bonifacius in sua obedientia Papa IX. prouidit de ecclesia cuidam domino & magistro Theodorico de Nym: qui descendens in prouinciam, & curiam episcopalem in Luneburg in possessionem accipiens, grauissimè cõtra dominum Ottonem, propter detentionem arcis Rodenburg, processit Apostolica authoritate: & in hoc negocio, vt visum est doctioribus, plurimùm desæuiens, suos contra se subditos ad inuidiam prouocauit, qui apud sedem Apostolicam per submissas personas pro translatione eiusdem magistri Theodorici ad ecclesiam Cameracensem laborarunt, bona sua commutatione. Ex quo facto magister Conradus de Vechta, pòst factus archiepiscopus Pragensis, in locum eius, per præfatum dominum Bonifacium Papam, ecclesiæ Verdensi præfectus, per capitulum & clerum pro iure suo admissus, arcem tamen Rodenburg, aut aliquorum ecclesiæ bonorum nunquam est adeptus. Pendente causa inter præfatos dominos Theodoricum & Conradũ, D. Conradus Soltow, magister in Theologia, locum D. Conradi de Vechta per prouisionem dicti Romani pontificis subintrauit: possessionem arcis Rodenburg cum difficultate, quia duos contra se habuit competitores, accepit. Quo tempore anni nonagesimi

Otto Verdensem nudat ecclesiã, ad Bremensem se conferens.

1395. quinti, post MCCC. cœperunt indulgentiæ Bremis impetratæ, durantes per annos continuos octo. Qui autem fuerit apparatus ostendendarũ de suggestu reliquiarũ, foris ad occiduas partes tabulato in forum spectante, quod hodie visitur, quanta solennitas in conuentu, quantus mortalium concursus, incredibile est memoratu. Extat tamen eius rei, vt ferunt, non leuis memoria in codice rationali structurarii. Hic est annus nouissimus Alberti archiepiscopi, qui fuit sedis suæ tricesimus terti⁹: nam inde transiuit ad vitam, vt confidimus, & longiorem & meliorem, cùm preter profusionem conuiuiorum nihil ferè moribus eius & gubernationi poterat à quouis opponi. Tanta tamen fuit illa, siue profusio, siue prodigalitas, siue dapsilitas dici debeat (omnibus enim his vocabulis abutebantur, prout quisq; defuncti famã vel obscurare, vel tegere, vel illustrare cupiebat) quòd in tantam egestatem perduxerit ecclesiam, vt in Romana curia, procuratione archiepiscopi iuris beneficium de rebus cedendo, cùm æs alienum omne persoluere non posset, cogeretur implorare. Principi certè calamitosum profugium. Inde verò nata est occasio impetrandarum à pontifice, quarum erat largus, pro ecclesia indulgentiarum.

Indulgentiæ Bremenses.

CAP. 43. OTTO Magni ducis, qui frater erat Alberti, prædecessoris filius, frater Friderici, Henrici, Bernardi, ducum Brunsuicensium, pontificatui Bremensis ecclesię succedit, translatus de ecclesia Verdensi, quam annis pene octo gubernauit. Ex capitulo nonnulli contulere vota sua in Ioannem Monnick, maioris ecclesiæ præpositũ: sed præuenere nuncii Ottonis postulati, & opitulantibus nõnullis apud summum pontificem ex maioribus, confirmationem pro Ottone obtinuerunt. Eximia laus huius põtificis, quòd cùm primùm attigisset administrationem huius ecclesiæ, magno & incredibili zelo purgauit prouinciam malis hominibus, qui per incuriam prædecessoris, & per bellorum licentiam supra modum excreuerunt. Accessit laudi eius, quòd singulari diligẽtia pontificale in ecclesia officium ipse peregit, & peragere curauerit in suo quemq; gradu. Arces cum præfecturis à patruo impignoratas,

Episcopus malis hominibus purgat prouinciam.

tas,magno ære redemit. Quippe Albertus,vt diximus,pluſquã ſatis erat ſumptuoſus,pauca reliquit in diœceſi prędia non ære obligata alieno:ſed iſte inſtitit cuncta redimere. Arcem Ottersberge nonnulli tenuere miniſteriales,qui bonis cõditionibus reddere detrectarunt:magno impendio archiepiſcopus vocatis armis illam obſedit:nihil profecit,circunfluente riuo profundiſſimo Wummen,qui creſcebat quotidie,fecitq; munitionem inexpugnabilem. Soluta obſidione,ciues Bremẽſes interpoſita compoſitione,effecerunt vt res ex ſententia pontificis ageretur. Inde verò arcem aliam Languedel cùm alii miniſteriales tenuiſſent, dolo an neceſſitate incertum,in alienas manus contulerunt: & inde in poteſtatem Henrici de Brunſwick,qui germanus erat archiepiſcopi,deuoluitur. Erat autem,vt fit,ſimultas inter fratres. Indignatus ſupra modum archiepiſcopus in fratrem, queſtus eſt amicis longinquis & vicinis,fratris in ſe perfidiam. Quid multa? non niſi ſolutis trium aureorum millibus,recipere potuit: ſed prælati ac miniſteriales annuerunt per diœceſim archiepiſcopo collectam ex agris,vt per aratra fieret contributio: ita ruſtica plebs omne onus ſupportat pro nobilitate.

MONASTERIENSIS eccleſia, poſt Potonem Bohemum inde tranſlatum pontificem,accepit Heidenricum Wulff:qui primùm paſtor erat in Hertfelde, poſteà factus ſcholaſticus eccleſiæ Monaſterienſis:inde etiã præpoſitus, pro eo quòd res eccleſiæ ſtrenuè ac legaliter adminiſtrauit. Electus in epiſcopũ,difficulter obtinuit confirmationem Apoſtolicam,propter factiones friuolas delatorum: conſequutus eſt tamen. Et cõſecratus epiſcopus,diœceſim ſuam prudenter rexit: & multas difficultates perpeſſus,forti & conſtanti animo perſtitit, & ferè in omnibus victor euaſit:ſed morbus,quem tympaniten dicunt (genus eſt hydropis) victor eius fuit. Erat tum in ſummo pontificatu nonus Bonifacius, vir integer, fortis,iuuenis, Neapolitanus,inter illos cardinales creatus,quos Vrbanus Lucerię multos creauit in regno:inter quos erant, Moguntinus, Treuirenſis, Colonienſis, archiepiſcopi: ſed illi galerum non acceperunt,remittentes cum honore:in quibus multi Neapolitani, quorum erat præcipuus iſte. Coronatus autem & conſecratus,ſtatim confirmauit ea quæ erant decreta ab Vrbano: de Iubileo in trigeſimo tertio, de feſto Viſitationis Mariæ, de indulgentiis ad reuerentiam corporis Chriſti. Dominum Adam cardinalem recipit Anglicum:& reuertentem de Auinione,cardinalem de Rauenna reſtituit. Arcem S. Angeli magna parte deſolatam purgari, renouari, firmari iuſſit. Comitem Fundorum,qui initio ſchiſma ſtabiliuit, penitus exterminauit. Ipſe Romanis,non vt Papa,ſed vt rigidus Imperator, dominabatur: multos ſibi ex illis de perfidia ſuſpectos,per iuſtitiarios fecit occidi. Capitolium & palatium ſuum vehementiùs communiuit:nec fuit ante eum pontifex, qui talem in Romanos poteſtatem exerceret. Inde mortuo in Francia Roberto Antipapa, moritur & rex Franciæ. Filius eius nouo pontifici obedientiam præſtare diſtulit, monuitque,vt vnionem eccleſiæ procuraret. Sed in amentiam verſus idem rex, perſiſtere non potuit: per lucida tamen interualla non ceſſauit admonere, effecitque perſiſtens,vt multi fierent neutrales: permanauitque ea neutralitas in partes Flandriæ & Brabantiæ,vnde ciuitas Leodienſis inuſitatis gratiis à Papa Bonifacio collectis, mota eſt, vt & ipſa à Bonifacio recederet, & neutralitatem amplecteretur. Sed hæc interim.

CAP. 44.

Ante Bonifacium, pontificem Romani rigidiorem nõ habuerunt.

RACEBVRGENSIS interim eccleſia pontificem accepit Detleuum, genere miniſterialium, de Magnopoli ortum,qui liberalitate, ne dicam ſumptuoſitate, ſua eccleſiã intolerabili ære grauauit alieno. Amicis & cognationi ſuæ plurimùm deditus,illos locupletare contendit: ſed eccleſiam reliquit pauperrimam. Multa etiam bona ab eccleſia alienauit ſine ſpe recuperandi. Multa tamen viciſſim in decimis,villis,curtibus,cæteriſque prædiis coemit. Fuit tamen homo per omnia Deo deuotus,vt ſi profuſione ſua & largitate eccleſiam damnificauit,magis ex ſimplicitate & inaduertentia,quàm vana iactantia feciſſe credatur: quanquam idipſum in irrecuperabile damnum eccleſiæ redundet. Tranſiuit tempora ſua, & in pace quieuit D. Detleuus,cognomento Parkentyn: inter optimos pontifices numerandus,ſi nõ illi ſua profuſio obſtitiſſet. Interim Bonifacius curiam ſuam inauditis

CAP. 45.

gratiis magnificare contendit: cognationi ſuæ & ille plurimum permiſit. Indulgentiæ feruntur miris modis diuenditæ, vſqueadeò, vt bonos viros tæderet eius largitatis: & ſunt perinde multi permoti ad retrahendum illi obedientiam, vt ſe in neutralitatem collocarent. Epiſcopatus plurimi per Alemaniam, iſtius pontificis temporibus vacauerunt, multisq; eccleſiis non meritæ perſonæ præficiebantur. Miratum viſa eſt in diſpenſationibus largitas, religioſis mendicantibus ad eccleſias, ad beneficia, vt eſſent monachi proprietarii: vt qui ex mendicantibus, ordine ſuo dimiſſo, centum aureos perſolueret, ad ordinem quemlibet introiret. Mirum vnde Papa voluit illum aliquid ſoluere, qui nihil habuit, aut ſaltem nihil habere debuit. In expeditione pro epiſcopatibus tum infinita cœpit exigi pecunia, ad quadraginta, quinquaginta, ſexaginta, octoginta millia aureorum. Anticipator fuit iſte noſtrorum temporum: necdum enim erant annatæ.

Eccleſiæ vel nulli vel indigni præficiuntur.

Cap. 46. Hildesemensi eccleſiæ poſt Gerardum præficitur nobilis, vir venerandus, Ioannes, natus comitibus de Hoia, præfuitq; eccleſiæ ſuę per annos viginti ſex varia fortuna. Confregit præſidium ſub arce Winſenburg. Prælio magno victus eſt apud Gronden. Miniſteriales quoq; eius temporibus bis hoſtibus victi ſubiacuerunt. Præfuit iſte pridem annis quinq; eccleſiæ Paderburnenſi, & ab ea tranſlatus eſt ad hanc Hildeſemenſem. Literæ autem ſuper tranſlatione eiuſdem D. Ioannis in Romana curia expediebantur, & ipſe parabat profectionem, & tranſiit ad eccleſiam Hildeſemenſem. Quo tempore domus fratrum Carthuſienſium in Arenſ-

1398. boke, & in vicino Roſtock loco ſunt inchoatæ, ad annum Chriſti milleſimum treceteſimum nonageſimum octauum. Begardi, & ſecta Flagellantium renouatur in Italia, qui ſe nodoſis flagellis cruciarunt, tranſiitq; in Germaniam, ac per cæteras regiones graues & intolerabiles errores diſſeminarunt. Mirabilisq; populorũ motus per hæc tempora fuit in Italia. Nam omnis ferè multitudo in Ciſalpina Gallia vno motu, veſtes albas & lineas, ad pedes vſque protenſas, cum caputiis more religioſorum, quibus facies velabant, induit. Qua commotione & nobiliores viri ſimul & fœminæ, principes, epiſcopi, prælati, clericiq; ac religioſi cuiuſq; ordinis ducti, incredibili deuotionis ardore in ſimili habitu incedere tentauerunt. Horũ dealbatorum longa agmina ad vicinas vrbes commeabant, & proceſſionaliter bini ac bini pergentes, pacem & miſericordiam ſupplici clamore ſæpe ac ſæpius inuocabant: hymnos cantabant, quàm maximè repetentes orationem rhythmicam, *Stabat mater doloroſa.* Durauitq; is motus menſes ferè tres, incertum vnde initium ſumpſerit. Primi in Italia Lucenſes fuere, vtriuſq; ſexus induti albis ad tria millia. Compertum eſt, quendam ſacerdotem fuiſſe authorem, qui tantam modeſtiam in vultu & verbis præ ſe ferebat, vt ab omnib. ſanctus haberetur. Illum tamen Bonifacius pontifex apud Viterbium iuſſit compræhendi, & tanquam ſuperſtitioſum, ad ſe perductum, igni iuſſit exuri. Horum autem crucifixi imaginem, quam ante ſe ferri fecerant, Lucenſes hodie cum maxima veneratione conſeruant. Catharina quoq; de Senis, tunc floruit, quæ anno ætatis duodecimo, Pędicatorum ordinis tertii regulam ſubiit: & mirabiles victorias in abſtinentia & viſiones habuit, quam Chriſtus deſponſaſſe dicitur annulo quatuor margaritarum, & in ſummitate adamantẽ habente. Dominus illi cor dicitur extuliſſe, reddens illi ſuum. Manſit in latere cicatrix. Anno ætatis trigeſimo, peractis multis miraculis, Romam deuotionis gratia inuiſens, finem ibi fecit viuendi, & in monaſterio de Minerua, tumulatur. Quam Papa Pius anno ſexageſimo intra ſanctarum collegium iuſſit adnumerari. Feſtum eius quàm ſanctè percolunt fratres Prædicatores.

Ciſalpini Galli deuotione moti, veſtem mutant.

Auctor veſtiũ Monachalium iuſſu Bonifacii pontif. exuritur.

Cap. 47. Lubicensis autem eccleſia poſt Euerhardum, alium accepit pontificem, dominum Ioannem de Dulmen, eccleſiæ Lubicenſis ſcholaſticum, Decretorum doctorem, ſacri palatii Apoſtolici cauſarum auditorem. Datus eſt autem prouiſione pontificis, non electione capituli. Erat vir miræ probitatis, pacem vbiq; zelans, etiam cum ſuo detrimento. Venit ad eccleſiam, ſuſceptus perbenignè, vir dignus eo loco. Emit curtem cum pertinentiis in villa Gamel centum marcis, & tres alias curtes in eadem villa ſexaginta marcis impenſis: & perinde plenè liberauit villam à militaribus, qui multum antè dominabantur in ea. Et quoniam per indiligentiam,

gentiam, zelo pacis quo feruebat, multa dissimulanter transiuit, quæ præiudicium ecclesiæ ferebant, insecutor eius conuenit exequutores eius, & omnia ferè ab eo relicta sibi obtinuit consignari. Sedit annis viginti vno, regens ecclesiam, & quieuit in pace. Exorbitabat eo tempore supra modum Romana curia in exhauriendo prouincias auro, inauditas indulgentias & gratias incredibiles conferendo. Curiales autem Apostolici impetrantes, miserabiliter iactabantur. Litigabant coram auditore. Sententiæ duæ ferebantur pro vna parte. In tertia instantia mandatur auditori, vt imponat parti perpetuum silentium. Neq; per cancellariam opus erat literas expedire: compendiosior erat via per cameram, dato quod sonaret & fulgeret. Res tum noua, sed nostra ætate bene inolita, vt hoc seculum adinuenisse credatur, quo hoc nostrum modò vtitur. Sed hæc frustrà querimur.

Pōtifex indulgentiis conferendis, prouincias pecuniis emungit.

CAP. 48.

OSNABVRGENSIS ecclesia, post dominum Melchiorem translatum in ecclesiam Suerinensem, electione libera assumpsit in episcopum suum, pridem præpositum, D. Theodoricum de Horne, virum magnanimum, sed qui duras haberet partes ecclesiæ gubernãdæ, quòd D. Theodoricus de Marca, magno ære erat quietandus, quia de suo plurima impendit ad redemptionem capti D. Melchioris episcopi, & ad reliquas ecclesiæ necessitates. Mira res, cur in electione non sit habita ratio eiusdem D. Theodorici de Marca, qui tam bene meritus esset de ecclesia Osnaburgensi: quam etiam altera vice pene solus exemit miris difficultatibus, vnde emergere suis viribus nunquam potuisset. Sed coniicio de temporũ ratione, quod non legi, fuisse non paucos, neq; eos de minoribus, qui virtuti eius inuiderent, quíve timerent asperitatem eius, si pontificatum accepisset. Potuit & illa causa fuisse, quòd episcopatum illum tantis perplexitatibus inuolutum non ambiret, cùm sciret quid illi immineret. In summa, cùm pecuniam accepisset, aut pro non accepta teneret pignora, venit episcopus Theodoricus ad administrationem. Sed maior illi aduersarius fuit Otto de Tekeneburg comes, qui dotalitio teneret ecclesiæ prædia, quę à nobili de Lippia socero accepisset. Postulauit episcopus reddi ecclesię iura sua, comes detrectauit. Fit durissimũ bellum atq; atrox, adeò vt de sanguine certaretur, captosq; inuicem necabant suspendio. Sed ea res placito partium antiquatur. Capiuntur, emunguntur inuicem argento: & vsq; adeò fit atrox bellum, vt nullus exitus videretur. Fiunt inuicem inter partes tractatus. Inuentus est, qui auderet deposcere, episcopum solo ministerio ecclesiastico occupandum, ordinaret clericos, consecraret ecclesias, & reliqua quæ sunt ordinis exerceret: comes Otto esset patronus & defensor ecclesiæ, cum filio Nicolao. Sed inter patrem & filium tanta erat concordia, vt sæpè conaretur patrem capere filius. Id quod ætate nostra factũ recolimus in eadem domo. Theodoricus verò laborando, circumspiciendoq; effecit, vt de manib. comitum ea, quæ sunt iuris ecclesiastici, extorqueret. Orta simultate inter clerum & populum Osnaburgensem, super oneribus quæ diu portauere ciues, per bella & redemptiones prædiorũ, voluere à clero de patrimonialib. subsidium. Clerus allegauit priuilegium: res per arbitros est terminata. Theodoricus autem episcopus senio fractus, emigrauit.

Patri filius insidiatur.

CAP. 49.

MONASTERIENSIS ecclesia tum pontificem habebat Ottonem, ex comitibus de Hoia, qui pridem ecclesiæ præpositus talem se gerebat, vt episcopatu dignus ab omnibus iudicaretur. Hic vir erat armorum amator, bellis gerendis, quàm ecclesiis administrandis, aptior. In armis satis fuit fortunatus, hostes Monasteriensis ecclesiæ ferè ad exterminium profligando, & capiendo: ex quorum bonis, prædiis, arcibus & oppidis fines ditionis ecclesiasticæ mirificè ampliauit. Potentiã comitis de Tekeneburg, qui semper grauis erat ecclesiæ, ad vltimũ eneruauit, vt deinceps Monasteriensis episcopus facilè cum illo agat: coegitq;, vt eum in ciuitate Monasteriensi supplex adiret, conditiones pacis sibi dictandas accepturus: alioqui illi formidandum fuit, quod in aliis cernebat, totale exterminiũ. Talibus enim opus est pontificibus per vices, qui, postquam ecclesia gladium temporalem accepit, distringant: ni facerent, quæ est audacia militarium, non finerent vel vnum ecclesiis mansum pacificum. Nam gladius iste spiritalis, si solus sit, multis contẽptus est: si accesserit alter, erit vt duplici manu pugnãs, facilius superet: quomodo olim Beiamitę

Episcopus belli quàm Theologiæ peritior.

viri gemini, vtraq; manu pro dextra, vt ſcribitur, vtentes, Iudic. 20. Reliquit Otto iſte immortale nomen in eccleſia ſua pro ditionibus, quas addiderat eccleſiæ, pro authoritate quam reuocauerat in eccleſiam, cùm iam pene veniſſet apud multos eccleſia in contemptum.

CAP. 50. PADERBVRNENSI eccleſia morte Ruperti viduata, capitulum elegit nobilem virum, D. Ioannem de Hoia, fratrem epiſcopi Monaſterienſis. Tum Fridericus de Patberg, iam creatus auratus miles, congregato exercitu adiutorio comitis de Marca, diœceſim Paderburnenſem flammis & rapinis peruagatur: Oppidanos de Borgenrinck, ne vrerentur, pecunia emungens. Oppidum Lichtenow immiſſo igne concremauit: & niſi fortes viri fuiſſent in muris, oppido omni potiretur. Interim electus armatorum adunato agmine ex amicis: ſed quoniam mora interuenit, priuſquàm conuenirent, hoſtes elongarunt: inde verò collocatis opportunè inſidiis, Fridericum cum duobus fratribus cepit, vinxitq; in carcere. Alter Friderici fratrum, ære luit captiuitatem ſuam. Fridericus cum altero fratre elabitur: ſed cùm eſſet æger pedibus, retrahitur in captiuitatē: & ære magno perſoluto, cum fratribus, & omnibus adhærentibus, cogitur eccleſiæ facere iuramentum fidelitatis in futurum. Priuſquàm tamen iſte transferretur ad eccleſiam Hildeſemenſem, de conſenſu capituli & quorundam miniſterialium ſuorum, paciſcitur cum Hermanno de Euerſtein comite, poſt eius mortem comitatum permittere eccleſiæ Paderburnenſi. Contractum cōſummauit, & aſſignauit comiti ad vitam ſuam arcem Dringenberg cum oppidis & villis, ab ea parte ſyluę Oeſing ſitis. Et deinde capitulum de conſilio eiuſdem domini Ioannis, poſtularunt ad ſedem Paderburnenſem Wilhelmum, filium Wilhelmi ducis de Monte, fratrem quondam Ruperti epiſcopi commendatiſſimi, cuius dulcem ſeruauere memoriam, iuuenem infra octodecim annos agentem: & aſſignauerunt illi arcem nouam cum omnibus pertinētiis, ab vna parte ſyluæ memoratæ. Inter hæc, cùm literæ Apoſtolicę ſuper tranſlatione D. Ioannis ſupradictæ in cancellaria vrbis expedirentur, & nemo ſuper prouiſione cuiuſquam electi ad eccleſiam Paderburnenſem, apud ſedem Apoſtolicam inſtaret, D. Bertrandus de Aruaſſanis, canonicus eccleſiæ Rauennatenſis, natione Lombardus, de ciuitate Ferraria, doctor decretorum, auditor Apoſtolici palatii, epiſcopatum Paderburnenſem à pontifice impetrauit: & literis expeditis, Paderburnam veniens, quorundam fauore, qui per eum poteſtatem in temporalibus credebant ſibi vendicare, à capitulo multis mirantibus eſt receptus, die XXVIII. menſis Octobris, anni nonageſimi noni. Sed quæ inde prouenerint, infrà.

De Ruperto vide cap. huius lib. 39. & 40

CAP. 51. MINDENSIS autem eccleſia pontificem habuit hoc tempore tertium Ottonem, natum militari genere, cognomento de Minda, veteri proſapia, pridem præpoſitum montis S. Mauricii extra muros Hildeſem, ordine & numero pontificum quadrageſimum quintum. Tempora tum turbulenta, & Romanæ pariter & vniuerſali eccleſiæ pernicioſa, tum inſtiterunt, de ſchiſmate peſſimo, quod domini Galli excitarunt, dum in vrbe Roma, mortuo Gregorio vndecimo, pontificem ſuę nationis non ſunt aſſecuti. Vrbanus autem ſextus extra numerum cardinalium aſſumptus, pontificatum gerebat, apud quem aſſecutus eſt iſte Mindenſis eccleſiam ſuam: nam illius curiam in Neapoli aſſectabatur. Quo etiam tempore Gerardus Hildeſemenſis epiſcopus, Carthuſiam apud ſuam ciuitatem erexit, vt eſſet exemplum ante oculos clero ſuo de carne tundenda, & infirmanda, ac ſubiuganda, vt pareat ſpiritui. Cumque Romana eccleſia de ſummo pontifice laboraret, iſte pontifex tranquilla tempora habuit: rei ad ſe non pertinenti ſe non immiſcuit, ſed quantum potuit, ſe faciebat alienum. Sedit in eccleſia ſua annis XIIII. tumulatus in medio choro maioris eccleſiæ ſuæ, veteri monumento primorum pontificum. Hic ſit huius voluminis modus, ne decurrens in immenſum, faſtidio paratus ſit & contemptui.

Schiſma per Gallos, Epiſcopum quē vellent, non adeptos, excitatū.

ALBER-

ALBERTI KRANTZII
METROPOLIS, LIB. XI.

CAP. I. 1400.

Deus & sancti, hominũ placitus honorantur.



D nouum,quod curſus monſtrat,ſeculum,iure bono,nouo ordimur libro,tempora pontificum ſequentia recenſentes. Ad annũ quadringenteſimum poſt mille , ſedente Ottone archiepiſcopo Bremenſi,inchoata eſt inſtrui in ſummo altari tabula argẽtea inſignis,ad honorem Dei & patronorum, ex oblationibus fidelium,quæ prouenerant ex indulgentiis tum datis eccleſiæ,vt diximus,Bremenſi. Animaduerſum eſt à nonnullis prudentibus,bellorum tempore theſaurum illum comparari,vt mutuum inde ſumatur ad eccleſiæ neceſſitatem.Inde conuenit inter Capitulum & ſenatum, vt nulla eccleſiæ neceſſitate quicquam ex ea tabula contingeretur:idq; literis firmatum eſt. Sed quid facies poſteris?Bremenſes inde Phriſonum querimonias audiere,qui nouiſſimo bello in ius & ditionem ciuitatis conceſſerant.Querebantur autem de his,qui Iadam fluuium accolunt,Buttiadas vocant:& cùm æquis conditionibus accuſati non parerent,vrbis gubernatores vocabant in partem Aldenburgenſes comites & miniſteriales diœceſis,& hoſtilia nunciauere pertinacibus , quòd terram tribus agminib. ingreſſi,tripartitam prædam agerent.Coegerunt incredibiliter multa pecora. Homines verò terræ incolæ,qui primùm ingredientibus ſe obiectauere, facilè ceſſerunt,cæſi,capti,fugati. Pontem inſtruunt,connexis in ordinem nauigiis : appoſitoq; præſidio cuſtodientium,& diuiti prḙda locupletati,reuertuntur.Sequenti anno Bremenſes,necdum bello pacato,aſſumptis de Delmenhorſt & Depholt comitibus,iterum terram ingrediuntur eandẽ:vicinis Friſiis iam vltione ſaturatis, quòd ſanguinis effuſionem horrerent.Ingreſſi autem,non minorem,ac priùs,prædã abegere. Otto autem archiepiſcopus, vt Hadalerios in fide cõtineret, nouam molitur arcem,quam etiam congruo vocabulo Nouam domum appellauit. Tempus hoc illud erat,quo Gerard⁹ dux Sleſwicenſis in Thietmarſia cæſus, cum copiis ſuis, qđ in Saxonia diximus,reliquit tres filios impuberes, quibus tutãdis Henricus, frater Gerardi,comes Holſatię,electus Oſnaburgenſis,properauit in Holſatiam ex Oſnaburga. Cumq; Bremam pertranſiret, aditus à Bremenſibus,audiuit eorum querelam,quòd vectigalibus præter conſuetudinem in terra Holſatiæ,in Todeſlo grauarentur : rogãtes,vt quoniam ille rerum adminiſtrationi ſuccederet,daret operã,vt antiquis libertatibus fruerentur. Nam per omnem illius prouinciam, vt ferebant, ſemper illi liberi habebantur & immunes.Poterat quidem fieri,vt quoniam miniſteriales nonnulli Holſatiæ,cùm ciues eorum ob neſcio quas cauſas inſectarentur, nemo ſe Bremenſem audebat profiteri : & proinde vectigalia cum cæteris dependiſſent,ea res in conſuetudinem verſa,nunc illos priſtina immunitate deſtituiſſet. Promiſit ille operas ſuas,& effecit vt in veterem libertatem denuo reſtituerentur. Multa hic pontifex Otto,vt ad illum reuertamur,veteris relaxationis errata emendauit,nihil omittens eorum quæ ad optimi pontificis diſpoſitionem pertinere viderentur. Ad finem verò & nouiſſima eius tempora ſuggerebat ſenatui Bremenſi præpoſitus Hadeleriæ,is qui in pontificatum ſucceſſerat,vt quoniam dimidiũ prḙfecturæ in Bederekoſſa iam teneret,reliquam dimidiam,data põtifici pecunia, redimerent ab illo,futuram ciuitati magno commodo , quãdo permixtum dominiũ nouam ſemper perturbationis materiam induceret cum pontifice. Moti proconſules verbis eius,rem aperiunt archiepiſcopo,hortantes,vt accepta æquabili pecunia,totum illis permitteret dominium arcis memoratæ, cuius iam tenerent dimidiam.Quam rem adeò tulit indignè & iniquo animo,vt morbum,quo clam ille laborabat,vehementer augeret indignatio : ex qua viam eſt ingreſſus vniuerſæ carnis,morte abſumptus,circa annum Chriſti MCCCCVII. cum iam duodecimũ pontificatus annum contigiſſet:ſepultus in eccleſia media,ad dextram Alberti patrui.

Bremenſes priſtinæ libertati de non ſoluendo vectigali reſtituuntur.

1407.

CAP. 2.

HALBERSTADENSI eccleſiæ poſt Erneſtũ, à ſummo pontifice ob neſcio quas cauſas depoſitum,& ſequenti anno mortuum,Rodulphus ex comitib. de An

halt præficitur. Præfuit autem annis solis septē, tumulatus in ecclesia sua. Quo tempore, cùm iam indoluissent principes Germaniæ, ferre infelicem pecudem nomine supra se regem, adunati, destituunt imperio. Cogitantes quem præficerent, inuicem cohortati ad cœtum & conuentum in Francofordia, magna illic frequētia conuenerat. Fridericus dux Brunswicensis pro se ac fratribus ad Imperii cœtum ascenderat. Erant qui magnificum principem, veterum Imperatorum à Saxonia sanguinem dignum Imperio faterentur, anniterenturq; vt assumeretur. Sed archiepiscopus Moguntinus, incertum ex quibus causis, ei aduersabatur. Poterat meminisse ex annalibus, quòd ante plus quàm centum annos, Albertus dux Brunswicensis prædecessorem eius archiepiscopum Moguntinum cepisset, cùm illius ditionē armatus exercitu hostiliter introisset, carceri mancipasset, & magno ære mulctasset: quod tamē non ipse, sed pro eo Richardus Cornubiæ ex Anglia comes, qui ambiret regnum Romanorum, pro illo soluisset. Solent enim principes eiusce causas in longam mittere memoriam. Sed tum Rupertus Palatinus comes, rex eligitur: Fridericus cum duce Saxoniæ Rudolpho & Sigismundo comite de Anhalt domū reuertuntur. Cumq; ad vicina Frislariæ in Hessia à militaribus incursantur, ignorauere qui essent, & ad quid venissent. Cùm omnia cernerent hostilia, parabant se tueri: in qua tumultuatione transuerberatur gladio Fridericus, princeps optatissimus, manu militis de Hattinghusen. Capitur Rudolphus dux. Sigismundus pernicitate equi elabitur. Ferunt archiepiscopum Moguntinum authorem fuisse ad captiuitatem eorum, fortè ob causam memoratam. Intererat comes de Waldegge. Corpus cum omnium maximo planctu Brunswicum aduehitur, & ibi tumulatur. Fratres eius Henricus & Bernardus, vindictam intulerunt: sed nihil ad rediuiuum.

Principum & Archiepiscopi de Imperatore eligendo dissensio.

CAP. 3.

VERDENSI autem ecclesiæ præficitur magister in theologia, dominus Conradus, cognomēto Soltow, plebeio genere, oppido Lunenburg: cui fortunato accidit, vt ambo eius competitores meliores prouisiones acciperent. Nam magister Conradus de Vechta, factus est Pragensis archiepiscopus, cùm adhuc in Romanæ ecclesiæ obedientia permanerent. Cæterùm temporibus illius inoleuit pessima illa Hussitarum secta, de qua plura in Wandalia nostra. Dominus Theodoricus de Nym, alter competitor eius, peruenit ad ecclesiam Cameracensem, ad cōfinia Brabantiæ & Flandriæ, & vacuefacta est sedes Verdensis, domino Conrado, qui ita vixit apud ecclesiam suam, vt homo ventri & gulæ deditus accusetur: idq; ferunt esse Theologorum, quieti insistentium, & proinde non alium, quàm ventrem, deum colentium. Eam infamiam illatam professioni, meritò ingemiscunt boni Theologi, quibus aliud studium esse solet & debet, quàm vt ventri seruiant. Quid tamen facient fabulis hominum? Iste Conradus cùm ecclesiæ necessitatibus non satis circumspiceret, nec conquirendis aut cumulandis rebus inuigilaret (vtinam reformandis moribus institisset) dum vni sibi viueret, & ventrem pasceret in crapula & ebrietate, ecclesiam magnis oneribus grauauit, & in maximo ære alieno reliquit. Arcem etiam Rodenborg, quam manibus alienis extorsit, in alienis etiam manib. impignoraram reliquit. Credo tamen, quòd ille magnum aliquid pro redemptione eius non impenderit, cùm acceperit de manibus optimi pontificis, domini Ottonis archiepiscopi Bremēsis: qui ea fuit integritate, vt ecclesiam Verdensem, quā primùm gubernabat, non grauaret. Functus quidem vita, mortem obiit Conradus in arce ecclesiæ, sed apud eam tumulari non curauit: transportatus est autem Luneburg, & ad sanctum Michaelem, ad fratres est tumulatus, ad annum Christi septimum, post MCCCC.

Ecclesia quò locupletior, eò plures inuenit ministros, & in his qui potentior & prior, is potior.

Episcopus luxuriosus.

1407.

CAP. 4.

RACEBVRGENSIS ecclesia post Detleuum, meruit pontificem, insignem & memorabilem virum, dominum Iohannem, hominem plebeio genere natum, sed ætate, moribus, & virtute probatum, vt verè pater esset filiorum, quos accepit in ecclesia commendatos. Fecit pro ecclesia sua quæ potuit. Multa prædia & preciosa clenodia, & ecclesiæ volumina, à prædecessore suo, quòd pauca sumptibus illius non sufficerent, in pignus data, & quasi ab ecclesia alienata, redemit. Quamuis spolia, deprædationes, incendia atque iniurias passus sit, in non modicum ecclesiæ

damnum

damnum & grauamen: ea multiplicantur à magiſtris ſcelerum, cùm adeſſe neminem vident eccleſiæ, qui tueatur, qui abigat. Sic vindicant præteritionem miniſterialis generis virorum, quos aſſumendos volunt, moribus, vita & ingenio degeneres, vt habeant ex familiis qui tueantur, non dicam qui deuorent eccleſiam, quod crebriùs cernimus. Hoc tempore corpus ſancti martyris Viti, pluſquàm ſeptem menſibus ſtetit in arce *Lappenſpringe*: quo in loco honoratæ ſunt ſacræ reliquiæ à multis vndecunque venientibus. Cauſa tranſlationis de Corbeia, fuit, quoniam inter Abbatem & conuentum orta eſt diſcordia: corpus ſacrum à Corbeienſibus abſtractum, eo more quo ſolent ſacræ reliquiæ ab eccleſia deduci in diſcordia patronorum, donec inter ſe conueniant. Simul & hoc vereri poterant, ne per diſcordiam, inſigni furto tantus theſaurus abduceretur. Bohemi conſtantiſſimè loquuntur, ſancti Viti reliquias eſſe in arce regia Pragenſi, ibique religioſiſſimè coluntur. Non eſt pernicioſa credulitas in talibus: honor defertur non oſſibus, ſed habitatori ſpiritui, qui regnat cum Chriſto: vbicunq; fuerint oſſa, in fine ſeculorum colligentur.

Cadauer S. Viti Corbeia translatum, Lappenſpringæ ſeruatur aliquandiu.

Cap. 5.

Bremensi eccleſiæ poſt Ottonem præficitur inſignis vir, dominus Ioannes *Slampſtorpff*, genere miniſterialium ortus, diu in eccleſia & diœceſi verſatus, omnibus notus, noſcens & ipſe vniuerſos, qui in rebus agerent. Archidiaconus erat, nunc vocant prępoſitum, Hadeleriæ, atq; Wurſatię xxx. annis. tantam ſibi ſapientiæ & bonitatis famam contraxit, vt omnium conſenſu archiepiſcopatui ſuccederet electus. Hoc miniſteriales, hoc vrbes à capitulo petiere, hoc viri fama latè diffuſa, quam præſertim magnam meruit in compoſitione pacis inter diſſidentes, quocunque aduocabatur. Non magna literatura, ſed ingens rerum experientia, & facundia non vulgaris, & in primis promptitudo ingenij verſatilis. Rarò interuenit diſſidentibus, quos non pacaret. Vnum in moribus videbatur cæteras eius obſcurare virtutes, tenax erat ſupra modum, & parcus rerum diſpenſator: vnde illi cognomen indidere, vt, quoniam omnes quos blandè appellabat, cognatos vocitabat, *maach* vernacula lingua, quod ſonat cognatum, appellarent. Qui ad infimorum quorunque menſas vocatus, adire non dedignabatur: neminem contemnens, omnes in commune cognatos appellabat. Initium illi diſſenſionis cum ciuitate, ſuper eo, quòd prædeceſſoris tempore ipſe ſuggeſſiſſe videbatur Senatui, de redēptione dimidię præfecturæ in Bederecoſſa. Eam cùm memoratus Senatus inſinuaſſet futuram intra annum, prædeceſſor deceſſit, & iam annus circumuolutur. Illi depoſcunt à capitulo verba rebus firmari. Hic tum præpoſitus Hadeleriæ, cùm eſſet & ſenior in capitulo, de cæterorum aſſenſu reſpondit placidis verbis: Breuem eſſe moram ad futuram electionem: eam expectarent, ne quid vacante ſede, nouaſſe viderentur. Quieuere donec ille omnium conſenſu, quo diximus, eligeretur futurus pontifex. Electione facta, renouant priſtinā poſtulationem. Tum electus reſpondit ſuauiter & placidè, Illos hunc diem expectātes, feciſſe legaliter, ſupereſſe ius confirmationis à ſummo pontifice: qua pendente, non libenter rem in eccleſia nouaret. Iterum illi cedunt poſtulationi, differentes, ſed iam confirmatus, denuo ſuper ea re interpellatur. Non tum, vt prius, placidè reſpondit, ſed omiſſis verborum delinimentis: Perplaceret, inquit, expectare diem nō longinquum, præſtitæ ab omnibus de more fidelitatis. Illi indignantur, toties dilati, fruſtratiq;. Tum ille: Nolite (inquit) mirari, ſi differimus rem non minimi præiudicij, in quà ſupereſt nobis quod interponamus. Hæc prima diſſenſionum ſemina. Quoties autem deinceps ſuper ea re verba fierent à Bremenſibus, reiecit ille accuſationum capita in quendam Didum Lubben, hominem Friſium, Bremenſibus cohærentem, vt diſtenderet eorū poſtulata. Nam & ipſi Bremenſes multū indignati in eundem Friſiæ capitaneū, deliberauerūt imponere fortalitiū terræ ſibi parenti, in qua ille adminiſtrabat, vt frenum inſoleſcens haberet, quo reuocaretur, idq; de conſilio & voluntate archiepiſcopi: quoniam deſuper adeuntes, & interpellantes, audiunt illi rem non diſplicere. Orant, ad vim hominum reprimendam, quos ſciebant reluctaturos, aliquot miniſterialium lanceas ſibi attribui. Promittit. Illi cuncta ad rem ex ordine præparant. Miniſteriales promiſſos ad diem non venire,

Bremenſium propoſitu per Epiſcop. magis ac magis impeditur.

mirantur. Audiunt ab archiepiſcopo edictum, ne quis ſinat noua fortalitia in terra eccleſiæ firmari. Hac, vt ferunt, altera accedente cauſa, non ſincerum in ſe domini ſui affectum depræhendunt. Aliunde militares vocant, rem perficiunt ex ſententia, inſtituto fortalitio, Burgum pacis appellant. Sed & inſimularunt archiepiſcopum, dominum ſuum, quòd occultè cum comitibus de Aldenburg ageret, vt ciuitati bellum intentent.

CAP. 6. CHRISTIANVS vnus ex comitibus memoratis, miſſis in vrbem Bremam literis, hoſtilia illis & capitis periculum denunciauit, quòd in ſuum præiudicium nouam arcem erexiſſent. Eadem nocte dimittit ſuos ad prædã in Bremenſium ditionem. Res Bremenſibus non innotuit, niſi poſtquàm prædatores in ſua rediſſent cum omni præda: nam literas ſequenti demum die in ciuitatem accepere. Conqueſti ſunt, vt debuerant, archiepiſcopo domino ſuo. Pollicetur ſe interuenturũ, ſi modò cauſam omnem conſtituant in manus eius, vel in amicitia, vel iure terminandam. Dubitauerunt Bremenſes hîc quid agerent, inſtanterq; auxilium in publicos hoſtes poſtulauere, repetẽtes omnia, quæ ad cauſam ſuam arbitrabãtur pertinere fulciendam. Tum archiepiſcopus produxit literas comitum, quibus cauſam omnem ipſi in eius manus conſtituiſſent, feciſſentque illum arbitrum de ſua parte volentes: adiecit: Quia poteſtatem mihi fecere totius controuerſiæ finiende, non licere in eos hoſtiliter agere. Quando bella ob hoc ſolum permittuntur, vt ad iuſtitiam contumaces in vias eius perducantur: Amicitiæ, inquit, vias omnes perquiram mediator: nulla in eos arma producere fas eſt, quamdiu in ea perſiſtũt ſententia. Multis deinde diebus in medio ad tractatum tempore conſtituto, atque nunc hac, nunc illa parte fruſtrato die, affecti tædio Bremenſes, bellum viciſſim indixere comitibus Chriſtiano, Friderico, Mauritio, non valentes dirimere vnà habitantes fratres, quamuis ſolus Chriſtianus in eos hoſtiliter ageret. Egreſſi turmatim ciues cum apparatu bellico per brumam, omnia quæ ad ripam Weſeræ fluminis comitũ erant, incendio & rapina fœdarunt. Otto de Hoia, & Otto de Delmenhorſt comites, ciuitati acceſſere: ex quorum ditionibus valida manus collecta, per glaciem ibat in terram comitum memoratorum. Multa præda vndiq; circumacta: ſed nulla niue interueniente, per lubricãtem glaciem prædam abigere potuerunt minimè. Altera vice hoſtilem terrã petere conſtituerant, ſed audiunt hoſtes diuerſo itinere graſſari in eorum ditionibus. Ducunt in Chriſtianum, qui belli erat incentor & ductor: inuadunt, proſternunt, eundem Chriſtianum capiunt, Bremam introducunt: ſed poſt non multos dies, interuenientibus communibus amicis, res tota pacatur. Aperiunt comites, cuius inſtinctu res omnis ſit cœpta, & peracta. Exinde archiepiſcopo ſurrexit cõtrouerſia ex Wurſatiis & vicinis accolis de Le, (ſic enim vocitant pagum) quorum contumaciam domare volens, arcem & illis imponere cõſtituit: ſed aduerſantes illi in hac re Bremenſes, prætendunt literas iamdudum ſigillatas, nulla præſidia imponenda Viſurgo (Wiſeræ) niſi aſſentiente ciuitate. Cùm id certis rationibus archiepiſcopus declinaret, ſuggeritur habitatoribus & accolis, vt clàm demoliantur noctibus, quæ per diem erigerentur. Animantur ad factum, cur ſe fruſtrà patiantur redigi in perpetuam ſeruitutem. Nonnulli ex his gnari nandi, noctibus riuum tranſeunt: nam ratibus îſſe nimis apertum erat. Bombardas, quæ aduectæ fuere à pontificis obedientiariis, deuoluunt ſilentio in fluuium, ferramenta fabrorum deiiciunt in profluentem: & niſi vis algoris viros confregiſſet, omnia fuiſſent demoliti, priùs erecta. Inde tamen fortiùs ab archiepiſcopo iubetur inſtari labori: ſed interuenere, qui rem, ne in bellum egrediatur, dirimerent tractatibus, vt demoliretur nouum opus. Conuenit: ita res tum eſt compacata.

Iuſticiæ defenſio, finis erit belli gerendi.

CAP. 7. MAGDEBVRGENSI deinde per hæc tempora eccleſiæ, in locum demortui Alberti, ſurrogatur dominus Guntherus, ex comitibus de *Swartzburg*: præfuitq; eccleſiæ varia fortuna per annos quadraginta vnum. Quo tempore magnæ rerum mutationes erant in regionibus multis. Cæſus in Thietmarſia cum cohortibus Gerardus, dux Sleſwici, captus Henricus dux Brunſwici, pater Wilhelmi, qui ad noſtram vixit ætatem. Bellum *illi* erat *in* nobilem, de Lippia dominum.

Tranſierant

Transierant altrinsecus, vt est fluuius ille vadabilis, Wisaram, & magnis inuicem damnis suos vicissim affecere. Couenerant aliquando fortè obuij in agris ad prę-lium, ad vicina montis *Oderberg*. Inito prælio, fortuna sic voluit, vt Henricus dux caperetur. Dominus erat duorum ducatuum Brunswici atque Luneburgi. Magno ære expromisso (millia centum aureorum fama fuit) laxatur. Sed ex tam magno ære non magnum prouenit. Nam ipse Henricus Romam deuotionis causa profectus, cum conscientiæ suæ prospiceret & honori, detecta qualitate captiuitatis suæ, declaratur, non esse obstrictus iuramento quod præstitit. Surrexerunt deinde graues controuersiæ inter hunc pontificem & comites de Anhalt: accessere partibus amici: in longum dilatata est hostilitas. Gunthero accessere, parens eius, episcopus Mersburgensis, de Mansfelt ac Querfurde comites. Comitibus ex aduerso suppetias tulere (fratres enim tres erant) tria belli capita, episcopus *Halberstadensis*, Rodulphus omnium germanus frater, Rodulphus dux Saxoniæ, de Eghelen comes: confœderationes durissimæ horum in illos, & vicissim. Diuturnum ac latè vagans bellum, quod partibus nihil inuexit, plurima detraxit. Nihil enim ex vniuerso sumptu & labore prouenit, præter vastationem agrorum, pecorum abactiones, leuia prælia, mutuæ captiuitates, latrocinia multa sub apparatu publici belli. Sic vadunt, ita vorantur pauperes de sola superbia nobilitatis. O durum, in futurum, iudicium malè potentibus, quando de omnibus ad nouissimum quadrantem est luenda ratio. Sed hæc quibus auribus accipiant, incertum est, si futurum credant.

Henricus dux Brunsuicensis a Comite Lippiensi capitur.

Bellorum certus effectus, est populorum pernicies.

Cap. 8.

HALBERSTADENSI ecclesiæ per ea tempora post Albertum præficitur insignis vir, dominus Henricus, ex comitibus de Werberge prognatus: præfuit ecclesiæ solis quatuor annis. Quo tempore cùm Pragæ tumultuarentur Bohemi in studio literarum aduersus Teutonicos, qui in ea doctorum & scholasticorum vniuersitate, & numero & merito præualuere Bohemis indigenis, dissimulante ad omnia, imò suis Bohemis ad omnia adstipulante ignauissimo omnium regum Wenslao: qui iam infensus erat Teutonicis, pro eo quòd destitutus per summam ignominiam esset regno Romanorum: si quis sensus in pecude somnolentissima: Bohemi Teutonicos nouis constitutionibus & priuilegiis ab rege impetratis vexauere. Sed & nouis & hæreticis dogmatibus, ab Anglia aduectis per quendam, de veneno perfidissimi hæretici Wicleff, in eo regno etiam post mortem concremati, turbauere. Sed omnium erat grauissima, quæ per tumultum & incursiones agebatur, turbatio. Vnde adducti magistri & doctores, prius collato sermone cum marchionibus Misnæ, priuilegium ex vrbe Roma à sede Apostolica impetrarunt, ad sui translationem in nouum gymnasium Lyptz: vnde factum est, vt populariter emigrantes ad duo millia scholasticorum Teutonicorum, concesserint in nouam studiorum vniuersitatem oppidi Lyptz: quod exinde in bonum modum effloruit in hunc diem, vt mercaturis & negociationibus adauctum, magnis vrbibus splendore rerum & opum certare videatur. Plausere sibi Bohemi, quòd soli in suo regno permanerent: gauisi Germani, quòd à consortio nequam hominum separati, secum agerent in tranquillitate. Interim verò venena sua Bohemi diffudere. Iohannes Huss, improbus calumniator, loquax, clamosus, blasphemias in omnem Romanam ecclesiam ausus proferre, conflare sibi cœpit authoritatem, malè augescentem in perniciem infinitarum animarum.

Wenslaus Bohemorũ Rex ignauissimus.

Iohãnis Hussij blasphemiæ, si diis placet, in Romam.

Cap. 9.

PADERBVRNENSEM ecclesiam, cùm iam impetrasset dominus Bertrandus Rauennas canonicus, decretorum doctor, Apostolici auditor palatij, & adductis literis esset per capitulum admissus, nec haberet locum, quò se hospitio reciperet, in curia Volmari de Brenken, qui eum fouere videbatur, residebat. Ministeriales verò ecclesiæ Paderburnensis, in ipsa ecclesia cõuenientes, in Wilhelmum filiũ ducis supradictum consentire se dixerunt, vt ipse dominus eorum esset, hunc Italicum penitùs execrando: ipsumq; adeuntes, dixerunt ei, quòd ipsi eum pro domino suo nequaquã essent recepturi, nec regimen suum eis posse prodesse: & hæc omnia per interpretem, quia non habebat commercium linguæ nostræ vernaculæ. Audentiùs ipsi quàm capitulum, quòd vereretur censuras. Ipse autem

cùm esset admissus à capitulo, parùm pensi habebat, quicquid laici obiectarent. Pluribus autem vicibus à consulibus ciuitatis Paderburnensis, iuramentum sibi fidelitatis postulauit, sed ipsi de die in diem super hoc illi respondere distulerunt. Cumq; videret ciues rem illam ingrauescere, timens sibi imminere periculũ, consilio illorum qui eum fouerant, edoctus, à proconsulibus ciuitatis Paderburnensis saluum conductum petiit, & obtinuit. Cumq; proconsules prædicti à dominis de capitulo sæpius sciscitarentur, an oporteret per eos admisso viro iuramentum fidelitatis præstare: responderunt, Nos, quæ nostra fuerant, requisiti fecimus: quid vobis faciendum sit, vobiscum cogitate. In neutram partem inclinantes, neq; præstare, neq; recusare iubebant, cùm ad eum diem esset obseruatum, quòd nemini, nisi iubente capitulo, iuramentum præstaretur à ciuibus. Posteaquàm igitur mensem in ea vrbe sine fructu consumpsit, XXIIII. mensis Nouembris, clam abiit: & cùm extra ciuitatem peruenit, à quibusdam equitibus in odium Wilhelmi, in arcem *Dringenberg* est perductus. Hermannus autem comes de *Euerstein*, qui ex pacto, quod diximus, eam arcem infederat, cùm speraret per illum totius diœcesis gubernacula accepturum, gratulanter accepit venientem. Inde dominus Bertrandus contra ciues & capitulum Paderburnense, necnon contra dominum Wilhelmum graues processus in oppido *Dringenberg*, ad valuas ecclesiæ, quasi per edictũ publicandos emisit: sed pactis & tractatibus quibusdam interuenientibus, processus illos reuocauit. Deinde non obstantibus peractis supradictis, alios processus emisit, & ab illis est ad sedem Apostolicam appellatum. Cumq; in arce *Dringenberg* degeret, quoties comitem abesse contigerat, ipse victualibus & rebus necessariis sæpè laborabat, quoniam omnibus à maximo ad minimum odiosus, execrationi habitus est. Vnde comes prædictus licet confœderationem quandam cum eo contraxit, cùm videret spe sua decidere, conniuentibus oculis eius incommoda dissimulauit. Quare quidam in oppido *Dringenberg* illi ponentes insidias, virum ceperunt, & nullo de oppidanis defendente, eum ad arcem nouam, quam dominus Wilhelmus tenuit, vinctum perduxerunt: & ibi in custodia seruabatur honesta, donec eo resignante ecclesiam Paderburnensem, propriis etiam manibus scriberet summo pontifici, & supplicaret pro domino Wilhelmo, vt illi de ecclesia prouideretur, atque super defectu legitimæ ætatis dispensaretur: quod ita factum est. Donec ista expediebantur, regimen in spiritualibus habere censebantur per diœcesim dominus Bertrandus memoratus, domino Wilhelmo & comite memorato in temporalibus gubernacula gerentibus. Ita ecclesia Paderburnensis, filia cum ecclesia Romana matre sua, contagioso schismatis morbo, vnionis solatium toto præstolabatur affectu.

In iuramento præstando ciuium Paderburnens. libertas.

CAP. 10.
1401. ANNO igitur Saluatoris MCCCCI. pridie Idus Martij, dominus Wilhelmus dux Montensis, insinuatis literis suis capitulo, est admissus: & dominus Bertrandus, receptis duobus equis, & viginti florenis, per capitulum illi sponte & gratuitò oblatis, sub certis iuramentis, & scripturarum munimentis per eum præstitis, dimissus, cum non modica confusione est reuersus in Italiam. Inter hæc vxor Hermanni Comitis memorati filium peperit: quare contractus de suo comitatu ecclesiæ Paderburnensi vniendo, iuxta placita conuenta est resolutus: & diœcesis illa anno proximo redintegrata, domino Wilhelmo electo & confirmato, tam in spiritualibus quàm temporalibus soli integraliter, prout antecessoribus, obediuit. Eodem anno dominus Wilhelmus episcopus, exercens singulares inimicitias aduersus dominũ Henricum de Ore, qui arcem *Rauensberg*, à germano fratre domini Wilhelmi, domino Adolpho, comite de *Rauensberg* tenuit obligatam, dum ad partes Rheni patri ac fratri laturus suppetias proficisceretur, ab eodem Henrico in quadam villa, qua cum suis requieuit, nocte captus est, vigesimo septimo mensis Octobris. sed facile fuit illorum natalium episcopo, se de manibus viri militaris, sine magno impendio eripere. Interim summus pontifex Bonifacius, gratias & indulgentias (vt diximus) fecit inauditas: & quàm facilè dedit, tam leuiter reuocauit, fabulas excitans in orbe Christiano, quòd auro expleri non posset. Et à multis apostolica sedes in contemptum venit, nonnullis ad neutralitatem inclinantibus,

Papa Bonifacius auri gratia dat & reuocat indulgentias.

bus,aliis etiam incipientibus iustificare partem pontificũ in Auinione, quòd Vrbanus de crudelitate,Bonifacius de auaritia insigniter notarentur.

IOANNIS interim in ecclesia Bremensi archiepiscopi, præcipua cura & singularis industria fuit, vt prædia ecclesiæ & arces impignoratas, quas Albertus onerabat, Otto ad plenum redimere non poterat. Hic vndecunq; seruatis & aceruatis sumptibus ad se reuocabat, vt ecclesiæ nõ inutilis pontifex haberetur, quicquid de illius rebus multi fabulentur. Bremenses deinde ad annum XIIII. Christi, stimulati multis malis, quæ Didius ipse, quem diximus, Frisiæ capitaneus, per multa tempora malignatus agebat,& ciuibus & amicis sine discrimine grauis:quę omnia longum esset percensere:Bellum indixere eidem, multis vndecunq; contractis in eum auxiliis,Comitum de Aldenborg,Ministerialium ecclesiæ, vt CCC. equites stipendio alerent,tribus ex vrbe millibus armatis, ducunt in hostem, terramq; hostilem, quam *Stadlandt* dixere : ibique diu varia pugnatum est fortuna, cùm incastellassent Frisij ecclesias suas : sed vi armorum coacti,se dedidere, pactũ iuramẽto firmantes,quòd Bremensibus in reliquũ in omnibus parerent, nec alios è suis capitaneos eligerent,quomodo hactenus Didij ductibus & monitis paruissent.Sed post multos annos nonnulli ex primoribus, numero quadraginta viri, transiliunt muros nouæ arcis,quam diximus fundasse ac firmasse Bremenses in ea parte,arcem pacis dixere: & iam intus oppugnauere manentem in ea de Bremis præfectũ,cùm nihil amplius efficerent,nisi quòd arcis pręfectum prospicientem è fenestra occiderẽt. Capti deinde,in Bremã sunt perducti,& suppliciis interempti. Nec longum tempus in medio,capitanei terrarũ Frisiæ,populo collectam indixere grauem:sed ille conspirauit,vt non pareret.Quidam ex capitaneis cùm audiret vicinos esse Cæsaris oratores,in occidua Frisia,ad dirimendas earum partiũ controuersias,adiit illos,& non sine graui impendio flexit eos,vt interponerent se medios inter populũ quinq; parochiarũ,& eorum capitaneos.Factæ sunt treugæ,conceptaq; forma compositionis,sed inter treugas,cùm opportunũ eidem capitaneo videretur,subductis clàm à Brema defluenti amne dromonibus, armatos imposuit,atq; terras inuasit,sed tamẽ populus ad arma cõclamans,fortiter restitit.Comperta ea magnatum suorum nimis potenti audacia,populus misit, qui senatũ Bremensem imploraret in capitaneos,pactis conditionibus,vt seruatis terrarum pristinis libertatibus,senatui quotannis persolueret singula domus mensuram hordei,cuius tertia maneret apud terræ prouisores,idem in mulctis quæ indicerentur transgressoribus.Quibus ita firmatis,armamenta & bellicum apparatum Bremenses expediuut,ecclesias à capitaneis incastellatas magno labore capiunt. Blexem, Berhoue,domus inde suas lateritias,quas firmabãt,dedidere:iurãtes,cõmunis patriæ salutem tueri,& pacta seruare,quæ populus pepigisset. Ibi controuersiæ finis.

CAP. 11.

HALBERSTADENSI interim ecclesiæ post breuem pontificatum Henrici surrogatur Albertus,natus comitibus de Werningrode,præfuitq; ecclesiæ suæ annis septem.Cuius temporibus ortũ est bellum in ministeriales de Zwichelden. Nam qui arcem Hercyniæ tenuere,Conradus,Brandanus, & Henricus, citato agmine ex diœcesi Magdeburgensi vaccas abegere.Secuti expedito agmine Conradus de Egelen comes, & D. Otto de Warberge baro,conuersis latrunculis, iuxta Derneburg ex insidiis cæditur dominus Otto memoratus.Indignatus dominus Gunthe rus archiepiscopus,cum principibus,qui perpetuã pacem firmarunt,ad obsidionẽ memoratæ arcis sunt profecti. Oppugnauere plus quàm mensem. Extruxere etiã præsidium in vicino monte,vnde facilè arcerentur ingressus & egressus ab arce:& cùm iam immineret bruma,relicto satis valido præsidio,soluerũt obsidionem. Ad prima autẽ redeuntis veris tempora,redierunt fortiores archiepiscopus memoratus,episcopus Halberstadensis,Henricus & Bernardus duces Brunswicenses: & constructo etiã nouo ad aliã partem præsidio,ictibus & iaculis primùm deformauere mœnia:inde perduxere in eam necessitatem,vt deserta arce, fuga sibi consulerent. Fecere,quod multis ante vicibus legimus factitatũ:munitionem fregerũt, vt æquata solo videretur, & abierunt. Imminebat iam tempus concilij Constantiensis, ad reformandam vnionem Catholicæ ecclesiæ. Iam enim Sigismundus

CAP. 12.

rex

Sigiſmundi Romanorum regis in reformandis eccleſiis opera.

rex Vngariæ, filius Caroli, rex Romanorum, circuibat reges ad reformandā vnionem in eccleſia: peragrabat Franciam, nauigabat in Angliam, vt ſedato grauiſſimo inter reges bello, Eccleſiaſticæ vnioni, & hæreticorum naſcenti proteruiæ, ſimul & Turcorum augeſcenti Imperio occurreretur: cùm hæreſiarchę Ioannes & Hieronymus, conuicti in concilio, flammis vindicibus vrerentur: alter poſt alterum, anno interpoſito. Tum verò immaniter fremuerunt Bohemi blaſphemiis, inde gladiis ſæuientes in omnes, qui Romanæ eccleſiæ in eum diem paruiſſent: ſanctos illos, & Deo dilectos viros, ſine cauſa, ad iniuriam nationis cōcrematos: bene cum illis actum, qui Dei regnum glorioſè appræhendiſſent: iniuriam tamen nationi irrogatam, armis vindicandam.

CAP. 13. VIDVATA per hæc tempora Mindenſis eccleſia pontifice ſuo, ſucceſſorem accepit apoſtolica prouiſione per Bonifacium IX. inſignem virum, dominū Marquardum, de Rindeghen cognomento, ordine natum militari, virum primarium conſilio & manu, natione Sueuum, numero pontificum XLVI. Introductus erat in eccleſiam ſuam ſolenniter, equitibus multis de more ſtipantibus, in craſtino S. Thomæ Apoſtoli, anno MCCCXCVIII. ſed non eſt diu permiſſus illi eccleſiæ, ſtatim tranſlatus ad Conſtantienſem, quæ illi propter regionem patriam gratior erat: neſcio, ſi etiam prouentibus, quod in primis quæritur, vberior. Ita nouo erat opus concilio pro nouo pontifice, quando contempta eccleſia, ſuo ſponſo iuſſa eſt carere. Liberalis ferebatur Bonifacius IX. ad faciendā gratiam ſupplicantibus: ideò crebræ ſub illius pontificatu fiebant epiſcoporum tranſlationes, crebræ indulgentiarum collationes, vſque ad faſtidium cordatorum virorum. Aliquid facere cogebatur præter conſuetudinem, vt in ſchiſmate tunc currente ſibi faceret partes ampliores: ſed non erat in eo finis, continuatum enim eſt poſt illum.

Epiſcopatus quo plures habent prouentus eo gratiores.

Vide ſuprà cap. 10.

CAP. 14. SVERINENSEM eccleſiam poſt Rodolphum excepit Henricus, vir ſine controuerſia præſtans, electus à capitulo: perueni tq; gubernādo in annum modò tertium. Interim poſt Bonifacium IX. in Romana ſede fuit Innocentius VII. qui ad pontificatum prouectus, gubernacula vrbis, quæ Romanis Bonifacius ademerat, ipſe reddidit: vnde elati in ſuperbiam, inſolentias ei conſuetas intulerūt. Papa verò iuxta iuramentum, quod cardinales ad eligendum congregati præſtiterunt, (in quorum numero hic erat, quo continebatur, vt quiſquis illorum eligeretur, omni conatu inſtaret pro vnione eccleſiæ, etiamſi cedendum eſſet papatui) literas emiſit per orbem patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & vniuerſis ad eam rem idoneis, vocauitq; in concilium Romæ pro vnione celebrādum: ſed orto Romæ tumultu, in quo aliquot Romani cæſi ſunt, dies concilij prorogatur: & toties fruſtratur, vt euaneſceret, vt facilè appareret, quiduis malle pontificem, quàm deſerere pontificatum. Illo verò decedente, cardinales numero quatuordecim in conclaui pro electione ſummi pontificis congregati, iterum iurauerūt, vt quicunque ex eis eligeretur, propter vnionem eccleſiæ renunciaret, vbi opus videretur, papatui, ſi & quando æmulus eius ſimiliter renunciaret. Et quòd infra tres menſes mitteret ad alterius partis cardinales, vt conuenirent de loco celebrandi concilij. Electus eſt Dominus Angelus cardinalis S. Marci presbyter, cardinalis, Gregorius XII. appellatus: ſtatimq; miſit ſolennes oratores ad Petrum de Luna in Auinionem, vocatum in ſua obedientia Benedictum XIII. Tractauere crebriùs, ſed inuentum eſt in effectu, eſſe rem omnem fruſtratoriam. Vnde factum eſt, vt de concilio alio, dimiſſo vtroque pontifice, ordinaretur: idq; factum eſt Piſis, vbi duobus deſtitutis, tertius eſt electus, Alexander quintus. Sed hæc alibi.

CAP. 15. RACEBVRGENSEM autem eccleſiam per eam tempeſtatem gubernabat inſignis vir, dominus Pardamus, ex miniſterialibus terrę Luneburgenſis, qui Kneſebeck cognominantur. Rexit eccleſiam ſatis laudabiliter, in temporalibus ſatis ei omnia fuere proſpera, ſpiritualibus quoque pro ſuo modulo intendebat: ſed iam à retrò actis temporibus ita erant impignorata prædia, ita grauata ære alieno, vt non ſufficerent prouentus eccleſiæ fratribus ſuſtentandis. Per ſingulos annos vrgebātur ad neceſſariam ſuſtentationem CCCC. marcas in ſorte vndecunque accipere, & prædiis imponere, ad redditus annuos inde perſoluendos. Quæ res eo reſpexit,

vt ſin-

vt singulis annis profundiùs mersa debitis ecclesia, non haberet vnde resipisceret. Hoc cùm cerneret oculatus pontifex, nec videret humano consilio, quomodo rebus occurreret, ad implorandam diuinitatis opem, spem & animum intendit. Tota ergò deuotione ad implorationem diuæ virginis beatissimæ Dei genitricis se contulit: fratribusq; indixit, vt vnanimi voto ac humili prece implorarent auxiliũ ab alto. & statuerunt, vt, dum cantaretur Sequentia, AVE PRÆCLARA, versus illos, AVDI NOS, & SALVA NOS, flexis genibus in honorem & reuerentiã eiusdem sanctissimæ virginis, humilimè corda inclinarent. Quo diligenter impleto, non multo pòst sanctissima virgo, desolatorum consolatrix, supradictæ perturbationis causam & occasionem de medio sustulit, & seruos suos de his tribulationibus misericorditer exemit, immittens (credo) spiritum prouidentiæ prouisoribus, vt omnia cum singulari parsimonia dispensarent: & deinde tempora frugum bona fecit prouenire, vt paulatim ære alieno minuto, ad suæ sustentationis sufficientiam peruenirent. Sed est vna omnibus conuentualibus causa, si desertis spiritualibus, intendant in temporalia, omnia retrolabuntur: ediuersò, si spiritualia in primis curentur, crescunt omnia reliqua.

Christo neglecto, mater eius inuocari iubetur ab egregio scilicet episcopo.

Cap. 16.

PADERBVRNENSIS ecclesiæ pontifex Wilhelmus, necdum consecratus, pridem de captiuitate liberatus, satis casuali prelio vicit comites de *Spegelberg*, & oppidanos de Hamelen, die beatæ Cæciliæ, & inito conflictu, sedecim ex hostili agmine ceciderunt: multi capti, plurimi fuga elapsi, intra oppidum se receperunt. Ex victoribus autem nemo cecidit, pleriq; fuere vulnerati. Et quoniã victoria non humanitùs videbatur prouenisse, constituit idem electus cum suo capitulo, vt dies Cæciliæ Dominico æquaretur in ecclesia. Quo tempore nobilis dominus Simon de Lippia, & Bernardus filius eius, cùm homagiũ electo præstare recusarent, armis sunt ab illo impetiti, facta obsidione oppidi Harne. Sed cùm nec sic mollirentur, durauit bellum, prælia leuia multa fuerunt. Ad summum, cùm quingentas lanceas ad oppidum Lemmegow produceret episcopus, cùm illis æquari non possent, descenderant in postulatas conditiones, homagiũ præstantes: & oppidum *Harne* & *Valckenborg*, & reliqua quæ ab ecclesia tenerent in feudum recepere. Quo tempore in Italiam peregrinantur, Ladislaus rex Neapolitanus, filius Caroli Duratij, eius qui in Vngaria cæsus occubuit, cùm iamdudum dispensatione Bonifacij noni legitimam vxorem dimitteret, aliamq; superduxisset. Per Italiã potens haberi cœpit, Senatoriam dignitatem Romæ exercuit: & cœpit iussum extendere in multas ciuitates ecclesiæ, & patrimonium diui Petri, præsertim cùm Gregorius Papa, iam suis cardinalibus malè concordabat, tergiuersatus de tractatu vnionis. Nam intellexit non esse aliam viam, quàm quòd vterq; cederet: aut, si nollet, destitueretur. Miserunt ergò diuersi literas querimoniales in alterutros: & prouenit, quod dixi, vt Pisano concilio ambobus destitutis, tertius eligeretur. Concordabãt de hoc concilio cardinales vtriusq; partis, inuitis ambobus pontificibus, in Liburno marino oppido, sub ciuitate Pisarũ. Sed ad nostra reuertamur. Dominus Wilhelmus Paderburnensis electus, hoc tempore instititit reformare monasterium in *Budken* suæ diœcesis: erat enim Monialium dominarum, ad ordinem canonicorũ regularium referendo. Sed ibi sensit omnium hominum ordines sibi obsistere, ecclesiasticos, laicos, viros, mulieres. Mira fatuitas, & mortalium perplexitas, cùm rebus vndiq; suis angantur, se alienis immiscere, & pietati obsistere. Vtcunq; fuit fecit quod potuit bonus Wilhelmus. Tractabat resignationem, accepit, locum deputauit iam desertum patribus in Swollis, vt implerent fratribus: & tardè quidem, sed fructuosè tamen prouenit.

Preceptum Christi de coniuge non, nisi propter adulterium, dimittenda corrigitur à Papa.

Cap. 17.

OPERÆ PRECIVM erit intelligere, quid egerit, quid controuersiæ passus sit idem pontifex in reformatione instituta monasterij sanctorum Petri & Pauli, in ea sua vrbe. Orta simultate, abbas Priorem destituit: ille appellauit electum: abbas, appellatione contempta, surrogauit alium: electus, vt debuit, animaduertit, respexitque secularem abbatis & fratrum conuersationem, nullam regularem disciplinam: incidit nobili viro zelus diuinæ religionis, vt visitaret & reformaret. Abbas vbi intellexit, amicos ex vrbe, proconsules, consulares, ciues magno numero,

compotores & comeſſatores ſuos, aduocauit, adhærentiam poſtulans. Venit electus cum prælatis viſitare. Aderant laici diſturbantes negocium. Iuſſit electus exire laicos ſub obligatione iuramenti. Non ſe antè exituros reſpondebant, quàm ab abbate ſinerentur: Non hoc præceptum ſubeſſe iuramento. Vrgebat electus. Retrahebant fratres cum abbate. Res in turbationem vertitur. Abbas appellationis vocem emittit: capitulum, & clerus, & populus adhærent. Vides diaboli regnum in impediendo Chriſti honore. Etiam in eccleſia ſchiſmate multiplicato, Alexander acceſſit Gregorio & Benedicto, appellauit Alexandrum. Miratus electus, conuenit capitulum, ſciſcitatus quam nunc obedientiam ſequerentur. Solebant enim in illum diem Gregorio parere. Interrogati reſpondent, ſuper his rebus conſulenda capitula Hildeſemenſis & Halberſtadenſis eccleſiarum, ſine quibus ob initam fraternitatem nihil ſolerent in grauioribus conſtituere. Electus ibi quieſcens, rediit in ſua. Vix ille dorſum auertit, obedientiam Alexandri profitentur, adhærentes interpoſitæ appellationi. Mira diaboli ars in cordibus vaneſcentium hominum, vt vitet quiſque reformationem ſui ſtatus. Inde multis interuenientibus, electus ſpe meliore concepta, mandatum à quo fuit appellatum, caſſauit, cœpitque ſecundò viſitare. Non inuento abbate, neque monachis, inſtituit proceſſum: & per excommunicationem interdictum loci, à ſpeciali ad generale peruenit, quocunque loco eſſent: à quo quidem pro parte monachorum fuit appellatum, ſed nemo adhæſit eorum appellationi, vtpote poſt cenſuras interpoſitæ. Abbas curiam Alexandri petit, multos conciliat ſibi muneribus: electum facit euocari, reportat relaxationem interdicti ſpecialis in monaſterium, vnde clerus vrbis improuidè reſumpſit diuina, non faciens diſcrimen in generali & ſpeciali. Multa ſubinde facta ſunt, quæ zelum electi & perfidiam monachorum teſtarentur: ſed rebus grauibus intercurrentibus negociũ ſanctitatis & religionis, profectus ſine optato fine remanſit. Interceſſit enim bellum archiepiſcopo Colonienſi, cum ciuitate ſua & capitulo, & domino de Lippia, quod ſemel pacatum recruduit. Intereà vacabat eccleſia Colonienſis, & ad eam multi prouehere tentauere Paderburnenſem Wilhelmum: ſed & illa res fruſtrata eſt, aſſumpto domino Theodorico de Morſa.

Reformationem ſui ſtatus omnes reformidant.

Monachorum Petropaulini monaſterij perfidia.

CAP. 18. EXITVM cauſæ præſtolatur lector, vbi, & quomodo terminata ſit controuerſia de eccleſia Colonienſi, nimirũ propter rei nouitatem relatu digniſſima, quamuis externa nobis. Poſtulatur Wilhelmus ab his, qui Colonię remanſerant, canonicis, eligitur Theodoricus ab his, qui Bonnam cõceſſerant. Omnia clenodia eccleſiæ, & nonnullæ arces, ab auunculo prædeceſſore tradita erãt in manibus Theodorici, ſuperabat ære, ſuperabat gratia apud pontificem Ioannẽ: quãuis non ceſſaret Wilhelmus à diligẽtia, quã pro eo frater dux Montenſis, quamq; alij faciebant. Quid multa? cõfirmatur Theodoricus, Wilhelmus appellat ad indubitatũ futurũ in concilio vnicum pontificem: nihil profecit. Interim æmuli eius in ſua diœceſi conſurgunt, cùm ille implicitus rebus magnis apud Rhenũ eſſet: amicos eius in anguſtũ coarctant. Capitulum declarat, eum decæterò Paderburnenſi eccleſiæ nõ eſſe deuinctũ: eſſe abſolutos iuramento, quicunq; ei obſtricti erant ratione eccleſiæ. Accipiunt in poſſeſſionẽ de eccleſia; quicquid occupare cõceditur. Interim mittunt ad Ioãnem pontificem iam profugũ à concilio, iam depoſitũ, poſtquã etiã hæreticus eſſet declaratus: poſtulant, & impetrant Theodoricũ Colonienſem archiepiſcopũ eis dari adminiſtratorem, literas reportãt, Theodoricũ archiepiſcopum vocant, ei ſe ſubmittunt, iuramẽta præſtant. Videns ſe Wilhelmus, vir optimus, vndique circunuentũ, quia tempus diſpenſationis ſuper annis cõſecrationis accipiendæ, penè expirauit. Et quoniam ſpe Colonienſis eccleſiæ decidit, à Paderburnenſi eſt excluſus, alia via inimicis ſuis occurrit. Conciliare ſibi properat archiepiſcopũ Colonienſem, quem æmuli ſibi oppoſuere. Ponit animũ ad res eccleſiaſticas: nec enim vllis erat ſacris initiatus. Neptem ex ſorore archiepiſcopi, filiam comitis de *Tekeneborg* accipit coniugem. Nuptiæ in arce *Arnsberg*, præſente archiepiſcopo, ſumma celebritate peraguntur. Ita vltus eſt aduerſarios. Eccleſia Paderburnẽſis in adminiſtratione Theodorici ad finem vitæ eius permanſit.

CAP.

CAP. 19.

LVBECENSIS ecclesia post Ioannem, aliū assequitur Ioannem pontificem, cognomento Schelen, decanum ecclesiæ Bremensis, & Lubicensis ecclesiæ canonicum, licentiatum in decretis, in Honouer bona editum familia: & per dominū Martinum est confirmatus, cùm esset canonicè per capitulum electus. Qui pro sua confirmatione ingressus est iter Romam versus, cum tribus canonicis de capitulo Lubicensi, quo inter eundum in itinere & in ipsa vrbe ad M. aureos impendit. Descendens, cum attigisset Bononiam, doctoratus insignia noluit omittere. Post suam consecrationem, obtento iudice domino Balduino, Abbate sancti Michaelis in Luneburg, traxit in causam executores testamenti, proximi sui prædecessoris, quòd negligentia & dissimulatione sua episcopalis mensa & ecclesia in ter mille & quadringenta aureorum esset damnificata: obtinuitque sibi adiudicari omnia ab illo relicta à testamentariis. Illi ecclesiæ nomine consignata, statim in Vthin domum erexit necessariam ad cocturam potus & panum, & stabulis pro iumentis duodecim. Inde pro sua mensa incorporari fecit certa beneficia, præsertim salinaria in Luneburg, qualicunque conscientia imminuens cultum diuinæ maiestatis. Hic quoniam exercitatus, ac diu in maioribus erat causis principum versatus, assumitur in secretarium ab Imperatore: & imperij nomine perstabat in concilio Basileensi per annos sex continuos. Ibi ecclesiam suam, variis tribulationibus & horrendis casibus de morte præpositi laborantem, defendit: improbos adegit ad satisfactionem, vt vltra damna ecclesiæ illata, cogerentur hostes Magnopolenses duo marcarum millia expendere in satisfactionem. Vnde mille marcæ, ac duo beneficia pro memoria præpositi antè dicti, ad perpetuam sceleris ac innocentissimi viri memoriam, in arce Swan in carcere morientis, imponebantur. Comparauit in commodum ecclesiæ, interueniente Lubecensi senatu, loca congrua nutriendis equis: vbi speciem præbebat episcopus: senatus, qui fateri suum nollet interesse, pecuniam impendit: successor tamen eius ære suæ partis exoluto, satisfecit institeruntque iumenta in eam rem comparare: sed euanuit res, nescio quomodo, vt sit hodie nullum vestigium, cùm per mortem Sigismundi ad Albertum generū & successorem, in causa totius nationis mitteretur in extremos Vngariæ fines, vbi castra aduersus Turcas pugnans fixit Albertus, ex itinere fatigatus, febrem incurrit, mortemq; obiit idem pontifex in regno Vngariæ, sepultus Viennæ, anno sui pontificatus XIX.

Pontifex ad se transferens ue neficia, cultū Dei minuere putatur.

CAP. 20.

VERDENSI ecclesiæ præficitur post Conradum Henricus, natus comitibus de Hoia. Sustinuit aduersarium initiò, & in iure æmulum, dominum Vlricū Albach, decretorum doctorem, cui per Papam fuit dè episcopatu prouisum: sed idem dominus Henricus cùm causa in iure ageretur, superauit, & episcopatum est assecutus. Mallet ecclesia, si optio daretur, succubuisse: ita enim præfuit, vt non lætetur illum se habuisse pontificem. Nam arcem *Rodenborg* ita facili & vili casu è manibus amisit, vt nō sit similis vnquam in re tali audita simplicitas: vnde ecclesia ad vicies mille aureorum, priusquam recupararet, impendit. Renunciauit ergò ante mortem suam episcopatum, cùm se prorsus inutilem ad recuperandum, aut aliis modis ecclesiæ iacturam compensandam, intelligeret. Quàm dissimilis patruelibus suis, qui ecclesias vicinas, Hildesemensem Ioannes, & Monasteriensem Otto, magnis incrementis circa eadem tempora prouexerunt: vt quantum ista lamentetur de sui pontificis socordia, tantum glorientur aliæ de illorum pontificum insigni & semper memorabili vigilantia. Sed quid faciemus genio? videmus idem in fratribus. & ne longè vagemur, docuere Wenceslaus & Sigismundus Romanorum reges, quorum alter de infinita accusatur socordia, alter verò cum summa laude ecclesiæ vnitatem, & bonatum rerum incrementa laudatur excitasse. Idem tamen hic pontifex, etsi ecclesiam viuus reliquisset, apud eam tamen moriens, voluit requiescere, vt ei non alienus haberetur.

CAP. 21. 1420.

ANNVS erat post MCCCCXX. cum ex leuissimis causis bellum oritur inter Brunswicenses duces Bernardum & Wilhelmum (nam pater eius Henricus fatis concesserat) & archiepiscopum cum suis ex altera parte, quòd habitatores arcis *Tedinghusen & Languedel*, nonnunquam prædatum exibant in ducatus memoratos:

ſed aliquando retrò pulſi ſunt à miniſterialibus earum regionum,ſequentibus, vt recentem prædam reciperent:cùm non poſſent, vicem reddidere in terram eccleſiæ. Domicellus de *Seke*, cum armigeris de *Tedinghuſen*, inuectus in ſequentes, ex ducalibus nonnullos proſtrauerunt, & reliquos ceperunt. Quæ res inter priuatos aliquandiu tractata,peruenit ad principes, qui hoſtilia nunciantes eccleſiæ Bremenſi,quingentis lanceis proceſſerunt in comitatum de Hoia. Nam is archiepiſcopo & Bremenſibus tum belli ſocietatem iungebat. Cùm etiam comites de *Oldenborg* & *Delmenhorſt* in parte ſtarent, magnam egerunt duces prædam,ſed tamen in conflictu & arma & equos amiſere. Verdenſes, nuper iumentis per comitem de *Delmenhorſt* abactis, infenſi erant cauſæ: permiſeruntque ducibus, inde mouerent, cùm priùs impunè idem permiſiſſent. Miſere iidem duces clam ſpectatum in *Languedel*, ſi fortè illic gregata manus militum præſtolaretur motum & incurſionem, cumq; omnia quieta conſpicerent, gauiſi ſunt, neſcientes iam eorum comperta conſilia: nam archiepiſcopus omnia prouiderat. Iam duces nihil metuentes, reliqua pecora in paſtum permiſerunt. Egreſſi armigeri de *Tedinghuſen*, inuenta abegere. Indignati duces ſpeculatoribus,quòd falſum renunciaſſent, primò mane in *Languedel* mouerunt, ſed præfectus arcis iam ſagittarios ex vrbe Brema acceperat præſidio tuendo. Multa vtrinque illata damna. Supra triginta tum ex ſagittariis Bremenſium capti, ſed totidem ex ſuis duces amiſere. Itaque interuentu conſilij ac Senatus Luneburgenſis, res tractari cœperunt: ſed tamen egreſſi antè armigeri de Horneborg cum miniſterialibus eccleſiæ in terram Luneburgenſium, incendiis & prædiis omnia vaſtarunt. Cumque hoc bellum interuentu communium amicorum tractatibus pacis ac legibus patriæ finiretur, Ioannes archiepiſcopus iam annum agens pontificatus ſui decimumquartum, anno
1420. poſt natum Chriſtum MCCCCXX. conceſſit in fata.

CAP.22. SVERINENSI verò eccleſiæ præfuit tum præſtans vir Henricus, cognomine Wangelyn:pręſederat autem annis decem. Huius autem hoc eſt memorabile temporibus,quòd principes Magnopolenſes,miſſa ob eam rem bona legatione in vrbem,impetrarunt priuilegium ſtudij generalis in vrbe *Roſtoch*,loco in eam rem nō incongruo,quòd aëris ſalubritas,& victualium omnis generis leui precio magna eſt copia.Introducuntur magiſtri & doctores,potiſſimùm ex Erfurdia,quæ & ipſa recens ſchola fuit,necdum habens annos triginta ab inſtitutione ſua. Satis erat ab initio bona prouiſio pro regentibus,cùm fiſcus ciuitatis ſtipendia largiretur: nimirum principum largitione,& prælatorum cōtributione ſecuta. Sed proximo eius vrbis malo tumultu,cùm proconſules pellerentur cum publico conſilio,& intus noui magiſtratus crearentur,coacti ſunt cenſuris cedere, qui in eodem Palladio præſidebant,exulibus ad concilium Baſileenſe profugientibus:ſeſe tamen in Gripeſwaldum contulerunt,& nimiùm ægrè redire anhelabant feſtinantes. Quòd ſi diem ſuæ vocationis expectaſſent,magnis vtiq; conditionibus inuitati rediſſent. Nunc autem inuitante nemine,ipſi miſerè pulſabant ad reditum, qua de re cogebantur ab aliis accipere conditiones,qui poterant ipſi aliis præfiniuiſſe. Pacti ſunt igitur Roſtochienſes,ærario exhauſto,ſalariis promiſſis vacare ad annos, vt fertur cc. Tum obligationem reuiuiſcere:ſed quid erit illi ſeculo? Illi verò,qui miſerè feſtinabant redire,accipiebant conditionem,maiora promiſſuri, vt reditum mererentur. Quid facies hominibus ocioſis,hoc ſolùm negocio occupatis,vt literis inuigilent? Habent mores ſuos,habent conſuetudines:quibus contenti,leuipendūt cætera.Itaq; pacto,de non petendo,interueniente,reuertuntur.Ex illo die ſatis tenuiter viros præſtantes apud ſe habent: qui meliores cernit rerum conditiones, abiens amplectitur.Inde iuriſconſultos apud ſe diu retinere, viros præſertim graues & memorabiles,non poſſunt. De reliquo ſatis bene inſtituti ad omnia, præſertim quæ philoſophiæ ſunt,& naturali,& diuinæ pertinentia.

Quando & per quem Roſtochienſis Vniuerſitas inſtituta ſit.

Ob ſtipendij tenuitatem, Roſtochio viri docti diſcedunt.

CAP.23. RACEBVRGENSI autem per idem tempus præfuit memorabilis dominus Ioannes:cuius quia non memoratur genus, plebeium accipimus,ex fratribus tamen aſſumptum:nam miniſteriales ſolent ex familiis ſuis percenſere. Erat vir iſte ſatis libero animo,dignitatem ordinis & epiſcopatus ſui ad omnes ſplendidè conſeruabat.

ſeruabat. Vnde factum eſt, vt à nonnullis in eam rem profuſior videretur, & qui maiori potuiſſet parſimonia rebus eccleſiæ attenuatis conſulere. Hoc tamen proſpexit atque diligenter prouidit, ne eccleſiam alieno ære grauaret quouis pacto: amicis quidem notis & extraneis ſatis erat manſuetus. Per incendia tamen maiora quàm per ſuos ſumptus damna incurrit. Curiam ſuam *Clockſtorff* arci continuā, tum incinerata aduerſo caſu, in eum quo nunc ſita eſt, locum tranſtulit, & à fundamento nouauit. Capellam in arce *Schonenberg* etiam incendio conſumptam, reformauit, ſatiſque pro ſua dignitate viri ac pontificis boni munera impleuit. Eius temporibus, Magnus dux Saxoniæ, epiſcopus Caminenſis, cum duce Pomeraniæ Caſimiro contendit ad ereptionem oppidi cum arce Tangermundæ, quod Fridericus iam marchio Brandenburgenſis, antè Burgrauius Nurenbergenſis, manu cepit, iam deflexum à Marchia, cui ab antiquo pertinebat. Cumque Marchio ab vna parte ingreſſus, oppidum occupaſſet, illi ad portam aduerſam à ciuibus admiſſi, media vrbe confligunt. Ceſſere tum Pomerani, & aliquot amiſſis per captiuitatem, nonnullis verò cæſis, abierunt, quà venerant, ducenta ex hoſtibus ſtellata iumenta ceperat, cum aliquantis militaribus.

CVM Mindenſis epiſcopus ad Conſtantienſem eccleſiam eſſet tranſlatus, arbitrati canonici, ſui eſſe iuris eccleſiæ ſuæ conſulere de nouo pontifice, vſi veteri libertate electionem ineunt, præpoſitum ſuæ eccleſiæ præficiunt, vt eſſet in ordine & numero pontificum quadrageſimus ſeptimus. Wilhelmo de Buſch nomen erat: hoc enim militari familia traxit, ſed ea tum non erat facultas eccleſiæ libera. Nam apud ſedem Apoſtolicam, vnde eſt impetrata tranſlatio, etiam obtenta fuit eccleſiæ relictæ prouiſio. Sic enim ſtatuerunt pontifices, vt quotquot eccleſiæ maiores vel minores apud ſedem eandem vacuentur, prouiſio ſpectare debeat ad ſummum pontificem. Bene Petrus laxauit retia, bene duxit in altum, & traxit rete plenum magnis piſcibus: vnde meritò audiuit etiam in hoc caſu à communi Domino: Modicæ fidei, quare dubitaſti? num potens ſum tibi dare prouincias & regna? tu dubitaſti. num potui orbem ſedibus tuis ſubiicere? quare dubitaſti? nónne Domini eſt terra, & plenitudo eius? Ecce magna pars Italię tibi tributaria eſt: per vniuerſam Germaniam & Hiſpanias de eccleſiis & maioribus beneficiis diſponis: in Francia idem facturus, niſi noua adinuentio pragmaticæ ſanctionis obſiſteret. Ex Anglia & Polonia vber tibi prouentus eſt, quia omnia inde capita tibi ſunt cenſualia. Vngaria mittit aurum, nec detrectat Illyricum, ergo laxa Petre retia: anguſta interim ſunt: laxa, vt fiant capaciora. Duc in altum, quia ad littora nulli ſunt piſces: in altitudine maris, in profundo nationū, ibi ſunt piſces quos capies. Duc in altum: nam in Iudææ anguſtiis non eſt quod impleat ſagenam. In omnem terram cum ſono exiuit imperium tuum, vt non ſit vnde meritò poſſis dubitare. Amplificarunt per tempora ſummi pontifices magnificè ditionem eccleſiæ, non per ementitam Conſtantini donationem, quæ nunquam facta eſt, ſed per munificentiam aliorum principum, ſiue de Gottis, ſiue de Longobardis, ſiue per Magnum Carolum: quod latiùs alibi oſtendimus. Amplificarūt in eccleſiaſticis rebus per reſeruationes, confirmationes & prouiſiones, fimbrias ſuas. Laxarunt retia, & omnia in ſuam traxere poteſtatem. Mirabitur, quiſquis annales antiquorum temporum legerit, temporum mutationes, tum in cæteris, tum maximè in eccleſiaſtica poteſtate. Sed nemo diffidat aliter iſta, quàm dante fieri ſpiritu ſancto, cuius nutu iuſta potentes decernunt, cuius eſt regnum & imperiū: nec fruſtrà colluctati ſunt Romanis Imperatoribus.

CAP. 24.

Chriſti verba de hominibus per Petrum capiendis, Papæ regna ad ſe transferenti accommodantur.

CIRCA hæc tempora cùm vigeret in Germania neutralitas, & ſtaret contentio ſuper ſummo pontificatu, inter eū qui Romæ, & qui Auinione pontificatū adminiſtrabat, apud eccleſiam Oſnaburgenſem tum vacantem electus eſt nobilis vir, Henricus, natus in Holſatia, fratre Gerardo, primo ex eo genere duce Sleſuicenſi. Et cùm apud eccleſiam deliberaretur, vnde eſſet petenda confirmatio, venit fama de Gerardo duce Sleſuicenſi cæſo in Thietmarſia. Henricus electus feſtinabat redire in Holſatiā, propter impuberes ex eodem fratre nepotes: quos ille tres reliquit, Henricum, Adolphum, Erhardum. Venit ille, & adminiſtrauit, aduerſan-

CAP. 25.

ſantibus illi quatuor ex Holſatia militibus, qui ſimulabant defenſionem pro paruulis. Sed Henricus noluit poſthaberi: inuitis Holſatis, omnia curauit. Ciuitates ornauit pro dominis ſuis, auxilia properauit, & bellũ à rege Danorũ pro Sleuicenſi ducatu curauit: vſqueadeò ſe immiſcens rebus Holſatiæ & cauſis nepotũ, vt ad eccleſiam Oſnaburgenſem ſerius rediret. Inuenio in literis miſſiuis, quòd ſe ſcripſerit principem Stormariæ: quod nuſquã alibi legi, ſi fortè ius electionis in epiſcopũ ibi ſignificauerit: cùm tamen non electio, ſed confirmatio, tribuat dignitatem.

Henricus Holſatienſis ſe Stormariæ principem ſcribit.

Quærite, quos agitat mundi labor.

CAP. 26. BREMENSI autem eccleſię tum vacanti, præficitur nobilis vir, Nicolaus de *Delmenhorſt* comes, Ottonis filius, iam patre eius pollicente, quia præter illum non haberet filium alterum, comitatum illum Apoſtolorum principi prouenturum. Quæ ſpes plurimum conciliauit fauorem electo, qui etſi aliàs dignus pontificio haberetur, optatior tamen cœpit eſſe, poſtquam per eum tam lata ſpes eccleſiæ proueniret. Accepit autem diœceſim cum omnibus pertinentiis & prædiis liberrimã, nullo ære alieno obligatam. Ita dominus Ioannes vniuerſa redemit, quæ alienis pridem manibus tenerentur. Initia pontificatus ſatis illi fuere proſpera, niſi quòd tertio eius anno incidit vniuerſalis calamitas. Nam æſtas tota pluuia fuit, vt nihil fœni, parũ frugis colligeretur. Excreſcens Weſera fluuius, omnia inundauit, corrupitq; collecta per agros, ſi qua viderentur aſſeruata. Sed tamen ciuitati à Friſonibus pax nulla fuit. Nam Occo atq; Focco obliti fœderũ, cùm capitanei eſſent terræ, quæ Bremenſibus iureiurando firmaſſent, indixere ciuitati bellũ, quòd conterraneos ſuos, Friſios homines gladio & rotis puniuiſſent: expeditisq; militibus opportuna loca clam impleuerunt, quæ prima Bremenſes videbãtur aggreſſuri. Sed tum circunſpicientes vrbici, auxilia nulla militarium elicere potuerunt. Nam archiepiſcopus ipſe propriis rebus implicitus, aliena curare nõ potuit. Friſij, cùm nemo incurreret, quieſcere nõ poterãt. Ipſi progreſſi, fortalicium Goltzferden, ſolis minis deditũ, acceperant: inde in Fredenburg, nouam Bremenſium arcem, ducentes, ſimili terrore deditam acceperunt: ſed cùm à mari quoq; oppugnarentur memorati capitanei, pacem quærebant: nec tamen Bremenſes vllam pacis mentionẽ audire ſunt paſſi, niſi demolitio promitteretur duorũ, quæ Friſij proximè ceperãt, fortaliciorũ. Submittitur ex Friſiis homo, qui videbatur ciuitati gratus, qui magnis promiſsis non potuit impetrare, vt ſinerent arces in manibus eorum. Itaq; effracta ſunt valida duo præſidia, quæ pridem Bremenſes in terra Stadij erexerunt. Archiepiſcopo autem bellum per duces Brunſwicenſes & Luneburgenſes eſt illatum, quòd Horneburgenſes prædæ aſſueti dulcedini per bella, non ſe pacis tempore continerent. Ex tam leui ſcintilla grandis ignis exarſit. Duces in oppido Verden caſtra habuerunt. Archiepiſcopus multis vndiq; contractis auxiliis, oppidum cinxit, oppugnauitq;: ſed per riuum Alre aſcendentes Bremenſium dromones, in mora fuere, quòd aduerſo flumine tranſirent: alioqui ſi rupiſſent moram, captum & expugnatum fuiſſet oppidum. Bis magno agmine archiepiſcopus vaſtabundus terram ducum percurrit, ſuper omnia proſpiciens, ne qua ſacris locis ignominia irrogaretur: ſed ea à ducibus ſunt minimè curata. Nam Hertzeuelde monaſterium eſt vaſtatum, & direptum: eccleſiæ incenſæ: oppugnatur ab his oppidum Buxtehude: ſed non eò ſe veniſſe ſunt lætati. Magno deinde exercitu Horneburg cœperunt obſidere: ſed ea eſt itinerum ibi conditio, vt inuitis obſidentibus irent & redirent impunè obſeſſi, quoties voluere: tantum inde obſidentibus incuſſere metum, vt planè dimiſſis impedimentis, fuga abirent. Ea tum belli flagrantia, per amicos in treugas redacta, conquieuit.

Lis minimis verbis interdũ maxima creſcit.

CAP. 27. HALBERSTADENSI eccleſiæ nouus per hæc tempora pontifex acceſſit, dominus Ioannes cognominatus de Hoym, ex miniſterialibus eccleſię, præfuitq; eccleſiæ in annum XVII. Eius temporibus tumultuati ciues in ea vrbe, publicũ conſiliũ aggreſſi, diſturbauere: captosq; viros primarios, in foro ſub forma iudicij gladio occidere. Miſertũ eſt & pontifici & vicinis vrbibus, quòd homines nequã inflammantes cõmunitatem, ea molirentur in viros innoxios: ad arma couenere epiſcopus & Brunſwicenſes ciues, & de Goſlaria, premebantque obſidione vrbem, machinis,

Ob iniuſtè tumultuantes ciues obſidetur Halberſtadiũ.

machinis,bombardis,& omni genere tormentorum & iactilium infestantes,nihil aliud à ciuibus poposcere,quàm vt coniurationis principes nominib. designatos, permitterent episcopo. Diu restitere:sed vbi malorum nullus est finis,cœpere boni viri inter se conferre,cur ob paucorum impunitam nequitiam,tanta sustinerēt? esse reipublicæ vtile,vt crimina punirentur. Eam vbi populi conuersionem sensérunt,malorum capita clam vrbe egrediuntur,sciente nemine quò abissent. Episcopus,vbi innotuit,fecit edictum per vicina loca, quicunq; ex cōiuratis nomine designatis adduceret,mercedem constitutam acciperet. Itaq; per agros & villas quæsiti,reperiuntur,adducuntur,gladio cæduntur. Vrbium vicinarum oratores de venia pontificis vrbem ingressi,rem turbatam componunt, formam reipub. restituunt:& bene pacatis omnibus,reuertuntur in sua quisque. Eo quoque tempore Hildesemenses ministeriales prælio decertantes ad Grunden, aduersus Wilhelmum ducem,superantur,capiuntur,& magno ære mulctantur, cùm antè duobus etiam præliis essent victi. Sic sunt rerum vicissitudines,nunc victi,nunc victores. Sed tamen in hoc nouissimo ad Grunden conflictu,cecidit Albertus dux Saxoniæ,& comes de Spegelberge:supra centum capti ministeriales. Wilhelmo tulit suppetias Otto patruelis eius.

HILDESEMENSI ecclesiæ tum ad annum vigesimum quintum, prouenit episcopus insignis & nobilis vir, D. Magnus, dux Saxoniæ inferioris, pridem episcopus Caminensis: de qua postulatus per capitulum Hildesemense, translatus est ad eam ecclesiam,magno multorum plausu, qui de illo spem conceperant optimi pontificis,quam apud eam ecclesiam impleuit, præsidens illi x x v. annis. Multa circumspiciens,ecclesiam suam semper defendit,vicinis principibus adfuit. Wilhelmo duci insigniter decepto per absentiam, aderat ad vindicandam iniuriam, quam irrogauere Brunswicenses,cùm illo excluso, fratrem eius Henricum deducerent in possessionem. Statim iunxit ecclesiæ ditioni dominatum Hamburg, & oppidum Hamelen,vt ferūt,pro dimidia. Vrgebat tum Bohemorum multos,quia vicinis regionibus nimium graues incubuerant: quocunq; verterent signa,victores redibant. Non potuit resistere Sigismundus rex Romanorum & Vngariæ: non potuere totius Germaniæ principes, sæpè annisi. Exibāt in Bauariam & Austriam, & redibant victores,minati etiam peruagari Saxoniam. Ea res firmauit multas vrbes & arces:audierant quàm crudeliter victis insultarent. Tum Brunswicum, Luneburgum, Magdeburgum nouis muris, & fossatis, turribus ac mœnibus fulciebantur. Vicina Slesia,Marchia,Misna,grauissimè sub his hostibus laborabant. Infinita crudelitas in hoc hominum genere, sine miserationis respectu: omni ordini, vtrique sexui, omni ætati infesti, religiosis autem infestissimi,quòd non benè sentirent de vlla religione repertitia: satis esse arbitrati, si quis Christi summam religionem impleuerit. CAP.28.

Bohemi nullos agnoscunt religiosos, nisi Christum professos.

VERDENSI quoq; ecclesię per eadem tempora nouus pontifex prouenit,dominus Ioannes de *Asel* cognomento, natione Hildesemēsis, decretorum doctor, & vir magnæ scientiæ pariter & prouidētiæ,diu Italiam incoluerat, diu Romanam secutus curiam,vsqueadeò,vt inter Italos Italus haberetur: ita imbiberat mores, ita calluit gentis linguam. Arcem *Rodenborg* per prædecessorem de manibus elapsam,& iam iure pignoris retentam, vndecim millibus aureorum impensis redemit,eandemq; roborauit,exornauit,& ad propugnandum bene instruxit. Multa illi aduersa fuere. Vicini per socordiam prædecessorum,iam assueti inde rapinis, locupletati etiam,tum venerant,cùm ageret in diœcesi. Ille processum iustitiæ & iuris contra eos putauit instituendum,vt euocarentur ad iudicium. Tum quidam satis militariter: Nihil (inquit) opus est euocare,sua sponte veniunt, priusquàm euocentur. Quid igitur facimus? ait episcopus. Hoc,ille inquit,domine,quod nos solemus,vt induti lorica,lanceam brachio subiectam in eos dirigatis. Tentauit ille militare opus, post longas literarum operas: non alienum viribus eius robustis opus erat. Potuit,vbi tentauit. Exiere cum illo ex suis ministerialibus, qui iter præoccupantes, delituerant in sylua, qua erat transiturus episcopus, volebant præludio quodam experiri animum,tentare vires domini sui. Vbi propinquauit, incurrunt CAP.29.

hostiliter. Ille impiger hastam quoq; suam vibrat. Vix illi præteribant,& ecce cuneus alius eiusdem militiæ procurrit in eundem. Ille, quod necesse videbatur, venientibus aciem hastæ prætendit, statimq; aperiunt qui sint: Sic(inquientes) necesse est fieri. Tum ille, Non putabam(inquit) ex angulo bis armatos prodire. Illi subsequuntur: In ludo, inquiunt, militari omnia necesse est prouideri. Non habet ista res certas obseruantias. Ecclesiam laudabiliter vir fortis & magnanimus multis annis gubernauit, donec senecta defectus, & fractus viribus, etiam ingenio deficiēs,
1470. ecclesiam ipsam anno Domini MCCCCLXX. ne ex impotentia eius dispendia pateretur, liberè dimisit. Sedit ante renunciationem annis XLV. erat vir doctissimus, expertus, magnanimus, bellicosus, & supra multos suos prædecessores sumptuosus: & vt erat rerum scrutator acutissimus, alchimiæ quoq; operam & sumptus impendit: variisq; artibus singularibus tentamenta per ingenium impendit. Infestationes, controuersias & prælia multa sustinuit. Luneburgensium, Burgensium causæ dum consulit, ipse censuras incidit & tolerauit. Finem viuendi fecit, postquàm per nouissimos aliquot annos ad pueritiam relapsus, parum, quid egerit, intellexit. In arce *Rodenburg* conclusit moriens, anno Christi LXXII. posteaquàm ante biennium ecclesiæ renunciauit, & sepultus est in atrio maioris ecclesiæ, in sepulchro quod pro se & suis successoribus antè fieri curauit.

Episcopus Alchimiæ studiosus.

CAP. 30. MONASTERIENSI ecclesiæ post Ottonem, optimum & victoriosum pontificem, quærebatur tanto decessore dignus successor: & inuentus est Henricus, natus comitibus de Morse, germanus Theodorici archiepiscopi Coloniensis: vir illo, & maiori loco dignus: qui ecclesiam per sua tempora gubernauit in omni tranquillitate, quippe cui prædecessor vias strauerit. Pertinaces humiliauit, inquietos eiecit. Cui etiam frater, archiepiscopus Coloniensis, auxerat dignitatē, formidandus, si quis se aduersus Henricum commouisset. Pontifex, & maiori ecclesia, & longiori vita dignus: sed nō est in homine via eius. Stabat iam pro vnione ecclesiæ plenaria concilium Constantiense, in quo Romanorum rex Sigismundus aderat, fulciens seculari potētia patrum authoritatem: ni faceret, vt erat multorum tergiuersatio, res in diuturna perplexitate permaneret. Tergiuersatur Ioannes XXIII. præsens in concilio, sperans quòd propter præsentiam corporalem (quia inter tres solus in concilio compareret) authoritate concilii confirmaretur. A qua spe dum excidisset, cernens rerum inclinationem, mutato habitu, fugit: sed medio in itinere tentus, aufugere non potuit. Interim vocatus ad respondendum articulis terribilibus, non venit. Admittitur probatio, deponitur papatu. Gregorius duodecimus, misso nuncio solenni, de Malatesta comite, renunciat, & decernitur à concilio primus esse Cardinalium, perpetuus per Marchiam legatus. Petrus de Luna, vocatus in sua obedientia Benedictus XIII. aditur per solennes à concilio oratores, ab ipso rege Sigismundo missos, nihil proficiunt. Redeuntibus illis accusatur pertinaciæ, deponitur. Tum animaduersum in Pragenses Ioannem & Hieronymum. Citati veniunt. Horribiles articuli noui erroris leguntur: non diffitentur. Primus Ioannes crematur. Hieronymus deinde renunciauit, abiurans articulos: pòst ad vomitum reuersus, quosdam pertinaciter defendit, & eundem, quem magister superiori anno, habuit exitum. Eius constantiam & animi fortitudinem scribit in epistola Florentinus Pogius, vt agnoscamus diabolum quoq; habere martyres suos. Pragæ vbi renunciatum est, fremuerunt, frenduerunt que, blasphemantes, sæuientes, immo furentes.

Noui Pragensium errores igne puniti.

CAP. 31. BREMENSIS archiepiscopus per idem tempus D. Nicolaus, cùm in Frisios, & suæ ditionis, & vicinos, iustæ indignationis causas in animum induxisset, collectis armis vicinorum nobilium de *Aldenburg*, de *Teckeneburg*, de *Hoia*, & de *Retberge* ac *Depholt* comitum, ipse cum ministerialibus in persona & memoratis comitibus, armato quanto poterant exercitu, Frisiam petunt, die Michaelis: & obuios facilè fugauerunt, prædam colligentes. Si illo feruore ac diligentia permansissent, magna inde lucra, multam prædam locupletati retulissent. Nunc verò per contemptum hostium victorum, vt arbitrabantur, & qui se vltrà obiicere non auderent, fixerunt se ad obsidionem cuiusdam loci, malo consilio, pessimo exitu. In quo loco firmati,

firmati,ſpatium dederunt hoſtibus indigenis ſe colligēdi. Vbi pauci Friſiorum ad arma concurrerunt:exiuit fama,innumera venire Friſiorum millia. Nemo expectandum putauit:ita immiſit illis neſcio quæ res formidinem,vt qui pridem omnibus victores futuri ſperabantur,tum ſolo rumore,& illo vano,currente,turpem fugam inierint.Igitur fugæ præſidium in ſuam perniciem quærunt,nihil periculi experturi,ſi ad pugnam viri fortes permanſiſſent.Superuenere pauci, & qui numero illis æquales non eſſent,iam in fugam pendentes abegerunt: facilè enim qui fugit, fugatur.Cæſus comes de *Dephol*t,captus archiepiſcopus & comes de *Hoia*:cæteri fuga abierunt.Ibi prouenit inſperata Friſiis victoria.Ea tum fuerunt æſtimatione capitanei Friſiorum,vt Occo teneret cōiugem Mauricii comitis de *Oldenburg* filiam, matre de *Brunſwici* ducibus exorta.Quæ res cum in diebus noſtris eiuſdem domus puellis contigiſſet,viſum eſt monſtri ſimile,cum Gerhardi comitis filię,Heroni atque Edoni Friſiis nupſiſſent:ſed auxit rei nouitatem,quòd recenti memoria rex ex ea domo ſit egreſſus,regum pater,Chriſtianus,quem Dani dixere Chriſtiernum: cuius nunc Ioannes filius regnat,filium habens Daniæ regem Chriſtiernum. Senatus autem Bremenſis,cum conſiliis publicis vicinarum terrarū,ſe interpoſuit:perſuaſit populo Friſiorum,coegitq; capitaneos ſubire concordiam, & pacis reformationem qualicunque conditione. Liberati captiui ſine vllo redemptionis impendio,præſertim archiepiſcopus & comes,quos aliàs pro multis millibus non emiſiſſent.Interfari libet hoc loco: legenti & repetēti in memoria, quæ de paluſtribus & limoſis ad flumina & maria locis tradita ſunt literis.Vna ſemper occurrit facies,eadem fortuna principum, ad ea loca & id genus hoſtium, infortunatos plerunque ſemper habuere ſucceſſus,& exitus formidabiles, quotquot aciem verterunt in aquaticas limoſaſque terras. Cuius rei vna mihi vel maxima cauſa viſa eſt, præſumptio militarium,cui ſocius eſt contemptus inermis populi: ſed nō proſpicit tumor animi,quòd difficilem præbeant militiam diſiuncti per foſſata agri, plurima quæ terras ambit & munit aqua,quę inuiam facit exteris,præſertim equeſtribus,regionem.Sed hæc interim.

MINDENSIS eccleſia,quem non expectabat,pontificem accepit, ordine & numero XLVIII. ſi proximum Wilkinum,qui vltra electionem non eſt prouect⁹, numeraueris, nobilem virum, dominum Ottonem natum comitibus de *Retberg*, maiori etiam pontificatu dignum. Nec erat in vniuerſis,quod illi opponeretur,niſi quòd non per oſtium legitimæ electionis,ſed aſcenderit aliunde.Ille autem verū ſe petiſſe oſtium affirmabat,dum per Chriſti Domini vicarium,qui verum eſt oſtium,introiſſet.Vtcunq; fuerit receptus in eccleſiam,bene præfuit. Annales tamen ſiue incuria,ſiue certa ſcientia, nihil omnino ex rebus per eum geſtis annotarunt: nec quantum præfuerit temporis,nec quando defecerit, quod in hunc vſq; pontificem diligenter annotarunt.Neq; nobis impoſitum eſt diuinare,neq; quod nō reperimus,aſcribere. Igitur ea nuditate contenti, cogimur abire. Tempora tamen ſchiſmatis duraſſe crediderim,quando ſub IX.Bonifacio creatus eſt,cui in eodem ſchiſmate ſucceſſit XII. Gregorius:in cuius perſona eſt terminatum,cùm redierit ſub Martino ad cardinalatum. CAP.32.

Otto comes Retbergic⁹ ad Mindenſem pontificatum non rectè perueniſſe arguitur.

SVERINENSI per idem tempus eccleſiæ præfuit vir inſignis, D.Hermānus Cappe,optimus in ea eccleſia pontifex,qui cùm bona illi plurima prouidendo, aceruando,conſtituendo feciſſet,multa eccleſię prædia dudum alienata reuocauit, pignorata luit,& ad quietum vſum eccleſiæ ſua prouidentia reduxit. Quo tempore grande & diuturnum bellum erat inter Danorum regem Ericum,& duces Sleſwicenſes,Holſatiæ comites: permoleſtumq; fuit maritimis ciuitatibus,quod dux Brunſwicenſis & Luneburgenſis Wilhelmus,interim confligeret,diffidens cū archiepiſcopo Bremenſi: nam ab vtriſq; ſperabantur auxilia ventura Holſatis. Qua de re mota dictarum vrbium conſilia,rem interceperunt inter ducem & archiepiſcopum,quibus poterant modis ad concordiam reducturi diffidentes. Indictus erat conuentus in ciuitatem Verdenſem. Ibi cum vtriuſq; partis inſtructis oratoribus aderāt maritimarū vrbiū Lubecæ,Hamburgi, Luneburgi, deputati cauſæ tractatores:& pacis authore donāte,inter archiepiſcopū & duces rem omnē cōplana CAP.33.

uerunt,vt auxilia inde prouenirent Holſatiæ,ſub graui regis Daniæ manu laboranti. Fouebant enim,quod in Dania & Saxonia monſtrauimus,& pleniùs in Wandalia, dictæ ciuitates,tum iuſtis de cauſis partem ducum Sleſwicenſium. Sed dum illa tempeſtas in diœceſi Bremenſi cõquieuit,inteſtino bello cœpit ardere ciuitas Bremenſis. Seditioſus enim populus ſurrexit aduerſus publicum ciuitatis conſilium: & eiectis ex ſenatu prudentioribus,nec vrbe ſunt paſſi concludi. Exulabant igitur aliquot proconſules vrbe,id quod multis vrbibus per proximam ætatem contigerat:& iniuriam irrogatam variis locis oſtenderunt amicis. Is enim tum erat ſtatus vrbium maritimarum,vt ipſi conſilio indigerent. Principes autem in tales cauſas trahere,eſt aureo reti piſcari,& nihil prendere: cùm etiam rete permaneat in profundo. Ibant ergo boni viri quò poterant. Seditioſi intra vrbem nouum creauere conſilium in ſui perniciem,quod exitus ipſe rerum comprobauit. Dum ita tumultuarentur,vnum ex proconſulibus pulſis,non longè ab vrbe, ſecretò, vt ille putabat,diuerſantem,innocẽtiæ ſuæ fidentem,cùm ſibi iuſtæ in republica adminiſtrationis conſcius eſſet,appræhenderũt,& latronis in morem vinctum in vrbem pertraxerunt: iudicio qualicunq; condemnatum publico, cecidere gladio, ſepultum in ecclesia ſancti Pauli. Hæc ſunt præmia,quæ ſui laboris referunt boni viri, in congregatione tumultuantis vulgi. Durauit hæc tumultuoſa vertigo per aliquot annos,cùm nouum reipublicæ præſideret conſilium. Veteres autem conſulares,qui non tanto in odio erant,domi ſedebant ocioſi,maiorib. exulantib. Graues erant illi oculis præſidentium,& efficta qualicunque cauſa, appræhenſos ſedecim ex illis viros,in carcerem miſere. Sedebant diu in tenebris boni viri, vt iam feruescentib. annis laxior cuſtodia cum obliuione vinctorum haberetur. Illi noctes atque dies, vt neceſſe eſt vinctis,de liberatione cogitabant. Inuenere viam, qua vnus conſcenſis aliorum ſcapulis,reptans manibus pedibusq; teſtudinem, ſub qua clauſi manebant,comprẹhendit:ibi manibus vt potuit(nam ferrum deerat)fodit:vt vnum,deinde alium laterem,inde plures effringeret:capax hominis foramen aperuit. Conſeruere ex tegumentis & ſtramentis funem,quo alter poſt alterum extraherentur. Remanſit vnus: quoniam moles corporis & defectio virium educi non ſinebant. Qui verò teſtudinem appræhenderunt,amicorum præſidio nauim in Viſurgo habuerunt,in quam ſe de excelſa turri per memoratum funem demiſere: prono flumine læti,non tamen ſecuri,deferuntur in confinia *Aldenburg* oppidi & arcis. Ibi à Theodorico comite patre regis Chriſtiani Daniæ, Mauricii & Gerhardi fratrũ, perbenignè excipiuntur,fouentur,recreantur. Sed hæc interim.

Ciuitas Bremenſis ardet inteſtino bello,

Captiui Bremenſes mirabiliter è cuſtodia liberãtur.

CAP. 34. RACEBVRGENSI autem eccleſiæ per eadem tempora pręſidebat alius Ioannes de genere miniſterialium,ex terra Magnopolenſi *Preen*:gnarus ille fuit ac diligens in adminiſtratione temporalium: vnde menſam ſuam epiſcopalem, onere debitorum grauatam,plurimùm releuauit:& inter cætera curiam & curtem *Roggelin*,cum ſtagnis & pertinentiis ſuis,iure pleni dominii perpetuo poſſidendam menſæ epiſcopali applicuit,& appropriauit. Qui etiam pio ductus affectu, attẽto quod eccleſia pro ſuorum iurium defenſione & rerum eius adminiſtratione viris indigeret doctis,x x. marcarum annui redditus,x. apud capitulum,ac tantũdem ad menſam epiſcopalem ſuis pecuniis comparauit,ſtudentibus ſuis canonicis pro tempore ſingulis annis perpetuò ſoluendas, alioqui in alia pietatis opera conuertendas. Fuitq; homo rigidus & auſterus,zelator iuſtitiæ. Eccleſiam ſuo tempore bene gubernauit: ſed vbi reformationi ac morum emendationi operam dare cœpit, inter corrigendum defecit,fatoq; æger ſuccubuit,quieſcens in pace. Cuius temporibus Bremenſis vrbis priores viri,à conciuibus male habiti,& carcere dilapſi in *Aldenburg*,quod diximus,peruenere. Cumq; eo in rerum ſtatu res aliquandiu maneret, maritimarum vrbium conſilia iam reſpirabãt à grauiſſimo Danorum bello. Intentis ergò oculis ſtatum Bremenſium miſerantur, & interpoſita opera, miſſis ad hoc oratoribus tractare cœperunt inter regentes de præſenti,& exulantes. Facilior inde res fuit,quod magna pars ciuium in vrbe,& præcipuè collegium mercatorum, fauebat exulantibus. Facta igitur inter diſſidentes recõciliatione,veteres cum nouis conſularibus reponuntur in conſilium,magniſque pœnis decretis ſtatuitur, ne veteris

Bremenſes inter ſe diſſidentes reconciliantur.

veteris noxæ verbo vel opere vlla vnquam mentio conſurgat. Nicolaus autem archiepiſcopus cùm viribus ſuis diffideret, defenſorem elegit dominum Ottonem, ducem Luneburgenſem, Bernhardi filium: qui multum cooperatus eſt ad reconciliationem ciuium in Brema, cùm tumultuatio diuturna reſpiceret in exilium. Quindecim autem annis in archiepiſcopatu, multo labore ac varia fortuna peractis, anno Chriſti MCCCCXXXV. rebus humanis exceſſit. 1435.

HALBERSTADENSI eccleſiæ poſt Ioannē præfuit Burchardus, natus baronibus de *Warberg*, præſidebatq; eccleſiæ per varios caſus, annos viginti quinq;. Cuius temporibus duces Brunſwici Wilhelmus atq; Otto fratrueles, oppugnauere comitem de *Spegelberg*, violatorem publicæ pacis, arcem eius *Hachemolen* capientes: ſed hoc in Saxonia noſtra. Tonuerunt ea tempeſtate bella in circuitu plurima, vt velut in igne conſideret Burchardus. Nam quod longius illi fuit, Bohemi tum ſæuierunt in vicinas prouincias ſupra modum ferociter, velut immanes belluæ, & quæ humanitatem omnem abieciſſent. Magdeburgenſes verò eius rei incurioſi, ſuo archiepiſcopo bellum concitarunt grauiſſimum. Itaq; captis arcibus, quas voluere confregerunt, clerum omnem vrbe extruſere. In concilio Conſtantienſi acta eſt cauſa, præſente rege Romanorum Sigiſmundo. Vtroq; eccleſiæ gladio percelluntur. Induruerunt ceruices eorum, computruerunt vt pecora in ſordibus: in fine tamen coacti ſunt archiepiſcopum recipere, confracta reparare, capta reddere, magno partium detrimento. Diſſenſum eſt, & belligeratum eſt. Diximus iſta plenius in Wandalia. Cæterùm parte ex altera duces Brunſwicenſes detonuere. Burchardus autem in horum medio quietus agebat, cùm partibus ſe non immiſceret. Concilium quoque Baſileenſe per ea tempora initium habuit. Delegit Martinus locum, conceſſere eò multi cardinales, venere nationes & principum oratores. Eugenius ægrè aſſenſus eſt: deinde ſuaſu multorū, præſertim imperatoris, comprobauit. Ilico mutans ſententiam, reuocauit, Bononiam transferens. Pulcherrimum quidem initium, ſed turpem habuit exitum. — CAP. 35.

Eugenii pontificis in cogendo concilio inconſtantia.

BREMENSI autem eccleſiæ poſt Nicolaum præficitur inſignis vir, dominus Balduinus, decretorum doctor, abbas S. Michaelis in Luneburgo, militari genere natus, vir prudens, & rebus gerendis non inidoneus, qui tamen electioni de ſe factæ nullo modo conſenſit, niſi poſſet vnà abbatiam Apoſtolica diſpenſatione retinere. Permiſit illi ſummus pontifex ad certos annos, quos viuendo non attigit, vir inſigni eruditione, experientia non vulgari. Eò nunc peruentum eſt iamdudum in eccleſia, vt in deligendo pontifice maior ſit reſpectus tuendorum eccleſiæ prędiorum, quàm in ædificatione & reformatione morum. Quis enim his de rebus noſtra ætate cogitat? Quamuis memoratus dominus Balduinus vir fuerit in vtraque re præcipuus, & in cultu religionis amplificando: erat enim abbas ordinis S. Benedicti: & nihilominùs ad temporalium diſpenſationem, & literarum eruditio, & experientia rerum, & cognationis latitudo, plurimum adiuuabat. Comitatum autē de *Delmenhorſt*, cuius adipiſcendi ſpem conceperat eccleſia, in aſſumptione pontificis Nicolai, qui nouiſſimus eius generis putabatur de illo ſanguine, non eſt eccleſia aſſecuta: ſed comites de *Oldenburg* accepere. Quo iure autem, non ſatis compertum habemus: per legitimam ſanguinis lineam, an per affinitatis copulam: aut certè per cuiuſdam tranſactionis inter viuentes formulam, an vel Imperatoris nouo beneficio tranſierit in illos. Certum eſt autem, eccleſiam non accepiſſe: ſed comites memorati in eius poſſeſſionem peruenerunt, donec magno interueniente bello Henricus epiſcopus Monaſterienſis, & adminiſtrator tum Bremēſis, viribus eccleſiæ Monaſterienſis comites memoratos deiecit, & eccleſiæ ſuæ, cuius titulū prę ferebat, iuſſit aſcribi: quæ vſque hodie tenet. Huius pōtificis tempora viderūt compoſitionem diuturni & pernicioſi belli Danici in Holſatos: ad quam cooperat9 eſt iſte pontifex non minimum. Priuſquàm autem ad pontificatum iſte perueniret, iudex fuit datus à Baſileenſi concilio, in cauſa Roſtochienſium procōſulum exulantium: qua examinata, legaliter tulit ſententiam condemnatoriam in Roſtochiēſes incolas: cui cùm non parerent, omnes iniecit cenſuras. Sed illi appellatione interpoſita ad ſummum pontificem, rem, vt putabant, deriuarunt. In qua ambiguitate — CAP. 36.

fluctuabant, qui appellantibus adhærerent, sed Vniuersitas scholasticorum & Doctorum grauiter angebatur: diu tamen fouit neutralitatem, neq; cõcilio, neq; pontifici adhærens. Quærebatur enim tum apud doctissimos, cuius authoritas præualeret, Pontificis ne, an Concilii? sed Balduinus iste, vir non in postremis doctus, authoritatem concilii, cuius erat in ea causa commissarius, præferebat. Minus tum angebat Rostochienses ea res, donec Imperator & ipse manum apponens, coram se conuictos pertinaces, banno subiecit Imperiali. Sed nos ad Balduinum reuertamur. Archiepiscopatum ille cum Abbatia per annos sex Apostolica dispensatione commutauit: cumq; iam dimittenda erat Abbatia, vitam quoq; finiuit, ne dimissæ Abbatiæ diu superesset, anno à Christo nato MCCCCXLII. Amauit tamen in suo monasterio quiescere: sed relatus est in ecclesiam Bremensem.

Auctoritas Cõcilii pontificis auctoritati præfertur.

CAP. 37. LVBICENSI deinde ecclesiæ vacanti, morte Ioannis sui, in legatione Vngarica, electus est per capitulũ dominus Nicolaus, primùm ecclesiæ Lubicensis scholasticus, deinde decanus, vir prudẽs, & in omni vita integer, versabilis ingenii, per capitulum in via scrutinii electus, per dominum Balduinum archiepiscopum confirmatus tempore concilii Basileensis, impensis quinquaginta aureorum. Eodem anno XXXIX. per eundem archiepiscopum ac Hermannum Suerinensem ac Raceburgensem, cum prouinciali suo in ecclesia sua Lubicensi est solenniter consecratus: fecitque impensas tam in die consecrationis, quàm sequenti die suæ primæ Missæ pontificalis, pro honore ecclesiæ suæ, ad mille eius monetæ marcas. Primo anno instituit eleemosynam solennem perpetuam pro pauperibus, de peculio suo ante episcopatum conquisito, de qua in porticu ecclesię Lubicensis, erogantur singulis diebus tredecim personis, qualibet die talentum butyti electi, & trium denariorum panes: pro qua perennanda assignauit perpetuos redditus ducentarũ quinquaginta marcarum, quater mille marcarum in sorte principali. Assignauit etiam monasteriis in Zegenberg & Cismaria ad vestimenta fratrum, cuique monasterio triginta marcarum redditus perpetuos, M. marcis ante episcopatum ex peculio suo coemptos. Introduxit in ea monasteria viros religiosos, ad reformationem collapsæ disciplinæ regularis. Reformauit quoque leprosarium in Swartow veteri Lubeck, ædificiis ac rebus necessariis coadiuuans. In eam rem tredecim marcarũ redditus pius pater deputauit. Simili pietate impensa ad leprosarium, quod est ad oppidum Oldenborg. Carthusiensibus quoque suæ diœcesis consignauit DCC. marcas, ad redditus perpetuos coemendos pro fratrum vestimentis. Redemit quoque de episcopali mensa onera quædam, quibus beneficiis aliquot adstringebatur. In quã rem CCCCL. marcas impendit. Ædificauit secundam domum lapideam in curia Episcopali Lubeck, cameris, solariis, cubilibus, aliisq; diuerticulis, vnà cum capella testudinata. Et in arce *Vthin* portalem turrim cum testudine: in quibus bis mille marcarum impendit. Stabula iumentorum & mansiones familiæ Lubeck in curia erexit, impensis in eam quoque rem vltra mille nummûm. Adiecit prædia, possessiones, agros, piscinas, vt augeret sumptus episcopalis mensæ. Legauit in testamento pro mensa episcopali CXVI. marcarum redditus, per eum de fructibus præsidii *Stinburg*, ab Adolpho duce Sleswicensi coemptos, sub pacto redemptionis, pro bis mille penè, ad releuandam mensam episcopalem: quæ capitulo suo annuam illam debebat pecuniam. Ordinauit pro duobus capellanis Vtini in conspectu pontificis celebrantibus, cuique sex marcarum redditus: legauit pro mensa episcopali argentea vasa, in pondere quadraginta nouem marcarum, puri argenti, vt permaneant in eos vsus in perpetuum. Libros quoq; notabiles, & vtensilia reliquit pro successoribus. Anno verò nono fuit idem præsul concorditer per capitulum Rigense in eorum archiepiscopum postulatus. Præsentato sibi postulationis decreto per dictæ ecclesiæ cellarium, & duos militares de diœcesi Rigensi, deliberauit apud sponsam suam, ecclesiam Lubecensem, remanere: recto consilio, quia paucis pòst diebus est euocatus, post anni reuolutionem, febribus occumbens: vir longiori dignus pontificatu. Sedit annos decem.

Pontifex Lubicensis in ecclesiæ laudem, sumptus marcarum mille facit.

CAP. 38. MAGDEBVRGENSI ecclesiæ post Guntherum prouenit pontifex optimus, dominus Fridericus, natus comitibus de *Bichlinge*, antiquo Saxonum stemmate:

mate:præfuit eccleſiæ ſummo,ſed fructuoſo,labore,per annos viginti. Erat ad ſpeciem,cùm in curia ſui prædeceſſoris ageret,vir ſeculo,vt apparuit,deditus,venari, aucupari,volare in iumentis,eius cura:capillis longis,veſte breui, ad omnem ſeculi vanitatem videbatur excomptus. Erant in extremis archiepiſcopi, ad lectum eius viri,alloquio eius fruiti,vt ſemper,familiariſſimè: oritur ipſo inchoante ſermo de termino,qui adeſſet,calamitoſæ huius vitæ. Quis (inquiunt) poſt te hanc eccleſiam excipiet? quis tuebitur? Tum ille: Si me conſulitis,oſtendam vobis,eccleſia hocq; pontificatu dignum,ſucceſſorem, Fridericum de Bichlinge, non hoc intus, quod foris,præferentem. Ego noui optimum cor viri ad Dei timorem, eiusq; religionem. Nolite,quod foris apparet,intueri. Illuſtrem virum habetis,animo & corpore integrum. Abiit archiepiſcopus viam vniuerſæ carnis, qui audiere ſentẽtiam morituri,non contempſerunt. Fridericus eligitur,ſubitò in virum alium commutatur. Literis quidem non vſqueadeò ad neceſſitatem erat imbutus: adhibuit magiſtros,ſed magis animum: breuiq; profecit in eum modum, vt multis doctior haberetur. Officium diuinum ipſe executus, deuotiſſimum ſe ad omnia præferebat. Maior illi cura in reformandis moribus,quàm ædibus. In quam rem nullum recuſauit laborem. Aggreſſus eſt ductu bonorum,& zelo Dei viuẽtium virorum, à religioſis vtriuſq; ſexus inchoare,vt ad ſeculares deinde perueniret. Dici nõ poteſt, quantus inde labor,quanta ſurrexit aduerſitas:armis tueri, ſe multis locis contenderunt. Gaudebat,vbi maior apparuit cõtradictio: nam ibi rem benè proceſſuram fidebat: & dicebat,ibi abundaturam gratiam,vbi exuberabat pertinacia. Non ceſſauit,donec effractis ſuperbiæ ceruicibus, ad iuga humilitatis & religionis perduceret repugnantes. Intereà ſibi rigidus,nihil indulgebat:in victu parcus,ieiuniis aſſiduus,veſtitu ad carnem cilicino, quam rem externa velabat honeſtas. Id egit,vt cardinalis de latere legatus,dominus Nicolaus de Cuſa,teſtaretur,vnũ ſe per Germaniam reperiſſe pontificem,Fridericum. Veſtigia ſanctitatis & optimè actæ vitæ plurima repererunt eo moriente: ita vt ſui deſiderium diu relinqueret in eccleſia.

Episcopum seculi vanitatibus esse deditũ rumor est.

BREMENSI autem eccleſiæ poſt Balduinum ſucceſſit in cathedram epiſcopalem Gerardus, natus comitibus de *Hoia*, quam tenuit annis viginti vno, vir per omnia pacificus: cui præſtitit Deus, vt videret temporum ſuorum tranquillitatem. Ericus autem Oſnaburgenſis epiſcopus,fratruelis eius, eiicitur ſede ſua, odio fratris ſui Ioannis,viri omnium viuaciſſimi. Implicatur etiam maioribus rebus, cùm à ciuitate Monaſterienſi ad epiſcopatum illius vrbis vocaretur: etiam ibi fruſtrat[9]. Sed Gerardus propinquo bello non patitur implicari: conſiliis, & quietis, vbi res poſcebat, auxiliis,non deſtituit propinquum, ſed in ſocietatem belli pertrahi non potuit. Cuius temporibus memorandus diu vir,dominus Nicolaus de Cuſa, cardinalis de latere legatus,venit in Germaniam,& multa in prouinciis conſtituit: quæ ſi obſeruarentur,meliùs ſe in pleriſq; res haberent. Literæ ſeruantur in archiuis eccleſiarum: hoc ſatis eſſe putant. Cæterùm in executione operis nihil apparet. Fertur idem inter alia ſalubria conſtituiſſe de venerabili Euchariſtia, cuius erat tunc (vt nunc) quidam abuſus,cùm in publicum deferretur in diebus Iouis per anni circulum. Res,vt prima fronte prætenditur, deuotioni parata: ſed vt euidenter claruit,per crebram eius oſtentationem vileſcente,quæ ſemper ardens & ſumma debuit eſſe,reuerentia. Conſtituit ergò,vt non in publicum efferretur,niſi infra octauam feſtiuitatis inſtitutæ,ad honorem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ: præſertim quia eius vſus à cœleſti magiſtro inſtitutus eſt ad eſum,nõ ad oſtentationem. Sunt enim pleraque inter homines,quorum initia ſalutaria ſunt,ſed progreſſus non ita. Poſt duos annos venit ex Italia religioſus pater, Ioannes de Capiſtrano, ordine Minor, reformationis excitator acerrimus, Bernardini diſcipulus, eius qui primus de reformatione eius ordinis curauit in Italia. Venit (inquam) in Magdeburgẽſem prouinciam. Ipſius viri (vt ferebant) adſpectus mouebat adſtantes, ipſe dicentis apparatus (nam vernaculæ noſtræ expers, Latina lingua vtebatur) in populo energiam fertur habuiſſe mirabilem,cùm poſt illum ex fratribus, qui eum multi & præſtantes viri ſequebantur,aliquis interpretaretur populo, quæ ille antè enunciaſſet, vtriuſque ſermone in quintam horam extracto, cùm prior Ioannes in tribus, & qui

CAP. 39.

Crebra Cœnæ domini circũgestatio propter contemptum prohibetur.

ſequebatur, per reliquum tempus differeret. Commouit vſqueadeò populum, vt omnia vana ludorum genera, ſcacos, aleas, quicquid id generis eſt, conferrent in forum, fœminæ toralia & ſtructuras capitis, ac alia redimicula vana, vno igne, inſpectante populo, concremarent. Turbulenta fuere omnia in circuitu per tempora huius pontificis. Sed hæc poſteà: nunc, quod cœpimus, exequamur.

CAP. 40. MONASTERIENSIS eccleſia poſt Henricum pontificem incidit in grauiſſimam perplexitatem, quę in durum ac diuturnum bellum excreuit. Nam canonici electione legitima, vota emiſerunt in dominum Walramum, germanum Henrici prædeceſſoris, & Theodorici archiepiſcopi Colonienſis, cuius tunc erat nomen celeberrimũ per multas prouincias. Erant, qui ſe huic electioni clam opponerent: nam apertè non auſi, populum ciuitatis Monaſterienſis, & quoſdam ex miniſterialibus inflammarunt, vt vociferarentur, Walramum iam ab eccleſia Traiectenſi, de qua pridem contenderat, reprobatum, non paterētur ſibi epiſcopari: eſſe Ericum Oſnaburgenſem epiſcopum ſede ſua pulſum, virum à maioribus commendatiſſimum, quòd patruus eius Otto, optimè de eccleſia Monaſterienſi meritus, ab illis depoſceret, nepoti ſuffragarētur. Capitulo verò non eſt viſum ex dignitate ſua, cedere clamoribus populi, ſuo eligendi iure decedere, archiepiſcopum Coloniēſem aduerſum ſe excitare. Igitur egreſſi vrbe, ad ſuos ſe quiſq; propinquos, vt ſunt omnes canonici ordine miniſterialiũ orti: nec patiuntur plebeii generis inter ſe quenquam, etiamſi ſit literis & eruditione excellentiſſimus. Aſperum ac odioſum bellũ conſurgit. Ioãnes de *Hoia* comes, frater Erici à populo poſtulati, gaudebat vberem ſibi datam exercendæ virtutis materiam. Itaq; ciues Monaſterienſes, æquè ad cauſam feruentes, ille ducebat: nec illo contenti, conduxere ſtipendio ducem Brunſwicenſem Fridericum, vt Theodorico Colonienſi per diœceſim vaganti, opponerent principem. Meliùs aliquanto ſibi conſuluiſſent, ſi Ioannis ductibus contenti, ex ius ſententia rem geſſiſſent. Fridericus ferox ab armis princeps, cedere neſcius, vbi vidit hoſtilem exercitum impunè vagari, egreſſus tuto loco, caſtra fixit in aperto, nolens hoc crimen gloriæ ſuæ inferre, vt vel cederet, vel lateret. Potuiſſet extraxiſſe tempus, quoad auxilia illi, quæ erant non longè, veniſſent: ſed efferbuit indignatione, in prælium exiens cum paucis, aduerſus triplo maiorem & expeditiorem hoſtium exercitum pugnaturus. Ibi quanquam fortem operam & dux & milites nauaſſent, tamen, quod neceſſe fuit, concluſi in manibus multorum ſuperātur. Capiuntur dux ipſe & multi ſub ipſo militantes. Abducitur captus Coloniam: ibiq; diu manens, laxandum ſe Monaſterienſium ære eſt arbitratus. Illi verò, ad rem minimè properauere, arbitrati, præter mandatum ſe inieciſſe periculo non neceſſario. Cogitur poſt multa ſe ſuo ære laxare: manſit querimonia ad poſteros. Interim variis caſibus in octauum annum extrahitur bellum: quum illuſtris dominus Ioannes ex ducibus Bauariæ in Italia agens, intelligeret contendentium neutri magnum ius eſſe: & curiam petens, eccleſiam impetrauit vacantem. Literas expediuit, & venit in loca vicina, de iure ſuo inſinuans. Iam partes ambæ bello feſſæ, gaudebant inueniſſe ſe quo malum terminarent. Suſcipitur cum honore, introducitur: per illum omnia pacantur. Iam enim in fata conceſſit Walramus. Præfuit eccleſiæ in ſumma religione, donec ad eccleſiam Magdeburgenſem poſtulatus, eò conceſſit.

Canonici Monaſter. plebeiũ genere in ordine ſuo non patiuntur quantumuis literatiſſimum.

CAP. 41. OSNABVRGENSEM eccleſiam per hæc tempora ſuſcepit gubernandam inſignis & nobilis vir, dominus Conradus, natus de nobili domo de *Depholt*, cui ſe duces & comites inſeruerunt: præfuitq; cum ſumma laude eccleſiæ huic vſq; in vberem ſenectam. Multus illi labor ad reparandum diſiectum eccleſiæ ſtatum, per tempora turbulenta prædeceſſorum ſuorum. Libertatem eccleſiaſticam defendit vtroque gladio, opponens ſe murum pro domo Iſrael: exerens quandoque gladiũ, pro rerum ac temporum neceſſitate, prout cernebat vel hunc vel illum magis formidari: peregitq;, vt ſub illius regimine ſatis refloreſceret mirè depreſſus ſtatus rerum eccleſiaſticarum.

CAP. 42. MINDENSIS eccleſia poſt Ottonem, pontificem meruit Wullebrandum de *Hallermundt*, virum & religione & natu primarium: erat enim, vnde aſſumptus

ptus est, abbas Corbeiensis, nullo in ditione pontifice inferior, ordine & numero pontificum quadragesimus nonus. Arces & prædia ecclesiæ occuparunt vndecunque vicini nobiles ac militares, incuria superiorum pontificum: præsertim dum valeret illa controuersia de pontificibus non electis, sed per sedem Romanam immissis. Reposcebat hic pontifex ecclesiæ iura: non audiebatur. Militari manu occupata, militari nihilominùs erant manu reuocanda. Contemptui erat ecclesiastica potestas, igitur corporalis gladius exerendus fuit. *[Ecclesiæ clauibus neglectis, gladius arripiendus est mundanus.]* Armauit quotquot potuit, ciues suos eduxit, amicos implorauit. Et egressus, arces ecclesiæ vt recuperaret, oppugnauit. Primò quidem *Wedekenschen* de manu tulit nobilis viri Bernhardi de Lippia, *Reinnenberg* de manibus Nicolai comitis de *Tekeneborg*, & *Roden* de manibus Ioannis *Bock*. Non est promptum, neq; dulce, possessioni cedere. Igitur quod sponte noluerunt, armis erant cogendi. Proinde magno labore & sumptu ecclesiæ suæ iura recuperauit, ecclesiam magnificauit in temporalibus, nec quod ad religionem pertinet, negligebat. Sed durum & difficile est, viros militares sub leges mittere. Non cedunt suasionibus, subtractione prouentuum redigẽdi sunt ad qualemcunque ordinem. Quantum autem temporis hic pontifex præfuerit, non annotatur: *[Annaliũ scriptorũ ignauia]* neq; dies obitus, vt solet, signatur. Ita ad finem, vt ignau⁹ poeta, torpuit iste scriptor annalium, vt vetera signarit, recentia non annotauerit.

SVERINENSEM autem ecclesiam, post Hermannum, suscepit gubernandã *[Cap. 43.]* insignis vir, dominus Nicolaus, *Bœtker* cognomento: pręfuitq; annis tredecim cum summa laude. Et iam fessus rerum, quum ambiret quietem, renunciauit in manus summi pontificis, & concessit in ciuitatem Lubecẽsem: ibiq; priuatus vixit aliquot annis, & requieuit in Domino, in eadem ecclesia tumulatus. Ad cuius pontificatus primos annos iam concilium Basileense paulatim defluxit. Nam Eugenius Ferrariæ, deinde ob metum pestis Florentiæ, concilium egit. Mortuo enim Sigismundo Romanorum Imperatore, à quo Basileense concilium incrementum habuit: creato Alberto duce Austriæ in locum eius, concilium Ferrariense eius nomine cardinalis sanctæ Crucis inchoauit. Eò ꝑficiscitur & Eugenius, eò quòd aduentare Constantinopolitanus diceretur. Is Ferrariam ingrediens, non aliter ab Eugenio susceptus est, ac Romani imperatores suscipi consueuerant. Verùm quum pestis Ferrariæ increuisset, Florentiam transferre placuit concilium. Ibi habito sæpiùs conuentu, discussaq; Græcorum ac Latinorum contentione, tandem eò ventũ est, vt Græci rationibus victi, faterentur & Spiritum sanctum à patre filioq; procedere: vtq; in *[Græcorum in concilio Ferrariensi confessio]* azymo sine fermento, triticeo pane corpus Christi consecraretur: ac Purgatorii locum esse crederent. Postremò verò, vt faterentur Romanum pontificem esse verũ Christi vicarium, Petriq; legitimum successorem, primum in orbe locum tenere: cui & Orientalis & Occidentalis ecclesia meritò pareret. Abeuntibus autem Gręcis vigesima secunda Nouembris, re hoc modo composita, gaudentes in patriã rediere: Armeni etiam cum fide nostra conuenere. Papa, vt partes augendi conciliũ Basileense infirmaret, eodem tempore octodecim cardinales creauit: quorum de numero fuerunt duo Græci, Ruthenus & Nicenus: vt eorum authoritate, Græcorum semper vacillans natio, in fide contineretur: quæ tamen haud ita multo pòst in antiquos mores recidit.

GERARDVS autem in Bremensi ecclesia vidit turbulenta tempora, ipse, vt *[Cap. 44.]* potuit, quieti deditus: quum duces Brunswicẽses, Wilhelmus pater, & Fridericus filius, pro prælatis aduersus contumaciam Luneburgensium agerent: Bernardus autem dux Luneburgensis, senior Friderici filius, qui posteà administrauit ecclesiam Hildesemensem, cum Ioanne Verdensi episcopo stabat pro Luneburgensibus: causam eorum non frustrà tutatus. Gerardus iste conspicere potuit: sed se omninò noluit implicare, pacem præferens omnibus rebus. Vidit propiora, quib. abstinuit: quum fratres duo Gerardus & Mauritius, comites de *Aldenborg*, pro rebus patrimonii contenderent, super dominio *Delmenhorst*, qui olim erat diuisus comitatus, in quo plurimùm iuris haberet ecclesia Bremensis. Mirum autem, cur pontifices dissimularent Balduinus & Gerardus, cùm per mortem Nicolai archiepiscopi, donatione patris eius perueniret ad ecclesiã Bremensem, siue eã donationẽ non

probauerit imperator, ad reclamationem legitimorum hæredum: siue super ea re transactum sit inter ecclesiam & comites memoratos. Res enim in obscuro est: sed hoc certum est, neq; Balduinum, neq; Gerardum, successores Nicolai, vllam super ea re mouisse quæstionem. Tum verò fratres de *Oldenburg* comites, super ea re magnis odiis contendebant. Mauricius ad eam rem commouit ciuitatē Bremensem, vt suæ parti adesset: comites de *Hoia* eidem accessere. Archiepiscopus se rebus minimè implicuit. Gerardi partes Christiernus Daniæ rex, amborum frater, quibus potuit modis fouit, adiuuit, prouexit: & quoniam in persona adesse non potuit, cōmouit Wilhelmum seniorem Brunswici ducem, vt pro se Gerardo accederet: nec detrectauit operam. Obsederat Mauricius cum auxiliaribus *Delmenhorst*: & iam fame visus est expugnare, quando armis nocere non potuit. Et iam penè rem confecit, vt inedia compulsi, deditionem facere cogerētur. Quum Wilhelmus dux, qui Gerardo suppetias tulit, magno apparatu contendit obsidionem soluere, vt commeatus importarentur. Id vbi persensit Mauricius, quòd esset ipse in numero militum, & robore longè superior, geminam vno in prælio victoriam meditatus, obuiam contendit venientibus, vt illo agmine fuso, fugato, vel capto, vel exciso, alacrior rediret ad obsidionem (Diis aliter visum) spe plenus, non posse in longum differri deditionem. Wilhelmus dux rei bellicæ peritissimus, instructa suorum acie, vbi hostes appropinquare sensit, euocatos fortissimos militaris generis iuuenes, gladio de more cædens, militari cingulo decorauit, vt essent aurati milites in euētum victoriæ. Erant ex grandioribus natu, quibus consideratione periculorum lachrymæ in genis conspicerentur. Quorum vnus interpellatus à proximo iuuene, quid sibi velint lachrymæ illo in tempore, quando audacia sola pro muro est: Non mei (inquit) mihi capitis periculum lachrymas extorquet, sed tui, similiumq; me commiseratio tangit, qui pro ætate & mentis leuitate, qualia vaditis in discrimina non videtis: tamen audendum est alacriter, vt decus hodiernæ diei sit nostrum. Commissum est prælium durissimum, varia dimicatio. Ipse dux aliquando sub pedibus penè captus erat: vt ei imminens in eius corpore hostis cæderetur. Ibi tandem stetit victoria, vbi minimè putabatur. Capti comites de *Hoia*, cæsi, fugatiq; Bremenses. Mauricius ipse vix elabitur. Gerhardus autem archiepiscopus hæc quietus intuens, vbi vigesimum primum episcopatus sui annum attigit, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio in pace quieuit, tumulatus in ecclesia sua. Quem ea sequuta sunt tempora, vt non tam, quum viueret, amaretur: quàm, quum obisset, desideraretur. Nam bellis vndiq; tonantibus, ecclesia vicinis motibus est concussa: quod sequentia tempora monstrabunt.

Delmenhorst armis inexpugnabile, fame vexatur.

Inopinata victoria.

Archiepiscop' nō tam viuēs amat', quàm mortuus desideratus.

CAP. 45.

HILDESEMENSI ecclesię, Magno moriēte, optimo & desideratissimo pontifice, præficitur administrator dominus Bernardus dux Brunswicensis & Luneburgensis, filius Friderici, fratrem habens Ottonem. Is Bernardus quum ab annis iunior esset, postulatur à capitulo: & apostolica dispensatione cœpit administrare. Fouit, vt diximus, aduersus patrueles suos causam Luneburgensium, Burgēsium, & annis aliquot administrauit: nunquam tamen animum ecclesiasticæ disciplinæ adiecit: vtpote qui haberet in animo, cùm ex commodo proueniret, coniugalem amplecti vitam: quod & fecit, dimittens ecclesiam. Duxit coniugem, speciosissimam (vt ferunt) puellam, comitis de Schowenborg filiam. Sed ea viua non diu fruitur, subtractus è viuentibus. Eandem verò senior dux Wilhelmus, iam diu viduus, captus (vt ferunt) specie mulieris, multum reluctantibus filiis, quòd iam vetulus esset, duxit. Sustulit autem ex ea filiolum, non diu superstitem. Quo tempore quum Fridericus marchio Misnensis expeditionem haberet in Bohemos, cum multis in eo exercitu sequebatur dominus de *Gera* baro: cui hostis erat Henricus de *Swartzborg* comes, qui per absentiam eius ingressus illius ditionem, hostilia omnia peregit, gladio & incendio sæuiens. Id quum rescisset Fridericus marchio Misnensis, & iam dux Saxoniæ, grauiter infestus comiti de *Swartzborg*, in eum constituit vindicare. Id verò non passi Wilhelmus frater Friderici, ac Fridericus marchio Brandenburgensis, suscepere Henrici defensionem. Inde implacabili odio sæuitur: frater in fratrem, socer in generum tendit: mutua irrogauere damna.

Bernhardus Brunsuicensis Episcopatum Hildesemensem dimittens, vxorem ducit

damna. Sæpe leuia prælia, ſemel magno agmine certabatur: & factus ſuperior Fridericus Saxoniȩ dux, marchionis Brandenburgẽſis captiuos multos in ſuam tranſtulit victor poteſtatem, vt redempti magno ære luerent captiuitates.

Cap. 46.

LVBICENSIS eccleſia poſt optimum pontificem Nicolaum, meruit inſequutorem nihilo minorem, dominum Arnoldum, cognomento Weſtphale, decretorum doctorem, in legibus licentiatum, qui ab ineunte ætate in ſtudiis generalibus, publicisq; gymnaſiis diuerſatus, legendo, docendoq; magnum & celebre nomen ſibi conſciuerat. Is, miſſis ad vrbem oratoribus duobus, ex capitulo præſtantibus viris, confirmationem apoſtolicam promeruit, impenſis in eam rem ſupra mille aureis (ſed nihil ad hæc noſtra tempora. Necdum enim annatæ valuerunt) per dominum Nicolaum Suerinenſem & Ioannem Raceburgenſem, Gerardo archiepiſcopo ſe excuſante, & pro ſe vicarium in pontificalibus mittente, in eccleſia Lubicenſi eſt conſecratus. Varius illi labor in eccleſia. Cùm curreret odioſa Luneburgenſium cauſa, in qua finaliter arbiter electus, pronunciauit cum rege Daniæ, ita vt non multum inde gratulentur partes. Cauſa quoq; Pruſſiæ, cùm Ordo in ciuitates, & illæ viciſſim in Ordinem Teutonicorum belligerarẽt: miſſus & rogatus mediator, nauigabat: & cum eo conſulares de Lubeca oratores, tractauere fideliter & laborioſè cauſam. Sed non datum eſt, illo tempore finẽ rebus dari: ſequenti tamen anno, cùm ille rediſſet, per eos qui remanſere, iiſdem capitibus, quæ ab illo concepta & propoſita fuere, pax compoſita eſt. Nec caruit ille laboris ſui mercede apud Deum: non enim exitum, ſed animum, penſat Deus in remuneratione. Reuerſus ad eccleſiam ſuam bonus pontifex, in arce Vthin, quæ neceſſaria videbantur, exædificauit. Eccleſiæ maioris ſacriſtiam plumbo texit, ſuo impendio: comparauit epiſcopali menſæ plurima in villis, prædiis, annuis prouentibus. Moriens reliquit in teſtamento argenti facti plurimum, ad ornamentum epiſcopalis menſæ, non minùs quàm prædeceſſor eius. Libros inſignes, & quod omnia exuperat, magnum ſui deſiderium. Sedit in pontificatu ad decimum ſextum annum, ſepultus in eccleſia ſua.

Epiſcopus Lubecenſis, cõtra Luneburgenſes regis Daniæ partes, defendit.

Cap. 47.

PADERBVRNENSIS eccleſia in hunc vſque diem commendata archiepiſcopo Colonienſi, alium pontificem non habuit per eius tempora. Nunc autẽ morte eius viduata, per legitimam electionem epiſcopum ſuum meruit D. Simonẽ, natum domicellis de Lippia. Fratrem habuit Bernardum, vſque hodie viuentem, virum ſupra multos militarem, ſatis ad bella fortunatum, animoſum, conſtantẽ, procerum, fortem, & omnibus virtutibus militaribus præeminentem. Simon autem epiſcopus, cùm non careret æmulis, initio ſui pontificatus laborem habuit non modicum, luctatus cum his qui prædæ aſſueti dulcedini, quæſtũ fecere de rapina pauperum, vicinorum nobilium. Multa bella ſubiit, ob ſocietatẽ initam fideliter agebat, & ſummam apud omnes cum fratre fidem promeruit, perdurauitque in extremam vſque ſenectam. Cuius tempore cùm multa experiretur, hoc vnum habuit ſua eccleſia nouum, quòd præpoſitum ſuſtinuerit, & vſque hodie veneratur, plebeio genere, vtriuſque iuris doctorem, virum ſine controuerſia præcipuum: cùm inter canonicos non patiatur, niſi ordinis miniſterialis. Seruant idem multæ eccleſiæ, Magdeburgenſis, Hildeſemenſis, Halberſtadenſis, Mindenſis, Oſnaburgenſis, Monaſterienſis. Sed nulla inter oẽs obſtinatior eſt in illa re, q̃ Monaſterienſis. Alię patiũtur Doctores, aut Licentiatos, ob doctrinã egreſſos natalitia, vt miniſterialib. cõparentur. Ea verò nequaquã ſinit quemuis inſeri, præter hoc genus: inuentusq; eſt, qui cùm maioris eccleſiæ præbendã non haberet, præpoſiturã tamen aduerſus eccleſiæ ſtatuta in quodã collegio impetraſſet, poſſeſſionemq; eſſet aſſequut⁹. Sed non exibat prouinciã, cæſus à neſcio quo, qui indignationem canonicorum intelligens, etiam ſine iuſſu gratificatus eſt eis in re nimiũ crudeli. Paderburnenſis aũt & Oſnaburgẽſis hodie etiã venerantur quem dixi virũ, plebeii ſanguinis, doctorẽ, in vtraq; eccleſia præpoſiti dignitatem non ſolùm portantem, ſed etiam implentem.

Quæ Eccleſiæ ad Canonicatum nõ admittant, niſi qui ſit miniſterialis.

Cap. 48.

HALBERSTADENSI eccleſiæ, poſt Burchardum, præficitur præſtans vir, D. Geuehardus, cognomento de Hoym, ordine miniſterialium eius ditionis nat⁹: pręfuitq; eccleſię ſuę cum ſumma laude per annos viginti vnũ. Tum feſſus labore,

permiſit eccleſiam ſuam Erneſto, iam Magdeburgenſi, vt cumularet. Cernebat enim creſcere cõtumaciam & pertinaciam tam miniſterialium, quàm vrbicorum, vt non facilè parerent, niſi principi potenti, & niſi forti manu in viam iuſtitiæ dirigerentur, proteruituros, quod exitus ipſe docuit. Per cuius tempora ortum eſt & geſtum grauiſſimum bellum inter Brandenburgenſes marchiones, quibus adſtitere Miſnenſes, aduerſus ciuitatem Norenbergenſem, quæ & ipſa inuenit auxiliatores. Nam Bauariæ nonnulli principes ex veteri ſimultate aduerſus marchiones de Brandenborg, diu ſæpeq; conflixere. Varia fuit eius belli fortuna: nunc victi, nunc victores alternabãt. Albertus ex fratribus vnus ductabat exercitus, princeps ad arma natus, & inter arma educatus. Victus magno prælio, niſi celeritate ſibi ſuccurriſſet, conſuluiſſetq;, diu ſenſiſſet detrimenta accepta. Sed dum nemo hoſtiliũ partium hoc ſuſpicaretur, dum omnes viribus exhauſtis quieturum arbitrarentur, ille præter omnium opinionem armatum agmẽ produxit, & non expectantibus hoſtibus repentinus ſuperuenit: adeò terruit, vt vinceret, compenſans lucrum poſterioris victoriæ detrimẽtis fortunæ ſuperioris. In Magdeburg tum erat occulta multorum conſpiratio in caput aliorum: res in tegumento agebatur, nec debuit in lucem propalari, poſteaquàm non proceſſit inſtituta proditio. Conſtitutum fuit, vt præfinito die ad horam ſeptimam in veſperum ſignum fieret de turri per campanam ad arma vocantem. Qui ſuſcepit id miniſterii, Deo volente, errabat: vt ſignum daret ad eam horam manè. Stupuere omnes qui audiuere. Ipſi coniurati mirantur, ſtatim depræhendentes errorem: cæteri magis ſtupuere quid eſſet. Cumque ſe nemo commoueret, voluere boni viri, vt acceptus ille malignus interrogaretur, quid in animo haberet, cum terribiliter vociferaretur, Huc huc contubernales in latam viam. Sed impediuere alii, quibus detecta veritas maculam inuſſiſſet. Placuit tegere malum, ne apertum in deterius abiret.

Halberſtadenſium miniſterialiũ, & vrbicorum cõtumacia.

Occulta Magdeburgenſium quorundã conſpiratio.

CAP. 49. HILDESEMENSIS eccleſia tum accepit pontificem, nobilem virum, D. Erneſtum, natum comitibus de *Scowenborg*, dum Bernardus Luneburgenſis, adminiſtratione dimiſſa, vxoriam vitam eſt aggreſſus. Quandam videbatur inire permutationem vterque: nam Bernardus accepta coniuge Mechtilde, germana ſorore eiuſdem Erneſti, reddidit illi ſponſam ſuam Hildeſemenſem eccleſiam. Gubernabat illam per annos duodecim, & inter agendum, nonnullis, vt in ea gente, implicabatur aduerſis. Moriebatur tum ſine hærede D. Adolphus dux Sleſwici, & comes Holſatiæ. Tum comitatus hæreditario iure per lineam maſculinam videbatur relapſus ad comites de *Scowenborg*: nam ex illa domo prodiere comites Holſatiæ, ab vſque primo Adolpho de *Scowenborg*, cui, vt ſuo loco diximus, Luderus dux Saxoniæ dedit comitatum Holſatiæ. Sed iam nunc comites de *Oldenborch*, ex quibus erat Chriſtianus rex Daniæ, nati Adolphi memorati ſorore, propiores erant, ſi gradus numeres: ſed non ſolet tranſire feudum per lineam fœmineam. Comites autem de Scowenborg, etſi lineam tenerent maſculam, longè tamen diſtantiores erant. Interuenit autem pactio, & inter partes tranſactio, quòd rex memoratus dabat comitibus multa nummûm millia, quæ tamen à populo terræ indicta, collecta recepit: fratribusque ſuis ſatisfecit, vt ſibi & poſteris ſuis permitterent Holſatiam. Hoc etiam tempore Fridericus dux Brunſwicenſis, Wilhelmi filius, repreſſaliarum iure currus de Lubeck onuſtos mercibus tenuit, non longè à *Gotting*, quòd Luneburgenſibus præſtarent auxilia, commercia, & ſodalitia. Sed Bernhardus dux Luneburgenſis ad arma concurrit, ſequutæ vaſtationes hinc atque inde. Peruenit deinde res ad placita, conuenitque vt principes Brunſwicenſes arcem *Morinck* darent in pignus, quoadusque cognoſceretur, iure, an iniuria res acta eſſet. Comes quoque prouincialis Haſſiæ, tum vehementer infenſus Embecenſibus, expedito in eos mouit exercitu. Ciuitas ex vicinis vrbibus mutuabatur auxilia, & à ſuis principibus equeſtrem militiam, exceptura venientem. Ille vbi intellexit præparatos ad pugnam, retrò abiit, ponens quod in animo habebat.

Feudum per lineam fœmininam tranſire non ſolet.

CAP. 50. RACEBVRGENSI autem eccleſiæ per ea tempora præfuit inſignis vir, D. Ludolphus, eius nominis ſecundus, qui per oĩa erat vir Apoſtolicus, moribus, vita,

veram præferens pontificis normam. Fuit nanque pius, prudens, humilis, mansuetus, pudicus, sobrius, castus, iustus, & quietus, neque dolus aliquando est inuentus in ore eius: & inter affligendam carnem suam, spirituique subiiciendam, cilicio ad nudam cutem vtebatur. Hic ante episcopatum præposituram in ea sua ecclesia diligenter administrauit, cui ad longos annos laudabiliter præfuit. Cumulauit in ea in pios vsus ecclesiæ bonam pecuniam, quam, adeptus episcopatū, mensam episcopalem leuare, adhuc ære alieno grauatā, instititi, impendens. Alia quoq; ecclesiæ onera, grauiter illā prementia, ademit, profuitque in quàm plurimis. Hic inter cætera præclara facinora, præposituram narratam, de qua assumptus fuit, cōpetenti prouisione, pro introitu cuiuslibet successoris dotauit equis, vaccis, porcis, ouibus, satis, frumentis, cæteraque rustica supellectili in opus necessaria, in valore quadringentarum marcarum Lubecensis monetæ: quæ deinde quisque præpositorum decedentium, vel cedentium, suo successori relinquere habet necesse, prout in literis desuper conceptis plenius continetur. Ordinauit quoq; viginti marcarum perpetuos redditus: decem apud capitulum, & alias decem apud mensam episcopalem: sequutus prædecessorem eodem instinctum spiritu, pro canonicis ecclesiæ suæ in publico literarum studio sustinendis. Opus per omnia laudabile, cùm vbique viris doctis ecclesia opus habet. Moguntia per illa tempora miserabilem passa est ruinam: ex libera facta est ancilla, dum duo de archiepiscopatu contenderent, vterq; à sede Apostolica confirmatus. Intus erat Dietherus de *Isenberg*, foris pugnabat Adolphus de Nassaw: qui ope Palatini, & occulto consilio intus proditorum, ciuitatem cepit, traditoribus in primis sua præmia persoluit, aduersæ partis factionem abduxit: vix ipse Dietherus elabitur. Iudæis præcipuè adempta sunt iura, cùm victorum arbitrio cuncta gererentur.

Ludolphi II. Raceburgensis ecclesiæ præfecti incredibilis sanctimonia.

Studiosis in Vniuersitatib. alendis redditus constituit episcopus.

CAP. 51.

SVERINENSI autem ecclesiæ, cùm eam Nicolaus festinans ad quietem, dimitteret, præficitur D. Godfridus de Lange, Luneburgensis, antè loquutus cum Nicolao, quid discedenti Nicolao à succedente esset erogandum. Hæc quum Apostolica essent prouisione roborata, per procuratorem renunciauit in Romana curia. Et non ignorante capitulo, fit Godfrido de ecclesia prouisio. Sed breuis erat iste pontificatus: vix anno expleto, concessit in fata. Ioannes Capistranus, ordine Minor, exuscitans obseruantiam, de quo superiori quodam loco diximus, tum erat in Germania, prædicans, miraculis coruscans, ritum vitę illius operæpreciū est agnoscere. Vestitus ille de more dormiuit, ante lucem surgere, pensum diurnæ seruitutis, sacrificium labiorum deuotissimè per interualla persoluit, diuinum altaris sacrificium peregit, tum sermonem ad populum latinè habuit, posteà per alios interpretatum: sermone expleto, ad cœnobium sui ordinis reuertenti, sexta ac nonis completis, infirmos visere, apud eos morari, manus omnibus imponere. Biretum sancti Bernardini, cruore de naribus profluente post mortem tinctum, singulis admouit ægrotantibus. Precari supplex pro omnibus, exinde cœnare: deinde his qui se accedunt, audientiam præstare, moxq; vespertinum officium dicere. Quo expleto, ad ægrotos reuerti, atq; cum his ad mortem præparandis, ad necem vsq; exercere. Tum demum cōpletorio & aliis precibus peractis, quieti se reddere: minimum esse quod somno dedit: tum reuidendis sacris codicibus operā dare, vbi pusillū temporis furatus est. Hic homo in terris cælestem, sed occupatissimā & laboriosissimā, vitam peregit. Arido & exili erat corpore, annos natus supra LX. Quum inter Germanos ageret, sola cute & neruis ossa hærebant, spiritu vegetante.

Pontifex populo latinæ linguæ rudi latinè concionatur.

CAP. 52.

BREMENSI interim ecclesiæ, moriente Gerhardo, Henricus natus comitibus de *Swartzburg*, præficitur, annitente D. Ioanne Roden, ecclesiæ maioris præposito, bullarum Apostolicarum correctore. Qui transiens & rediens crebrius itinere suo ad vrbem, vel ab illa, quadam familiaritate vsus est comitis senioris, qui numerosa prole pręditus, à correctore poscebat, vt in vacatione ecclesiarū quibus adesset, vnius filiorū eius rationem haberet. Ergò vacante Bremensi ecclesia, cùm de electione noui pontificis ageretur, in sui ipsius personā vota inclinātia, q; locupletissimus & Romanæ curiæ expertissimus, multorum magnatū amicitia præditus esset, in hunc à se Henricū deriuauit: qui cōfirmatus ab apostolica sede, à mul-

Prolis numerositas episcopatus petendi causa.

Quarum rerū in episcopis eligendis præcipuè sit habita ratio.

tis principibus,& plurima nobilitate solenniter est introductus. Inuenit autem paratum sibi laborem apud Gerhardum de *Oldenburg* comitem,qui recenti bello victor fratris sui & Bremensium,victis duras fecit conditiones. Sedata est tamen illo anno inter fratres omnis controuersia. Prouenit autem *Delmenhorst* Mauritio, cùm Gerhardus opulentiorem partem haberet in *Oldenburg*. Satis gauisi sunt omnes,quòd Gerhardus malè pace affectus, de via regia in occiduas partes discederet. Erant tamen in commilitio eius,qui siue sciente, siue ignorante eo, crebriùs cernerent,quid per viam ferrent mercatores,quàm illis commodaret. Post duos annos,cùm multa Bremensibus medio tempore incommodasset,suum ciues implorauere archiepiscopum,vt rebus finem daret:nam Visurgum, siue Weserã fluuium malè pacatum habebat.Ecclesiam vicino loco firmauit in morem castelli,vt ab incursione ciuium immunis esset. Ergò archiepiscopus motus suorũ querimoniis,magno exercitu duxit in Gerhardum.Non sperabat Gerhardus eum tam esse promptum ad arma,quem irrisoriè notauit,vt atramentarium appellaret.Sed iam conspiciens armatum,curauit interponere amicos,vt primùm in treugas, deinde in compromissum res perueniret. Compromissarij facti sunt episcopus Verdensis, & Otto dux Luneburgensis,qui neque bellum promisere,neque tum causam terminarunt:sed distinuerunt Gerhardum, ne facto in se prouocaret, quos difficile fuit iratos sustinere. Cùm autem proximis annis in Holsatia rem ageret Gerhardus,quod in Saxonia diximus, tranquilla fuere omnia trans Albiam in Bremensi ditione.

CAP. 53. MINDENSI ecclesiæ tum præfuit nobilis vir Albertus,natus ex comitibus de Hoia,homo satis ventri deditus,plusquàm religioni. Rusticam ferè vitam egit,totos pene dies agens in conuiuio,aut rustica communione : familia pariter & reliqua plebe se gerente ad episcopum,quasi vnum ex ipsis. Ad hoc se natum reputabat,vt ederet:ad hoc nobilitate prouectum,vt in deliciis ageret : quod tamen magnoperè non requisiuit. Ad hoc prouectum in episcopatum,vt sumptus, quo minùs posset de patrimonio,de ecclesiæ prouentibus haberet. Sic animatum, sic viuentem, viderunt illum sua tempora:de diuina religione in ecclesia, de prouentibus episcopalis mensæ adaugendis,de arcibus suis firmandis,nulla ei cura. Viuebat in diem. Etiam si de pecoribus abactis quid vesceretur,non recusabat.Tali viro ad finem penè regiminis sui enascitur cum vicinis comitibus de *Schawenborg* bellum,quod voluntate ministerialium & denunciatur & geritur. Episcopo nullius rei magnæ curam suscipiente, accessere partibus auxilia: leuia fiunt crebra prælia,mutuæ ab inuicem rapinæ.His rebus dum vtraque pars æquè fatigata esset, composita res est æquis cõditionibus,& quieuere vicissim arma. Nec multò pòst, Albertus viuendi finem faciens,dormiuit cum patribus suis.Eius temporibus monasterium,nunc insigne,Molenbeccense mutatum est, post canonicas excipiens fratres regulares,anno millesimo quadringentesimo quadragesimo primo. Nam sub manibus dominarum dum labitur religio,omnia pariter collabuntur:ruerunt ædificia,perierunt prædia,ad mendicitatem versa sunt omnia : nunc sub manibus fratrum regularium omnia refloruerunt.

Episcopus ventri plus quàm religioni deditus.

Monasterium Molenbeccense sub virginibus collapsum sub fratribus restauratur.

ALBERTI KRANTZII
METROPOLIS, LIB. XII.

CAP. I.



SVMMORVM pontificum,qui ad nostra vsque tempora supersunt,lineam exequamur: quòd omnis à capite edenda sit ratio, vt pleniùs sibi constet.Post longęuum ergo schisma,quod durauit annis quadraginta, quum vtriusque obedientiæ cardinales conuenissent,opera maximè Sigismundi regis Romanorũ,congregata est synodus vniuersalis in ciuitatem Constantiensem, vt ecclesia in capite & membris reformaretur. Ibi primùm de vnico

vnico pontifice, indubitato ſucceſſore Petri deligendo, eſt deliberatum.

MARTINVS quintus, natione Romanus, familia Columnenſi, *Odo* antè vocatus, diaconus cardinalis de obedientia Gregorij, omnium cardinalium, nationum, & prælatorum conſenſu, in concilio Conſtantienſi deligitur pontifex: ibique rebus neceſſariis ad eccleſiæ compoſitionem conſtitutis, per Mediolanum, Ferrariam, Rauennam, venit Florentiam: Bononiam euitauit. Ibi conſedit duobus annis, deinde Romã expectatus venit: vrbem reformans, anno decimoquinto quieuit. 218.

EVGENIVS quartus, patria Venetus, nepos ex ſorore Gregorij duodecimi, à quo repugnans penè Romam ducitur. Primò ſuum fecit theſaurarium, inde Senenſem epiſcopum, poſteà etiam cardinalem. Vir non magna literatura, ſed integris ſenſibus. In principio pontificatus vacillabat, Romanos ad arma prouocando, & Baſileenſi concilio dedit authoritatem. Pòſt meliori ſenſu omnia prouidit. Concilium Florentiæ peregit ad vnionem Græcorum. Vixit in pontificatu ad annum decimum ſextum. 219.

Epiſcopus quidem benè cordatus ſed malè literatus.

FELIX quintus, dux primus Sabaudiæ (nam antè comites erant) in concilio Baſileenſi depoſito Eugenio, quorundam inſtinctu pontifex creatur. Vir prouectæ ætatis, iam ſeculo relicto, cum ſex viris equeſtribus ſecedens mundo, ſeruire velut in eremo inſtituit Deo. Quum ſe audiſſet creatum pontificem, tonſus, multa ſtipatus nobilitate venit: pontifex conſecratur, diuinum peragit officium crebriùs, creat cardinales, nouem annis ſe pro pontifice gerit. Eugenio mortuo, cedit Nicolao, manens cardinalis legatus. 220.

NICOLAVS quintus, Sarzana oppido Lucenſis agri, patre phyſico, humili genere natus, non mediocri virtute & eruditione vir, vno anno epiſcopus Bononienſis, cardinalis, & pontifex creatur. Ita aſcendit repente, vir certè dignus eccleſiaſtico throno. Doctus amabat doctos, ditauit, & in precio habuit: Græcè ſcientes honorauit, codices vndecunque precioſos conquiſiuit: multa exædificauit ad præſepe, & in palatio, quod muris & turribus firmauit. Moritur pontificatus anno octauo. 221.

CALIXTVS tertius, Hiſpanus, patria Valentinus, gente ſatis nobili, vtriuſq; iuris acutiſſimus doctor: vir omni vita integer, in ſenecta vberi pontifex creatur. Turcorum acerrimus hoſtis, quibus bellum indixit poſt creationem ſuam. Miſit legatum, qui biremes à ſe factas duceret. Excitauit principes Chriſtianos, & infideles Perſarum & Tartarorum reges. Plura facturus, ſi longior illi vita fuiſſet. Moritur pontificatus ſui anno tertio. 222.

Calixtus acer Turcorum hoſtis.

PIVS ſecundus, patria Senenſis, Corfinio ortus, Æneas Syluius antè dictus, cui Pij nomen congrueret. In concilio Baſileenſi enituit: Friderico Imperatori innotuit: ab eo in ſecretarium, deinde in conſiliarium aſſumitur. Epiſcopus Tergeſtinus, inde Senenſis, à Calixto cardinalatus in numerum vocatur, poſt eum creatus pontifex. Concilium Mantuæ celebrauit: bellum Turco indixit, quod etiam in perſona obire decreuit. Vir facundiſſimus, Anconam delatus, moritur, anno pontificatus ſui ſexto. 223.

PAVLVS ſecundus, natione Venetus, Eugenij ex ſorore nepos, iturus in mercaturam, quum audiſſet Gabrielem auunculum creatum pontificem, literis animum adiecit: & Romam profectus, primùm archidiaconus Bononienſis, inde epiſcopus Ceruiæ, poſteà cardinalis ſancti Marci, inde pontifex creatur. Vir corpore ſpecioſo, animo virili: diligens in colligendo auro, diligentior in diſtribuendis beneficiis. Quum ſibi longam vitam promiſiſſet, die quo lætus cœnauit, noctu moritur, pontificatus ſui anno ſexto. 224.

Pontifex inopinata morte moritur.

SIXTVS quartus, natione Ligur, patria Saonenſis, ordine Minor, generalis in eo, per omnes gradus in ordine creuit. A Paulo cardinalis creatus, ei ſucceſſit in pontificatu. Integer vitæ, & doctrina clarus, nepotes magnificauit. Romam antè ſordidam purgauit, ſacella erexit, hoſpitale ſancti ſpiritus, & in eo fraternitatem inſtituit. Mariæ de populo, & pace, templa renouauit. Anno pontificatus ſui decimo tertio moritur. 225.

226. INNOCENTIVS octauus, patria Genuenſis, Ciborum antiqua familia progenitus, epiſcopus pridem Melphitenſis, à prædeceſſore in numerum cardinaliũ adoptatus, in datariũ aſſumitur: inde mortuo Sixto, pontifex creatur. Longa infirmitate impeditus, multa quæ conceperat, implere non potuit. Ornauit pontificiũ palatio, domum ſolatij miro modo inſtruxit, Belluidere vocauit. Diuturnæ infirmitatis finem habuit mortem, anno pontificatus octauo.

227. ALEXANDER ſextus, natione Hiſpanus, patria Valentinus, nepos Calixti tertij: à cuius memoria, & ab adoleſcentia ſua in cardinalatu diu vicecancellarius, omnem curiæ Romanæ ſtatum, procurſum, & totius Italiæ principum & communitatum conſilia callens, pontifex maximas res gerit hodie. Potentes in vrbe familias exterminauit, omnes penè potentatus Italiæ, ex tyrannis conſtitutos, ſubuertit, per Cæſarem, quem ducem vocant Valentinum: cuius genituram neque pater, neq; filius diffitentur. Exitum multi præſtolantur in orbe Chriſtiano.

CAP. 2. NEMINI dubium, ſæcula decurrere nutu vnicæ maieſtatis, per quam reges regnant, & potentes iuſta decernunt: cuius ordinatione in ipſo voluente ſeculo, magnarum & illuſtrium rerum authores inuenimus præſediſſe pontifices. Nam ad annum milleſimum quingenteſimum hunc cernimus Alexandrum incomparabilia per vniuerſam Italiam facientem. Quadringenteſimum tenuit Bonifacius nonus, is qui primus frenum iniecit, antè ſemper inſoleſcere Romanis ſolitis. Trecenteſimus fuit Bonifacij octaui pontificis, cuius animum orbis non æquauit, qui pontificalem & imperatoriam mitram adhibuit capiti, teſtatus duos gladios in manu ſua. Ducenteſimo præfuit Innocentius tertius pontifex, cui parem multa doctrina, rerum magnificentia, ætas illa non habuit. Teſtatur hoſpitale ab eo fundatum, & à Sixto renouatum. Centeſimum poſt milleſimum tenuit Paſchalis pontifex, inſignis ea calamitate, quam illi Henricus quintus Imperator ingerebat: qua tamen vicit illam ferociam, & confregit.

Magiſtratus omnis eſt à Deo.

Bonifacius VIII. pontifex & Imperator ſimul.

CAP. 3. MAGDEBVRGENSIS eccleſia poſt Fridericum optimum & religioſiſſimũ pontificem, promeruit æquè optimum principem, D. Ioannem epiſcopum Monaſterienſem, quem capitulum poſtulauit, papa permiſit: ſed dilata eſt in ſecundũ penè expletum annum eius inthronizatio, ſiue diſcordia poſtulantium, quod non videtur veriſimile: ſiue difficultate conſenſus ex illo, ſiue intricatione rerũ in Romana curia. Omnibus his, aut quibuſdam ex his, cauſis protelatio facta ſit, introductus eſt magnificè, gubernauit eccleſiam ſecundum Deum & formam, quam præfiniuit illi prædeceſſor eius Fridericus. Erat hic Ioannes ex ducibus Bauariæ. Frater eius D. Stephanus, Colonienſis canonicus, marchio Brandenburgenſis, cùm induceretur, aderant. Gubernauit eccleſiam pacificè annis decem, & tranſiuit ad meliora. Durabat illo tempore grandiſſimum bellum, quod erat ciuitatibus Saxoniæ in duces Brunſwicenſes, Wilhelmum & filios eius, ob cauſam ratardatorum in vim repreſſaliarũ, de Lubica cum mercibus venientium curruum. Incendia multa fuere in detrimentum principum. Oppidum Hardexe cum arce capitur: pauperes maximè, vt fieri ſolet, luunt peccata maiorum. Fridericus autem marchio Brandenburgenſis interpoſuit ſe medium, & vocatis partibus in Quedelinburg, finem bello fecit. Damnis damna ſunt compenſata. Neque mercatores, neque ruſtica plebs, vt conſueuit, conſolationem vllam inuenit. Ioannes archiepiſcopus, vt zelum iuſtitiæ in ſe monſtraret, expeditis, quantos potuit ſuorum, vnà cum Burgenſibus ex vrbe profectus, ad obſidionem arcis Calefordè. Inerant miniſteriales, qui nuper pannos ingenti precio tenuerant, cauſam vndecunque quærentes. Brunſwicenſes cum ſuo principe erant in itinere. Stetit ſententia arcem ſubuertere, vt iniuriam publicam vindicarent: ſed priuſquàm illi aduenirent, pacti ſunt obſeſſi reddere quæ iure, vt ipſi dicebant, tenerent, & direpta, ad extremum perſoluere. Ita rebus compoſitis, redeunt in ſua, qui ad oppugnandum exiere.

CAP. 4. LVBICENSI eccleſiæ tum poſt Arnoldum præficitur pontifex D. Albertus, cognomento *Krummedyck*, ex genere miniſterialium Holſatiæ, canonicus Lubicenſis, in Romana curia diuerſatus. Cum prædeceſſore ſuo in Pruſſia cauſam magni

gni belli contrectauit. Præfuit ecclesiæ per annos viginti tres. Operosus quidem pontifex, à capitulo dilectus, ibique consecratus. Qui regi Daniæ nimis ad obsequia volens, suæ proinde ecclesiæ grauis & onerosus, nimiũ sumptuosus, & splendidus. Legationes regias obibat, suis & ecclesiæ impensis, quod ipsum questus est: sed nihil eo res facta est melior. Potuit aliquando quieuisse, sed rebus assuetus magnis gerendis, seipsum quandoque videbatur ingerere. Cognationem suam locupletare voluit, sed vnde posset, non erat. Argentum formatum, quod duo eius prędecessores donauere magno pondere ad decorem & instructionem pontificalis mensæ, cum cæteris auolauit. Non est quòd glorietur ecclesia, eius temporib. aucta ecclesiæ prædia, ditatam mensam episcopalem, extructas ædes, vel in curia Lubicensi, vel in arce Vtinensi. Benè haberet, si, quæ habuit antè, etiam post illum teneret. Viginti millia marcarum æris alieni relicta sunt in ecclesia, quum moreretur. Creditum est, eum mœrorem auxisse morbum, & fata eius properasse. Pij cordis videbatur pontifex, cunctis beneuolus, nulli negans audientiam, ad omnia verbo promptus, vt nemo duritiem eius quereretur. Constantia aliquando desiderata est. Memoriam sui reliquit apud multos creditores, qui quererentur, & optarent vnde suum reciperent. Exornauit tamen magno sumptu crucem Dominicã in ecclesia Lubicensi, quæ hodie insignis visitur in medio ecclesiæ, vbi etiam tumulatus quiescit.

Episcopus nimiũ sumptuosus & splendidus.

SVERINENSIS ecclesia post breuem Godfridi pontificatum, accepit episcopum præstantem virum, dominum Wernerũ, cognomento Wolmers, Hamburgi natum, eius ecclesiæ canonicum, virum industrium, in Romana curia diu versatum. Qui cum magna laude præfuit ecclesiæ suæ, multa extruens in arcibus ecclesiæ. Nullis magnis impendiis ecclesiam grauauit, mediocris in sumptu, & omni apparatu: prouidus in omni opere, modestiam vbique seruauit, nusquàm exuberauit. Vidit in sua ditione tempora tranquilla. Per cuius tempora Gerhardus de *Oldenburg* comes, in Holsatia omnes penè arces accepit in deditionem, præsumpta, vt credebatur, regis voluntate: & fuisset facilè Rex illum pro gubernatore in commodum regis omnia agere, nisi in sua ille commoda rem deriuasset, hæredem se prætendens nulla parte fratre longinquiorem. Quo comperto, rex ipse aduolans, Gerhardum in arcem *Segeberg* ad se conuocauit: ibique in libera custodia habuit, tenuitque donec omni se terræ gubernatione abdicaret: expromissam tamen illi pecuniam, ab incolis terræ collectam, iussit illi prouenire. Ita miseri agricolæ non solùm annuis censibus dominos alunt, verùm etiam pacem illis suo emunt sudore. Sed quum finem non faceret Gerhardus in Holsatia dominandi, perurgeretque militares terræ aliquando de armis cogitare, Lubicam illi petiere, intelligentiam & mutua fœdera certis pactionibus fecere in Gerhardum, quòd dissimulante rege hoc moliretur, vt omnibus modis humiliaret militiam eius terræ: cui præter antiquam Æsopi de ranis fabulam, nihil competentius poterat responderi. Traxerunt in eam pactionem etiam Thietmarsos, ne grauior illis incumberet Gerhardus, quem omnes per Holsatiam agricolæ miris affectibus coluere. Nam hodie etiam in senibus viget memoria, & desiderium Gerhardi. Quum verò dominationem suam in id erigeret, vt regem etiam fratrem posthaberet, non est passus ille iniuriam. Arma etiam propulsando Gerhardo intentauit, auxilio ciuitatum Lubeci & Hamburgi. Ergò inuitus cedere Holsatia Gerhardus: exinde cœpit hostem in aperto agere Lubecensium & Hamburgensium, quòd illum armis hæreditaria possessione pepulissent, facilè se cum germano fratre in gratiam rediturum, nisi ciuitates malo suo se interposuissent. Iam enim secura memoratis ciuitatibus ab illo erant omnia. Non fuisset fortasse rebus vrbiũ memoratarũ ad profectum alienũ, si illum in Holsatia cum fratre quomodo possent agere siuissent. Nam inde, quoties opus videretur, gratiam regis aucuparentur, vt tamen Gerhardum nõ offenderent: nunc verò paratum sibi suisque hostem extruserunt in eam regionem, vbi maximè noceret.

Cap. 5.

Episcopus in sumptu mediocris.

Gerhardus comes Oldenburgicus Lubecensium & Hamburg. fit hostis

MONASTERIENSIS ecclesia, translatione domini Ioannis in Magdeburgam viduata, postulauit in episcopum dominum Henricum, Bremensem archiepi-

Cap. 6.

scopum, ea lege, non vt administrator sit Monasteriensis, sed vt sit ibi episcopus, si volet & poterit: Bremensem, permittente summo pontifice, in commendam retinere, facilè passuros. Quid non facit ambitio secularis, & maioris respectus in seculo potestatis? Propter hoc confunditur ecclesiasticus ordo, vt maiori dignitate amissa, arripiat minorem, quæ secundum seculum maiori prouentu, & armorum maiori esset potentia. Ille quidem transibat in Monasteriensem, & Bremensem nō reliquit. Idcircò ad annum Christi septuagesimum primum, Gerhardus de *Oldenburg* comes, iamdudum fratre Mauritio rebus humanis exempto *Delmenhorst* tutoris nomine pro fratris liberis gubernabat, & in Lubicenses atque Hamburgenses, iam (vt ferebat) hostes suos, crebra commeantibus damna ingerebat. Pertæsum est Henricum Bremensem administratorem eius rei: nec arbitrabatur ex sua esse dignitate, latrocinia in suo districtu permittere, inita societate cum memoratis ciuitatibus, quibus se Gerhardus hostem esse præ se ferebat: simul repetens ius ecclesiæ in *Delmenhorst*, quod prædecessores eius dissimulauere, comparatis armis & necessariis apparatibus, arcem *Delmenhorst* obsedit, fratre eius Gunthero omnia pro militiæ magistro gerente. Et erat expugnationis spes non tam in armis, quam fame. Sed quum essent itinerum minùs periti, qui oppugnationem vrgebant, importati sunt commeatus, inuitis obsidentibus. Quod vbi compertum est, iam in longum duraturā obsidionem, pater Henrici administratoris, comes de *Swartzburg*, missis ad hoc nunciis, rem intercepit, & ad concordiam perduxit, vt Gerhardus itinerantibus præstaret incolumitatem: quod ille pollicitus, malè impleuit. Nam fisi ea tum compositione, mercatores pannos suos per terram vexere Lubicenses. Venit nuncius, ipse mercator ad Gerhardum, saluum postulans conductū pro pannis qui essent in itinere, in promptu numerās aureos quinquaginta dono: acceptisq; literis, velut benè gesta re, adduci curat fasces pannorum memoratos. Vbi venerant, iussit Gerhardus in arcem perduci. Exclamat mercator, sibi suisque rebus saluum esse præstitum conductum, literas paulo antè datas ostendit. Ille refert, nisi literas tradidisses, non venisses: abi, plura allaturus: & tamen intelligere debes, literas meas loqui de amicorum, non de hostium, rebus: quo in loco mihi dudum fuere Lubicenses. Abiit ille mœstus.

Arcem Delmenhorst obsidet Henricus administrator Bremensis.

Cap. 7. VERDENSI ecclesiæ, tum cessione grandæui patris, domini Ioannis, viri nonagenarii, eius adoptione, & capituli consensu, Apostolica interueniente authoritate, præficitur insignis vir, dominus Bertholdus, genere natus ministerialium de *Landesberg*, pridem ecclesiæ decanus, prædecessoris sui authoritate, vtriusque iuris eminentissimi doctoris, promotus in Decretis licentiatus. Anno septuagesimo, die decima octaua mensis Maij, à pontifice Paulo ad ecclesiā Verdensem promotus. Eodem anno in die Simonis & Iudæ Apostolorum, in ciuitatem & ecclesiā Verdensem honorificè susceptus, admissus, & inthronizatus est, regimenq; & administrationem ecclesiæ, quam iam duobus proximis annis, vt commissarius domini Ioannis prædecessoris exercuit, tunc vt verus pastor deuotè & humiliter inchoauit, pacem bonam ecclesiæ cum Dei adiutorio procurando. Post duos deinde annos, cùm domino Henningo, electo & confirmato Hildesemensi, quod statim dicemus, maxima controuersia excitaretur, hic aduersus omnium ministerialium ecclesiæ Hildesemensis, qui multi ac potentes sunt, voluntatem ad ciuitatem & ecclesiam quadringentis equis potenter introduxit, & posteà idem potenter ac fideliter adhæsit, quoad præfatus Henningus episcopus, propinquus eius, victoriā de hostibus sine contradictione possideret: licet ministeriales ecclesiæ suæ multa in eum mala sint machinati, potentes principes in eorum subsidium aduersus illum inducentes. Primò quidem D. Hermannum, prouincialem comitem Hassiæ, deinde ducem Magnopolensem, contra quos præfati episcopi Verdensis & Hildesemensis arma sumebant: & in subsidium aduocauere dominum Wilhelmum patrem cum filiis, duces Brunsuicenses. Idem dominus Bartoldus posuit primum lapidem in fulcienda parte occidentali, in ecclesia Verdensi. Adauxit prouentus mensæ episcopalis ducentis annuis marcis, apud senatū Luneburgensem, prout in literis desuper datis pleniùs continetur. Idem pontifex arcem *Rodenburg* robustis-

robustissimo aggere communiuit, & fossatis penè insuperabilibus cinxit. Portam quoque nouam munitissimo opere, quæ ducit in oppidũ, exædificauit: intus quoque firmauit ædes & ornauit.

Arx Rodenborg aggere fossisq; communitur.

Cap. 8.

Hildesemensis ecclesia, moriente Ernesto, quum de successore ageretur, mirabiliter cœpit fluctuare, quum eligentium vota se diuiderent. Nam maior pars elegit D. Hermannum, Hassiæ comitem prouincialem, nunc ex multis annis archiepiscopum Coloniensem. Minor pars vota contulit in dominũ Henningum decanum, cognomento de Domo. Hermannus quum veniret ad propinqua loca, videretq; paratũ bellum, ob eam rem retraxit pedem, nolens implicari tantis malis. Interim Henningus vrbem Romam petens, qualicunque prætensa forma, obtinuit confirmationem à sede Apostolica: consecratusq; ibi rediit episcopus, & (vt statim annotauimus) armis propinqui sui domini Verdensis, & quos habebat in diœcesi amicos, fauore etiam ciuitatis, introductus est. Interim arces ecclesiæ seruabat præpositus cum ministerialibus ecclesiæ, & conuocans capitulum in tempore, postularunt in locum recusantis Hermanni, dominum Balthasar, iuniorem quàm vt eligi posset (nam & ecclesiam Suerinensem tenebat in commendam) ducem Magnopolensem, qui armis fratris introductus, consedit cum præposito in oppido & arce *Peyne*. Interim durum bellum exurgit. Erant tamen qui in vrbe laborarent inter Henningum & Balthasar memoratos, quandam fieri transpositionem, vt Henningus, dimissa in manu domini ducis Balthasar ecclesia Hildesemẽsi, ipse transferretur ad Suerinensem. Sed defecerunt morientes in vrbe, qui eam rem promouerent, vt perficeretur. Durissimo interim bello intra diœcesim conflixerunt, leuibus prælijs sæpè concurrentes. Ciues Hildesemenses vt suo Henninge gratificarentur, obsidione cinxerunt proximam vrbi arcem *Stuerwold*: & anno integro continuantes, fame pepulerunt custodes ad deditionem. Henningus illuc introducitur, & permansit in ecclesia sua septem annos. Tum quieti suæ cõsulens, voluntate omnium ministerialium & capituli, permisit ecclesiam suo cognato episcopo Verdensi, qui eam (quod dicemus) multis annis cũ laude gubernauit. Henningus quieti se permisit, collocans se in arcem vnam illi permissam, cum reseruatione condigna ad vitam transigendam.

Arcis Stuerwaldiæ custodes, hostibus se dedunt fame coacti.

Cap. 9.

Suerinensem per eadem tempora ecclesiam, morte Werneri vacuatam, accepit commendatam illustris dominus Balthasar, dux Magnopolensis: præfuitque non multis annis, cùm illi spes de locupletiori Hildesemensi affulsit. Pro qua contentione armorum cum capitulo & ecclesiæ ministerialibus diu bellum gerebat. Sed cùm videret ad infinitum sibi esse contendendum armis, nec cerneret quem optaret exitum, haberetque in animo finaliter ab ecclesia declinare, & ad vxoriam vitam inclinabat, dimissa ecclesia Hildesemensi, reuersus est ad suæ Suerinensis administrationem: quam tamen non diu pòst & ipsam deseruit, accipiens coniugem, fraternæ vxoris germanam sororem. Vacabatque ecclesia ad nouam electionem. Quo tempore, mortuo Olrico Principe *Stargardiæ*, quem ducem appellauere: non quòd ducatus ille sit, sed quoniam conuentione inter se mutua conuenerant duces Magnopolenses, & Principes *Stargardiæ* & *Wandaliæ*, vt, qui sine liberis decederet, alteri relinqueret terram possidendam: commutarunt etiam titulos, vt iam viuentes principes *Stargardiæ*, dicerentur duces Magnopolenses, & vicissim ipsi duces, se scriberent principes *Stargardiæ*. Quocircà cùm principatus Magnopolensis iam multiplicatus inter plures diuisionem pateretur, inde permotus Balthasar, dimissa ecclesia, coniugium iniit. Conuenit tamen inter fratres, vt neque ipsi ditiones partirentur, sed communibus auspicijs gubernarent: quod in hodiernum diem ita obseruarunt. Quanuis opportunè acciderit huic ordinationi, quòd memoratus dux Balthasar nulla ex coniuge prolem susciperet: alioqui ipse successionis respectus inter fratres partitionem ditionum deposceret. Sed hæc interim.

Dux Magnopolensis, episcopatibus relictis vxorem ducit.

Cap. 10.

Racebvrgensem autem ecclesiam morte Ludolphi viduatam excepit memorabilis vir, dominus Ioannes, cognomento *Stalkoper*, vir plebeio genere, sed medicinæ artis professor insignis, frater conuentualis in ea ecclesia, vir quietus, &

(vt habebatur) locuples, qui artis suæ industria aurum conquisiuit, quod superioris sui voluntate in peculio & dispositione retinebat, cunctis non aliud præsumentibus, quàm vt in ecclesiæ vtilitatem verteretur: nec aliud erat expectandū, nisi casus interuenisset, quem præuidere nemo poterat. Deposuit enim pecuniā Lubeci apud ecclesiasticum virum, diligentissimum suarum rerum custodem, cū quo vetus episcopo familiaritas intercessit. Depositarius eam in abditissimo loco supra caput suum dormientis collocauit, vbi nemo pecuniam recondi suspicaretur. Sic enim solent etiam auarissimi custodes rerum suarum recondere locis inopinabilibus. Nam seras & claustra vel confringere, vel aliàs reserare, artis censetur industria, quæ à fabris ferrariis iam manauit ad multos. Suboleuit ex familia cuidam, repositam ibi esse grandem pecuniam: is ascito foraneo, quem nouerat, socio, obseruabat tempus, quo in ecclesia depositarius esset occupatus. Confregere tectum, & inde subducto thesauro, abierunt vsque in Westphaliam: ibi sequētibus quibusdam ob eam rem missis, alter ex illis deprænhensus, suspendio necatur in *Kloppenborch*. De furtiua autem pecunia incertum, si quid, aut quantum redierit. Depositarius is erat homo syncerus, talisq; fidei, vt nemo de illo malè suspicaretur. Nam effracto domus tecto, res eius saluæ non permanserunt. Ecclesia Raceburgensis damno feritur. Tradunt, eundem episcopum per occasionem sponsaliorum improuidè emissorum, de quibus posteà pœnitebat, ingressum ac professum ordinem, passum sibi desponderi personam pro suo gradu honestam, & se dignam. Sed vbi in mentem secus iam profundiùs descendisset onus matrimonij, retrocessit: & pœnitētia ductus, professione regulari rupit sponsalia antedicta, proficiens ad episcopatum, in quo dignè versatus, permansit in finem vitæ, appositus ad patres suos in senectute bona.

Episcopus ob onus matrimonij rumpit sponsalia.

Cap. II. HENRICVS interim Monasteriensis episcopus, administrator Bremensis ecclesiæ, ad annum septuagesimum quartum, cum Gerhardus de *Oldenborg* comes, finem non faceret rapinarum terra marique, renouata societate belli cum ciuitatibus, quas Gerhardus sibi duxit hostiles, expeditionem in Gerhardum renouauit. Deiectum primò præsidium, quod ad Visurgum fluuium ille erexit. Capta est tum quoque arx eius *Herpstede*, cum pertinentiis suis, bona terræ illius præfectura. Obsessum oppidum *Oldenborg*, & quatuordecim diebus oppugnatum. Gerhardi arma tanta non sperauit, vt illi viribus se opponeret. Interuenere vicini, episcopus Osnaburgensis & Verdensis, comites de *Hoia*, de *Tekeneburch*, ne ad omnimodā eius euersionem pugnaretur. Coniecta primùm res in treugas. Constituta dies ad conuentū: Gerhardus tamen ipse non aderat. Sumpta est dies alia, quòd qualicunque ratione prætensa excusauit necessariam absentiam. Prolongatæ treugæ in diem Walburgis, sed nihilo quietior Gerhardus erat. Interim germanus eius rex Daniæ Christiernus, ab vrbe Roma, quam inuiserat, descendit: & cœtu principum ad se Coloniam vocato, Gerhardum fratrem inter alios iussit adesse, vt in castris suis conuenirent Carolum Burgundiæ ducem, quæ tum ad Nussiam habebat, si posset tam graue intercipi bellum. Sed tum cassus fuit labor, & tamen impensæ non mediocres fuere venientium principum de longinquo. Reuersus in sua Gerhardus, Frisiis bellum intentauit vicinis, immisit satellites, qui prædam inde educerent. Ingentem quidem contulerunt: sed exituri, inuenerunt septum vndique aditū armis. Ibi Frisij aggressi prædatores, ducentos & quinquaginta oppresserunt. Erexit denuò Gerhardus præsidium ad Visurgum. Bremenses adnauigauere, & expugnata munitione, viginti quinque satellites ibi repertos, iam criminum reos, gladio ceciderunt. Annus tum erat septuagesimus sextus, cùm Gerhardus hostilitatis suæ in Bremenses finem non faceret. Renouabat Henricus Bremensis administrator, ope Monasteriensium, expeditionem. Ductum est in terram palustrem, quam vocant *Auerland*, & ingens inde extracta est præda. Iam omnibus expilatis, abire decreuerunt. Tum Henricus administrator admonuit Bremenses, vt, relicto cōpendio, quo ire decreuerant, secū tuto itinere circuirent: néve se in angustias coniicerent, vnde exire non possent. Sed illi freti armorum multitudine, quòd totius terræ satis essent viribus, recto in

Bremam itinere ibant malo suo. *Morn* vocant, angustum terræ exitum. Pauci ex Frisiis de latere, primùm cœptauere pugnam longo ordine, vt erat propter angustiam itineris necesse, ibant Bremenses. Cæsi, qui primi venerant, clamorem exciuere. Quid facerent? angusto itinere neque cedere, neque fugere, neque retrò licebat ire, quòd currus medij impleuere omnia. Ibi fœdissima strage sunt cæsi Bremenses: qui superfuere cædi, capiuntur, & in *Delmenhorst* pertrahuntur, ingenti pecunia in eorum redemptionem Gerhardo persoluta. Hunc exitum habuit temeritas malè festinantium in patriam, quando licebat securo itinere per circumactum transisse. Hac fretus victoria Gerhardus, insolentior factus est, adiecitque vt caperet quotquot in vrbibus *Lubeck* & *Hamburg* vel originem haberent, vel domicilia, vel societatem fouerent. Viginti vnus mercatores iam in carcere eius fuere: & facta multiplici instantia, cùm septem essent pannorum fasces, adiecerunt pro sua redemptione sex millia aureorum. Abeuntibus per iocum dixit: Ite, & aliis insinuate, vt redeant: insultans stultitiæ eorum, quòd manus eius non euitarent.

Qui Bremensium non ceduntur, captiui abducuntur.

HENRICVS autem administrator Bremensis, quando Gerhardus toties cōmonitus non resipisceret, vt finem malorum faceret, ipse quoque expeditionem in eum renouauit. Anno enim septuagesimo secundo ducens in eum, aliquot munitiones eius deiecit. Periit ibi Hamburgensium capitaneus, ponte à suis inconsultè detrusus. Capta est arx *Westerburch*, ad Dominicam Quasi modò geniti. Sed nulla erat spes tranquillitatis, nisi Gerhardus *Delmenhorst* depelleretur. Iam filius fratris eius Mauritij Iacobus adoleuit: quem etsi pertæderet bellorum, gustans tamen prædæ dulcedinem, maluit adhærere patruo, quàm subesse archiepiscopo: quem Gerhardus crebriùs insultans irrisit, atramentario commemorato. Tum verò Henricus omnium armorum copia ex diœcesi Monasteriensi producta, quando Bremenses & ministeriales & ciues, iam bello fessi arma posuere: hoc solùm permittentes, vt ex sua ciuitate exercitum pro suo iusto precio adueherentur necessaria. Cœpit iam euastatione latè facta, obsidere arcem *Delmenhorst*, fratre Henrici Gunthero comite, quem prouisorem dixere, omnia in castris pro magistro militiæ gubernante. Nulla erat in expugnatione armorum spes: tanta est aquarum, atque latè circà paludum munitio, tanta inuiorum securitas: in sola fame stabat fiducia. Igitur omni parte obsidione firmata, omnes exitus & aditus, quantum poterant, præstruxere: diligentissimè prouiderunt, ne quis vlla de parte vel minimum importaret. Inerat arci non contemnenda manus militum, qui etiā ausi erumpere, proximis conflixere. Administrator autem cum fratre prouisore relicto, ad obsidionem sufficientibus copiis, ne ocio torperent, alias duxit *Oldenburg*: & instituta oppugnatione, videbatur Gerhardus cum filiis & Iacobo Mauritij filio rebus diffidere. Itaq; emissis Henrico oratoribus, obsecrabant, ne innoxios Gerhardi filios de paterno scelere faceret exhæredes: ipsum Gerhardum paratum arce discedere, & omni administratione abstinere, viuentem in monasterio quietem agere: tranquillitatem vitæ inire conuersum ad Deum, præteritorum emendationem facere: ipsam arcem ex illo die in potestate ipsi fore, vt quoties velit apertam illi domum esse, siue in pace, siue ad hostes ea vsurum. Placatur Henricus, & reducto inde exercitu, redit in castra ad obsidentes. Ibi Guntherus frater, quem prouisorem dixere (erat enim in Moguntina diœcesi prouisor eius partis, quæ *Exfeldia* dicitur) olim à ducibus Brunswicensib. transyluanis diuendita ecclesiæ Moguntinæ, per Ottonem illū, qui peruenerat in regnum Neapolitanū. Tum Guntherus, vir armorū peritissimus, audentiùs quàm cautiùs hostibus se opponit, plumbino ictus de bombarda iaculo, breui spiritum exhalauit. Sed nihil segniùs, imò etiā inde indignatior episcopus, obsidionem vrgebat. Extracta est autem obsidio per autumnū atq; brumā ad vicina veris: famis extrema perpessi sunt, si qua aliunde spes affulgeret soluendæ obsidionis. Sed vbi spei nihil erat reliquum, iam omnibus absumptis, deditionem fecere qui inerant, pacta incolumitate & armis. Igitur ipso die sanctorū Fabiani & Sebastiani arcem deditā Henricus ingreditur, abire permissis qui tuebātur. Tum verò puella Mauritij comitis filia abstrahi non

CAP. 12.

Arx Delmenhorst ob aquarum & paludum copiam munitissima.

passa eiulabat: esse suum patrimonium, nullo se demeruisse crimine, vt suum amitteret sine culpa. Henricus episcopus, arcem belli iure captam, suam eam esse respondit: iret quò liberet, secum haberet omnem vestem, & omnem muliebrem ornatum cum omni sua supellectile. Illa pertinaciùs renitente, auersus episcopus iussit inuitam cum rebus abduci. Igitur arcem tum reparabant, & signis ecclesiæ Monasteriensis de summo extentis, quòd illius ditio esset armis occupata, sancto illã Paulo addixit. Bremenses, quòd nihil operis contulissent, causare non poterant: sed manet querimonia eorum qui extant, necdum iure eorum, vt arbitrantur, abolito. Ecclesia quoque Bremensis, si aliquando melioribus vsa armis conualuerit, sui iuris non obliuiscetur. Sed hæc missa sint.

CAP. 13. MONASTERIENSEM ecclesiam, quam tenebat in titulum memoratus D. Henricus episcopus, etiam quotidiana mansione decorabat. Ibi versabatur totis annis, raro Bremensem inuiserat, omnia quæ iuris illius essent ex Bremensi ditione, in aliam aduehi curauit. Interim arces, præsidia, molendina, & quæcunq; iuris essent episcopalis in Bremensi diœcesi, nemine ad annũ curante, perierunt. Destituta sensit ecclesia quòd curatorem fidelem nõ haberet, faciebat quisq; quod sibi rectũ bonumq; videretur. Ministeriales suo ordine, & vicissim ecclesiastici suo omnia vendicabãt, nec ciuitas obliuionem egit sui iuris coaugendi, vt fieri solet per absentiã pontificis. Si quando in prouinciã post biennium trienniumque venerat Henricus, omnia in celeritate erant: festinabat enim redire: pacem tamen & securitatem publicorũ itinerũ ita seuerè iussit asseruari, vt ex eo tempore, quo ille *Delmenhorst* teneret, ne auditum quidem sit quenuis obgannire transeuntibus, quæ prima eius laus est. Peruenit autem viuendo ad annũ XCVI. & tum viuendi finem faciens in ea pace quieuit, postquã ecclesiæ Bremensi annis XXXIII. præfuisset, & Monasteriensi vnà cùm Bremensi iisdem XXX. Sequuta sunt illa statim tempora in diœcesi Bremensi, vt magnis desideriis quæreretur Henricus. Sic se res habet præsentia dum sunt in fastidio, fit vt redeant in desideriũ subtracta. Sed hæc alij aliàs.

Viatorum sub episcopo Bremensi securitas.

CAP. 14. MAGDEBVRGENSI autem ecclesiæ post Ioannem & Fridericum religiosissimos pontifices, præficitur postulatione capituli illustris D. Ernestus, annis pontificalibus minor, filius D. Ernesti ducis Saxoniæ, Misnæ marchionis, Comitis Thuringiæ prouincialis: & dispensatione Papali interueniente, introducitur administrator vsque ad annos legitimæ ætatis. Principe potenti opus videbatur in eam ecclesiam, quòd videbatur sub minore non stare obedientia ministerialium & vrbicorum, ea quidem in Hallensibus proximè patuit. Nam tumultuante intus ciuitate, primariis aduersus plebem, proprietarij fuere sartaginum in salina eius vrbis, honestum diu collegium, sed per opulentiam insolescens: non videbantur quiescere in opibus & vitæ deliciis, nisi etiam aduersus plebem superbirent, omnia in sua commoda vertere videbantur. Id cùm boni viri ex plebe ferrent indignè, opposuere se maioribus: & indignatione concepta, armis correptis libertatem defensitabant. Stabat diuisa ciuitas, archiepiscopus imploratus à plebe, superuenit, & quod Æsopiana habet fabula, murem ac ranam colligatos, vt tranarent, pariter abduxit, hoc est, proprietariis & plebi durus erat. Magnam salinæ partem in ecclesiæ opus conuertit, constituitque à se peti vacuatarum possessionem. Ita per ipsorum ciuium instantiam & propriam inter se tumultuationem, libertas vtrorumque magna ex parte est correpta: cœpitque extruere ad mœnia insuperabilem arcem domatricem in futurum insolescentiæ excrescenfirmata, cui Ecclesiæ altera non inde longè permaneat, ex antiquis temporibus ibi tis, cum arx nomen *Gebekenstien.*

Intestina discordia libertatis amissio.

CAP. 15. HALBERSTADENSIS inde ecclesia post annos quatuor per Gebehardũ iam grandæuũ, & ab ætate fessum pontificem, permittitur gubernaculis eiusdem Ernesti, & authoritate interueniente Apostolica, primam tenet in titulum, alterã in commendam. Ita vadunt res hodie, dum in pontificibus non iam religio, non doctrina, non vitæ sanctitas, sed secularis quæritur potentia, ad edomandas vires insurgentium ecclesiis ministerialium & vrbicorum. Ita proteruitur vbique, vt quem non gladius terret temporalis, neque timor Dei, neque vllius iusti respectus

In episcopis nõ religio doctrinaue, sed potentia quæri solita.

detinet

detinet ab oppressione cleri. *Halberstadenses* iam in vertiginem versi, inter se tumultum agebant, consulares videbantur non rectè administrare rempublicam. Ciues hoc emendare conati, in eos arma verterunt. Ernestus episcopus, & pater eius Ernestus, illa qualibuscunq; oculis obseruantes, tempus esse rati sunt, quo interuenirent pro suo iure, ad iniicienda frena libertati, quæ in ciuibus esse nimia putabatur. Iudicium & iurisdictionem in pignus tenuere ab episcopo, nec requisiti redemptionem sinebant, talia exquirebantur ad iustæ oppugnationis colorem. Obsidionem fecit vrbis episcopus, tonat bombardis, deformat muros & mœnia, vrget, minatur, & extorquet quæcunq; mandauerit in eam vrbem expleri. Tradunt victi manus, quippe qui nisi pareant, vrbem exire, agros colere, ire ad negocia non sinantur. Mittit deinde episcopus idem armigeros, vt educatur quidam ex canonicis, cui malè vellet. Vincitur, extrahitur: sed superuenere scholastici, chorales numero vigintiquatuor, barbati & interriti viri, fustibus vrgent armatos vinctum dimitti. Et loci decanus, natus comitibus de Quarford, manum deposcit ab eius facti primipilario, & iure militari cogitur expromittere. Ita inermis, religione sola vestitus, armatos cœpit habere captiuos.

SVERINENSEM ecclesiam, postea quam eam dimisit dominus Balthasar, excepit gubernandam dominus Nicolaus, cognomento *Pentze*, ex ministerialibus terræ natus, electus à capitulo: vir grandæuus, & regendis monasteriis in illũ diem exercitatus, vocatus ad hoc ministeriũ ecclesiæ, iam ære aliquanto grauatum alieno, quòd nummatus bene & locuples crederetur. Sed non is erat apud virum, qui putabatur, thesaurus: vnde ecclesiam triennio gubernauit tranquillè, neq; diminuens, neq; augens illius prouentus. In Franconia, quam (inquam) ita vocant ad discretionem Galliarum, quæ verum Franciæ nomen rapuit, Francia dicitur veteri & vero vocabulo, prouincia Teutoniæ inter Sueuos & Saxones. Sic enim appellauit diuus Hieronymus in vita Hilarionis: ita cæteri scriptores antiqui. In ea Francia tum motus erat religionis quidam insolitus. Tympanista quidam bubulcus, aut subulcus, mentitus sanctitatem, cepit audaciam concionandi in clerum & principes, quòd vita eorũ peruersa Deum auerteret à populo, nec audiret preces sacerdotum, nec reciperet ab his sacramenta plebi distributa: principes errare, & populo sine causa contra iustitiam telonia & vectigalia imponere, vt vsum itinerũ & aquarum natura liberum, illi grauarent. Ea sibi per diuam Mariam, vt publicaret, esse mandata. Cœpit frequentari, concurrebat ex omnibus agris, vicis & ciuitatibus, magna frequentia. Norenbergenses tamen magnis constitutis pœnis vetuere, ne quis ciuiũ aut habitatorum eò contenderet. Rodolphus episcopus Herbipolensis eò mittit armatos, & authorem malorum abreptum in vrbem, iussit cõcremari. Vides miram hominum audaciam.

CAP. 16.

Nicolaus Pentzius ob nummorum copiam fit episcopus.

Bubulcus concionator.

HILDESEMENSIS ecclesia necdum ex sua perturbatione sub Henningo episcopo conquieuit: neq; enim ministeriales, neque de capitulo multi illum suauiter adspexere: ipseque laborum fessus, & quietis appetens, cùm de competenti sua prouisione iam constituisset cum Bartoldo Verdensi episcopo, propinquo suo, & qui illi fidelis proximo bello adstitisset, illi Apostolica interueniente authoritate cùm faceret Bartoldi translationem, permisit Hildesemensem ecclesiam, Verdensi tamen manente, quoad viueret, in eius commendatione, & gubernatione. deinceps ambas omni cura & circunspectione gubernauit. Nascitur illi bellum post aliquot annos cum sua ciuitate Hildesemensi, plus iuris sibi vẽdicante pontifice, quàm ab olim habuissent prædecessores. Arbitratæ sunt cæteræ ciuitates initium hoc esse multarum rerum, in vrbibus per principes nouandarum. Igitur cõmuni consilio suscepere bellum. Henricus dux Brunswicẽsis, Wilhelmi filius, iam gubernaculis à patre acceptis, partem episcopi defendit: magnis vtrinque motibus concurrere. Miserunt ex suis quique vrbibus arma: & magno exercitu cõflato, expugnauere oppidum *Sarsede*. Dux Brunswicensis cum expedito agmine non longè tendens, expectauit euentum, nõ ausus inire prælium cum oppugnantibus, quòd longè præstarent numero. De *Retberg* comes cõductus stipendio ciuitatum, quadringentis ad præliũ ductis, septus ibat *Petrehyldesheim*. Henricus dux præmo-

CAP. 17.

nitus, venienti se obiectabat: & commisso prælio, comitem cum omni suorũ manu captum abduxit, mirantibus cunctis, quòd in ea tam docta manu armigerorũ, nemo in pugna cecidisset. Igitur capti suo se ære redimunt, querulante comite quòd pacta illi non ex fide sunt impleta. Bertoldus autem composita pace, deinceps nõ modò ipse tranquillus vixit, verùm multos dissidentes ad pacem reduxit. Vir magnis naturæ dotibus præditus, procera longitudine, & excelsa statura: humanitate pleno vultu, singulari ingenio, dexteritate pollebat eloquentiæ, & principibus & vicinis vrbibus charus. Vixit ad annum millesimum quingentesimum secundum, in vigilia Dominicæ ascensionis deficiens in arce *Rodenburg*, tumulatus in ecclesia Verdensi: cuius memoriã hoc epitaphio, pro insigni in me affectu, perennandam putaui: Memoriæ dignissimi præsulis domini Bertoldi de *Landesberg*, militari genere nati, optimis moribus & literis imbuti, quem rege digna proceritas, egregius animus, singulare ingenium, eloquentia non vulgaris, virtus eximia, exquisita in cunctis eminentia antecessori suo commendabat, vt illum adoptaret in ecclesia Verdensi filium, Papa consecrari iussit episcopum: sed maiori dignum loco abripuit Hildesemensis ecclesia, cui cum summa laude præfuit annis viginti duobus, priorem retinens commendatam, quam antè solam annis decem gubernauit: hoc sacrum ponitur.

Bartoldi Hildesemensis episcopi epitaphium aucto de Krantzio.

CAP. 18. RACEBVRGENSIS ecclesia post Ioannem, alium accepit Ioannem etiam nunc episcopantem, genere ortum ministerialium, cognomento *Barkentyn*, electum à capitulo. Qui cum duce Magnopolensi Magno Romã petens, factus est Apostolicus executor Apostolicarum literarũ, super nouo collegio *Rostochij* fundato: aduersus quam rem oppidani se erexere cum multis aliis, omnia interpretantes fieri ad iuga illis imponenda, & ad minuendam pessimam, qua sæpè abutantur, libertatem. Optimum factu erat, iustitiam & modestiam in vrbibus dominari: sed ea res aliter conspicitur. Vbi principes libera potestate dominantur, multa fiunt per potentiam dominantis: nec res meliores sunt, vbi vrbici liberum tenent imperium, si non alios, certè in clerum superbientes. Sed hæc alibi per alios. Furem in arte conspicuum, in sua diœcesi deprænhendit hic pontifex, sacerdotem, qui ordinario processu sua furta per vrbes expleuit, digesta habens omnium nomina locupletum, quibus minabatur, eos debitorum loco inscripsit libro suo rationali. Vbi furta expleuit, ibi soluisse signauit, numero adiecto. Omnis generis supellectilem comportauit: sacerdotis, mercatoris, rustici paratas vestes domi habuit, honesta per diem conuersatione *Wismariæ* diu commoratus, vsqueadeò, vt pastor ecclesiæ illi nonnunquam permitteret prædicationis aut Missæ officium in ecclesia. Dephrænsus scalatur, & in *Schonenberg* carceri inclusus moritur. Idem pontifex Ludouicum de Pino, medicũ doctissimũ, quem de hæresi suspectũ habuit sibi aliunde per quendam Cyriacum de *Bizsuanck* Sueuum, ad quem Sueuus ipse Ludouicus confugerat, per eundem territurus nonnullos suos in vrbibus debitores. Is cùm nõ ignoraret episcopũ homini esse infensum, cum ex eo quę vellet accepisset, misit in *Schonenberg* asseruandũ. Ille nõ inuitus accipit hominem grandæuum, podagricũ, exesum morbo. Vinctum habuit, & in vinculis periit nocte Laurentij, anno XCVII. quem sibi fatalem ille prædixerat. Huius pontificis temporibus proiecta est religio Præmonstratensiũ, quã vsque in hunc diem habuerunt, Apostolica dispensatione facti sunt canonici seculares, veruntamen professi regulã, à substantialibus nõ absoluuntur. Interiorem vestem nõ mutant, assumuntur seculares personæ canonici. Erigitur archidiaconatus in ecclesia: prior fit decanus, fit de canonico non canonicus: hoc est, de regulari non regularis: canon enim est regula.

Sacerdos quidam sub episcopo Raceburgensi, fur insignis.

CAP. 19. MINDENSI ecclesiæ post Albertum præficitur Henricus, natus comitibus de *Schowenburg*: qui in ea præsidet cum summa laude in hodiernum. Vir tranquilli animi, modestus, pacificus, & qui nulli vnquam detrimento fuit, ita versatus inter

1480. omnes sine querela. Hoc tempore ad annũ MCCCCLXXX. Rhodij milites Hospitalarij, cùm post expugnationem Constantinopolis pacem nunquam habuissent, sed cõtinuis motibus vicinarũ partium, tum etiam in se factis cõcursibus sæpè magnis viribus hosti sint Christianitatis Mahometi, Turcorũ Imperatori, conflictati,

qui

qui poſt tot ingentes victorias animo inflatior, deſpiciebat paruam inſulam ſuis victoriis repugnare. Angebaturq; animo, illam penè ſolam inter tot deuictas vrbes conſpicere Chriſtianam, imperia ſua contemnentem. Igitur ingenti claſſe, maximaq; bellatorum vi ad annum LXXX. Rhodum petiit, militeq; in terram expoſito, primùm in monte S. Stephani, & circa eius montis colles, eſt caſtrametatus, & per tres fermè menſes vrbem bombardis miſſilibusq; aliis indeſinenter per duces ſuos lacerauit, & oppugnauit. Verùm magnus Rhodiorum militum magiſter, vir prudentiſſimus, integerrimus ac magnanimus, ſuę virtutis magnum dedit experimentum. Diuina enim illum protegente clementia, Turci prælíis funduntur, propulſantur, cęduntur, tantoq; impetu, domino formidinem immittente, terga vertunt, vt necem ſibiipſis afferrent. Fama ſatis conſtans eſt, Turcos viſionis miraculo conterritos, cùm cælitus immiſſi milites Turcis terrori, Chriſtianis fuere miraculo. Hanc victoriam non ſibi magiſter ac ſuis, ſed cœlo tribuit. Exactis igitur octoginta nouem diebus, Imperator Rhodiorum littore claſſem ſoluens, Peluſium nauigat, illic militem & impedimenta exonerat: vbi vndecim dies moratus, ad domeſticos lares cum clade & ignominia reuertitur, breuiq; finem fecit viuēdi. Petrus autem magiſter, Sixti Pontificis & cæterorum pecuniis adiutus, inſulam & vrbem quaſſatam reparat, facitq; Rhodum celebriorem.

Turci prælíis victi ſibimetipſis mortem inferunt.

Cap. 20.

SVERINENSEM eccleſiam breui Nicolai pontificatu viduatam, regendam accepit dominus Conradus, cognomento Loſten, Wiſmaria ortus, atq; in vtroq; iure doctus. Vir benè nummatus, annis multis grauatus: cùm non diu crederetur ſuperfuturus, ſedit in annum vigeſimum, adhuc ſpirans ad Dei beneplacitū. Multa ille eccleſiæ prædia pignore obligata, aut ære grauata alieno, redemit, & eccleſiæ libera reddidit. Hydruntum Apuliæ ciuitas maritima, ab exercitu Mahometi Turcorum principis oppugnata diu, capitur, cùm eius exercitus à Serſona in Apuliam tranſuect⁹ eſt. In colle qui vrbi imminet, hoſtes ſunt caſtrametati: vallo & foſſa munitiſſimum Hydruntum obſederunt, vt nulla ſpes auxilii ferendi remaneret. Tandem diruptis mœnibus, ad veſperam extracta pugna. Superati Hydruntini, ingreſſi vrbem Turci, archiepiſcopus capitur, trucidatur, nec verbum ſonat ex ore. Qui in hoſtium manus peruenerunt, omnes capite plexi ſunt. Hydruntinorū dux captus, exarmatus, medius eſt proſectus. Supra duodecim millia perierunt, euaſerunt tamen bis mille & ducenti. Potiti prima victoria Turci, cœperunt ſtatim vicina oppida ſolicitare ad deditionem, in primis Leucen & Tarentum. Infelix Apulia tota ceſſiſſet, niſi mors interueniſſet Mahumetis. Quo mortuo, Alfonſus dux Calabriæ iam Turcis inſeſſam vrbem obſidione cinxit. Turci vbi accepere principis obitum, ſibi diffiſi, ſaluis rebus ſuis, deditionem fecere. Qui vrbem ingreſſus, reparauit, & ex Turcis quidam in eius obſequio remanſerunt.

Cap. 21.

OSNABVRGENSEM eccleſiam per idem tempus inſignis & nobilis vir, dominus Conradus, natus comitibus de *Retberg*, accepit, pontificio ibi prǫditus honore, electus à capitulo: vir induſtrius & humanus, maiori etiam loco dignus. Eccleſiam vſq; hodie non ſine laude gubernauit, iam ſedens in Monaſterienſi, hanc tamen retinet, vt nunc mos habet, commendatam. Apud Suitenſes montanos hac tempeſtate, non longè à finibus Lucernenſium, in loco vaſtæ ſolitudinis, homo ſenex, ſolitarius, eremiticam vitam agebat, qui per annos viginti ſine corporali cibo fertur victitaſſe, quem fratrem Nicolaum dixere. Vir corpore aridus, ſiccus, exhauſtus, ſola cute neruis oſſibusq; cohærens. Et quanquam eremitæ diutius ieiunent, & propter ocium & vitam vmbroſam illæſi permaneant, ſicut carceratis contingit: verùm hic homo cœleſtem vitam in terris egit. Quanquam inuidi eum hominem glorioſum dixerint, vitamque eius ſint ad iactantiam interpretati, & perinde mercedem illum ſuam hìc accepiſſe. Sed eſt quod ſemper fuit, ſanctitati nunquam defuit obtrectatio. Cur virum calumniantur, qui vitam in arctiſſima paupertate & ſolitudine duxit, qui omnes ſe accedentes, ſpiritali conſolatione plenos remiſit, in abſtinentia & humilitate perſeuerans: qui nihil appetiuit, nulli vnquam iniurius fuit? certè in tantis laboribus & ærumnis, parua merces, laus ex hominibus. Tandē ſenio & viribus deficiēs, ſenilem animā mollis ſoluit ſopor. Sepultus in eccleſia ſui

Eremita ſine cibo per annos viginti viuēs

pastoris,non sine miraculis quiescit:qui etiam vicinis populis vaticinia nonnulla, quæ rerum probauit euentus,prædixit.

CAP.22.

Episcopus ab eo, qualis fore credebatur lōgè diuersus.

LVBICENSI ecclesiæ morte Alberti viduatæ, electione canonica surrogatur in eius locum dominus Thomas,cognomento *Grote*, ex canonicis eius ecclesiæ.Nam cùm ecclesia magno ære alieno grauissimè esset onerata,si quando emergere debuit,pontifice opus erat & frugi,& diuite: quæ ambo in memorato viro eminebant,vt pręsenti pecunia debitorum onera abiiceret,& sequenti parsimonia hoc quod remaneret,curaret augere. Sed quod in specie lucebat, in veritate non est compertum:quia neq; thesauros habuit reconditos, neq; is erat qui prudentia sua ecclesiam releuaret.Homo singularis frontis,solitudinis amator, semper se inclusit,nullius passus alloquium.Qui anteà videbantur homini familiares, eos tum quoq; cœpit habere suspectos,nescio quam ducens in animum cogitationem. Orabat capitulum,dignaretur interesse tractatibus super omnibus,quæ illi imminebant,& à creditoribus & à cæteris,quæ multa sunt,accidentibus.Recusauit. Misere ex suo numero,qui cum illo loquerentur:non sunt admissi. Delegere,quos putabant illi gratos.Idem ille permansit, nolle se cum capitulo agere, circumuentionem quærerent,& illum implicarent maioribus perplexitatibus: deniq; visionib. agebatur,& nocturnis admonitionibus.Descendit in animum eius, vt quàuis impetrasset apostolicam confirmationem:tamen in Romana curia constituit procuratores ad renunciandum ecclesiæ, in fauorem domini Theodorici Arudes,in Romana curia causarum procuratoris, legum doctoris exquisitissimi, nulla desuper mentione ad capitulum facta. Cùm res percrebuit rumore, misere ecclesiæ decanum,vt rem omnem cum futuro pontifice transigeret,priusquam ille nosset.Facta renunciatione,dominus Theodoricus Apostolica prouisione facta,ibi accepit cōsecrationem:& ad ecclesiam suam descendens,honorificè suscipitur: vsq; in hunc diem & deinceps,Dei miseratione, cum magna laude præsidens, Ecclesiam suam paulatim debitorum onere leuat,de reliquo curaturus.

CAP.23.

Archiepiscop⁹ in Præpositura quietius quàm in Archiepiscopatu victurus.

BREMENSI ecclesiæ,post Henricum eius administratorem,electione legitima præficitur dominus Ioannes,cognomēto *Rode*,maior in ea diu præpositus.Bremæ bona ortus familia,nepos ex fratre domini Ioannis, olim præpositi, bullarum correctoris,viri opulētissimi,cui etiam hic hæres extitit:qui respectus illum ad calamitosam ecclesiam prouexit subleuandam. Vir mansuetus & modestus,si suę studuisset tranquillitati, longè meliùs habiturus in præpositura, quàm sit expertus in archiepiscopatu.Subiit enim negocium laboris plenum,cùm multa ecclesiæ prædia impignorata essent per belli tempora, quæ illius prædecessor gerebat, cunctis ecclesiæ arcibus iam ruinosis,quod ibi annis XXX.fabricam nemo curasset ex animo. Vix inuentus est locus,in quo importuniùs delitesceret. Igitur quieto & locupleti viro opus erat,qui ære grauatam alieno ecclesiam, parsimonia & frugalitate, & præsenti solatio subleuaret.Obliqua inuidia id inspexere ministeriales, qui nūc vocari amant militares,qui maluissent ab aliquo ex principibus,aut nobilibus,aut suæ conditionis viro ecclesiam gubernari:ne plebeio homini,si diis placet, subderentur.Nam quod potuere,non longinquo principi quidam spem fecere. Respexit quoque in ecclesiam Otto comes de *Aldenborg*,Gerardi filius,eius ecclesiæ ob eam spem electus canonicus. Sed creditū est vulgò,patris memoriam illi non profuisse.Bremenses ipsi iam initiò constituendum putauere,quo ordine agerēt cum illo:itaq; difficiles archiepiscopo suo fecere conditiones. Suscitatis omnib.ab antiquo querimoniis,quas vel in ipsum,vel in terram ecclesiæ,vel in capitulum,vel in reliquum clerum quouis pacto inuenirent:vix multo labore communium vtrinq; amicorum,cùm se ciuitatum vicinarum consilia,Hamburgi & Luneburgi, interponerent,impetratum est,vt res tolerabilibus modis conquiescerent. Tum se statim alius turbo prodidit, impensis, quas pro confirmatione solito sumptuosiore, proq; consecratione & aliis ecclesiæ necessitatibus fecerat, releuandis, per singulos agros collectam de consilio capituli primorumq; in terra constituit indicere. Obiecere se multi ex ministerialibus,prætendentes,multis se sumptibus & oneribus grauatos à prædecessore suo:quæ nisi reponerentur, non se admissuros preca-

riam.

riam. Aliasq; conditiones immiscuere, quibus satis declarabant, quo essent affectu in suum pontificem. Res tamen vtrinq; processit.

CAP. 24.

MONASTERIENSI ecclesiæ per eiusdem Henrici obitum, erat consulendum de nouo pontifice. Igitur capitulum matura deliberatione præhabita, postulauit insignem virum, dominum Conradum, ecclesiæ Osnaburgensis episcopum: isq; apostolica permissione confirmatus est pontifex in illa ecclesia, cùm remaneret administrator in priore. Monasteriensis enim pro sua dignitate & opulentia, & armorum potentia, titulum requirit in suis pontificibus, non contenta administratione. Igitur Conradus, vir nobilis, doctus & prudens, ambas vsq; hodie gubernat ecclesias. A capitulo tamen suo & ministerialibus iniecto freno, satis (vt fertur) restrictus, vt nil nisi quod illi approbarint, in maioribus decernat, præsertim in rebus bellicis. Nec iniquum quippe, quia ea in re & opibus, & armis, & suorum periculo capitum, coguntur adesse. Itaq; fruitur temporum tranquillitate, & maxima nihilominùs inter magnos authoritate habitus est episcopus, armis, viris, opibus, arcibus, prædiis, reliquisque rebus ad splendorem abundantissimus. Frisia quidem illa contermina, magnis motibus agitata, deposceret arma auxiliaria, quòd comes Orientalis Frisiæ coniugem tenet neptem illius ex fratre: sed ille palustrium rebus se non immiscet. Eduardus, quem illi Frisio ritu Edizardum vocant, Groningensibus durus hostis erat, sub Alberto duce Saxoniæ. Quo in obsidione eius oppidi in castris mortuo, idem Edizardus hostilia continuauit: sed iam res pacata bonis modis, conquieuit.

Ecclesia monasteriẽsis in Episcopo titulum requirit, administratione sola non cõtenta

CAP. 25.

BREMENSI interim diœcesi sicut ab antiquo, ita nunc nouus labor creatur à Frisiis. Diu cum illis actum est, vt archiepiscopum recognoscerent dominum suum, obtentu omnium quas habuere libertatum: tantùm, vt aduersante quocunq;, illi parerent. Conceptæ literæ, illis ad rem maturè ruminandam traduntur. Vidẽt, remittunt cum hoc responso, Liberũ esse populum à memoria Magni Caroli: eam quam à maioribus acceperunt, libertatem defensuros, & ad posteros esse transmissuros, proq; illa tuẽda morituros omnes. Tam magnifica verba facilè discussa sunt, vbi primùm se arma ostendunt: est enim populus ille palustris, vt vastus corpore, ita animo stolidus, sed ad arma non satis sibi constans: id tum monstrauere. Ioannes comes de *Aldenburg*, Gerhardi filius, quum gubernacula terræ sibi debita præferret, conductis aliquot satellitibus, ingreditur eam partem Frisię, sibi non longinquæ, Stadium dixere, *Stadlandt*. Ad primam ostensionem armorum, ignauæ pecudes se dedunt, ne vno quidem prælio pro ea, quam inflatis prædicant buccis, libertate pugnantes. Aliquot ille ecclesias muniuit, fossatis & pluteis circumducens, quibus vteretur pro arcibus, quo in deditionis fide conseruaret populum, semper fide fluctuantem. Id conspicatus dominus Magnus, Ioannis filius, dux Saxoniæ inferioris, cùm in vicinos Hadaleriæ suæ Wesatos Frisios iuris aliquid prætenderet, comparat & ipse pedites, occupare terram ambo studentes prolatandę ditioni, ambo contemptu in fratribus suis apud ecclesiam Bremensem vindicantes. Igitur in ecclesiam vlciscentes contemptum suorum, simul studẽtes suæ amplificationi, terras ecclesiæ à diuersa parte, ad mare tamen sitas inuasere. Ministeriales ecclesiæ viderunt ista non inuiti, quòd archiepiscopo, cui non bene vellent, natum vndiq; laborem cernerent. Quid faceret archiepiscopus? Certè cum suo Bremensi senatu, itemq; Hamburgensi consilio interlocutus, quorum de maximo agi videretur prę iudicio, fœdera & belli societatem iniit: non enim ecclesiæ solùm detrahi ius suum tentabatur, sed fluminum ripis & ipsi mari cœperunt imminere, quò libertatem nauigandi quibuscunq; modis arcerent, flecterentq; in sua commoda. Ea etsi fortè pars altera non meditaretur, ista tamen timuit, & sibi cauit. Igitur archiepiscopus & duarum vrbium consilia nunciauere duci Magno hostilia: & iam comparatis satellitibus, Hadeleriam penè sine conflictu deditam accepere, tripartitò diuidẽtes, archiepiscopus pro se, Bremenses, & Hamburgenses. Ibi Thietmarsi cùm essent in fœdere comprœhensi, aliquot etiam suorum in armis habuere. Populus per inscitiam contemptor cæterorum, conuiciis lacessiuere satellites cõductos. Illi inuecti, cùm à nemine possent ꝓhiberi, ad LXX. prosternũt ex Thietmarsis, ꝓstratos nudãt.

Bremenses mori malũt, quã libertatem à maioribus acceptam amittere.

Eam rem solis imponunt Hamburgensibus cæsorum cognati, in hodiernum manente querimonia. Magnus dux adiens omnes in circuitu principes, queritur per vim sibi ademptum patrimonium. Omnes commouet, vt literis datis, communi ope ex suo fœdere conducant gregarios milites pedites. Guardiā dixere: quia multis annis Alberto duci Saxoniæ, deinde Romanorum regi in Geldriam, postremò Geldrensi duci in vicinos Cliuenses & Iuliacenses duces militauerunt: quorum etiam opera ante duos annos rex Daniæ Ioannes, regnum Suediæ ad iuga coegit. Ex omni natione concurrebāt. Inerant Germani, & hi potissimùm ductores, & maior numerus ex superiori & inferiori: Sueui, Bauari, Swiceri, Franci, Saxones, Brabanti, Geldrii, tum Lombardi, Hispani, Galli, Scoti, Æthiopes aliquot, promiscuū genus, cuius iam clarissimum erat vbique nomen.

Magni ducis de patrimonio sibi per vim adempto querimonia.

CAP. 26. CONDVCTI à Magno duce, vt diximus, appetente bruma, circa festum Elisabeth, venere *Aldenborg*. Nonnulli se in vrbis stipendio exhibuere: contēpti sunt. Ex Aldenborg transmisso Visurgo, constituerunt Bremensem ditionem inuadere hostilem: sed erant excubiæ in altera ripa, simul & tempestas, & cum niue frigora prohibuere transitum. Retrò tulere pedem, & per angulum vrbis Verdensis, permittente episcopo Hildesemensi, eodemq; administratore Verdensi, quòd alienā causam nollet suam facere, quodq; sciret manum multorum principum esse cum illis: accessit, quòd non sensit aliunde promissam opem. Igitur parta incolumitate suorum, ire permisit. Illi propinquarunt oppidis, Stadio atq; Buxtehudi. Virgines Moniales, desertis monasteriis, profugerunt in oppida. Experti sunt ibi famem incredibiliter hominum quatuor millia & supra, quod arida regio vix nutrit suos habitatores. Expectarunt glaciem rigescentem: vt omniquaq; accedentes, oppugnarent oppida. Non hoc illis præstitit rector naturæ Deus. Ita alternabat aura per biduum ac triduum, vt diu quod vellent, non possent. Duxere deinde per Tzenenā & mediam diœcesin in Hadeleriam. Animaduersum est, prædia ministerialiū mansisse incolumia: sola, quæ ecclesiæ & monasteriorum erant, subruebantur. Ipsa, in quibus per brumam delituere, monasteria in discessu conflagrare cœperunt: incertum an igne iniecto, vel ex ipsa negligentia. Hoc certum est, ciues Buxtehudenses vicinis monasteriis iniecisse manum, vt conflagrarent. Tanto erant perfidi odio in sancta loca, quòd dicerent, oppido præiudicare monasteria, cùm re vera oppidum monasteriis præiudicet, quorum vetus sine controuersia prius erat oppido. Tum in Hadeleriam contendunt gregarii, sine gladio, solo terrore eam recuperantes duci Magno. Nemo enim se opposuerat, nemo arma contrà ferebat. In vicinam quoque Phrisiam (Wursatiam vocant) se conuertunt. Ibi insigni clade accepta, retrò tulere pedem. Interim archiepiscopus à suis ministerialibus desertus, quòd pro duce Saxoniæ, vt compertum habebat, multa molirentur, nec à belli sociis consolationem accipiens, consentiente capitulo suo, vt defensorem haberet ecclesia, Christophorum Henrici ducis Brunswicensis filium accepit adiutorem. Dux protinus arma contraxit, moturus in eam peditum manum. Omnia illi in promptu fuere, pedites, equites, bellica impedimenta. Ordinauit per opportuna loca defensionem, & iam erat mansurus, cùm rex Daniæ, & frater eius Fridericus, missis oratorib. ducem auerterent, quòd illam manum stipendio cōduxissent. Pedites verso itinere, per terram Luneburgensem in *Eslinge*, transmisso Albi, venere in Holsatiam: inde Thietmarsiam inuadentes, sepulcrum cum multis repererunt: quod in Saxonia diximus. Manet inde diu querimonia archiepiscopi, & deinde ducis in Hamburgenses, quòd debita & promissa auxilia non miserint, in his aduersis, durante societate.

Moniales relicta monasteriis in oppida confugiunt.

Archiepiscop. à suis desertus adiutorē quærit.

CAP. 27. PADERBVRNENSI interim ecclesiæ, morte Simonis vacuatæ, non peruenere ad legitimam electionem canonici, quòd viuente iam Simone, D. Hermannus archiepiscopus Coloniensis eam ecclesiam obtinuisset apud sedem Apostolicam in commendam: exemplum secutus sui prædecessoris Theodorici, qui illam, quoad vixit, tenuit, tenebitq; iste suo tempore: sequentur exemplum eius posteri, tardiùs redibit capitulum ad electionem legitimam. Et quoniam nullum penè episcopis hodie ministerium remansit in ecclesiis, nulla penè cura religionis, ad hoc solùm

Episcopi hoc tempore ecclesia neglecta curant saltem temporalia.

solùm intendunt nostri temporis, præsertim in locupletibus ecclesiis pontifices, vt, quæ foris sunt, temporalia tueantur, arces & prædia defendant. Nullum perinde videtur ecclesię detrimentum, magis verò profectus, habere tam potentem defensorem, qui nutu & verbo plus, quam alius armis, imperitet. Quòd si modestia esset in summis viris, posset Coloniensis ecclesia suum pontificem impensis suis satis deducere. Sed quando erit, vt dicat infernus, Sufficit?

HILDESEMENSI, morte sui Bartoldi, optatissimi pontificis viduata ecclesia, per legitimam capituli electionem sufficitur in locũ eius illustris princeps, D. Ericus, ducis inferioris Saxoniæ filius, qui vsq; ad illam ætatem in ecclesia Coloniensi canonicatum tenebat. Satis diu dubius quid mallet, quietem in ecclesia Coloniensi, an perturbationem & laborem plurimum apud ecclesiam Hildesemensem. Non est permissus suum in ea re sequi iudicium: cognationis suæ & amicorum stimulis adigitur subire non quod ille mallet, sed quod illi suasere. Igitur consensit electioni: & misso in vrbem oratore, Apostolicam confirmationem obtinuit. Necdum expleuit in administratione annum, quin antiquæ deliberationis sententiam repetens, verbum fecit capitulo suo, esse sibi in animo quietis desiderium, cernere paratum laborem apud ecclesiam: si paterentur loco eius Ioannem fratrem, & in eum consentirent, vt pontificem haberent, mitteret ad apostolicam sedem, ibique in fratris fauorem renunciaret, postulaturus prouisionem pro germano. Quid faceret capitulum? Inuitum & repugnantem tenere haud poterant. Consentiunt. Ille sumptis documentis, mittit nuncium in vrbem: magnoque desiderio reuertitur ad locum quietis suæ Coloniam. Vides quò operetur educatio. Ex puero, innutritus Coloniæ ritibus, inclinari non potest, vt maiori subeat oneri: ponitq;, quod alii fatigatis omnib. notis & amicis, magna instantia noctes atq; dies cõsequi ambirẽt. CAP. 28.

VERDENSI autem ecclesiæ eiusdem Bartholdi morte vacuatæ, postulatione capituli, dominus Christophorus, dux Brunswicensis, Bremensis ecclesiæ coadiutor, præficitur administrator. Nam cùm dominus Henricus dux Brunswicensis iunior, pro suo quoque filio, sed annis minore instaret, vt postularetur, cessit filio senioris, permittens, imò & adiuuans, vt negocium pro domino Christophoro præfato procederet. Missus est in vrbem ad põtificem in eam rem nuncius: & non obstante, quòd adiutor sit perpetuus in ecclesiam Bremensem assumptus, certus de successione in eam ecclesiam, si superuixerit: nec obstante, quòd minor sit ab annis, vt agens decimum septimum, possit administrare Verdensem ecclesiam, sumptum in suum diem sacrum ordinem pontificalem, vt tam spiritualibus pontificalibus, quàm temporalibus omnia gubernet. Inuenit nuncius iste faciles aures pontificis Romani. Solet enim sedes Apostolica petentibus se liberalem exhibere, permutans plumbum pro auro. Quod cùm dictum est veteri seculo, quantum creuerit in hunc diem illa liberalitas, facilè intelligunt agentes in rebus. Sed hæc interim. CAP. 29. *Aurum pro plumbo ferentem, Papa libenter audit.*

BREMENSIS interim ecclesia à suo archiepiscopo gubernatur. Nam conuenit inter placita à principio, quòd dominus coadiutor nullis in ea ecclesia rebus se immisceat, nullis intersit nisi inuitatus. Omnis inde administratio quandiu placitũ est, manet in manibus archiepiscopi. Sed interim per hunc annum post MDIII. legatus de latere cardinalis, dominus Raimundus, titulo sanctæ Mariæ nouæ, presbyter cardinalis, cùm superioribus annis per Germaniam missis commissariis iubileum publicari mandasset, & pro defensione fidei in Turcos collectam ingentem pecuniam per loca haberet, ipse inuisere dignatus insignia loca, præsentiæ suæ nõ parua dedit visentibus donaria, plenissimam remissionem, quoties in pontificalib. celebraret: potissimùm peruagatus loca, in quibus bella vel tonare, vel cõsurgere intelligeret. Opportunè Lubicam ad Paschalia applicuit, vbi sæuissimũ bellum iam paratum inter regem Daniæ & eam vrbem extinxit, pacem reparauit, & felicissimis auspiciis tranquilla nobis tempora reliquit. Priusquàm inchoaret tractatum, per omnia vicina loca ab altissimo gratiã precibus iussit implorare, in eo loco solenni processione per vrbem habita. Ipse sacra ad aram peregit in suggesto, quod erectum habuit in cœmeterio maioris ecclesię. Ibi indut⁹ põtificalib⁹, ipse sacerdos ad CAP. 30. 1503.

aram fuit: diaconus comes de *Kirberge*, iam diu presbyter: ſubdiaconus miniſter erat memoratus dominus Chriſtophorus dux, coadiutor Bremenſis, & Verdenſis adminiſtrator. Eadem diuinorum formula, & Brunſwici & Lubecæ, & Hamburgi & Bremæ fuit, plaudentibus & pro deuotione multis lachrymãtibus, quòd pacem relinqueret, quòd indulgentias multiplicaret impenſa benedictione. Hanc ſolennibus locis ſeruabat conſuetudinem, vt expleto ad aram diuino miniſterio, ipſe in ſuggeſto ſede ſua collocatus, ſtatim in ambone ante conſpectum cum comite memorato pręferebat Latino ſermone tractatum, quem inde conuerſus ad populum comes, populo nunciabat: idq́; tertio ac quarto in eodem ſermone repetens, populo per benedictionem valedixit.

Populus de Indulgentiis per Raimundum conceſſis ita gaudet, vt lachrymetur.

METROPOLEOS, HOC EST, HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SAXO- *niæ, & vicinarum regionum & regnorum, clariſſimi hiſtorici domini Alberti Krantzii Hamburgenſis, ab anno Domini* 780, *vſque ad annum* 1504, *finis.*

APPENDIX EIVSDEM KRANTZII MANV ADSCRIPTA.

CAP. I. IOANNES ex ducibus Saxoniæ inferioris, patre Ioanne, matre Dorothea, ex domo Brandenburgẽſi, filia Friderici quondam principis electoris, frater Erici memorati, libera renunciatione fratris, conſentiente capitulo, authorizante pontifice Romano, eccleſiam Hildeſemenſem accepit regendam, & gubernat in hodiernum diem. Tranquilla reperit tempora, quòd ſatis rarum eſt in ea ditione. Multi militares in diœceſi ab armis non diſcedunt: nunc tamen conquieſcunt, vexati ſpirituali gladio. Nam quidam ex maioribus eccleſiæ marſcallus, cùm arcem Poppenborg aſſultu militari occupaſſet, nec reſpondiſſet iurib. pignoris, quæ mulier quædam in ea diceretur habere, cauſa in Romanam curiam perducta, cenſuris innodatur, & pertinaciter immoratur. Interdictum eſt ſacris per omnem diœceſim: capitulum maioris eccleſiæ iuſtificans partes viri militaris patiẽter tolerat, neſcio quid expectans. Qui actoris ſuſtinet partes, cùm ille dicatur niti fauoribus principum, & multorum ſui generis militarium. Res in longum trahitur. Ita diœceſis armis ſolita vexari carnalibus, nunc laborat ſub gladio ſpirituali, ne vnquam illi deeſſe videatur tribulatio. Scindit ille gladius, non ſubitò lanians, ſed per longam moram vulnera infert atrociora. Neq; enim curari aiunt ictus ei⁹, niſi longa putredine inurantur. Per hunc gladium Romani pontifices ſua iura tutati, obedientiam in prouinciis plenam, aduerſantibus mundi poteſtatibus, ſunt aſſequuti.

Diœceſis à carnali gladio liberata, ſub ſpirituali laborat.

CAP. 2. SVERINENSI eccleſiæ, poſt Conradum, præficitur D. Ioannes, cognomento *Thuen*, vir militari genere, non tamen amplo, natus, ſed illis præditus virtutibus, vt principibus Magnopolenſibus ſemper eſſet commendatiſſimus. In conciliis & cœtibus, quos principes agebant, frequens: multa per illum principes memorati agebant. Singularis zelator reformationum in monaſteriis virorum ac mulierum: quo merito crediderim eum apud Deum maiori viſum dignum loco. Iam fertur cum ſuo clero luctari, vt ad continentiam illum redigat: ſed ibi labor eſt plurimus. Difficile enim ab inolita diu conſuetudine diſcedunt. Diſſimulatione priorum tam altas egit radices hoc malum, vt niſi magnis conatibus non eradicetur. Vrticæ ſimile malum, quæ per ſegnitiem hortulani multa tacitè occupat loca, vt difficilè euellatur. Si in ea re non proficit hic pontifex, tanto ſuorum principum fauore ſuffultus: protinùs aliis deſperandum, qui ſimili contentione laborant. Iam terror ſacrorum canonum proiectus eſt: ſuſpenſio, & inde ſequuta irregularitas, pro nihilo eſt. Tectis velut vultibus præcipites currunt in foueam. Cauſa tanti mali, diſſimulatio prælatorum. Quid enim ſunt leges ſine exequutore? Metus diuini iudicii non mouet obcæcatos. Ita ſibi blandiũtur de impunitate per multitudinem peccantiũ, vt iam non ſit quem terreat perditionis ęternę periculũ, ſi non ilicò temporalis pœna ſubſequatur. Dubitari poteſt, ſi integra fide ſentiãt rectè de euãgelii p̃dicatione.

LVBI-

LVBICENSI ecclesiæ, post Theodoricum, qui annos XIIII. non impleuit, præficitur Wilhelmus, cognomento *Westphale*, pridem ecclesiæ decanus, bono genere natus in Lubica, nepos ex fratre Arnoldi quarti prædecessoris sui. Malè conciliatus defuncto prædecessori, impugnat eius testamentum. Defenditur ab eius cognatione. Ille legata prædecessoris satis solennia non agnouit. Ita viuitur: rarò probat successor acta præcessoris. Videat quisq; quid agat: tempus venit exigendæ & reddendæ rationis. Sat quietus in sede sua hactenus permansit. Curiam principum non sequitur: incertum, qua sit gratia principum modernorum. CAP. 3.

Wilhelm' Episcop' Lubicēs. antecessoris sui testamentū irritat.

SVERINENSIS ecclesia non diu læta permāsit, Ioanne suo gauisa: nam bien nio vix exacto, è vita migrauit. Eligitur in locum eius insignis vir, dominus Petrus, non magnis ortus natalibus, sed qui magna virtute & industria perfecerit Romæ, vt multorum officiorum esset gubernator: non paruo inde ære annuo diues. Magnas in sua prouincia & multas tenuit dignitates, nec amisit suscepto pontificatu. Episcopatum electus assumere nō dubitauit, ne videretur ecclesiam commodi sui gratia contempsisse. Sed fertur inde fluctuasse, si absens, quàm præsens, illi fructum inferre posset maiorem, fecit quod omnes faciundum putauere: adesse maluit ecclesiæ. Venit honesto comitatu, dignāter à principibus excipitur. Apud ecclesiam manens, multorum magnatum & prælatorum Romæ per literas dirigit negocia, exactissimè sciens & tenens stylum Romanæ curiæ in expeditionibus causarum. CAP. 4.

MONASTERIENSIS ecclesia viduatur morte Conradi, eligitur de Colo- nensi choro illustris princeps, dominus Ericus, ex ducibus Saxoniæ inferioris, qui nuper ecclesiæ Hildesemēsi cedens, permisit illam germano fratri suo Ioāni. Hanc verò Monasteriensem maioribus subnixam viribus, & opulentiorem nō contempsit. Latè enim imperat, multis abundans militaris ordinis viris. Ecclesia cùm multis rebus insignis, in hoc solo mirabilis, quòd ab initio ordines mendicantium non est passa, nisi paucissimis locis: prospexisse patres visi sunt multa ecclesiarum præiudicia, quæ se magis ac magis aperiunt in singulos dies. CAP. 5.

OSNABVRGENSIS ecclesia eiusdem Conradi morte & ipsa viduata (nam Conradus Monasteriensis episcopus, quamuis hanc ipsam tenuerit primam, acceptá tamen Monasteriēsi, cogitur mutare titulum, & hanc sumere in commendam) assumitur ad hanc Osnaburgensem illustris princeps, dominus Ericus, ex ducibus Brunsuici de *Grubenhagen*. Et vt captus est huius temporis, non illa contentus, tenet & alteram Paderburnensem: incertum, quam priorem, & quam ex his præferat in titulo, siue commenda. CAP. 6.

Episcopus non vna cōtentus, duabus præest ecclesiis.

PADERBVRNENSIS ecclesia morte Hermanni Coloniensis archiepiscopi, meruit proprium iterum habere pontificem illustrem (vt statim diximus) dominum Ericum, ex principibus & ducibus de Brunsuico, de portione *Grubenhagen*: nulla re cedens nobilitati principum gubernantium, nisi quòd cum sui generis linea patitur damna auitæ electionis, cùm illa terra mineris argenti tunc abundaret, nunc exhaustis. CAP. 7.

MINDENSIS ecclesia hac tempestate, moriēte Henrico, mutauit pontificē. Sensit adhuc viuens Henricus, cùm nonnulli ex capitulo suo agerent de illius successione. Tulit eam rem grauiter & indignè, sed placatur persuasione bonorum virorum. Successit ergò in ecclesiam illustris dominus Franciscus, ex ducibus Brunsuici, germanus frater illustris domini Christophori Verdensis, administratoris amborum, patre Henrico procurante. CAP. 8.

FINIS APPENDICIS.

F



CATALOGVS ROMANORVM PONTIFICVM, QVOS BREVITER IN HOC OPERE DESCRIBIT KRANTZIVS.

1 *Petrus Galilæus*
2 *Linus Tuſcus*
3 *Cletus Romanus*
4 *Clemens Romanus*
5 *Anacletus Græcus*
6 *Euariſtus Græcus*
7 *Alexander Romanus*
8 *Sixtus Romanus*
9 *Teleſphorus Græcus*
10 *Higinus Græcus*
11 *Pius Aquilegienſis*
12 *Anicetus Syrus*
13 *Soter Fundanus*
14 *Eleutherius Græcus*
15 *Victor Apher*
16 *Zephyrinus Romanus*
17 *Calixtus Romanus*
18 *Vrbanus Romanus*
19 *Pontianus Romanus*
20 *Anterus Græcus*
21 *Fabianus Romanus*
22 *Cornelius Romanus*
23 *Lucius Romanus*
24 *Stephanus Romanus*
25 *Sixtus II. Græcus*
26 *Dionyſius monachus*
27 *Felix Romanus*
28 *Eutychianus Tuſcus*
29 *Gaius Dalmata*
30 *Marcellinus Romanus*
31 *Marcellus Romanus*
32 *Euſebius Græcus*
33 *Melchiades Apher*
34 *Syluester Romanus*
35 *Marcus Romanus*
36 *Iulius Romanus*
37 *Liberius Romanus*
38 *Felix II. Romanus*
39 *Damaſus Hiſpanus*
40 *Siricius Romanus*
41 *Anaſtaſius Romanus*
42 *Innocentius Albanus*
43 *Zoſimus Græcus*
44 *Bonifacius Romanus*
45 *Cæleſtinus Campanus*
46 *Sixtus III. Romanus*
47 *Leo Tuſcus*
48 *Hilarius Sardus*
49 *Simplicius Tiburtinus*
50 *Felix III. Romanus*
51 *Gelaſius Apher*
52 *Anaſtaſius II. Romanus*
53 *Symmachus Sardus*
54 *Hormiſda Fruſinonius*
55 *Ioannes Tuſcus*
56 *Felix IIII. Samius*
57 *Bonifacius II. Romanus*
58 *Ioannes II. Romanus*
59 *Agapetus Romanus*
60 *Syluerius Campanus*
61 *Vigilius Romanus*
62 *Pelagius I.*
63 *Ioannes III. Romanus*
64 *Benedictus I. Romanus*
65 *Pelagius II. Romanus*
66 *Gregorius I. Romanus*
67 *Sabinianus*
68 *Bonifacius III. Romanus*
69 *Bonifacius IIII. Marſus*
70 *Deuſdedit Romanus*
71 *Bonifacius V. Campanus*
72 *Honorius Campanus*
73 *Seuerinus Romanus*
74 *Ioannes IIII. Dalmata*
75 *Theodorus Græcus*
76 *Martinus I. Tudertinus*
77 *Eugenius Romanus*
78 *Vitalianus Signinus*
79 *Adeodatus Romanus*
80 *Donus Romanus*
81 *Agatho Siculus*
82 *Leo II. Siculus*
83 *Benedictus II. Romanus*
84 *Ioannes V. Syrus*
85 *Conon Thrax*
86 *Sergius Syrus*
87 *Ioannes VI. Græcus*
88 *Ioannes VII. Græcus*
89 *Siſinnus Syrus*
90 *Conſtantinus Syrus*
91 *Gregorius II. Romanus*
92 *Gregorius III. Syrus*
93 *Zacharias Græcus*
94 *Stephanus II. Romanus*
95 *Paulus I. Romanus*
96 *Conſtantinus II. Romanus*
97 *Stephanus III. Siculus*
98 *Hadrianus I. Romanus*
99 *Leo III. Romanus*
100 *Stephanus IIII. Romanus*

101 *Paschalis I. Romanus*
102 *Eugenius II. Romanus*
103 *Valentinus Romanus*
104 *Gregorius IIII. Romanus*
105 *Sergius II. Romanus*
106 *Leo IIII. Romanus*
107 *Ioannes Anglicus, fœmina Moguntina.*
108 *Benedictus III. Romanus*
109 *Nicolaus I. Romanus*
110 *Hadrianus II. Romanus*
111 *Ioannes VIII. Romanus*
112 *Martinus II. Gallus*
113 *Hadrianus III. Romanus*
114 *Stephanus V. Romanus*
115 *Formosus Portuensis*
116 *Bonifacius VI. Tuscus*
117 *Stephanus VI. Romanus*
118 *Romanus, Romanus*
119 *Theodorus Romanus*
120 *Ioannes IX. Romanus*
121 *Benedictus IIII. Romanus*
122 *Leo V.*
123 *Christophorus*
124 *Sergius III. Romanus*
125 *Anastasius III. Romanus*
126 *Lando Romanus*
127 *Ioannes X. Romanus*
128 *Leo VI. Romanus*
129 *Stephanus VII. Romanus*
130 *Ioannes XI. Romanus*
131 *Leo VII. Romanus*
132 *Stephanus VIII. Germanus*
133 *Martinus III. Romanus*
134 *Agapetus II. Romanus*
135 *Ioannes XII. Romanus*
136 *Leo VIII. Romanus*
137 *Benedictus V. Romanus*
138 *Ioannes XIII. Romanus*
139 *Benedictus VI. Romanus*
140 *Donus II. Romanus*
141 *Bonifacius VII.*
142 *Benedictus II. Romanus*
143 *Ioannes XIIII. Romanus*
144 *Ioannes XV. Romanus*
145 *Ioannes XVI. Romanus*
146 *Gregorius V. Germanus*
147 *Ioannes XVII. Placentinus*
148 *Syluester II. Gallus*
149 *Ioannes XVIII.*
150 *Ioannes XIX.*
151 *Sergius IIII. Romanus*
152 *Benedictus VIII. Tusculanus*
153 *Ioannes XX.*
154 *Benedictus IX. Tusculanus*
155 *Syluester III. Romanus*
156 *Gregorius VI.*
157 *Clemens II. Germanus*
158 *Damasus II. Bauarus*
159 *Leo IX. Alemanus*
160 *Victor II. Alemanus*
161 *Stephanus IX. Lotharingus*
162 *Benedictus X. Campanus*
163 *Nicolaus II. Allobrox*
164 *Alexander II. Mediolanensis*
165 *Gregorius VII. Saonensis*
166 *Victor III.*
167 *Vrbanus II. Ostiensis*
168 *Paschalis II. Italus*
169 *Gelasius II. monachus*
170 *Calixtus II. Burgundus*
171 *Honorius II. Imolensis*
172 *Innocentius II. Romanus*
173 *Cœlestinus II. Tuscus*
174 *Lucius II. Bononiensis*
175 *Eugenius III. Pisanus*
176 *Anastasius IIII. Romanus*
177 *Hadrianus IIII. Anglicus*
178 *Alexander III. Senensis*
179 *Lucius III. Lucensis*
180 *Vrbanus III. Mediolanensis*
181 *Gregorius VIII. Beneuentanus*
182 *Clemens III. Romanus*
183 *Cœlestinus III. Romanus*
184 *Innocentius III. Anagninus*
185 *Honorius III. Romanus*
186 *Gregorius IX. Anagninus*
187 *Cœlestinus IIII. Genuensis*
188 *Innocentius IIII. Genuensis*
189 *Alexander IIII. Campanus*
190 *Vrbanus IIII. Gallus*
191 *Clemens IIII. Gallus*
192 *Gregorius X. Placentinus*
193 *Innocentius V. Burgundus*
194 *Hadrianus V. Genuensis*
195 *Ioannes XXI. Hispanus*
196 *Nicolaus III. Romanus*
197 *Martinus IIII. Gallus*
198 *Honorius IIII. Romanus*
199 *Nicolaus IIII. Asculanus*
200 *Cœlestinus V.*
201 *Bonifacius VIII. Anagninus*
202 *Benedictus XI. Taruisinus*
203 *Clemens V. Burdegalensis*
204 *Ioannes XXII. Gallus*
205 *Benedictus XII. Tolosanus*
206 *Clemens VI. Gallus*
207 *Innocentius VI. Gallus*
208 *Vrbanus V. Gallus*
209 *Gregorius XI. Lemouicensis*
210 *Vrbanus VI. Neapolitanus*

211 *Bonifacius IX. Neapolitanus*
212 *Clemens VII. Gebennēsis, in schismate*
213 *Benedictus XIII.*
214 *Innocentius VII. Sulmonensis*
215 *Gregorius XII. Venetus*
216 *Alexander V. Cretensis*
217 *Ioannes XXIII. Neapolitanus*
218 *Martinus V. Romanus*
219 *Eugenius IIII. Venetus*
220 *Felix V. Sabaudiensis*
221 *Nicolaus V. Sarzanus*
222 *Calixtus III. Hispanus*
223 *Pius II. Senensis*
224 *Paulus II. Venetus*
225 *Sixtus IIII. Saonensis*
226 *Innocentius VIII. Genuensis*
227 *Alexander VI. Valentinus*
228 *Pius III. Senensis*
229 *Iulius II. Saonensis*
230 *Leo X. Florentinus*
231 *Hadrianus VI. Germanus*
232 *Clemens VII. Florent.*
233 *Paulus III. Romanus*
234 *Iulius III.*
235 *Marcellus II.*
236 *Paulus IIII.*
237 *Pius IIII.*
238 *Pius V.*
239 *Gregorius XIII.*

EPISCOPI OSNABVRGENSES.

1 *Wiho*
2 *Meyngardus, siue Meyngerus*
3 *Gesuinus*
4 *Gosbertus*
5 *Eybertus, siue Egbertus*
6 *Egelmarus*
7 *Dodo*
8 *Drogo*
9 *Ludolphus*
10 *Dodo II.*
11, 12 } *Desunt in archetypo*
13 *Thietmarus*
14 *Moncherus*
15 *Deest & hic*
16 *Eluericus*
17 *Wernicherus*
18 *Beno II.*
19 *Marquardus*
20 *Wido*
21, 22, 23, 24 } *Et hi desunt in exemplari Krantzij manuscripto*
25 *Philippus comes de Cattenelbogen*
26 *Arnoldus*
27 *Gerhardus de Lippia*
28 *Adolphus*
29 *Bruno comes de Isenborch*
30 *Wedekindus comes de Waldeck*
31 *Baldewinus de Kusler*
32 *Conradus de Ritbech*
33 *Ludouicus comes de Rauensbergen*
34 *Engelbertus de Wepe*
35 *Gotfridus comes de Arnsbergk*
36 *Magister Ioannes*
37 *Melchior dux Brunswicensis*
38 *Theodoricus de Horne*
39 *Henricus dux Sleswicensis*
40 *Conradus de Depholt*
41 *Conradus de Ritberge*
42 *Ericus dux Brunsuicēsis de Grubenhagē*
43 *Franciscus comes à Waldeck*
44 *Ioannes comes ab Hoia*
45 *Henricus dux Saxoniæ*

Testatur alicubi Krantzius, se, cùm hæc conscriberet, non habuisse duarū ecclesiarum, Mindensis scilicet & Osnaburgensis episcopos, quos posteà nactus chartis inscriptos assuit reliquo operi. Harum chartarum aliquot incuria assernantium perierunt. Hinc aliquot episcopi harū duarum ecclesiarum desunt. Sed hoc lectorem parùm mouere debet, cùm omnia ea quæ Krantzius maximè extare voluit, hîc adsint.

EPISCOPI HALBERSTADENSES.

1 *Hildigrinus, frater Ludegeri*
2 *Tiagrinus*
3 *Heymo*
4 *Hildegrinus*
5 *Euilpus*
6 *Sigismundus*
7 *Bernardus Burggrauius Magdeburgēsis*
8 *Hildewardus*
9 *Arnoldus*
10 *Brandago*
11 *Burchardus comes Bauariæ*
12 *Bernardus Buko*
13 *Diethmarus*
14 *Herandus, vel Stephanus*
15 *Reinhardus*
16 *Otto*
17 *Rodolphus*
18 *Vlricus*
19 *Theodoricus*
20 *Bartoldus*
21 *Conradus*
22 *Fridericus*

23 Lu-

23 *Ludolphus comes de Sladem*
24 *Meynerus Kransfelder*
25 *Ludolphus comes de Sladem*
26 *Volradus Kransfelder*
27 *Hermannus comes de Blanckenborg*
28 *Albertus comes de Anhalt*
29 *Albertus dux Brunſwicenſis*
30 *Ludouicus marchio Miſnenſis, & comes prouincialis Turingiæ*
31 *Albertus Rickmerſtorpe*
32 *Erneſtus comes de Honſtein*
33 *Rudolphus de Anhalt*
34 *Henricus comes de Werberg*
35 *Albertus de Werningrode comes*
36 *Ioannes de Hoym*
37 *Burchardus*
38 *Geuehardus de Hoym*
39 *Erneſtus dux Saxoniæ*
40 *Albertus marchio Brandenburgenſis*
41 *Sigiſmũdus marchio Brandenburgenſis*
42 *N. marchio Brandenburgenſis*

EPISCOPI MIMIGARDEVORDENSES.

1 *Ludgerus*
2 *Gerfridus, huius nepos*
3 *Alfridus*
4 *Lubertus*
5 *Bertholdus*
6 *Wilhelmus*
7 *Richardus*
8 *Rumoldus*
9 *Hildeboldus*
10 *Dodo*
11 *Suederus*
12 *Theodoricus*
13 *Segefridus*
14 *Hermannus, poſt hunc cœperunt vocari Monaſterienſes epiſcopi, qui ante hunc Mimigardeuordenſes vocati ſunt.*
15 *Robertus*
16 *Fridericus*
17 *Erpo*
18 *Theodoricus*
19 *Burchardus*
20 *Egbertus*
21 *Wernerus*
22 *Fridericus*
23 *Ludouicus*
24 *Godſcalcus*
25 *Hermãnus II. comes de Cattenelbogen*
26 *Otto comes de Benthem*
27 *Theodoricus comes de Iſenburg*
28 *Ludolphus de Holſe*
29 *Otto de Lippia II. eius nominis*
30 *Wilhelmus de Holſe*
31 *Gerhardus comes de Marcà*
32 *Euerhardus de Deeſt*
33 *Otto II. de Ritberg comes*
34 *Conradus*
35 *Ludouicus de Haſsia*
36 *Adolphus comes de Marcà*
37 *Ioannes de Werneborg*
38 *Florentius de Weuelkauen*
39 *Potho de Potenſtein, Bohemus*
40 *Heidenricus Wolff*
41 *Otto comes de Hoia*
42 *Henricus comes de Morshe*
43 σχίσμα { *Walranꝰ frater præceſſoris* / *Ericus Oſnaburgenſis epiſcopus* }
44 *Ioannes dux Bauariæ*
45 *Henricus Bremenſis archiepiſcopus*
46 *Conradus Oſnaburgenſis epiſcopus*
47 *Ericus dux Saxoniæ inferioris*
48 *Franciſcus comes à Waldeck*
49 *Wilhelmus Ketteler*
50 *Bernhardus à Raſfelt*
51 *Ioannes comes ab Hoia*
52 *Ioannes dux Cliuenſis*

EPISCOPI VERDENSES.

1 *Suibertus*
2 *Patto*
3 *Tanco*
4 *Nortila*
5 *Lenilo*
6 *Kortila*
7 *Iſingerus*
8 *Harruch*
9 *Heligandus*
10 *Erlulphus*
11 *Walterus*
12 *Wichpertus*
13 *Bernarius*
14 *Adoluardus*
15 *Amelungus, filius Hermãni Biling ducis*
16 *Bruno*
17 *Erpo*
18 *Bernanus*
19 *Wigerus*
20 *Thitmarus*
21 *Bruno II.*
22 *Segebertus*
23 *Ricbertus*
24 *Hartwicus*
25 *Maſo*
26 *Thietmarus II.*
27 *Hermannus*
28 *Hugo*

29 Tammo
30 Rodolphus
31 Iſo comes de Welpa
32 Luderus
33 Gerhardus comes de Hoia
34 Conradus dux Brunſwicenſis
35 Fridericus
36 Nicolaus
37 Ioannes
38 Daniel carmelita
39 Rodulph⁹ cācellari⁹ Caroli Imperatoris
40 Gerhardus de monte
41 Henricus de Langen Luneburgenſis
42 Ioannes de Seſterfliet
43 Otto dux Brunſwicenſis
44 Conradus Soltower Luneburgenſis
45 Henricus comes de Hoia
46 Ioannes de Aſel Hildeshemenſis.
47 Bartholdus de Landesberg
48 Chriſtophorus dux Brunſwicenſis
49 Euerhardus ab Holle

ARCHIEPISCOPI BREMENSES.

1 Willehadus Anglus
2 Willericus
3 Leudericus

ARCHIEPISCOPI HAMBVRGENSES.

1 Heridagus presbyter deſtinatus à Carolo Magno archiepiſcopus Hamburgēſis
2 Anſgarius archiepiſcopus Hamburgenſis, & metropolitanus omnium regionum aquilonarium.

VNIO ECCLESIARVM HAMBVRGENSIS ET BREMENSIS.

1 Anſgarius
2 Rembertus
3 Adalgarius
4 Hogerus
5 Reginwardus
6 Vnni
7 Adaldagus
8 Libentius
9 Vurranus
10 Libentius II.
11 Hermannus
12 Becilinus
13 Albertus, ſiue Adolbertus
14 Liemarus, poſt hunc vocantur archiepiſcopi Bremenſes
15 Humbertus
16 Fridericus I.
17 Adalbero
18 Hardwicus
19 Baldewinus
20 Sifridus
21 Hardwicus II.
22 Gerhardus
23 σχίσμα {Waldemarus / Gerardus D. de Lippia
24 Hildeboldus ſiue Hildebrandus
25 Giſelbertus
26 Henricus
27 Florentius
28 Ioannes
29 Burchardus
30 Otto
31 Gotfridus
32 Albertus
33 Otto
34 Ioannes Slamſtorp
35 Nicolaus de Delmenhorſt
36 Baldewinus
37 Gerhardus
38 Henricus
39 Ioannes Rode
40 Chriſtophorus dux Brunſwicenſis
41 Georgius dux Brunſwicenſis
42 Henricus dux Saxoniæ.

EPISCOPI MINDENSES.

1 Herimbertus
2 Haduardus
3 Theodoricus
4 Wulffhardus
5 Drogo
6 Adelbertus
7 Bernhardus
8 Lidarius
9 Euergizo
10 Helinwardus
11 Lauduardus
12 Milo
13, 14, 15 } Deſiderantur in Archetypo
16 Bruno
17 Engelbertus
18 Reinwardus
19 Folmarus
20, 21 } Deſiderantur
22 Witelo
23 Sigwardus
24 Henricus
25 Wernerus
26 Anno, comes de Blanckenborg
27 Dithmarus

28 Deest & hic
29 Conradus
30 Wilhelmus
31 Ioannes
32 Wedekindus
33 Cono
34 Otto
35 Volckwinus
36 Conradus II.
37 Ludolphus de Rorstorpe
38 Gotfridus
39 Ludouicus dux Brunsuicensis & Luneburgensis
40 Gerhardus comes de Schawenburg
41 Theodoricus III.
42 Gerhardus II. comes de Schawenburg
43 Otto de Wettin
44 Wedekindus de monte
45 Otto III. de Minda dictus
46 Marquardus de Kendeghen
47 Wilkinus de Buske
48 Otto de Ketberge
49 Wullebrandus de Hallermundt
50 Albertus comes de Hoia
51 Henricus comes de Schawenburg
52 Franciscus comes à Waldeck
53 Georgius dux Brunswicensis
54 Hermannus comes à Schawenburg

EPISCOPI HILDESEMENSES.

1 Gunterus
2 Frombertus
3 Ebo Gallus
4 Alfridus
5 Marquardus
6 Wigebertus
7 Walbertus
8 Sehardus
9 Dethardus
10 Ochwinus
11 Osdachus
12 Gerhardus
13 Sanctus Bewardus, comes de Sommerscheborg
14 Sanctus Gothardus
15 Dithmarus
16 Aselmus
17 Echilo
18 Vdo, comes de Aluensleue
19 Bertholdus
20 Bernardus
21 Bruno
22 Hermannus
23 Adologus
24 Berno
25 Conradus
26 Herbordus
27 Sifridus
28 Conradus
29 Henricus
30 Ioannes
31 Otto dux Brunswicensis
32 Sifridus comes de Quarfordt
33 Henricus comes de Woldenberge
34 Otto comes de Woldenberge
35 σχίσμα { Ericus comes de Schawenburg / Henricus dux Brunsuicensis }
36 Frater ordinis Prædicatorum
37 Gerhardus de monte
38 Ioannes comes de Hoia
39 Magnus dux Saxoniæ inferioris
40 Bernhardus dux Brunsuicensis
41 Ernestus de Schawenburg
42 σχίσμα { Hermannus comes prouincialis Hassiæ, archiepiscopus Coloniensis / Henningus de Domo / Balthasar dux Magnopolens. }
43 Bertholdus de Landsberg, episc. Verdens.
44 Ericus dux inferioris Saxoniæ
45 Ioannes frater eius pulsus episcopatu ab Henrico duce Brunsuicensi
46 Valentinus N.
47 N. ab Obergen
48 Ernestus dux Bauariæ

EPISCOPI PADERBVRNENSES.

1 Harimarus
2 Baduradus
3 Luitharius
4 Biso
5 Theodoricus
6 Vnwanus
7 Dudo
8 Folckmarus
9 Retharius
10 Meinwarcus
11 Roto
12 Imadus
14 Poppa
15 σχίσμα { Henricus comes de Aslo / Henricus comes de Warle }
15 Bernardus I.
16 Euergisus
17 Sifridus

18 *Bernardus II.*
19 *Bernardus III.*
20 *Oliuarus*
21 *Wulbrandus*
22 *Bernardus IIII.*
23 *Simon*
24 *Otto de Ketberg comes*
25 *Theodoricus de Ictere*
26 *Bernardus V. comes de Lippia*
27 *Balduinus comes de Steinfordia*
28 *Henricus Spegel, Abbas Corbeiæ*
29 *Simon comes de Sterneberge*
30 *Rupertus dux de Monte*
31 *Ioannes de Hoia comes*
32 σχίσμα { *Berthrandus de Aruasanis, Italus* / *Wilhelmus dux de Monte* }
33 *Theodoricus archiepiscopus Coloniensis*
34 *Simon de Lippia*
35 *Hermannus archiepiscopus Coloniensis*
36 *Ericus dux Brunswicensis, de Grubenhagen*
37 *Rembertus à Kerssenbroch*
38 *Ioannes comes ab Hoia*
39 *Salentinus comes ab Isenburg*

EPISCOPI ALDENBVRGENSES.

1 *Marco*
2 *Eguardus, siue Eduardus, siue Euagrius*
3 *Wago*
4 *Ezico*
5 *Volckquardus*
6 *Rombertus*
7 *Benno*
8 *Meynerus*
9 *Abelinus*
10 *Eyzo. vacat sedes per annos 84.*
11 *Vicelinus*
12 *Geroldus, vltimus Aldenburgensium, & primus Lubecensium, transfertur sedes Aldenburgensis in Lubicam.*

EPISCOPI LVBICENSES.

1 *Gerholdus*
2 *Conradus, frater eius abbas in Reddageshusen*
3 *Henricus abbas sancti Aegidij Brunswicæ*
4 *Conradus Imperatoris cancellarius*
5 *Theodoricus præpositus in Segeberge*
6 *Bertholdus*
7 *Ioannes*
8 *Albertus archiepiscopus Rigensis*
9 *Frater Ioannes de Deist ordinis Minorum*
10 *Ioannes Tralaw scholasticus eiusdem ecclesiæ*
11 *Burchardus de Sarken 80. anno ætatis fit pontifex, & præest annis 40.*
12 *Henricus Buckholt*
13 *Ioannes Muel*
14 *Bertrahamus Cremon*
15 σχίσμα { *Nicolaus à Misna, à papa* / *Ioannes Kleindinst, à capitulo* }
16 σχίσμα { *Conradus de Gisenheim secretarius Imperat. Caroli IIII. à papa missus* / *Ioannes Kleindinst à capitulo secundo electus.* }
17 *Ioannes Kleindinst tertiò electus solus*
18 *Euerhardus Attendorn decanus*
19 *Ioannes de Dulmen scholasticus*
20 *Nicolaus decanus*
21 *Arnoldus Westphal decretorum doctor*
22 *Albertus Krumdick canonicus*
23 *Thomas Groto canonicus*
24 *Theodoricus Arndes*
25 *Wilhelmus Westphal*

ARCHIEPISCOPI MAGDEBVRGENSES.

1 *Albertus, anno DCCCCLXXI.*
2 *Othricus, & huic suffectus Gyselenus*
3 *Woldardus, & huic suffectus Dago*
4 *Waldardus*
5 *Geyro*
6 *Memfridus*
7 *Engelhardus*
8 *Wernerus, siue Wesselus*
9 *Hardeuicus*
10 *Henricus de Aslo comes*
11 *Adolgotus*
12 *Rotgerus*
13 *Nortbertus*
14 *Conradus, comes de Querforde*
15 *Fridericus*
16 *Wichmannus*
17 *Ludolphus de villa Kroppenstede rustica origine*
18 *Albertus de Kirberge, comes*
19 *Burchardus*
20 *Wilbrandus*
21 *Rudolphus de Dingenstede*

22 Rupertus comes de Mansfeldt
23 Conradus comes de Sternenberge
24 σχίσμα { Ericus de Brandenburg marchio
Busso de Querforde comes, & huic suffectus Guntherus de Swalenberge
Bernardus de Welp, comes }
25 Burchardus comes de Blanckenborg
26 Henricus comes de Anhalt
27 Burchardus comes de Schrappelar, infaustus pontifex
28 Magister Hardenicus de Erpeden. post hunc electus comes de Stallbergk
29 Otto comes prouincialis Hassiæ
30 Theodoricus Stendaliensis
31 Petrus Bohemus
32 Ludouicus Thuringus
33 Fridericus
34 Albertus comes de Quarforde
35 Guntherus de Schwartzburg comes
36 Fridericus comes de Bichling
37 Ioannes dux Bauariæ
38 Ernestus dux Saxoniæ
39 Albertus marchio Brandenburgensis
40 Sigismundus marchio Brandenburgẽs.
41 N. marchio Brandenburgensis

EPISCOPI MEKELBVRGENSES.

1 Ioannes martyr, vacat sedes 84. annos
2 Euerhardus
3 Benno, translatio sedis in Suerinum.

EPISCOPI SVERINENSES.

1 Benno
2 Brunnardus
3 Fridericus
4 Theodoricus
5 Wilhelmus
6 Rodulphus
7 Hermannus
8 Gotfridus de Bulo
9 Hermannus
10 Ioannes
11 Ludolphus de Bulo
12 Henricus eius frater
13 Andreas
14 Albertus
15 Rodulphus
16 Fridericus
17 Marquardus Birman
18 Melchior dux Brunsuicensis transsyluanus
19 σχίσμα { Poto Bohemus
Ioannes Iungen }
20 Rodulphus dux Meckelburgensis
21 Henricus
22 Henricus Wangelin
23 Hermannus Koppe
24 Nicolaus Botker
25 Gotfridus Lange, Lunenburgensis
26 Wernerus Wolmers Hamburgensis
27 Balthasar dux Magnopolensis
28 Nicolaus Pentze
29 Conradus Zosten doctor vtriusque iuris Wismariensis
30 Ioannes Thun
31 Petrus

EPISCOPI RACEBVRGENSES.

1 Aristo
Vacat sedes per annos 84.
2 Euermodus
3 Isfridus
4 Philippus
5 Henricus
6 Lambertus
7 Godscalcus
8 Petrus
9 Ludolphus
10 Fridericus
11 Vlricus de Blucher
12 Conradus
13 Hermannus
14 Marquardus, Iesenen cognomento
15 Walradus de Dorno, Holsatus
16 Otto de Gronow
17 Wipertus
18 Henricus de Wittorpe
19 Gerhardus
20 Detlephus de Magnopoli
21 Ioannes
22 Pardauius de Knesbecke
23 Ioannes
24 Ioannes Pren
25 Ludolphus II.
26 Ioannes Stalkoper, medicinæ professor
27 Ioannes Parkentin
28 Henricus Berkmeyer Hamburgensis
29 Georgius Bloumedal doctor vtriusq; iuris, episcopus Lebusensis, & administrator Raceburgensis, Prigintzerus.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
IN ALBERTI KRANTZII, METROPOLIM, DVPLICI NVMERO DESCRIPTUS, quorum prior paginam, posterior lineam significat.



S.Auctor

Boni-

Guido

Ochwinu

Philippus

Theo-

INDICIS FINIS.

Typographus beneuolo Lectori sal.

HOc toto Krantzianæ Metropoleos opere, paucis adhuc paginis in Indice restãtibus, excuso, venit in manus meas exemplar eiusdem operis apud inclytam Basileam excusi, quod cùm aperui, vidi ad calcem illius confutationem Legendæ (sic enim vocant) de Benedicto papa IIII. cum multis aliis principibus, episcopis & nobilibus Hamburgi martyrio coronato, deq; martyrum reliquiis in Ebbeckstorp monasterio virginum Ordinis S. Benedicti, per eundem Krantzium conscriptam. Mirari satis non potui, qui factum fuisse videretur, quòd exemplari, quale nos in hoc codice imprimẽdo sequeremur, addita non esset, causamq; adhuc satis scire non possum, nisi quòd suspicer, illam, quia iam tum in ipsomet opere sæpius esset inculcata, superuacaneam fuisse visam. Ego verò cùm mihi persuaserim, eam tibi non ingratam fore, post Indicem, tametsi minus commodè fieri posse videretur, volui subiicere. Tu si hoc meum tibi gratificandi studium boni consules, efficies vt abs te mihi satisfactum putem. Bene valebis.

DEO DICATIS ATQVE SACRATIS VIRGINIBVS, SVB REGVLA DIVI PATRIS BENEDICTI MILITANTIBVS IN EBBECKstorpe, Albertus Krantzius inutilis theologus, Christum sponsum, qui est ipsa veritas, in veritate cognoscere, agnitum diligere, & assequi dilectum.

CVM iam pridem antiquitates nostratum recenserem, incidi in fabulam occisi summi pontificis cum cardinalibus, episcopis, ducibus, & magna nobilitate in Hamburgo: & motus rei indignitate, mecum dolebam, ineptissimam narrationem pro veritate enunciari: dedi operam, vt explosa vanitate, res gestæ de martyribus ibi tumulatis agnoscerẽtur, & populo deinceps vt actæ sunt enunciarentur. Et quoniã fabulator ad vos vsq; suas nænias produxit, putaui & vos veritatis rerum gestarum participes faciẽdas, idq; per religiosæ memoriæ patrem Henricum de Anckẽ, ordinis Minorum. Cœpi: sed quoniam ille nobis subtractus est, nec facilè potest inolitæ consuetudinis amor aboleri, iterum atq; iterum instandum mihi fuit, vt agnita veritate fabulam proiiceretis, sincera deuotione venerantes Christi martyres, apud vos quiescentes: præsertim cum id etiam vestra deposcere videretur integritas, nuper admonẽs paruitatem meam per germanam mihi, vobis sacri ordinis sororem, vt cœptum perficerem. Ecce pareo imperanti charitati, & quoniam magnus est amor consuetudinis, neque facilè diuellimur ab his quæ à multis annis audire solemus, vt omnis ex animo scrupulus amoueatur, & radicitus fabula extirpetur: primum erit ostendere, puerilem fabulationem nulla niti veritate, sed seipsam confodere. Inde conuicta eius fabulosa vanitate, veram narrationem de sanctis martyribus apud vos quiescentibus introducere. In primis conuincit fabulam de falso, quòd omnium Romanorum pontificũ

exitus

exitus tenemus certissimo testimonio Italorum,qui diligentissime collegerunt & ingressus & egressus eorum,ex quibus nemo peruenit Hamburgum præter vnum Benedictum quintum:non sub Ludouico Imperatore,sed Othone primo: non ad prædicandum,aut baptizandum,aut ad pugnandum (vt fingit fabula) sed ad exulandum,cuius causam infrà dicam. Non ibi martyrio coronatus est, sed dolore animi confectus,obiit. Hoc Itali,hoc nostri annales, hoc inscriptio docet sepulchri. Nec venit cum cardinalibus episcopis,ducib. & militibus, vt fabulator garrit: sed cum Adaldago archiepiscopo Hamburgensi,cui Imperator Otho Benedictū commendauit,vt eum apud ecclesiam seruaret exulantem. Sed iam nunc fabulam attingamus,per ordinem monstrantes,quàm falsa, friuola, puerilis, inconcinna sit. Incipit à temporib. Luduici imperatoris,qui filius erat Caroli Magni,asserens tum in Hamburgo grauem excitatam Christianis persecutionē ex duce Baruch Wandalo:cuius vxor biennio prægnans,parturiit infantem monstrosum, gradientem, loquentem:sed mater ob blasphemiam in diuam virginē,in partu sit mortua: puer denunciās matris æternam perditionem,& Christianæ veritatis soliditatem, mox corruerit expirans. Pater versus in iram, Christianorum maleficiis rem adscribit, mouens persecutionem in Christianos,quorum aliquantos extinxit, alios dissipauit:ex quibus nonnulli Romam peruenerint,deponentes querimoniam papæ Benedicto. Fabula confodit seipsam. Nam temporibus Luduici imperatoris nō Wandali,sed Saxones tenuerunt Hamburgum. Nam pater eius Carolus ibi reliquit prę fectum Othonem,qui populum seruaret in fide Christi & Imperatoris, quem adhuc viuente Carolo exturbarunt Wilsi Wandali, occisis aliquantis tum Christianis. Sed imperator Carolus oppidum iussit denuò communiri,constituens Heridagum ibi sacerdotem,quem destinauit fieri archiepiscopum in omnem prouinciā Aquilonis:sed festinata mors sacerdotis,& occupatio circa imperium Caroli, hāc rem liquere imperfectam. Filius Luduicus rem peregit, qui assumptum de Corbeia Saxoniæ beatum Ansgarium,fecit archiepiscopum Hamburgensem. Cuius temporibus Normanni per Albim ascendentes,ciuitatem vastauerunt, ecclesiam incenderunt:cum sanctus pater in Ramsolam se collocaret,donec ad Bremensem ecclesiam facta duarum vnione assumeretur. Ergo sub primo Luduico viuēte Ansgario nihil tale factum est,quale fabulator introducit:sed mendicat vndecunq; lecta,vt historiam,imò fabulam suam illustret. Venisse tum ait quosdam ex dissipatis Christianis Romam,sub pontifice Benedicto. Et hic manifestum est mendaciū. Nam circa tempora Luduici nullus erat Benedictus in pontificatu, per centum annos ante & post eum. Dicit querulatos pontifici de sua dissipatione,orasse,vt armis illos vindicaret. Imperitissime mortalium,quando,& vbi legisti Romanum pontificem armatum iuisse in Germaniam,vt incredulos gladio adigeret ad fidem? Vicinas Romæ prouincias aliquanti pontifices impugnauerunt: legatos quoque cardinales aliquando cum exercitu miserunt extra Italiam, ipsi pontifices sedem Petri seruauerunt. Nec erat ea tempestate ea pontificum potentia, vt armatum producerent exercitum,contenti viuere in Italia & vrbe Roma. Admiscet huic suæ fabulationi de LX. presbyteris,miserabiliter excruciatis. Hoc furatus est ex alia historia,quæ ex hoc tempore ad CC. penè annos in morte Othonis Imperatoris tertii peracta est non in Hamburgo,sed in Aldenburgo,tunc populosa Wandalorum ciuitate,quæ in Wagria parte Holsatiæ ad mare Balthicum sita est. Ita fabulator vanus confundit loca & tempora. Adiungit:Papam motum querelis dissipatorum, scripsisse Imperatori,vt armatum illi mittat exercitum, ad edomandos Wandalos in extrema Saxonia. Vide imperitiam fabulatoris,vt temporum nullam habet rationem,ita confundit & perturbat situm regionum: quasi imperator commoratus sit vltra Romam,ita petit ab eo exercitum in Wandalos Saxoniæ,cum quo descendat pontifex. Imperitissime nugator,si arma roganda erant in infideles, num propius ex Galliis ab Imperatore illa postulassent? qui etiam tum tenebat ditione Germaniam,num congruentius illa à Cæsare Christianiss. defensore, quàm à pontifice,sacrorum dispensatore petissent? Num ex vicino promptius imperatore,quàm ex longinquo pontifice illa deposcerent? Facit ineptissimus fabulator, imperato-

rem motum literis pontificis,venisse Romam cum splendidissimo exercitu. Tum papam honorificè dimisso imperatore in regionem suam,cum memorato eius exercitu descendisse in Germaniam. Vide prudentiam,imò inscitiã hominis,prouinciarum situm ignorantis. Ita facit venire Cęsarem in vrbẽ,quasi ab alia mundi parte illi fuisset veniendum:& non videt,ex Galliis in vrbem penè idem per alpes esse iter,quod ex Germania. Ergo imperator cum exercitu mouet Romam salutandi pontificis gratia?& inde dimittitur in suam prouinciam, quasi non eo itinere esset imperatori per Italiam redeundum in Gallias,quo papa descendit in Germaniam. Stultus fabulator,putat lecturos æquè cum illo esse cæcos,vt cum ille nihil videat, neminem videre aliquid arbitratur. Deinde sequitur:Papa cum exercitu & septẽ ducibus,totidemq; episcopis non antè quieuit,quàm perueniret in ripam Albis,ibiq; ad quindenam fecit fessos ex itinere respirare. Iam erat in conspectu petita ciuitas in aduersa Albis ripa cõsistens. Dic quæso magister bone,quis tum erat status Germaniæ?quibus principibus regebatur?qui erant pontifices?in exercitu qui duces?nihil horum dicit bipes asellus. Voluntatem mentiendi habuit, artem non habuit. Erat tum Germania tota in ditione Imperatoris Luduici,sicut antè Caroli patris. Ergo in sua prouincia pontificem Imperator non deseruisset. Vixit tum Widekindi ducis Saxoniæ filius Wickbertus,aut fortè nepos Walbartus,subditus Imperatori. Si aderat,cur ex nomine non cõmemoratur?si aberat,dic,quomodo se excusabat in re tanta? Omittamus ducẽ,certè archiepiscopus abesse non debuit venienti summo pontifici. Is tum erat Ansgarius. nam ille superuixit Luduico Imperatori. Si aderat,census est cum Põtifice: alioquin quomodo poterat abesse in tanto negocio? Si cęsus est,inter martyres est colendus. Errat ergo ecclesia Bremensis cũ Hamburgensi,quæ illum veneratur inter confessores:& monstrat ecclesia Bremẽsis tumulum eius,recognoscit quoq; ordinationẽ eius quam fecit obdormiens,cum eadem die qua erat ille commẽdatus,Rembertus sit in locum eius surrogatus. Piget commemorare fabulam de simulatione Wandalorũ ad fidem suscipiendã,de trucidatione tot millium Christianorũ. Verum est,in ea vrbe multis vicibus trucidatos Christianos à paganis Wandalis aut Danis,quorũ reliquiæ reconduntur in crypta sub choro maiori:sed ibi cæsum esse papam cum episcopis,ducibus & exercitu, friuolum est,falsum & commentitium. Nam nullus Rom. pontifex mortuus esse memoratur in Germania,nisi vnus Benedictus quintus antipapa:nõ sub Luduico,sed Othone primo,post annos penè CC. post Luduicum: non cæsus cum exercitu,sed in exilio moriẽs animi dolore. Ea res tribuit fabulatori materiam. Audierat Rom. pontificem Hamburgi tumulatum,ignorabat quomodo illò deuenisset. Non poterat aliud coniectare homo imperitus, quàm quod baptizandi gratia descendisset. Ideo cõiunxit illi exercitum cum ducibus & pontificibus:sed omnia tam ineptè,vt fastidium sit ista videre. Res autem vera de Benedicto quinto sic se habet. Otho primus ex gente Saxonum imperator,cum exercitu trãsiuit in Italiam,domiturus Berengarios,qui per Italiam sumpsere imperium. Cũ ibi pugnaret imperator,& iam hostes penè subiugasset,Ioannes papa eius nominis XII. sedem apostolicam sceleratè viuendo dehonestabat. Nonnulli ex cardinalibus scripsere Imperatori,questi indignam pontifice Ioannis vitam. Orabant per quicquid sanctum est,vt miseratus statum Romanæ sedis,propius admoueret vrbi exercitũ. Erat enim Ioannes natus magna Romæ familia,vt nisi armis coactus,ad sanam mentem non rediret. Motus imperator,venit cum exercitu Romã. Ioannes non expectabat aduentum eius,sed cõcessit in deuia,donec abduceret exercitum,sperans familiam suam cætera curaturam,ne quid in se mali statueretur. Otho iussit synodũ congregari,in qua discussa sunt crimina Ioannis:& ea probata,sunt inuenta depositione digna. Itaq; per cõcilium deponitur,& in locũ eius octauus Leo reponitur. Interim Ioãnes suo more viuens,dignum vita inuenit exitũ. Nam cæsus in adulterio,periit. Cognatio autem eius in vrbe potẽs,declinãte cum exercitu in vicinã prouinciã Imperatore,tumultuatur: vociferãs,Leonẽ per Imperatoris impressionẽ non legitimè creatũ pontificem:& inualuit pualuitq; tumultus,vt destituto Leone,Benedictus V. crearetur põtifex. Vir põtificio dignus,nisi malè introisset. Audiẽs Imperator,rediit cũ exercitu:

& va-

& vastatis in circuitu prædiis omnibus, vrbem obsedit, coegitq; Romanos Leonē in suam sedem reponere, Benedictum illi dedere. Malis coacti, faciunt imperata: deditur Benedictus Imperatori. Et quoniam certus erat Imperator, non quieturos Romanos nisi benedictus ablegaretur. Erat Adaldagus Hamburgensis archiepiscopus, Cæsarius cancellarius, iam quinquennio dimissa ecclesia secutus imperatorē. Is multis suorum literis ad ecclesiā suam reuocatus, postulauit ab Imperarore missionem. Annuit Imperator, commendans illi Benedictum, vt apud ecclesiam Hamburgensem longe ab vrbe exularet. Ita venit Benedictus Hamburgum per archiepiscopum adductus, nec diu superfuit. Nam dolore animi victus, occubuit, dormiens in pace. Hoc Italiæ catalogi, hoc nostri loquuntur annales. Idem testatur inscriptio sepulchri: & tamen non cessat fabula, cum non sit alius Benedictus in Germania mortuus. Igitur de cœlo ceciderit ille Benedictus oportet, in Hamburgo inter martyres cæsus, quem non agnoscit Rom. pontificum series. Facessat inanis fabulatio, quam luce clarius exturbat nudata veritas. Omitto cætera, quæ infœlix nugator balbutit de hostili exercitu à Stargardia orientali veniente, de trucidatione tot millium, de abductione captiuorum, de suffixione capitum per muros in Christi natalitio canentium, deque captiuis per angelum è carcere dimissis: quæ eadem qua cætera finxit leuitate. Si facta sunt, adducat vel vnum testem, cum annales nostri diligenter minora scribentes, tam grandia non præterissent. Abeat in tenebras belua cum suo figmento. Non indiget Christi ecclesia illis fabulationibus veritate fulcitur, & solido nititur. Eiusdem vanitatis est quod sequitur: Reuersos ex captiuitate fideles, ex sacris ossibus nonnulla abducere voluisse Romam, & in alia loca, vnde nati viderentur qui occubuerunt: venisse in Ebbeckstorp, vbi sancti viri candido habitu seruierunt Deo. Inde verò plaustrum amoliri non potuisse, rotis in terram demersis, cum vrgeretur guttas sanguinis emersisse, vt admoniti miraculo relinquerent eo loco quæ abduxerint. Facta & infecta congerit, vt illustret narrationem: sed contingit illi quod in figmentis Æsopi est de cornicula, quę se alienis pennis ornauit, vt cum repetitū venisset grex auium plumas, mouit cornicula risum. Oro te, qui sunt, qui Romam ossa deportanda putauere? Romanine, an alij? At Romani in aciem non descenderant. Nam fuisse contendis exercitum Imperatoris, qui venerat cum pontifice: at si Romani interfuissent, cæsi videbantur cum pontifice proximi illi. Si superfuissent, nō illos reliquiarum cura tetigisset, cum plena sanctis Roma sit reliquiis, minus etiam ab illis quàm sit dignu calcis. Si alios fuisse contendis, quò abducere voluerunt, & quomodò indiscreta cæsorum corpora tumefacta, & vulneribus deformata internoscere potuerunt: quod accidit postea in vera quàm dicam historia, de sanctis martyribus ibi cæsis. Sed cum nullus sit in Hamburgo cæsus pontifex, vana est & friuola inde facta reliquiarum deductio. Plus aliquid habet iste locus quàm hactenus norit: coluit martyres sub alieno & emendicato, & (vt verum fatear) mendoso titulo. Iam verò de suis martyribus sancta cōgregatio, vt sciat quo nomine colat suos illos patronos propiore origine, quàm si ab Italia vel superiori Germania aduentassent. Nam quod fabula interserit, habitasse tum in loco religiosos viros, candido seruientes habitu Deo, cæteris figmentis simile est. Nam vniuersa Saxonia non habuit sub Luduico vllam fratrum congregationem præter Corbeiā, quam ille extruxit, abductis è Corbeia Franciæ fratribus, in quibus erat sanctus pater Ansgarius post Hamburgensis archiepiscopus. Ergo iugulatam suo gladio fabulam proiiciamus in tenebras, auscultātes veritati de sanctis martyribus in Ebbeckstorp.

VERA HISTORIA DE SANCTIS MARTYRIBVS, IN EBBECKSTORP MONASTERIO.

ANTE omnia statum prouinciæ, & annos à nato Christo commemorare conuenit vera scribentem. Nam qui in tenebris ambulant, suis figmentis innixi, nihil horum faciunt, vt liberius fabulentur, quod nemo possit redarguere. Nam vbi se temporibus coartant, habent vnde teneantur & con

uincantur. Erat post natum Christum annus DCCCXL. cum Luduicus Pius, Magni Caroli filius reb. excessit humanis, relinquens filiis tribus, Lothario, Luduico, Carolo latissimas & opulentissimas prouincias: Romanum imperium, Franciam, & vniuersam vsq; ad Danubium Germaniam. Nam is tum erat prouinciæ limes. Filij malè erant concordes de successione, cum Carolus iunior, ex secundo natus matrimonio vniuersam sibi Franciam vendicabat. Ventum est ad arma, & cruentissimo prælio decertatum, in quo Romani pontificis Sergii oratores penè sunt intercepti. Post prælium, in quo superior Carolus videbatur, res in transactionem coniicitur, & dirempta est res partitione prouinciarum. Lothario seniori, qui cum viuente patre imperabat Rom. imperium & vniuersa Lotharingia, quā tum Austrasiam dixere, prouenit. Luduico Germania à Danubio ad mare nostrū, ingens prouincia, vt rex Germaniæ diceretur, Carolo permansit sua Francia. Igitur rex Germanię duces in suis limitibus habuit, quibus ditionem permisit, in Bauaria Ethiconem, in Saxonia Walbartum, Widekindi nepotem, Wickberti filium: ita tamen vt libera potestate rex dominaretur super omnes, quod apparuit in adunatione ecclesiarum Hamburgensis & Bremensis, cum instantia regis, autoritate Nicolai primi summi pontificis, Bremensis pridem Coloniensis ecclesię suffraganea transfunderetur in Hamburgensem metropolim, quam adunatam primus rexit beatus Ansgarius, per omnia tempora Luduici pii imperatoris, & per magnā partem regnantis filii eius Luduici, quo regnante Luduico, scilicet rege Luduici imperatoris filio, pax erat & summa tranquillitas per Germaniam. Erat enim victoriosus princeps, domitor nationum in circuitu: Polonos, Bohemos, Pannonios regno suo cōterminos, ita bellis attriuit, vt conquiescerent. Wandalos per Pomeraniam & Magnopolim (vt sunt prouinciarum nomina, tum erant Circipani & Obotriti) ita armis conterruit, vt facilè conquiescerent. Danos autem ea tempestate per maria grassantes, & omnia littora Galliarum & Germaniæ infestantes, pactionibus & fœderibus in sua fide continuit: ita missis inuicem muneribus reges, memorabili exemplo tranquillitatem inter se fouebant. Cæterum ad reliquas nationes, quas nauigando Dani adierant, summa infestatio: sed littoribus Germaniæ pax erat propter Luduicum regem per eius tempora ab Normannis. Hoc enim nomen indiderant genti Franci, abolim dicti Galli, Normannos appellantes omnem gentem ad se ex Aquilone nauigantem. Poterant in agminibus esse Normāni, sed summa rerum erat apud Danos. Vetus erat apud eam gentem consuetudo, vt complures essent regii sanguinis viri, vnus quidem regno præerat. Cæteri per maria nauigantes, liberam prædam vndecunque conuectabant: iustum quæstum arbitrati, quicquid fortiores imbecillioribus adimerent. Sic viuere in saltibus beluas, sic in aere volucres, sic in gurgite pisces. Quo tempore factum, vt Galliarum littora infestantes, reges Franciæ per tempora ita coartarunt, vt eis demum dimitterent prouinciam littoralem & maritimam, quam de suo nomine dixere Normandiam, durante vocabulo in hodiernum: quę omnia plenius in nostra Norwagia sunt explicata. Nunc verò paucis attacta, propter rem quam exponere nūc aggredimur. Ergo ad annum Christi DCCCLXXVI. (vel, ad annum Christi LXXVI. post DCCC. à partu virgineo) victoriosissimus rex Germanię Luduicus, finem viuendi fecit, & cum eo pariter defecit pax & tranquillitas prouinciarum. Nam quas ille per metum nationes continuit, tum velut fracto repagulo eruperunt vndiq;, infestam facientes Germaniam. Filios quidem ille reliquit, Luduicum patri & auo cognominem, Carolū cognomento Grossum, qui postea peruenit ad imperium: & Carolomannum, cuius filius Arnolphus postea cum ingenti laude imperauit. Sed hi tum reges circa occupationem imperii detēti, minus asseruabant littora Germaniæ, à Danis tum magnis agminibus infestata. Nam Luduicus & Carolus diuersis agminibus contendebant in Italiam, accepturi coronam imperii de manu pontificis. Nam præuenit ambos Carolus cognomento Caluus, rex Franciæ, amborum patruus. Erat enim primi Luduici imperatoris iunior filius. Ioannes autem tum Romanus pontifex, eius nominis VIII. (vt semper Romani præsules pro Francorum regibus prompti sunt, quos vocant Christianissimos, non sine suo commodo) obuiam profectus

Carolo

Carolo Caluo Francorũ regi, coronã imperij deferebat. Ibi dum occupãtur Germaniæ reges, Dani nõ ignorãtes abesse illos longius, agmine facto, inuadũt Saxoniam, Christiano nomini (quod tum in Dania prius per Ansgariũ, & tum per Rembertũ, Hamburgenses pontifices, cœpit efflorescere) infensissimi. Quocirca gens effera, prædæ & violentiis innutrita, odio insectabatur nouã religionem, quæ illa vetabat: & quoniam in regno metu regis Erici, quem diuus Ansgarius Christianũ fecerat, sæuire in Christianos non licebat, acriora odia intentabant in vicinas prouincias Christianas, simul prædæ & opibus inhiantes. In Saxonia tum rebus præerant tres fratres, Otho, Bruno, Tanquardus, filij Ludolphi ducis Saxoniæ, qui patrem habebat Brunonem, auum Walbartum, proauum Wichbertum, abauum verò Wedekindũ: eum principem, qui Carolo Magno diu conflictatus, primus nomen Christianum accepit, cum gente Saxonũ. Sed erant maiores tum vires Saxoniæ vltra Visurgum flumen (nos Weseram appellamus) qua in regione, quia Magnus Carolus Francos præfecit, qui gentem in fide continerent (testimonia sunt Gallica nomina, quæ ad ætatem vsque nostram durauerunt. Nam ante paucos annos eius stirpis nouissimus mortuus est, comes de Pyrmont, hoc est de monte ignito: Gallicum nomen, Gallicam monstrat originem. Tremonia, imperialis hodie ciuitas inde nomen habet, paulisper, vt fieri solet, detortum ab origine. nam Tremont olim appellatam coniectura est, quasi trium montium.) Nobilitas omnis Saxonum non passa parêre Francis, se retraxit vltra Visurgum, & ibi remansit. Cum ergo longe abessent reges Germaniæ, filij Regis Luduici, auditumq; esset de grassatione Danorum, quòd agmine magno inuasissent Nordalbingiam, quæ nunc Holsatia est, formidarenturque transmisso Albi flumine reliquam Saxoniam peruagari (nam Hamburgum oppidum quod erat ante oculos exciderant, occiso omni nomine Christiano) tum Bruno dux ex tribus fratribus Ludolphi filiis alacrior, ad arma vocatis in circuitu pontificibus, cum ea quam educere poterant armatura, & omni nobilitate vndiq; contracta, obiiciendum se putauit venientibus Christiani nominis atrocissimis hostibus. Aderant frequẽtes in circuitu armati, quantis poterant viribus episcopi Halberstadensis, qui tum sedem habebat in Salingstadio, Hildesemensis, Verdensis, Paderburnensis, Mindensis, Monasteriẽsis, qui tum Mimigardeuordensis, Osnaburgensis. Nam illæ tum fuere sedes in Saxonia episcopales. Magdeburgensis necdum erecta ante tempora primi Othonis imperatoris, qui eam fundauerat. Aberat autem Rembertus Hamburgensis archiepiscopus, insistens prædicationi per prouinciã suam: nec tamen vacauit periculo. Nam dum agmen Danorum vastaret eam Phrisiæ partem quæ paret ecclesiæ Bremensi, fortè tum ibi prædicationi instabat Rembertus, exhortatus populum, vt pro nomine Christi sumerent arma in perfidissimos Christiani nominis hostes, affuturũ Deum protectorem: quo defendente, vnus mille, & duo (vt scriptum est) fugarent decem millia. Animatus populus, ad arma conuolauit. Hostibus occurrit, & viriliter restitit. Sanctus interim Rembertus arma sua intentauit, orationes & lachrymas: quibus dum esset intentus, adfuit populo de cœlo victoria. Nam cæsi magna parte hostes, alij in fugam ad naues conuertuntur. Numerata cæsorum capita, inuenta sunt decem millia trecenta ac septuaginta: alacritas vincentium, & victoriam suam admirantium effecit, vt diligenter cadauera cæsorum, quod aliàs fieri non consueuit, numerarentur. Monstrarunt diu incolæ locum, in quo sanctus, dum pugnaretur, oraret, perpetua viriditate etiã brumali tempore insignem. Ea dum Rembertus patraret in Phrisia, aliud Danorum agmen irritatum clade suorum, acrius incubuit, transmisso amne. Saxoniæ Bruno dux vbi sensit aduentare infinitam barbariæ gentis irritatam & indomitam manũ, solito acrius ferocientem, conuocatos suos, ne multitudine terrerentur, putauit alloquendos. Hac vsus oratione: Videtis, inquit, cõmilitones barbariem nobis imminentem. Neminem moueat insolentium hostium multitudo: potens est Deus omnem illã colluuiem ante pedes vestros prosternere: memineritis, non in pugnantium robore aut multitudine, sed de cœlo victoriam esse. Pro nobis facit iustissima religionis causa, quã defendimus: pro nobis pugnant lachrymæ miserabiliũ per prouinciã Christiano-

rum: qui nisi dextris hodie vestris defendantur, in prædam venient ferocissimorũ hostium. Proinde memor quisque pietatis, pro qua sumpsistis arma, præsenti animo hostes inuadite, certi victoriam in manibus esse. Nam si retrò perfidos egerimus, victores quisque redibimus in sua: sin aliter Deo placitum, sic quoque vincemus, causa superiores, apud Deum martyrium cõsummaturi. Bene igitur mortem, quam alioquin naturæ debemus, autori Deo impendimus, de necessitate facturi sacrificium. Ite mecum alacres in pugnam, cuius non potest esse exitus nisi gloriosus. Si superamus, terram nostram cum habitatoribus defendimus. At si visum est conditori Deo vt superemur, terram accipimus viuentiũ possidendam. Hac oratione commonitos ducit in prælium: concurrerant hostibus in loco qui dicitur Ebbeckstorp. Ibi magnis vtrinque animis diu certatum est. Christianum agmen alacritate pensitauit diu maiorem hostium numerum: demum circumfusi in corona hostium innumera multitudine, cæduntur Christiani ad vnum vniuersi. Placuit Deo ex terrigenis augere sanctorum agmina cœlitum, & de sanguine domesticorum martyrum ditare inopiam Saxoniæ. Iacuerunt pro Christo cæsa corpora: hostes armis, deinde vestibus nudauere, conferentes in aceruum vnum vniuersos. Cumq; vicinis in pagis per proximos grassarentur, saltibus & inuiis locis se rustica plebs vt poterat, contutatur. Nouissimè, vbi de præda sunt hostes expleti, legunt iter retrò, ad mare redeuntes. Hæc est illa sanctorum in Ebbeckstorp martyrum strages. Inde sunt sacratæ sanctorum quæ coluntur reliquiæ, non aliunde aduectæ, sed in loco cædis, & peracti pro Christo martyrij tumulatæ. Testes sunt annales plurium in circuitu ecclesiarum. Nam Mindenses, cum se pro suo pontifice Theodorico, viro sanctitatis eximiæ, ad stragem cæsorum corporum, pro illo apud ecclesiam suam honorificè tumulando contulissent, iam erat indiscreta corporum congeries. Inflicta vulnera, secutus inde tumor, mortuæ & iam putrescentis carnis discrimen non reliquerunt. Idem passi Hildesemenses pro suo pontifice Marquardo, ordine quinto, diligentiam facientes. Nec dubium quin principes eius temporis, Tanquardus atque Ottho, cæsi ducis Brunonis fratres germani, similem in suum quoque Germanum pietatem intentarint, cupientes extractum de congerie cæsorum principali ritu tumulare, sed non erat quo internosceretur nobilis à plebeio: dispensante Deo, vt qui in vna Christi causa cecidere, vno in loco tumulati colerentur, expectantes nouissimam tubam. Hic est ille Bruno Dux Saxoniæ, abnepos Widekindi, filius Ludolphi, qui primus libera potestate principatus est, cum se reges Germaniæ in superiori Germania continerent: & creuit paulatim potentia, cum stirps Caroli Magni se in Franciam retraheret. Hic inquã Bruno Germanus senis Othonis, qui filium habebat Hinricum, primum de stirpe Saxonum regem Romanorum, patrem Othonis Magni Imperatoris: & perinde eiusdem Hinrici regis patruus extitit Bruno, qui & secundum seculi dignitatẽ, & secundum Christi sanctissimam religionem, nomen in terris reliquit maximũ: iam quidem penè temporum incuria sepultum, sed in lucem denuò reuocandum, quod vir ille præstantissimus de repub. Christiana, & de terreno nihilominus principatu meritissimus, suo iure deposcit. Nam quod Christo Domino vitam impendit, sacrum fecit de suo corpore holocaustum. Quam cum omnibus lucem acceperit, autori suo cum commilitonibus referebat. Apud seculum verò nomen sibi conquisiuit, quod insignis vrbs Brunswicensis eius seruat vocabulum. Brunswicũ enim velut Brunonis vicus sonat: non detorta aut ad casum deflexa (vt fieri solet) interpretatione, sed vera deriuatione, ac certa origine. Tradunt enim annales, quod cum Bruno atque Tanquardus, germani fratres, cernerent glebæ vbertatẽ, ac loci opportunitatem, ad Onacram fluuium, cœpere altrinsecus moliri fundamenta nouæ vrbis. Et Bruno quidem deuexiora ad amnem elegit loca, vbi excurrens fluuius sinum quendam faciebat, quem vernacula lingua Wyck appellamus. Tanquardus autem editiora inde non longè loca prætulit, arcem firmans eo in loco vbi nunc Ecclesia D. Blasij cernitur, eamque cinxit muro, atque inde permansit in hodiernum, vt in arce vocabulum teneret, Danquerode tum appellatã. Brunonis autem sinus, eo in loco vbi prima sunt iacta fundamenta, nomen aliquantũ variauit,

variauit, vt nunc vetus ſinus Oldewyck vocitetur. Nam ex alia fluminis parte con ſtructa molitio, priſtinum rapuit vocabulum, vt Brunſwick diceretur, quæ nunc vetus eſt ciuitas. Adaucta deinde per tempora vrbs inſignis, cum alias ſibi partes adſciſceret, vetus & originale à fundatore mutuatum vocabulum non amiſit, vt nunc vnis mœnibus incluſæ partes vrbis quinque, vno cenſeatur vrbis nomine, in quo ſui recordatur Brunonis. Hæc ſunt quæ de ſanctis apud vos reliquiis, Deo ſacratæ virgines, ſentiatis, proiecta & execrata veteri fabella de aduectis ex Hamburgo. Nam hoc friuolum eſt, & inane, quod luce clarius monſtrant ſuperiora: Quod verò miraculum ferunt contigiſſe, dum ex eo loco tentarent amoliri ſanctas reliquias, non hoc Romanis (vt fert fabula) qui hîc nulli fuerunt, ſed noſtratibus potuit contigiſſe, dum & principes partem ſacrarum poſcerent reliquiarum, & ſingulæ pro ſuis pontificibus vrbes ſollicitè quærerent inde portionem, vt omnipotens Deus, ſuæ voluntatis decretum tali monſtraret miraculo, de ſanguine qui de terris eruperit: quaſi teſtaretur, quòd inſignes ſuos milites, qui pro ſui nominis gloria ſanguinem ibi ſuum conſecraſſent, indiuiſo voluerit ibi tumulo perdurare ad tubam vſque nouiſſimam, & finem ſeculorum.

FINIS.

FRANCOFVRTI AD MOENVM
EXCVDEBAT ANDREAS WECHELVS,
ANNO SALVTIS M D LXXVI.



TOTIVS GERMANIAE
descriptio pulcherrima simul & iucundissima in duodecim volumina diuisa:

COMPLECTENS VETERVM GERMANORVM RES GESTAS, Victorias & trophæa, Colonias hinc inde deductas, sæpius mutatas sedes, plurimas easdemque amplissimas & fertilissimas regiones, populorum etiam quotquot sub Germanorum appellatione & natione comprehensi sunt series, hinc eorundem familias illustriores, mores, ritus, leges & instituta: Præterea locorum, fluminum, fontium & thermarum, vrbium, montium, syluarum, arborum, herbarum & animalium, in Germania celebriorum, Enarrationes: A nullo antehac scriptorum tam diligenter & copiose collectæ atque exaratæ quam

A

DOCTISSIMO FRANCISCO IRENICO Ettelingiacense.



FRANCOFORTI AD MOENVM APVD HAEREDES
Petri Brubachij, Anno Domini,

M. D. LXX

AMPLISSIMIS AC MAGNIFICIS NOBILITATE GENERIS, VIRTVTE ET PRVDENTIA PRÆstantibus *Prætoribus, Consulibus & Senatoribus liberæ Reipub. Argentinensis in uniuersum omnibus, Dominis suis summa obseruantia sedulò colendis:*

PAVLVS IRENICVS, ECCLESIAE ILSFELDENSIS PAstor, *salutem & felicitatem precatur.*



Elix est earum Rerumpublic. administratio, quæ in gubernatione tales uiros habent, qui nõ ex agris aut paterno rure, sed ex Helicone, ubi annis complurib. Phœbo Musisq; operã nauarũt, accersiti, ad Reipub. gubernacula accedunt. Omnino enim homines alienos à literarũ humanitate, uix homines dicere possum: & experiẽtia ipsa manifestũm est, infelicẽ esse ciuitatem eam, uel ipsius diuini Platonis testimonio, in qua uiris prudentibus, doctis, literatisq; locus, dignitas & honor à potentioribus & locupletioribus præripitur. Vult enim ipsa societas ciuilis, pax & tranquillitas, institutis bonisq; legib. cõtineri, quas certum est non ἀμούσους & literarum ignaros homines dictare atq; conseruare, sed præuideri, cõsiderari, & in mediũ proponi, quæ patriæ ciuibusq; salutaria sint, ab hominibus sapientia & prudentia præditis, quam non à natura haurimus & arripimus, sed multò maximè ex Philosophorũ, Historicorum, Iureconsultorum monumentis, bonis literis acceptam referimus. Flagitat etiam ipsa salus Ecclesię & religionis, hoc præsertim turbulento tempore, inter tot hæreses miserè periclitantis, ut sint in politico regimine omnino aliqui literarum non ignari, qui utcunque de controuersijs iudicare, uerum à falso secernere poßint: cum aliàs quæcunq; à profana hæreticorum turba obtruduntur, ab imperitis protinus acceptari & probari, si utcunq; humanæ rationi plausibilia & congrua uideantur esse, licet cum uerbo Dei ex diametro pugnent, non sine dolore comperiamus. Est enim Magistratus pij & Christiani munus atque officium, non solum secũdæ in lege diuina tabulæ, sed etiam primæ custodem esse, ut in uita ciuili externa disciplina cõseruetur: in Ecclesia religio uera, sana & pura ab hæreticorum fermento, & uerus Dei cultus ad præscriptum & normam eius uerbi omnibus partib. integer retineatur & propugnetur. Quæ duo coniuncta & neceßitudine inter se deuincta quamdiu in ciuitate uigere cernimus, tãtisper eã beatißimam esse omnium sanorum hominũ iudicio et testimonio prædicare non dubitamus: & constanter asserimus, absque literarum, linguarum & artium studijs, fidis Ecclesiæ & politiæ famulabus, saluam Rempub. esse non posse.

Quare agnoscendum singulare Dei beneficium cum animi gratitu-

 dine,

dine, & laudanda celebrandaꝗ Argentinenſis Reſp. inter complures alias celebres Germaniæ ciuitates laudatiſsima, quæ tales in ſenatu & gubernatione uiros habet, quorum ſapientia & prudentia, in ciuitate ipſorum bonis legibus publicam tranquillitatem tot annis feliciter tutata, quorum pietas & religio in Eccleſijs rectè conſtitutis, & præclara de optimis literis exiſtimatio in Academia recens inſtituta omnibus manifeſta extat. Quid dicam de hoc laudabili bene merendi de bonis literis ſtudio, omni memoria & celebratione in omnem poſteritatem & aliarum illuſtrium in Germania Rerumpub. æmulatione digniſsimo, quo non in unam ciuitatē & oppidum, non in unam regionem nationémue beneficium in iuuentute bonis literis erudienda, moribusꝗ & diſciplina informanda, nulla mercede perſoluendū cōfertur? Huius Academiæ excitatę fama undiquaꝗ peruagata, & ipſi ciuitati nomen exiſtimationemꝗ non uulgarē concitans, mihi etiam ueſtræ Scholæ ueteri alumno auditu gratiſsima fuit, qui cum iſtic eſſem ſuperioribus mēſibus, ei Actui non ſine maxima uoluptate & delectatione interfui, quo profeſſores & curiarum præceptores primi in Academia ueſtra Magiſtri creabātur: quo loco & tempore Prętorū, Conſulū, Senatorum, & uirorū maximo numero clariſsimorum præſentia conſpicua celebrisꝗ fuit, & ſpectatoribus admirationi. Apud me certè, ſi nunquā aliàs, tum temporis relictum fuit ueſtræ uoluntatis in iuuando promouendóque literario iuuentutis curſu argumentū certiſsimum, licet antehac nunꝗ dubitatum. Et cogitanti mihi de editione ad propoſitum maturādū, ſtimulus non mediocris inde acceſsit, ut quod facturus fuiſſet parens meus chariſsimus felicis memoriæ Franciſcus Irenicus, ſi ſuperſtiti longius eſſe licuiſſet, ego perficere non dubitarem.

Scripſit præfatus parens meus anno ætatis ſuæ tertio & uigeſimo Exegeſin quandam rerum Germanicarum plurima uarietate refertam, quam & compulſus amicorum & familiarium precibus olim excudi curauit, quòd & doctis probaretur non paucis, nec inutilis Lectori futura iudicaretur. Complexus eſt eo Libro ueterū Germanorū res geſtas, uictorias & trophęa, colonias hinc inde deductas, mutatas ſedes, familias illuſtriores, mores, leges & inſtituta: præterea locorū, urbium montiumꝗ in Germania celebriorum deſcriptiones. Ad quod genus ſcriptionis parens meus ſyncero erga patriam pietatis & charitatis affectu motus adoleſcens ſe contulit, turpe exiſtimans, inter tot Gręcarum & Romanarum rerum, aliarúmque gentium ſcriptores & præcones, Germanorum antiquorum uirtutem & geſta, quibus multis alijs nationibus non modò comparari, ſed præferri poſsit, fœdo ſilentio conſeneſcere. Cumꝗ ipſe in ea ętate conſtitutus ad rem tantam aggrediendā ſuſcipiendamꝗ adoleſcens uires impares afferret, alijs præditis ingenij iudicijꝗ uiribus maioribus exemplo præire uoluit, quibus ad ſimilem communi patriæ operam maiori ingenij dexteritate nauādam incitatis

tatis laudem locúmque libens concederet. Ipse quantũ per ætatẽ tunc potuit iuuenis, tãtum præstitit, Librum, quem ante 40 annos uel amplius exire passus est, haud dubiè ad limam reuocaturus, ut additis, detractis, mutatísque permultis, in manibus studiosorum castigatior & locupletior uersaretur: nisi distractum in ministerio Ecclesiastico tot occupationibus, quæ Operi limam adhibere sæpè conantem prohibuerũt, ipsa ad extremum mors præuenisset.

Ego itaq;, cum in Bibliothecis exemplaria nuspiam extare amplius comperissem, intercedentibus amicorum & typographorum uotis, Librum in parentis chartophylacio repertum denuò lucẽ aspicere, & sub uestræ Amplitudinis nomine apparere uolui: ne ego in amicos difficilis, & studiosorũ utilitati inuidus, uel in parentem iniquus postmodũ uiderer, quòd labores & uigilias eius in hoc Libro cõficiendo cum blattis tineísque rixari, & in tenebris obliterari permisissem: uel improbus, qui ab extrema uolũtate parentis in agone existentis, mandatúmq; huius Libri uestræ Amplitudini dedicandi relinquentis, latũ unguem recessissem.

Confido interim candidum Lectorem, sicubi in loca inciderit, quæ castigationẽ subire potuisse uideantur, æquo animo ueniam daturum.

Mitto igitur A. V. secundariam huius libri editionẽ, & inclitorum, clarissimorúmque uirorum fretus humanitate oro & obtestor, ut cuius uiri superstitis amicitia & familiaritas in uestra ciuitate Scholáq; apud doctissimos quosq; grata fuit & accepta, eius defuncti labores uestra fideatque tutela placidè dignemini: tum & grati animi mei erga V. A. significationem in Operis huius dedicatione benignè suscipiatis, & me meosq; V. A. cõmendatos habeatis. Oro Deum Opt. Max. & filium eius Dominũ nostrum IESVM CHRISTVM, ut uobis uestri'sq; omnibus incolumitatẽ, uestræq; ciuitati pacem & tranquillitatem perpetuam largiatur: quo in Ecclesijs Euangelij, in Scholis literarũ, artium & linguarum cursus meliùs & felicius procedat, ad nominis diuini gloriam, & multarum animarum salutem, Amen. Datæ Ilsfeldij, VI Idus Augusti, Anno à nato Domino & liberatore nostro Iesu Christo,

M. D. LXVII.

V. Amplitudinis

deditissimus

Paulus Irenicus, Ecclesiæ Ilsfeldensis minister, in Ducatu Uuirtenbergensi.

IO. MERCVRIVS MORSHEMIVS AD STVDIOSVM LECTOREM ET ANtiquitatis caræ patriæ, veteris Germaniæ amatorem, atq; admiratorem.

Huc ades antiquæ patriæ qui noſcere fines,
Quos tenuit quondam Teutonis ora, cupis.
Externos nihil eſt procul hinc penetrare per agros,
Atq; peregrinis multa videre locis.
Forte domi nequeas ſi proxima rura tenere,
Et maneas patriæ neſcius ipſe tuæ.
Eſt aliquid varios hominum cognoſcere mores,
Et ſtudijs populos mente notare ſuis.
At decus, & patriæ, tibi, gentis nomen auitum
Perſpexiſſe domi gloria maior erit.
Hic tibi ſplendor ineſt patriæ virtutis: at illic
Exemplum ſatis eſt moribus eſſe bonis.
Multorum mores Ithacus quòd vidit, & vrbes,
Laus fuit haud tenuis, principe digna viro.
Hinc animum partes verſare tenebat in omnes:
At patriæ morum non fuit ille rudis.
O quoties fumum, longis erroribus actus,
Se optauit patrij poſſe videre foci.
Vidit, & eſt Ithacæ ſcopulis lætatus, & aula
Quamlibet exigua, Penelopeq; ſua.
Sic igitur diſcas peregrinos noſcere mores,
Ne fias patriæ dedecus ipſe tuæ:
Degeneres animos ne virtus priſca tuorum,
Pectora deſtituat languida facta tibi.
Illa fuit quondam celebris victricibus armis,
Nec preſſo potuit ſubdere colla iugo.
Cladibus affecit fortes ad bella Quirites:
Vincere dum voluit, victaq; Roma fuit.
Has animis vires pro libertate mouendi,
Arma dabat præceps ad fera bella furor.
Nunc te quæ doceat virtus, Germane memento:
Te patriæ moneant fortia facta tuæ.
Hæc dedit è priſcis Irenicus eruta ſcriptis,
Hoc Opere inſigni ſæpè legenda tibi.
Hæc igitur voluens, iterumq; iterumq; mouebis,
Sæpius & meditans lecta tenere ſcies.
Sic veteris forſan dabit æmula gloria laudis,
Impetus vt redeat priſtinus ille tibi.

VALE.

De

CAPITA PRIMI VOLVMINIS Exegeseos Germaniæ.

FINIS.

FRANCISCI IRENICI EXEGESEOS GERMANIAE, LIBER PRIMVS.

DE RERVM SCRIPTORIBVS CAPVT I.



SAEPIVS miratus sum cõmunem Germaniæ nostræ sortem, à rerum scriptoribus etiam à doctißimo quoq; ita penitus destitutam, ut æternæ obliuionis iniuria imminuerit. Externarũ uerò gentium res atq; necesſitates, tam exquisitè, tam funditus esse peruestigatas, ut nihil quod ad rerum illarum proprietates attinere uideretur, fuerit prẹter missum. Primò, ut ab Hebræis exordiar, qui ductu & auspicijs Iosephi, Philonis & Egesippi, magnæ opinionis & doctrinæ uirorum, immortalitati mandati sunt. *Scriptores rerum Hebræarum.* Græcorum quoq; doctißimi res illorum attigissent, si fas fuisset alienis gentibus ueritatis arcana retegere, ut diuinus Lactantius Institut. lib. 4. cap. 2. scribit. Theopompus enim cùm uellet Hebræa mystica historijs suis inserere, excæcatus est, aut secundum alios per quadraginta dies febre affectus, ac in somno monitus, ab incœpto destitit, sicuti Demetrius ad Ptolemæum testatur. Theodectes poeta tragicus cum Hebræorum meminisset, excæcatus est: causas uerò agnoscens uisum recuperauit, sicuti Eusebius in temporibus testatur. Rerum etiam Grẹcarum innumeri scriptores extiterũt, Anaximander Milesius, Hecateus Milesius, Democritus, Eudoxus, Dicæarchus, Ephorus, Eratosthenes, Polybius, Posidonius. *Scriptores Græcarũ rerum.* Romanorum uerò, totiusq́ue Italię descriptiones aggresſi sunt, Aristides Milesius, Theotimus, Clitonymus, Nearchus, Theophilus, Dorotheus, Aristocles, Chrysippus, Agesilaus Aristobulus, Dositheus, Dercyllus, Polyhistor. *Scriptores Romanarũ rerum.* Thebanarum uerò Ctesiphon, Epirotarum Critolaus, Peloponnesiacarum rerum Chrysermus, Dositheus & Theophilus: Tusculanarum Sosistratus. Arcadię Demaratus. Bœotiæ Meryllus, quos omnes Plutarchus in Parallelis allegat. *Scriptores rerum aliarum.* Hoc uerò nihil probat, non enim magni æstimatur, nec miraculi loco recensetur, tantos de tantis facundia & eloquentia regionibus uiros scripsisse, ut de Hebræis, Græcis, Romanis: id uerò maius habetur barbarorum quasi extra totiùs mundi limites degentium regiones, nunquam obliuionis iniuria destitutas extitisse. *Indiæ scriptores.* Indiam enim, Persiam, Aegyptũ &c. Hellanicus, Ctesias Gnidius, Megasthenes, Artemidorus Ephesius, Callisthenes (qui tempore Theopompi floruit) & alij quàm plures aggresſi sunt. Quos quidem Strabo, Polybius, Diodorus Siculus, Solinus, et alij allegãt. Galliam autem Diaphorus, Thraciam Socrates, Lybiam Hesionax, scriptis suis illustrauerunt. *Galliæ scriptores.* Et tandẽ illi Germanorũ Gotthi quoque Getæ, Scythæ (apud quos tamen unus sapientum, Laertio authore, Anacharsis philosophus claruit) scriptorem inuenere, cuius ductu obliuionis iacturam repulerunt. Agathias scriptor nõ pœnitendus, Gotthorum gesta à prima origine reuocauit, & usque ad finem sui seculi perduxit. *Agathias.* Iornandes scriptor egregius natione Gotthus, ut ipse profitetur, eorundem res gestas, monumentis suis ab origine usq; ad Iustinianum amplißimis finibus determinauit. Methodius uir profectò multæ experientiæ & martyr, Vandalorum Longobardorumq; à fonte primo (quem secutus est Paulus Diaconus) facta egregia consumauit. *Methodius.* At quid hoc? unde hæc ad phasim nauigatio? huc, ut nullam regionem adeò immunem à scriptoribus fuisse testarer, quin egregijs facinoribus Homerum inuenerit. Sicuti & Franci, tunc Germani, quorum facta Theocalus Hunibaldus plus 30. libris, Vuastaldus, Heligastus, Arebaldus, Rithimerus, Vethanus, Doracus, Caradacus, Ruthuicus, posteritati mandauerunt. *Rerũ Francarum scriptores.*

De Germaniæ Scriptoribus. Cap. 2.

Tenuitas scriptorum Germaniæ.

GErmania uerò, Gotthis & Francis in hoc exclusis, adeò in hunc diem sub Cimmerijs latebris delituit, ut & Germaniæ, Itali, Græci nõ minus non studuisse scriptis suis quàm supersedisse uideantur, etiã hi quorum professionis fuit γεωγραφία. Primò accedit Herodotus, qui nouem libros Historiarũ scripsit: De Aegypto, de India uolumine quarto usque Istrum uenit, Germaniæ non uerbo meminit, ut capiam hercle coniecturam, hunc Diodoro Siculo, Trogo, & Iustino hæreditario iure reliquisse, si aliarum gentium meminerint, Germaniæ supersedeant. Ille enim facta mentione libro sexto usque ad Cymbros uenit, dein de destitit. Hic uerò Galliam, Hispaniam transgressus, Germaniæ res silentio compensauit. Ephorus Timæus Socratis discipulus, Historiæ indagator, uolumine quarto Europam usque ad Tanaim metitur: Germaniæ quidem meminit, tamẽ tenuiter. Sed ut ad geographos redeam, Pompon. Mela capite tertio de Germania agens, nullam regionem, uix urbem enumerat, tantùm mores. Solinus hunc secutus angustissimè absoluit: contrà Ptolemæus urbes Germaniæ enumerat, moribus posthabitis, tamen inconcessa obscuritate fuscatas, ut capite sequenti patebit. Strabo lib. 4. & 7 non totam cognouit Germaniam, uix mediam. scribit enim lib. 7. ultra Albim incognitam prorsus esse. Ibidem Orientalem Germaniam, ut Bastarnas, Sauromatas, nec sciri quantum ab Atlantico remoti sint pelago. Idem loquitur ubi de Tyrogetis mentionem facit. Plinius secundus 20. lib. de Germania scripsit, Plinio iuniori, Peutingero, Suetonio, Iacobo Carmelitano, Cor. Tacito authoribus. Verba Plinij Iunioris illa sunt ad Macrũ: Plinius II. bellorum Germaniæ 20. libros composuit, quibus omnia quæ cum Germanis bella gessimus collegit, inchoauit cum in Germania militaret, somno monitus. Astitit enim ei quiescẽti Drusi effigies Neronis, qui Germaniæ ibi latissimè uictor perijt, commendabat memoriam suam, orabatq; ut se ab iniuria obliuionis assereret. hæc ille. Suetonij uerba sunt de Viris illustribus: Plinius itaque bella omnia quæ cum Germanis gessimus 20. uoluminibus comprehendit. In Naturali uerò historia lib. 3. cap. 17. & lib. 4 cap. 13. in fine, etiã 14. & insequenti Germanorum meminit, tamen tenuiter, nomina per stadia regionum declarans: sibi tamen & maioribus incognitam tradidit lib. 4. cap. 14. & lib. 2. cap. 111. Cato quoq; librum de Germania scripsit, qui non extat: cuius meminit Plinius. Dionysius Græcus author Germaniam uix 12. carminibus absoluit. Iacobus Carmelitanus quendam Coruinum Germaniæ situm scripsisse ait. Augustus quoque totum orbem descripsit, de Germanis ciuitatibus ἐν λόγῳ γεν. Theodorum etiam quẽdam Alber. Magnus totius Septemtrionis scriptorem adducit. Cęterũ quidam Ioannes Scotus, Ioannes de Hildesheim, Hugo Floriacensis, Eberuinus Segenbergensis, propria uolumina de Germanis scripserunt, & ut plurimum Germani fuerũt ac monachi, nullam Latinitatem, nullam elegentiam, tantùm quasdam historias nugarum etiam ac fictionum refertissimas scripserunt. Aeneas Syluius in Europa plus promisit, quàm ipsa re expediuit: nullarum enim Rheni ciuitatum meminit. Cæterùm Ammianus Marcellinus scriptor illustris, multum in rebus Constantini & Iuliani Cęsarum gestis, quanquam in Germaniæ officio laborauit, scripsitq; 25 libros: ex quibus primi tredecim perditi sunt: uerùm magis circa nomina quã res uersatus est sicuti & Cæsar in Cõmentarijs Gallicis. Vnus ergo omnium Cor. Tacitus Germaniæ sortem agnoscens (cui ego palmam do, secundisq; uelis agam) elegantissimo stilo Germaniã aggressus est: quem non minoris, quàm alterum Germaniæ conditorem æstimo. In historijs quoq; uicem suam retulit de Germanis, quamuis grauissima Romanæ palestræ iactura maiorum incuria quinq; uolumnia sint ablata: & ut existimationi

tioni meæ non desim, plus uni huic Germania, quàm Plinio, Straboni & Ptolemæo debet. ille enim penitissimè res nostras rimatus est: hi uerò quanquam in eo albo se prætulerint, præter Germaniæ ignorantiam eorum, quæ in confesso est, magis obscurauerunt quàm illustrauerunt Germaniam. In quo enim Strabo cum Ptolemæo conuenit? tanta rerum uariatio, tanta nominum nouitas, ut profectò uix in ambobus nomen nostri seculi integrum seu cognitũ reperiatur. Sed ut oblata occasione utar, remissius de Strabone quã Ptolemæo agere uolo, Cornelius uerò contrà, Antoninus Pius in suo Itinerario, & Cęsar in Cõmentarijs, ut Marlianus ait, nominibus nostro seculo quadrantibus utuntur. Tit. Liuius librum de Germania scripsit: cuius meminit Florus supra Liuium: uerũ (sicuti & libri Plinij) negligentia antiquorum interijt. Henricus Bebelius poeta egregius sat scribendo patriæ & Maximiliano dedit. Campanus orationem ad Maximilianum de laude Germanorum disseruit, uerùm tenuiter scripserunt, & Beroaldus, Guntherus. Ligurinus natione Germanus, Federici primi egregia facinora immortalitati commendans, multis uoluminibus honestissimè res nostras prosecutus est, fluminibus, ciuitatibus, urbibus arctissima memoria absolutis. Lupoldus Babenbergensis, Doctor, libros multos de Germania scripsit: è quibus unus de Zelo & Christianitate Germanorum inscribitur: alter uerò de Tralatione Imperij ad Germanos. Neoterici autem Germani tum Itali hos secuti sunt, ut Picus noster Mirandulanus Concordiæ comes, libellum ad Maximilianum scripsit, quod Staurostichon inscribitur. Murrho uerò & Iacobus Vuimphelingus uiri maximæ opinionis, iuxtà & alter theologus Rigmannus Philesius Vogesigena, ex quibus Cunradus Peutinger in Germanorum antiquitatibus tanto copiosior, quanto hi remissiores extiterunt. Hi tamen tenuiter res Germaniæ aggressi sunt, & paucis absoluerunt, nisi Peutinger (cui post Cunradum Celtem ramum tribuo) antiquitus ignorata luce, quadam orationis & uenustate nostro seculo mandauit. Cunradus Celtes natione Francus Germaniam peragrans, quinque annis in latissima Germania comperta congessit, de Hercynia librum, de Germania alterum, reliqua in amoribus & odis enucleatus est. Hi Germaniæ professores, tantus numerus, ut periculum sit, duos è multis, Cor. Tacitum, & Ligurinum inuenire, Celtem & Peutingerũ Cunrados reperire. Noui profectò & nostræ tempestatis homines, omnibus numeris perfectos thesaurum Germaniæ nostræ habentes, & cum summo dispendio detrahentes: quare adductus, licet anser inter olores, nolui usque quaque fieri βάτραχος σέριφος: uerùm patriæ nostræ præsidio animatus, quæ nobis obuiam sese dederunt, patriæ impartiri, & licet quo minus aliquis ingenio ualeat, ut Fabius Quintilianus libro secundo Institutionum ait, tanto magis se erigere conetur: & ego, qui Germaniæ imparem, nõ ut Celtem qui peragrauit, me internosco, & Germaniæ Scriptoris mihi nomen aucupatus sim, danda tamẽ est uenia, dum in uigesimotertio anno plus æquo spiritus ferociores me prouexerint.

Ex neotericis Germaniæ descriptores qui extitere.

Ratio temporis cur antiqui tenuiter de Germania scripserint, & de Geographis antiquis. *Cap.* 3.

HAud tamen ab re est, Germaniam usq; ad hũc diem delituisse. Tempore enim Consulum prorsus ignorata fuit, ut ait Iacobus Carmelitanus & Plinius, cuius uerba hęc sunt lib. 4. cap. 14. Germania multis annis nec pręcognita est, (ut paulò ante diximus) bello: secundum Strabonem, per Drusum & Iulium agnita est. Herodotus tempore Xerxis uiguit, Gnidius Ctesias sub Artaxerxe, Callisthenes & Theopompus eodem tempore. Hecatęus tempore Ptolemæi Lagi, Hellanicus uerò Cadmi, Aristobulus & Onesicritus Alexandri Magni tẽporibus,

Geographi antiqui & doctissimi quando fuere.

poribus, Xenophon Cyri, & hi omnes antiqui, quos capite primo adduxi, ignorantia Germaniæ nihil scripserunt, & sunt συγγνωσοὶ uenia digni. Huic sententiæ subscribit Strabo lib. 2. Geog. in fine. postquã totã terrã metitus est, nec Germaniȩ meminisset, inqt, in prȩsentia dictũ sit, quòd Timosthenes & Eratosthenes (quos tamẽ paulo antè omnibus Scriptorib. prȩtulit, & cȩteris Scriptorib. priores) Hispaniam, Galliam, prorsus ignorarunt: innumerabiliter aũt amplius Germanica, situmq; Britaniæ, Getas & Bastarnas. hæc ille. Cornelius quoq; Tacitus in Germania scribit nuper cognitam gentibus fuisse Germaniam & regionibus, & eos bellun aperuisse. Diodoro uerò Siculo aqua & igni interdicendum est, & nulla uenia danda, qui, ut lib. 6. & primo profitetur, triginta annis historiam suam compleuit. Iulij Cȩsaris tempore uiguit, & aliarum gentium facta mentione, Germaniam extra omnem ingenij aleam reliquit, licet Strabo lib. 7. Germaniam ad Aquilonem uergẽtem cognitam tradiderit, usq; ad Oceanum, post Albim uerò incognitam. nullum enim huc nauigasse compertum esse. Idẽ Strabo supra Rhoxanos habitantes se ignorare scripsit, & ille Strabo post Augustũ degit, longè Diodoro posterior: quo adductus & ignorantiæ Diodori ignosco. Ecce idem Strabo lib. 2. Nõ enim, inquit, cȩterorum montium situs sicuti alpium Pyrenæi, Thracum aut Germanicorum, dicere habemus. Eratosthenes Græcorum copiosissimus geographus ab Hipparcho castigatur, quòd penitus nihil de Hispania nec Germania ei constiterit, dum Gallos uno uocabulo usque ad Gades dixerit. Verùm lis lite dirimitur, nec Hipparchus de Germania satis est emeritus, testante Ptolemȩo lib. α cuius uerba sunt: ἐπεὶ δὲ ὁ ἵππαρχος ἐπ' ὀλίγων πολέων, ὡς πρὸς τοσοῦτον πλῆθος, τῶν κατασσομένων ἐν τῇ γεωγραφίᾳ ἐξάρματα τοῦ βορέου πόλου παρέδωκεν, καὶ τὰς ὑπὸ τοῖς αὐτοῖς παραλλήλοις κειμένας οἰκήσεις. id est, Verũ etiã Hipparchus paucarum admodum ciuitatum pro ea copia quæ in Geographia notatur, eleuationes uidelicet poli arctici (intellige Septentrionem & Germaniam) tradiderit, & loca pauca sub eisdem parallelis posita notauerit. Demetrius Calanicianus libros decem de Europa scripsit. Verùm postquam ad Germaniam stylum contulit, quasdam regiões, & fluuios aliquos, nullam ciuitatem memoria ulla prosecutus est. Verùm quid illos antiquos ad Germaniam adducemus? qui ante Consules partim, partim tempore Consulum uiguerunt, nihil de nobis scribere, ut prius dixi, habuerunt. Inter antiquissimos geographos Anaximander Milesius, Hecatȩus Milesius, Eudoxus, Dicæarchus, Democritus fuerunt. Anaximander Thaletis familiaris fuit, ante Cõsules: hunc Artemidorus & Agathyrsides, Apollodorus inde secuti: post quos Aristobulus & Xenodes, Onesicritus Alexandri Magni temporibus: hos posteriores inde Pythias scriptor, sed mendacissimus, qui omnia loca trans Rhenum usque ad Scythiam descripsit, Strabone authore libro primo. Vltimi inde geographorum Polybius, Posidonius, Eratosthenes & Hipparchus eius sodalis. Quid autem hi scripserint, ex initio præsentis capitis satis adduximus. Hos æmulatus est Strabo temporibus Augusti, & Artemidorus sodalis eius. Ille plura in rebus Germanicis incognita: ille plus operis ad illustrandam Asiam ac Arabiam, quàm Germaniam impendit. Vnde nec Augusti seculo cognita erat Germania, ut enim Alexander Indiȩ, Mithridates Cappadociæ ac Bithyniæ, ita Romani Germaniæ ac Europæ nomen, & famam patefecerunt. Ouidius tamen adhuc illo tempore nulli constasse de Germania noticiam refert, ait enim de Druso,

Incognita Germania.

Error quorundam.

Scripta Calaniciani.

Geographi antiquißimi

Vltimi geographi.

Germania tẽpore Drusi incognita

Fluminaq;, & montes, & flumina magna locorum,
Et si quid miri uidit in orbe nouo.
Rhenus, & Alpinæ ualles, & sanguine nigro
Danubiusq; rapax,

Et

Et modò Germani Romanis cognitus orbis
Consul, et ignoti uictor Germanicus orbi.

Alani primitus tunc temporis à Roman. cogniti sunt, & licet longo ante Vespasianũ Strabo lib. 7. eorũ mentionem faciat & Dionys. tamẽ Titi temporib. Alanorum gentẽ diu suis ignotam fuisse refert Egesippus lib. 5. Vltimus in secunda ætate geographus temporib. Ptolemæi Marinus Tyrius, testante Ptolemęo in lib. α, cap. ϛ: Δοκεῖ δὲ Μαρῖνος ὁ Τύριος ὕστατος τῶν καθ᾽ ἡμᾶς, καὶ μετὰ πάσης σπουδῆς ἐπιβάλλειν τῷ μέρει τούτῳ, φαίνεται γὰρ καὶ πλείοσιν ἱστορίαις περιπεπτωκώς. παρὰ τὰς ἔτι ἄνωθεν εἰς γνῶσιν ἐλθούσας. Id est: Marinus Tyrius nostræ tempestatis geographus postremus, summo uidetur studio huic materiæ insudasse. Nam plura explorasse cognoscitur, præter ea quæ hactenus cognita sunt. Ille ergo geographus doctissimus & omnium ultimus Germaniam (quod miserandum est) prę teriјt silentio, testante Claudio libro α. capite ο. cuius uerba sunt: Παρῆλθε δέ τινα αὐτὸν, καὶ κατὰ τοὺς περιορισμοὺς ὥς ὅτι αὐτὴν μὲν Μυσίαν πᾶσαν, ἀπ᾽ ἀνατολῶν ὁρίζει τῇ ποντικῇ ταλάσσῃ, τὴν δὲ Θρᾴκην ἀπὸ δυσμῶν Μυσίᾳ τῇ ἄνω, καὶ τὴν μὲν Ἰταλίαν, μὴ ἀπ᾽ ἄρκτων, Ῥαιτίᾳ καὶ Νωρίκῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ Παννονίᾳ, τὴν δὲ Παννονίαν ἀπὸ μεσημβρίας Δαλματίᾳ μόνῃ, καὶ μὴ κ᾽ ἔτι τῇ Ἰταλίᾳ. Prætergressus est in scribendis regionibus fines, ut totã Mysiam à plaga Orientali terminat Pontico mari, Thraciam ab occasu, Mysia superiori, præterea Italiam à septentrione non Noricis, non Rhæticis solùm, sed Pannonia, Pannoniam uerò à meridie Dalmatia sola, non Italia terminauit. Hæc ille. Ecce postremus omnium geographus nec Noricos, Rhætos, Mysos cognouit, quomodo ergo Germanos? Nazarius Mamertinus panegyricus ad Iulianum Cæsarem, qui paulò antè inaudita regionum, fluminum, montium nomina exercitu uictoriæ peragrauerat, ferarum regna calcata, subito in Illyrico apparuit. Ecce huius tẽpore (qui Iuliani fuit) Germaniã incognitã.

Alani

Marinus geographus

Ratio loci ignorantiæ Germaniæ: & quòd pauci in Germania tempore Consulum fuerint: & quàm sit mirum & magnum quosdam in Germania fuisse. *Cap.* 4.

SVbsequens ac secunda causa est, cur extra omnem authorum memoriam Germania fuerit relicta. Quia ante Cęsares raro tam docti quàm hebetes in Germania suas horas perscripserunt. Legimus enim paucos Germaniam attigisse, ut regionem cœlo asperam, facie horridam, nec mercatoribus congruam. Vnde factum est, ut multa admiratione prosecuti fuerint, qui aut Germaniam uidisse, aut aliquid de ipsis audiuisse gloriabantur. Appulerunt ad littus Germanicum, errore maris ducti, Indiæ mercatores, quæ res multa memoria celebrata est à Pomp. Mela lib. 3. Cornelio Nepote, Plinio lib. 2. Natur. hist. capite 69. & multis aliјs authoribus. Ferunt & Vlyssem in Germania exulantem, Asciburgum condidisse, ut literę illic Grecę testantur. Hoc etiam Cor. Tacitus nec refellere nec firmare argumentis uult, uerùm eorum opinionibus accedit, qui Germaniam nullarum gentium contagione infectam dicunt. Ferunt & Herculem apud Germanos fuisse, ecce uerba Taciti: Superesse adhuc in Germania Herculis columnas fama uulgauit, siue adiјt Hercules, siue quisquam alius, magnum planè est: in claritatem eius consensimus. Nec de fuit auducia Druso, uerùm Oceanus obstitit, in se ac in Hercule requiri. Sanctius igitur ac reuerentius est uisum de actis deorum credere quàm scire: hæc Cornelius. Ecce nec Herculi tribuit adiјsse Germaniam, & quàm optimè, plura enim gentilitas de dіјs egregia finxit, & per quæ maiorem sibi laudem uendicarent, quàm quod consonum ueritati fuerit. Dicunt omnes penè authores Herculem, Bacchum, Cyrum, Semiramim

Quàm pauci externorum in Germania fuerint.

Asciburgũ conditur.

Hercules an in Germania fuerit.

Quid adulatores. ramim adiſſe Indiam, quidam adulatoriè ut Nearchus author Græcus, ut maiorem Alexandri Magni & ſpecioſiorem redderet uictoriam, Cyrum regem, & Semiramim (ut ex Indorum annalibus habuerit) Indorum reges bello adortos, illam cum uiginti hominibus, hunc cum ſeptem aufugiſſe teſtatur. Credidit eorum dictis Alexander, ut erat adulatorum auſcultator. Metaſthenes uerò nullum unquam interiorem Indiam attigiſſe refert, excepto Baccho ac Hercule, poſt quem Eratoſthenes Græcus author in libro tertio nec Herculem, nec Bacchum in Indiam profectum ſcribit: & ſi fuerint, aliquam tantùm ac minimam partem attigiſſe: τοὺς ὠταφυλάκους uerò iſtiuſmodi gloriam uiris illuſtribus adſcripſiſſe, cui ſententiæ etiam Strabo libro decimoquinto accedit, & ego nec Herculem penes Germanos legere memini, ad Gallos bene Hercules profectus eſt, Germaniæ uicinos, teſtante Luciano in dialogo cui πρόλαλία ἡρακλῆς inſcribitur, ubi Herculem inducit à Gallis nõ clauo, uerùm Mercurio ſimilem depictum, & addit, ταῦτά γε ὤμην οὖν ἐφ' ὕβρει τῶν θεῶν ἑλλήνων, τοιαῦτα παρανομεῖν τοὺς κελτοὺς, ἐν τὴν μορφὴν τὴν τ ἡρακλέους ἀμυνομένους αὐτὸν τῇ τοιαύτῃ γραφῇ, ὅτι τὴν χώραν ποτὲ αὐτῶν ἐπῆλθε, λείαν ἐλαύνων, ὁπότε τὰς γηρυόνου ἀγέλας ζητῶν, κατέδραμε τὰ πόλλα τῶν ἑσπερίων γενῶν. Id eſt: Igitur mirabar iſta ob contumeliam deorum Græcorum iſtiuſmodi perperam facere Gallos, ac talem formam Herculi aſsimulare, ulciſcentes ipſum, ſcilicet, tali pictura quoniam regionem illorum preſsit olim incurſionibus, prędas agens, quando Geryonis armenta quærebat: uaſtauit autem ille multa Occidentalium loca. hæc Lucianus. bene Occidentalium loca, ſed non Septemtrionalia. Nec ſinit nos agere ſilẽtium Oſyris ille aratri de monſtrator, quem (regnante rege Sueuo) apud Germanos fuiſſe teſtatur Peutinger. Beroſus libro quinto toti orbi tunc imperaſſe refert Oſyridem, & ſubditos agricultura inſtruxiſſe. Statua etiam eius talibus uerbis erat inſculpta: Ego Oſyris imperaui orbi, ueni ad Danubium. Verùm quia Diodorus Oſyridem Alcmenæ ac Iouis filium fuiſſe credit, quem alij Herculem nominant, adduci poſſum Herculem adijſſe Germanos. Annius Viterbienſis Tauriſcos populos ab Oſyride dictos ait, dum Oſyris in Germania fuerit, ab api uidelicet, id eſt tauro (ut & Diodoro placet, libro primo.) tanto labore indiget aliquos attigiſſe Germaniam recenſere. Venerunt & Argonautæ ad Danubium, Trogo Pompeio, & Iuſtino libro trigeſimo ſecundo, & Strabone libro primo authoribus. Concordat Val. Flaccus: cuius uerba capite uigeſimo adducemus. Plinius etiam libro tertio, Pomponius Mela, Zacharias Lilius, & multi Græcorum & Latinorum Argonautas in Iſtrum delatos aſſerunt. Ecce Cato in Fragmẽtis negat, tamen Strabo libro primo, poſtquam id innotuit, ſubiungit: Quidã, inquit, maximam Iſtri partem nauigaſſe Iaſonem commemorant, alij uſq; ad ſinum Adriaticum. Hæc inquit Strabo probabiliter ac non incredibiliter dicta ſunt. Vide tamẽ aliquos negaſſe etiam Argonautas fuiſſe in Germania, ut Catonem: alios dubitaſſe, ut Strabonem. Quis autem tandem Germanię infelicitatis modus eſt, ut nullum temporibus antiquis inueniamus in Germania fuiſſe? Quin etiam tot, quot negãt pręſtò ſint authores. Pythias author Græcus totam à ſe menſuratam Britanniam ſcribit, & à Gadibus uſque ad Tanaim ueniſſe: quod Polybius geographus negat. Eratoſthenes Panchæum quendam Septemtrionem perluſtraſſe refert omnem. Contrà Strabo libro ſecundo, Hermeti illa dicenti ſe non crediturum præſumit: tanta laus, tanta admiratio priſcis fuerat, tantùm uidiſſe Germaniam. Nõ dubium ſi Homerus Germanos agnouiſſet, πολύτροπον hunc Vlyſſem ac πολλὰ περιπεπλευκότα, & demum πολύπλαγκτον, qui πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω, πολλὰ δ' ὅ γ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα, etiam in Germaniam delatum indicaſſet.

Hercules Galliam deuaſtat.

Oſyris iuxta Danubium.

Argonautæ in Danubio

Pythias

Hermippus

Eratoſthenes.

Teſtibus

Testibus ocularibus esse credendum, & de quibusdam Scriptoribus, qui rem ab ipsis descriptam uiderunt. Cap. 5.

PArum ergo illorum agnosco, quo pacto Germania nostra innotescere potuit, dum nec priuati, taceo de doctis, patriam nostrã attigerint. Non neminem autem fugit illis fidem esse hactenus datam, qui id quod luminibus eorum patuit, asseruerunt: tunc enim unus testis oculatus plus ualet auritis decem, uisa etiam ab authoribus regio, multò splendidiorem noticiam scriptoribus attulit, quam illa quæ tantum opinione ac auribus nitebatur. Vnde Scriptores dum fidem requisiuerunt, se uidisse aliqua testabantur. Lucianus in Syria. τὸ δὲ παλαιὸν, καὶ παρ' αἰγυπτίοισι ἀξόανοι ἔσαν, καὶ ἐσὶ ἱρὰ καὶ ἐν συρίῃ, ὃ παρὰ πολύ τοῖς αἰγυπτίοισι, ἰσοχρονέα, τῶν ἐγὼ πλεῖστα ὄπωπα. id est: Olim & apud Aegyptios sine statuis arę erãt, sicuti in Syria sacra ferme Aegyptijs coætanea, quæ ego uidi. Credit̃ Diodoro Siculo in rebus Aegyptiorũ, quia uidit: Xenophonti autem & Thucydidi nulla datur ueritas, qui nec loca attigerunt: nec Ephoro nec Timæo, qui errauerunt non negligentia, uerùm regionum, situsq; ignorantia: nullus enim priscis temporibus Græcorum usq; ad Ptolemæum Philadelphum Aethiopiam aut Aegyptum ingressus, nisi Orpheus, Homerus, Solon, Plato, et alij qui non historici, magis fabulas quàm rem ueram in Aegypto finxerunt. Artemidoro etiam fidem dant, ubi de Arabia scripsit, dum ea quæ in expeditione Aelij Galli Romani cuncta explorauerat. Onesicritus & Aristobulus, Alexandri Magni legatus, se missos à rege ad Aegyptum testantur, & quæ uiderint asseruisse. Agathyrsides etiam Gnidius omnem suam historiam in Aegypto collegit, ac diu in Asia militauit: unde uerissima indagine librum rerum Asiaticarum conscripsit. Et Palæphatus Græcus author se habere explorata, quæ in Historijs serendis tenuit, profitetur, cuius uerba sunt: ἀπελθὼν δὲ καὶ πλείστας χώρας, ἐπυνθανόμην ἐκ πρεσβυτέρων, ὡς ἀκούοιεν περὶ ἑκάστου αὐτῶν, συγγράφω δὲ ἃ ἐπυνθόμην περὶ αὐτῶν καὶ τὰ χωρία αὐτὸς εἶδον ὡς ἔστιν ἕκαστον ἔχον, καὶ γέγραφα ταῦτα, οὐχ οἷα ἦν λεγόμενα, ἀλλ' αὐτὰς ἐπελθὼν καὶ ἱστορήσας. id est: Peruagatus autem sum multas regiones, & consului uiros seniores, ut audirem, quid de singulis sentiant eorum, & quæ ab illis hausi, descripsi, & quas uidi regiones: nec omnia ex aliorum scriptis adduxi, uerùm hæc omnia mihi explorata enarraui. Et idem Palæphatus ubi de Niobes statua loquitur, καὶ ἡμεῖς inquit ἐθεασάμεθα αὐτὴν οἷα καὶ λέγεται, & nos eam sic positam uidimus qualiter diximus.

Testes oculati.

Diodorus Siculus

Quòd Græci in locis externis errauerint, & ubi non (ut de Germania) aliquid scribere habuerunt, in tabulis nudum spacium reliquerint. Cap. 6.

MVlti ergo non negligentia, uerùm locorũ ignorantia errauerunt, ut Græci omnes, non solùm in rebus Germanicis, uerùm in locis extra Græciæ limites uniuersis: ut Eratosthenes ac Apollodorus libro secũdo de Nauibus, & Strabo libro septimo referunt. quorum uerba sunt: Homerus & cæteri Græci mentionem Græciæ facientes, ueritatis proximum attigerunt, ut Aulidem lapidosam, Thysben herbosam, & multas habentem columbas, Stolum multum asperam, Medzeona bene exædificatam ciuitatem, Idam Troiæ πολυπίδακα multos fontes habentem, montes Græciæ σκιόεντα, id est umbrosos. Sic etiam Euripides Eurotam plenam arundinibus δονακώδεα. id est arundinosam appellauit, & Simoenta uitreum, dum dicitur ἀργυροδίνης, id est uorticibus argento similis. Hæc & alia Græci optimè calluerunt, externarum uerò regionum proprietates, uix agnouerũt, hæc illi. Ecce aliud, quod præfati Scriptores, Apollodorus,

Græcorũ ignorãtia de locis externis.

Græci optimè de Græcis.

Eratosthenes & Strabo in locis præallegatis addunt: Homerum dum quadraginta flumina Oceano sese exonerare scripserit, prẹstantissimorum Istri, & Borysthenis oblitum: hæc illi. Ecce tandem Grẹcorum in rebus Germanicis ignorantiam. At nunc dicet aliquis, & si nullum intelligentiæ lumen aut experientiam Græci de Germania habuerunt, potuerunt tamen astrologica indagine terram hanc à gentibus quibusdam habitari, inquirere, & illic nouerunt terram populis refertam, uerùm proprietates ac nomina regionis illius, sub nullum eorum sensum cecidit. Vnde dum per parallelos terram mensurauerũt, multum propter regionem incognitam errauerunt. Pythias Græcus ob ignorantiam, Germaniæ parallelum, qui per Mæotim ad Borysthenem dirigitur, alij coniunxit, eumq; secutus est Hipparchus. Ait ergo de illis Strabo lib. 20 Nec enim montium Germanorum situs dicere habemus. Quis enim priscis maiorem quàm posteris fidem habuerit, qui tantopere in tabularum descriptionibus oberrauerunt, ut eos & accusauit Eratosthenes, nec Hipparchus ab eorum detractione abstinuit? Nudum ergo spaciũ (quod Germaniam occupare debuisset) prisci Geographi reliquerunt. Testatur hoc C. Ptolemæus de mari Germanico libro ϑ. παρὰ γὰρ ταύτην τὴν αἰτίαν, τὸ μὲν ἰνδικὸν πέλαγος, μετὰ τὴν ταπροβάνην ἐπὶ τὰς ἄρκτους ἀπέστρεψαν γνισαύτας αὐτοῖς τῶν πινάκων πρὸς τὴν ἐπὶ τὰς ἀνατολὰς προχώρησιν, ἐπεὶ δὴ μηδὲν εἶχον τοιοῦτον ἐπὶ τῆς ὑπερκειμένης τῶν τὸ βόρειον σκυθίας ἀντιπαραγράφειν. id est: Eadem causa & Indicum mare post Taprobanam ad septentrionem deflexerunt, cum tabulis nudum suggerunt spacium, & nihil habuerunt uersus Boream de Scythis scribere: Hæc illi. Et ut demum rem componam, illi qui non in Germanicis regionibus uersabantur, nihil elaborauerunt quod memoria dignum esse potuisset: nil enim nisi summam ignorantiam sibijpsis habuerunt obuiam.

Græci errauerunt in tabulis Germaniæ spacium relinquentes nudum.

Quibus Geographis credendum, & aliquando nec testibus ocularibus, tam doctorum quàm priuatorum hominum testimonio utendum esse. Cap. 7.

Testes oculares etiam errasse.

DIctum tuũ tale nunc erit: Nõne ab alijs habere potuerũt, ut & præstantissimi fecerunt, & eorũ libros istiusmodi adaptare? potuissent utiq;, si quosdam habuissent, quibus de Germanorũ rebus cõstitisset. Vt autẽ ad metã (unde mihi iter est) celeriori gradu pertranseam, non satis fuerat usq; quaq;, nec tam doctissimis etiam quàm priuatis uidisse Germaniam, nec adeò ad describendas eorum regiones hoc conducebat. Assumpturus enim sum Onesicritum & Aristobulum, & reliquos, qui Indiam profecti, tantùm partem uiderunt, narraueruntq; quædam ex auditu, & ea quæ ab eis perfecta dicuntur in transitu quodam militari, & in transcursu, ab eis comprehensa sunt. Quapropter nec semper eadem etiam referuntur ab ijs qui quasi accuratius res perscripserunt, illorum (qui cum Alexandro in Asia militarunt) sæpe quisque alteri contraria dicunt, quod si de uisis tantopere inter se discrepant, quid de his putandum est, quẹ sciuntur ex auditu? hæc Strabo lib. decimoquinto. Sunt etiã qui delectationis causa quædam adducunt, rem ueram, quam exactẽ nouerunt, remittentes: in quorum numerum Herodotum Diodorus Siculus reponit: reliqui rem uisam ad fabulas conuerterunt, ut penè omnes antiquorum Historici, sicut Gnidius, Ctesias, Hecatheus, & alij. Quare non semper fidem parit, etiam loca quædam uisa àttestatum esse. Alij fidem priuatis hominibus præstant, & æquo delicto peccant. Inueniuntur enim mercatores qui per Arabicum sinum ad Gangem usque peruenerunt. Verùm (ut Strabo ait libro decimoquinto priuati homines fuerunt, ad Historiam minus idonei: unde nequaquã illis est credendũ.

Fidẽ non esse dandam mercatoribus et priuatis in Geographia.

Vituperatur Eratosthenes, quòd hominibus nulla memoria dignis usus erat pro testimonio in suis Historijs, & istiusmodi testes usurpat, ut Damasten. Strabo libro primo ipsum irridens, Nihil differt, inquit, Damasten testem, ac si Bergeum uel Messenium, & alios quos in suo testimonio citat, alleget. Item in alio loco Eratosthenes multa ex Diotino Atheniensium legato se habere affirmat. Ita Metrodorus Sceptius Mimnerino teste utitur. Posidonius etiam Gn. Pompei, qui Colchos & Arabes bello strauerat, & Patrocles geographus Xenoclis, regiæ gazæ Alexandri Magni custodis, testimonio functus est. Quare ille à Strabone libro undecimo, hic uerò ab Hipparcho geographo libro secundo Commentariorum, ac ab Eratosthene animaduertũtur. Vnde non illis hominibus leuissimis credendum est, nec istiusmodi testibus ad Historiam non idoneis utendum: uerùm illis, qui, referente Annio Viterbiense, publicam fidem habent, ut in prima monarchia Diocli, Manethoni Aegyptio, Beroso Chaldæo, Mnasea, & alijs, qui literas Syrorum perdidicerunt. Hieronymus etiam Aegyptius Syriæ præfectus, inter antiquos tempore Hecatæi Historici extitit, hic cuncta Assyriorum penetralia in manibus habuit. In secunda uerò monarchia Gnidio Ctesiæ fidem damus, & Metastheni: quorum ille ex annalibus Persarum, Diodoro authore: hic uerò natione Persa uerissima descripserunt. Nec in secunda monarchia Clementi, Taciano, Aphricano Græcis (qui contra publicam fidem scripserunt) credendum est. Et ut rei summam uno simul uerbo circumscripturus sim, his qui id quod uiderunt, & summo studio ac inquisitione ipsi notauerunt, multo quoque ingenio polluerunt, fides præstanda est: ut Ptolemæo Lago, qui Aethiopiam cum exercitu ingressus est ideo, ut etiam regiones perdisceret: ita Iuba Rex ex multa inquisitione rerum, scientiam quã habuit exploratam literis mandauit.

Qui scriptores monarcharum uerissimi.

Quib. danda fides.

Quibus Scriptoribus res Germanas adducentibus credendum, & aliquando lectionem & auditum à doctis uiris, oculari testi præponenda. *Cap.* 8.

SIc & Plinius Secundus in uiginti libris omnia bella quæ Romani cũm Germanis gesserunt, descripsit, & in Germania militauit, ut iunior Plinius in epistola ad Macrum testatur, & sæpe ipse Plinius. Item Cor. Tacitus sub Vespasiano in Germania degit, ut in sua Germania de se ipso dicit. De Plinio ita Marinus Benchemius nostrę tempestatis uir doctissimus, ait: Plinij laus est, qui quod uidit testatur, quod non uidit præstantissimorum dictis asserit, & planè quàm optimè. Non enim totius terræ meatum aliquem transcurrere facilè est humanarum uirium. Quare & opus erit doctorum testimonio in his quæ non uidimus. Strabo libro tertio ita de se loquitur: Itaque cùm terræ partem peragrauimus & maris, qua de re & narrantibus & Scriptoribus fidem adhibeamus, peruenimus autem in Occasum usque ad Sardiniam, tractus Tyrrheni, & in Meridiem quidem ab Euxino usq; ad Aethiopiæ terminos. Ex cæteris terræ Scriptoribus nullũ facilè reperies, quàm amplius, qui nos, dicta permeauerit interualla: qui uerò Occidentis regionis mare adierunt, Orientis loca nequaquam attigerunt: qui autem contrà in Occidentalibus defecerunt, de Austro quoque & Septentrione consimiliter se habuerunt, atqui illi & nos plura percipientes compilauimus, formam ac magnitudinem sic annotauimus & loca, prout casus tulit. Quidam sensibus credentes, per diuersas terræ partes unam construxerunt descriptionem, similiter uniuersi orbis terrarum aspectum, cùm & exercituum ductores extiterunt, omnia quidem ipsi confecerunt, sed ubique nequaquam regionibus affuerunt, imò per alios plura gesserunt, fide nuncijs

Plinius in Germania. Cornel. in Germania.

Auditus aliquãdo præstantior uisu etiam in geographia

nuncijs adhibita. Qui autem solos uidentes cognoscere ueritatem loci existimat, iudicium auris perimit. Quod tamen ad scientiam capessendam longe præstantius est oculo, unde maxime huius ætatis homines aliquid dicere de Britannia, de Germanis & intra & extra Danubium habitantibus. Hæc omnia Strabo: quem etiam rerum Germanarum scientissimum nouimus, non tamen omnia quæ testatur, eius luminibus patuerunt. Dionysius Græcus geographus, etiam prima se illorum uidisse, quæ memoriæ attulit, indicat. Ptolemæus Claudius plura uidit, plurima tamen à nuncijs explorata (quos in totum terrarum orbem remiserat ad terræ uniuersæ inquisitionem) suis libris attulit. Quare clarissimum est auritos testes, si felici ingenio saltem ac prestanti fuerint, præponendos esse accurato oculorum iudicio. Est enim, ut Strabo libro primo refert, magis grauibus & dignis tantummodo uiris utendum, qui per multa bene disseruerunt, multa etiam omiserunt, uel non satis plene explicauere. Et si adamussim res nostra deducenda est, uidetur hic ueritati propior accedere, qui doctissimorum ingeniorum experientia imbutus, ea quæ in illis agnouit optima recenset, quæ uerò inutilia rescindit, quàm qui passim omnia loca peregrinatus fuerit.

Auritis testimonijs quādo credendum.

Excusatio authoris præsentis operis, & ad Geographum spectare, non ut inutilia, uerùm tantùm utilia & magna in suis scriptis proponat. Cap. 9.

HOs & ego imitatus sum, qui quamuis Germanus non omnia Germaniæ lustratus fuerim, ea tamen quæ non uidimus ex doctorum hominum opinione, & qui interfuerunt locis, scripsimus. Nec enim nobis labor circa res uilissimas, ut pagos, itinera, & humilia oppida (quæ priuatissimus quisque explorata habet) uersabatur: nec id ad geographum uidimus pertinere, ut ex Ptolemæo in epistola præliminari testati sumus. Ait etiam Strabo libro tertio: Prima igitur & peculiaria maxime sunt, inquit, & ad scientiam, & ad urbanas necessitates, formam & magnitudinem simplici ac breui oratione constringere: quod quidem ad orbis describendi tabulam necessarium est, simul & qualis est, & quota totius Terræ pars demonstretur: hoc enim proprium Scriptoris est. De tota uerò Terra accurate tractare, & de illius zonæ, quam dicimus spondylo uel dorso, cuiusdam alterius est disciplinæ. hæc Strabo. Concordat & Marinus Benchemius nostræ tempestatis uir doctus, in Commentario supra Plinium, ubi sic infit: Plures reprehensi sunt, qui omnes urbes & totos montes, campos & flumina inepte descripserunt: ita enim faciunt, ut si quis & regis comam & frena equorum appingat: quæ res contingit ex ingenij imbecillitate & imperitia, dum grauia ac utilia tractare non possunt. Deridendi ergo sunt illi, qui ex ingenij inscitia magna negocia & præclara facinora, & memoria digna pretermittunt: parua uerò, & nullius momenti res multo studio & labore exponunt. hæc ille. Loquitur de illis Horatius in Arte: Cum lucus & ara Dianæ Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros, Aut flumen Rhenum pluuius describitur arcus. Id & in Oratore requirit Fab. Quintilianus. In me uerò illud laboris plurimum sibi uendicauit, ut non ea quæ oculis omni rustico subiecta sunt, quæ uulgaria nimis ac cœlo patentia claro sunt, quasi hybernas nenias preterirem, ac mihi in quibusdam temperandum esse scirem: uerùm ea tantùm, quæ tum à Græcis, tum à Latinis hactenus partim inaudita, partim intacta, errata aut neglecta fuerunt, ut studiosis auribus & luminibus conuenirent, elaborarem. Hoc uirtutis opus uisum erat.

Geographū non omnia explorare decet.

Mutationem locorum ignorantiæ Germanicæ causam fuisse. *Cap.* 10.

ALbertus Magnus ille Germanorum nobilissimus, in libro de Situ orbis, inter cæteras causas cur Germania adeò ignorata priscis fuerit, refert, hoc nominum fecisse & gentium Germanicarum uarietatem. Tot enim seditiones in Germania fuisse motas, tot bella oborta, sic ut ex omnibus Cornelij Taciti Historijs constat, ut gens fortior & superior uicinam oppresserit. Vnde cõtigit nominum uariatio fremitu bellorum, quę totam nostram patriam, tum Gręcis, tum Latinis in obscurum abire coegit. Verùm magnam etiam rationem esse ait Albertus religionem Christianam, quæ tunc nouis uocabulis & locis Germaniam imbuit. Sed de illo copiosior oratio libro octauo habebitur. *Cur nomina Germaniæ uariata fuerunt.*

Germaniam quomodo sub Gallia Scriptores comprehenderint. *Cap.* 11.

NOstri fundi extrema illa fuit calamitas, & exitialis uirtutis ac famæ nominis Germani fluctus lerna & ἀπωλεία extitit, Germaniæ quoque obliuionis causa prima, dum à Germanis antiquitus quicquid uirtutis & honesti gestũ erat, id uel Celtis, id est Gallis, Belgis, Sarmatis, uel Scythis aliquãdo, non Germanis ascribebatur. Vnde accidit quod spectata Germanorum uirtus succubuit, & in Gallis floruit: maxima illa nomini Germano detractio fuit. Germaniam enim Græci similiter, & Galliam, & eorum incolas Galatas dixerunt, siue à filio Herculis, siue ab alio, apud Michaelem Ritiũ libro primo de regibus Franciæ, & Parthenium Phocea libro primo Historiarum. Berosus lib. 2. Herculem ex Galatea (cui suffragatur Diodorus libro sexto, & Marcellinus lib. 15.) Galatem genuisse ait, libro tamen quinto historiarum Comerum Gallum, ait, in Italia regnasse, & à suo nomine populos dixisse. Alij ἀπὸ τοῦ γαλακτινοῦ dictos uolunt. γαλακτινός enim albus, candidus, lacteus: utcunque Germani etiam sub Galatis comprehensi sint à rerum scriptoribus. Diodorus Siculus libro sexto Germaniæ non meminit uerbo, sed innuit eos nomine Galatarum. uerba eius sunt: Galates filius Herculis in uirum euadens, cùm paternum suscepisset regnum, plures oras sibi subdidit, propinquas, & subditas omnes suo nomine Galatas dixit, à quo omnis ea regio Galatia dicta est. Hæc à plurib. nationibus incolitur, quæ inuicem gentium numero differunt. Nam quę maior habetur inter eas, ducenta uirorum millia efficit: quæ minor, quinquaginta. Harũ gens una erga Romanos usq; ad hanc ætatem, affinitatem, amicitiamq; seruat: ea uerò regio (intelligit Germaniam) quæ ad arctum sita est, regio frigida, hyemis tempore niuibus oppleta. hæc ille. Quis ergo non ibi intelligat, Germaniam olim fuisse Galliam? addit quoque: Magni fluuij per Galatiam uario cursu fluuunt. Eridanus in nostrum mare: qui uerò tantùm in Oceanum fluunt, magni habentur Rhenus, Danubius. hæc ille. Ecce Rhenum & Danubium Galatiæ flumina dixit. & addit: Rhenum diebus nostris C. Cæsar pontibus miro modo struxit, pedestribus copijs traductis, Galatas ultra Rhenum habitantes in potestatem redegit. Sole clariora uerba hæc sunt, Germanos fuisse Galatas, & paulo pòst, de potu ex hordeo facto, de lanceis, proceritate & albedine corporum, & colore rubro capillorum, & alijs Germanis olim tantum proprijs. Germanos appellatione Galatarum denotat, ut rem componam, idem Diodorus. Nunc, inquit, quod à multis ignoratur scribetur: Vltra Massiliam (qui Mediterraneas regiones, qui que iuxta alpes & montes Pyrenæos incolunt) Celtæ appellantur: ultra hos qui ad Oceanum uersus pertinentes oras, & Erycinum montem, qui deinceps ad Scythiam usque habitant, dicuntur Galatæ: omnes

Germani Galatæ.

Galactinus.

Galatia unde.

Rhen⁹ fluuius Galatiæ.

omnes enim Romani uno uocabulo Galatas dicunt: hæc ille. Germaniam intelligit ab Oceano scilicet, & à Celtis usque ad Scythiam dicendo, dij boni? (quod à multis ignoratur scribit Diodorus) mirum Germaniam adeò Diodori temporibus (qui Iulij Cæsaris uixit ætate) delituisse, malè actum est de Germania, nec aliud in re est quiddam obliuionis eius, nisi nominis ac famæ & gentis alterius iniuria. Quomodo Græci aliquid de Germanis scribere potuerūt? Germani (& si quid honestius gesserūt) iniuria nominis Galatarum sub tenebris uel est uolutum, uel alteri ascriptum, tulit alter honores. Noluimus ergo ad classica omnibus numeris ita uentos secundos Gallis sinere, uerùm siquid laudis nacti sumus, honoris participes nos ipsos præstabimus. Ephorus quoque Gallias usque ad Gades propagauit. Ait Strabo illa nostri temporis hominibus non quadrare, uerùm antiquitus ita fuisse libro quarto dicit. Ecce antiquitus Germaniæ nec nomen constitisse?

Germaniam sub Celtis comprehensam. Cap. 12.

Transrhenani Belgæ.

Germani Celtæ.

Redeo nunc singulatim ad alios Gallos. De Belgis prius diximus, & certo certius constat quicquid Transrhenanę ciuitates egerunt, id Belgis, id est Gallis ascribebatur. Sic etiam de Celtis: antiquitus Galli & Germani Celtæ dicebantur, ut Raphael in urbanis Commentarijs scribit. Lucillus Tarr. lib. 4. super Apollonium, Hercyniam Celtarum syluam dixit, quę Germanię est. Marlianus, enarrator Ptolemæi, & nostræ tempestatis homines (taceo de antiquis) Eluetios Celtarū populos dixerūt, & alios Germanos. Athenęus author Gręcus, lib. 5. Dipnosophist. singula quemadmodum Diodorus Siculus, quæ Germanorū sunt, Celtis concessit. Simili iudicio Eratosthenes uno uocabulo & Gallos & Germanos, Hispanosque, Strabone ac Hipparcho referentibus, Celtas & Gallos appellauit. Sic & Hercules nomine Alemannus, ut ait Berosus, & Francus filius Hectoris (ut testatur Manetho) imperauerunt Celtis: quis nō Germanis diceret? cùm ille non longè à Constantia regni sui uestigium reliquerit. Hic uerò in Franciam Oriētalem perrexerit? à quo Franci (tum Celtę dicti) deducti sunt, Aenea Syluio, Blondo, & alijs mille authoribus: & id planè in propatulo est, non Celtis in Gallia imperasse Francum, dum hi Franci non Occidentales extiterint, uerùm Orientales, qui apud Rhenum consederant antiquitus, ut Agathias Gotthorum scriptor, Hunibaldus & Marcellinus uolunt, & hos dictos Celtas, probo authoritate Suidę, qui ita inquit: γερμανικὸς ὁ φράγκος οἱ γέρμανοι κελτοί λέγονται, οἱ ἀμφὶ τὸν ῥῆνον ποταμὸν εἰσι id est Germanicus Francus Germani & Celtæ dicuntur, qui circa Rhenum fluuium sunt: ergo fuerūt Franci Orientales Celtę dicti, cùm alij Franci longius à Rheno sint Manifestum est igitur, Suidam non Occidentales Frācos uoluisse, uerùm Orientales, qui (ut Iacobus Vimpffelingius ait) olim omnem Rheni ripam adeò inhabitauerunt, ut penè accolæ Rheni uel Alsates aut Franci dicti fuerint & hoc nonnihil confert lectioni panegyricorum, qui Francos non longe à Batauis posuerunt. Huius igitur ex Hunibaldo ac alijs lib. nono mentio copiosior habebitur. Ad Celtas redeo, qui olim nomine eo Germaniam occupauerunt, & hoc quia in alijs auctoribus liquet, tum autem in Herodoto exactissimè ac potissimùm, qui in secundo uolumine, quod Euterpe inscribitur, Celtas omnium in Europa πρὸς δυσμέων οἰκούντων ἐσχάτους (ut eius uerbis loquar) ad Occasum habitantiū ultimos esse asserit. Quibus uerbis nil falsius esse dixeris: uel si Herodoti auctoritatem integram esse placet, olim totam Germaniam Celtarum appellatione fuisse nuncupatam iudicabis. Eiusdem ferme sententię idem Herodotus est lib. 4. ecce aliud in prędicto secundo uolumine, Danubium apud Celtas Herodotus oriri asserit, & addit, κελτοί δέ εἰσι ἔξω ἡρακλείων στηλέων: id est, Celtæ sunt extra uel ultra columnas Herculis: quæ

quæ uerba omnem nubem luminibus nostris adimunt, ac illis nos subscribere cogunt, qui Celtas olim passim longè lateq; Germaniam totam eorum nomine complexam uoluerunt. Verba Herodoti Græca integra libro octauo, Lectori reposuimus. Illud quoque nobis argumentum præbet, Celtas in tantum dilatatos, sub iure eorum Germanos subiectos habuisse, quòd totam Germaniam sub regibus eorum fuisse Historiæ uoluerunt. Post enim fata Alemanni, Teutonis, Sueui, Vandali, Celtarum reges Sarmatiæ ac Celtis præfuerunt: ut Manetho Historicus asserit. Nec legitur apud ullum Scriptorem de proprio tunc Teutonorum regno, ut prius antequam ius Germanorum ad Celtas deuenit. Nec abstinuit Nazianzenus ille Celtas illos uocitare, quos Gallos Claudianus dixit, qui pueros Rheno explorant: cùm tamen hi Germanorũ uerissimi fuerint, qui iuxta Rhenum consederunt. Rhenus enim, Strabone referente, à fonte usque Oceanum Germanos alluit. Fuerunt ergo Germani, antequam nomen eorum diuulgatum est, & Celtæ dicti, perinde ac Galli.

Germaniam olim etiam Scythiæ appellationibus ac Sarmatiæ fuisse subiectam. Cap. 13.

Redeo ad reliquas Germanicæ nationis classes, absolutis partibus Occidentalibus, quę Galliam spectant. Orientales partes Norici & Pannoniæ gentes occupauerunt. Simili & pari iniuria, uerũ id ferendum est, quia Norici, Vindelici, & Pannones hodie Germani sunt, & quicquid ab illis honestius gestum est, id æquo iure Germanis hodie ascribitur: contrà uerò Galli (nomine seruato proprio) uictoriam retulerunt & memoriam. Sic & Septentrionalis Germaniæ portio Germanos affecit: spoliando enim honoribus Germanos, egregia facta uel Scythis uel Sarmatis ascribebat. Scythis quidem, quòd omnes populi Septentrionales Scythæ dicti sunt, authore Strabone. Verba Strabonis sunt uolumine undecimo. In medio Europæ cõtigui sunt Scythæ (inquit) & Sarmatæ. Græci uerò scriptores, uniuersos Septentrionales Scythas, & Celtoscythas dixerunt: qui uerò ipsos prius distinxere, qui iuxta Euxinum, Istrum, & Adriam habitant, Hyperboreos, Sauromatas, & Arimaspos dixerũt. hęc ille. Diodorus Siculus uniuersos populos illos ad Oceanũ Galatas dictos, usq; ad Scythas dixit. Dij immortales, ubi nũc Germania? uniuersi aut Galatę aut Scythæ sunt. Quis nunc uicẽ Germaniæ non deplangat? egregia Germanorum facinora ita Scythis immanissimis ascripta? Landinus in Commentarijs Georgicorum Germaniam uniuersam olim penè sub Scythia comprehensam scribit. Hæc ergo Germanorum Lerna fuit, quia dextro Hercule quicquid Germani gesserunt, non retinuerunt. Ecce Plinius libro quarto, Scytharum, inquit, nomen usque in Sarmatas & Germanos transit: ex quibus uerbis Annius Viterbiensis Germaniam olim Scythiam dictam uult. Redeo ad Sarmatiam, quos aliqui etiam Scythas nominabant. Hi olim Germaniam suo nomine Sarmatiam dixerunt, & uniuersa illa regio usque ad Rhenum, Sarmatia dicta est: constat id Berosi authoritate. Hic Berosus libro secundo Tuisconem appellat Germanorum & Sarmatum patrem: ille anno Saturni (ut Berosus libro quinto ait) Sarmatas maximos populos fundauit. Inde anno tertio Nini Sarmatas legibus format apud Rhenum. hæc Berosus. Apud Rhenum, inquit: uerba sunt plana & nuda, accipiat illa quisque suo ductus ingenio. Ego uerò iuxta Rhenum Sarmatiam antiquitus fuisse intelligo: enucleat alius, sufficiat mihi ansam præbuisse. Nisi fallor, & apud Hunibaldum idem legi, olim scilicet, dum Franci in Germaniam uenerunt, Sarmatas Rheno depulsauerunt. Concordat Nauclerus in Chronicis, & Annius Viterbiensis enarrator Berosi Commentariorum

Pannoniæ. Rhæti. Norici.

Locus Strabonis.

Germania sub Scythia

Sarmatia olim.

mentariorum libro quinto. Concludo denique authoritate Pij II. qui in epistola ad Martinum Mair scripsit: Repetamus, inquit, uetusta tempora, non dicimus aut Saturni uel Iouis, nec rursus aut Romuli, aut Camilli, aut Alexandri, quibus regnantibus incompertum nobis est, qualis fuerit Germaniæ facies. hæc ille. & addit: C. Cæsaris ætatem inspicere libet, cùm ille militaret in Gallia, cùm Christi natiuitas instaret, quæ nam (oramus) Germanorum opes tunc fuere?

De Situ Germaniæ. Cap. 14.

Situs Germaniæ.

VBi tenuitatem Scriptorum Germaniæ reuelauimus, integrum uisum est retegere, quid'nam ingenio suo ualuere Scriptores, situmque Germaniæ primum aggrediar. Cor. Tacitus omnem Germaniam Rhetijs, Pannonijs, Gallia, Rheno & Danubio, Sarmatis & Dacis, cætera Oceano arctauit: cui & riualis existit Marlianus. Dionysius saltu Hercynio subiacere Germanos, Rheno & à Danubio, asserit. Cornelio tamen Perottus supra Martialem in primo, & Sabellicus lib. 2. Nonarij. 6. subscribunt. Orosius libro primo ait, ab Oriente habere montes Riphæos, à Septentrione Galliam Belgicam, & fluuium Rhenum ad Occasum, ad Meridiem uerò Hesperiam sub Europa sitam. Strabo lib. 7. Alibi, Rheno, Danubio, & Oceano Germaniam collegit, cætera ignorare dicit. Ptolemæus lib. 2. cap. 4. ab Occidente Rheno, à Septentrione Oceano, à Meridie Danubio, Oriente Sarmatia. Zacharias Lilius huic opinioni suffragatur, nisi quod à Meridie Alpibus, cæterum Sarmatis & Oceano Germaniam inclusit, ab Oriente & Septentrione. Plinius à mari Gallico (si litera non est deprauata) & à Codaneo Germaniam incœpit, lib. 4. cap. 13. produxit usque ad mare Germanicum. Don. Acciolaus in translatione Caroli Magni Germaniam Rheno, Danubio & Oceano complectitur: cui astipulatur Iacob. Carmelitanus. Recentiores uerò longius dilatant Germanorum fines: ut Aeneas Syluius, Peutinger, ab Oriente Daciam, Meridie Italiam, Occidente Gallos, Septentrione Sarmatiam habere Germaniã perhibẽt. Cunradus Celtes quatuor latera asignat, Rhenum, Danubium, Tanaim & Oceanum, ait enim:

Latera Germaniæ.

Danubiusque rapax, & adauctæ nubibus alpes
Austrinos faciunt fines, metamque resignant
Italicæ, Illyricæ, Scythicæ, contermina genti:
Oceano fines ponit natura sub arcton,
Pulcher ab occiduo quas claudit gurgite Rhenus,
Nos à Sequanicis disiungit flumine Gallis.

Periphrasis Germaniæ.

Vincentius libro secundo capite septuagesimo secundo Historiarum, & Isidorus Iacobi Carmelitani sententiæ adhærent. Lucianus Germaniam κατὰ περίφρασιν ita libro primo depinxit:

Tunc inter Rhenum populos alpesque iacentes
Finibus arctois patriaque à sede repulsis
Pone sequi.

Ecce tanta Scriptorum διαφωνία. In cuius autem sententiam iuramus, paucis dabo. Mantuanus de Situ Germaniæ:

Tenditur ad læuam magnis: Germania campis,
Oceanum Boreamque petens ubi littora Cimber
Incolit a rctoum longè porrecta sub axem.

Sed

Sed secus hoc latus Italiæ circundedit altis
Collibus

Claudianus in Stillicone:

Omne quod Oceanum fontemq; interiacet Istri
Unius incursu tremuit.

Vt demum finem positurus sim, præstantissimis placuit, hodie ad Occasum & Franciam, & Burgundias, uidere Germaniam: ad Meridiem uerò Italiam: Septentrione uerò insulas Septentrionales claudere: cæterùm Hungariam Orientalem limitem constituere. Et hæc de tractu Germaniæ dilatatio hodie describitur, & diffusior est descriptione Alberti Magni, qui tantum Rheno, Oceano, Danubio & Istula Germaniam collegit. *Situs Germaniæ tempore nostro.*

De diuisione Germaniæ. Cap. 15.

ANtequam de Germaniæ situ uerba fecero, ordine iusto Germaniam diuidere uolumus. Duplicem autem esse cuilibet patet: uocant enim Germaniam ad Meridiem se extendentem Superiorem, aliam Inferiorem: ut Paulus Diaconus libro primo, Aelius Lampridius, Suetonius, Spartianus, Capitolinus, & Panegyrici, qui ubicunque illarum partium meminerunt Superiorem aut Inferiorem uocant Germaniam. Ptolemæus etiam ita distinxit. uerba eius sunt in libro. β. istiusmodi: Ἡ δὲ ἀπὸ ὀβρίγκα τοῦ ποταμοῦ πρὸς μεσημβρίαν καλεῖται γερμανία ἡ ἄνω· ἐν ᾗ πόλεις ἀρχομένων ἀπὸ τοῦ ὀβρίγκα ποταμοῦ νεμήτων μὲν νοιόμαγος ῥουφινιάνα. ἡ δὲ παρὰ τὸν ῥῆνον ποταμὸν χώρας ἡ μὲν ἀπὸ θαλάσσης μέχρι τοῦ ὀβρίγκα ποταμοῦ καλεῖται γερμανία ἡ κάτω· ἐν ᾗ πόλεις ἀπὸ δυσμῶν τοῦ ῥήνου τῶν βατάυων. id est: Illa autem regio ab Obrinca fluuio uersus Meridiem Germania Superior: in qua ciuitates sunt ab Obrinca Nemetum, Nœomagus, Rhuphiniana. Illa autem quæ iuxta Rhenum est, à mari usque ad Obrincam fluuium, uocatur Germania Inferior: in qua ciuitates sunt à Septentrione Rheni Batauorũ. Eodẽ nomine & Ammonius monachus in Historia Francorum libro primo & Sabellicus libro secundo Enn. sextæ, Ammianus uerò Marcellinus libro decimoquinto Superiorem Germaniam primam, Inferiorem secundam uocat. Primam Vangiones & Moguntiacum: secundam uerò Tungros & Agrippinam complecti dixit. Nec desunt Chronographi qui hanc Altam, aliam Bassam uocent. Inueni & apud Marcellinum aliquando Superioris & Inferioris Germaniæ mentionem: & Plinius lib. decimonono, capiteseptimo, Corruda, inquit, passim in mõtibus nascens refertis Superioris Germaniæ campis: & ille Plinius tempore Traiani fuerat, ex quo nonnihil habeo. Cornelius etiam Tacitus in primo ac secundo Historiarum libro duplicis Germaniæ meminit. Vidimus etiam Ptolemæum præcipuè in libro γ Germaniam μεγάλην id est magnam uocare, non superiorem: & μικρὴν id est paruam, non inferiorem. Delusus est in hoc loco Philippus Beroaldus supra Asinum aureum Apuleij, dum magnam Germaniam superiorem dici putat, & paruam inferiorem: cùm magna Germania tantùm sub se comprehendat Septentrionem, ut Prussiam, Liuoniam, Silesiam, & Carpati incolas: secundum alios & Saxoniam ulteriorem, ut Lubecum, Rostocum, atque antiquam Marchiam.

Germania duplex. *Germania superior et inferior.* *Germania prima et secunda.* *Germania magna.* *Locus Beroaldi.*

Quando Germania ita diuisa fuerit, & an Transrhenani Germani fuerint, quo tempore Germanis ascripti. Cap. 16.

DVm Scriptores priscos uideo omnes, tantùm unam inuenio Germaniam: ratio illius est, quia inferior Germania ac etiã multa in superiori, ut Transrhenani, *Germania olim una et indiuisa.*

rhenani, Galli fuerunt, unde nihil de superiori quàm inferiori habuimus ante Iulium. Post Augustum uerò, Tiberium, Traianum, & alios. Cęsares multa tā de superiori quàm inferiori Germania referuntur: nec etiam illorum nominum Strabo, Cæsar, Pomp. Mela, & reliqui priscorum ullam fecerunt mentionem: uerùm Plinius ac Cornelius. Post Traianum etiam Cęsarem & Antoninos, ex una Dacia duæ, & ex una Germania duæ Germaniæ tempore Aureliani effectæ sunt: ut Sex. Ruffus dicere uidetur, in libro quem ad Valentinianum scripsit, capite nono & undecimo. Tunc em̄ multa Gallici iuris cesserunt Germanis. Augustus Cęsar redacta in potestatem Pannonia, & rege Bancone capto, omnes oras Danubij in prouinciā redegit, è quorum ditionibus Germanis multa adiecta sunt posterioribus tēporibus, & ita Germania diuisa fuit. Optimi tamen ante Aurelianum Germaniam ita fuisse discretam tradunt, dum ante Aurelianum nō longo tempore post Augustum aut Traianum uixerit Ptolemæus. Capitolinum & alios uidemus historicos, qui uitas antecessorum scripserunt, sæpe inferioris Germaniæ meminisse. Verùm ut rem certo limite componam, diu ante Aurelianum diuisam esse constat Germaniam. Meminit & inferioris Germaniæ Vlpian. ff. de censibus. l. ultima. De superiori Plinius libro decimonono capite octauo Natur. histor. & Cornelius. Transrhenani autem olim Galli fuerunt Belgæ dicti, & tempore posteriori Austrasij: ita etiam ab antiquissimis dicuntur. Si enim rectè memini, apud Cornel. Tacitum eorum mentionem reperi, Plinium item & Strabonem: & recentiores inde Historici, ut Seuerus, Mamertinus, Fl. Vopiscus in Tacito, Iulius Capitolinus in Albino Transrhenanorum meminerunt, qui temporibus Constantini Cæsaris extiterunt: uerùm & illis ætate prior Suetonius Historicus in Galba ac Nerone & cæteris. Non igitur recens nomen erat Transrhenanis. Postquàm itaque Germania diuisa est, Transrhenani Germani facti sunt, ut uerba Ammiani Marcellini sole clariora indicant, libro decimoquinto. Belgæ, inquit, olim fuerunt fortissimi, ex eo, quia nec aduentitijs fuerunt effœminati delicijs, Transrhenanis certauere Germanis. Aquitania alia pars Galliæ, cuius altera pars præerat uniuersis, & hi superiorem & inferiorem Germaniam duasq; Belgicas suæ ditionis suisq; rexere temporibus. At nunc numerantur prouinciæ per omnem ambitum Galliarum, & secunda Germania dicuntur, quæ ab Occidentali exordiens cardine Aggrippina & Tungris munita, ciuitatibus amplis & copiosis: prima uerò præter alia municipia Moguntiacum habet & Vangiones. Hæc ille: quo nil dilucidius quàm Transrhenanos suo tempore, scilicet Constantini, fuisse Germanos, dum etiam Tacitum, Strabonem & alios antiquiores conspicio, inuenio & Transrhenanorum ciuitates eorum tempore Germaniæ ascriptas, ut patebit in sequentibus: & si uerius dicere uolumus, Transrhenani semper Germani extiterunt, nunquā Galli. Strabo enim, Trebotes & cæteros à Germanis ortos scribit. Sederunt igitur Transrhenani olim iuxta Hercynium trans Rhenum pulsi: inde à Francorum regibus & Romanis in ditionem redacti, nihilominus semper Germani manserunt, ut paulò pòst à nobis dicetur.

Germania quando diuisa.

Transrhenani olim Galli.

Transrhenani quando Germani.

Locus Ammiani.

Transrhenani semper Germani.

Qui Celtæ dicantur, & enodatio cuiusdam uersiculi Nazianzeni pulcherrima, ubi Celtas Rheno eorum filios explorare scribit. Cap. 17.

VEnio nunc ad Celtas, ob id, quia omnes Celtæ olim Germani aut Galli fuerunt, & nunc magna pars Germanorum ascribitur Celtis, ut in capitibus sequentibus latius ostendetur. De Gallis autem non est dubium, cùm Plutarchus & alij eos nominet Celtas. Lucianus, τὸν ἡρακλέα οἱ Κέλτοι ὄγμιον ὀνομάζουσι

φωνῆ

φωνῇ τῇ ἐπιχωρίῳ, Herculem Galli Ogmium uocant uoce indigena. Eos autem ita descripsit Cl. Ptolemæus, apud Rhenum uidelicet habitare Celtas, ac usque in Germaniam se extendere. Et quia de Celtis mentionem fecimus, pulcherrimum facinus ab eorum antiquis elaboratum placuit recensere. Gregorius Nazianzenus tum Græcæ literaturæ, tum Theologiæ uerissimus antistes, ita inter cætera de Celtis loquitur:

Κελτοὶ μὲν κρίνουσι γόνον ῥήνοιο ῥεέθροις,
Καὶ χρυσοῦ καθαροῦ ἄνθρακες εἰσὶ κρίσις.
Progeniem Celtæ explorant sub flumine Rheni,
Auri iudicium carbo nitentis erit.

Et idem Nazianzenus,
Ὡς νόθον εὐγενέος ῥήνου κριθέντα ῥεέθροις,
Nobilis ut Rheni exploratus spurius amnis.

Sic & Claudianus contra Ruffinum laudat Stilliconis exercitum, quòd Gallos habuerit Rhenò probatos.

Inde truces flauo comitantur uertice Galli,
Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.
Mens eadem cunctis animiq; recentia ponunt
Vulnera, non odit uictus, uictorq; superbit.

Putauit autem Germanos Celtas qui iuxta Rhenum consederunt. Mos Celtarum erat pueros, postquàm nati erant, galea tectos Rheno immergere, & si scutum fluitet, ut genuinam sobolem educare: si uerò à capite decideret, ut adulterinam, nec ullis dignam honoribus exponere. Ostendit hoc Græcum epigramma istiusmodi: *Celtæ Rheno pueros explorant.*

Θαρσάλεοι κελτοὶ ποταμῷ ζηλήμονι ῥήνῳ
Τέκνα ταλαντεύουσι, καὶ οὐ πρὸς εἰσὶ τοκῆες,
Πρὶν παῖν ἀθρήσωσι λελουμένον ὕδατι σεμνῷ
Αἶψα καὶ ἥνικα μήτρος ὀλισθήσας διὰ κόλπων
Νηπίαχος πρῶτον προχέῃ. δάκρυον μὲν ἀείρας
Αὔτος ἐπ' ἀσπίδι θῆκε νέον περὶ γένε ἀθρήσων
Κεκειμένον λουτροῖσιν ἔλεγχι γάμου ποταμοῖο.
Ἡ δὲ μετ' εἰλείθυιαν ἐπ' ἄλγεσι κ' ἄλγος ἔχουσα
Μήτηρ. εἰ καὶ παιδὸς ἀληθέα οἶδε τοκῆα
Ἐκδέχεται τρομέουσα τί μήσεται ἄστατον ὕδωρ.

Quos uersus ita transtulit Pius Bononiensis in suis Annotationibus posterioribus, capite uigesimo tertio:

Audaces rapido Celtæ noua pignora Rheno
Explorant, non hæc genitrix prius ubere largo
Alma fouet, uitreas fluuij quin uenit ad undas.
Lympha nouum caput alta tegit, quod remigis instar
Umbo tegit, fluuijsq; effulsit corpus alumni:
Et fœtum sic unda probat, lectumq; iugalem
Damnat adulterij, fœde sic decolor igne
Post dubios genitrix casus memor ilithiæ
Accipiens filium gelidis in fluctibus ortum
Anxia despiciens cui mobilis autumat unda.

De situ Belgarum, & an Belgæ sint Germani. *Cap.* 18.

PTolemæus lib. β. ita Belgicam descripsit: Τῆς δὲ Βελγικῆς ἡ μὲν ἀπὸ δύσεως πλευ-
Belgarũ de- ρά, καὶ παρὰ τὴν λουγδουνησίαν εἴρηται, ἡ δὲ ἀρκτικὴ καὶ παρὰ τὸν βρεττανικὸν ὠκεανόν,
scriptio. οὕτως ἔχει μετὰ σηκοάνα ποταμοῦ. id est: Belgicæ Galliæ situs est, hęc enim à plaga oc-
Galliæ diui- cidentali usque ad Lugdunesiam describitur, à Septentrione usque ad mare Bri
sio. tannicum & Sequanam fluuium. Galliam autem Ammianus Marcellinus libro decimoquinto, & similiter Cæsar in Commentarijs in Belgicam, Celticam & Aquitaniam diuiserunt: & Belgicam quidem Transrhenanas ciuitates dixerunt: & à Scaldi usque ad mare, alij Belgas dixerunt: alij Rheno, Oceano, Matrona, & Sequano perscripserunt, ut Marlianus. Horum populi Atrebates, Morini fuerunt & Bellouaces, Caletes, Velocasses, Virimandui, Catuati, Condrusi, Eburones, Ceresij, Menapij. Est & duplex Belgica Gallica, superior & inferior.
Belgæ unde. Prima habet Mediomatrices, Treuiros: secunda Ambianos, & dicitur à Belga ciuitate Belgica. Hi apud antiquos Galli dicebantur: multi enim Scriptores Belgas Gallos nominant. Spiram Galliæ urbem libro septimo, capite decimo sexto Otto Frisingeñ. uocat, & in alio libro Confluentiam Galliæ urbem. Plinius à Scaldi usque ad Rhenum Gallos ait, libro quarto Natur. histor. cap. decimoseptimo: ut Menapios, Bellouacos, Ambianos, Atrebates, Neruios, Ve-
ᵱ Alij Tun- romãdos, ᵱ Tungaros, Leucos, Treuiros, Verunos, Suesiones, Vlmanetes. Cæ
gros. sar Heduos, Auernos, Bituriges, Sequanas, Carnutes, Bellouacos, Burones, Heluetios, Ambianos, Mediomatrices, Neruios, Morinos, Aulericos, Cenomannos, Atrebates, Bellocasses, Eburones, Rauracos, Boios, Vuellos, & alios quos Germania complectitur, Gallos uocat. Item Strabo Belgas libro quar
Argentina. to Gallos esse ad ulteriorem Rheni ait ripam sitos, & Argentoracum Gallię oppidum Marcellinus, Platina, Sextus Aurelius enarrator uitæ Iustiniani, Sigibertus Geblacensis, Eutropius libro undecimo & libro decimo, Orosius, Hieronymus in supplementis Eusebij, & omnes qui quasi Iuliani & Gratiani uitas scripserunt. Sic & Ligurinus, qui tamen recentissimus fuit, Rhenum iuxta Vuormaciam Gallos & Germanos separare dixit, illo carmine, ductus forsitan dicto Marcellini libro decimoquinto:

Vuormaciamq; petit, medio ubi gurgite Rhenus
Gallica Germanis separauit rura colonis.

Possum & doctissimos quosq; pedibus in eandem sententiam adducere, uerùm qui modò mihi & Germanis defui, iam palinodiam recantando, leuem, & uenia indignam Scriptorum ignorantiam, & iniuriam reuelabo, Belgas iustissimè Germanos dici: non subscribendo iam Straboni, Plinio, & cæteris, qui Ger-
Belgæ Ger- maniam ad Rhenum usq; metiti sunt. Constat enim Belgas à Germanis ortos,
mani. Sabellico, Strabone, Marliano, & Cæsare quoq; authoribus: illud & singillatim de pluribus Belgarum populis antiquorum authoritate roborare possum. Stra-
Tribocchi. bo enim Tribocchos Germanos scribit, traiecto Rheno huc consedisse. Sed ut uanitatem & mutuam Scriptorum calumniã ostendero, Cæsar qui modò Eburones Gallos dixit, Marlianus nomine et numero Germanos probat. Nemetes, Tribocchos, Argentoracos, Eutropius, Hieronymus, & alij, Gallos. Ecce lib. 6. Eutropius Germanos Tribocchos nuncupauit (affectata ignorantia) dum nescit Argentoracos dici Tribocchos. Rauracos Cęsar Gallos: Eutropius lib. 6. & Plinius lib. 4. cap. 17. Germanos, Velomandes, Menapios, Bellouacos, Ambianos, Tungros, Suesiones Plinius ibidem Gallos: Eutropius ibidem Germanos, uno nomine dici ait. Mediomatrices Plinius & Cæsar Gallos, alij Germanos: Frisiam Gallos Plinius in præallegato loco, alij Germanos: Vbios Platina Gallos, Plinius, Ptolemæus, Corn. lib. 12. Germanos esse elicit. Et ut rem tandem

dem componam, tædet authorum dissensionibus inseruire. Cor. Tacitus libro de Germanis Gallorum uix semel meminit, Vbi Treuerorum, Neruiorum, Boiorum, Heluetiorum. Inde de Thenteris, Frisijs, Variscis mentionem facit, ut de Germanis, quorum tamen aliqui Belgæ sunt, & à Scriptoribus prædictis Galliæ populi dicuntur. Idem Cornelius in hunc modum loquitur: Ripam Rheni haud dubiè Germanorum populi colunt, Vangiones, Tribocchi, Nemetes. Et Ptolemæus libro secundo cap. octauo. Inferioris Germaniæ ciuitates Vbios Agrippinenses: Germaniæ uerò Superioris Argentoracum Vangionum, Rauricum, Argentuariam. Inde Longobardos, Frisios scripsit Germanos: item Turegum, & alios ibidem capite decimo ponit Germanos populos seu ciuitates. Ex quibus manifestissimè patet, Celtarum & Belgarum bonam partem hodie Germaniæ populos esse, nemo repugnat: habent enim nec lingua nec moribus discrimen. Aeneas Syluius in Europa, Germaniam usque Friburgum ciuitatem Ottlandiæ se extendere, ibi enim gentem & linguam Germanorum fece decoqui ait: Ergo contra Cæsarem Heluetij Germani sunt. Vellem Cæsarem, Plinium & alios ab inferis emersuros, noui Germaniam non ita angustissimo limite diffinirent: concessissem eis ueniam, nisi non multo posterior Cornelius Tacitus æquo iure Germaniam comprehendisset. Maiorē seditionem excitabo. Strabo lib. 4. Neruios (quos Marlianus in regno Francorum destinauit) Germaniæ nationis homines scribit. Iulius Capitolinus in uita Antonini Pij, ab Illyrico usq; ad Galliā Germanos asserit. Eutropius lib. 6, Aduatigos, Tamatos, Germanos dicit. Accedat Plinius qui lib. 4. cap. 15. Burgundiones, Varinos, Charinos Germanos dixit. Dij boni, cur ergo ulteriora tangit: citeriorū obliuiscitur? Accedat Cęsar, qui Cōdrusos, Eburones, Cereseos Germanos dixit. De illo Cūradus Peutinger copiosè, lōgè lateq; disseruit, tandē Transrhenanas ciuitates nō Belgarū, non Gallorū, uerū Germanię iuri subdere uult.

Quidā Germani licet remoti.

Quomodo Belgarum ciuitates in nomen Germanicum abiuerint, & Imperio adiectæ fuerint. Cap. 19.

BElgas tamen (antequam Germaniæ nomen se ditauerat) antiquitus fuisse Gallos, nemini ambiguum est: uerùm ob egregia Germanorum facta & integram uirtutem, Imperio eorum cesserunt, cùm Gallorum res fece decoxerat. Tempore enim tralationis Imperij in Græcos, in Longobardos, in Francos, Gallis res Germaniæ præstabant. Carolus enim Magnus, & ante ipsum Pipinus, & eorum omnium origo Clodoueus, Bauaros, Saxones, & totam Germaniam Imperio potiti adiecerunt, ut Ritius in lib. de Regibus Franciæ, & Platina in uita Gregorij Quinti, & alij quàm plures scripserunt. Defuncto Carolo Imperium hæredibus distributum est, ut ait Otto Frisingēsis, libro quinto, capite ultimo, & libro sexto, capite octauo. Lothario Belgica Gallia & Lotharingia euenit: Carolo Britannia usq; ad Mosam: Ludouico Germania usque ad Rhenum. Mortuo Ludouico, Carolus Germaniæ dominus uicit Turingos, Saxones, Alemannos, cui successit Arnolphus Teutonorum rex, ut Otto lib. 6. cap. 11. probat. Sunt probati authores, qui Argentoracum tempore Ludouici regis Franciæ castrati uolunt à regno Franciæ deuenisse. Hunc enim beatæ Mariæ uirgini ciuitatem dedisse, quod ego coniecturæ uestræ offero. Agrippinam, Moguntiam de Francorum Imperio illo tempore decessisse uolunt, & reliquam Germaniam, decertantibus Franciæ regibus Carolo & Ludouico, Carolo nomē & res Francorū administrabātur: Ludouico uerò Germania, ut Platina in uita Sergij II. Papę scribit, et Rhegino: Ita Germania in pristinā dignitatē redacta, ex inertia Francorū regū. Per Imperatorē Ottonē quoq; Henrici filiū

Quomodo Germania subiugabatur.

Diuisio regni Caroli Magni.

Belgæ factæ Germani. Belgæ Germaniæ subiugæ, eorumque Imperio adiectæ sunt, & Germani factæ, Anno 982. ut non uulgaris Chronographia testatur, Plura de his legere uolens, Peutingerum requirat: hic enim Vopisci, Blondi Flauij libro secundo, Sabellici libro nono Enn, septimę, & partim libro primo Enn. octauę authorib. splendidissima quæque adducit. Eo autem factum est, ut non tantùm prædictæ ciuitates, uerùm & amplissimæ Germanorum Imperio subditæ sint, sicuti Treueris, cuius (dempto Cornelio) Scriptorum nullus tantum Germanorum facta mentione meminit, nec Ptolemæus, qui tamen plura Germaniæ adiecit. Ea tamen illa tempestate numero, & moribus, ac simul lingua nobis addicta est: quia (ut Cæsar ait) propter Germaniæ uicinitatem quotidianis exercitata bellis, cultu et feritate à Germanis non differebat. Rudolphus Agricola Burgundiæ ibi regis gesta describens, ita loquitur: Treueris rerum gestarum magnitudine, & uetustate urbis præclara Gallica gens, nunc Germanica. Quę uerba carmini aptauit Cunradus Celtes, de Treueri & Meti loquens, olim Belgis, nunc Germanis, libro tertio Odarum, in hunc modum, de regibus Franciæ: Treueri Germani.

Ad Mosam imperium statuentes,
Qua Metis & Treueris nunc surgunt
Mœnibus altis, imperiumq́ ferunt.
Nunc nostrum, moribus & lingua
Nobiscum conuenientes, despiciunt
Vagos modò Gallos.

Ammianus Marcellinus quoque Germaniæ urbem Treuerim dixit. Et hæc de Gallis nunc Germanis satis duximus adducenda.

An Norici sint Germani. *Cap.* 20.

IDem argumentum de Vindelicia & Norico, ut de Belgis. Noricos à Septentrione Germaniam habere scribit Orosius lib. primo, cap. uigesimosexto: ex quo habemus à Germanis diuisos. Ptolemæus libro secundo meminit Noricorum, cap. 13 & cap. 5. ut populorum à Germania alienorum. Habent autem Norici (ut Paulus Diaconus scribit) ab Oriente Pannoniam, ab Occidente Sueuiā, à Meridie Italiam, ab Aquilone Danubiū, ut lib. 3. cap. 29. idem Diaconus scribit: non tamen eorum ut Germanorum meminit, nec à Germanis diuisit. In eandē Ptolemæi sententiam Plinius & Strabo pedibus ire uidentur. ad quod tamen ita respondeo: Noricos Strabo iuxta Aquilegiam fuisse dicere uidetur, idem & Plinius & Strabo non longè ab Adriatico. Ex quo habemus, Noricam regionē olim nō fuisse ubi nunc sita est: ultra enim Danubium porrigebatur, ubi adhuc uestigium nominis est (Norkey:) nūc uerò, & reuera populi sunt intra Lycum & Aenum usque ad Cecium montem porrecti. Habent enim à Septentrione Danubium, ab Ortu montē Cecium, Pannoniam superiorem à Norico discernentem. hodie Bauaria dicitur. Zacharias Lilius etiam Austriā esse dicit. Quod autem sint Germani ex Ptolemæo probo, qui Noricas ciuitates esse ait, Aredatā, Votarium, Villacum, Virunium, Iudenburg: quæ hodie Germanię ascribuntur ciuitates. Plinius Aguntum, Virunium, Claudiam, Soluensem libro tertio, cap. 24. Noricorum ciuitates tradit. Aeneas Syluius Noricorum ciuitatem (nos Nurenberg) in parochio Babenbergensi sitam esse ait. Nurnberga umbilicus Germanię, Celte, Aenea Syluio authoribus: & Noricorum ciuitas, ab eisdem appellata est, & adhuc dubitatur hi an Germani sint? Strabo libro septimo Alpes tenere ait Noricos, & Alpes cōtra Drusum, ut ait Plinius, animos dedisse. Ex quo colligitur, non sitos fuisse ubi hodie sunt. Hos et Carnos & Tauriscos dictos Plinius in loco præallegato ait. Carni autem & Taurisci Germani sunt, Eutropio,

Norici qui. Norici Bauari. Norici Germani. Noricorū ciuitates. Carni. Taurisci.

Aelio

Aelio Spartiano, Plinio, Strabone, Celte authoribus. Vide Latius in dictione Taurisci. concordat & Srabo. Dionysius Græcus author de ipsis ita scribit, interprete Prisciano:

Huius ad Australes terras Gerræq; feroces
Noricijq; colunt bellaces.

Et Virgilius libro tertio Georgicôn:

Et sciat aerias Alpes, & Norica si quis
Castella in tumulos.

Multa Marlianus, Tacitus & Celtes in Germania de ipsis scripserũt. Agrum eorum fructuosum, fundum uerò subductum Alpibus admodum lætum, Solinus in Collectaneis cap. 30. perhibet. Appianus Noricios uocat, quod & poetæ propter carmen. Mantuanus: — *Noricus ager.*

Quod imminet agris
Noricus Austrinis socialibus affuit armis.

Verùm ut demum rem finiam, libuit uerba uera ac Græca Claudij Ptolemæi adducere, quæ sunt huiusmodi: Τὸ νωρικὸν περιορίζεται ἀπὸ μὲν δύσεως αἴνῳ ποταμῷ, ἀπὸ δὲ ἄρκτων μέρει τοῦ δανουβίου, τῷ ἀπὸ αἴνου μέχρι τοῦ κετίου ὄρους. ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν αὐτῷ τῷ κετίῳ ὄρει. ἀπὸ δὲ μεσημβρείας τῷ δὲ ὑπὸ τὸ εἰρημένον ὄρος μέρει παννονίας τῆς ἄνω. quod ferme id sonat: Noricorũ ager ab Occidente Aeno, à Septentrione parte Danubij (quę pars est ab Aeno usque ad Cecium montem) ab Oriente uerò Cecio monte: à Meridie, qua sub prædicto monte est, Pannonia superiori terminatur. hæc Ptolemæus. Meminit Noricorum Dionysius author Grẹcus, in libro qui περιήγησις inscribitur, ubi ita infit: — *Noricorũ descriptio.*

Ἴστρου μὲν τοισοίδε βορειότεροι γεγάασι,
Πρὸς δὲ νότον γέῤῥαι τε καὶ νωρικὶ ἀστεργυμνὰ
Παννόνιοι μυσοί τε βορειότεροι θρηίκων.

Huius ad Australes partes Gerræq; feroces,
Noricijq; colunt bellaces, Pannonijq;,
Et Mysi Thracum boreæis finibus orti.

Habent Norici nostra tempestate hominẽ utriusq; linguæ Bilibaldum Pirckheymerum peritissimum, cuius ductu Xenophon, Luciani dialogi, atq; Plutarchus, quæ prius Græcè, nunc Latinè loquuntur. Cæterùm qui plura de Noricis legere cupit, Cunradum Celtem & Raphaelem Volaterranum, in Vrbanis commentarijs uideat. — *Pirckheymer.*

Insignis fabula à Suida Græco de Noricis Scripta. Cap. 21.

CVm nuper Suidam Græcorum autorem haud uulgarem in manibus haberem, atq; ad literam B deuenissem, reperi, quædam de Noricis (quos aliqui Bauaros uocant) quadam affectata ignominia ab eo tactis. Ceperat me magna admiratio, quod auctor ille tam exigua de Germanis scripserit, & eo loco quędam non Italis tantùm, uerùm & Græcis incognita tradiderit: & dum à nullo locus is adhuc adductus est, ego nõ ad nobilissimorum Bauarorum fraudem, uerùm tantùm ob prius inauditam in istiusmodi autore notam eius uerba relaturus sum: ut nõ minus fellis quàm mellis habuisse Suidam liqueat, si id consultò ab ipso elaboratum est. Verba eius sunt in dictione Βερόνιον illa: Νωρικοὶ γὰρ ἔθνος ἔνθα σῦς, χρῆμα θεόπεμπτον, τὴν χώραν ἐλυμαίνετο, καὶ αὐτῷ πάντες οἱ χειροῦντες οὐδὲν ἤνυον, μέχρι τις ἀνὴρ τὸν σῦν περιτρέψας ἐπὶ τοὺς ὤμους ἀνέθετο. οἷόν τι ἐπὶ τοῦ καλυδῶνος μυθεύεται. οἱ δὲ νωρικοὶ ἐπεβόησαν, εἷς ἀνήρ, τῇ ἰδίᾳ φωνῇ, τουτέστι βερόνος. ὅθεν ἡ πόλις βερόνιον ἐκλήθη. Quæ uerba transtuli: Norici gens est, ubi sus, pœna à deo missa, regionẽ eo-

rum

rum deuastabat, & in plano campo Norici omnes tentantes eam expellere, nihil profecerunt: donec unus quidam uir porcũ humeris sublatum detulit: ut de Apro Calydonio fabulis est proditũ. Et quoniã Norici ipsum Virũ unũ ꝓpria eorũ uoce dixerunt, ciuitas ita Viruniũ nominata est. hæc ille. Nec dissonaret, si Virunium à porco illo dictum assereremus. Βὴρ enim Grecis est quod nos Bern uocamus. Consueuere autem Germanorum quidam porcum Bern appellare.

Illyricum Germanici iuris esse. *Cap.* 22.

Illyrici diuisio. QVoniam nunc de Noricis nobis fuerat oratio, memini & Noricos olim Illyrios dictos, uolui alia plura in Illyrico Germanici iuris esse ostendere. Duplex erat Illyricus: una pars Achaiam, Macedoniam, & plura in Græcia continebat: Septentrionalis uerò duas Pannonias, Valeriam, Seruiam, Mæsiam, Dalmatiam, & Noricos retinebat, auctore Sexto Ruffo, in libro quem ad Valentinianũ scripsit, cap. undecimo. Est & huius opiniõis Strabo lib. septimo Ptolemęus & alij. De Noricis autem dictum est, & de Pannonia paulò pòst dicetur. Valeriam autem Germanis ascriptam quis ignorat? Ea est regio, quæ nunc Stiria dicitur, Teutonicè Steurmarck, ad Bauariam sita, sub ducibus Austriæ: quorum mores & lingua Germanis conueniant, ut Aeneas, Celtes, Sabellicus uolumine 3. Nonarij decimi testantur. Tyrolensiũ quoq; Comitatus Germanico nomine ac iure gaudet, ut per se manifestum est. Cocleus eum Rhætis ascribit, quod non displicet. Rhætos autem Germanos paulò pòst faciemus.

Valeria Germanis ascribitur.

Tyrol.

An Vindelici fuerint Germani, & qui sint. *Cap.* 23.

Vindelici olim in alijs locis. VIndelica Regio olim à Germanis disiuncta fuerat, uerũ nostro iudicio ulteriora quàm nũc tenebat. Strabo enim lib. 4. montana uniuersa in Vindelicis esse aiebat, & in Austrum & in Orientem uergentia: & Heluetijs & Boijs confines esse Vindelicos. hæc Strabo. Ex cuius uerbis olim alam quã nunc est, Vindeliciã scire possumus: idem lib. 7. Strabo ad Harcyniam sitam scripserat, requiras ubi sita fuerit. Claudius aũt Ptolemæus nostro æuo conuenientiora scripsit, ubi Licum Rhætiã à Vindelicis separare ait. Voluerunt aliqui Lyco ac Danubio Vindelicos concludere, atque Aeno: uerùm hi falluntur, ratione Ptolemæi, qui Lantzhutam, Ratisponam, Vindelicas urbes prodidit: aliqui olim & alpes inhabitasse uolunt: Strabo lib. 4. nõ longè à lacubus: reliqui uerò, ut Ptol. Lyco adiecerunt: quorum opinioni nihil detraximus. Græcè οὐινδελικοί dicti, ut plerisq; sententia est à Vinda fluuio ac Lyco. Meminit illorum Plin. lib. 3. cap. 19. Orosius lib. 1. cap. uigesimosexto. Drusus Vindelicos Imperio Romano adiecit Suetonio ac Strabone lib. quarto, referẽtibus: idq; Ostendit præter Ruffum ac Aurelium Sextum, Eutropium, ac Eusebium, Horatius lib. 4. Odarũ, Oda 4.

Vnde dicti Vindelici

Augustus cõtra Vindelicos.

Videre Rhæti bella sub Alpibus
Drusum gerentem, Vindelici, quibus
Mos est deductus per omne
Tempus, Amazonia securi.

Idem Horatius uolumine quarto, Oda decimaquarta de Druso:

Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nuper.

Vindelici Germani. Olim Vindelicos à Plinio, Strabone, Ptolemæo, ac cæteris separatos fuisse, in ore palàm omnibus est: tempus tamen, rerum omnium uariatio, Germanorum iuri eos astrinxit, ut ciuitates Vindelicorum testantur omnes. Augustam Vindelicam ab Antonino, & cæteris dictam, nunc Augspurg dicimus omnibus

bus numeris Germanis parem.

An Rhætia in Germanicum nomen abiuerit, & qui fuerint Rhæti. Cap. 24.

Vbi olim Rhætia.

RHætiam olim montib. alpinis inclusam Plin. libro 3. cap. 19. scripsit. Strabo uerò in radicib. Alpiũ uolumine 4. posuit Rhætos. Orosius in 1. cap. 26. Rhætiæ descriptionẽ tali regula depinxit: Orientẽ (inquit) Mœsia, Meridiem Histria continet, Occiduũ latus Gallia Belgica, Septẽtrionale uerò Germania attingit. Zach. Lilius Ptolemæum imitatus, Adulam montẽ ab ortu, Lycum, à Sepẽttrione Danubiũ ostendere Rhætiã, & Lycũ in ea parte Rhętos à Vindelicis discernere: à Medie uerò alpes, Claudian. in Stillicone Rhætos hisce finib interclusit:

Sed latus Hesperiæ qua Rhætia iungitur oræ,
Præruptis ferit astra iugis panditq; tremendam
Vix æstate uiam, Sublimis in arcton
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia sylua.

Qui sint Rhæti, & quòd Germani.

Positis tot descriptionibus qui demum Rhęti dicti sint à Scriptoribus, uideamus. Ptolemæus Taxagetum (nos Rotuil) Brigantium (nos Pregantz) Drusomagum (nos Kempten) urbes Rhætię dicit: ex cuius uerbis Sueuiæ illius partem esse Rhætiam uidemus: alij inter Danubium, Lycum ac Rhenũ describunt esse Rhætos. Vnde adductus est Nauclerus, & ante hunc Anshelmus, ac Zacharias Lilius, ut Sueuos esse diceret Rhætos. Lilius & Austrios probat. Demũ omissis tot ambagibus ad rem redeo. Ex Claudiani, Strabonis, Plinij, ac Lilij sententia, iuxta Rheni ortum Rhæti consedere, unde olim Turicen, ac Cotias Alpes usque ad Lycum ac Rhenum, omne Rhęticum appellatum uideo, etiam lacum adiacentia loca. Olim à Romanis contra Noricos impulsi ad Danubium usque processerunt, ubi & nunc sunt: ruptis inde limitibus, ueteres sedes repetiuerunt, & uestigium de ipsis reliquerunt: unde adhuc illic (die Rætzen) dicuntur. Inde ultra Danubium Norkei dictum concesserunt. Ostendit illud doctissimus auctor, cuius illa uerba fuerunt, Lacus Brigantiæ, quem Murigaugiam accola Rhætus appellat. Ecce iuxta lacum Rhætos. Nec me latet tanta latitudine sese Rhætiam dilatare, ut & regionem Tyrolensem, ac alpes illas in sui nomen contraxerit, quæ res Catoni persuasit, Italorum, non Germanorum coloniam esse Rhætiam. Cęcutit bonus ille Cato in eo libro non triuialiter, si eius libri qui uenditur nomine suo, auctor existit. Verùm ego potius Sabellico auscultare in animo habeo, qui fictiones, cæterùm nil librum Catonis illum pręferre dixit. Cuius auctoritate animatus, iniuriarum expostulare Catonem non desino, donec Rhætiam Germanis, ut propriam, rursus uendicauero. Ecce quid Apianus Historicus: ubi Comum & Verona est Rhętos posuit: & in agro Veronensi uinum Rhæticum dixerunt Plinius, Strabo, Martias, & alij qui meminerunt uini Rhætici. Suetonius Tranquillus Rhæticum Italiæ ascripsit. Plinius & maiori nos ulcere offendit, ne nomen saltem Rhæticum nobis concederet, libro tertio capite decimonono Tuscorum prolem fecit Rhætos, & à Gallis dictos, nomine regis eorum Rhæti. Cato non Tuscorum, sed Lydorum regem fuisse Rhætum dixit. Oh, in fronte non conueniunt inter se. Lilius ac Nauclerus Plinium secuti sunt: Similiter Aeneas Syluius, Iustinus libro uigesimo uerùm tantum regem nominando Lydorum ac Tuscorum, continuerunt. Sanior sententia Marliano (cæterùm non classico Scriptori) debetur, qui à monte Rhæto, Rhætos appellauit. Quod si huic calculum addemus, nullus eorum sententiam confringet: conuincentur, qui origine Rhætos dixerunt Germanos, & à monte illo Germanico dictos, Cæterùm per diphthongon

scripsimus,

scripsimus, quoniam Ptolemæus ἠ ῥαιτία dixit, Strabo quoque ac Dionysius. Orosius lib.6.cap.20 firmissimas maximasq; regiones eorũ uocauit. Cornelius Tacitus in lib. Historiarũ de Cecinna agens, omnẽ belli experientiam ac consuetudinẽ Rhętis addixit. Cęterùm Cato trigintaquatuor ciuitates Rhętorũ dixit.

An Istria Germaniæ Colonia sit. *Cap. 25.*

ISTriam idem Cato quibus potuit uiribus, Italiæ adijcere conabatur: haud tamen ita totum ius illis feret, quin aliquam duntaxat Germanis patrem admittet. Quòd Italiæ asserit ac destinauit Histriam, non insector, præsertim dum uiderim id Plinio libro tertio, capite decimonono, Zachariæ Lilio, Orosio libro 1 cap.25. conuenire: nec unquã consueui præter ius piumq; alienæ terræ furto insidiari, aut q̃d aliorũ est Germanis aucupari: uerùm ut tantùm Germanis (quos cursu habiturus sum successores) ansam pariturus uidear, quæ nobis ad rei istiusmodi rationem uidebantur condonari posse, pro captu nostro semper Germanis obuiam ferre laboraui, & ut Germanica saltem origine gaudeat Istria. Cato ille Istriam ab Istro duce, à Iano misso, dixit. Oh, quanta assequendi uoti sui dolus intentus à Catone Germanis est, ut huncq; Istrum ducem Italum faceret, à Iano Italo missum nugatur. Verùm tu Cato unum, quem uel collo ad tui sententiam subtractum, dic autorem, quem habes riualem. uideo neminem. Obtinuit illa sententia ore omnium. Ab Istro fluuio Istriam nomen sortitam eo tempore, dum Argonautæ ex Istro fluuio in Istriam delati sunt per Adriaticum mare: id Catoni uisum est remotissimum. Nescio (inquit Cato) humeris iuga montium nauigauerint, an'ne Græci aquas. O Cato, hactenus quicquid laudis homini desumi potest, cumulo tuo adiecimus, usque te hebetum agnoui hebetissimum, si libri illius autor es. Nonne Plin. libro tertio, Argonauim huc dilatã asserit? nonne Strabo libro primo ac 5 sine dissimulatione nominis Argonautarum, extat adhuc (ut Strabo ait) uestigium apud Adriaicos. Præter Orphei igitur, Apollonij, ac cæterorum auctoritatem, satis nobis saltem Valer. Flaccus libro octauo faciat, apud quem quidam Argonauta socios ita consolatur:

Argonautæ in Adriaticũ ab Istro.

Mutandum ô socij nobis iter, altera Ponti
Eluctanda uia est, Scythici ruit exitus Istri:
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus, septem exit aquis semptem hostia pandit.
Illius aduersi nunc ora petamus & undas,
Quæ latus in læuum ponti cadit, inde sequemur
Ipsius annis iter, donec nos flumine certo
Proferat in aliud mare.

Peruiũ esse ab Istro in Adriaticũ.

Summa ratio (qua se tutatus est Cato) illa erat, nil peruij scilicet esse ab Istro in Adriaticum. Dij boni, quantæ docti uiri nugæ. Pompon. Mela è plaustro, uerum & palàm Istri ramum in Adriaticum mergi ostendit, secutus (nostra sententia) Strabonem. Ecce Zacharias Lilius ex Istro Sauum, inde in Nauportum aditum esse scribit: & facillimè postea in Adriaticum. Deuictis igitur, & expugnatis oppositis rationibus, Istriam à fluuij Germanorum nomine conscriptam, præter Aeneæ Syluij auctoritatem, uerbis Iustini ac Trogi Historiographorum illis adducam, ex trecesimo secundo uolumine, ubi Iustinus à Colchis (non à rege Tuscorum) originem Istriam ducere asserit. Hi enim (inquit) à rege Aeeta ad Argonautas persequendos, filiæ suæ raptores, missi, mox à ponto intrauerunt Istrum, alueo Saui inuecti, & ex uocabulo amnis Istri, quo à mari concesserunt, insulam

insulam dixerunt.hæc ille. Quæ uerba adeò plana, nuda,adeò absoluta sunt, ut sine omni lenocinio ac distractione, ea quæ nobis ad rem faciunt, per se ualeant.Ita tandem Istriam à Germanis nomen habere uolumus. Stridon etiam oppidum Istrię est, diui Hieronymi patria,uoluit tamen,imò argumentis robustissimis Hieronymum Germanum fuisse conuicit Vimphelingius.

Occasio data Germanis,multa eorum iuris esse,quæ alijs asseruntur. Cap. 26.

VErùm ut facilior ac expeditior transitus successoribus nostris pateat, cætera quæ nostro muneri suscepto conuenire uidimus, relinquere uoluimus posteris. Iulius Capitolinus in uita Antonini Pij, ab Illyrico multas gentes asserit, quas nostri iam Germanos dicunt. Strabo etiam non longè ab Adriatico Germanos esse his uerbis innuit,libro septimo.Ister (inquit)ab extremis Germaniæ partibus prope Adriaticum oritur. Bis refellendus est Strabo. Dum enim litem lite resoluit, in duos non concedendos errores, sese imprudens implicuit: tum quia in extremis Germaniæ partibus Istrum scaturire uoluit, qui penes Rhætos oritur: quos tamen Strabo Germanos dixisset: si non Germanos,cur apud illos oriri Istrum uoluit? Vltra autem Istri & Rheni fontes Heluetij sunt, tunc Germani.Id etiam puerum elementarium non fugit, quanto spacio fontes Istri ab Adriatico distent. Idem Strabo libro eodem usque ad Mæotidem Germanos deducit. Plinius Bastarnas, Hermiones, Peucinos afferit Germanos: ergo Sarmatiæ magna pars Germania est. Rhegino Pruniensis totum penè Septentrionem nomine nostro interclusit. Vuarnefridus, Vrspergensis ac Beda à mari Septentrionali, ultra insulas etiam mari interiacentes, Germanorum appellationi destinauerunt.uerba Rheginonis Pruniensis sunt: Postquam Gotthorum ac aliorum memoriam exegit, non immeritò, inquit, uniuersa illa regio Tanai tenus usque ad Oceanum,licet & proprijs singulæ nominibus uocentur, generali tamen uocabulo Germania uocatur, dum tantos mortalium prouentus genuerit. Quibus uerbis curioso indagatori nihil accommodatius obuium fieri potest, quàm omnem illum Europæ Septentrionem,ad condendam propagandamq; Germaniam habere ministrum ac adiutorem: facilè autem id ex eo innotescet. Dionysius enim ac alij Tanaim Europæ finem imponebant.Tanaim usq; autem Germaniam dilatatam esse,pręmissa oratio sonuit.Erit etiam Operi huic cōducibile ac proximum , quod Syluius Aeneas in hæc uerba euadens testabatur,ad Martinū Maier:Fuit olim (inquit) Germania Oceano,Danubio, Rheno, ac Albi contenta , nunc in quantum dilatata sit,non ignoro.Quid enim in Gallia,Rhætia, Vindelicia, Scythia, Sarmatia,Pannonia nacti fueritis? hæc ille. Habes itaq; lector curiose, locupletiorem ansam inuestigandi Germaniam,ulteriora etiam condonandi,quàm nos ab antecessoribus nostris aucupari potuimus.Tu igitur ille es,qui ea quæ postposuimus excipias , ac qui lampada tibi nunc peracto nostro cursu, relictam existimas.Hos itaq; qui è Scandia uenerunt Germani,Sidonius Apollinaris penè illis uersiculis comprehendit,lib.20.

Strabonis locus.

Occasio ampliandæ Germaniæ.

Bellonothus,Neurus,Hunnus,Geta,Dacus,Alanus,
Bisulta,Ostrogotthus,Procustes,Vesus,Alites.

Claudianus contra Ruffinum quatuor aut quinq; columnis Gotthorum populos nuncupauit. Iulius Capitolinus, in uita Antonini pij. Flauius Vopiscus ac Trebelius Pollio in Claudio,Paulus Diaconus supra Eutropium,& alij, gentes illas prosa nominauerunt.Hieronymus postremò,cuius & paulopòst uerba libro quinto adducemus,Barbarorum illorum meminit.

An Pannones Germanis ascribantur, an'ne nondum? Cap. 27.

Duplex Pannonia.

PAnnoniam duplicem ueteres dixerunt, Superiorem, ac Inferiorem: illam Austriam, hanc Hungariam nominauerunt. Sex. Aurelius, Festus Ruffus in lib. ad Valentinianum, Ammianus Marcellinus, primam ac secundam Pannoniam nominauerunt. De secunda ac inferiori Pannonia prius diximus: primam uerò omni pacto Germanicam esse cœlo manifestius est, Aenea Syluio, Zacharia & Sabellico lib. 3. Enn. decimæ referentibus. Quare id nullo argumento eget, dum sensibus nostris subiectum sit. Pannoniam lætam regionem Solinus ait, ac Florus lib. 3. Olim à Germanis distincta, ut Ptolemæo uidetur, à Lentulo proconsule debellata, ab Augusto in prouinciã redacta, Traiano etiã ac Domitiano detracta, iterum inde per Antoninos recuperata: cuius rei Festus Ruffus, Suetonius ac Martial. meminerũt. Pannoniam primam inhabitauerunt Germani, quos Galli Senones ex Illyrico traijcientes propulsarunt, ac eorum sedes sibi desumpserunt: ut Iustinus ac Trogus lib. 24 memoriæ tradiderunt. Post Gallorum secessum Cimbri ac Teutones sedes eorum intenderunt, ut ex 7. Strabonis lib. habemus. Deuictis in Italia Cimbris, iterum Germani locum habuerunt pristinum: Gotthi inde eam inhabitauerunt: postea Constantinus Cæsar Vandalis Pannoniam (Sabellico probante) concesit: iterum Gotthi eam occupauerunt, quos eiecerunt Hunni populi, Atila deuicto. Ostrogotthi Hunnos pepulerunt, & inde cum Theodorico rege in Italiam uenerunt, post quos (ut Procopius lib. 7. ait) Alemanni in eorum ditionem redegerunt Pannoniam, quos secuti sunt Vandali, qui duce Albuino eam possederunt: nec plus 50 annis Pannonia potiti, in Italiam profecti ac euocati sunt à Narsete, Gotthis iterum exulibus reliquerunt sedes, eo tamen pacto, si ad uota Longobardis res non succederent, iterum locum illis donarent. Venerunt inde Auares, post quos Hungari, noua gens. Gotthos tamen in Pannoniæ superioris incolas abijsse uolunt omnes. Græci Pannones παίονες uocant, ac Pannoniam παιονίαν. Herodianus in Alexandro, lib. 6 ὁ μὲν γερμανοὺς, ὁ δὲ παίονας παραμείβων: Ille Germanos, hic Pannones præterfluens. Simili pacto Strabo & alij. A' Pæone autem filio Endymionis, Pæones Pausanias dixit. Picus etiam in Staurosticho:

Pannonia in prouinciã.

Alluit Elysios Arios quoq; Pæonis oram.

Et idem in 2. Hymnorum.

Macedum turbas, ac Pæonis oram.

Eiusdem sententiæ Sabellicus est, lib. 5. Enneadis. 6. & id ego habeo persuasissimum, Pæones omnes illos dictos, qui intra Thraciam ac Illyricum usq; ad Danubium habitauerunt. Nec me præterit, & à Scriptoribus τοὺς παίονας illas gentes, ueluti à Ptolemæo, Dionysio, Dione, Arriano, ac cæteris, Græcè appellatos, non ab Alpibus Appenninis, ut Antoninus uoluit, à quibus tanto spacio discernuntur: uerùm à Pannone rege, cuius meminit Methodius. Appianus autem Historicus, & Plutarchus in uita Ottonis, Sauo, Drao, & Danubio Pannonas incluserunt: uerùm sese ultrà quàm nunc extenderunt.

Vnde dicta sit Pannonia.

An Peucini, Bastarnæ, Phennæ, & Auarisci, & quos Septem castra dicimus, Germani fuerint. Cap. 28.

PAnnoniam inhabitant, ac partim uicinos illis se gerunt populi, quos Germanorum nomen numeris omnibus occupauit. Auarisci ac Osi una gens Hungariæ est, referente Ptolemæo. Tacitus tamen se nescire ait, an Osi ab Auariscis in Germaniam, an illi in Pannoniam ab Osis migrauerint. Dictum Cornelij Picus ad uersiculos ita traduxit:

Osi. Auarisci.

Osus

Ofus Auarifco dubium deductus ab illo
An genus antiquum referat.

Mens amborũ fuerat, Pici ac Cornelij, Germanis afcribendos effe utrofq; populos. Picus enim in eo libro, nullarum gentium nifi Germanorum meminit: alter uerò Cornelius, hos ob tributa, quæ Sarmatis perfoluũt, Pannones dixit, cæterũ Germanos: dubitauit idẽ Tacitus, Peucinos an Sarmatis an Germanis adijciat. Plinius autẽ non hæfit, nec moratus eft, Peucinos ac Baftarnas Germaniç populos facere, lib. quarto cap. decimoquarto Natur. hiftor. Idem Cornelius: Sede, cultu, domicilijs, ut Germanos agere, fermone quoq;. et addit paulo pòft: Phennæ, Baftarnæ, Peucini, potius inter Germanos referuntur, quia domos figunt, & fcuta gerunt, quæ Sarmatis funt aduerfa. Cornelius unam gentem Baftarnas & Peucinos uoluit: & Strabo libro octauo à Baftarnis nomen fortitos Peucinos, ac Baftarnas à Germanis ortos afferit. Idem Prifcianus in translatione Dionyfij ita inquit:

Hi funt Germaniq; truces, ac Sarmata bellax,
Atq; Getæ, nec non Baftarnæ femina gentis.

In Græco id non habetur, unde ortum referant, nifi quòd apud Mæotim confediffe olim Baftarnas & Peucinos dixit Dionyfius: quod & Strabo & Ptolemęus aiũt, cuius uerba funt: πευκινοι ϗ βάσαρναι τὴν ὅλην τῆς μαιώτιδος. id eft: Peucini ac Baftarnæ ufque ad totam Mæotida habitant. Ego gentem unam dixiffem facilè, & olim iuxta Mæotida, nunc uerò eos effe, quos Septem caftra uocamus. Baftarnarum meminit Capitolinus in Antonino, Trebellius in Claudio. Appianus Baftrinos dixit. Peuce etiam hoftium Danubij eft, à quo Peucinos dictos uolunt. Berofus tamen lib. 2. cuiufdam Peucini Herculis filij meminit. De hoftio Peuces Solinus, Ammianus Marcellinus, Mela lib. 2 in fine. Claudia. Baftarnæ Peucini.

Corporibus premitur Peuce quo prefferat anno.
Danubij uiridem uideant ante hoftia Peucem.

Idem:

Peucen defertur ad oram
Cum fonitu. gemino nam cingitur infula flexu.

Phennarum autem Raphael libro feptimo meminit, ac Bructeros putat. Habes ita (lector amantifsime) omnes illos effe Germanos. Nec mireris Septem caftra me dixiffe Baftarnas, aliter obferuatum tamen effe à Scriptoribus. Scio qui Sclauos dixerint ac Dalmatas, ut Lilius: fcio qui ad Danubium eos pofuerint, ut Stephanus Byzantius. Nec poffum fatis mirari Plutarchum, qui in uita Aemilij Pauli Iftrum incolentes dixit Baftarnas & Galatas appellari: facit mihi penè fidem, maximè cùm uiderim apud Iuftinum Hiftoricum lib. 33 Getas olim infeliciter contra Baftarnas pugnaffe, cùm & alij Scriptores bella Galatarum & Getarum ponant: uerùm me in tranfuerfum aliorum auctoritas egit. Phennæ.

Gotthos ac Getas effe Germanos, ac de eorum origine. Cap. 29.

RESTAT nunc longè neceffarium, ac Germanorum gloriæ nequaquam remittendum: Gotthorum uidelicet gentem uerè Germanicam fuiffe argumentis quibufcunq; licebit oftendere. Quod quidem duabus de caufis fieri uolui, ut obiter Italorum inuidiæ refponderetur, qui eam gentem Germanorum nobilitati fubtrahere, ac Scythis adijcere moliebantur: tum etiam ne id quod Germanicæ uirtuti deberetur, fuppreffum irem. Quis autem rationis concors gentem, cuius uirtuti totus orbis cefsit pietate ductus, patriæ fuę non æquo animo affereret? quis etiam contra eos non agat, qui patriæ noftræ negauerunt eã

gentem,tot annis,ac à tot sanctis cordatioribusq́ uiris addictam? Quis hanc ab insidiatoribus malè feriatis non defenderet, ac ad propulsandam iniuriam non suppetens robur patriæ tribueret, saltem cæteros in rebus ad natiuum solum pertinentibus non erudiret? maximè in illis, quę nostrę gloriæ proximius accedunt, ac quorum uestitu ac ornatu luculentior terra nostra efficeretur? Non est apud me dubium, si tantam necessitatem Græci Italiq́ cum Gotthis haberent, quemadmodum Germani, omnibus eloquentiæ uiribus sustinerent, ac armis demum, ne ullo pacto eis interciperentur, pro Gotthorum nobilitate, ut pro tu tanda Babylonia digladiarentur. An'ne nullum Gotthicæ gentis nomen? anne exigua eorum gloria? qui totam terram eorum cursui habuerunt obuiam: quibus etiam non nisi magno ære pax comparata fuerat: quorum uirtutes, si Plinius, Cornelius, & cæteri admirabiles uiri eorum ingenio destinassent, omnem eorum operam in describenda unica Asiæ irruptione à Gotthis consumpsissent, omne quoque tempus in sola urbis ruina occupassent. Tot nobiles ac defecati ingenij uiri, sese Romanorum gestis penitus dediderunt, & quicquid pro agitatione mentis, ultra uirium facultatem, exactissima diligentia potuerunt acquirere, hoc totum denique affectandæ eloquentiæ, ac enarrandæ Romanorum sublimitati concesserunt. O quantum laboris pertulissent, si tunc temporis extitissent, quo inclinationem ac exitium Romæ fata traxerunt, si ingenio eorum destructa Roma tunc contigisset: præsertim cum nec semel, nec fortuitu, nec dolo, absque proditione & malicia, uerùm toties, tot obsidionibus, prudentia, bello detecto, ac summis difficultatibus, gentium domina, ac nubium calcatrix Roma toties fame, siti confecta, penitus incendijs exhausta, rapinis onerata, Barbarorum irruptionibus patuerit: quæ prius tamē opulentissima, pulcherrima, referta, exaltata, populosa, ac omnium gentium uictrix, humanam quasi excessit conditionem. Hoc autem tantùm uirtuti Getarum siue Gotthorum debetur. Quicquid igitur illorum claritati unquam accidit, idem & Germanico decori defertur.

Scriptores quantum in describendis Romanorū rebus elaborauerint.

An Getæ ac Gotthi sint gens una, an diuersæ. Cap. 30.

An Gotthi & Getæ una gens.

PRiusquam Germanicam Gotthis ac Getis originem prę stitero, ne se Lectori ambiguitas ingerat, an una gens, an diuersa sit, prius ostendere libuit. Priscus Historicus Gotthos à Getis discernendos putat, eo ductus argumento, dū Mediterranea Gotthi occupauerint, Getæ uerò iuxta mare sedes fixerint. Cui sententiæ partim assentior, partim diuersum me habiturus sum, ut paulò pòst ostendetur. Sabellicus uerò gentem unam dicere uidetur: similiter ac Iornandes, & omnes bonarum literarū assertores: cui professioni ego nonnihil tribuo, & eò maximè, dum uiderim Gotthorum nomen adhuc recens, à ueteribus auctoribus minus usurpatum: contrà uerò, Getas Græcis etiam nobilissimos extitisse, Strabone referente in septimo Geographiæ suæ uolumine. Dion auctor Græcus, librum suum Gotthorum rebus gestis consecratum Γετικόν inscripsit: quemadmodum & Agathias, Ablauius, & cęteri, qui res Gotthorum sibi habuerunt obuias. Strabo, Dromicheten ac Boerebistam Getarum reges: Nazianzenus Zamolxim Getam faciunt: quos Gotthos fuisse sole clarius est. Id demum, quoniam nullam sententiam habebo diuersam, persuasissimum contineo, Getas olim fuisse dictos Gotthos. Inde uerò, maximè Valentis temporibus, Gotthorum nomen primitus increbuisse. Licet Claudianus longè posterior Gotthorum nomen ignorauerit, eiusdē tamen tēporis, uiri egregij Gotthorū meminerunt, ut Socrates Historicus, Theodoricus, Sozomenus, Orosius, Eutropius, & antiquiores etiā, ut Trebellius Pollio in Claudio, Flauius Vopiscus, ac alij. Raphael

Getæ magis cogniti quā Gotthi.

Getæ & Gotthi eadē gens.

Quando Gotthorum nomen primitus increbuerit.

phael Volaterranus Guthones dictos Gotthos fuisse arbitratur. Ego qui à Claudiano, Guthones pro Gotthis dictos egregiè nosco, non facilè dixerim, Cornelio Gotthicum nomen fuisse familiare. Postquam itaque nomen Gotthicũ inualuit, populos priori nomine, Getico s. dispoliatos, appellatione sua consecrauerat, ac nomen Geticum penitus exoleuit, recens appellatio obtinuit. Vnde factum est, ut appellatio diuersorum nominum, gentis etiam diuersitatem plerisque falsò persuaserit. Lucullus Imperator ex Mysia Getas expulit: itaque euenit, ut alias sedes acquisiuerint, ac Prisco Historico fallendi occasionem præbuerint, dum origine una gens, diuersa uerò, inde mutandorum locorum causa fuerit.

An Dacorum gens una fuerit cum Getis & Gotthis? Expungitur etiam locus Strabonis. Cap. 31.

STrabo festiuissimus auctor, ac circa quã rem uersatus est, curiosissimus, Dacos putat esse omnino à Getis alienos. Getas enim ad Pontum in Orientẽ uergere, Dacos uerò in oppositum uersus Germaniam, ac Istri fontes. Sabellicus à Strabone diuersus abijt, & eandem gentem putat. Ambo delusi sunt: ille eadem ratione, quo Priscus Historicus prius: hic uerò manifesto somno, quoad tempora nostra deuiauit. Ita enim res sese habet: Daci à Gotthorum progenie processerunt, & origine gens una, cum Gotthis sunt, ut Iornandes ait: cui in rebus Gotthorum non minorem quàm publicam fidem concedo, ac plus Græcis omnibus præsto: unde malè Strabo diuersos facit. Daci inde relictis Getis, Herulos in Danubij ripa consistentes abegerunt, sedes eorum intenderunt, & illã rationem diuersitatis, tempus tantum peperit. Locus etiam Strabonis ille omnino expungendus est, in eodẽ loco, ubi Dacos Danos esse arguit, ductus conuenientia nominis: quia Athenienses Dauorum ac Getarum nomina seruilia habent. Vnde autem hæc ad Bacchum? huc, quod Athenienses Dauorum ac Getarum nomina seruis imposuerint. Ergo scilicet Dani Daci? Stephanus Byzantius auctor Græcus, partim Straboni adhæret, partim disconuenit: Dacos enim Danos putat, in illo refellendus, in alijs tenendus. Verba eius sunt: Δακία χῶρα πλησίον Βορυσθένους, οἱ δάκοι οὓς καλοῦμεν δάους. γέτας γὰρ τούτους πρὸς τὸν πόντον κεκλυμένους, καὶ τὴν ἕω. δάους δὲ πρὸς τὰ ναυτικά, καὶ πρὸς γερμανίαν, καὶ τὰς τοῦ ἴστρου πηγάς. καὶ παρ' ἀττικοῖς τὰ τῶν οἰκετῶν ὄνομα δάνοι καὶ γέται, id est. Dacia regio est Borysthenì uicina: Sunt autem Daci illi quos nos uocamus Daos: Getas uerò iuxta Pontum habitantes, & ad orientem, Dacos autem ad Germaniæ littora, ac Istri fontes uergentes nominamus: apud Athenienses etiam seruorum nomina sunt Daui & Getæ, quod & idem Stephanus in alio loco innuit.

De origine Dacorum, & quòd non sint Dani, uerùm Germani, & eorum sedibus. Cap. 32

Daci unde.

CÆterùm ne rem incuriosè differamus, ac temerè contra Strabonẽ ac Stephanum agentes uideamur, primò de Dacorum origine loquamur paululum. Dacos Strabò libro 7. Scythas esse tradit origine: nec in eo tamen ueritati patrocinatus est, nisi olim totam Germaniam, aut Galliam aut Scythiam dictam ex Diodori sententia ac Sabellici uoluerit. Sunt autem Daci Iornande in testem uobis adducto, origine ueri Germani ac Gotthi. E Scandia quoque insula prodierunt, Iornande, Vuarnefrido & Hieronymo super Eusebium auctoribus. Egressi itaque ac à Gotthorum communitate semoti, Herulos Istrum habitantes armis abegerunt, ad Istrum consederunt, nec unquam ab illis sedi-

Locus Sabellici. bus concesserunt. Caret ergo fide Sabellicus, dum Straboni subscribens, ut fuco adhibito sententiam suam defendat, in Daniam Dacos expeditionem fecisse refert, cuius profectionis nullus unquam meminit: & id longè manifestissimum est, ab omnibus Scriptoribus rerum Danicarum, illam expeditionē fuisse omissam, sicuti à Beda ac Saxone Grammatico, qui à Dan rege, & non Dacis Danos dictos aiunt. Semper etiam Daci apud Istrū fuisse scribuntur ab omnibus. Vnde tempore Vitellij Cæsaris Statius poeta eos apud Istrum facit:

Daci semper iuxta Istrum.

Bis fractum legibus Istrum,
Et coniurato deiectos uertice Dacos.

Cornelius Tacitus penè eiusdem ætatis, Scythis conterminam Daciam dixit, ac Danubium eos à Germanis separare. Dion Græcus auctor terram eorū in circuitu decies centena millia continere passuum scribit: cui πρὸς ἔπος respondet Sextus Aurelius ad Valentinianum capite 11. Festus Ruffus. Idem Dion in Traiano, Cæsarem facto ponte supra Danubium Dacos debellasse scribit. Sic & Martialis de Domitiano scripsit, Dacum uictore iuxta Danubium:

Sarmaticis uictor compescet sedibus Istrum.

Et idem libro quinto:

Hyberna quamuis arctous, & rude Peuce,
Et ungularum pulsibus calens Ister.

Statius quoque in primo Syluarum uolumine:

Frena tenentem,
Rhenus, & attoniti uidit domus ardua Daci.

Methodius etiam Martyr proprium uolumen (si titulum liber ille uerum præ se fert) de Dacis scripsit: ubi toties pulsasse Barbaros, omnes Istri accolas perhibet Methodius, & demum Dacos utranq; Istri partem in ditionem redegisse. Cui sententiæ subscribit Sabellicus. Fuerunt itaque circa Danubium Daci, usque ad Aureliani tempora. Et ut rei summam uno dicto teneas, Aurelianus Daciam, quam Traianus ultra Danubium submouerat, collocatis illic Romanis ex urbibus Daciæ, in medietatem Mæsiæ collocauit, & Daciam dixit, quæ duas Męsias diuidit, & in dextra Danubium habet, mari sese exonerantem, cum antea in læuo latere fuerat Ister constitutus. hæc Eutropius libro 9, capite decimo quinto, Eusebius, Methodius, & alij memoriæ mandauerunt. Adducamus Ptolemæi secula, is iuxta Danubium fecit esse Dacos, & non circa Chersonnesum Cimbricum: uerba Ptolemæi sunt ex libro tertio: Δακία περιορίζεται μὲν ἀπὸ ἄρκτων τῷ μέρει Σαρματίας τῆς ἐν Εὐρώπῃ, ἀπὸ τοῦ Καρπάτου ὄρους, μέχρι πέρατος τῆς ἐρημένης ἐπιστροφῆς τοῦ Τύρα ποταμοῦ. ἀπὸ δὲ δύσεως τοῖς Ἰάζυξι τοῖς μετανάσταις κατὰ τὸν Τίβισκον ποταμόν. ἀπὸ δὲ μεσημβρίας μέχρι τοῦ Δανουβίου. Fermè id sonat: Dacia à Septentrione parte Sarmatiæ (quæ in Europa est) circumscribitur, à monte Carpato, usque ad finem prædictæ descriptionis fluuij Tyræ: ab Occidente uerò Iazigibus Metanastis per Tibiscum fluuium discernitur: à Meridie uerò usque ad Danubium extenditur. hæc Ptolemæus. Quibus uerbis nihil clarius, Daciam adhuc sitam in ueteri loco fuisse. Idem Ptolemæus Tauriscos Daciæ populos dixit: qui sanæ mentis eos Danos uocauerit, uidi neminem. Prætereo prudens Scriptores illos panegyricos, qui Dacos iuxta Danubium uictos ostendunt. Iornandes Iustiniani temporibus inter uiuos numeratus, æquali obseruantia Daciam sic descripsit: Daciam, inquit, dico, quam nunc Gepidarum populi habere cognoscuntur, quæ in conspectu Mæsiæ sita est, trans Danubium, ubi corona montium cingitur. Ex cuius uerbis clarissimū est, duas Dacias fuisse, sicuti Sextus Aurelius ait, Nouam & antiquam. Nouam Aurelianus Cæsar translatā ad Danubium in ueterem transmutauit: Noua enim trans Danubium erat. De illa

Dacia inter duas Mæsias.

Daciæ descriptio.

Duæ Daciæ.

illa Cornelius, Dionysius & alij: de hac uerò Iornandes loquebantur. Non ergo Marliano subscribendum est, qui Hungariam olim retinuisse, & in maritima loca cessisse refert Dacos: nec Straboni, qui ad mare Germanicum eos deducit. Id uerum est, quod apud Zachariam Lilium ac Sabellicum lib. 9. Enn. 7. uidemus, Hunnos, Gotthos, Getas & Dacos olim unū populum extitisse. Mouit & hęc tantorum uirorum persuasio Mantuanum nobilissimū poetam, non magis condendis carminibus quàm Historijs accomodatum, cuius uerba hæc sunt:

Locus Marliani. *Locus Strabonis.*

Dacosq́, Gotthosq́, nam dixere Getas.

Ecce Iustinus, Pompeius Trogus lib. 33. Daci (inquit) Getarum soboles, cum rege eorum contra Bastarnas malè pugnauerunt. hæc ille. Plinius etiam in Scythia, Getæ, inquit, à Romanis Daci dicti sunt. Et tandem Getas & Dacos unam gentem dixisse sufficiat.

An Gotthi sint Germani. Cap. 33.

SVperest adhuc de illustrissima Gotthorum gente memoria, à quo omnis insignis Germaniæ turba, ut à fonte uberrimo defluxit. Gotthos autem Getas Itali dixerunt, & uere: cæterùm tamen Getas Scythas esse uoluerunt, quo uerbo ueram Gotthorum originem penitus sustulerunt. Argumenta eorum tali præsidio uallauerunt: quia Tomyrin reginam Scytharum, nobilissimi auctores Gotthorum reginam fuisse asserunt, à cuius reliquijs cæteri deuenerint, ut de Tamasi rege, quædam Græcorum epistolæ ostendunt. Accedit quod Dion Græcus Getarum in Scythia habitantium meminerit: Summam erroris ille facilè conuincet, qui tantum Iornandem legerit, cuius illa sententia est: Gotthi à Scandia Arctoi maris insula primitus soluerunt, duce Bericho ad Vlmigeros uenerunt, duce Filimero Scythiam, tunc Ouim dictam, occupauerunt, quod & Ablauio placet. Vnde habemus, Scythis antiquiores esse Gotthos: Getas quoque longè antequā Scythiam inuaserunt, originem habuisse. Hæc itaq; res occasionē fallendi Italis ac cæteris Scriptoribus cōtulit. Strabo lib. 7. Getas origine Thracas extitisse arguit. Mouit eum Menandri Gręci comici dictū istiusmodi:

Gotthos nō Scythas esse.

Thraces uniuersi nos præsertim Getæ.
Nam eorum indigenam me esse ipse glorior.
Nos omnibus magis continentiam agimus.

Et ut unius auctoris Itali natione meam sententiam roboraturus sim, Blondus de inclinatione Imperij Romani, Gotthi ait, nō à Scythia, ut Ruffus Festus inquit uenerunt. Seduxit Strabonem ac Menandrum par ratio, quæ & Italos. Thraciam enim Gotthi occupauerunt ac Męsiam, illicq; consederunt: unde postea è Thracia primos ortus eos reuocasse falsa opinio persuasit. De Thracię autem occupatione à Gotthis facta, tum præstantissimus quisq;, tū Stephanus Byzantius demonstrat: uerba eius sunt & hominis natione Thracis, ob id de patria sua cæteris ueracioris: γότθοι, inquit, ἔθνος πάλαι ὤκησαν ἐν τοῖς τῆς μαιώτιδος, ὕστερον γὰρ εἰς τὴν ἐν τοῖς θρᾴκης μετανέστησαν, ὡς εἴρηταί μοι ἐν τοῖς βυζαντικοῖς, id est. Gotthi quidem gens olim iuxta Mæotidem sedes fixerunt: inde in Thraciam interiorem traijciebant, ut à nobis in Byzantijs dictum est. Ecce iuxta Mæotidem habitasse Gotthos primitus asserit, in quo etiam refellendus esset, nisi propinquitatem (licet longè distantem) mediocriter attigisset. Ignorauit Stephanus Scandiam insulam Septentrionalem, unde quia cum à Steptentrione profectos fuisse Gotthos egregiè sciret, quandam terram Septentrionalem, eorum patriam Mæotim fuisse asseruit. Cæterùm ut modū orationi nostræ faciam, è Scandia insula Germanica Gotthi deriuati sunt. Insula adhuc secundū alios Gotlandia dicitur, sub Danię regibus, & illa Germanica est, diuersa tamen à Scandia, Methodius Martyr, Paulus Vuarnefridus, Hieron. in Supplemento, Beda in Historia

Locus Strabonis ac Menandri.

Gotthi è Scādia primitus uenerunt.

Anglorum, omnes deniq; πρὸς ἔπος Iornandi ac nostræ sententiæ respondent. Sunt præterea multa argumenta, quæ facillimè rem nostram ostendunt, ac Gotthos Germanos asserũt: Primum dum in ea Insula, unde egressi sunt Gotthi, lingua Germanica semper obtinuerit, ut mercatores, quibus Insula illa penitus cognita est, relatu Bilibaldi Pyrckaimeri uiri doctissimi, testati sunt. Gotthi etiam lingua non alia, quàm nostra fungebantur. Dum enim contra Iustinianũ, cũ Bellisario rem habuerunt Gotthi, penè ad ultimam cladem Bellisarius redactus est, eo pacto: Fugitiui Gotthorum, qui à Bellisario defecerant, clamauerunt, ut Gotthi Phalam ferirent (Erat enim illius coloris uocabulum penes eos, quod fermè apud Latinos subfuluum est.) Hæc Procopius Gręcus, Aretinus, Blondus, Flauius, Sabellicus & alij memoriæ tradiderũt. Quid uerbis illis manifestius? Phal. enim uerissimum Germaniæ uocabulum. Plura etiam uocabula Germanica tunc in Gotthorum usu fuisse apud Iornandem uidemus: & demum propria eorum nomina, Germanos Gotthos fuisse produnt. Eorũ enim semper reges Berich, Filmer, Valamir, Deiterich, Eurich, Ermanrich, Gebrich, Aorich, Gunderrich appellabantur: Quæ nomina (ut in libro secundo à nobis mentio erit) Germanica sunt. Sunt ergo Germani, & si Itali dicant Scythas fuisse, ac si sententiam eorum ueritati quodammodo restituere cupis, omnes olim Scythas nos fuisse aut Galatas, antequam Germanię nomen inueterauerat, tenere potes, ut prius diximus. Quid si præstantissimos auctores nobis habuerimus riuales, qui & Scythas omnes illos à Germanis ortos, publicè ac sine omni nominis eorum dissimulatione proclamauerunt? in quorũ numero Strabo, Priscianus in translatione Dionysij, & alij recensentur.

Gotthi lingua Germanica usi.

Scythæ à Germanis.

De gentibus à Gotthis, id est, Germanis descendentibus, & quòd hi Germani fuerint. Cap. 34.

ALij Gotthos ex Amazonum genere ortos dixerunt: ut titulus eorum demonstrabat, dum in triumphũ Aureliani perducti fuerunt, Blondo Forliuiensi, Sabellico, Flauio Vopisco auctoribus. Caret, & id doctorum hominũ fide, nec persuasio illa aliam habet rationem, nisi quòd etiã inter Amazones Gotthi, sicuti inter Scythas ac Thraces uersabantur, testantibus Iornande, Dione Græco atq; alijs. Lata est demum sententia Gotthos uerissimos Germanos extitisse, unde de Gotthis ut de Germanis dicere in animo est, ut si quid honestius Gotthis postea concesserimus, id nullis nisi Germanis præstitum Lector prudens uideat: nec eos alio argumento Germanos, horum posteriores ostensurus sum, nisi quòd à Gotthis, idest, Germanis origine processerint. Omnis igitur ratio ac uis, tantùm in deducendis auctoribus consistet, qui gentes riuos illos è Gotthorum fontibus deductos fuisse profitentur: quibus in sententiam nostram tractis, non agnosco, cur illis minus Germanicum nomen concesserim gentibus. Sunt enim è Gotthis Auares, Slaui, Antes, Ostringi, Teiphali, Scyri, Caibi, Rugi, Alani, Arborichi: Iornande, Vuarnefrido & multis auctoribus. Vnde quicquid in quinto libro de illorum gestis adducturus sum, id Germanis deberi pius Lector agnoscat.

Gentes à Gotthis deriuatæ.

Quòd Vandali, Heruli, Turcilingi, Longobardi & Gepidæ fuerint Germani. Cap. 35.

GOtthi inde in quatuor partes sese diuiserunt: alij Visigotthi seu Hypogotthi, alij Vandali ac Gepidæ, alij Ostrogotthi nominati sunt: ut Otto lib. 2. cap. 21. & Vuarnefridus testantur. Fuerũt aũt gentes illæ, tantũ nomine discretæ,

cæterùm

cæterùm una gens extitit. Subſcribit Vuarnefrido Iornandes ac Methodius martyr: qui Epiſtolam Vandalorum adducit, ſeſe publicè Germanos teſtantium. Ex illis inde Turcilingi, Iornande & Paulo Diacono referentibus, proceſſerunt, atq; Longobardi: quos è Scandia Germanica inſula Beda, Hieronymus in Supplemento, Vrſpergenſis, & omnis Scriptorum turba palàm profitetur, ac à Gepidis originem uendicaſſe: quod & honeſtiſsimè Otto Friſingenſis libro 2. cap. uigeſimoprimo proſequitur. Lingua etiã Longobardos arguit fuiſſe Germanos. Nam ut Vuarnefridus, Vrſpergenſis, Blondus & Sabellicus teſtantur, Albuinus rex Longobardorum, occiſo Chunimundo rege Gepidarum, ex capite occiſi Chunimundi pateram confecit, quam eorum lingua Schalam Longobardi nominauerunt. hæc illi. Quid & illis uerbis manifeſtius? quid clarius ad dandum illis nomen Germanicum? Et nos adhuc pateram uulgari lingua Germanica, Schal dicimus: Gepidæ etiam origine Gotthorum gaudent, ac ab eiſdem ortum duxerunt, ita tamen ſeparati, dum Gepidarum nauis fuerat tardius ſubſequuta, Gepidis nomen indidit. Gepanda enim Geebald, eorum lingua pigro dicitur. hæc Vuarnefridus, Iornandes, Vrſpengenſis, ac Supplementorum Scriptores Euſebij referunt. Quid uerbis illis dilucidius? Germano nomine ac origine tum lingua functos eſſe Gepidas. Herulos autem è Scandia ueniſſe Procopius ait, dum ab Inſula Septentrionali egreſſos, & iterum in eandem profectos teſtatur, licet Scandiam non nominet.

Gepidas Germanicâ lingua uſos.

An Bulgari, Nortmanni, Hungari, Auares, Suedi, & cæteri qui à Danis Germanis originem habuerunt, Germani fuerint. Cap. 36.

Danos populos quidam à Dais populis Hircaniæ dictos uolunt, ut Strabo libro ſeptimo: Beda tamen ac Saxo Grammaticus, à rege eorum, Dan nomine, dictos perhibent, cum quo è Scandia inſula, auctore Iornande, uenerunt: à Danis Normanni, ut Gaguinus teſtatur: ab eiſdem, & Sabellico referente, Bulgari: à Bulgaris Hungari, ſi Paulo Diacono credimus. Alij tamen Hungarorum gentem diu in inacceſsis ſedibus delituiſſe ſcribunt, & tunc nouam quaſi, & prius inauditam, Pannoniam occupaſſe, ut Rhegino Prumienſis, Vrſpergenſis, Otto Friſingenſis, Radeuicus in Geſtis Friderici Primi teſtantur, & familiaris doctorum omnium ſententia eſt. Cæcutiuerunt ergo eo in loco Michael Ritius, Iornandes, Sabellicus, & alij, qui ab Hunnis eos deducunt: cum Hunnorum gens poſt Atilæ mortem penitus deſiderata conciderit & exoleuerit, ut Luitprandus Ticinenſis in tertio Volumine ſuo exactè ac emunctim diſſerit. Poſt igitur Hunnorum à Pannonia expulſionem ab Oſtrogotthis, Longobardi Pannoniam intenderunt: ultra quos iterum Oſtrogotthi ſuperiorem, Auares uerò inferiorem, Auaribus inde in Bauariam translatis, tunc primitus Hungarorum grex, ex ſedibus antea nulli cognitis, in Pannoniam inferiorem traiecit, ut Otto Friſingus ait de Geſtis Friderici libro primo, capite 31, Auares autem ex Gepidarum progenie originem deduxere, ut libro ſecundo, capite 21 Otto Friſingus oſtendit, & nuper mihi literis inſeruit Bilibaldus Pyrckaimer: cuius nomen quoties de uirtute agitur, non meminiſſe, nephas eſſe duximus: adde quod Hungarorum lingua, Hunnos ab eis diſcretos prodiderit. Nam Hunni Germanica lingua utebantur, ut qui uitam Atilæ ſcripſerunt, ſatis demonſtrauerunt: Hungari uerò ſemper alieniſsimam ab idiomate Germanico ſortiti ſunt. Vnde & ego adductus ſum, ne Hungaris facilè originem Germanicam conceſſerim, quanquam nec omnino ſeculo noſtro nomen Germanicum, honeſtas etſi occaſiones habuiſſem, quæ mepotuiſſent ad hoc induxiſſe, primo dum Germanis quaſi undique cincti fuerint.

Occaſiones Hungaros non eſſe alienos à Germanis.

Vltra

Vltra enim Hungariam Germanam linguam obtinere quis ignorat? ut penes illos quos Septem castrorum nomine dignamur. Non alia ratione Aeneas Syluius fungebatur, dum Bohemos Germanis restituere cupit, nisi quod Germanicum idioma ultra Bohemiam inueterauerit, licet in Bohemia diuersum fuerit. Adde quòd Rhegino Prumiensis, tot populos usq; ad maria penè, ac totum Septentrionem, uno uocabulo Germanos nominauerit: adde quod Sycobatas, Bastarnas, Peucinos, Tauriscos Capitolinus communi appellatione Germanos uoluerit. Nónne Cornelius Tacitus Fennos, Peucinos, & reliquos Germanis adiecit? nónne ambiguum ait sibi constare, an Osi ac Auarisci (quæ sunt intimæ Hungarorum gentes) Germanis ascribat, an secus? addit linguam sibi dubium intulisse, dum magis Sarmatico idiomati accesserint. Si lingua tantùm, ô Corneli, te fecit diuersum Germanis, omni iure Hungariam faciamus obnoxiam: constat enim cuiq; priuato linguam solam gentem non posse alienare: alioqui & Lotharingia, & optima Germania inferioris pars, ut Hannoniæ ac Flandriæ Ducatus, minus Germanorum fuissent iuris: alioqui hi qui Tyrolensium dominio subiecti sunt, aut Bohemi, Dani, Noruegi, Suedi, ac ulteriora Saxonum, ob linguæ simultatem, omne ius Germanorum sibi amputarent. absit procul. Volumus enim linguam Germanicam, quemadmodum non semper nobis Germanos adijcit, ita nec demat. Vt enim Zacharias Lilius ait, in Istriæ partibus, ac media Italia in locis pluribus linguam uigere Germanicam, non tamen facilè Germanos illos asseram. Accedit etiam quòd Cornelius Tacitus, ea tempestate uiguerit, qua Germania modica ac exigua fuerat, nec ea assecucuta adhuc, quæ nunc iure possidet. Multa enim recuperauit, quæ tunc non habuit, plura quæ Cornelius non dubitauit à Germanis discernere. Quid ergo, si illa quæ ab omnibus Scriptoribus Germaniæ detracta sunt, & nunc accesserint, de illis dubitamus, quæ tantùm dubio priscis fuerunt, illis ne nomen Germanicum debeatur, an non, sicuti Hungaria, quæ nobis ante mille, ac penè quingentos annos, non denegata, uerùm in parte adiecta erat? Hæc omnia posuimus, non ut in animo fuerit Hungariam nobis destinare, quam scio alienam esse: uerùm tantùm ut Lectori aditus ac ansa à nobis præbeatur, ac in rebus Germanicis nobis successori uia pateat exactioris ac curiosioris indaginis. & hæc de Hungaria. Nec omittendum est id Sabellici, qui nullam necessitudinem inter Hunnos ac Hungaros uidens, denique unam gentem fecit. Quanquam (inquit) non clam me sit, quosdam Hungarorum gentem recentem esse promittentes, ab Hunnis tamen deriuatos dicere præstiterit. Ecce affectata Sabellici ignorantia. Satius fuisset pedibus omnino in diuersum abijsse, quàm sese ex sui industria scientem, tantis tenebris inuoluisse, quasi rem probè tractauerit, sciuerit, & tandem plus sententiæ huic, post longam rerum conferendarum deuolutionem calculum adiecerit, qui Hungaros ab Hunnis emersos crederent, ut id persuaderet puero elementario non concedendum somnum fingendo captauit. Ait enim libro tertio. Enn. octauæ, Hunnos accepto rege Auaro, sese Auares pro Hunnis dixisse. Hui, qui dum Auarum originis inscius est, sese in intolerandum inuoluit errorem: ac à seipso quantum uir doctus abest? Auares ab Hunnis deuenerunt, esto: quòd tamen dicere tam procul est, quā fallere, ob id scilicet dū Auares post Hunnos Pannoniæ præfuerint. A quib. ergo tandē Hungari? an ab Auaribus? quæ cōuenientia nominis? at Auarorū fratres ab Hunnis processerunt. An'ne tunc posteriores Auaribus? ubi igitur interim, quū Auares Pannoniam occupauerunt, Hungari degerunt? an sub Auarum imperio? Cur igitur Hungari priscorum maiorum ac nominis uestigium interceptum seruauerunt, Auares uerò non? Si uerò Auaribus ætate maiores fuisse Hungaros uult, ob nominis eorum ab Hunnis maioribus uestigium, cur

Locus Sabellici.

Argumenta contra positionem Sabellici.

cur hi non Pannonia ante Auares potiti sunt? Cur etiã Sabellicus noster Hunnos, non Hungaros sese Auares dixisse refert? Collidunt uerba inter se, quoniam diuersa eorum ratio est. In uno loco Sabellici mens erat, ab Hunnis Hungaros uenisse: nunc uerò nisi ex industria ueritati parcens, dissipare eius sententiam, ac naribus colloq; arreptam, fuco delinitam, seruare ac tutari uolueris, non sustinueris, quin ab Auaribus dixerit Hungaros. & tantum de illo.

Hungaros nec ab Auaribus, nec Hunnis, contra Sabellicum.

De origine Hunnorum, Alanorum, & eorum exoneratione: & an Polonia, Bohemia & Lituania Germanorum fuerint colonia. Cap. 37.

VErùm ut ueram Hunnorum originem tandem adducam, quos priori Capite Germanos dixi, ob linguæ conuenientiam, hi (ut Priscus ait Historicus) à dæmonibus ortos dixerunt, ob corporum ac membrorum eorum deformitatem. Tempore enim Filimeri regis Gotthorum, mulieres Gotthicæ magicæ arti inhærentes expulsæ sunt: hæ deserta loca petentes, dæmonibus coniunctæ, Hunnos pepererunt. Hieronymus autẽ inter Tanaim ac Massagetas habitasse primò uoluit: alij ex gente ab Alexandro inclusa deriuatos asserunt. Reuera è Gotthis Germanis originem reuocauerunt, ut Iornandes ait: nec Hunnis Germanicum ortum Priscus Historicus denegat. Postquàm autem satis in Romano Imperio debacchati sunt, partim ad Germaniam consederunt, in loco hodie Hunnorum Recessus dicto: partim à cæteris gentibus acti defecerunt. Hæc de illis. Hunnos rigor sermonis Germanos esse prodidit: Vngaros autem alienos. Inhabitant enim adhuc Oceani littora Vngarorum maiores, à quibus illi Vngarorum, qui Pannoniam occupauerunt, descenderunt: qui & alia lingua à Germanis usi sunt, ut nuper quidam Cracouiensis utriusque Sarmatiæ enarrator prodidit. Alani uerò uerissimi Germanorum è Scandia quoque emerserunt, mox sese diuiserunt: pars una in Asiam concessit, quos Ptolemæus ad Hyperboreos posuit, nunc Tartari dicti, ut ait Aeneas: reliqua pars cum Vandalis & Burgundionibus Francos pepulerunt: ut libro sexto enarremus. Ptolemæus illos Scythis ascribit, in libro γ. καὶ ἐνδότεροι τούτων, inquit, οἵ τε ἁμαξόβιοι καὶ ἀλανοὶ σκύθαι. id est: Et interiores illorum Hamaxobij sunt & Alani Scythæ. Ammianus Marcellinus libro uigesimosecundo, ac Iosephus libro septimo Bell. Iudaici, Dionysium Græcum consecuti, intra Mæotiden eos concluserunt. Capitolinus in uita Antonini Pij, Dacis Alanos ascripsit. Grauior tamen & ueritati uicinior sententia est, Gotthos Alanos dicere, iuxta Iornandis sententiam. Adde quod Procopius lingua Gotthorum usos dixerit Alanos. Lucianus etiam in dialogo Τόξαρις inscripto, unam Scytharũ ac Alanorum linguam esse testatur, cùm ait de Macente Scytha: ταῦτα δὲ ἔλεγεν ὁ μακέντης, ὁμόσκευος καὶ ὁμόγλωττος τοῖς ἀλανοῖς ὤν, κοινὰ γὰρ ταῦτα ἀλανοῖς καὶ σκύθαις, hoc est: Hęc itaq; dixerat Macentes Scytha, habitu & lingua Alanis similis existens: communia enim hæc sunt inter Alanos & Scythas. An autem Scythæ tunc illi Germanis in lingua conuenerint, an secus, aliorum sit iudicium. Dicti autem sunt Alani à monte Sarmatię, authore Stephano. Subrepsit Sabellico, uiro alioqui docto, ingens somniũ, dum Alanos, nunc Alemannos nominatos scribit, libro secundo Enneadis octauæ. Vnde enim Alemanni dicti fuerint, in Libri præsentis fine ponemus. Hi ergo Alani postquam Galliam, Africam, Europam satis concusserunt, ad Poloniam ultimò consederunt: inde à Slauis pulsi, penitus deleti, desierunt. Tunc igitur tam Polonia quàm Bohemia Germanica lingua utebantur, & origine. Verùm postquam Slauorum gens regionem eorum intenderunt, deuictis Alanis, Germanicam linguam corruperunt, Slauicam intulerunt, quæ adhuc pari, uel

Hunni è Gotthis.

Alani è Gotthis.

Locus Sabellici.

uel nullo discrimine, tam Bohemos quam Polonos, barbarie quadam detinet. De ijs plura Aeneas Syluius, atque alij. An autem & origine Slaui Germani fuerint, an'ne, lingua nimis aliena est. Cæterùm Iornandes Scriptor, ipsis ortum Germanicum à Gotthis præstitit.

De Burgundionibus, Francis Occidentalibus, Sueuis, Senonibus ac Galatis, & eorum origine Germanica. Cap. 38.

Burgundiones. Franci. BVrgundiones ante mille annos Germanos fuisse, Cornelius ac Plinius uoluerunt. Francos uerò omnes, quos & adhuc uidimus, authores Germanis adiecerunt, ac horum posteriores Galliam in ditionem redegisse aiunt. Ne igitur actum agamus, illa ut per se clara relinquamus, eò libentius dũ nullus sententiæ nostræ se opposuerit. Galatæ autem uerissimi Germani extiterunt, nomen etiam à rege Galato Celtarum ac Sarmatarum, sub quibus tunc Germania comprehendebatur, sortiti sunt. Meminit huius regis Manetho Historicus, ac Annius Viterbiensis: cuius uerba nihil aliud sonant, nisi Galatas olim in Germanos partim, partim in Gallos diuisos fuisse: concordat Diodorus Siculus libro sexto. Temporibus autem Tranquinij Prisci, Clitoueus Germanorum rex, cum *Tectosages. Volgæ.* Bellouesо ac cæteris Gallis Senonibus Italiam bello tentauerunt, ut Liuius libro quinto Decadis primæ dicere uidetur. Ex quibus processerunt Tectosages ac Volgę, uerissimi Germani, qui etiam iuxta Hercynium consedebant. Hi pulsi sunt, ut Marlianus ait, & in Galliam se transtulerunt, & illi extiterunt, quos Manlius Torquatus in Gallogræcia castris exuit. hæc Marlianus, in eo uerissimus. Liuius enim Sigouesum fratrem Clitouei Hercynij saltus gentes subegisse scribit. Vnde non iniuria, cladem apud Alliam fluuium à Germanis Sueuis Senonibus, qui tum Galli dicebantur, editam, Bebelius profitetur. Dux quoq; Gallorum Brennus Germanus: nam Sueuus erat, Gotfrido Viterbiense ac Hermanno Chronographo referentibus. Strabo etiam Bransum Brennonem uocatum ait, & hunc non Gallum extitisse: unde non temerè ab alijs Germanus *Multi Gallorum Germani.* dicitur. Senones etiam Sueuos fuisse Adon Viennensis episcopus & Frecolphus testantur, & nos libro ultimo uberius dicemus. Fuerunt itaque hi Gallorum uerissimi Germani, quos Hannibal deuicit, ac Flaminius apud Silium Italicum ita scribentem:

Cassis erat munita uiro, cui uertice surgens
Triplex crista iubas effudit crine Sueuo.

Suidas Græcus apertè Senones Germanos asserit, & hos extitisse, quos Val. Coruinus deuicit. Cuius uerba integra, quoniam nobis ad rem faciunt, referenda esse duxi: Κελτοί οἱ λεγόμενοι γέρμανοι οἱ ἀμφὶ τὸν ῥῆνον ποταμόν εἰσιν. οἱ κατέθεον τὴν γῆν τῶν ἀλβανῶν, οὓς καὶ σένωνας καλοῦσιν. οὗτοι οἱ κελτοὶ ἐπὶ ῥωμαίων ἐστράτευσαν. ἀνὴρ δέ τις τῶν κελτῶν ἡγεμονικὸς τότε σῶμα εὐπρεπὴς, καὶ τὸν θυμὸν ἀλκιμώτατος, προελθὼν τοῦ οἰκείου πλήθους ἐκ μονομαχίαν προεκαλεῖτο τῶν ἐναντίων τὸν ἄριστον. βαλέριος δέ τις ἡγεμὼν φάλαγγος, ὑπέστη τὸ ἀγώνισμα, καὶ θείᾳ δέ τινι μοίρᾳ κατὰ γνώμην ἀποβάντος ἔτυχε τοῦ βουλεύματος. ἐπεὶ γὰρ προῆλθε τοῦ οἰκείου τάγματος ὁπλισάμενος κόραξ προσιζάνει τῷ δεξιῷ τοῦ ἀνδρὸς βραχίονι. ἀντιπρόσωπος δὲ τῷ κελτῷ κατὰ τὸν ἀγῶνα φερόμενος, καὶ τοῖς τε ὄνυξιν ἀμύττων τὸ πρόσωπον, καὶ ταῖς πτέρυξιν ἐπικαλύπτων τοὺς ὀφθαλμούς, ἀφύλακτον τῷ βαλερίῳ τὸν πολέμιον παραδέδωκεν. ὁμοῦ τήν τε νίκην τῷ ἀνδρὶ, καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἐπωνυμίαν χαρισάμενος. κορβῖνος γὰρ δὴ τοὐντεῦθεν ἐπικλήθη, διά τε μαρτυρηθείσης ἀρετῆς ἕνεκα. πρὸς δὲ τὰ κατεστηκότα ῥωμαίοις νόμιμα διὰ ὑπατικῆς ἀρχῆς ἔτι μειράκιον ὢν τυγχάνει. Quod Latinitati sic restitui: Celtę Germani dicuntur, qui circa Rhenum fluuium habitant. Hi olim incursauerunt Albanorum regionem, qui Senones dicti sunt. Celtę aduersus Romanos olim processerunt, unus autem eorum è ductoribus tam cor-

pore

pore quàm animo præſtans, è caſtris militum ſuorũ exceſsit, ac in ſingulare certamen hoſtium primatem inuitabat. Vnus igitur Romanorum Valerius nomine, dux Phalangis, cum ipſo pugnam decreuit, & rebus uolentibus fatis è ſententia cõtingentibus, uoti compos redditus eſt. Quamprimum enim ſociorum caſtra exierat armatus, coruus dextro brachio uiri adhæſit, & ſemper faciẽ Galli per totam pugnam impetijt, nunc unguibus uultum eius inceſſens, nunc alis lumina Galli obtenebrans: ineuitabile fatum Valerio compoſuit feliciter, iuxtà & uictoriam eidem retulit Valerio. Vnde Valerius ab iſtiuſmodi rerum ſucceſſione, cognomen Coruini aucupatus eſt, & in uirtutis eius teſtimonium, iurę legitimo Conſularem dignitatem, licet iuuenis exiſteret, conſecutus eſt. Hæc ille. Potes & Plutarchum cum Liuio de illo conſulere, quorũ nullus eos Gallis adſcripſit, uerùm Germanis: præcipuè Plutarchus in libro περὶ τῆς τῶν ῥωμαίων τύχης inſcripto: ubi ſedes Senonum ad Iſtrum poſuit. Hallucinatur igitur quiſquis ille fuerit, qui Liuiũ nuper Germanico idiomate donauit, ubi Gallos illos Francos Occidentales fuiſſe interpretatus eſt. Suidas id multo liquidius oſtendit, qui eos Celtas dicebat. Celtas autem ſemper Germanos eſſe indicat, in dictione Κελτοὶ, in dictione Γερμανικὸς, in dictione Ἀππιανὸς, & in pluribus alijs locis. Alterius generis Galatæ tamen fuerant, quos Plutarchus in uita Aemilij Pauli Baſtarnas nominauit, quos & ad Iſtrum collocauit. Ex cuius uerbis Germanos eos fuiſſe liquet, & quod honeſtius eſt, Baſtarnas & Galatas unam gentem dici. Iuſtinus Hiſtoricus lib. 33. Baſtarnas à Gotthis uictos ſcribit. Manifeſtiſsimum autem eſt Galatas à Gotthis olim expugnatos fuiſſe. Vnde nonnihil Plutarcho auſculto. Ecce quid honeſtius Athenæus in Dipnoſophiſtarum libro 6. in hæc uerba prorumpens, adduxit: τῶν δὲ γαλατῶν σκορδίσαι καλούμενοι: id eſt, Galatæ qui Scordiſtæ appellantur. Et ne tu alios à prædictis Galatis illos extitiſſe putes, ſequentia uerba te docebunt: Τὸ δὲ ἔθνος αὐτῶν ἐστὶ μὲν λείψανον τῶν μετὰ Βρέννου στρατευσαμένων, ἐπὶ τὸ δελφικὸν μαντεῖον. γαλατῶν δέ τις Βαθανάτιος ἡγεμὼν αὐτοὺς ἐδιώκησεν, ἐπὶ τοὺς περὶ τὸν ἴστρον τόπους, ἀφ᾽ ἧς καὶ τὴν ὁδὸν δι᾽ ἧς ἐνόστησαν Βαθανάτους ἔτι καὶ νῦν προσαγορεύουσιν. Quod nobis hunc ſenſum facit: Hi igitur Galatæ, qui reliquiæ eorum extiterunt, qui cum Brenno duce tunc temporis militauerunt, quando Delphos diripuerunt. Deinde Galatarum dux Bathanatius quiſpiam ſic dictus eſt, qui eos in regionem quæ circa Iſtrum eſt, collegit, ſedeſq; capere iuſsit: unde & uiam qua ad Iſtrum redierant, Bathanatum & hodie uocãt. Hæc Athenæus Plutarcho conueniens. Cæterùm Iuſtinus ad Hercynium Galatas poſuit: nec etiam longo interuallo Baſtarnæ & Scordiſtæ unquam diſcreti fuerunt, dum, ut Ptolemæus ait, illi Danubium, hi uerò Meridionalem Pannoniæ partem inhabitauerint, ut & Straboni & Appiano placet.

Baſtarnæ Galatæ dicti.

Locus Athenæi.

Omnes illos penè fuiſſe Germanos, quos authores iuxta Mæotidem conſediſſe innuerunt, ut Cimbros, Dacos. Cap. 19.

SCandia inſula priſcis authoribus incognita fuit: ex illa inſula ueniſſe Barbaros illos priſci auctores non calluerunt. Vnde quidam antiquorum multos apud Mæotidem ſcribunt ſedes primos tenuiſſe, uel penes Boryſthenem. Ignorato itaque loco uero, Mæotidem nominauerunt, uel alium locum nobilem Septentrionalem. Et ut in re uerum illud ſit, Stephanus Byzantius nobis argumento erit, qui Gotthos iuxta Mæotidem conſediſſe primitùs uoluit, ut Græca uerba eius prius adduximus, ubi eos tot auctoribus è Scandia ueniſſe diximus. Idem Stephanus Dacos iuxta Boryſthenem conſediſſe ait, quos alij (ut patuit) è Scandia deducunt, ita & Dionyſius Græcus author:

Barbaros è Scandia ueniſſe.

Γολλὰ μάλ᾽ ἑξείης μαιώτιδος ἐς στόμα λίμνης

Γερμανοί, σαρμάται τε, γέται θ', ἅμα βαστερνῇσι,
Δακῶν δ' ἄσπετος αἶα, καὶ ἀλκήεντες ἀλανοί.

Deinde equidem multi Mæotidis hostia seruant
Germaniq́; Getæ, Bastarnæ, Sarmatæ, & ingens
Dacorumq́; sinus quoq; fortia pectora Alani.

Cimmerij unde. Ita & Bulgaros iuxta Mæotim posuit Blondus Forliuiensis, Scythas Herodotus. Haud secus prisci putauerunt Cimmerios illos à Mȩotidis undis emersisse, cùm etiam à Scandia insula profecti fuerint: quæ, ut Rhegino Pruniensis, Paulus Diaconus, Hieronymus, & alij sanxerunt, innumeros populos, quos uix Asia, Africa, Europa sustinuerunt, ueluti inundatione quadam irrigauit. Illic enim hæ Mæotides undæ, ac Borysthenes erat ab antiquis celebratus. Ita à regione prope Thylen emersisse Herulos dixit Procopius: ita ab Arctois sedibus uenisse Gotthos Claudianus inquit: ita Strabo ac Herodotus Cimmerios. Nullus igitur eorum quidquam certi attigerat, nisi quòd è Septentrione eos uenisse uiderant. Ad Cimbros redeo, qui (ut Strabo ex Posidonij, Clitarchi ac Ephori sententia loquitur) latrocinando incertis sedibus errabundi, ad paludem Mæotida militiam agitauerunt. Vnde Cimmerius Bosphorus ab ipsis uocatus est, quasi Cimbricus, cùm Græcorum lingua Cimmerios Cimbros uocemus. Hæc Strabo libro 7. Herodotum, ut reor, imitatus, qui Scythas sedes Cimmeriorum relictas occupasse, & ad locum illorum consedisse refert. Quibus uerbis nihil clarius quàm è Scythis non uenisse Cimmerios illos, uerùm potius è *Cimmerius Bosphorus.* Cimmerijs Scythas: & hactenus qui de Cimmeriorum origine quidquam dixerit, uidi neminem, nisi quòd eos apud Mæotim consedisse quondam aliqui scriptores annotauerint. Venerunt igitur è Scandia Cimmerij, sicuti alij populi, quorum origo latebat, qui olim à Mæotide palude processisse credebantur. Verba Herodoti sunt ex 4. eius libro: τὴν γὰρ νῦν νέμονται σκύθαι, αὕτη λέγεται, τὸ παλαιὸν εἶναι κιμμερίων. τοῦτο γὰρ κιμμερίους ἐπιόντων τῶν σκυθέων, βουλεύεσθαι, ὡς στρατοῦ ἐπιόντος μεγάλου, καὶ νῦν ἔστι μὲν ἐν τῇ σκυθικῇ κιμμέρια τείχεα. ἔστι δὲ πορθμήια κιμμέρια: ἐστὶ ἢ καὶ χώρη ὄνομα κιμμερίη: ἔστι καὶ βόσπορος κιμμέριος καλεόμενος. φαίνονται δὲ οἱ κιμμέριοι φεύγοντες ἐς ἀσίην τοὺς σκύθας, καὶ τὴν χερσόνησον κτίσαντες ἐν τῇ νῦν σινώπη, ἡ πόλις ἑλλὰς ᾤκισαι. φανεροὶ δέ εἰσι καὶ οἱ σκύθαι διώξαντες αὐτούς, καὶ ἐς ὃ ἐσέβαλον ἐς τὴν μηδικὴν γῆν. καὶ τὰ λοιπά. Quod penè illud sonat: Regionem quam nunc Scythæ incolũt, Cimmeriorũ fuisse constat. Verùm inuadentibus Scythis, dum deliberarent Cimmerij, exercitu magno inuadebantur: regionem igitur eã reliquerunt, quam Scythæ occupauerunt. Extant adhuc in Scythia muri Cimmerij dicti: sunt & illic portoria Cimmeria: fuit & nomen regioni Cimmeria: similiter Bosphorus fuerat Cimmerius. Constat quoq; in Asiam profugisse Cimmerios, ob metum Scytharum, tunc Chersonnesum condidisse, in Sinopa Græca urbe olim inhabitata. Apparet & Scythas in persequendis Cimmerijs uia aberrasse: & *Cimbrorum sedes.* quæ sequuntur. Inde Cimbri (adiuncta societate) terram nunc Daniam dictam (Danemarck) reliquerunt, ac sese Romanis obuios in armis obtulerunt: de quorum conflictu libro sexto disserturi sumus. Fuerunt autem penitus à Romanis deleti, ut Strabo uolumine septimo ostẽdit. Olim eos etiam inter Rhenum ac Albim consedisse Strabo ibidem asserit, ac Germanos fuisse. uerba eius sunt: Ea uerò Germanorum regio, quæ ad Aquilonem uergit, ut diximus, ad Oceanum pertinet. Cogniti autem sunt inter Germanos qui ab exitu Rheni ad Albim protenduntur, quorum celeberrimi sunt Cimbri & Sicambri. Tria notatu *Locus Strabonis.* digna è Strabone eliciuntur: Cimbros uidelicet suo tempore extitisse, quos prius penitus à Romanis deletos dixerat, unde sibijpsi contrariatur: inde Cimbros Germanos esse, & iuxta Albim, non in Dania (ut dicebantur) consedisse.

An

An Sarmatæ & quæ Sarmatarum gentes Germaniæ ascribantur. Cap. 40.

SVpereſt memoriæ noſtræ adhuc Germania magna, quam prius Sarmati portionem, Germanis uicinam, nominauimus. Aeneas ſcribit, multa in Sarmatia in nomen Grammaticum abijſſe, & Sarmatas Europæ populos à Germanis originem referre uult. Hæc terra uaſtiſsima omnium eſt, multos alios populos ſua appellatione attingit: ad Septentrionem Peucinos, ab oriẽte Moſchos, ab occidente Liuoniã ac Pruſsiam cõtinet. Reges eorum à Conſtantinopolitanis ortum habent. Lector tamen curioſus Franciſcum Biſium Bergomenſem legat, qui illic aliquandiu degens, opuſculum quoddam edidit in publicum. Nec Sabellicus uolumine tertio, Ennea. 10. Ruſsiam præterijt. Hos itaq; lector curioſus requirat. Scripſit & noſtro æuo Cracouienſis quidam ambas Sarmatias, quas & adamuſsim explicauit. Ne igitur nos illius ſcripta ſurrepſiſſe exiſtimes, breuibus libuit rem ſic abſoluiſſe. *An ſint Sarmatæ Germani.*

An Liuonia, Lituania, Pruſsia, Polonia, Bohemia, & Scythia, in numero Germanicarum nationum ſint? Cap. 41.

PRuſsiam ueteres Sarmatiæ aſcripſerunt: hanc Cornelij tamen Taciti tempeſtate, in Germaniam abijſſe eius teſtimonio uidemus. Hos lingua, moribus & cultu ueros Germanos referre, Aeneas ac Celtes probant. Nec aliud de Liuonis iudicium erit, quos Leuones Germanos Cornelius nominauit, licet ultima Chriſtianorum, ac remotiſsima regio ſit. Adde quòd Teutonici fratres, eam prouinciam ui ac armis à manu infidelium uendicauerunt, armisq; occupauerunt. Et dum id cœlo apertius ſit, nephas fore exiſtimaui, rei per ſe notæ aliquid claritatis conferre. Cæterùm de Polonia ac Bohemia nobis res erit grauior. Illic enim Germanica lingua deſijt, ac Slauica barbaries obtinuit. Diximus (ubi Alanorum mentionem fecimus ac Slauorum) multis fuiſſe perſuaſiſsimũ, nil niſi Germanicum tam in Bohemia quàm Polonia ſonuiſſe, dum hæ Alanorum iugo ac iure premebantur. Poſtquam uerò Slauorum irruptionibus patuêre regiones illæ, unà cum Barbara gente Barbaram traxerunt linguam. Inualuit itaq; Barbaries illa, quæ & peregrino ſermone colonias utriuſq; regionis paſsim occupauit. Sunt igitur (ſi primum regionis illius exordium uidemus) omnibus numeris Germani tam Bohemi quàm Poloni. Cracouiam quoq; Torrodunum Ptolemæus dixit, ac Germanis immiſcuit, quæ tamen inter Poloniæ urbes ſibi deſumpſit maximum. Adde Polonos Germanis, dum hi in nullo à nobis differre niſi lingua uideantur. Ligurinus autem inferre uidetur diuerſitatem illis gentibus, ob Oderam fluuium. Verba eius ſunt: Odera Germanos qui ſeparat atq; Polonos. Nugatur & in eo dicto, non triuialiter Ligurinus: Odera enim Germanicam linguam in ripis utriuſq;, locis multis percipit. Sleſi quoq; noſtro idiomate præditi ſunt Danubium uſq;, ut Aeneas teſtatur, licet ultra Polonica lingua inueterauerit. Celtes Viſtulam Germaniæ terminum conſtituit, cuius opinioni ſi acquieſcendum eſt (ut æquum eſſet) non aufers, quin Germaniæ multam Poloniæ partem remittes. Nec nobis uſq; adeò pro recuperanda Polonia luctatio ſubeunda eſt. Noſtro iure fecimus, atq; opus noſtrum expleuimus, dum tamen Poloniam Germanicæ origini condonauimus, nobis quoq; ſaltem partem eius aſcire libuit. Cæterùm pro addenda Germaniæ Bohemia, unius hominis Aeneæ Sylui ſufficeret auctoritas, cui placuit, ſine omni cunctatione in Germanorum numerum referre Bohemos, multis indu-

Pruteni an Germani. *Bohemi an Germani.* *Locus Ligurini.* *Cur Bohemi Germani.*

ctus rationibus: tum, quia Bohemia non (nisi Germanis) circumdetur: deinceps, quia illic nulli nisi Germanicè concionari concessum sit: postremò, dum Archiepiscopatum eius Pragensem inter Germaniç põtificatus recenseat. Adde, quòd Casurgim, nos Prag, Ptolemęus libro tertio, capite decimo, in classem Germanicam connumerat. Nec ferenda igitur dubitatio est illa Zachariæ Lilio, cui ambiguum fuerat, an Mysis, an Germanis, Bohemos assereret: cùm semota tantùm ab eis lingua, nihil sit, quod non suboleat Germanicum. Accedit huc, quòd ex Bohemorum summo inter Electores Imperij loco functus est, dum tamen nullus in Electorum ludum unquam ab Imperij translationis tempore, nisi Germanus, receptus ac consecratus sit. Multas alias coniecturas, ob rei claritatem, omittemus. Littuanis uerò Germano nomini intercidendum esse quidam putant, ob linguç summam illorum cum Germanis, Bohemis, quàm Polonis discrepantiam. Potius enim sermone eorum Vngaris accedere uolũt, quamuis & hi multum ipsorum repugnauerint idiomati: ideo dixerunt tantùm habitu Littuanos Vngaris pares esse, iaculorum uerò usu Rhoxolanis, & nullam uel exiguam cum Germanis necessitatem uicinitatemq; tenere. Sed quia Liuoniam, ac ulteriora Germaniæ constat esse addicta, successori nostro (ut à labore meo saltem aliquid remaneat) hæc interpretanda destinauimus. Et tandem de illis, quos Germanico nomini consecratos esse uoluimus, Scythas etiam Septentrionales, iuxta multorum sententiam à Germanis ortos, nobis uendicare poteris: & maximè, dum Scythas Gotthorum partem Trebellius Pollio asseruerit.

De fœcunditate Germaniæ. Cap. 42.

Germaniæ fœcũditas, ac multitudo gentium eius.

DVm tot Germaniæ populos esse constiterit, non immeritò eam omnium terrarum fœcundissimam fuisse Classici scriptores prodiderũt, ut terram, ex qua tot Gotthorum, Longobardorum, Hunnorum, Slauorum, Vandalorum, Herulorum ac Gepidarum millia sunt producta. Ostendit hoc Claudianus contra Ruffinum: Gente hac non Scythicas diffusior ulla triones Incoluit: & quorum turbæ spacium uix præbuit orbis. Idem Claudianus terra mariq; ac penè totum orbem uno tempore affecisse Gotthos scribit. Beda, Paulus Diaconus, Rhegino Pruniens. Germaniam populos tot produxisse asseruerunt, quot nec Italia, Europa, Asia, nec Africa facilè sustinuerint. Claudianus, ut uno uerbo fœcunditatem Germaniæ exprimeret, Danubij ripas euomuisse gentes, ac in Romanos effudisse arctos suas aiebat. Conquestus est Sidonius Apollinaris multitudinem Germanorum: ubiq; etiam innumeras gentes dixit Germanos. Nec exili numero Galatas æstimauit Iustinus, qui libr. Hist. 24. tanta fœcunditate ac copia eos præditos fuisse testabatur, ut uniuersam Asiam repleuerint. Nec habuit aliam rationem Gotthorum Barbarorumq; irruptio, nisi quia tanta multitudine nascentium gens illa accreuerat, ut his necessarium fuerit, terra saltem fœcunditati eorum consulere. Est id ratione tam naturali quàm astrologica clarum. Albertus Magnus in libro De terræ qualitatibus, frigus huius causam esse capite tertio ostendit, quòd euaporizare, ut ita loquar, non patitur calorem: uerùm generandi uirtutem calore quodam conglutinat, unde nascendis tot hominibus conducit. Rhegino uerò Pruniens. causa syderis id fieri arbitrabatur. Quanto (inquit) à sole remotior terra est, ut Septentrionalis plaga, tanto plus generandis hominibus confert. Nec displicent, quæ Ioannes Escuidon astrologus dist. octaua, adducit. Scriptores igitur ob multitudinem gentium uastam dixerunt Germaniam. Ita enim Dionysius Græcorum doctissimus de his inquit: τῶ μὲν πρὸς Βορέα πεπανοσμένα φῦλα νέμονται, Δακῶν δ᾽ ἄσπετος αἶα, καὶ ἀλκήεντες Ἀλανοί. Qui ad Septentrionem uerò se extendentes populi habitant, sunt

funt Dacorum terra innumerabilis,& bellicofi Alani. Plinius etiam ad Traianum, Germaniam (inquit) quàm plurimæ gentes muniunt. Et Cæcilius libro Naturalium fecundo, in fine, fermè idem fignificauit.

De qualitate Germanicæ terræ. Cap. 43.

Germania uerfus Hercynium taxum & pinum producit, obfcuris uallibus, fpeciem inferni habens, ut ait Celtes: uerfus meridiem quercus & fagos, & lapidofa eft & faxea. Item (ut infit Cornelius Tacitus) humidior eft qua Gallias refpicit, id eft, Occidentem: & uentofior qua Noricos & Pannones, id eft, Orientem. Omni etiam conftat, inferiorem Germaniam paludibus fuperiori fœcundiorem. Dracuntius Rhenanos omnibus Germaniæ non folùm partibus, fed toti orbi præftare fcripfit, & in placidifsima regione degere, licet Arabia, India, Aethiopia, fertiliores fint & pulchriores, tamen illic beftias aut cœli inclementiam adeò intolerabilia effe, ut gentibus illis muneribus à natura datis uti non liceat. Sapientiores etiam homines Auftrales funt in Germania, quod Cunradus Celtes fequenti declarat carmine:

Qualitas Germaniæ.

Sapiētia ac calliditas Germ.

Vicino iam fole nouo, quo fydere læto
Mitior hic populus Germano nafcitur orbe,
Explofa ruditate fera, quam Barbarus olim
Syluicola in rigidis feruabat faltibus ortus.

Agathius fcriptor Gotthorum Francos fapientiores cæteris effe uult: ait enim, ubi de Francis loquitur, Quanquam ut reliquarum nationum nomina barbara eorum fint, tamen honeftioribus inftitutis utuntur. Hæc ille. Alij etiam Germani fecundum regionis qualitatem calidi, uel fimplices funt. Apud antiquos uerò fimplicifsima gens fuit Germanorum, ut Cornelius dicit in Germania fua, Gens nec aftuta eft hæc nec callida, fed deiecta & nuda omnium mens exiftit. Idem Cornelius in libris Hiftoriarum, miratur Germanum nomine ciuilem, & tamen aftutum. Ciuilis (ait) præter uel ultrà quàm Barbaris folitum eft, ingenio folers. Forfitan nobis magis honori fimplicitas tunc fuit, ac auris Batauа quàm calliditas Latinorum aut Græcorum, ficuti de Scythis teftatur Anacharfis philofophus, in epiftola ad Athenienfes. Et apud Euripidem Achilles aftutum effe ait dulce, & etiam non effe aftutum, & addit: ἐγὼ δ᾽ ἐν δόμοις ἀνδρὸς εὐσεβεστάτου τραφεὶς Χείρωνος, ἔμαθον τοὺς τρόπους ἁπλοῦς ἔχειν. id eft, Ego educatus in domo integerrimi uiri Chironis, fimplicibus uti confueui moribus.

De frigoribus Germaniæ & impatientia caliditatis Germanorum. Cap. 44.

Frigiditatem Germaniæ Claudianus in Stillicone his uerbis innuit, de alpibus Rhæticis loquens: Multi ceu Gorgone uifa Obriguêre gelu, multos haufêre profundæ Vafta mole niues. Vnde & Germaniæ frigiditatis epitheton ab omnibus abfcriptum uideo. Cornelius in Germania, folo cœlóque Germanos frigoribus affuetos dixit: Rheno quoq; & Danubio frigora afcripferunt, Luca. libro fecundo, Rheni gelidis quia fugit ab undis: Herodia. libro fexto frigore Rhenum & Danubium obductos dixit hyemis tempore, & equitibus patere campi inftar, & adeò rigidos, ut qui haufturi ex illis fint, non tam urnas aut uafa fecum, quàm fecures & dolabras portare. Mantuanus ad Robertum Seuerinatem ita inquit: Verùm accola Rheni Gens durata gelu, genus infuperabile bello. Et idem ad Maximilianum Imper. de Germaniæ gentibus:

Frigiditas Germaniæ.

Desueta per alpes Frigora agẽs. Huius rationem habemus periculo astrologico: Germania enim quæ tota ad Septentrionem posita est, & sub ursis uel plaustris frigidissima est, ut ex Ioanne Escuidone liquidò constat. Econtrà impatientes sunt Germani caliditatis, unde apud Plutarchum, Marius Germanos uicit, existentes in regione calida, scilicet Italia, ipsis assuetis frigoribus. Cornelius in Historiarum libris, Suetonium Paulinum inducit dicentem: Germanos fluxis corporibus esse, mutationem solis & terræ non toleraturos. Et idem paulò pòst. Germani, inquit, impatientes, fluminum auidi. Idem Cornelius in libro de Germania, minimeq; sitim æstumq; tolerare Germanos dixit. Seneca tamen libro de Ira primo, ad omnem patientiam nihil induratius Germanis scripsit.

Impatientia æstus Germanorum.

Gentium catalogus originem à Germania habentium. Cap. 45.

VEnio nunc ad dilatationem seminis Germanici, in quo fœcundissimam terram gignendorum hominum gratia Germaniam ipsam agnoscamus, non solùm numero populorum, cuius mentionem iam fecimus, uerùm & gentium bonam. Nam tantæ gentium multitudines à Germania caput eorum protulerunt, referente Rheginone, ut meritò Germaniæ nomen patria nostra acceperit. Vna tamen insula est, quam uocant Scandiã, cuius in litera S. libro ultimo faciemus mentionem: ex illa tam innumerosa gentium illuuies progressa est, ut Methodius Historicus prodit, ut uniuersam Asiam, Europam & Africã afflixerint, scilicet Vandali, Gepidę, Getæ, Gotthi, Longobardi, Hunni, Heruli, Rugi. Huic astipulatur Abbas Prunien. in Chronicis suis, & Iornandes de rebus Gotthorum libro primo, & Paulus Diaconus. Concordat Hieronymus in supplementis Eusebij, qui Gepidas, Vandalos, Gotthos, Getas, Dacos, ẽ Scandia egressos uult. Similiter Hunnos ex eadem insula processisse testatur Hieronymus, Methodius Martyr, Rhegino Prunien. Michael Ricius, Iornandes, Agathius, & alij. Gotthorum uerò Agathius & Otto libro quarto meminerunt, Hieronymus & alij. Longobardi item ex Scandia uenerunt ut ex Methodio dixi. Otto concordat, similiter & Ligurinus libro secundo: Hanc olim bello (quam Scandia miserat) hostis. Vide Iordanem in primo. Franci quoq; dicti Francigenę, à Francis Germanicis deducti sunt, ut probabo lib. 7. Blondi, Vopisci, Sabellici, Peutingeri, Ammonij, Roberti, Aeneæ Syluij, & plurimorum autoritatibus. Hunnibaldus etiam in principio suæ Historiæ idem dicit, Francos & cæteros Gallos penè omnes ẽ Germania uenisse: cui subscribit Ammianus, ubi de Gallorum origine loquitur. Alij ex intimis insulis extractis Rhenanis, crebritate bellorum, & allutione feruidi maris, ẽ sedibus suis, fusis Gallis uenerunt. Hæc Marcellinus lib. 15. Hispaniam à Germanis interceptam Eusebius scribit. Postquam enim Hispania sex reges aluit, post Theodomirum Gotthi & Vandali ipsam cœperũt. Anglos Sueuos dixerunt Methodius & Beda, ergo Germanos: & ab eis originem retulerunt nostri seculi Angliam inhabitantes. Gallorum plurimi à Germanis originem habẽt, primò Belgę, dein Volgæ ac Tectosages, qui (ut Cęsar scribit) iuxta Hercynium sederunt, pulsi in Galliam uenerunt. Hi, ut Liuius ait libro octauo Dec. quartæ, in Asiam uenerunt, & ciuitatis Tectosagi meminit. Strabo ibidem eorum in Phalangia, Cappadocia & Phrygia mansionem fuisse scribit. Germani igitur quot gentium origines? Tentheri quoq; & Vsipetes pulsi erant à Sueuis, & in Galliam uenerunt. Item Sueui Senones, de quibus Tacitus, Gotfridus, Ptolemæus, Strabo & Plinius, in Galliam sederunt, & Gallogræciam occupauerunt. Ecce quid Augustus? qui quadraginta millia captiuorum ẽ Germania eduxit, ut Methodius martyr

Germinatio Germaniæ.

Populi à Germanis orti.

martyr ait. Eutropius libro ſeptimo, 400. millia è Germanis deduxiſſe, & ſupra Rhenum collocaſſe aſſerit. Multi ſcriptores in Galliam traduxiſſe referunt Auguſtum captiuos Sueuos & Sicambros, quod liquet ex Strabone lib. ſeptimo, Floro, Suetonio, Horatio libro tertio Carminũ, oda quinta, & libro quarto, oda ſecunda: Aurelius etiam Sextus Auguſtum Rhætos, Vindelicos, Cattos, Dalmatas uiciſſe, & Sueuos cum illis ac Cattos & Sicambros in Galliam traduxiſſe refert. Venio ad alias regiones. Germani duce Belloueſo rege Gallorum, & Clitoueo rege proprio, Veronam & Brixiam cœperunt, & aliquas ciuitates condiderunt, ut Liuius ſcribit. Item Burgundiones à Germanis ortos ſcribit Blondus Forliuienſis. Raphael Volaterranus ſcribit à Germanis Brixiam & Veronam conditas, Liuij & Polibij authoritatibus: alij tamen à Cenomannis, medium uerò Mantuanus in laude Brixiæ obſeruat.

Vrbes à Germanis cõditæ.

Gallia te genuit, ſeu te Germania mater:
Nam genus abſcondit tenebris adoperta uetuſtas:
Tu Cenomannorum quondam regina fuiſti.

De nomine Germaniæ. *Cap.* 46.

GRauiſsimo crimine obnoxium meipſum internoſcerem, ſi ſitum Germaniæ perficerem, nominis Germani uerò rationem præterirem: quod unũ ſi tollerem, omnia ſublata appareret. Germaniam quidã à fœcunditate gignendorum populorum dixerunt. Quibus concordant Ioannes Teutonicus diſtinc. 34. & Iacobus Vuimphelingus. Prælatæ opinioni etiam ſubſcribit gloſſa illa Clement. Germania quaſi ferens uel gerens immania, gloſſat. parag. ſecundo. Multa Abbas Rhegino Prunien. qui ob populoſitatem ſic dictam uult. Similiter Paulus Diaconus libro primo de rebus Gotthorum. Alij quorum fides maior, Germaniæ uocabulum recens uolunt, & tunc additum illis, quos primùm Rhenum tranſgreſſos, Gallos repellentes, tunc Tungros, nũc Germanos uocatos: ita nationis nomen non gentis eualuiſſe paulatim, ut omnes primùm à uictore ob metum, mox & à ſeipſis inuento nomine Germani uocarentur. Hæc Tacitus ait, & eum ſecutus eſt Sabellicus lib. ſecũdo, Ennei. ſexta. Alij Germanos dictos quaſi fratres, & Græcè τοὺς ἀδελφοὺς dici, eò quòd fraternam charitatem ſibijpſis referant. Cui opinioni Celtes noſter aſſerit:

Germani unde.

Germanos uocitant Itali, Graij ſed ἀδελφοὺς,
Quòd fratrum ſoleant inter ſe uiuere more.

Locus Celtis.

Hunc uerſiculum apud Celtem legi, cuius eſſe nego: primò, quia primam dictionis Itali corripuit: deinceps, quia Germanos dictionem Latinam, Græcè ἀδελφοὺς dici aſſerit. Ego quidem Ptolemæo, Strabone, Dionyſio, ut plurimorum authoritate, Germanos etiam à Græcis dici τοὺς γερμανοὺς uideo. Euſtathius quoque commentator Dionyſij, Arrianus, Athenæus, Herodianus Dion, & alij, eadem appellatione eam nominant. Germania & ab Hebræis אשכנז Aſcenas dicitur, & Germani אשכנזים Aſcenaſim, ab Aſcenate, de quo mentio in principio Bibl. habetur. Ioſephus tamen licet Hebræo quàm Græco ſtylo hiſtorias ſuas compoſuerit, ſemper tamen noſtros Germanos nuncupauit. Cæterùm ob Eraſmum noſtrum, tum ad propoſitum meum roborandum, carmen in medium proferam, quod γέραρδος ὁ λίστριος, homo profectò non minus Græcus, Hebræus, quàm Latinus, iuxtà & Germanus, de Eraſmo ita ſcripſit:

Ταῦτα δ' ἀρηιφίλων γερμανῶν κόσμος ἔρασμος
οἷος, λειμώνων δὲ ἔλεψατο ἐκ δανάων.

Quod è carmine ad carmen latinè ita facio:

Illa quidem Germanorum decus unus Erasmus,
Belligerûm pratis transtulit ex Danais.

Ex quo & Germaniam Græcè dici uolui, & ne ultra limites transiliam, Strabo nomine delusus libro septimo, ipsos Germanos fratres legens, uno uerbo omnia contaminauit, Gallorum fratres dicendo Germanos: cuius capite sequenti mentionem faciam. Cæterùm nunc contra Strabonem orationem collaturus sum.

An Germani sint fratres Gallorum contra Strabonem.
Cap. 47.

VErba Strabonis libro septimo illa sunt: Germani trans Rhenum ad Ortũ Gallos paulisper imitantes, abundantia feritatis, proceritate corporum, & colore flauo, in reliquis forma, moribus, uiuendi ritibus, Gallis pares existunt, ut Galli sunt: unde Romani illud nomen iure eis indulserunt, quasi fratres. Hæc Strabo, quem secutus est Perottus supra Martialem in Cornucopijs. Eruditè satis dixissent, nisi ad Gallos id retulissent, qui nec unquam fratres fuerunt cum Germanis. Alludit Philippus Beroaldus, Gallum Germanicus odit: nec penes antiquos gratia similitudinis apud hos constabat. Parua profectò similitudo, formæ minor, morum minima ambobus fuit. Nam ad rei ostentationem quam nunc paro, sola differentia Cæsaris libro sexto, & Marliani sufficeret. In Gallorum singulis domibus factiones sunt, quorum principes qui authoritatem habent, omnia consilia ornant, his plebs paret: Germani uerò, ut Tacitus ait, per seipsos reguntur, ut libro secundo patebit. Fuerunt Galli religiosissimi, Germani sacrificijs abstinuerunt: illi absunt bello, hi uerò Germanorum primi sunt, Cæsare, Tacito autoribus, ut Gallorum animus ad suscipienda bella alacer & promptus est, ita mollis & minimè resistens, ad calamitates perferendas mens eorum est, ait Cæsar libro primo belli Gallici. Florus quoque Gallos in initio pugnæ, plus quàm uiros, in fine plus quàm fœminas dixit: quod & Silius Italicus libro quarto sciuit, ubi de Gallis ita loquitur:

Differẽtia Gallorum & Germanorum.

— Primumq; laborem
Qui solitus genti est, cassum uidet arma suorum.
At primum in pugnas equitem uocat: undiq; nudis
Assiliunt frænis infrænatiq; manipli.

Gallorum quoq; fluxissimi ingenij natura est, ut Cæsar ait scribẽs libro quarto, in capiendis consilijs ipsos mobiles, nouis q; rebus plerunq; studentes, incertis quoq; sermonibus ferentes. Quod & idem Silius Italicus lib. 8. ita declarat:

Quinetiam ingenio fluxi, sed prima feroces
Vaniloquum Celta geris ac mirabile.

Multas Gallorum mores Iustinus lib. 24. Liuius, & Diodorus uolumine 6. libri qui βιβλιοθήκη inscribitur, adducunt: contrarios mores Germanorum sequentibus impingemus libris, & nostro tempore in quo conueniant ambo rogo? Imbelles Galli dicuntur à Cornelio Tacito, libro 13. contrà & Germani, ut libro tertio patebit, bellacissimi.

De alijs Germaniæ nominibus. *Cap.* 48.

Alemannia.

SVnt & alia Germanorum nomina: nominatur enim & Alemannia secundũ aliquos à lacu Lemanno, ut Fl. Vopiscus, Boccatius in lib. De lacubus, Marlianus, Sulpicius, Sabellicus Enn. 6. lib. 2. scribunt, & Iacobus Vuimphelingus, similiter Ligurinus illo carmine:

Quæ

Quæ sibi uicinas Alemannia suscipit Alpes,
Nomen ab Alpino ducens, ut fama, Lemanno.

Gotfridus Rhenum putat:

Rhenus ab antiquis describitur esse Lemannus.

Est autem lacus ille Galliæ iuxta montem Iuram, & in Rhodanum fluit, ut Cæsar libro primo ait: & fines Sequanorum ab Heluetijs diuidit, millia passuũ decem & nouem, in altitudinem pedum 16. fossamq; perducit. Lucanus: Lemannus lacus.

Deseruere cauo tentoria fixa Lemanno. Apollinaris:

Trux Alemannus:
Atq; caui quondam dictos de nomine campos.

Boccatius Transalpinum lacum esse dixit: Marlianus & neoterici lacum esse Luxanem, secundum alios Lusanem, iuxta Rhodanum, secundũ alios Lusanensem uel Lusaniensem, Gensferfee: tãta nominum uarietas. Albertus Magnus, Anshelmus De imagine mundi, cum Laurentio Valla, & Gotfridus Viterbiensis Nantuansium lacũ esse uolunt, ut Nauclerus: quibus & ego accedo. Marlianus lacum esse iuxta Caturiges & Gebennam dixit: unde puto alios à lacu Gebennæ uoluisse dictos Alemannos, quòd ibi incipiant, ut Otto, & forsitan coniectura ductus est: quia Boccatius & alij Gebennam idem dixerunt cum Lemanno, ut in libro De lacubus. In alio tamen libro Gebennam montem dicere uidetur iuxta Auernos. Plinius & Solinus Gebennam dixerunt Galliæ lacum uel flumen. Alemannia quasi aula magna dicitur, ut ait Iason. Alij Almannos, id est, animosos dicunt. Probatissimi uerò ab Manno, cuius meminit Perottus supra Martialem in primo, uel ab Alemãno rege, ut lib. 2. cap. 1. explicabimus. Gualfridus quasi ab alto loco Alemanniam dictam ait: Thalmudistæ autem interpretantur ab aloe Scythico uocabulo, & alue, quod alueum sonat: quod & Annius Viterbiensis lib. quinto Commentariorum probat. Sunt scriptores, qui tantùm Sueuiam Alemanniam dixerunt, cuius rei Argentinensium probata Chronica, non multùm hactenus uisa, testantur, in quibus non in uno loco Alemannos (cæteris exclusis gentibus) tantùm Sueuos dictos reperi. Antoninus quoque concordat, parte prima, titulo primo, tract. 3. para. 2. Bebelius quoq; id Gualfridi & Hieronymi authoritatibus asserit. Ostenderem hæc mille authoritatibus, ut Anshelmi in lib. De imagine mundi, Naucleri, Alberti in lib. De longitudine & latitudine terræ, dist. 3. cap. 2. Gualfridi abbatis ad S. Gallum, uerba sunt: Cùm duo sunt uocabula, Sueuia & Alemannia, unam gentem significantia. Possem & id retegere Gotfridi Rheginonis, & aliorum authoritatibus. Paulus Diaconus, Alemannos & Bauaros & alios Germanos coniunxit, ex quo tantùm Sueuos fuisse possumus intelligere. Est & Teutoniæ nomen Germania sibi aucupata à Tuiscone deo, ut ait Peutinger, de qua re amplissimè dicemus libro secundo, capite primo. Olim Teutones populi Germaniæ tantùm dicebantur, qui loca circa mare Oceanum incolebant, non longè à Codano. Hi à Sueuis pulsi, sese ad Cimbros & Tigurinos contulerunt, ut ait Pomp. Mela libro 3. & Zacharias Lilius. Sulpicius iuxta Lucanũ Galliæ populos Teutonas asserit, quod falsum esse quis non æstimat? Marlianus Transdanubianos populos dixit. Concordat Plinius, qui lib. quarto Natu. histo. cap. 14. genera Germaniæ nationis enumerans, unum genus Ingæuones dictos uoluit, quorũ populos Cimbros & Teutonas. Prænarrator Ptolemæi hos olim longè ultra Rhenum posuit. Concordat Strabo. Iã uerò omnes Germani uno nomine Teutones dicti sunt. Hieronymus dist. 12. epist. 31. ad Gerontiam consentit: Teutonas ex ultimis finibus Oceani & Germaniæ profectos Romam dixit: ex quo eos habemus olim iuxta Daniã (nunc Danemarck) habitasse. Interpretatur autem

Teutonia. Locus Sulpicij.

tem Teutonia à Teu, quod laudem significat, Teudas laudatorem, Taan & Tanam pallentem, ut probat Hieronymus. Cui Thalmudistæ subscribunt, & Annius Viterbiensis supra Berosum: Græcè τεύτονες nuncupantur.

De quibusdam attributis & mensibus à Germanis dictis. Cap. 49.

Germanicianus. SVnt quædam nomina à Germanis deriuata, ut Germanicianus, qui dicitur Romanus, uel alius natione alia natus, tamen in Germania degens. Suetonius in Vespasiano: Qui Ottonem, aut Germaniciano qui Vitellium fecisset. Sic etiam à Capitolino Illyriciani, & apud Aelium Spartianum, Vrbanitiani dicuntur, degētes in Illyrico aut urbe. Illyriciani exercitus Pomponius Letus meminit, Trebellius Pollio in Mario Septimo. Sic quoq; Illyricianos exercitus regem quoq; in conspectu Galieni, &c. Et idem in Claudio, Claudium Illyricianæ gentis uirum tribunū Marciæ Quintæ legioni fortissimæ dedimus. Fl. Vopiscus in Aureliano: Omnes exercitus, Thraces, omnesq; Illyricianos, totūq; limitem in potestatem tuam constituo. Idem ibidem Gallicanum exercitum in Gallijs commorantem appellauit. *Germanicus mensis.* Germanicus autem mensis, September appellatus est, quem ita Domitianus uocauit: quia ipse Germanicus dictus est, & in eo mense Imperium suscepit, ut aiunt Eusebius & Eutropius, & multi scriptores. Plutarchus in Numa Pompilio, postquam de alijs mensibus disseruit, Septembrem aliter ab alijs Imperatoribus dictum ait. Alludit ad Domitianū: sic & Martialis, qui Septembrem Domitianos Autumnos dixit. Idem Calendas Germanas, Septembres uocat. Macrobius Satur. 1. Septembermensis, inquit, principalem sui nominis retinet appellationem, quem Germanicum dixerat, &c. Statius libro quarto Syluarum:

Læta bis arctois accendit purpura fastis,
Cæsaris insignem aperit Germanicus annum,
Clarius ipse nitens: nam omnis honorem
Annus habet, cupiuntq; decem tua nomina menses.

Nec tamen nobilissimæ terræ illi Septentrionali, Germaniæ nomen impositum est. Sunt & alia loca appellatione Germaniæ dicta. Est enim & Hispaniæ locus Germania nuncupatus, cuius accolæ Oretani siue Germani dicebantur, authore Plinio Natur. histor. lib. tertio, capite tertio. Aiunt & Indiæ locum sic dictum. Quædam etiam Persarum genera Germanica dicta sunt. Ostendit hoc Herodotus author Gręcus libro septimo. Persæ, inquit, alij Panchelei, alij Derusei, alij Germani. Qui autem hi fuerint, Xenophon Gręcus exactè prosequitur. Est & animal quoddam Germanicus dictus, cuius meminit Plutarc. inquiens: *Germanicus animal.* καὶ πρὸς ἄλογα ζῶα καὶ τὰς γαλᾶς καὶ κανθαρίδας ἔνιοι μισοῦσι, καὶ φρύνους, καὶ ὄφεις. γερμανικὸς γὰρ ἀλεκτρυόνος οὔτε φωνὴν, οὔτε ὄψιν, ὑπομένει. id est, Irrationalia animalia ut feles oderunt Cantharides, & rubetas, & serpētes: nec Germanicus tam Galli uocem quàm faciem potest sustinere. Loquitur autē de animalibus Gallis & Germanicis, & non de nationibus.

De aëre Germaniæ, & quòd Germani diuturniores cæteris sint: & partus mulierum esse grauiores apud nostros.
Cap. 50.

Aer Germanicus. AEr Germaniæ saluberrimus esse à Dracontio perhibetur. Est enim cæteris regionibus crassior, maximè in Alpinis locis, & quà Orientē spectat, seu Septentrionē. Aristoteles in locis Septentrionalibus maiorē frigiditatem

quàm in orientalibus reperiri,in problematibus asserit: unde fieri,ut in calidis locis serpentes,scorpiones,ac uirulenta animalia nascantur,secus in locis frigidis,ubi temperatum aerem crassari. Vnde fit,quòd illic crasſior aer est,qui multum ingenijs optimis confert,dicente Iuuenale Satyra decima, secundum Heracliti ac Democriti sententiam:

— Cuius prudentia monstrat
Summos posse uiros,& magna exempla daturos,
Veruecum in patria,crassoq́ sub aere nasci.

Albertus Magnus in lib. de Natura loci capite tertio, Gotthos,Germanos & Gethas, ob id uiuaciores ostẽdit. Nati, inquit, in septimo climate, propter complexionale frigus,corpora habent humida,quia locus eorum frigidior est, & frigus est constringens, & uapor in loco digestionis euaporare non ualens, reflectitur ad stomachum: & ita fit, ut corpora eorum sint spissa,& uentres eorum calidi,& bona in eis digestio,& corpora solida:stricta quoq; membra partus mulierum, ob id quoque maiori dolore pariunt.Hæc Albertus.Et tantum de primo uolumine,quod Germaniç qualitatibus ac populis cõsecratũ fuerat. *Germani longeui.*

CAPITA SECVNDI LIBRI.

De eru-

LIBER SECVNDVS EXEGESEOS GERMANIAE.

Ακροφολισμὸς ad Lectorem.

LIbro primo, candide Lector, paucis Germaniæ situm metitus sum,latissimam quoque rem angustis finibus terminaui, nec suis quidem pellibus texi,tam parua,ut cum Plinio loquar,latissimæ Germaniæ ratio constat.Eò enim Germanorum res redacta est,quòd nulla totius orbis ciuitas,urbs,prouincia,imperium, adeò remotum fuerit,ut non certum,imò quàm certissimum patriæ nostræ cœperit experimentum. Et ut ad rem redeam, quẽadmodum primo uolumine Germaniam aggressus sum,ita nũc Germanos in medium proferam, & primò laudi Germanorum uicem relaturus sum. Germanorum ingenia adiunctis moribus eorum,& quæ antiquitus de illis consecrata sunt,pro captu indicabo.

De antiquitate Germanorum principum & Germaniæ,& quòd Germani indigenæ sint. Cap. 1.

Germani indigenæ.



ERMANI indigenæ apud antiquos credebantur, quod Cunradus Celt. illo carmine indicauit, secutus Sypontinum Martialis enarratorem:

Gens inuicta manet toto notissima mundo
Indigena,haud alia ducens primordia gente,
Sed cœlo producta suo.

C.Tacitus huiusmodi rationem huius affert,ipsos indigenas æstimans,cùm nec

nec terra olim, uerùm clafsibus aduehebantur homines, nouas fedes quærentes. Quis uerò præter periculum, Afia, Africa, aut Europa relicta, terram informem, cœlo afperam quæreret? Alij tamen rationem huius negant, & optimè. Verùm ut originem Germanorum proferam, Aegyptij primos homines apud fe fuiffe dicunt, propter foli felicitatem, temperiē cœli, & propter Nilum, Diodoro authore. Herodotus Phryges alij Aethiopes, ficut Iuftinus libro fecundo, Scythas primos tradunt. Verùm pofthabitis illis deliramentis, ex authoribus præftantioribus ueritatem integram indagabo. Diluuio facto, hominum generatio tota (Noa iunctis filijs & uxore exceptis) defecerat. Chaldæi igitur à Noa oriuntur, & poft diluuium incipientes, omnibus nationibus originem ex Noa perfuadent. Berofus ergo Chaldæorum maximus, qui & à Iofepho adeò celebratus eft, libro fecundo fcribit: Noam poft Diluuium cum Araxa uxore genuiffe Tuifconem Germanorum patrem & Sarmatum: inde ut idem libro 4. ait, ab anno Diluuij cap. 131. Babylonia à Saturno eft incepta, & Tuifcon in Europam miffus eft. Hic uerò Tuifcon, ut idem Berofus libro quarto, anno 25. Saturni, Sarmatas fundauit, & tempore Nini anno quarto regni Saturni, Tuifcon Sarmatas legibus apud Rhenum formabat. Hæc Berofus. Ex quo intelligo, Germanos olim Sarmatas dictos (quia Sarmatas apud Rhenum) & nuper doctifsimus unus mihi quærenti fic refpondebat, Tuifconem ad Rhenū confediffe apud coloniam, è regione ubi ad hunc diem ueftigium manet, Thutz. Nulla ergo totius Europæ regio Germania antiquior, non Græci, non Afiani, nec Latini, ut etiam Gregorius Genmingenfis in epiftola ad Iacobum Vuimphelingum teftatur. Cor. Tacitus Tuifconis meminit, & terra editum fcripfit. Huius inde filius Mannus, de quo Perottus fupra Martialem in primo, Sabellicus in loco prædicto, Cornelius in Germania, Berofus libro fecundo, & hic primo anno Semiramis, ut Berofus libro quarto ait, apud Germanos & Sarmatas regnauit. Multa de his Peutinger. Poft hunc Ingæuon, à quo Ingæuones dicti funt Germani, ut ait Cornelius Berofus, hūc in numero uiuorū tempore quinti regis Babyloniorum Zami fuiffe fcribit, ac de illo Sabellicus, ubi fuprà. Poft hunc Hermion, à quo Hermiones dicti, Sabellico & Cornelio autoribus. Hūc Berofus tempore Aralij Affyriorum regis fuiffe fcripfit. Poft hunc Marfus, qui tempore Balæi regis fuit. Poft hunc Gambriuius regnauit, tempore Belachi. Inde Sueuus, à quo Sueui (licet Cornelius Suetij dicat) dicti tēpore Balæi regis Affyriorum. Poft hunc Vandalus, à quo Vandali, qui tempore Altadis regnauit. Dein Teutanes tempore Maniti, authoribus prædictis. Anno inde 12. Mamalei regnauit apud Tuifcones Hercules Alemannus, qui pro deo habitus eft apud Germanos: de quibus libro eodem cap. 4. plura fcribemus. Et ubi Berofus finem impofuit, tempore Troiæ paulò ante bellum: tunc enim Alemannus Tuifconibus imperauit. Berofus lib. 1. quatuor Europæ inceptores nominat: Celtiberum apud Celtas, Zitum apud Italos, Tuifconem apud Rhenum, Sarmatiam & Pontum. De illo multa Annius Viterbienfis, Berofi commentator. Germaniam tempore Suenui regis etiam ab Ofiride inhabitatam fcribit Peutinger. Sunt & alij fide dignifsimi, quibus ego multùm affero, qui aliam originē & antiquitatem Germaniæ probant. Annales enim Argentinenfium, Treuerorū, Nernetenfiū, & quafi omnes noftræ tempeftatis οἱ χρονογράφοι, à ceffatione Noę diluuij, miffos tradunt filios Noæ in Indiam ac alias regiones: non longè poft Cham genuiffe Chus dicunt, Chus Nemroth, qui turrim Babyloniæ ædificare cœpit. Hic genuit Affur, à quo Affyria dicta eft, & Ninū Semiramis uirum, ex quibus dicunt Trebetam genitū: & hanc fulminato Nino Semiramim regnaffe tradunt, & filij Trebetę amore captam, hunc uerò monitu fomni effugiffe ad Arduennam, atque ad Mofam ueniffe, confpicatis ceruis Treuerim eo nomine

Origo Germanorum.

Reges Germanorum.

Treueris origo.

dictam ἀπὸ τοῦ τράγου, id eſt, à ceruo, anno M. C. poſt innundationem. Alij tamen à ſuo nomine dixiſſe dicunt Treuerim: inde Trebotes, Moguntinos, Vangiones condidit, ut ſcribit Greſmundus. Planum eſt igitur Germaniam, Italia, Græcia, & tota Europa antiquiorem. Alij Aſcenam, alij Iaphet, ut Ioſephus, in Europam ueniſſe ferunt, quibus adſtipulatur Otto Friſingenſis, qui lib. 1. cap. 8. muros Treueris Babylonico more extructos aſſerit. Primus aũt Germaniæ rex Gābriuius erat, qui interpretatur primus coronatus, ut ait Annius Viterbiēſis.

De antiquitate Germaniæ, & eorum regibus poſt bellum Troianum. Cap. 2.

Reges Germaniæ.

TEmpore uerò ante bellum Troianum Palatuus apud Celtiberos regnās, Sarmatas & Germanos uicit, & in deditionem accepit, ut ſcribit Manetho Hiſtoriographus: tempore illius Troiam inceptam ferunt. Tempore Pici & penultimo anno Raniſis Nannes imperauit. Poſt hunc Rhemus regnauit penes Germanos, à quo Rhemi dicti ſunt Galli. Poſt hunc Francus filius Hectoris, anno ſeptimo Laertis, & poſt euerſionèm Troiæ: unde ab illo Franci dicti ſunt Orientales & Occidentales, ut ait Aeneas Syluius. Quamuis Ritius libro primo, de Regibus Franciæ, nec apud Homerum nec Euripidem Hectoris filium Francum legiſſe dicatur: tamen Manetho Hiſtoriographus hunc adducit: Tempore autem Troiæ Germani cogniti ſunt. Murrho è gallinaceo hauſtum ſumpſiſſe ſe exiſtimat, dum Troianorum temporibus Germanos ſcripſit cognitos, ut de Cimmerijs prodidit. Sed ut altiùs reuocem rem: Franci in bello Troiano fuerunt, & dicti tunc Troiani. Anthenorem inde ducem habuerunt, ut Hunibaldus in primis ſex libris teſtatur, & poſt ipſum Abbas Spanheimenſis. Cimbri fuēre dicti, ut in dictione Cimbri habemus, qui hos in bello Troiano dicit fuiſſe. Cimmeriorum ſæpè apud Homerum & alios mentionem fieri, ſufficiat ſola Strabonis authoritas, Homerum ſcribentem libro primo, eos nouiſſe: quia tempore ſuo curſitauerint uſq; ad Boſphorum, & Ioniam. Homeri uerba ſunt:

Ἡ δ᾽ ἐς πείραθ᾽ ἵκανε βαθυῤῥόου ὠκεανοῖο,
Ἔνθα δὲ κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε
Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ᾽ αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν
Οὔτ᾽ ὁπότ᾽ ἂν στείχῃσι, πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
ἀλλ᾽ ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Quæ uerba Valerius Flaccus penè hiſce uerbis tranſtulit lib. 3. Argonaut.

Cimmeriûm domus eſt ſuperis incognita tellus,
Cæruleo tenebroſa ſinu, quo flammea nunquam
Sol iuga ſydereas nec mittit Iuppiter auras,
Stant citæ frondes, immotaq; ſylua, tonanti
Horret uerna iugo, ſpecus umbrarumq; meatus
Subter & oceani per longa ſilentia noctes.

Poſt Homerum Cimbrorũ Poſsidonius, Ephorus, Clitarchus meminerunt: ex quo eorum uetuſtatem cognoſcimus. Nouit & Homerus Myſos, ut Iliados lib. 13. cuius uerba in dictione Myſij allegaui. Idem Iliados 10. ita inquit:

Πρὸς Θύμβρης δ᾽ ἔλαχον λύκιοι, μύσοί τ᾽ ἀγέρωχοι,
καὶ φρύγες ἱππόδαμοι. id eſt,
Tymbram ſortiti Lycij, Miſyq; ſuperbi,

Atq;

Atq; equites Phrygij.

Placuit & Strabonis uerba asſignare quæ Græca ſunt: καὶ τὸν κιμμερικὸν Βόσπορον οἶδε, σὺν κιμμερίους εἰδώς, οὐδήπου ὁ μὲν ὄνομα τῶν κιμμερίων εἰδώς, αὐτοὺς δὲ ἀγνοῶν, οἳ κατ᾽ αὐτὸν ἢ μικρὸν πρὸ αὐτοῦ, μέχρις ἰωνίας ἐπέδραμον, τὴν γῆν ἐκ Βοσπόρου πᾶσαν αἰνίττεται. γοῦν καὶ τὸ κλῆμα τῆς χώρας αὐτῶν ζοφώδες ὄν, καὶ ὥς φησιν: ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέποτ᾽ αὐτοὺς ἠέλιος φαέθων ἐπιλάμπεται, ἀλλ᾽ ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέτατται. Quæ uerba Guarinus Veronenſis ita tranſtulit: Et idem Boſphorum Cimmericum agnouit, cum & Cimmerios ſciuerit, non utiq; , nomē Cimmeriorum cognitum habens, ipſos ignorauit, qui eius ætate, uel paulò ante illum, totā è Boſphoro ad Ioniam uſq; terram diſcurſarunt. Eorum igitur agros clima inſinuans attigit, quæ tenebroſa ſciuit: ſic Homerus eorum meminit, aere ac nebula eos coopertos oſtendens:

Illis ſol nunquam Phaethon ſua lumina ſpargit,
Pernicioſa ſuper nox ſemper tenditur iſtis. Hæc ille.

Herodotus etiam inter antiquiſsimos Hiſtoricos numerandus, Cimmeriorum ac Cimbrorū meminit, cuius uerba Græca infrà allegaturus ſum. Gotthorum etiam antiquiſsimi de Gotthis (ut de uetuſtiſsimis) orationem fecerunt: interfuerunt enim hi Troiano bello, Iornande autore ac Hieronymo in Euſebiū. Getarum enim rex Telephus, à Dione Græco perhibetur is, qui Caſſandrā enſe ſuſtulit, ac inde ab Achille è uiuorum numero interceptus eſt. Nonne Hercules ille antiquiſsimus Germaniæ affuit? Cornelio referente, illic adhuc Gades ueſtigij ſui teſtimonio ſunt. Cunradus Peutinger, præter ſummam doctrinam, uir integerrimus, Herculem qui Germaniæ interfuiſſe dicitur, Alemānum deū credidit extitiſſe. Ego duos Hercules Germaniam calcaſſe uideo: primum, qui Gades conſtituit, & huic prior Alemannus, ac ætate maior fuerat: ille enim Oſyridis filius, referēte Beroſo, hic uerò Teutonis. Reliqua uetuſtate aliqua prodita, capite ſequenti recenſebimus, ubi locus accommodatior nobis erit. Nolo tamen & uſquequaq; Germanos non indigenas fuiſſe teſtari, ac potius Francos ſemper Germanos, quàm Troianos (reclamante licet tot uirorum illuſtrium auctoritate) aſſerere, ac alias gentes potius à Germania ortum reuocaſſe, quàm quòd illa terra omnium antiquiſsima ac fœcundiſsima, quæ totum orbem, ut Diluuio, tam ſæpe inundauit, aliorū exordio fuerit gauiſa. Propius etiam id ueritati accedit Germaniam ſynceram eſſe. Pius igitur Lector id quod ſibi plus arrideat, foueat: nec ei deerunt confirmandarum utrarumq; partium aſſertatores ingenij. plures tamen referuntur, qui quaſi genuinam ſobolem Germanam & incorruptam aſſerūt. Cornelius ipſe, ſententiæ illius caput ac fons, nulli tamen opinioni ſtatim calculum adijcere uoluit: nec enim ſe ſcripſit refellere, nec argumentis confirmaturum cuiuſcunq; partem.

Gotthorum antiquiſsimi.

Duo Hercules in Germania.

Germani indigenæ.

De nouitate ac habitu Germaniæ noſtro ſeculo. *Cap.* 3.

OMiſſa demum antiquitate, ad Germaniam æuo noſtro celebratam, orationem conferam, quæ nihil quod amplitudinis eſt, cum ueteri ac priſco habitu Germaniæ commune habet: quemadmodum enim illa obſcura eſt, ita hæc quam præſens ætas reſpicit, illuſtriſsima eſt, & quam Cornelius Tacitus, ſi ab inferis reſurgeret, nec ueteri nomiſmate cenſeret. Nunc enim eam ſpecioſiſsimam Papa Pius facit, ut terram, cui nulla regio totius orbis enumeratis ſingulis conferri queat: frugibus enim lætiſsimam, aruis atque ubere gleba nulli poſteriorem. Idem Pius Athenienſibus Lacedæmonijs, Macedoniæ, longiſsimo dignitatis gradu præſtare uoluit Germaniam. Addit Dracontius ille, tot ædificijs præditam fuiſſe patriam noſtram, ut nec alteram regionem. Et eſto,

Germania recens.

quòd Florentia uel Venetiæ, ciuitates Germaniæ excedant, quibus nulla sola ciuitas amplitudine respondere potest: cunctis tamen collatis, nulla regio, urbium præstantia, multitudine, ædificijs, Germanię facilè accesserit. Hæc Aeneas Syluius in epistola ad Martinum Maier profitetur. Id etiam nequaquam prætereundum est, tot ecclesijs, delubris, Germaniam uniuersam passim qua longè lateq; patet, illustratam conspici, ut nec Gallia, Italia, aut si penè aliarum duarum regionum etiam contigerit coniunctio. Nullus enim rerum diuinarum cultus apud ullos adeò exquisitus est, non tot anathemata, quot Germaniæ exuperant, non sine peculiari Christianitatis Germanorum argumento. Subsequens igitur oratio nostra de cultu diuino Germanorum habebitur. Antequam tamen ad præsentia sæcula descendam, prius antiquorum cæremonias transcurram.

De theosophia, id est, antiquo Deorum cultu ueterum Germanorum. Cap. 4.

GErmaniæ culturam & religionem quis primitus intulerit, ignoratur. Parcius enim his superstitionibus utebantur: abstinuerunt etiam à sacrificijs, ut ait Cæsar libro 6. Teutanem uerò colebant, & humano sanguine uictimas ei obtulerunt: ut Lactantius Institut. diuin. libro primo, cap. 21. ait. quod & Lucanus illo carmine notauit libro primo:

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutanes.

Peutinger hunc Mercurium esse uult, & optimè: Mercurium enim hoc nomine Galli nominant, quem Aegyptij Their uocant, ut Cicero lib. tertio de Nat. deorum scripsit. Sulpicius Teutanem mortis Deum interpretatur. Lucanus libro tertio de illis uictimis ita loquitur:

—sed barbara ritu
Summa deûm, structæ diris altaribus aræ:
Omnisq; humanis lustrata cruoribus arbos.

Mercurium autē Germanos coluisse, Methodius in Historia, & Paulus Diaconus, Cornelius Tacitus, & alij scripserunt: unde in primo Parthenices diuæ Odiliæ ita loquitur Mercurius:

— tremuit, quòd irriget Ister,
Quòd Sueuus Rhætusq; tenet, Germania nobis
Subiuga, Pannoniæ nobis cecidêre cateruæ.

Apud Cor. Tacitum in Historia Hermonduri Marti sacrificabant, Catti uerò Mercurio. Hic Mercurius oracula apud Nouietenses fudit, & totius Alsatiæ incolæ huc aduolauerunt. Diuus deinde Iulius (quassata Gallia) Mercurio arā erexit, quam B. Maternus penitus extirpauit, ut Nouietensiū Annales dicunt. Nostro quoq; tempore Mercurius in Elegio prędio Alsatiæ uidetur. Etlingenses olim potentiores, cùm Dijs studuerunt, Neptunū colebant, qui nostro tempore adhuc antiquitatis gratia uidebatur, uerùm precibus Imperatoris ablatus est. Alemannum quoq; uenerabantur Germani, cuius simulacrum in Augia ad nostra sęcula delituit, iuxta Cōstantiam: ibi non longè à suo nomine uilla Alma uocatur. Herculē quoq; & Martem cōcessis animalibus placauerūt, ut ait Cor. Tacitus. Cæsar lib. 6. Germanos Solem, Vulcanū & Lunam honorasse scribit. Sueui olim Isidē coluerunt, ut Cornelius ait. Rudigni, Amones, Angli, Varini, Eudoses, Nerthuini, Terram matrem uenerabantur: Naharuali Castorē & Pollucem, Aescij Martē. Hæc Cornelius. Hos Deos à Germanis olim cultos legimus,

Cultus Germaniæ.

Neptunus apud Etlingenses.

mus. Sacerdotes tamen maximè coluerunt Germani: illis enim ſolum licitum fuit uincire uel uerberare aliquem, ut ait Tacitus. Deos quoq; ad bellum ſecũ ſumpſerunt, & lucos nemoraq; Deorum nominibus diffinierunt, teſte eodem. In pluribus etiam Germaniæ locis ueterem conſuetudinem hodie uidemus. Franci olim, tunc Germani, Martem colebant, ut Hunibaldus ſcribit. Huic religioni Gotthi, Iornande authore, ſtuduerunt. Alludit & Virgilius:

Grandiuumq; patrem Geticis quàm præſidet oris.

Otto Cæſar, ut ait Suetonius, pugionem quo ſe occidit, Marti dedicandum miſit ad Agrippinam. Cæterùm tota Saxonia idolis fuit refertiſsima, quorum ueſtigium adhuc in nominibus Saxoniæ ciuitatum reſeruatur: de illis paulo pòſt ſermo largior habebitur.

De auſpicijs, ſortibus & uaticinio Germanorum ueterum. Cap. 5.

AVruſpices, quos Greci τοὺς σπλαγχνοσκόπους nominant, apud Hetruſcos omnium primi apparuerunt, ut ait Cicero de Diuinatione lib. 2. Multa apud Q. Curtium & Virgilium in Aeneide paſsim conſtãt. Inde Germani Romanos ſecuti, maximè per auguria uaticinati ſunt. Cor. Tacitus in Germania author eſt, qui ex equorum hinnitu ipſos augurari ſolitos ſcribit, & ab eorum hinnitu certiſsimum Germanos cœpiſſe experimentũ. In bello uerò captiuum quoquomodo interceptum, cum electo milite armis committebant. Hæc Cor. Tacitus ait. Plutarch. quoq; tradit in uita Cæſaris, Cæſarem ideo Germanos uiciſſe: mulieres enim Germanorum noluiſſe uiros eorum in prẹlium procedere, niſi noua Luna fulſiſſet. Tanta fides Germanis auſpicij fuerat. Cõſentit & Frontinus libro 1. Stratagematum. Cornelius fœminis hoc fuiſſe commiſſum ſcribit, & ſe ſub Veſpaſiano nouiſſe uates præcipuas extitiſſe fœminas. Cimbricæ mulieres, ut Strabo libro ſeptimo ſcribit, in bellum aſſumuntur, diuinarum rerum peritæ. Hæ captiuis ſtrictis occurrebant gladijs, & ex ſtillatione ſanguinis uaticinia fundebant. Hæc Strabo. Cornelius Tacitus libro pen. Hiſtoriarum inquit, ueteri more Germanorum qui pleraſq; fœminas uatidicas, & (languefcente ſuperſtitione) arbitrãtur Deas. Franci etiam, ut Hunibaldus ſcribit, uxorem Antenoris Cambriam ut Deam coluerunt: fuit enim aſtutiſsima. Item Saxones dum contra Sueuos pugnauerunt, qui patriam eorum inhabitauerunt, Sueui conſulebant fœminas, quæ prædicebant, licet aliter quàm futurum erat, ut Paulus Diaconus libro quarto rerum Longobardarum ſcribit. Eidem ſententię aſtipulatur Picus in ſecundo Hymnorum commentario, allegans omnem Germanorum circa auſpicia morem, illis carminibus:

Augurìa Germanorum.

Vaticiniũ Germanorum.

Captiuo & iugulo fundebat carmina uates
Cymbrica, quæ æripedum fremitus ſeruabat equorum,
Bellax Rhipheo Germania proxima cœlo.

Sortes uerò deciſis uirgis in ſurculos iactabantur, temerè & quaſi fortuitu, quæ uirgulæ ſpargebantur mox, ſi publicè agebatur, ſacerdos, ſi priuatim, pater familiâs, facta mentione ad Deos, ſortes interpretabãtur. Hæc Cornelius. Hunni uaria auſpiciorum genera habuerunt, unde Attilæ uaria augurando præterſa fuerunt, ut Priſcus, Sabellicus & Iornandes ſcribunt. Similiter Franci apud Hunibaldum, Gotthi apud Iornandem, Longobardi apud Paulum Diaconum. Fuit & Veledæ mulieris nomen peculiare apud Cornelium Tacitum, quæ temporibus Auguſti uaticinabatur. Meminit illius Statius libro 1. Sylua.

Sortes Germanorum.

Non uacat arctoas acies, Rhenumq; rebellem,
Captiuæq; preces Veledæ, cui maxima nuper

Gloria.

Celebratur & clara memoria Catta mulier, ita ob regionem natiuam Cattorum appellata, cui Imperator nonnihil credidit, referente Suetonio. Habemus & in Græcis commentarijs quandam mulierem nomine Dryudam Diocletiano imperatori coronam imperij prædixisse, quando aprum occideret. Cæterùm & auguriorũ peritissimi fuerũt Germani: unde Trogus ac Iustinus Hist. li. 24. Galatas in Illyricum translatos fuisse, tantùm ob auguriorum peritiã, refert.

De sacrificijs Germanorum & Scytharum. Cap. 6.

Sacrificiũ Germanorum. ERit nunc nobis sermo de sacrificijs Germanorum & Scytharum, quibus olim summo opere abutebantur, Scythas uidelicet imitati Septentrionales, quos ad lineam Germanorum aliquando reduximus. Scythę enim illi Taurici, id est Septentrionales, Lucillo Tarreo supra Apollonium ac Eustathio Græcis referentibus, humano sanguine hostias Dianæ immolabant: quod apud Lucianum Mnesippus Scythis obijcit in dialogo φιλία inscripto: οἵγε ἐπεὶ σφᾶς ναυαγίᾳ περιπεσόντας, οἱ τότε σκύθαι συλλαβόντες, ἀπῆγον, ὡς τῇ ἀρτέμιδι καταθύσοντες, ἐπιθέμενοι τοῖς δεσμοφύλαξι, καὶ τῆς φρουρᾶς ἐπικρατήσαντες: τὸν δὲ βασιλέα κτήνουσι, καὶ τὴν ἱερέαν παραλάβοντες. Hospites dum naufragio essent eiecti, & ipsos Scythæ tunc comprehendentes abduxerant, ut Dianæ immolarentur, deligebant eos carcerarijs excubijs prementes: & regem eorum trucidauerunt, sacerdotale officium assumentes. Meminerunt illius Ammianus Marcellinus libro 22. Solinus, Plinius in Naturalibus, Raphael Volaterranus libro septimo. Concordat Ouidius in Tristibus hac oratione:

Sunt circa gentes, quæ prædam sanguine quærunt,
Nec minus infida terra timetur aqua.
Illi quos audis hominum gaudere cruore,
Pene sub eiusdem syderis igne iacent.
Nec procul à nobis locus est, ubi Taurica dira
Cæde pharetratæ spargitur ara Deæ.

Totam hanc elegiam scripsit Ouidius de abominabili sacrificio Getarum, id est, Germanorum, ac Scytharum. Florus libro tertio, & eundem litandi abusum familiarem esse Tauriscis Germanis scribit. Potes huc afferre quæ priùs diximus de Teutane.

De iuramento Germanorum. Cap. 7.

Iuramẽta Germanorum. IVramentũ autem Germanorum dabatur & accipiebatur nominibus equorum, ut Methodius ait: aut per Druydas, ac fœminas eorum. Lucianus in dialogo qui τόξαρις inscibitur, plura de Scytharum Septentrionalium iuramentis retulit, apud quem ita loquitur Toxaris Scytha: Μᾶλλον δὲ πρότερον ὀμοῦμαί σοι τὸν ἡμέτερον ὅρκον, ἐπεὶ καὶ τοῦτο ἐν ἀρχῇ διωμολογησάμην. οὐ μὰ γὰρ τὸν ἄνεμον, καὶ τὸν ἀκινάκην, οὐδὲν πρὸς σὲ ψεῦδος ἐρῶ. Id est, Magis tibi nostrum iuramentum iurabo, dum & id in initio fuerim pollicitus, per Ventum ac Acinacem, nullum mendaciũ dicam. Quis autem fuerit Acinaces, Mnesippus ostendit dicens: καὶ ἄλλους ἂν ἔχοιτε πολλοὺς θεοὺς, οἷος ὁ ἀκινάκης ἐστὶ, τὸν ὀϊστὸν, ἢ τὴν λόγχην, ἢ κώνειον, καὶ βρόχον, καὶ τὰ τοιαῦτα. ποικίλος γὰρ οὗτος ὁ θεὸς ὁ θάνατος, καὶ ἀπείρους τὰς ἐφ' ἑαυτὸν παρέχεται ἀγούσας ὁδούς. Id est, Profectò multos alios deos estis habituri tales, qualis est Acinaces, puta iaculũ, lanceam, uenenum, funem, & his similia. Quandoquidẽ uarius est ille deus interitus, atq; innumerabiles aperit uias, quibus ad illũ fit aditus. Hæc ille. Quando igitur Septentrionales iurabant per Ventum ac Acinacẽ, intelligebant uitã ac

mortem,

mortem, dum Ventum animā quidam dixerint, initiū uitæ, quam Acinaces, id est, iaculum claudit. Compertū quoq; habeo πρὸς τὴν ἐλευθερίαν, id est, per libertatem Germanorum ueteres iurasse: quemadmodum Gotthi in literis Iustiniano missis. Bellica uerò coniuratio sic contingebat. In byrsam, id est tergum bouis, omnes ascendebant, qui se socios bellorum ostenderēt: quemadmodum in bello Marcomannico contra Antoninum Germani coniurauerunt: & ita hunc Septentrionalium usum esse, Lucianus in dialogo ἡ κοιλία inscripto prodidit.

Quomodo Germani olim animalibus sacrificauerint.
Cap. 8.

PRius humano sanguine in sacrificijs uti cōsueuisse Germanos diximus: fuit tamen & melior usus introductus, lapsu temporum. Gotthi enim impulsore Zamolxe, ab hominum sacrificio deterriti, tauros dijs litauerunt, ut sequenti capite patebit. Consuetudinem Galatarum in sacrificijs refert Athenæus Dipno. lib. δ. θύματα δὲ καταβάλλεσθαι ταύρων, καὶ συῶν, καὶ προβάτων τε, καὶ λοιπῶν κτηνῶν ἑκάστης ἡμέρας πολλά, πίθους τε οἴνου παρασκευάζεσθαι, καὶ πλῆθος ἀλφίτων πεφυραμένων, καὶ οὐ μόνον φησίν. οἱ παραγινόμενοι τῶν γαλατῶν ἀπὸ τῶν κωμῶν, καὶ τῶν πόλεων ἀπήλαυον. Methodius aliquando equis in bello hostibus extractis, sacra facere Germanos asserit, & ex stillatione eorum auguria capere.

Sacrificiū taurorum.

De Germanorum sacerdotibus, & quibus nominibus appellentur. Cap. 9.

NVnc ad sacerdotes Germanorū descendam: fuerunt autem Druydæ Germanorum magis quàm Gallorum sacerdotes. Claudius Cæsar ob uanam eorum religionem eos expulit: hi in Germaniam consederunt, & Caroli ac Arnoldi temporib. Christianā religionē interpretati sunt. Celtes nihil preciosius illis Hercyniam incolere dixit. Hi homines mactabant, & mortem contempserunt, ut Pomponius Mela lib. 3. Cæsar lib. 6. Diodorus lib. 6. Posidonius Græcus, Laertius lib. 1. Plinius lib. 16. capite tertio, Strabo libro quarto, Seneca in ludo Claudij Cęsaris, Marsilius Ficinus in libro de Christiana religione cap. 16. & alij multa de syderibus eos disseruisse referunt. Ammianus Marcellinus lib. 15. in hæc uerba prorumpit. Inter Gallos, inquit, Esruridæ (litera est deprauata, lege Druydæ) ingenij excelsioris ac auctoritatis Pythagoricæ disciplinæ extiterunt, quæstionibus occultarum rerum altarumq; erecti sunt, ac despectantes humana, animas dixerunt immortales. Hæc ille. Sunt etiam de ipsis Lucani Historici uerba istiusmodi lib. 1.

Druydes.

Locus Ammiani.

Uos quoq; qui fortes animas belloq; peremptas,
Laudibus in longum uates dimittitis æuum:
Et uos barbaricos ritus, moremq; sinistrum
Sacrorum Druydæ.

Cętera Aristoteles in Magico, ac Socion in Suessionum libro. Gotthorum etiam sacerdotes omnium gentium colendissimi extiterunt, quibus Zamolxis Gotthus præfuit, qui eos in Pythagorica disciplina instruxit, omnibus penè suæ ætatis Græcis præstantior, quem Laertius lib. 1. & Suidas tot laudibus extollunt. Hic etiam Dijs tauros esse piandos censuit: extāt de eius sacrificio duo Gregorij Nazianzeni uersiculi illi:

Gotthorum sacerdotes.

Καὶ γετικὸς ζάμολξις ὀϊστεύων δὲ ὁμίλου,
Πάντα θεῶν ταύρων τε κακὴ ξένοισι θυηλή.
Et Geticus Zamolxis iaculatus per cœtum,
Omnia deorum taurorumq; malum hospitibus sacrificium.

Multa Dion Græcus, Ablauius, Iornãdes, & reliqui ſcriptores de Zamolxi prodiderunt. Poſtquam uerò è uita deceſsit, in Deos abijt, referente Herodoto lib. 4. Hiſtoriarum, cùm inquit, καὶ τὸν ζάμολξιν ὄντα ἄνθρωπον δουλεῦσαι ἐν Σάμῳ id eſt, Et Zamolxim hominem prius exiſtentem in Samo inſula coli dicunt. Habuerunt enim patrio inſtituto Gotthi, ut ſacerdotes eorum in reges conſecrarent, ac mortuis ſacerdotibus diuinos honores largirentur, ut & Strabo uolumine ſeptimo teſtatur. Habuerunt & Zeritam Gotthi atq; Comeſinũ ſacerdotes. Abyrim etiam, quorũ (præter Dionem ac Iornãdem) honeſtiſsimè mentionem faciunt Strabo, Suidas & Chryſippus. Diceneus etiam Gotthorũ rex, omnem ſubditam plebem, ad Pythagoricæ diſciplinæ religionem traduxit: uir iuſtus ac conſtans, omnem Philoſophiam Gotthos docuit, conſcriptam in libro qui Græcè Bellagines inſcribitur. Temporibus Valentis doctiſsimũ quendam Gotthorũ ſacerdotem Sozimenus ac Socrates Hiſtorici allegãt, & Theodoricus epiſcopus. Slaui quoq; licet crudeliſsimi, maximè tamen coluerunt eorum ſacrorum præſides, quos & Sporos appellabãt, ut ait Procopius Græcus. Ita de Gallis dicitur, ſub quibus Germanos comprehendit Diodorus Siculus libro ſexto, quos Bardos uocauit, cuius uocabuli Beroſus ac Lucanus meminerunt. Heruli etiam populi, quamuis Chriſtiani, multa tamen gentilitatis ſeruauerunt in ſacrificijs, ait Procopius.

Slauorum ſacerdotes.

De Chriſtianitate Germanorum. *Cap. 10.*

EXacta priſcorum ſuperſtitione Germanorum, uirtus ueræ religionis eorũ ad memoriam noſtram accedit, in qua tota uirtus conſiſtit. Virtutum uerò Chriſtianorum ſumma eſt, Lactantio referente, Dei cultus, cuius hactenus ſtudioſiſsimi fuerũt Germani, adeò etiã, ut ea ſola cęteris pręſtabãt animantib.

Excudent alij ſpirantia mollius æra:
Orabunt alij cauſas, cœliq; meatus
Deſcribent.

Verùm dempto etiam illo quod regnamus imperio, nulla gens totius orbis Germanis religioſior eſt. Teſtantur primò id tot delubra honeſtiſsima, tot inſignia altaria, quibus nihil in tota Francia, Italia, reſpondet, ſicuti Aeneas Syluius ait. Verùm non authoritate opus eſt, quotidianis id oculis ſubiectũ eſt. Nã quicunq; Galliam ac Italiam uiderunt, nullo pacto Germanis iſtorum delubra conuenire teſtantur. Dracontius ille prætulit eccleſiam Diuę uirginis, Heremiticam dictam, penè (Romanis exceptis) Italiæ uniuerſæ. Quid ante Huſſitanorum inſanias, eccleſiaſticis Bohemorum ornamẽtis ſpecioſius? quid nobilius? referente Aenea Syluio. Tot demum ſacerdotibus tota ſcatet Germania, tantę rerum diuinarũ opes, tot urbibus & prouincijs conſtant Epiſcopatus, quorum quinquaginta numero recitat Aeneas. Nec Galliæ Duces tantis referuntur opibus, quibus tantùm eccleſia nobilitatur Germanica. Nunc de Germanorum religione noſtra erit oratio, quibus etiam pari argumẽto, nil innocentius, ut in pluribus locis Campanus ille oſtendit. Primò id de Carolo Magno Germano conſtat, qui tot gentes ad legem Chriſtianam traduxit, tot conſtituit Epiſcopatus. Tot etiam Pipinus Germanus, Henrici, Ottones, Friderici, qui & toties Papam liberauerunt, Eccleſiæ ſuccurrerunt, ut tempore Gregorij 3. Carolus Marcellus, Gotfrido authore. Pipinus Stephanum Papam ab Aiſtulpho, Carolus Magnus Hadrianum à Deſyderio & Herigeſto, Leonem demum à tota Italorum inſania liberauerunt, ut in tractatu de Iuribus regni & imperij Lupoldus ait capite primo. Ita Formoſum Papam Arnulphus ultus eſt, à genere Caroli natus. Otto primus Ioannẽ 12. contra Berengarium defendit. Idem Otto con-

Nulla Germanis gens religioſior.

tra

tra Benedictum tyrannum, Leonem Papam abdicatũ, ecclesiæ Romanæ præfecerat. Henricus 3. Suiggerum, qui Clemens 2. dictus est, sublimauit, deponendo Gregorium, cuius insolentia Romana ecclesia premebatur, ut 23. dist. in nomine domini, in glo. habetur. Lotharius etiam Saxo à Rogero Siciliæ tyranno, Innocentium 2. protexit. Tantus Germanorum in summũ Pontificem honos, tantum suffragium ad res diuinas. Nulli etiam summæ ecclesiæ Rom. tot subiecerunt ciuitates, quot Germani. Pipinus Rauennas, adiunctis quinq; ciuitatibus, Papæ donauit: idem Carolus Magnus Hadriano. Inde alij Germani Cæsares Bononiam, Romandiolam Romanæ ecclesiæ contulerunt. Quid Rudolphi Habspurgensis dona in Põtificatum meminero? Verùm hæc remittamus, cum Lupoldus ille Babenbergensis proprios libros de ista sola uirtute Germanorum reliquerit. Tam piè ergo hi Cæsares Germani operati sunt, dum studio defendendæ ecclesiæ exarserunt, ad quod ex debito & iure obligabantur: ut 23. q.5. c. principes, & 63. dist. c. Hadrianus. Iuuerunt ergo Papas, opemq; ferebant iustitiæ, ut meritò ipsi Christianissimi habeantur.

Vrbes à Germanis papis donatas.

Quòd Germani meritò dicantur Christianissimi. Cap. 11.

OB tam absolutum Germanorum officium in Pontificem Romanum, meritò Germani ὀρθοδοξότατοι Christianissimorum hominum appellationem acceperunt. Ita enim eos Campanus ac Pius Papa nominauerunt. Meruissent planè ex eo solo tanti nominis dignitatem, dum postquam fidei Christianæ cesserunt, nunquam à sano Christi dogmate, ueluti alij gentium, declinauerunt, ut Lupoldo Babenbergio placet. Romanorum autem quidam per Leonem Papam seducebantur, 22. q.4. c. actione, & de conse. dist. 3. c. prælatum. ubi multa de Leonis perfidia referuntur. Quid Anastasium, Constantinũ, Aphros, Græcos, & cæteros adducam? Germani uerò semper pertinaciter fidei nostræ adhæserunt, quorum nulli referuntur, qui pectora eorum à saniori religione habuerint remota, nisi Vandali cum rege eorum Hunnerico, ut Suidas, Gregorius in dialogo, Marsilius Ficinus, & alij asserunt. Ex Visogotthis Hermigildus ob fidei diuersitatẽ à patre occidebatur, ut 24. q. pri. c. cœpit, & q. pri. c. superueniente, legitur. Meminerunt & Theoderici Ostrogotthorum regis defectionẽ Canones de consecra. dist. pri. c. Ecclesias: adde his Bohemos. Alios Germanorum haud facilè reperies, qui in peruersam hæresim inciderint.

Germanorum perseuerantia in fide.

Qua tempestate quælibet Germanorum regio Christianis legibus fuerit imbuta. Cap. 12.

PRoximis capitibus ueræ religionis sacramenta Germanorum deteximus: nunc uerò temporis calculus nobis quærendus, qua tempestate uidelicet orthodoxam fidem nostri induerint. Accepit autẽ patria nostra Christianas leges satis serò: ob eorum enim ferocitatem & bellicam uirtutem gentibus omnibus repugnauerunt: maturè tamen uerbi diuini sacramenta illis exponebantur. Aiunt quidam decimo à Dominicæ passionis anno B. Maternũ S. Euchario ac Valerio comitibus, sacras literas Argentinensibus, Treuerensibus, Tungris, ac Coloniens. interpretatũ fuisse, ac mortuos quosdam in pago Illesatha ad pristinam uitam reduxisse, quo miraculo ab omni gentilitate ac Deorũ cultura Alsates exuisse Maternum referunt: uerùm ob tot Imperatorum perfidiam, Germanos rursus ad ueterem culturam redijsse. Constat hoc periculo Episcoporum tredecim Treuerorum, qui penè omnes in martyrio inuicem sibi successerunt. Nec potuit se Athanasius ille Magnus penes Treuiros moram trahens,

Germania quãdo ad fidem cõuersa.

hens, à Gentilibus defendere. Sunt qui honorem fidei Christianæ Germanorum Gregorio sui nominis quinto deferunt, in cuius uita Platina scriptor in hanc orationem euasit. Huius, inquit, peculiaris laus est, quòd eius opera, Germani ad nostram fidem sunt conuersi, omisso Bonifacio illo, qui proposita ueritatis luce, Germanos in fide instruxisse dicitur. Hæc ille. Nec desunt, qui egregium facinus illud in Bonifacium referant, & Gregorium tertium anno salutis 719, ut sacratissimi Canones undecim quæstion. tertiæ, Antecessor. Gotfridus Viterbiensis, Lupoldus capite secundo. Ego uerò multò ante Bonifacium, Germaniam nostris legibus usam fuisse puto, dum Hieronymi ætate uiderim ueram religionem Germanos sumpsisse, ipso referente Hieronymo in epistolis. Quis crederet, inquit, ut barbara Getarum lingua Hebræam ueritatem quæreret, & nobis dormitantibus & contendentibus, nostra Germania Spiritus sancti eloquia scrutaretur? Hæc ille. Procopius Græcus in libro. De bello Getico, Iustiniani temporibus Germanos in Christianos initiatos fuisse refert, & ideo inter eos ac Gotthos Arriana hæresi percitos, bellum fuisse obortum, dum Germanorum rex filiam suam Christianam Gotthorum regi τῷ ἀρειανίζοντι in matrimonium collocasset. Nescio igitur quid illorũ sententiæ debeam, qui Clodoueum primum regem Christianorum penes Francos extitisse referunt, & hunc dum se nostræ fidei deuouisset, Alemannos tunc Gentilium perfidia raptos bello superasse. Contraria huic Procopij fertur opinio. Nũc ad singulas Germanorum gentes descendam. Primos omnium Germanorum Gotthos Christianitate functos referunt, & Valentis tempore, ad gratificandũ Imperatori, ad hæresim Arrianam euocatos, ut Suidas, Aurelius Victor, Socrates Historicus, & alij prodiderũt. Sueuos aiunt ductu Ludouici primi ab Ansgario Hamburgensi, ad ueri cultus rationem peruenisse: in quorũ numero Lupoldus est, cui ego minus ausculto, ob Caroli Magni, Pipini, & eorum integritatem, qui Sueuos subdiderunt: hi enim molestè tulissent eorum perfidiam. Bauari uerò adiuncto eorum duce Teudone, à Ruperto, Episcopo Saltzburgensi, in fide instruebantur. Frisijs temporibus Leonis, & Vuolframi Episcopi cũ duce eorum Rabodo, nostra sacramenta iurauerunt. Lupoldus Babenbergensis illos à Carolo armis ad unius Dei cultum compulsos scripsit. Immisit enim Carolus eorum regioni quatuor Episcopos, S. Vilebaldum Bremensem, S. Hildegrinum Halberstadien. S. Lindeium, & Vuilebrordum. Eodem tempore Saxones conuersos fuisse à Carolo mens omnium est, cum duce eorum Vitikindo. Herulos Germanos Iustiniani temporibus in Christianos abiuisse, Procopius libro secundo τῶν γοτθικῶν asserit: & multa tamen gentilitatis eorum fidei miscuisse, nondum penitus expolitos ac synceros extitisse. Titulum conuersæ Pannoniæ, salutis anno 796. Carolo Magno tribuerunt. Bulgaros Nicolai primi tempestate Christi militiam consecutos, Platina in prædicti Pontificis uita asserit. Illis Hadrianus secundus, tres Episcopos destinauit, quorum ductu in fidei nostræ elementis erudirentur: Syluestrem uidelicet subdiaconum, Leopardum, & Dominicum Taruisium. Lupoldus uerò Babenbergius duos Episcopos ad eos deuenisse asseruit, ductu Ludouici primi, cuius sententiæ subscripit Historia Francorum, quæ & anno Incarnationis octingentesimo supra octuagesimum secundum eos baptizatos probat. Normanni inde per Carolum tertiũ, rege eorum Rothifredo, fidem nostram susceperunt, Roberto Gaguino referente ac Sabellico: Platina quoque probante idem in uita Ioannis octauo, Bohemos Spirineus Dux secum baptizari fecit, ut Platinæ in uita Stephani 7. placet. Alij ductu Ludouici, 14 Bohemiæ Duces simul pedibus in nostræ fidei doctrinas abijsse dicũt. Papa Pius huius rei euentum nonagentesimo nonagesimo quinto anno uisum asserit, Vngaros autem sub Henrico primo

Germanorum gentes quando conuersæ.

primo ab idololatria exceptos, ductu Hadriani 3. Platina testatur in uita Ioannis 13. Alij in S. Henricum id referunt, quod plus placet, qui ob id Stephano regi Vngarorum sororem eius in matrimonium addixerat. Asserunt huic sententiæ robur Otto Frisingensis libro sexto Chron. Lupoldus & Sabellicus, qui tamen S. Henricum primum nominauit. Itali enim Henricum Ottonis parentem à catalogo Imperatorum excluserunt. Platina in uita Dominici, Adelberto Episcopo, à Salutis tempore anno 1002. Vngaros Christianis legibus addictos fuisse indicat. Ab eodem Adelberto tam Poloni quàm Prussi in religione nostra firmati sunt, omnium consensu. Liuoniam Innocentij secundi temporibus Christiana ecclesia subdidit: nec desunt qui Christianissimos illos fratres B. Mariæ Teutonicos, uiribus tam Prussiam quàm Poloniam ad nostram eruditionem imbuisse contendant. Daniam Humoldus, quem alij Haraldum, postquam octingentesimus trigesimussecundus annus agebatur, ueræ religioni restituit. Hi autem à fide postmodum deficientes, ductu Henrici primi Cæsaris, & rege eorum Mulbano, pristinæ fidei puritati restituebantur. Procopius Slauos Iustiniani temporibus barbaros adhuc extitisse profitetur: hi tamen fidei cognitionem partim ab Henrico primo, partim ab Ottone exceperunt: & tantum de illo.

De humanitate & philoxenia ueterum Germanorum. *Cap.* 13.

CHristianitatis uirtuti humanitatem Germanorum annectere uolui, ut eminentissimum ac præcipuum ueræ religionis indicium. Nec quicquam aliud maius humanitate Christiano militi imputari potest. Fuerunt autem gentium omnium Germani olim φιλοξενώτατοι, referente Tacito, cuius uerba sunt: Germani conuictibus, inquit, & hospitijs alia gente effusius indulgebant. ita ut quemcunque mortalium tecto arcere nephas habebatur, pro fortuna quisque apparatis epulis hospitem excepit: cum inde defecere, qui modò hospites fuerant, monstrator hospitij & comes inuitans erat. Hi igitur proximam domum non inuitati etiam adeunt, nec interfuit quidquam: pari enim humanitate acceperunt notum ignotumque, ac quantum ad ius hospitis, nemo discreuit. Abeunti (si quid poposcerit) concedere moris est, & poscendi inuicem eadem facultas. Gaudent itaque muneribus, nec data imputant, nec acceptis obligantur. Hæc Cornelius, cuius uerba etiam Petrus Crinitus non sine summa admiratione ac laude prosequutus est, libro duodecimo, capite septimo: & Sabellicus in suis Enneadibus. Eiusdem humanitatis gloria Germanos Zacharias Lilius & Pomponius Mela libro secundo extollunt. Cæsar quoque Commentariorum libro sexto, penes Germanos hospitem uiolari nefas esse dixit, uenientes quoque à Germanis iniuria prohiberi, omnibusque etiam domos omnium patere: uictum etiam benignè communicari singulis. Cui igitur nationi totius terræ, tam insignis humanitatis titulus, quantus Germanis arrogatus est, præsertim Alpinis, quibus accolas uiarum expertes, ad miliare deducere mos est. Nulla gens peregrinis tam præsens, nemo pauperibus benignior, egenis dexterior, laborantibus ac prorsus ualetudine quacunque conflictantibus propicior Germanis est. Cæterùm apud alios penè omnis deperijt humanitas, desijt erga proximum amor: imbecillitatis enim propriæ illi inscij, nec uia aberrantem reuocare, ac consulenti opem ostendere dignantur. Gaudent Germanorum plus cæterarum gentium miserijs, offenduntur fortuna nostra, ubi nostris incommodis iniquior fortuna accesserit. Hi à tergo rident, secus Germano persuasum est, qui fragilitatis humanæ non ignarus, metu ac conscientia propriæ infirmitatis

Humanitas Germ.

Munera Germanorum.

Externorum inhumanitas

infirmitatis affectis consulit, ac omnes sibi necessitate coniunctos existimat: unde illi uerè homines dici merentur, hi uerò hominum appellatione dispoliati, in pecora abeuntes, brutalem potius humana uitam simulare agnoscuntur. Maior humanitas pecoribus à Deo proposita est, qui uicinitate & affinitate deuicti, alterno præsidio freti, sibi inuicem opem conferunt, ac insidiatores ultum eunt, incommodo alternatim mouentur. Athenæus in 4. Dipnosophistarum uolumine idem prodidit de Gallis, ex Philarchi Græci authoris relatu: & hos Gallos penes Athenæum, nunc in Germanos abijsse clarum est. Veritati igitur pepercit Campanus ille, dum nullum humanitatis uinculum inter Germanos esse hallucinatur.

De latrocinio Germanorum. Cap. 14.

NIl plus Historiæ describendæ accommodatum dedecet, quàm animum ab Historica ueritate ad assentandum, aut πρὸς χάριν, aut odij exercendi licentiam applicare. Cedit enim huic Historiæ maiestas, ac ille non assertoris, uerùm corruptoris Historiarum nomen meretur, dum ob nullum alium usum Historia incepta sit, nisi ut ueritati patrocinetur, illic optimos ductorũ immortalitas, hebetes uerò æterna infamia bonitate Historiæ consequatur. Cornelius omnes ante se Historicos, uel ob metum aut gratiam multa finxisse scribit: quod uitium nec ipse, Orosio ac Tertulliano referẽtibus, aufugit, nec Orosius, auctore Blondo. Ego uerò qui in ære nunc Germanorum sum, illorumq́ laudi enarrandæ destinatus, ut Historiæ ueritatem integram seruaturus uidear: non tantùm, quæ amplitudinis ac honoris eorum cumulo accedunt, uerùm & quæ uitio ipsis (ut uitam eorum corrigant) uertenda sunt, adiecturus sum. Modò summam Germanis humanitatem concessimus: nunc uerò id quod omnis humanitatis expers, omni societate uacuũ est, latrocinium scilicet illis impingemus, quod Põponius Mela lib. 2. & post eum Zacharias Lilius Germanis adscripserunt. Facilè tamen dicta illorum reuincenda essent à tot auctoribus de humanitate genuina Germanorũ scribentibus, nisi nostro sæculo (proh dolor) non minus uerum illud quàm uerissimum esset: latrocinia enim passim in tota Germania nunc eduntur, & laudi nunc debetur, si quis antiquam ciuitatem, aut maximum principem incursionibus ac prædis egerit. Verùm optimus uindex Deus omnium maximus olim modum istis imponet, dum multi principũ quorum conditionis est libera tutari omnia, à tergo rideant, ac perpetrandis tam effrenis ac detestabilibus facinoribus uires sufficiant.

Historiographorum mendacia.

Latrocinia Germ.

De amicitia Germanorum & Scytharum. Cap. 15.

NVnc ad amicitiam ac popularitatem Germanorum descendam, qua nulla alia gens effusius utebatur, cuius uincula uiolare summũ nefas semper habitum est apud Germanos. Extat de amicitia dialogus pulcherrimus Luciani fabulatoris comptissimi, qui totus de Scytharum Septentrionalium amicitia conscriptus est, quos nos in primo operis nostri libro, Germanos fuisse conuicimus. Sed cur non desideranti uerba Luciani detegamus, ubi publicas statuas illorum memoriæ consecratas refert, qui ueræ amicitiæ sacramenta penes Scythas custodiuerint. & addit: οὐδὲν σκῦθαι φιλίας μεῖζον οἴονται εἶναι, οὐδέ ἐστιν ἐφ' ὅτῳ ἄν τις σκύθης μᾶλλον σεμνύναιτο, ἢ ἐπὶ τῷ συμπονῆσαι φίλῳ ἀνδρί, καὶ κοινωνῆσαι τῶν δεινῶν, ὥσπερ οὐδὲν ὄνειδος μεῖζον παρ' ἡμῖν τοῦ προδότην φιλίας γεγενῆσθαι δοκεῖν. διὰ ταῦτα ὀρέστην καὶ πυλάδην τιμῶμεν, ἀρίστους γενομένους τὰ σκυθῶν ἀγαθὰ, καὶ ἐν φιλίᾳ διενεγκόντας. ὃ πρῶτον ἡμεῖς ἁπάντων θαυμάζομεν, καὶ τοὔνομα ἐπὶ τούτοις αὐτῶν ἐθέμεθα,

κοράκους

Κοράκους καλοῦσι. τοῦτο δέ ἐστι ἐν τῇ ἡμετέρᾳ φωνῇ, ὥσπερ ἂν εἴ τις λέγοι, φίλιοι δαίμονες. Nec quicquam maius amicitia Scythæ esse putant, neq; quicquam plus uenerantur illic, quàm adiutare amicum, atque communicari amico in rebus aduersis. Quemadmodum nullus apud nos plus uituperatur illo, qui amicitiæ desertor esse uidetur. Ob hæc itaq; Orestem ac Pyladem colimus, ut eos, qui optimi fuerint circa Scytharum uirtutes, ac in amicitia celebres: id enim nos maximè laudamus, & amicitia præditis nomē imponimus, ac Coracos uocamus, quod in lingua nostra tantum ualet, ut si quis dixerit amicitiæ præsides. Hactenus Lucianus. Et paulò pòst, Scythas omnibus Græcis πολυπιστοτέρους esse significat. Καὶ πρὸς τοὺς γονέας ὁσιώτεροι, inquit, & pietate erga parentes plus cæteris enitemus. Et si (subiungit) aliquando nobis simultates cum exteris oriuntur, semper tamen à ciuium ac amicorum iniuria absumus. Erat autem omnium Septentrionalium is usus ineundæ amicitiæ: digitos enim abscindebant, ac sanguinem in calicem distillantes, summis gladiorum intinctis, ambo pariter amicitiam percutientes, labris admouentes totum calicem ebiberunt. Hæc ex Luciano. Cæterùm in quo amicitiæ elemento plus cæteris Germani præstiterint, penes autores reperire non potui, nisi quòd Methodius priscis Germanis sacram fuisse amicitiam asserit: nec eam Cęsar libro sexto Commentariorum à nobis exclusit amicitiam.

De fide Germanorum. Cap. 16.

Fide uerò Germani maximè à Gallis differebant: Galli mobiles enim fuerāt, ut Cæsar libro primo & sexto ait. Germani autē interfecto C. Cęsare, uno impetu in Capitolium irruerunt, ad ulciscendum Cæsarem, ut Iosephus libro 19. scribit. Germanos quoq; legatione functos Romæ Pompeius cum reperisset, qui essent interrogans, Germanos dicentibus respondit: Solos ipsos fide & armis omnibus gentibus præstare, Cornelio & Iacobo Carmelitano autoribus: & inde eos ad patres duxit. Cornelius Tacitus gentem non astutam, nec callidam fuisse refert, uerùm secreta pectoris semper aperire, ita detectā & nudam omnium esse mentem. Et idem Cornelius ait, cum apud ipsos de corpore uel libertate agatur, uictum uoluntariā seruitutem æquo animo adire, quamuis iuuenior & robustior sit, qui uictus fuerit, alligari quoq; & uincire se tamen hunc pati, ac ob eam rem, prauam peruicaciam Germanorum fidem uocari ait. Hæc Cornelius, qui prauam pertinaciam uocat Germanorum fidem. At ego Val. Maximi auctoritate animatus, iustam perseuerantiam nominabo. Maximinus Imperator potissimùm se Germanorum fidei subiecit, qui & mortem eius acerrimè ulti sunt, ut placet Herodiano libro octauo. Celtes de Germanis ita inquit: *Fides Germanorum.*

Quiq; fidem sancto & constanti pectore seruant.

Fidem Germanorū maximè nostra secula retexerunt in bellis, ut sicuti prouerbium in deteriorem partem fidei Græcis imputamus, ita in meliorem Germanis. Nam apud Cæsarem libro quinto Belli ciuilis, Labienus cum Cæsare conflixit, & re infecta effugit: Germani uerò & Galli soli fortiter bellantes, & circumuenti, restiterunt usque ad necem. Hæc Cæsar in loco prædicto scribit: ita fidem seruandam putabant Germani. Fidem Germanorum Volaterranus libro quinto innuit, detestans proditionem quorundam, si uerum est. Nuper, ait, inclytum fidei nomen Germanorum, Heluetij infamauerūt, prodito Ludouico Sfortia Mediolanensium duce. Mamertinus ad Constantinum etiam adulando ita loquitur: Ruperat fidem gens leuis & lubrica Barbarorum, robore & audacia. Verùm loquitur ut panegyricis mos est: quis autem mos ille sit, Aelius Spartianus in Pescennio scribit. Eodem more utitur Ammianus Marcellinus

cellinus libro decimooctauo. Vt sunt, inquit, fluxiores ingenio Barbari: & libro uigesimosecundo, Gotthos fallaces & perfidos hostes dixit. Fidem tamen in Imperatores Germanorum ueterum copiosius alij allegant, ut Egesippus libro quarto, ubi de Domitiano loquitur, quem Germani ulti sunt, dum in eius ære fuerant. Erat prouerbium apud Martialem,

Das Cattis Daciscq; fidem.

Verùm ut adulator corruptissimus omnium loquitur Martialis, cui si quis fidem dederit, non hominibus simplicibus, ut Dacis, uerùm perditissimo assentatori præstat. Vtinã Cattis, Dacis, ac omnibus Germanis in tanto precio perfecta fides esset, ut spurcissimo poetæ Martiali fidem non darent.

De uictu Germanorum, & usu Scytharum, & de uerbo Episcythisæ. Cap. 17.

Cibus Germanorum. VIctus Germanorum, ut Tacitus ait, comis est, lautè autem cibum capiunt, separatæ singulis sedes, & sua cuicp mensa est: & sæpè ad conuiuia armati procedunt. Hæc Cornelius. Cibus autem eorum cruda caro fuit, teste Zacharia Lilio, & Pompon. Mela libro tertio. Cæsar uerò libro sexto, lacte, carne, caseo uesci Germanos ait. Strabo libro septimo, tenuitatem quocp ciborũ Germanorum probat, multos indigentia laborare ait. Cornelius Tacitus cibos simplices esse, agrestia poma, concretum lac, sine apparatu, sine blandimentis, ad expellendam famem. Et in alio loco Cornelius patientissimos famis dixit Germanos. Cornelij riualis in hoc est Sabellicus lib. 2. Enne. 6. Falsò ergo τοῦ λύχνου καὶ λεκύθου luxuriosiores Germanos colophonia contumelia externorum inuidia affecit. Appianus Alexandrinus in Celtico scribit, Germanos in necessitate pabulis ciborum loco uti. Cauchi quocp Germani lacte carnecp carentes, solum terræ fructibus uescuntur, ut Plinius libro 6, cap. 2. scribit. Gotthorum quocp ciborum tenuitatem Horatius libro tertio Carminum, oda 24. innuit:

Immetata quibus iugera liberas
Fruges & Cererem ferunt.
Nec cultura placet longior annua.

Est tamen Germanię terra satis læta arboribus, uitibus satis supercp consita, ut lib. 8 explicabimus. Cornelius diem noctemcp potum continuare, Germanorum nulli probrum dixit, etiam inter uinolentos rixas, nec rarò conuicia sequi, sæpius cædes & uulnera. Idem quocp Tacitus de reconciliandis inuicem inimicitijs, uel iungendis affinitatibus, siue asciscendis principatibus, de pace denique & bello plerosq in conuiuijs consultare scripsit. Appianus Alexandrinus *Consultatio Germ. in potu.* Belli ciuilis libro primo scribit, Germanos in bello Cæsaris, uino refertos fuisse, eiuscp uerba illa sunt: Inter hos Germani potissimũ ridiculo fuisse dicuntur, cum à uino uexarentur adeò, ut adueniente celerius Pompeio, facilè deleri potuissent. Hæc ille. Item Germani quanquam (contra Appianum) potui fuerint deditissimi, tamen uino abstinebant: quia eneruare uires uinum putabant: Cæsare authore. Alludit & Beroaldus in ebrio, Germanos uinum non gustasse. Si ergo Appiani dicta ueritati congrua fuissent, Cæsar Germanos non illustrasset in eo, qui tamen illo tempore eorum Imperator erat. Cornelius Tacitus potum Germanorum humorem ex hordeo aut frumento in quandam ui- *Germani uino abstinebant.* ni similitudinem coctum scribit: & addit, ripæ proximos uinum mercari. Nostro uerò seculo, quia Bacchum natura & bonitate terræ nascentem habent, uinum quoque non bibunt, imò ingurgitant. Fuerunt olim Germani, quorum potus tantùm hymbrorum aqua reficiebat, ut Cauchi, de quibus Plinius libro

bro decimosexto Nat. hist. capite secundo. Hunni olim, ut Rhegino ait, crudis carnibus uescebantur, & hominum corporibus, ut multa Iornandes. Cornelius Tacitus libro decimonono ait, Germanos sese longis epulis & uino sopitos, clausis foribus cremasse. Hæc ille Cornelius, qui prius apud Germanos uinum rarum, & insuetos uini dixit Germanos. Hieronymus contra Iouinianum libro secundo, epist. tertia, Septentrionales populos, inquit, si ad esum asinorum camelorumque compellas, simile putabunt, eorum uesci carnibus. Nomades, Troglodytæ, Scythæ ac Hunnorum noua feritas, semicrudis uescuntur carnibus. Sarmatæ, Quadi, Vandali, & innumerabiles gentes aliæ, uulpium carnibus uescuntur. Hæc ille. Nescio plane quæ portenta uetustas commentata est de Septentrionalium uictu. Fuerunt qui hos humana carne uesci consuetos dixerint: nec unquam peius audiuisse putes ullos mortalium, quòd illos Septentrionales in tantum priscorum affecit authoritas. Claudianus Hunnorum morem scripsit, pulchrum esse, secare parentes, & eorum uiscera in mensam parare: ni fallor de Herulis idem Procopius scribit, sed iniuria afficiuntur. Videatur de Getis Strabo libro septimo, ex Menandri Græci sententia. uideatur Horatius in Odis de Scythis, si Germanis Scythas illos adducendos existimas. Hæc Athenæi Græcorum doctissimi uerba ex Δ. uolumine Dipnosophistarum erogata sunt, cum inquit: γερμανοὶ δὲ ὡς ἱστορεῖ ποσειδώνιος ἐν τῇ τριακοστῇ, ἄριστον προσφέρονται κρέα ὠπτημένα, καὶ ἐπιπίνουσι γάλα, καὶ τὸν οἶνον ἄκρατον. Id est, Germania, ut Posidonius testatur in trigesimo, carnem apponebant in conuiuijs assatam, & bibebant uinum meracum atque lac. Hæc ille. Idem Posidonius Getas γαλακτοφάγους, id est, lactis comestores, & quosdam Germanorum appellabat, qui & ἄβιοι dicti sunt, Eustathio referente, dum à communi cibo mortalium segregati ad carnem tantum lac ac caseum se contulerint: ut enim βίος Græcis uitam, ita & uitæ sustentacula denotat. Nec Ciceronis sententia nobis in portu remittenda est, qui in quinto Tuscul. quæst. libro Scythas pulmento, carne, caseo ac lacte uitam tutatos scribit. Eiusmodi sententiam ipse natione Scytha Anacharsis in epistola Græca ad Hanonem ac Cratem testatur. Cætera ex Q. Curtio, Arriano, ac cæteris nota sunt, quanta parsimonia præditi fuerint Scythæ. Non ergo ueritati consonat, quod A. Gellius ex Onesicriti, Aristei, Isigonei, Ctesiæ, Polystephoni, Hegesiæ, libro decimo, capite quarto, sententia scribit. Scythas illos τοὺς ἀνθρωποφάγους, id est, carnium crudarum uoratores, dum Scythæ, maximè Germani, continentissimi fuerint, quod nemo Ouidio melius cognouit, apud illos uiuente, qui inquit:

Scytharum ebrietas

Non epulis oneror, quarum si tangar amore,
Est tamen in Geticis copia nulla locis.

Mouit etiam mihi non mediocriter stomachum Atheneus, qui contrà, Scythis τὴν ἀκρατοποσίαν immeritò adscribit, in Dipnosophistarum uolumine, quod iota inscribitur, ex Herodoti sententia: κλεομένην τὸν βασιλέα σκύθαις ὁμιλήσαντα, καὶ ἀκροτοπότην γενόμενον, ἐκ τῆς μέθης μανῆναι, καὶ αὐτοὶ δὲ οἱ λάκωνες, ὅταν βούλωνται ἀκρατέστερον πίνειν ἐπισκυθίσαι λέγουσι. Id est, Cleomentem regem Scythis conuersantem, & eorum ebrietatem imitantem, ad insaniam uersum, unde ipsi lacones auiditatem bibendi uocauere episcythisę. Ecce prouerbium ex ebrietate Scytharum in uulgum abijsse. Meminit huius uerbi Heracleotes in libro De ebrietate, & Atheus Gręcus author, in Aithoni satyrico, sic dicens:

Episcythisa.

Καλῶς μὲν οὖν ἄγειν σκυθισὶ πίνειν.

Cætera quę ad huius parœmię uenerem condonabuntur, Erasmus noster festiuissimis scholijs absoluit. Ecce quantæ scriptorum factiones: hi Scythas temulentiæ, illi uerò sobrietatis arguunt. Hæc autem uolui reponere, dum nouerim,

rim, Germanorum plurimos olim Scythas nuncupatos, & ubi de Scythis Europam habitantibus oratio consecratur, illic & de Germanis rem agi manifestissimum esse.

Ebrietatem non tantùm Germanis, uerùm & omnibus gentibus adscriptam. Cap. 18.

PEculiari diuerbio id diuulgatũ est, nullos tantæ ebrietati obnoxios, quantæ Germanos, tãquam nulla ætate à Germanis ebrietas desiderata fuisset, ac nullis alijs nationibus concessa. Primus eiusdem iniuriæ assertor Pontanus fuerat, qui tantam uini indulgentiam Germanis attulit, ut passim omnia longè lateq; nihil aliud patriam nostram occupauerit quàm temulentia. Modestius paulò Franciscus Philelphus rem tractauit: Non ob unum uel duos Germanorum ebrios, Italorum incestos, Gallorum fidefragos, tantis criminibus uniuersam regionem censeri uoluit. Aegrè fateor, doleo, imò offendor quorundam nostrorum bibendi licentia: pœnitet omnia Syracusanarum mensarum esse in Germanijs refertissima, ac Rhenum tantam cum Baccho traxisse uicinitatem, ut penes eum, Neuia sex cyathis septem Iustina bibatur, præcipuè quo mari approximat Rhenus, ubi tam miseros perdito bibendi usu deditos mortales præterfluit. Gaudeo tamẽ in iniungendis criminum uitijs, illud quod minus, quod tolerabilius est, Germanis contigisse, nec quod fidem peruersam, aut inconcessa furta, aut reliqua sapiat, quæ pręter ius piumq; nationibus imputata sunt, forte Germanis obuiasse. Vt tamen eorum iniuriam ex suscepti muneris officio ulciscamur, uideamus qui hi fuerint, qui citra æquitatem plus cæteris gentibus, Germanis ebrietatem addixerunt. Primò hi igitur, qui nulla conscientia uini indulti detorquentur, nec uel in ipsis, nec in maioribus defraudati genij titulos ferunt, accedant, & primis lapidibus aduersus Germanos grassentur. Verùm quæ regio tam absoluta est, cui non temulentię crimen à scriptoribus rerum inustum sit, demptis in hoc solis Germanis, quibus temporibus pristinis omne quod uinum saltem olebat, denegatum est. Non te fugit, qua potandi uoluptate ueteres Gręci fruebantur, in quam uinolentiam inciderint Romani, ut illis ex frequenti usu temulentiæ in prouerbium abiuerit: πῶς δὲ καὶ κεκραμένον πίνειν τὸν οἶνον δεῖ μετὰ τέσσαρα. Meminerunt huius adagij Diocles ἐν μελίσσαις, Athenęus in nono Dipnosophistarum: & Ion poeta Gręcus ac Tragicus hęc de potibus Gręcorum ait:

Inferioris German. populos uinolentiores.

Ebrietas quarundã gentiũ.

Εὐρὼν ὁ μάντις παλαμήδης ἐμαντεύσατο
πλοῦν ἔσεσθαι τοῖς ἕλλησι πίνουσι, τρεῖς
πρὸς ἕνα κυάθους.

Sciens uates Palamedes uaticinabatur
Nauigationem futuram Græcis bibentibus, Tres
Crateras ad inuicem.

Et Toxaris Scytha apud Lucianum Græcis usum esse scribit, in comparandis amicis, uino parare amicitiam. Quibus conuicijs Italorum ebrietatem damnet Plato, ex eius epistola ad Dionem liquet, & Tullius in quinto Tusc. meminit, Si Syracusanarum mensarum lectio placet. Idem Cicero de Finibus libro secundo. Plutarchus, Aemylius Probus, Laertius in uita Platonis, & multi præstantissimi uoti te compotem reddunt. Quis Siciliæ uentres ignorat, qui Macrobium uiderit. Ab aliorum temulentia mihi temperabo, ne oblitum officij mei, ad uini studiosos me stylum conuertisse putes, uel meipsum in eo largius, aut plus ęquo potui indulsisse existimes: ac me uini cupiditate adeò deuictum, ut illo alligatus, pedem ad institutum referre ignorem. Deniq; olim uino abstinuisse

nuiſſe Germanos reperies. Quid Galli? à quib. Beroaldus in quinto ſupra Tuſculanas queſtiones Commentario puerum ſe quotidiè è publico lectorio ad Bacchi ſacrificium uocatum ſcribit, ac ita cœnis ac uino diſtentos Gallos facit, ut farti ac ſepulti Baccho, dum uinum nocturnum edormire non poſsint, nec orientem ſolem aliquando, nec occidentem contemplari. Oh dij boni homines infeliciſsimi, qui miſeriarum ad ſubeunda tormenta nati, bibendi certamine adeò ludunt, imò luduntur, ultra corporis menſuram, ultra uentris capacitatem, ad perdenda uina oriuntur, ut ſi bibere recuſaueris, eos continuò, ac honorem læſum eas, excandeſcentes indignantesq; tibi paraueris: demum ita penes eos obtinuit, ut qui uerecũdius ac remiſſius bibit, ſub aliorum cenſuram cadit, quaſi affectatę alterius famę particeps, aut parricidio pręditus, animaduertitur: qui corpori ſeruiunt, nũquam liberi erunt. Et ut ego demum me à uini memoria liberum expediam, id ueritati adeò uicinum eſſe ſcio, ſuperiores Germanię populos eſſe uino liberos, ut olim liberrimos, nunc exteris qui eos impugnant, liberiores eſſe. De cęteris Germanis potius ſilere quàm quicquam dicere, honeſtius duximus.

Gallorũ ebrietas.

Qui uino ſeruiunt minus liberi.

De cultu menſarum ac præparatione, & comedentium conſuetudine ueterum Germanorum. Cap. 19.

VEterum Germanorum uſum nec Cornel. Tacitus, nec alij expreſſerunt, niſi tenuiter, & quaſi in tranſcurſu, ac digitis extremis, ut uulgo dicimus, rem illam libauerunt. Athenæus tamen Græcorum grauiſsimus, eo attentius, quo cæteri omiſsius, id proſecutus eſt, multa memoria ac feſtiuitate. Eius enim oratio ex Poſsidonij Græci Hiſtorici ſententia profecta, tandem iſta de Celtarum conſuetudine libro Dipnoſophiſtarum Δ. prodidit. Loquitur autem de Celtis Germanicis, non Gallis, quos præmiſſæ eius orationes ac ſequentes oſtendunt, Germanos fuiſſe, ubi Alpes ac cætera inhabitare eos dixit: adde quòd & uinum eorum ἄκρατον, item bellorum penes eos ſublimitas ſit: ac plera que illis Celtis Athenæus conceſsit, quæ Gallis tunc remotiſsima, Germanis uerò ſemper propria paſsim ab omnibus aſſeruntur. Verba Græca adieciſſem, niſi locus ille diffuſus extitiſſet: ob leuandum igitur lectori tædium, Latina ſub ſcribam à nobis ſic interpretata: Celtæ, intellige Germanos, Choas, ut Poſsidonius inquit, apponebant, & graminibus prius ſternebant ligneas menſas, paululum à terra eleuatas. Nutriebãtur autem modico pane, ac plurima carne, in aqua elixata, ac carbonibus ac uerubus aſſata: quam quidem non faſtidioſè apponebant, ac ambabus manibus eleuantes, membratim manducabant. Dum uerò caro δυσαπόσπαστον, id eſt ſeparatu difficilis fuerat, exili cultro eam diſciderunt, qui culter & cum uagina in propria lance circumferebatur. Piſces quoque apponebant, conſuetos fluminibus marinis, quos ſale, aceto ac cumino aſſatos condiebant, quibus & ad potum utebantur. Oleo uerò non fruebantur, ob rarum olei uſum: nam ob deſuetudinem, oleum eis iniucundum uidebatur. Quando autem multi ſimul cœnabant, circuli inſtar conſidebant. In medio uerò præſtantiſsimus, quemadmodum coryphæo conuenit, qui ab alijs differt, uel κατὰ τὴν πολεμικὴν εὐχέρειαν, uirtute belli aut genere, aut diuitijs. Inde ex utraq; parte iuxta dignitatis ordinem & præſtantiam, ſibi inuicem ſuccedebant, quas conſecutus erat quilibet. Hi ſimul & clypeos armatos à tergo ſiſtebant. Satellites autem illorum è regione in modum circuli, quemadmodum & domini cõuiuabantur. Hæc Athenæi uerba Latina breuiter obambulauimus, Græca ſi quis deſiderat, ipſum auctorem requirat.

De uasis fictilibus ueterum Germanorum *Cap.* 20.

Choa.

ERat autem χοὰ uas fictile, quę uocant, Suida referente, ἐκχύσεις ἢ ἐναγίσματα ἐπὶ νεκροῖς ἢ σπονδάς, id est. Instrumenta infusoria siue libatoria mortuis, aut calices aptos ad libandum, quibus Aetholi usi fuerant, ut Sophocles testatur. Sunt etiam iuxta Suidæ sententiam, crateres coronandis uinis congrui, ac mensurę genera, siue uasa uinaria, quibus Germanorum ac Celtarum ueteres fungebantur, & Romani quoq; ut Plutarcho placet in Romicis uolumine inscripto: διατὶ τῶν ῥωμαίων ἐν τῷ φεβρουαρίῳ μηνὶ ποιουμένων χοὰς καὶ ἐναγισμοὺς τοῖς τεθνηκόσι, δέκιμος βροῦτος, ὡς κικέρων ἱστόρηκεν, ἐν τῷ δεκεμβρίῳ τοῦτ' ἔπραττεν. id est, Cur dum Romani in Februario mense Choas & uictimas defunctis faciebant, Decius Brutus, ut Cicero ait, in Decembri istiusmodi exequias peregerit. Fuerunt & alia uasa Germanis peculiaria, quorum Athenæus lib. Dipnosophistarũ δ. meminit, cum inquit: τὸ δὲ ποτὸν οἱ διακονοῦντες ἐν ἀγγείοις περιφέρουσιν, ἐοικόσι μὲν, ἀμβίκοις ἢ κεραμέοις ἢ ἀργυροῖς, καὶ οἱ δὲ πλεκτὰ τὸ δὲ πινόμενόν ἐστι, παρὰ μὲν τοῖς πλουτοῦσιν οἶνος ἐξ ἰταλίας καὶ τῆς μασσαλιητῶν χώρας παρακομιζόμενος. Vbi Germanorum ac Celtarum pocillatores, in uasculis cornu, argento, aut ære prędítis, uina inferre ait, & illa diuitum uasa esse, quę ex Italia aut Massilia euehantur. In omnibus ueritatem professus est, quia tam splendida uasa tantum diuitibus concessit. Habet igitur Cor. Taciti sententiam sibi respondentem, qui Germanos ignorare aurum dixit, & apud paucos aurea uasa reperiri, ac penes nullos etiam, nisi quibus à magnatibus dono id præstitum sit. Bene ergo Athenæus subdit è Romanis uasa istiusmodi transportari: idem Athenæus ibidem. Cæteris Germanis & Celtis κανέα ξύλινα, ut eius uerbis loquar, esse, id est, lignea canistra, ac πλεκτὰ, id est, flexibilia. ut enim Suidas exponit πλεκοῦν τὸ συντασιάζειν παρὰ τὸ πλέκεσθαι, à flectendo. Habemus & adhuc nostro seculo similia uasa, quæ speciem prædictam repræsentant. Memoratur à Plinio lib. 36. cap. 6. gemmam in familiari usu Germanis obuiam fuisse, quam Græci Onychen appellant, quam ad fingenda uasa, sellas, lectos Germani usui habuerunt, qui & fabricandis pedibus admodũ conuenerat. Mihi etiam multorũ autoritate compertum est, Lentulum Spinterum amphoras mira magnitudine ex gemmis prædictis conglutinasse. Quod & Cor. Nepos palàm ostendit. Accedat Iulius Dictator, qui libro Commentariorum Gallicorũ 6. ex urorum, id est taurorum labris, pocula ac fictilia uasa formare Germanos consueuisse profitetur. Sententiæ suæ riualẽ habet Iulium Solinum in Collectaneis mirabilibus, cap. 29. Thraces ac Scordiscę olim, referente Floro lib. 3. è cranijs hominum sitim leuauerunt, quemadmodũ & Hunni apud Methodium. Peculiare illud barbaricę quorundã leuitatis argumẽtum erat, quod Longobardorũ rex Alboinus apud Varnefridum, Sabellicum, Blondum Flauium, & cæteros mentitus est, qui ex cranio Chunimundi Gepidarum regis, cratera multo auro distentum fabrefieri uoluit: ex quo, & non nisi summis natalibus libare consueuit, ut ait Paulus Diaconus, id more Barbarorum tentasse Alboinum: quibus moris est, ex capitibus hominum sitim sedare. Verum postposita antiquitate, luxuria illa ex Italiæ finibus in Germaniam subrepsit, effecitq;, ut nihil quod preciosi quoddam sapiat, in Germania desideretur. Sunt pocula Germanorum, quæ pristinam nunc uasorum elegantiam longè excedunt, non aurea, non argentea, aut succino uel electro cælata: nescio quid honestius insula recens inuenta produxerit. Vidi ipse uascula maximo auro nobiliora Noribergæ penes Bilibaldum Pyrkaimerum patricium, Cæsareæ maiestatis consiliarium, senatorio ordine præditum, & quod dignius est, uirum omnium disciplinarum instructissimum: cui omne quod uetustatem aut uirtutem propriam cæteris mortalibus incognitam sapit, cha-

Vasa Germanica. *Varia uasorũ genera.* *Vasa Pyrkaimeri Norici.*

rum

rum est. Vidimus apud hunc uasa iusta densitate prædita, ut digiti densitatem excedant, omnino tamen transparentia, & quæ radios de se instar uitri reflectunt, ac speculi: & sunt tamen tota terrestria, nil præter humum repræsentantia, & quæ centum annos in terræ uisceribus delituerunt, quousq; terra terram penitus expoliret: meminit illarum formularum Plinius. Cæterùm id uirtutis habent, ut omnis ueneni speciem non sufferant, & si uenenum fuerit introductum, nisi mox auferatur, continuò dirumpuntur.

De iure, iudicio, consilijs, & pœnarum inflictione. Cap. 21.

NVnc de iure maiorum nostrorum dicturus sum. Omne Germanorum olim ius coercendi populum apud sacerdotes situm erat: horum interfuit uincire, uerberare, uel animaduertere, ut ait Cornel. & Sabellicus lib. 2. Enne. 6. Mox deinde rex uel princeps, prout ætas cuiq; uel facundia est, auditur, & magis suadent auctoritate quàm iubent potestate: & si sententia displicuit, fremitu aspernantur: sin placuit frameas concutiunt: auctores sunt Cornelius & Sabellicus. Verba illa etiam recenset Philippus Beroaldus in commentario Asini aurei. Eliguntur (ut ait etiam Cornelius) in ijsdem consilijs, qui iura per pagos uicosq; reddunt, & armati consulunt. Leges primus apud Rhenum Germanis fundauit Tuiscon, authore Beroso. Leges paucas habuerunt antiquitus Germani: plus enim illic boni mores, quàm alibi leges ualebant, refert Tacitus. Iura tamen punitoria ita exercebant: Proditores & transfugas arboribus suspenderunt, ignauos & imbelles, & corpore infames, cœno uel palude desuper iniectos, immerserunt: in leuioribus delictis equorum uel pecuniæ mulcta sufficiebat. Adulteræ etiam uxori maritus abscisis crinibus nudæ uerbera iniicit. Hæc Cornelius. Nostro uerò seculo legibus Imperialibus utuntur. Est & iudicium penes Germanos ab aliorum moribus amotum, apud Sicambrorum gentes, Vuestphalos, ubi iudices (Cōserij dicti) oblatis cōditionibus, sine omni macula, reos arboribus (quoquo iure & omine) suspendendi facultatem nanciscuntur. Illud iudicium Carolus Magnus primus instituit in Germania, dum gentes mobiles Saxonum domuit: statuit iudices, qui quemcunq; conscium defectionis scirent, continuò occiderent, ut ait Aeneas Syluius in descriptione Europę. Pomponius Mela libro tertio, Causas, inquit, ex eorum libidine accersunt, neque imperandi prolatandiq; uim possident: ius in uiribus habent, adeò, ut ne latrocinij eos pudeat. Hęc ille. Pōponio adstipulatur Ammianus Marcellinus lib. 17. Audiant hi Tacitum dicentem, plus apud hos ualere bonos mores, quàm apud alios bonas leges. Hanc consuetudinem Petrus Crinitus libro 12. capite septimo, in tantum extulit.

De iure German.

Cōseij iudices.

De exercitio uenationis ueterum Germanorum. Cap. 22.

EXercitatio continua quantum ualeat, Vegetius de re militari, Modestus, Onosander, & alij quàm plurimi literis mandauerunt. Germani ergo (ut bellicosissimi fuerunt) assiduæ exercitationi se dedebant. Ingrata erat genti huic quies, ut Cornelius ait. Hoc igitur frequens studium Germanis tribuit epitheton exercitationis apud scriptores. Egesippus & Iosephus assidua exercitatione ipsos scribunt exercitatos. Similiter Seneca libro primo, de ira. Cor. Tacitus in Historia, ubi de Cecinna loquitur, Rhetorum equites assiduæ exercitationis dixit. Orosius libro sexto. Sueuos, Pomponius Mela libro tertio, animos & corpora Germanorum exerceri asserūt in bello. Etiam aduersus Alanos Hadrianus secum habebat Masorem Germanū, maxima amicitia sibi deuinctum, quia peritissimus erat uenationis, ut Dion Græcus in uita eius testatur. Laboris

Exercitiū German.

ris etiam patientes erant Germani consuetudine laborum. Mantuanus:

— solenni resonans Germania plausu
Indicat, est solitæ gentis sudare sub armis.

Venatio German. Venationi autem maximè incubuerunt, ut Cæsar libro sexto scripsit, cuius hæc uerba sunt, de Germanis loquens: Omnis uita eorum in uenationibus & re militari existebat, ut Celtes illo carmine scripsit:

Commune his studium uenari, equitare, uagari,
Atq; suum uarias uictum quæsisse per artes:
Nec patrio tepuisse solo.

Aeneas Syluius etiam uenationis eorum meminit. Mantuanus ad Cæsarem de Germania:

— assueta per Alpes
Frigora agens, certare ursis, niue candida semper
Per iuga ueloces cursu præuertere ceruos.

Gotthi sunt etiam uenationi deditissimi. Nam & Hunni ipsos primò in uenatu solicitauerunt, ut apud Iornandem habemus. Venatores autem horoscopum in quarta parte Leonis habēt, ut ait Maternus Firmicus. Beroaldus in oratione prouerbiali de illo signo differens, Germanorum meminit. Cornel. Tacitus (quanquam ab Tortelio & Marsilio Ficino mendacij arguatur) uerissimè tamen de Germania scripsit, excepto illo loco, ubi de uenatione agitur. Verba Cornelij sunt: Quoties bella nō ineunt, non multum uenatibus, plus per ocium transigunt dediti somno ciboq;, fortissimus quisq; ac bellicosissimus nihil agens. Hæc ille. In contrarium uerba Cæsaris prædicta intendunt: cœlo etiam aperto res ipsa est, Germanos uenatui deditissimos fuisse. Maior etiā fides Cæsari hac in re debetur, qui Germanos uincere quid sit didicit, & continuo usu secum habuit: non tamen minimus honor fuit apud antiquos uenatus laudatio, ut apud Platonem de Legibus liquidò cōstat. Herodianus libro quarto Imperatorem Italia discessisse scribit, ad Istrum uenisse, corpusq; exercuisse uenatu. Nec sacri Canones desunt, ubi Papa Episcopum quendam Germanorū ob uenatus studium castigauit.

Locus Cornelij.

De studio natandi, & alijs exercitationibus eorum. Cap. 23.

Natādi studiū. Labor deinde proximus fuerat, cùm sub toga Germania gerebatur, natandi consuetudo: quanta autē illa fuerit, ex eo constat, cùm Germania aquarum referta fuerit, ut libro octauo ostendam. Nam ut scribit Herodianus libro septimo Histor. Germani peritissimi sunt natando, qui tantummodo in fluuijs lauantur: & idem Historiographus octauo uolumine scripsit, ipsos natando se tradidisse fugæ. Sæpè enim legimus Germanos natasse, & seipsos in fluuijs lauisse. Cimbri quoque fluuiū transgressi, se flumine lauerunt natantes, ut Plutarchus noster scribit. Cornelius etiā Historiarum lib. 20. fluminibus suetos Germanos dixit. Cæsar lib. 6. Pomponius Mela libro tertio, etiam in hyeme flumina traiecisse Germanos natando ostendit. Franci quoq; (tunc Germani) in bello quod contra Gallos gesserunt, tempore Antenoris regis eorum, ad extremā necessitatem adducebantur à Gallis, unde in flumen prosilire compulsi sunt, multi uerò eorum ad littus natando emerserunt, ut scribit Hunibaldus. Idem in bello contra Iulianum Germani moliebantur, Marcellino auctore, cuius uerba illa sunt: Fugientes tamen aliqui tela incendiorum, magnitudini amnis se re misere & gurgitibus, peritia natandi ripas ulteriores occupare posse sperātes.

Ratio

Ratio huius astrologica est apud Iulium Firmicum, quam & Beroaldus adducit, & Manilius libro quarto, sic dicens, Vltima quos gemini producunt sydera pisces, His erit in pontum studium, uitamq; profundo. Erat autem longè excellentissimum, quod idem Ammianus Marcellinus apertè testatur: Fugatos Germanos in armis seruato eodem etiam ordine, fluuium transisse innoxios, nec unum ex ipsis fuisse desideratum. Cornelius quoq; Tacitus Batauos aquis insultasse, libro secundo refert, ac artem natandi ostentasse. Idem Tacitus libro primo Histor. recens inuento: Cecinna, inquit, fragiles sexus (Germanorum intellige) trucidauit. Iuuentus autem nando fluuium transmisit. Nec illud remittendum est, quod Capitolinus in uita Maximini scribit, Cæsarē tunc Germanos omnes trucidasse, nisi qui nando per paludes aufugissent. Idem Herodianus addit: Εἰσὶ δὲ καὶ πρὸς τὸ νήχεσθαι ἐγεγυμνασμένοι, ἅτε μόνῳ λουτρῷ τοῖς ποταμοῖς χρώμενοι. id est, Sunt enim Germani nauigando uel nando exerciti, qui tantummodo in fluminibus lauantur. Idem Herodianus libro ultimo, γερμανοὶ δέ τινες οὐκ εἰδότες τῶν ἰταλιωτῶν ποταμῶν τὰ σφοδρὰ. καὶ καταῤῥηγνύμενα ῥεύματα, οἰόμενοι ἢ σχολαιότερα ἐπινήχεσθαι τοῖς πεδίοις, ὥσπερ παρ' αὐτοῖς, δι' ἃ καὶ πήγνυται ῥαδίως, μὴ σφοδρῶς κινουμένου τοῦ ῥεύματος. ἐπεισπηδήσαντες ἅμα τοῖς ἵπποις, διανήχεσθαι εἰθισμένοις. Quod fermè id sonat: Germani quidem rerum ignari, quòd rapido ruptoq; impetu Italiæ flumina deferantur, ratiq; sensim campos influere, quemadmodum penes eos consueuerunt, ubi flumina nihil concitantur, facilè congelascūt. Ausi itaq; Germani se simul & equos natandi peritos, alueo credere. Hæc ille. Scythæ etiam Septentrionales in bello cum Sarmatis gesto, effugerunt natando, referente Luciano, πλὴν εἴ τις ἔφθη, διανηξάμενος εἰς τὸ πέραν τοῦ ποταμοῦ, ἔνθα ἡμῖν τὸ ἥμισυ τοῦ στρατοπέδου. id est, Nisi quis fluuium tranās natando effugerat, ad aliam ripæ partem, ubi dimidium exercitus nostri erat.

De alijs exercitationibus Germanorum. *Cap.* 24.

SVnt & alia Germanorum gymnasmata. Vt enim Cor. Tacitus ait, iuuenes eorum inter gladios ac infestas frameas sese saltu iniecerunt, ita exercitatio artem parauit, & decorem. Hęc Cornelius Tacitus. Fuit & Germanis familiare, in gyrum equos uertere, ac in altum leuare. Ostendit huius rei argumentum Maximinus Cæsar, qui à Germanis utrisq; parentibus ortus (patre enim Gotho ac matre Alana) hoc usu tenebatur. Nam equos in circulum uertere barbarica consuetudine, ut Symmachus libro Histor. quinto, ac Iornandes testantur, semper experiebatur.

Iuuenum in hastis gymnasmata.

De nomismate ueterum Germanorum. *Cap.* 25.

FVit temporibus priscis paucis concessa conflandi æris facultas: Germani id uirtute belli emeruerunt. Temporibus Iustiniani, referente Procopio Græco auctore libro tertio, dum inquit: Habuerunt Germani Italiæ loca, & totius oræ maritimæ secessu potiti sunt. Massiliam Focensium coloniam circa mare in ditionem acceperunt, unde & in loco, Arelate ubi nunc est, residerunt. Hi inquit, aureum nummum cudunt, è natiuo Galliarum metallo, sua imagine impressa: licet Persarum rex numismata faciat, non tamen ut illis, fas est huic imaginem suam imprimere, nec alius quisquam barbarorum ausus est. Methodius quoq; suo tempore Saxones leonem in nomismatibus circumtulisse asserit.

Nomisma German.

De labore & agricultura Germanorum. *Cap.* 26.

LAboriosos Germanos scriptorum doctissimus quisq; tradidit, sicuti Pomponius Mela lib. 3. quem sequitur Lilius in sua Geographia, & Cæsar lib. 6. qui

qui eos à paruulis labori & duriciei ſtudere ſcribit. Vellem Cornelium quod alij, tantùm Germanis exercitationes, uidelicet laborem & uenatū pręſtitiſſe, quas eis excluſit. Nam Germanorum fœminis tantùm & infirmiſsimo cuiq; ex familia, agrorum curam commiſſam ſcribit. Cæſar quoq; Germanos in agricultura negligentię accuſat, libro ſexto: medium enim Germanorum numerū annuatim bello, reliquam agriculturæ tribuit, ne ruris conſuetudine, belli ſtudiū minueretur. Claudianus itaq; Gotthos, Procopius Græcus Herulos ac Slauos nil arare aſſerunt, tantùm præda uitam ſuſtentare: quod de Getis Ouidius in Triſtibus idem ſcripſit.

De ludo Germanorum. *Cap. 27.*

Ludus aleæ German.

INter omnia aleæ ludum Germani exercebant, & ſobrij inter ſeria tractabāt, tanta lucrandi perdendiq; temeritate, ut cùm omnia defecerant, extremo & nouiſsimo iactu, de libertate & corpore contendebant. Cornelius hæc: ipſumq; ſecutus eſt Sabellicus libro ſecundo, Ennei. 6. & Philippus Beroaldus in Aleatore. Luſores autem tales Horoſcopum proprium (ut Iulius Firmicus ait) in aliquibus librę partibus habent. Beroaldus eius meminit, ubi de Germanis loquitur.

De coniugio & matrimonio Germanorum. *Cap. 28.*

Coniugia Germanorum.

AD Germanorum nunc coniugia deſcendam, quibus uarius erat uſus, præcipuē Septentrionalibus Scythis, quos ſemper Germanorum inſtar coluimus: ad quorum coniugia deſcribenda nōnihil nobis Luciani dialogus φιλία inſcriptus confert: uerba eius ſunt de Scythis Boſphorinis & Septentrionalibus: δεῖ δὲ τῶν μνηστήρων ἕκαστον προσαγγέλλειν ἑαυτὸν, διότι μνηστευσόμενος ἥκει, δειπνεῖν ἐν τοῖς ἄλλοις, κατακείμενον ἐφ᾽ ἡσυχίας. ἐπειδὰν γὰρ παύσωνται δειπνοῦντες, αἰτήσαντα φιάλην, ἐπισπεῖσαι κατὰ τῆς τραπέζης, καὶ μνηστεύσεσθαι τὴν παῖδα, πολλὰ ἐπαινοῦντα ἑαυτὸν, ὅστις ἢ γένους, ἢ πλούτου, ἢ δυνάμεως ἔχων. Id eſt, Oportet autē unumquemq; procorum ubi quis uixerit, quis fuerit, & qua fiducia ad ambiendas nuptias acceſſerit, enunciare, cum reliquis conuiuari, tacitumq; accumbere: inde peracto conuiuio poſtulata phiala, uinum in menſam effundere, ſponſam ambire, multum ſe commendare, quo genere, quibus opibus, qua potentia ualeat. Hęc de Septentrionalibus. Cæterùm Barbarorum fuit plures uxores ducere. Germani uerò talem morem præ ſe ferebant (ut Tacitus ſcribit) ut propē ſoli ſingulis uxoribus contenti fuerint, exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimas nuptias ambiebant: ſicuti de Arouiſto Germanorum rege patet, qui duabus uxoribus contentus, utraſq; bello amiſit: Cæſare in primo, & Euſebio referentibus. Getæ quoque hanc conſuetudinem tenuerunt. Dos autem uxori à marito offerebatur: cuiq; munera non ad muliebres delicias, uel ad nouæ nuptæ comptum parabantur. Nam frenatum equum, boues donabant, & ſcutum cum framea. Ipſis autem incipientibus matrimonium, auſpicijs admonentur: uenire ad eum laborum periculorumq; ſociam coniugem ſpondent, idem in pace, idem in bello, paſſuram, auſuramq;. Hæc Cornelius. Ecce Chriſtianæ religionis conſortio conſentaneum, quod & Campanus ille latē exequitur.

De caſtitate Germanorum. *Cap. 29.*

Caſtitas Germanorum.

CAſtitatem autem Germani ita uenerati ſunt, ut uix alia gentium: ante uigeſimum enim annum fœminæ habuiſſe cognitionem, turpiſsimum iudicabāt, ut ait Cęſar libro ſexto, cui adhæret Tacitus, his uerbis: Sera iuuenum uenus, eò quòd inexhauſta eſt pubertas. Caſtitatem quoq; in coniugio alia

gente

gente firmiorem custodierunt, quod Horatius noster ostendit, ubi Getarum pudicitiam libidinibus Romanorum prætulit, libro tertio Carminum, oda 24.

Viuunt & rigidi Getæ:
Nec dotata regit uirum
Coniunx, nec nitido fidit adultero.
Dos est magna parentium
Virtus, & metuens alterius uiri
Certo fœdere castitas.

Lucian. tamē in dialogo τόξαρις inscripto, Scythis cōcubinas adscripsit. Cor. Tacitus Horatio asserens ita loquitur: Paucissima in tam numerosa Germanorum gente adulteria, quorum pœna maritis præsens permissa est. Septa ergo pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conuiuarum irritationibus corrupti. Hæc Cornelius. Certis enim diebus (ut cum luna inchoatur) coierunt Germani, autore Cornelio. Nec etiam cupiditatibus adeò illiniti fuerūt, nec uisu commouebantur: quod Pogius testatus est ad Leonhardum Aretinum scribens, de balneo Badensi, ait: Publica duo balnea sunt, ubi innuptæ puellæ, pueri quoq; descendunt, ubi adolescentes & fœminas uidere est, omnibus nates ostentantes. Balnea uerò domorum perpolita, ubi per fenestrellas colloqui & potare licet, sæpè fœminæ nudæ nudo uiro obuiam ire, nulla inhonesti suspicio, masculi campestribus, fœminæ linteis induuntur uestibus, crurum tenus à latere scissis, neq; collum, neq; brachia uel lacertos tegunt. Cernūt uiri uxores tractari, cernunt alteri colloqui. Est quidem ipsis solatium, nihil his commouentur, nihil admirantur, omnia bona mente fieri putant, neq; est ex ijs qui zelotypus esset. Hæc Pogius. Et addit inde, tragico clamore aduersum Italos dicens: O mores nostris dissimiles, qui semper res in deteriorem partem accipimus, qui usq; adeò calumnijs delectamur, & obtrectationibus, ut si quid uidemus per ullam coniecturam, statim pro manifesto crimine attestamur. Inuideo, imò nostras execror peruersitates animi, qui semper quærimus, semper appetimus, cælum, maria peruertimus ad pecuniam eruendam, nullo contenti quæstu, nullo lucro satiati, dum futuras expauescimus calamitates, continuis calamitatibus & anxietatibus iactamur. Hæc ille Pogius Italus, non Germanus. Quid autē Lector ex illo accipiat, notum est Germanos etiā à suspicione esse innocētes. Illa consuetudo etiam nostra tempestate in balneis ubiq; obseruatur: Italorū uerò mulieres ē uia uix sine comite egrediunt. C. Tacit. id etiā apud antiquos obseruatū scripsit de Germanis. Nudos em̄ iuuenes inter gladios se iactare, nō in quæstū tamen, aut mercedem, quāuis audacis lasciuiæ præcipuū uoluptas preciū sit spectantiū. Miror natiōis illius homines, qui German. forsitan ex eorum ingenio iudicant. Hieronymus in epist. 91, dist. 12. ad Geruntiam, detestans luxuriam Latinorum, & aliorum, laudat & Barbaros in eo, & addit, trecētas uictis Cimbris matronas Teutonum, Marium rogasse (cum se alijs uiris captiuitatis conditione tradendas esse didicissent) ut templo Cereris & Veneris adiungerentur: cùm hoc non impetrauerant, occisis paruulis, mortuæ repertæ sunt: addit Hieronymus, quid ergo barbaræ castitati nō potuit inferre captiuitas? Hanc Historiam etiam recitat Val. Maximus libro sexto, capite primo. Orosius libro sexto, & nos libro quarto referemus. Codrus in sermonibus Italorum luxuriem detestatus est simili exemplo, Germanos in hoc maximē extollens, quia ante uigesimum annum mulierum his nulla constet ratio. Hunc morem etiā Petrus Crinitus lib. 12. cap. 7. cōmendat. Hæc satis de eorū castitate, ad alia pedē relaturus sum, cū solus ueræ castitatis Germanorū Campanus ille testimonium dedisset.

De

De lingua Germanorum. *Cap.* 30.

VEnio nunc ad extremam nomini Germano iniuriam ab Italo illatam, uidelicet, quia ſcriptorum quoſcp Barbaros noſtros dixit, ſicuti Plutarchus in uita Marij. Florus libro tertio, Herodianus, & alij. Vt autem Germanis præſens ſim, rogo, qua de re Barbari dicantur? Si enim linguæ ratione Barbari ſumus, eò uidelicet, quia nō declinabilis noſtra lingua eſt: nihil aliud reſpōdebo, niſi Anaxarſis dictum ad Athenienſes, quibus ſcripſit homines non linguis, ſed uirtute differre: & ſi linguis, melius tamen barbarè loqui & obedientes eſſe, quàm contumaces, & Atticè dicere. Hæc ille. Verùm ut nil impenſatum exterorum iniuriæ relinquamus, uideamus quæ maiora incrementa uel Italorum, uel Germanorum lingua ſumpſerit. Vulgaris Italiæ ſermo, qui olim Comicos hauſerat, quantum Dacorum, Longobardorum, Gotthorum irruptionibus defecit? ut profectò Italos iam nomen arguat. Simile iudicium de Græco uulgari ſermone eſt. Quantum uerò incrementi Germanicæ linguæ rigor aſſumpſerit, in propatulo eſt: propria enim lingua ipſi Germani inter ſe in tātum interſunt, quantum & Latina ac uulgaris. Non enim extremæ laudationis elemētum eſt, ſcire diſertè Germanicè loqui. Si eorum linguam Itali dicant à uero fonte Latino originem habuiſſe, & Germani eorum linguam cùm à Græco tum à Latino fonte multum habere gloriātur: à Græco incipio. Quod Græci θὴρ dicunt, nos thyr, quod Grę̨ci yctis, nos yltis animal, quod illi φλεβότομον, nos flieten, ferrum quo uena ſecatur: quod Græci λαλεῖν, nos lallen dicimus, & multa alia. Propria quoqꝫ nomina, ut δημοσθένης, nos Volckhart, λεωκράτης Leonhart, πολύφημος Albrecht, χρύσανδρος Mangolt, eaſdem compoſitiones (ut & Græci) habent, in quo noſtra lingua proximior Græco idiomati accedit, quàm Latina. Item terrarum nomina, ſicut quod Græci dicunt γῆ, id eſt terra, nos Geu, ut Durgeu, quaſi terra iuxta flumē Durā. Sic Suncgeu, Kreichgeu: itē quod illi πηγὴ, nos bach, id eſt uilla, ut Steinbach. Illud demum maximè eſt, in quo plùs commercij lingua noſtra cum Græca habet, quàm uera & ſyncera Latinorum lingua. Germani enim articulis utuntur, perinde ac Græci: hi enim τοῖς μύσοις, nos diſe dicimus, quibus Latini ſuperſederunt. Quid uerò à Latino habeat noſtra lingua, uanum uidetur dicere: cuilibet enim lingue̜ huiuſmodi elemētario id conſtat. Eſt ergo lingua illa noſtra plurimum uel à Græco, uel Latino fontibus, aut à ſono (ſicut & ipſe cùm Græcus tum Latinus ſermo) aut alia neceſsitate compoſita, quod Bebelius probat in eo, cum Gallicus ſermo multum Græci habuerit, autore Ce̜ſare. Si uerò Itali dicant aptiorem linguam eorum carminibus, ſicuti Guarinus Veronenſis, Frāciſcus Petrarcha, & alij, qui priuatis Italorum linguis carmina ſtruxerunt. Sciant & ad ante M. annos in noſtro ſermone actum. Ouidius enim Getico idiomate librum Auguſti laudis capacem ſcripſit, ut libro quarto de Ponto: Et ſcripſi Getico ſermone libellum: Structaqꝫ ſunt noſtris barbara uerba modis. Hunibaldus multos autores allegat, qui Germanico idiomate carmina ſcripſerunt, ſicuti Heligaſtus, Doracus, & alij. Scriptores nomina etiam noſtra ad Latinum ſe̜piſsimè uerterunt, ut in Plinio libro decimo Ganzas Latinè, nominamus nos Gantz. Qui plura de ijs legere cupit, Paulum Diaconum legat, qui penè omnibus Germanorum nominibus Latinum dat ſonum. Primus autem Germanicam linguam Trebeta compoſuit, filius Semiramis, ut Annales Nouietēſium dicunt. Carolus Magnus, ut Vuimphelingus ſcribit, Sigibertus Geblacenſis, Vrſpergenſis, & alij uolunt, menſibus inde & uentis nomina dedit: lingua noſtra tantum ita ſe extendit, ut nulla ſit regio ubi non Germanos audias. Zacharias Lilius in Geographia ſua in pluribus Italie̜ ciuitatibus, maiori imperio Germanorū quàm Italorum linguā increbreſcere ſcribit.

Lingua Germ. unde originem ſumpſerit.

Id quoque Carolum maximè Germanum esse, ac eius prosapiam, argumentum est, quòd hi plurimum in Germania habitantes, Germanicè locuti sunt, ut Einhardus Ludouici regis ac Caroli filij enarrator ostendit, dum scribit Ludouicum fata iam soluentem, dixisse Germanicè uffuff, quod apud Latinos foràs significat.

De perfectione linguæ Germanicæ, & quomodo Græcè nomina eorum dicantur. Cap. 31.

EX præmisso capite constat, Germanicam linguam proximam Græcorum idiomati accedere, ob articulorum cōmunionem: alia quoque uicinitas est, quemadmodum Græcæ linguæ peculiare est, honesta compositione plures dictiones coaptare, ita & Germanico idiomati idem familiare est: in eo tamē longè Græcam quàm Latinam linguam Germanicus tenor excedit. Nam omnis imperatiuus, ac omnia penè Germanica uocabula monosyllaba sunt: ut brot, fusz, disch, der, dem, lisz, morn, &c. & penè quicquid monosyllabam excedit, peregrinum ac non Germanicum est, sicuti deller, externorum est, qui delir dicunt, ita uuasser, à peregrina lingua traductum, qua uuammasei dicitur: ita & Baret, kleinet, fenster à fenestro, & alia disyllaba transferuntur peregrina. Ouidius nonnihil linguam Geticam, id est, uerè Germanā cum Græcis habere asserit in Tristibus:

Vocabula German. monosyllaba.

Mœsia uocis habet quid, Barbara lingua Latino
Græcaque cum Getico mixta loquela sono est.

Verùm de illo copiosior inferiùs erit oratio. Cæterùm ut innotescat quomodo à Græcis Germanica nomina dicantur, Attila à Græcis ἀττίλας profertur, per as, quemadmodum nos Sylla σύλλας, βούλγαροι Bulgari, ἄβαρεις Auares per b, ὖννοι καὶ ὖγγαροι, Hunni & Vngari, sine aspiratione apud Suidam, σάρμαται Sarmatæ, licet Dionysius Græcus γερμανοὶ σάμαται, id est Germani Samatæ sine ρ dixerit, hoc tamen ut Eustathius ait ibidem, τοῦ μέτρου βία ἐξώθησε τὸ ρ, σάρμαται γὰρ ἁπλῶς ἔδει, καὶ οὐ σάμαται: id est, metri causa literam r deposuit, fuisset enim dicendum Sarmatę, & non Samatæ. κίμβροι & κύμβροι, Cymbri lego apud Plutarchum, & tamen κιμμέριοι semper Cimmerij per iota apud Herodotum. Ptolemæus ἄξονες καὶ σάξονες Saxones dixit, βλήδας Bleda rex Hunnorum. Cætera nomina propria Germanica, quo pacto à Grçcis dicantur, lib. ultimo enarrabimus.

De nominibus Germanicis, & unde emerserint. Cap. 32.

MAxima necessitas quam cū Græco idiomate nostra lingua gerit, illa est, quòd penè omnia antiquorum nomina Germanica, Germanicam sapiunt originem: ac significatiua sunt, quemadmodum apud Græcos. Ammonius Iupiter dicitur, quia in harena Lybica colitur ἄμμων: ita Plato in libro de illis qui pro patria pugnauerunt, nomē Hectoris declarat: ita Homerus in hymno Veneris, nomen Aeneæ à laude deducit. Voluerunt idem obseruare Cicero in libro De natura Deorum, & M. Varro in Latinis. Hoc etiam enixè penes Germanos obseruatum esse manifestissimum habemus. Aliqua enim nomina Germanica à uerbo dicuntur (uuert) quod nos ualere dicimus, ut Dagobertus Daguuert, more Græcorū, ita B in V transferūt, ita Lampertus Languert. Alij tamen illa nomina in barbam protulerunt, ut Langbart Lambertus, uelut sequetur. Alia à diuitijs dicuntur, quemadmodum quæ in Rich desinunt, ut Henrich Habenrich, Genzerichus Gantzrich, Alricus Alrich, Fridericus Fridrich, Vlricus Vrrich. Est autem ur Germanicè, quod apud Latinos totum dicitur, Vast, ut Germanorum ueteres loquebantur. Alij Germanorum à consi-

Nomina propria Germanica significātia.

lio, Ra dt, nomen sumpserunt, ut Cunradus, kun im radt. Alij à fama, Mer, ut Fil mer, Getarum rex Filimer, Danckmerus, licet alij Danckmarum uocitent ducem Saxonum , Henrici Cæsaris propinquum. Alij à facie, ut Kunimundus, kuon mund, Torismundus, Berismundus Getarum ac Gepidarum reges nuncupabantur. Hæc omnia ideò adduximus, ut ęquus Lector agnoscat, gentes illas uerè Germanicas extitisse, & nomina illa uerissima Germanorum: & ob linguæ illius ignorantiam, sæpè ab Italis corrupta fuisse prolata. Dum enim Ritium, Vrspergensem, Rheginonem, & plerosque alios uideo, plura reperio nomina, tunc apud Gallos, quorum origo Germanica erat, quę tamen Gallica credebantur, Ritius in Historia de regibus Franciæ, Eubronium quendam adducit Childerici occisorem. Vocabulum est corruptum, alij ipsum Eberonium, & itidem malè nominant. Dicitur autem Eberuuinus teuto. Eberuuin, quod uocabulum Germanico nomismate signatur. Ita Ortuuinus, Balduinus dux olim Flandriæ, Eruuina uxor eiusdem ducis, teut. Ertuuin, Volouuinus apud Vrspergensem teuto. Voluuin. Erkindus ab alijs Ertuuinus dictus est dux Sueuiæ, Lutuuinus dux Lotharingiæ. Et hi à uino appellationem tulerunt. Vocauerunt etiam Germani alios à pace: nos (Frid) ut Fridericus, Linfridus, Gotofridus, nos Friderich, Elleinfrid, Gutfrid, dicimus Manfridus Manfrid, Lanfridus Landfrid, Sigifridus, Erlafridus. Latini per œ illos proferentes, ut Fœdericus, & à fœdere nomina illorum deducere uolunt. Velim ut Germanicis nominibus Germanicos numeros tribuerent. Item à robore nos (Hart) ut Gothardus, Leonhardus, Burkhardus, Vuolffhardus, Bernhardus, Marquardus, Richardus, Reinhardus, Volghardus, Einhardus, Eberhardus. Sunt & à uiro (Mann) ut Hartmannus, Carolomãnus, Hermannus, Christmannus. Nec desunt ab audacia, ueluti Hiltbrandus, Hildegardus. Item omnia nomina in dieth Germanica, Latini in theos, similiter ac Græci transtulerunt, ut Theobaldus Diebald, Theomarus Dietmar, Theodoricus Dietrich. Est autem Dieth, uerissimum uocabulum Germaniæ, quod diuitias significat, das ist ain diet. Itē ab amore, ut Lupoldus nos Liebholt, Dieboldus, Berchtoldus. Illa itaque & similia nomina Germanica à nominibus Germanorum descendebant. Hęc nomina Gręci perinde ut Latini ad declinationes traxerunt, unde & paululum uariata sunt. Hinc est, ut multarum regionum ciuitatumq́ origines ignoramus, & Græca putamus, quę tamen Germanis debentur. Veluti Vormacienses dicimus Vangiones: omnes mirantur, unde nomen illud fuerit profectum: literis Græcis non opus est, Germanicus fons spectetur. Vrbs hæc sita est in territorio, teutonicè Vunggau dicto, Cerere & Baccho opulentissimo: Græci paululum uariantes literas, Vangiones illos proferebant, quasi Vungaugiones. Sic & Nemetes, ueluti à solitudine illic dicti sunt. Tribochi à tribus nominatissimis quercubus (Treibuoch) nomen sumpserunt, ut Celti placuit. Sic enim & Norici, qui hodie sunt in loco Norkeu dicto. Iuuat istis cæteris Germanis datam esse ansam. Carolus Magnus ut eius Historiæ dicunt, & Abbas Tritemius testatur, nomina Germanica in regulas digessit, & opera quædam lingua Germanica edidit. Post Carolum Gotfridus scriptor, Hugo Floriacensis, Eberuuinus, & Segenbergensis, quorum Annales & adhuc in bibliothecis monachorum uidentur, plura de exordio Germanici idiomatis protulerunt.

Vangiones unde.

An Germani sint Barbari, & quis dicatur Barbarus. Cap. 33.

Barbari qui.

NOn esse Barbarum, tantum Græcis olim fuit attributum, & tamen non omnibus, auctore Festo, & illi Græci, qui non plenè linguam Græcam & feliciter loquebantur, Barbari dicebantur. Ita intelligitur Strabo, cum Blesos

Barbaros

Barbaros ait uocitari, quod & Tanais Scytharum rex contra Vexorim regem Aegypti, qui hos uerissimos Barbaros esse putat, qui iusticiam non colentes, ab omni humanitate desciscentes, uentri somnoq; dediti, nil rationi conuenients agunt magis, quàm qui lingua aut idiomate hallucinantur. Homerus Cares populos Græcię ut Barbaros accusat. Inde post bella Troiana Græci à Barbarie excepti sunt, & omnes aliæ gentes Barbari dicebantur, ut Ammonius testatur, cuius uerba sunt, βάρβαρον καὶ βαρβαρικὸν διαφέρει, βάρβαρος μὲν γὰρ τοὔνομα τὸ οὐκ ἑλληνικόν, βαρβαρικὸν δὲ τὸ τῶν βαρβάρων. Id est, Barbarum & Barbaricum differunt: Barbarum illius quidem nomen dicitur, quod non est Græcum, Barbaricum uerò res est Barbarorum. Romani etiam tunc Barbari nuncupabantur, ut quidam legatus Philippi regis Aetolorum respondit ipsis, apud Liuium libro trigesimosecundo, & Plautus Næuium poetam Romanorum Barbarum coniecturauit. Cato quoque apud Plinium libro uigesimonono, Romanos fecit Barbaros. Huius rei testes sunt, Aeneas Syluius in Geographia, Alciatus Mediolanensis, Beroaldus supra asinum aureum, Strabo libro primo, in fine, Crinitus, Celius, Volaterranus, & Marinus Benchemius. Postquam igitur Imperium ad Romanos deuenit, à barbarie Itali excepti sunt, & Latini. Et adhuc tamen Hebræi Barbari appellabantur: sic enim eos Iamblychus Grecus, ubi de religione disserit, nominauit. Post Christi natiuitatem, Barbari omnes putabantur, quibus nec Græci, Latini aut Hebræi nomen concedebatur: ita Hesychius Græcus βάρβαροι οἱ ἀπαίδευτοι, inquit, id est, Barbari indocti sunt. Apud recentiores uerò in barbaricum nomen abiuerunt, qui Imperio Romano non subijciebantur, ut L. de seruis fugitiuis. Ita Marcellinus, Latinus Pacatus, Mamertinus, Ambrosius, Seneca, Arianus, & alij Germanos calumniabantur ueluti Barbaros, & Hesychius Britannos. Inde autem postquam Imperium Germanis cessit, & Germani excepti sunt: & hos pauci criminabantur nostrę tempestatis Barbaros, nisi qui inuidia moti, & gloria eorum offensi, Barbarorum nomen nobis adscripserunt. Hodie tantùm fidei nostrę insidiatores, Procopio referente, Barbari ęstimantur, ut Tartari, Roxani, & Sarmatæ, licet & Celtes Vngaros appellauerit Barbaros. Audi Aeneam Syluium, cuius uerba sunt in epistola ad Martinum Maier. Ita Christiana religio, inquit, omnem Germanię barbariem expulit, ut ipsi Itali Gręci, erga uos Barbari, uos Gręci ac Latini appellari poteritis. Hęc Aeneas, Italus non Germanus.

Contra Hermolaum Barbarum, ac Campanum, Germanos Barbaros uocitantes. Cap. 34.

ITali ad huncusque diem in nullo præterquam inscitiæ Germanos arguunt, quia Germani μήτε νεῖν μήτε γράμματα calleant. Ducuntur forsitan Cornelij Taciti dicto, secreta literarū uiros pariter & fœminas Germaniæ ignorare scribentis, Leberideq; incultiores nos esse clamãtis. Ecce quid Hermolaus Barbarus: cuius hæc uerba sunt ad Mirandulæ Comitem, de quibusdam Germanis dicentis: Nec inter Latinæ linguæ auctores Germanos istos numero, & Teutonas, qui ne uiuentes quidem uiuebant, nedum extincti uiuant: aut si uiuant, ut uiuant in contumeliam. Nominantur enim sordidi, rudes, inculti, Barbari. Cui nationi à Germania illa uerba impacta sunt. Hermolaus igitur qui Germaniam peragrauit, ut in Annotationibus scripsit, plus ęquo, illo uerbo & uerrucas & tubera Germanorum offendit. Consimilia illis uerba detractoria Campanus Germanis inussit, quos toties Barbaros, ac gentibus omnibus incultiores asseruit. Tantum denique ocij Campano superfuit, ut in toto Epistolarum opere, in nulla re ingenium suum plus aluerit, quàm in detractione nominis & fa-

Germanos nō esse Barbaros. Contra Her. Bar. ac Campanum.

mæ Germanorum. Hermolaus Barbarus tamen illo epitaphio, quod olim Rudolpho Agricolæ ſubſcripſit, quicquid Græcia ac Italia laudis aucupata eſt, Germaniæ tribuit:

Inuida clauſerunt hoc marmore fata Rudolphum
Agricolam, Friſij ſpemq́ decusq́ ſoli.
Scilicet hoc uno meruit Germania laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Nunc Campano reſponſurus ſum, qui Albertum Magnum philoſophis prętulit omnibus: nil in orbe fuiſſe productum refert, quod diſciplinis ac philoſophiæ Alberti accedere poſsit. Ecce aliud in Ratiſponenſi oratione, nihil quod luminis quiddam ſuboleat, Germanis detraxit. Itali itaque omnes gentes, more Aegyptiorum, à ſe Barbaros dixerunt. Fuit enim Aegyptiorum uſus ille, Herodoto referente, cuius uerba ſunt: βαρβάρους δὲ πάντας οἱ αἰγύπτιοι καλοῦσι τοὺς μὴ σφὶν ὁμογλώσσους. Aegyptij enim Barbaros uocant omnes, qui non linguæ ipſorum conſonant. Hæc ille. Et ſi olim Germani non ſicuti Græci καλλιλογησάμενοι orationes eorum adornauerunt, poſſum aduerſus eos dicere, quod Toxaris apud Lucianum, οὐ γὰρ σκυθικὸν τοῦτο, καὶ μάλιστα ἐπειδὰν τὰ ἔργα ὑπερφθέγγηται τοὺς λόγους. id eſt, Non enim Scytharum & Germanorum eſt uerba phalerare, præſertim dum magis res quàm uerba loquantur. Si pergerent Germanis barbariem obijcere, aduerſus eos id, quod contra Athenienſes Liuius dixit, ualeret.

De Germanis antiquis illuſtribus. Cap. 35.

CAeterùm ut paululum ad diem emergat Germanorum antiquorum præſtantia, & qui fato iam diu conceſſerunt, ne & olim Germaniam admodum barbariē occupaſſe liqueat: nunc paulò altius Germanos reuocabo, prę-
Rudolphi Agricolæ laus. ter Alberti Magni induſtriam. Agricola ille Rudolphus tam abſolutæ induſtriæ, ac incomparabilis ingenij uir, ſolus meruiſſet, uniuerſam Germaniam uel decore tantùm ſuo, ab omni barbarie exceptam fuiſſe. Siquidem hic, Eraſmo referente, in carmine Maronem, in proſa Politianum retulit, ac omnia philoſophiæ myſteria penetraſſe aſſeritur. Quem publico nomine dignum ideo cenſet Eraſmus, quòd tantum illius diſcipulo uſus fuerit præceptore. Ingens planè ac clariſsima laus, quæ & à uiro clariſsimo in teſtimonij uicem propagatur. Nil momus unquam & in illo requiſiuiſſet, niſi quòd nullam habuit uir ille rationem poſteritatis. Platonis tamen dialogos ac Iſocratis parœmias uertit, quę adhuc circumferuntur. Fuit Rudolpho familiaris, & qui penes eum ſummum
Ioan. Dalburgius. ualuit, Ioannes Dalburgius linguæ utriuſq; peritiſsimus, ac triplicibus donis præditus, iuſta membrorum firmitate, iuſtiori animæ habitu, iuſtiſsimis externarum rerum commodis prouiſus, magno uidelicet ſacerdotio imbutus meruit. Et quod maximum fuit, in ſtruendis bibliothecis adeò curioſus, ut cum Ptolemæo illo Philadelpho decertare potuiſſet. Floruerunt coætanei eius, Thomas Vuolphius, Conradus Celtes, Murrho. Penes priſcos Ligurinus poeta, Vrſpergenſis, Hermannus, Abbas Spanheimius, Germani meruerunt. Quis uerò unquam Cuſano Cardinali Germano, in omni literarum genere inſtructior? cuius tot egregia uolumina extant, quorum Ioannes Andreæ facit mentionem. Quis Cunone ἐλλογιμώτερος? Quid Iodoco Rubiacenſi uiro humaniſsi-
Illuſtres Ger. mortui. mo literatius? Quid in utraque theologia Gabrieli Nemetenſi profundius? Taceo Iacobum Teutonicum, Ioannem de Monteregio aſtrologorum peritiſsimum, cuius memoriam Picus ille in libro contra Aſtrologos, facta eius mentione honeſtiſsima prorogauit. Eruditorum antiquiſsimi Germanorum Huni-

baldus

baldus, Otto Frisingensis, & Rosuita monialis referuntur, quibus Historiographorum nomen inditum est, qui apertè sese Germanos profitebantur. Si Theologorum ueterum memoria te delectat, quis Marsilio profundior? Sumerhardo acutior? Retulit Bruno ille ordinis Cartusiensis origo ac initium, ab Agrippina exordium. Si autem numerum illorum, qui in Diuos abierunt, requiris, cōstabit nullam terram tot sanctis fuisse speciosam, ueluti Germaniam. Verùm ut paucis adducam, S. Bernardus, Martinus, Hieronymus, Rabanus, Lactantius, Germanis à Vuimphelingio adscribūtur, licet Zacharias Lilius de Hieronymo in transuersum abeat. Cæterùm nunc orationem meam ad illos quos Sol nostro æuo suspicit, conuersurus sum.

Epilogus Lectori de Germanis nostræ tempestatis illustribus. Cap. 36.

TAndem omissis illis Germanorum, qui postquam sibijpsis ac nobis satis dederunt, lege naturæ concesserunt: ad illorum præstantiam, nostram orationem conferam, quorum opinio ac industria sæculo nostro inter uiuos memorantur uiuacissimè, quibus tantum literarum præsens est, ut à ueteribus ac uita destitutis, iactu literarum tanto spacio absint, quanto naturæ conditione. Tot magni, excellentes, innumerabiles propè uiri, passim totam Germaniam occupauerunt, quam & multarum linguarum differentijs illustrauerunt. Quorum tamen laus nobis temperanda est modestia, ne nimia profusione inarescat: uidemus enim id in ratione laudandi fieri, ut aliquando dum claritates quorundam exprimere uolumus, laudatione abusi, ipsos uarijs præconiorum generibus plerunque oneremus, quod facilè in alijs contingere posset. Et si modum excessero, duo tamen Germani qui maximi censentur, ac cæteris præstantiores, tantum disciplinarum assecuti sunt, quantum humana natura assequi, aut mortale ingenium ferre quiuit: quantum etiam mortalis sibi unquam arrogauit intellectus, qui propè limites rationi humanæ substitutos excesserunt, nulli ætati, nullis cuiuscunque regionis ingenijs postponendi: aut si fieri excessionem cupis, potius superiores quàm inferiores discernente natura euaserunt omnibus. Et licet tanta dexteritate, tāta animi præstantia uiri illi præditi sint, ut de illorum industria uerecundius ac remissius actum iri uelint, ac percepti proprij honoris uerecundantur, proprio præconio audito offendantur: & iuxta Eurip. sententiam, alienum à laudatoribus animum gerant: ueniam tamen expostulatum ire non morabor, licet id professioni nostræ inconcessum sit, atque Historiæ captum excedat, quæ omnem digressionem fieri prohibet. Et quemadmodum Horatius Poetæ, Fabius Oratori denegant excessum, ita Historicum ipsa Historia limites transgredi non patitur. Ne tamen semper unius coloris, ac in eodem filo semper oratio deducatur æqualis, nullis figuris uariata, semper eundem tenorem referat. Vt etiam quiddam leuando tædio, ac in tam procaci ac seuero labore, reparando animo concedam, ut demum animi uires ludendo ac lasciuiendo parumper colligam: quas ut ad perferendos reliquos sudores accommodatiores reddam, uenia nobis præstanda est, si dulcedo loquendi ultra limites me prouexerit. Nec & aliud mihi uitio uertēdum est, quòd ad dicenda præstantissimorum hominum præconia descenderim, ac præter modum extollendorum ingeniorum ipsis nolentibus quiddam astruxerim. Et id non iniquè mihi interpretaberis, dum agnosces, in horum amplitudine non minus Germaniæ, quàm ipsorum laudes quæsiuisse, quæ nonnihil sibi de ciuiū suorū præstantia cōmunicat. Desumpta mihi in munus Germania est, pro cuius aris ueluti pro necessitate priuata mihi dimicandum est. Cuius quæso repre-

Germanorum recentium eruditio.

Auctoris excusatio.

hensione carerem? quale nefas obirem, si ingrati hominis nomen accipiens, debita laudis portione patriam meam defraudarem? Et si hanc causam mihi in uerteris, fas mihi sit meas dixisse laudes, ueritatis conscientia, dum pro mea laude nitar, non alterius: multum enim mihi promitto, multum mihi deberi existimo, quòd in ciuium meorum numero tanta lumina comprehenderim. Metellus apud Plutarchum Diјs gratias agebat, ὅτι παρ' ἄλλοις οὐκ ἐγένετο σκιπίων. Id est, quòd non apud exteros Scipio natus fuisset. Et ego patriæ nostræ non possum non gratulari, talibus uiris in eius communionem allectis. Et si adhuc hæ ad expurgandum causæ non tutæ sunt, id (quod omni concessum est) de uirtute differere mihi liberum sit: nihil quoque de Erasmo quàm Capnione recenseatur, & tantùm mutato nomine, in illo de incomparanda eloquentia, in hoc de inæstimanda orationis grauitate narretur fabula. Putat Athenæus ex Anaxippi Græci comici sententia, sub philosophorum nomine uirtutes esse laudandas, & Diuus Nazianzenus Athanasium, inquit, laudans uirtutem laudaturus sum, nec secus Marinus Græcorum philosophus doctisimus, sub familiaris sui appellatione, totam felicitatem comprehendit.

Comparatio Capnionis ac Erasmi. Cap. 37.

Erasmus. DVo sunt inter cæteros quibus Germani decoris titulus debetur: Erasmus Desiderius desideratissimus εὐπροσπότατος, diu desideratus, ac nunquã desiderandus, τοῦ δ' οὔτω τίς ὅμοιος ἐπιχθόνιος γένετ' ἀνήρ. Hic ille ἵμερος Desiderius est, quem Venus Paridi apud Lucianum promisit, quem Hesiodus Musis con-

Capnion. iunxit. Huic conferendus est Capnion, fumus illuminatissimus, quorundam oculis grauis: uerùm quem οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἂν χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ' ὄμβρος. Id est, nec nix, hyems, nec ymber, extinguet. Hic radios de se emisit, quorum splendore totus orbis illustratur, à quo fumo omnis splendor in tribus linguis suam lucẽ reuocat. nam ille non fumum, sed de fumo dare lucem cogitat. Ambo illi sublimes animi, telisq; referti, τῶν δ' ἔγε πάντες μὲν ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες, ut Homerico uerbo loquar: ab illis omnes eloquentiæ numeri in Germaniam fluxerunt, ambo tot linguis prędıti, tot disciplin is. Hi uirtute, dexteritate, morũ innocen-

Comparatio Capnionis & Erasmi. tia pares, eiusdem quasi politioris philosophiæ dogmata secuti, ad arcem disciplinarum euaserunt: nec facilè discernere poteris, in qua disciplina plus uiri illi præualeant, an Latinitas Græcitati, an Philosophia Theologię fuerit pręferenda. Tanta singularum artium ęqua in illis facultas est. Adde quòd nulla illarum est in unoquoq;, quę non, si solam perpenderis, maior uideatur altera. Idem iudicium, si euocaueris scientiarum possessores illos: dum enim incomparabilem eloquendi riuum Erasmi, dum absolutam eius in transferendis auctoribus facultatẽ præ oculis tenueris, facilè herbam huic porrecturus es. Dum uerò Hebraica mystica Capnionis, ac fontem uerissimum, ex quo omnis Germanorũ uera eruditio profluxit, intueris, atq; illis Ciuilium iura, in quibus absolutissimus est, pręter omnem disciplinarum cumulum adiunxeris, huic palmam deferendam putas. Coniunge utrosq;, symbolum facito, singula ea quæ uirtutis sunt adijce singulis: uide quanta uicinitas, quanta unitas, quasi à diuersorũ corporũ habitudine tibi respondeat: frange nucleum, exue homines: illa tantũ corporis eorum mole, & anima tibi una repræsentabitur. Deniq; nisi fides nos consentanea in transuersum ageret, nisi & eadem ætas, eadem fata, utrosq; coniunxissent: facilè ex Pythagorico instituto conuinceretur, unius animam in alterũ abijsse, quemadmodum Hermippus de Calciphronte ac Pythagora sentit: ita nimis dubiam palmam de seipsis fecerunt. Ac me ueluti exquisitissimis picturis detentum utriusque monumenta admirantem penitus suspenderunt, ac omne iudicium mihi exemerunt. Summa igitur inter eos diuersitas, si inter simili-

mon

mos dissimilitudo potest intercidere, nullā habebit rationem aliam, nisi quòd aliqui festiua ac familiari orationis facultate inducuntur. Cæteri uerò ad grauitatem orationis ac eruditionem oculos tenent. Alij plus linguarum præstantia, alij multitudine capiuntur: & si res ad calculum reducenda est, nulla uirtus in utroq; est, quę non sibi palmam deberi polliceatur, si sola conspiciatur, aut si cum alterius industria collocetur, paritatem non ambobus inferat, ac quæ non utroq;, singularum disciplinarum calculo facto, parem laudem participet. Vt enim illos patria Germanos lege naturæ, ita & disciplinarū paritate Opt. Max. Deus prouidit, illisq; multos gloria æquales creauit, uirtute paucos.

De præstantia D. Erasmi Roterodami, & eius operibus. Cap. 38.

VTriusq; tamen linguæ ducatus Erasmo procul omni dubio consensu eruditorum delatus est, quem uirtute dicendi, in qua eminentissimus est, pauci priscorum superauerunt. Tot enim uno illo uiro disciplinarum diuitię, & singulari huic tot scientiarum species exuperant, quot diuersæ hominibus diuersis concessæ fuerunt, ut plures homines unus Erasmus, ob pluralitatem curarū, subijsse uideatur. Et quod longę pulcherrimum est, nullius disciplinæ præstantia, ob felicitatem alterius, in illo inclinatur: nec quod uni impenditur, alteri derogatur. Verùm pari semper trutina libratum per se unumquodq;, ac si homini singulari contigisset, ualet ac meretur. Inter recentiores paucos continet ille accessores, pauciores τὰς ὁμόφρονας, paucissimos aut nullos superiores. Nam quicquid ἐκ τοῦ ἐυρέου Erasmi flumine producitur, genuina nota signatum est, ut quocunq; uertatur, autorem haud facilè mentiatur, quo minus Erasmicum sonet & censeatur. Nil enim externi sapit, nihil peregrini patitur. Nam si quicquam eius adulteratur, manifesto iudicio mox auctorem prodit, & indigenam se, non alterius farina profectum prima fronte detegit. Facultatem ille, quā pauci attigerunt, arripuit, fuci omnis impatientem, ac profusioris lenocinij penitus negligentem. Verùm adeò liberam, expositam, adeò absolutā, ut hæc semper suo tenore profluens, suo cursu nitatur, ac festiuitate eius in lectoris animū descendens, repugnantes ducat, commoueat. Ad hoc legenti arridet, ac beneuolentiæ aculeum reconditum præ se fert. Non ueluti plerosq; cognoscimus, qui dum eloquentiam quam affectant, cogunt, orationem, non inficior, elegantem condunt: ueteris tamen ingenij testam inseparabili necessitate subsequentem, ac priscam saliuam æterno comite habent annexam. Huius uerò numeri semper sibi similes, pares ac integri prouehuntur, lectorem inuitant, inuitatum detinent, detentum æterno uinculo sibi deuinciunt. Stylus uerò eius est tam effusus, candidus, luculentus, ita proprius, ut κατὰ ὀνοματοποιίαν quilibet materiæ uerba adeò accommodet, ita cuilibet rei suam reddat dignitatem, ut ad fingendam orationi uenerem, nemo magis aptus, nemo promptior ipso habeatur. Aliquando surgit, & tam uarias iuxta rei proprietatem uultus actioni tradit, ut exiguam rem aut penitus nullam, in elephanti molem exire cogat, famulante sibi eloquentia, ac ultra rei subiectæ captum extendat. Tanta orationi eius αὐτοκρατία inest, ut in ea nihil excludatur, quod ullo pacto desiderari posset, nihil interferatur, quod τὴν περισσολογίαν aut excessionem sapiat. Verùm cuncta in morem Cyclopædiæ sequuntur, felici rerum serie sibi inuicem succedunt, inuicem adaptantur, ut una ablata squama aut fibula, totius loricæ ratio auferretur, subuerteretur, aut ad minus perfectioni sententiæ derogaretur. Et eam facultatem quam alij πολυπονώτατοι pro affectanda ac demum exagitanda eloquentia, coactam ac accersitam assecuti sunt, hîc sua sponte fluentę, sine magno dicendi labore

Commendatio Erasmi ac operum suorum.

labore αὐτοσχεδιαζόμενος obuiam habet. Exiſtimat Quintilianus lectioni Ciceronis pueros eſſe adhibendos. Ego puerorum ingenio tunc precium affuturum putarem, ſi ueneri Eraſmicæ traderentur, penituſq; dederentur, ut ad quæcunq; ſtudia alenda comptiores efficerentur. Tanta enim in Eraſmo meo, imò ueſtro, eminentia, uirtus oratoria ſurgit, ut tam in foro quàm ludis literarijs probaretur, nec iuuenum nec ſenum ingenia formidaret. Et hæc uiri illius progymnaſmata, quibus adoleſcentiam ſuam imbuit, & quæ δὶς διὰ πασῶν ab illorum grauitate ac ſublimitate abſunt, quæ in quarto ætatis ſuæ gradu exorſus eſt, donec Hieronymo priſtinam dignitatem reſtituit, donec τὰς δευτερώσεις noui Inſtrumenti feliciſsimè interpretatus eſt: quæ functio ingenij ſui egregia, à funda ac demerita quorundam inſcitia peruertitur. Verùm tantum ab his, qui ut Homerico ἀποφθέγματι loquar, νήπιοι, ἀγροῦνται, ἐφημέρια φρονέοντες. Id eſt, ſtulti, agreſtes, nihil frugi ſapiunt.

De ſumma eruditione ac præſtantia Ioannis Capnionis.
Cap. 39.

QVare te interim in portu reliqui Capnion inuictiſsime? dū tibi tamē omnia meritiſsimo, ob ſummam tuam in me uoluntatem & debeo ac uolo. Si enim dulciſsima tua conuerſatio, qua mecum Hagenoæ uſus eras, me non tangeret, meritorum tuorum magnitudo exigeret, ut huic gratiam retaliaturus ſim, ὅς τίσειεν φιλότητα πεσάχοι. Verùm à quo initio laudum tuarum pelagus cumulatiſsimum exordiar? an à gratia Attici tui ſermonis ὑπεραττικίζοντος? An à linguarum pluralitate? & te à quibuſdam δίγλωττον, id eſt, bilinguem nuncupatum, tribus linguarum diſcriminibus adiectis, πεντάγλωττον, id eſt, quinque linguarum peritiſsimum faciam, ut antiquitas de Epicharmo teſtabatur? Si ab integritate tua, attinebit ad te illud Homericum, ὃ γάρ τοι γλυκύθυμος ἀνὴρ ἦν, οὐδ' ἀγανόφρων, ὅστις ἐπίστατο ἤπιον ἐνὶ φρεσὶν ἄρτια βάζειν. Nemo melior, nemo iuſtior erat, nemo qui integriora loquebatur. Verùm à felicitate tua caput oratio noſtra proferet. Fuerunt enim (licet pauci) qui te rerum doctrina ac dexteritate referrent. Communia enim habuiſti animi commoda, & corporis facultates, cum multis, quibus numeris ęqualibus natura ut tibi reſpondit. Qui autem felicitati tuæ acceſſerit, agnoui neminem. Fuiſti & olim non ultima felicitate præditus, quando labor tuus toti orbi cōmunicatus, primò Hebræa myſteria literis uulgauit, quando totius Chriſtianitatis limites peragratus, totum orbem perluſtraſti: quando tot principum functus officio, ea quæ hominis erant expleuiſti, hominis tantum opera molitus eras, nondum ad tibi deſtinatum abſolutę felicitatis finem perueneras. Solus hoſtis requirebatur, qui beatitudinis tuos gradus redderet perfectos, uirtutem tuam crebro impulſu expoliret, tuos honeſtiſsimos ſudores tantùm doctis cognitos, pueris detegeret, tuum fumum ultra Gades, ultra Chriſtiani orbis captum diſsipatum, & Barbaris nobilitaret, ut penitus in omni negocio Capnion ſonaret, ut nullæ menſæ exigerentur, ubi non tuum nomen obambularet, & per hominum ora ferretur: nulla ſocietas, nullæ literæ conſecrarentur, ubi non tam principium quàm finem Capnion teneret: non tibi tantum amici tui potuiſſent omnes, nec plus de te rerum natura meruiſſet, quæ tamen in te ſolo quicquid uirium & perfectionis potuit, expreſsit: quantum inimici tui, ſi uerum dicimus, amiciſsimi tibi tribuerunt. Nullus beatitudinis calculus tibi deeſt, ſi ὁ γὰρ κάρτιστος ἁπάντων tibi dexter aliquis Deorum perſuaſerit, hæc tibi æquo animo ferenda eſſe, quæ ab æterna obliuione tuam celſitudinem aſſerent, extēdent: quorum ductu σὸν δ' ἤτοι κλέος ἔσται ὅσον τ' ἐπικίδναται ἠώς. Id eſt, gloria tua erit, quantum aurora diſsipatur. Tu magna authoritate in

tui fauorem tot reges rapuisti, qui subire omnia nominis tui gratia moliuntur, Reuchlinistarum nomen in eorum decus uertunt ac trahunt, omnes etiam qui bus ingenij facultas ulla superest. De te dicã, quod de Probo Claudianus, Omni nobilior lustro, nec contigit uni, Hactenus exactum non sunt memorata per æuum Germanos habuisse duces. Vidimus maximos reges ad tui defensiones descendisse: uidimus sedecim Dialogorum uolumina, proba eruditione exarata, innocentiæ tuæ prorogandæ destinata. Tanto numero amicorum tuorum calculus constat, quanto excelsa Germanorum ingenia, qui tot uotis, tot scriptis te, ab omni mortalitate exuerunt, ac alioqui mortalem cœlitibus uicinum reddiderunt, ac integritatẽ tuam incruentã à tot hostibus custodierunt. Quicquid homini arrogat, unico uerbo, Capnionis uidelicet nomine constat. Nunc de Capnione agitur. Capnion ille est, satis diximus, cùm te nominauimus. Cætera Ganges & Indus habent, si clariùs rem tibi dilatari cupis, aliud nostrum Epigramma sit illud. Hic primus Hebræorum mysteriorum, & Theologiæ, primus Græcarum literarum, & omnis eruditionis Germaniæ illator, Verbi Mirifici ac Cabalæ unus & solus repertor. Vel magis uos tenet Nazareni Gregorij Romanæ urbis episcopi, breue testimonium, ac succisum, uerùm ita succisum, ut si in recessu uideatur, succisiuum dici mereatur. Huiusmodi nunc & Græci & Latini, ab isto Germano Capnione, uiro diuino, fontem linguæ eorum addiscunt, & ita quidem addiscunt, ut sese illius discipulos fateri glorientur. Nescio an testimonium illius, an ille qui testatur, dignior sit? Erat Celtis succincta illa Capnioni adscriptio, qui tantum, quantum Germanorum uix alter, peregrinatus est. *Epigrammata Capnionis.*

Qui tribus linguis super eruditus,
Nec mihi toto similis tibi unquam
Visus in orbe est.

Picus ille Italorum doctissimus, concordiæ comes, præter honestissimam eius, de superstit. prænot. mentionem libro septimo, capite sexto factam, hoc affixit epigramma libro Staurosticho:

Et Pforzen Latiæ donatum lumine linguæ,
Cui sacrum triplici celebratum est dogmate nomen.

Taceo Fabri Stapulensis, Hermolai Barbari, Aldi Manutij, Marsilij Ficini, & cæterorum Italorum iudicia, qui laudando Capnioni nonnihil operis concesserunt. Nos uerò Germani barbarissimi omnium, nec digni ullo muneri diuinitùs præ cæteris elargito, tot necessitatibus absolutissimum uirum afficimus, beneficia sua ac splendorem (quo uniuersa Germania nititur) iniquissimè calumnijs ac odio oneramus, potuisset iure optimo id Germanis ingratissimis infligi, quod apud Euripedem Hecubæ ac Troianis appinxit Vlysses,

Οἱ βάρβαροι δὲ, μήτε τοὺς φίλους, φίλους
Ἡγεῖσθαι, μήτε τοὺς καλῶς τεθνηκότας
Θαυμάζεθ᾽ ὡς ἂν ἡ μὲν Ἑλλὰς εὐτυχῇ,
Ἡμεῖς δ᾽ ἔχωμεν οὐχ ὅμοια τοῖς βουλεύμασιν.

Vos Barbari, qui nec illos qui amici sunt, amicos
Honeratis, nec illos qui honestè oppetierunt,
Miramini, ob id Græcia illa floret inclyta,
Dum nos secus uestris institutis agimus.

Et licet nobilissimè Capnion præconium tuum ita obtinuerit, ut quemadmodum de Homero Macrobius dixit, nullius adulatione laudetur, nec uituperio decrescat, imò ut ipse Homerus inquit, ἦ γάρ σόν κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει: Gloria

ria tua cœlum attigerit, ac inæstimabile decus maledicentia inimicorũ posside as. Non possum tamen non uicibus tuis condolere, dum ætas te senescentem soluere deberet, ac te exantlatis tot laboribus eximere, requiei restituere. Dum etiam præ exili nostrarum rerum facultate, munere aliquo te donare non quiuerim, animum saltem nostrum parem ac integrum aduersus te muneris loco consecrare uolui: & id satis mihi sit testimonij, tam copiosissimum opus Germaniæ, non alia ratione à nobis esse congestum, nisi ut honesta occasio enarrandæ uirtutis tuæ præstetur, quod tunc nobis sine omni calumnia licere putaui, dum Historiæ Germanicæ nostram operam addicerem, tunc è plaustro quæcunque nobis obuiarentur, conscientia ueritatis, putaui mihi concessa.

Riserunt sæcula sua Mæonidem.

De reuerendiss. principe Cardinali Gurcensi Matthæo Lango, Bilibaldo Pirkaimero Norico, ac Beato Rhenano, Germanis. Cap. 40.

SVpersunt ætate nostra illustrissimi præterea ac mirabiles rerum scientia uiri, & quibus tota Germania passim longè latéque referta est, adeò, ut si quis uatem quendam iustum ac absolutum sibi inquirendum cogitaret, nullum alium à Germania orbem peragraret. Nec lumine Diogeni illo opus esset, apud Laertium, ad inuestiganda ingenia, cui in sola Germania ad uota sibi terrarum undique docti uiri affluerent. Non igitur Herculi quærenti quid uelit? Bacchus responderet, δέομαι ποιητοῦ δεξιοῦ, οἱ μὲν γὰρ οὐκ ἔτ' εἰσίν, οἱ δ' ὄντες, κακοί. Id est, Opus est mihi bono poeta, nulli enim sunt, & si sunt, mali existũt, apud Aristoph. in Batrachis. Pluralitate igitur eorum inductus, omnem seriem ordinis in adducendis nominibus remittere desiderans, eorum præstantiam ordine metiri negligam, uerùm sine discrimine, præ mediocritate nostra, quæ uiderim in illis memoriæ digna, ut sese res obtulerit, ac loci necessitas, summo studio prosecuturus sum. Nec ullum iudicium tam inter primos quàm postremos ferre in animo est, nullamque differentiæ rationem inducere, omnium præstantias religiosè ueneror, eruditionem exosculor: nulli etiam detrahere consueui unquam, tot uni quot reliquo tribuam: omnibus Germania debet nonnihil, & me nunc Germaniæ negocium agentem debere illis æstimo. Pace tamen omnium, tria Germanorum lumina, & hæc sola cæteris præstare mihi persuasum est, quorum excellentiæ omnis qui libero ac solido animo quantamcunque messem in literis fecerit, ultrò cederet, ac illis palmam tribuere minus erubesceret. Primus illorum amplitudinis summæ gratia, nobis reuerendiss. Gurcensis Cardinalis appellandus est, qui sola uirtute, principis nomen ingenij sublimitati adijciens, omnes felicitatis calculos coniungens, & ex trium bonorum generum coniunctione nulli hominum alteri concessorum, in unum plenæ ac absolutæ perfectionis uirum abiuit, membrorum firmitate, dotibus animi, tum & amplissimo sacerdotio præditus, summum ius apud Maximilianum, quem ut propriũ sibi deuinxit, assecutus est. Et quod longè honestissimum est, præ cæteris politiora ingeniorum studia alit, colit, sustentat, atque conseruat. Huic quicquid feliciori ingenio productum est, politiori facundia profectum est, plus alij Germano arridet: quare adducti sumus, & Germanias nostras ipso ut Germanorum absolutissimo, siue eius nomini consecrauimus, in cuius testimonium aliquos uersiculos ad eum in fronte operis nostri depinximus. Huic duos defæcatorum ingeniorum uiros cõferre uolui, ac parem illis facundiam, linguarumque peritiam asserere: Bilibaldo scilicet Pirkaimero, ac Beato Rhenano: & licet priori uiro titulo

Matthæus Langus Cardinalis Gurcensis.

Pyrkaimer.

lo ac rerum terrenarum facultate inferiores ſint, ingenij tamen felicitate nulli poſteriores. Primus Cæſareæ maieſtatis à conſilijs, patricius, ſenatorio ordine Norenbergenſi inſignitus, plenus honoribus, rerum copia plenior, in facultatibus animę pleniſsimus, ac dignus, ut nobiliſsimę ciuitatis & Germanię primo loco inter primos fungatur, totius urbis neceſsitatibus adhibeatur. Tot tamen curis indignus, ſatis ille erga patriam munus ſuum expleuit, duo Plutarchi opuſcula, totidem Luciani dialogos & non minimos, ſex Xenophontis libros de Græciæ primatibus, Ariſtophanis quoq; Plutum latinitate donauit: tantum etiam laboris in Hieroſyphico illo de literis Aegyptiacis conſumpſit, ut bonis literis incrementa plus cæteris impartitus fuerit. In altero uerò Beato Rhenano omnibus calculis beatiſsimo, nil uel momus reprehēderet, niſi quòd habet exiguam rationem poſteritatis pro tanta rerum copia: nil enim hactenus præter commentaria quædam, multo ſale condita, teſtimonium auctori ſummum referentia, diuulgauit, fama uerò non exilis ac nulla de uiro illo obtinuit: eum aiunt maximum quiddam moliri, cuius conatibus Deus aliquis propicius ac præſens adſit oro. Cæterùm non dubito quin alterum nobis Eraſmū, uolentibus, Dijs referat. *Rhenanus.*

De Georgio Simler, Gerhardo Liſtrio, Nicolao Gerbellio, Philippo Brettano Melanchthone. Cap. 41.

ET ne ſine ulla mentione doctiſsimorum præceptorum memoriam tranſgrediar, & penitus uiolatæ pietatis uitium incurram, grauiſsimi uiri tam corpore quàm animo grauitatem oſtendentis, Georgij Simleri multifariam eruditionem, numero illo intercenſere uolui, ut pręceptoris mei longè optimi, ſub quo ferulas primitùs ſubduximus, ingenium (qualecūq; hoc ſit) exile ſcio, excoluimus. Cui plus, ut Alexander apud Plutarchum dicere conſueuit, quàm proprio parenti oppignoratus ſum: me ſoli huic debere fateor, quæcunque, Deo ſolo excepto, doctrinarum nobis arriſerunt: illo in utraq; lingua primo uſus ſum præceptore, uiro ad inſtruenda ingenia nato, cui omnia imputare potes, quæcunq; honeſta ab ingenio noſtro producta ſunt, cuius nomen in decus meum, ut eruditiſsimo præceptore functus uidear, ſemper tracturus ſum: utinam tantum lucis ſumma eius humanitas ſibi à nobis deſumeret, quantum mihi ego è nomine ſuo uendicare ſtudeo. Inde αὐτὰρ ἐγὼ κἀκεῖνοι φίλου μεμνήσομ' ἑταίρου. Fuit alter præceptor noſter Philippus Brettanus, uix uiginti annorum, penè puer, cæterùm adultiſsimus, ac literarum experientia nulli ſecundus: cui quantum anni ac corporis moles detraxerunt, tantum ingenio adiecerunt. Quantò corpore tenuior, tantò animo ſublimior: ſolidè loquor, hactenus tam aurium quàm oculorum officia ille exceſsit, ut omnes cuiuſcunq; peregrinationis aut ætatis, nullum tantæ iuuentutis ac eruditionis uirum, tot artibus præditum, tot diſciplinis inſtructum, audiuiſſe quàm uidiſſe teſtentur. Nec huic docendi facilitas ac fidelitas deeſt: uidimus ipſi Currherum ac Maurum ante paucos annos elementarios in Græcis, nūc in doctiſsimos uiros abiuiſſe, ac ductu eius ita inſtructos, ut in omnibus illis cum doctis artificibus contendere ualerent. Præceptoribus noſtris pietatis conſcientia antepoſitis, Gerhardum Liſtriū alterum Capnionē, tot linguis ſonantem, duxi eſſe referendum, cuius animi receſſum ſolæ in Moriam Eraſmi lucubratiunculę oſtendunt, & quanti uir ille cenſeri dignus ſit, patent. Cęterùm nec à pręſtantiſsimorum corona Gerbellius ille Nicolaus degenerat, cuius ingenij facilitatem aſpectus prodit: utriuſque linguę peritiam ante multos annos retexit.

Georgius Simler. *Philippus Brettanus.* *Liſtrius.* *N. Gerbellius.*

De

De Germaniæ Theologis nobilioribus, ac iurium præstantißimis. Cap. 42.

SAcræ paginę eruditionem, ut cæteris sacriorem pręferre uolui, quæ in plerisq; iam Germanorum plena exuperat, ac illis in erudiendis diuinis mysterijs eloquentiæ coniuncta, numeris omnibus perfecta respõdet. Omnibus autem Germanis antesignanum Martinum Lutherum Vuitenbergensium ordinarium, publico nomine Theologorum appellare honoris gratia uoluimus, ob egregiam eruditionem à tali uiro aucupatam. Ioannes Oecolampadius uerus Theologus, iudicio Erasmi nominatus est, quem & ob triplicis linguæ peritiam Theologiæ accommodatissimam, inter primos recensendum esse duximus: cui linguarum pluralitate accedunt, Vuolfgangus Faber, Kilianus Leibs prior in Kebsdorff, Iacobus de Banissis Decanus Tridentinus, Erhardus Truchses Eistettensis, Cunradus Pellicanus Minoritanus, Mutianus Ruffus Gotthanus Decanus, uir in omnibus literarum disciplinis sacer & perquàm eruditus, Laurentius Behem diui Stephani Babenbergensis Canonicus, qui in nullo posteriores splendore linguarum, Cypriani instar, Dei tabernaculum honestauerunt, quibus & præter sermonis elegantiam addere potes Sebastianum Sperantium Brixinensem prępositum: & inter primos Iacobum Lempum θεολογώπατορ, utriusque Theologiæ censorem, cui eruditi plurimum debent, ob summum eius officium in Ioannem Capnionem eruditorum parentem. Fruuntur huius cõsortio Vuendelinus Steinbach, ac Martinus Plantsch, qui Tubingensis gymnasij lumina, sacra eruditione, nominis gloria æquales multos habent, pręstantia paucos. Quid memorem Melchiorem Pfintzingũ, ac Georgium Behem, S. Laurentij Nurenbergensium præpositos, Iacobum Vuimphelingium, Thomam Murner, Martinum Reus Noricum, Vuolfgangum Volprecht, Ioannem Lang, Ioannem Fug, Vuenceslaum Linck, Martinum Luder, Ioannem de Staupitz, Augustinum Lupff priorem Heidelbergensem: Augustinenses, Georgium Nigri de Leonstain, Thomam Truchses Spirensium, Vitum Gaiffeld Surburgensium, Nicolaum Siguart Badensium, Decanos. Ioannem Eckium, Paulum Rictium, Gregorium Billung Phorcensem, Florentium Muller Gersbachium Decanum, Vdalricum Carinthium, Lucam Schlepplin, Suffrag. Spirensem, Georgium Riecker, Iacobum Cuppenheimium, Casparum Glaserium, & Ioannem Kursner, & reliquos, in quorum nominibus adducendis fatigaremur. Aequali numero Iurium doctores sanctissimi constant: inter quos præter summã morum innocentiam, Florentius de Phenningen illustriss. principis Electoris Palatini Cancellarius, summum occupat, tempestatis nostrę mœcenas omnium eruditorum indulgentissimus, ac omnibus doctis dexter, cuius ductu & auspicijs insignis Heydelbergensium palęstra, ueterem testam exuta, cultissimis disciplinis expolitur, atque honestioribus studijs indies meretur. Habet ille eiusdem farinę ac pręstantię familiarem Bernhardum Vurmserum: ambo secretis principis adhibentur, ambo senatorio ordine insigniti, ambo summa nobilitate pręditi sunt. Viderunt Italiam uterq;, uterq; pręter incomparabilem Iurium industriam μελίγλωσσοι, Latinę eloquentię arcem occupauerunt. Nec portu te Iacobum Kurserum, ac Hieronymum Vehum Badensis Marchionis Cancellarios relicturus sum, quorum beneficio & animi dexteritate, tota illa regio disponitur, conseruatur, ampliatur. Crimini quoq; maximo essem obnoxius, si Georgium Sualbach ac Ioannem Vigilium rerum ecclesiasticarum uicarios, silentio pręterirem: nec officium nostrum illis explerem, quorũ beneficio salus mea hactenus constitit, quos in omni fortuna pręsentes expertus sum. Nec Vdalricum Zasium à memoria nostra

Theologi Germaniæ.

Viri illustres Germaniæ.

ſtra remiſſurus ſum, cui ſecundi Varronis titulum uirtute ac eloquentia indide runt. Cęterùm Sebaſtianus Brant, Cunradus Peutinger, Imperialium urbium Archigrammatei, tot rerum diſciplinis cenſentur, ut dubium, an illis Hiſtorici, an Poetæ, an Oratoris, an Græcæ, ſiue Latinæ linguæ potius Iuridica facultate nomen concedas? Heydelbergam quoq; occupant Theodoricus ac Lucas Iurium ſcientia præſtantes. In Medicorum præſtantiſsimorum numero primas partes cõſenſu omnium Ioanni de Maichingen deferebãt, cui accedere Theodoricus Vuormacienſium Doctor uidebatur.

De politioris diſciplinæ Germanis. Cap. 43.

NVnc mihi cum lætioris ſtudij Germanis res erit, quorum numerus ſi ope ri noſtro insereretur, in magnitudinem iniuſtam liber noſter cõſurgeret. Tot egregij Germanorum toti nunc in linguarum cognitionibus uerſantur, à quibus penitus poſsidentur omnia Germanorum Gymnaſia. Deniq; Germaniæ omnes Athenæi iam longè lateq;, nil niſi Græca ſonant. Prǽeſt Muſæo Lipſenſi Moſellanus ille, in Græcis ἐς ἄκρον ἑλληνικῶς, qui ductu Ariſtophanis poetæ Græci Lipſenſes præſtantiori linguæ reſtituit. Eſt & illic Richardus Crocus ille: Philippum Brettanum Melanchthona Tubingæ cum ſummo fructu Græcorum præſtantiſsima quæque dictantem, præferre uolui omnibus: cui accedit Hermannus Trebellius Muſæi Francofordienſis illuſtrator. Quid Moguntiam memorem, tam pręſtantiſsimis hominibus conſitam? illic enim Cunradus Vuidmannus, Ioannes de Kunigſtein. Ioannes Sorbillo, atque alij, proba eruditione, qui & lætiora ſtudia profitentur. Tota urbs Nicolao Karbachio ſingularis eruditionis magiſtro, in Græcis exercitatiſsimo utitur. Ad Argentinenſium numerum me conferam, ubi Ruſerus ille Ioannitarum ordinis uir exercitatiſsimus meretur, quem ante multos annos diſciplinis optimis penitus deditum aſsidua noſtra conuerſatione uidimus, tunc multo artificio athletis ſummis reſpondentem, nunc uerò Empiricos quoſcunque uincentem, coæuos ille peritia literarum plurimos poſsidet, quorum dulciſsima familiaritate fruitur, quorum eruditionis teſtimonium Eraſmus ille ac Beatus Rhenanus ampliſsimi uiri fuderunt. Primum inter eos occupat Iacobus Sturmius homo ἀλλοπρόσαλλος, in omnibus quæ moribus corpori quàm uirtuti debentur, dexter & ſui ſimilis: qui & penitus polypi rationem ſecutus, ridentibus arridet, flentibus adeſt, in nobilium numero doctiſsimus, in doctorum uerò ludo nobiliſsimus, undique tutus, undique plenus ac rotundus eſt: quem ſi numero Latinorum cenſere cupis, inuenies Latinitatis cenſorem nobilem: ſi Hiſtoricis eum contuleris, omnis Hiſtorię maieſtatem, cęteros docentem comperies, adeò in omnibus rebus ſacer. Eſt huic ſummè familiaris Thomas Rappius, uir ardentiſsimi ingenij: ſunt & Ioannes Rudolfingus, Ioannes Guido, Hieronymus Gebuilerus, Ioannes Schutz Vuilenſis, Othmarus Luſcinius, Stephanus Tielerus, Matthias Schurerius, & cæteri illuſtres præſtantiſsimarum literarum profeſſores, qui omnem eorum operam ante annos etiam literis Græcis deſtinauerunt. Hagenoam Ioannes ille Secerius Lauchenſis Academiæ Anshelmianæ præſens, Seleſtadium Sapidus, Iacobus Spiegel, Baſileam Amerbachij, Græcitate illuſtrauerunt: & ut rem demum componam, nulla Germanię ciuitas ab omni literatura adeò remota eſt, quę non Gręcarum literarum literatiſsimos interpretes retulerit, τῶν δ᾽ ἄλλων, τίς κεν ἧσι φρεσὶν οὔνοματ᾽ εἴπη, ut Homericè loquar: quis enim aliorum nomina facilè dixerit?

Bonarum literarũ profeſſores qui ſint.

Sturmius.

De Poetis, Historicis, & aliarum disciplinarum principibus Germaniæ. Cap. 44.

AD Poetices disciplinę deditos nunc descendo, quam Germanorum aliqui ueluti propriam sibi desumpserunt, in quorum numero Huttenus ille nobilissimus Eques, cęteris omnibus antesignandus est, homo condendis carminibus natus, de quo dicere possum, quod Cicero de Ennio, Codrus de Homero, deos potius perituros, quàm doctissimi uiri illius monumenta exitium esse passura. Est & altera spes Germaniæ Eobanus Hessus, diuino ingenio, ac prorsus Eobanico, cuius Eglogas nuper, & quicquid ex ingenio tam defecato, prodijt, sine summa admiratione legere non potui, tanti sales, tanta acutissima inuentio. Sunt præterea Hermannus Bulchius, Auentinus, Spalatinus, Cuspinianus, Cæsareæ maiestatis à consilijs, Henricus Bebelius, Otto Beckmannus, Marscalcus Doctor, Iacobus Simler Durlacus, illustrissimi Palatini comitis pædagogus, generosus comes Hermannus Nuenar, Theodoricus Zobel Moguntinensis canonicus, Albertus Bist, Stephanus Rosinus, Cæsareæ maiestatis in Romana curia sollicitator, Aesticampianus, Coclęus Noricus, Vulphganus Angst Brassicanus, Balthasar de Facha, Philippus Engendinus, Collimitius, Ioachimus Vadianus, Sturnus, Rubianus, Storkius, Huttichius, Ioannes Cæsarius, & alij multi, φύλλοισιν ἐοικότες ἢ ψαμάθοισιν, numero folijs ac harenis similes: quorum recitandis nominibus spacium deesset, & iusto uolumini eorum memoria responderet. Sunt præterea Mathematices disciplinæ uiri emunctissimi, Ioannes Virdung de Hasfurt, Ioannes Stoffler Iustingensis Tubingensium astronomus, Ioannes Reniger, Ioannes Schenot Bambergensis, Stabius Cæsareæ maiestatis à secretis, & plærique alij, qui eruditione sacra, cum rerum natura præliari uidentur, magni Mercurij comites, qui in totius naturæ mysterijs adoleuerunt, & uero præsagio nouerunt τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα, quæ sunt, quæ fuerunt, & futura trahentur. Nec sine debita sui memoria Ioannes Petki abibit, qui Coloniensis ecclesiæ canonicus, tantos in Arabica lingua progressus fecit, cui parem gentium domina Roma, in Chaldaicis mysterijs aluerat neminẽ, qui pari eruditione sese illi certamini credere potuerit: huius etiam ductu, eiusdem nomismatis Psalterium in lucem abiuit. Et hi demum Germaniæ principes, quos felici sydere Germanicus orbis produxit, ac literarum præstantia à cæteris discreuit, in omni dicendi genere præstantes tulit, ac suijpsius laudem tanto studiosorum hominum numero reddidit cumulatissimam.

Poetæ & Historici German.

Mathematici Germaniæ.

Germanos olim inter Græcos uersatos, & eos ante mille annos Græcarum literarum studiosos fuisse. Cap. 45.

ID quoque Germanicæ laudi præsentissimum est, ante tot annorum millia, Germanos quosdam inter Græcos mutua communione uersatos fuisse: Græci enim sedes eorum Germanis ac Getis coniunxerunt. Ostendunt hoc Milesij, qui olim Ionium incoluerunt, Pausania referente ac Athenæo, deducendis lanis notissimi, ut & Ouidius libro Maioris nono, Plinius lib. octauo Nat. hist. Cicero in Verrem, Hora. in epi. & alij uolunt. Hi Milesij Græcorum uerissimi, sese Getis, in urbe Tomitana Getarum addixerunt, & sine discrimine lingua eorum usi, Getis Germanis nonnihil incrementi addiderunt. Vnde Ouidius de illo libro tertio Tristium:

Sic quoque sunt urbes Graiæ, quis credere posset?
Inter inhumanæ nomina barbariæ.

Hunc quoq; Mileto missi uenêre coloni,
Inq; Getis Graias constituêre domos.

Inde Græcum idioma penè Germanicam ac Geticam facultatem corrupit, tantum è Grẹcis sibi lingua nostra uendicauit. Videtur hoc idem significare Ouidius libro Tristium quinto: *Græca lingua mixta Germanicæ.*

— Et tamen intus
Mixta facit Graijs Barbara turba metum.
Turba Tomitanæ quæ sit regionis? & inter
Quos habeam mores discere cura tibi est?
Mixta sit hæc quamuis, inter Græcosq; Getasq;,
A male pacatis plus trahit ora Getis.

Vbi Ouidius mixtam Græcorum linguam Geticẹ scripsit. Nec id prẹtermittendum, quod Pausanias Grẹcus in τοῖς φωκικοῖς scripsit: Galatas scilicet olim occiso Kydia Imperatore, Græcis literis istiusmodi carmina templo Iouis Eleutherii affixisse, quibus significabant Kydiam Imperatorem ea tempestate ab ipsis deuictum, qua ferus Mars in manibus Galatarũ floruerat. Carmina illa fuerunt:

Η μάλα δὴ ποθέουσα νέαν ἔτι κυδίου ἥβην
Ἀσπίς, ἀριζήλου φωτὸς ἄγαλμα διί.
Ἀς διὰ δὴ πρώτας λαιὸν ποτὶ πῆχυν ἔτανεν,
Εὖτ' ἐπὶ τῶν γαλατῶν ἤκμασε θοῦρος ἄρης.

De Scythis Septentrionalibus tale iudicium Mnesippus apud Lucianum dedit: οὐ μόνον ἄρα τοξεύειν ἀγαθοὶ ἦσαν σκύθαι, καὶ τὰ πολεμικὰ τῶν ἄλλων ἀμείνους, ἀλλὰ καὶ ῥῆσιν εἰπεῖν, ἁπάντων πιθανώτατοι. Id est, Non solùm sagittando ac circa bellicas res Scythæ ualent, uerùm etiam in dicendo, omnibus persuadendo sunt peritissimi. Nec etiam pauci ingeniorum præstantium in Germania uiguerunt & in Gallia tẽporibus antiquissimis, & ut nihil de Anacharsi, Zamolxi, & cæteris (quorum mentio facta est) habeatur. Fuerũt alij excellentiores: Statij enim parentem summo ingenio uirum, & qui Lycophrontis poema obscurissimũ Cõmentarijs illustrauit, Germanum dixerunt, ab illis Gallis ortum referentem, qui nunc in nomen Germanicum abiuerunt: de illo Marlianus plura retulit. Arelatense etiam regnum Germanis subiectum fuerat, ut ex Procopio & alijs libro primo diximus. Ex illorũ ciuitate Phauorinus ille philosophus prognatus est, referente Philostrato: φαβωρῖνον τὸν φιλόσοφον, ἡ εὐγλωττία σοφισαῖς ἐκήρυττεν, ἦν μὲν γὰρ τῶν ἑσπερίων γαλατῶν οὗτος, ἀρελάτου πόλεως. Id est, Phauorinum philosophum facundia philosophis adiecit, fuit hic ex Arelato urbe Galatiæ oriundus. Verùm non me latet hanc urbem Pado adhærere, quare etiam conuinci potest, eũ externum fuisse, & non Germanum. Fuerunt olim literæ Græcæ passim penes Germanos à quibusdam peritis insculptæ: Athenæus Dipno. libro tertio circa finem: ἰούλιος γὰρ καῖσαρ ὁ πρῶτος, περαιωθεὶς ἐπὶ τὰς βρεττανίδας νήσους μετὰ χιλίων σκαφῶν, τρεῖς οἰκέτας τοὺς πάντας συνεπήγετο, ὡς κότας ἱστορεῖ, ὁ τότε ὑποστρατηγῶν αὐτοῦ, ἐν τῷ περὶ τῆς ῥωμαίων πολιτείας συγγράμματι, ὃ τῇ πατρίῳ ἡμῶν γέγραπται φωνῇ. Id est, Iulius Cæsar primus, delatus in insulas Brittanicas mille nauibus, tres lixarum naues cuilibet coniunxit, ut Cotas scriptor, qui secum tunc militauit, in libro de Romanorum Republica inscripto testatur, qui liber Græcè scriptus est. Nunc autem sunt, qui hunc Cotam in Gallijs circa Rhenum gesta Cẹsaris scripsisse ferunt, in quorum numero Methodius est, qui licet Cotam non nominet, fuit tamen, inquit, in exercitu Cẹsaris scriptor, qui Grẹcè eius res scripserat, ipso ignorante. Cẹsar in Commẽtarijs penes Gallos omnia sua gesta Grẹcè conscripta se ait inuenisse. Corn. Tacitus in Asciburgo literas Grẹcas sẹculo suo reperiri ait, *Statij pater Germanus.* *Literæ Græcæ in Germania.*

qui Vlyſsis præſentiam illic denotauerint. Columnæ quoque penes Treuiros uidentur, characteribus Hellinis inſculptæ, quarum uerba Gręca adduxiſſem, niſi manca, corrupta, exoleta, ac penè omnino deſiderata fuiſſent, ita ut nihil penè Gręcę literaturę plus ſapiant. In Haſsię locis pluribus, uideri Gręca elementa templis infixa compertum habeo: id & apud Saxones Hermannus ſcriptor Saxonum probat, pluribus idolis inſculptos, uſque ad Caroli tempora deueniſſe characteras Gręcos.

De teſtimonio doctorum uirorum Germanorum, & de quibuſdam qui externi, omni pacto ſeſe Germanos dicere uoluerunt. Cap. 46.

PRęmiſimus noſtrę memorię Germanorum pręſtantiorum ingeniorum uiros, quibus non uulgaris rerum doctrina ac ingenij alea famulatur. Potuit ex eo lector ſtudioſus tenere, quid bonę literę Germanis etiam deberent, quę omnia cupidè ac enixè pro ingenij ac mearum uirium captu abſoluimus. Superſunt labori noſtro tenaciſsima quorundam nobiliſsimorum, de Germanorum literatura, teſtimonia, quę ut ab ampliſsimis hominibus profecta ſunt, ita Germanorum laudi cumulatiſsima accommodatiſsimaq́; exiſtunt. *Teſtimonia Italorum de Germania.* Aegidius Antuerpianus nominis ac animi uir honeſtiſſimus, in literis Martino Theologo mandatis: Germania, inquit, nunc Roma, aut mera Cecropia facta eſt. Idem Picus noſter Mirandulę comes, illuſtrium Germanorum ingenia expertus: Verè, inquit, Tiberis in Rhenum influxit, quod id ſonat, Italorum induſtria, quę olim propria Italis deſumpta erat, nunc & Germanis conceſſa eſt. Iacobus Landſpergius homo in literis exercitatiſsimus, in epiſtola ad Thomam Vuolphium: Quantum ego, inquit, uidere poſſum, Italia de Germanis queri poteſt, quod Gręci olim de Italis. Poſt enim regni Argolici detractionem, eloquentiam ſimul Gręcis propriam contraxerunt Romani: nunc & id temporis propè eſſe uideo, imò Auſonias Muſas in Germaniam cõmigraſſe. Noluit uir ille emunctiſsimus, Italiam, nunc literarum opinione ac pręſtantia eſſe literis exutam, quę ſemper ſuos Męonides, ac Italicę eloquẽtię uiros dignos, & prorſus Italos produxit. Nec enim clam me eſt, quo ingenio Picus ille, Alſatus Mediolanenſis, Cælius, Leonicenus, Baptiſta Pius, Iunior Beroaldus, Gregorius Nazarenus, Archipręſul, atq; alij noſtro ſæculo ualuerint, quid famæ ac literarum cultoribus dederint: & illi ampliſsimis teſtimonijs Germaniam fouerunt: huic quoque quicquid literis præſtari poteſt, ac uirtuti debetur, conceſſerunt. Gregorius ille Nazarenus in literis ad Max. Aemilianum, ſatis officio Germaniæ functus: Peruenit, inquit, interim ad nos ex Germania, nam primùm ex Græcia, Theologia & philoſophia, lingua ſola ac ſermone duntaxat nos olim Germanos ſuperauimus, nunc & Græci & Latini ab iſto Germano addiſcunt Capnione, qui ſuam patriam illuſtrauit, magnificauit, cum ipſe à patria illuſtrari, magnificari deberet, quem alieni commendãt, cur ſui eum non ſuſcipiunt. Hæc ille. Sui eum, mi Nazarene uir doctiſsime, colunt ac admirantur, ac non minoris ipſum quàm Smirma Homerum eorum æſtimant: nec opus ut ab illis colatur, quorum laude, eiuſdem farinæ cum illis ac nota ſignari ac cenſeri poſſet. Ecce Beroaldi uerba in epiſtola ad Thomam Vuolphium: Tu noſti, inquit, quòd nullus eſt hac tempeſtate, inter celebriores profeſſores, qui Germaniam Germanos'que omnes laudet, amet, amplexetur, ut Beroaldus tuus. Idem in epiſtola ad Iacobum Marchionem Badenſem diſſeruit, & in præliminaribus in Gellium de Sigiſmundo comite Hohenloenſi: Germaniam, inquit, propè peculiariter deamo & foueo, quæ me uiciſsim

semper

ſemper coluit, atq; ſuſpexit, q̃ me duce linguas è barbariſmorũ ſolœciſmorũq; fœditate repurgat, meę qualiſcũq; eſt, eruditiõis laudatrix, admiratrix, aſſertrix. Hęc Beroaldus, cuius teſtimoniũ tale eſt, qualis uiri præſtãtia ac opinio, quale à Beroaldo præſtari poſsit. Dracontius etiam nobis perſuaſit, Italiam Germanis non obuiam plus tenendam eſſe tot & tantis in Germania illuſtribus coruſcantibus. Tædet Politiani ac Iaſonis Maij teſtimonia, orationibus ad Maximilianum inſerta, adducere: tædet Aldi Manutij, Marſilij Ficini, ac aliorum ad illuſtres Germanos argumenta referre. Rudolphus Agricola Friſius, tot dignis dignus, ac cordatiſsimus uirorum, Capnioni illud ſcripſit, cultiores literas uidelicet in Germaniam proueniſſe, ac arcem occupaſſe: & ſi unquã, inquit, fata Germaniam expergiſci uolunt, modò id fieri certiſsimum eſt. Ea uirtute igitur ac præſtantia Germanorum, Itali inducti ſunt, ut patriæ eorum pœnitentia ducti, ſeſe Germanos eſſe & haberi moliti ſunt. Aeneas Syluius imò Papa Pius in epiſtola ad Decanum Vuormacienſem in hanc ſententiam euaſit: Supra annos, inquit, 24. in Germania Imperatori ſeruiuimus, unde nec me extraneum dici puto: ita quoque agamus, ut potius Germani quàm Itali nuncupemur, etſi parum poſſumus, ſtudia tamen noſtra ſemper huc dirigamus, ut inclytæ nationi ſemper mos à nobis geratur. Hæc ille. Superſunt adhuc plura doctiſsimorum indicia, quæ neceſsitate operis inductus, libens prætereo. Vnde non poſſum non ętati noſtrę gratulari, imò maximè ob id Deo debere me puto, quòd Germanus non externus, eo ſeculo productus fuerim, quo omnis externorum calumnia, qua inſcitię Germanos inceſſerunt, penitus deſijt: & hęc tantùm de illo.

Papa Pius Germanus.

De inuentione artis impreſſoriæ. Cap. 47.

IN re humana Itali Græciq; quantum ualuerint, experientia conſtat: omnis enim doctrina ab illis tanquam ab uberrimo fonte emanauit, unde accidit, ut in illis rerum elementis, palmam ſibijpſis aucupari conſueuerint: non tamen literas primò inuenerunt. Dempta autem literarum inuentione, utilius nihil mortalibus arte impreſſoria ſuppeditatur, ex quo nec tantum laudis uenati ſunt Græci, nec Itali, quantum Germani, licet ingenij eorum riuos copioſiſsimis momentis nobis impartiti ſint. Quod Polydorus noſter libro 2, cap. 7 Rerum inuentionum teſtatur, ubi artem impreſſoriam literarum ſcriptoribus comparãs, huiuſmodi uerba fecit: Fuit hoc & omnino magnum mortalib. munus, ſed nequaquam conferendum huic, quod noſtro tempore adepti ſumus, reperto nouo ſcribendi genere: tantum enim uno die ab uno homine literarum imprimitur, quantum uix toto anno à pluribus ſcribi poſſet. Vnde adeò diſciplinarum omnium magna librorum copia ad nos manauit, ut nullum amplius ſuprà futurum ſit opus, quod ab homine quamuis egeno, deſiderari poſsit. Illud inſuper adde, quòd authores quoque plurimos tam Græcos quàm Latinos, ab omni prorſus interitus periculo uindicauit. Hæc ille. Extat & Franciſci Philelphi epiſtola de arte impreſſoria, ubi ſuo tempore repertam eſſe hanc artem oſtendit, & quaſdam literarum formulas nominat, & inuentores huius æterna laude dignos æſtimat: Polydorus quoque ubi ſuprà, ait, quare tantæ rei autor ſua laude defraudandus non eſt, præſertim ut poſteritas ſciat, cui diuinum beneficium acceptum referre debeat. Hæc ille. Eſt autem in Germania excogitata primò, Beroaldo auctore, ſic dicentis:

De arte impreſſoria.

O Germania muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit uetuſtas
Libros ſcribere quæ doces premendo.

Pomponius Lætus huic Germanorum laudi insidiatus est, & Italis adscripsit: Saturnum enim Italiæ quõdam æreas notas tradidisse refert, quem refellit Peutinger in Germaniæ suæ antiquitatibus. Celtes Moguntię primùm excusas has notas scribit, his uerbis: Ex altera autem Meni ripa ubi Francofordiam & Asciburgum urbes montesq́ è regione Moguntiæ urbis, quę prima sculpsit solidos ęre characteres, & uersis docuit scribere literis. Hęc ille. Campanus quoq; ignorantia nominis inuentoris lapsus est: fuit enim nomen repertori Vdalricus Han, qui cognomen in Latinum uersum Galli siue gallinacei accepit. Campanus uerò nomine deceptus, artis illius inuentorem natione Gallum existimabat, Vnde in eum sic iocatus est illo tetrasticho:

Anser Tarpei custos Iouis, unde quòd alis
Constreperes Gallus decidit, ultor adest,
Vlricus Gallus ne quem poscantur in usum
Edocuit, pennis nil opus esse tuis.

Peutinger uerò & Polydorus ubi suprà, Germanum apud Moguntinos artem excogitasse scribunt. inde Cunradus idem Germanos excusa exemplaria Romam primus detulit. Hæc ille. Re autem uera author sua laude defraudatus est. Anno enim Domini 1440, sub Friderico tertio, à Ioanne Guttenbergio Argentinensi ars illa adinuenta est, in urbe Argentina, ubi incepit: Moguntiam inde proficiscens, adimpleuit. Huius mox Ioannes Mentel factus est ditißimus, unde Adolphus Ruscius, Martinus Flachus Neapoli primos libros impressos monstrauêre. Sixtus Rusingerus anno Domini 1471, Vdalricus Han Romam libros impressos primus portauit. Hæc Iacobus Vuimphelingus in libro de Germania capite 65. Alij in prædio Alsatiæ nomine Russenburg, inceptam primitus hanc artem fuisse scribunt, quod à sono imprimendorum librorum dixerunt. Moguntiam primitus impressos libros detulerunt, unde fama illic repertam fuisse hanc artem diuulgata est. Scripsit de hac arte epistolam honestißimam Nicolaus Sypontinus episcopus ad Franciscum Guarinũ: Solebam, inquit, mi Francisce, nuper ætati nostræ gratulari, quasi magnũ quoddam & penè diuinum beneficium hac tempestate adepti essemus, ob nouum scribendi genus, è Germanis nuper ad nos delatum. Videbam enim tantum uno mense ab uno homine hoc tempore imprimi literarum posse, quãtum uix anno toto scribi aliàs à plurimis potuisset: quod uno uersu Campanus noster Aprutinus pontifex, elegantißimè scripsit:

Imprimit ille die, quantum uix scribitur anno.

Ex qua re tantã breui tempore librorum copiam sperabàm, ut nullum superfuturum esset opus, quod uel ab inope atq; egeno homine posset amplius desiderari: hinc existimabam, ut uigerent indies magis ingenia hominum, & florerent studia literarum, omnesq́; ad capescendas præclaras artes tanta librorum commoditate allicerentur. Hæc ille.

De inuentione Philosophiæ à Germanis & Scythis, qui Germani sunt. Cap. 48.

Philosophia Ger. unde.

ERit nunc nobis cum Philosophia res, quã nonnulli à Germanis ortam testant̃. Verùm ut facilius nobis huius rei fidẽ pręstare possemus, constat Philosophiam à Barbaris esse ortã: cuius opinionis sunt authores Strabo, Methodius, & alij. Voluerũt Sociõ quoq; & Aristoteles in Magico, & Timosthenes, mille años ante Gręcos, literis Gallos fuisse usos. Scripserũt aũt Galatas omniũ antiquißimos, sub quib. & Germani cõprehendebãtur, ut lib. 1 annotauimus.

Dedit

Dedit literas Aegyptijs primitus Mercurius, Diodoro referente, illo natu maior Moyses literas Iudæis tradidit, teste Iosepho, à quibus Phœnices receperunt, Eusebio in octauo ac 10 autore. Ante autem Moysen longo tẽpore, Tuiscon floruit, ac alius quidam à Beroso nominatus, quorum ille Germanis, quorum parens erat, ille uerò Galatis literas & leges tradiderunt, Beroso dicente libro quarto, & post eum Annio Viterbiensis cõmentario quarto ac quinto. Ante ergo Græcos, Galatæ, hoc est Germani & Galli, literas habuerunt. Galli autem Cæsare auctore libro sexto, à Samote patre Ditis literas Græcas primitus didicerunt, & hoc postquam literæ ad Græcos ueniebant, Græcorum dogmatibus ac literis usi sunt, eodem Cæsare auctore: postquam enim Græcia floruit, lege cautum erat Gallis, ut in Græciam quidam percipiendarum literarum gratia delegerentur, authore Philostrato, in uita Phauorini philosophi, qui Phauorinum κατὰ τῶν ὑπὲρ τῶν τοιούτων νόμους, Per leges patrias philosophiam fuisse secutũ refert. Lucianus picturam Herculis se intueri affirmat, & ait, ταῦτ' ἐγὼ μὲν ἐπὶ πολὺ ἑστήκειν ὁρῶν καὶ θαυμάζων, καὶ ἀπορῶν, καὶ ἀγανακτῶν. κελτὸς δέ τις παρεστὼς, οὐκ ἀπαίδευτος τὰ ἡμέτερα, ὡς ἔδειξεν, ἀκριβῶς ἑλλάδα φωνὴν ἀφιείς, φιλόσοφος οἶμαι τὰ ἐπιχώρια, ἐγώ σοι, ἔφη, ὦ ξένε, λύσω τῆς γραφῆς τὸ αἴνιγμα, μέμνημαι γοῦν ἔφη, καὶ κωμικῶν τινῶν ἰαμβείων, παρ' ὑμῶν μαθών. Id est, Hæc ego quidem longo tempore assistebam, uidens, mirans, atque dubitans, & demum indignatus. Gallus autem quidam astans philosophus, non ignarus nostrarum literarum, ut uidebatur optimè Græcam linguam pronuncians, philosophus ut putaui illius regionis unus. Ego tibi, ille inquit, hospes, soluam picturæ ænigma, memini enim & comicorum uestrorum quosdam iambos, penes uos in Græcia discens, &c. Galli itaq; & omnes Barbarorum nationes, si doctos habuerunt, non inficior, è Græcia rerum omnium scientiam deportauerunt. Fuit Anacharsis unus è septem Sapientibus, ut Ephorus Grecus autor inquit, Scytha, prudentia, moderatione ac intellectu consummatissimus, rotæ figularis ac bicipitis anchoræ, ac folij, excussiq; ignis adinuentor: fuit & Abaris, ac alij. Verùm, ut Chrysippus ait, è Græcia eam animi industriam retulerunt. Et Toxaris Scytha apud Græcos se doctum ostendit in dialogo φιλία inscripto: καὶ πρὸς θεῶν τῶν ἑλλήνων, μὴ πρὸς ἀχθεδόνα μου ἀκούσῃς, ἤν εἴπω τι, ὧν κατανενόηκα, πολὺν ἤδη χρόνον ὑμῖν συγγινόμενος. Id est, & per Deos Græcos ne succenseas nobis dum audieris quæ nunc exploratus dico, diu enim penes uos, id est, Græcos uersatus sum. Idem Lucianus in Dialogo πρόξενος inscripto, inquit, οὐ πρῶτον ἀφίκετο ἀνάχαρσις ἐκ σκυθίας ἀθήναζε παιδείας ἐπιθυμίᾳ τῆς ἑλληνικῆς, ἀλλὰ καὶ τόξαρις πρὸ αὐτοῦ, σοφὸς μὲν καὶ φιλόκαλος ἀνὴρ, καὶ ἐπιτηδευμάτων φιλομαθὴς τῶν πολλῶν. Id est, Non primus è Scythia Anacharsis Græcarum literarum causa Athenas profectus est, uerùm & ante eum Toxaris sapiẽs uir ac humanus, multorum studiorũ amator. Fuerunt ergo Greci postquam ad eos literæ peruenerunt, gentibus omnibus nobiliores: literas tamen è Barbaris sumpserunt, quemadmodum illi ab ipsis eruditionem. Cadmus è Phœnicia literas Phœnicum Græcis administrauit, Herodoto lib. quinto, Eusebio libro octauo, & undecimo, Plinio quoq; in 7, Diodoro libro sexto, Lucano & Iosepho autoribus. Verùm hi omnes (licet cœlesti ingenio uiri) fallebantur. Non enim literas Phœnicum, uerùm Galatarum, id est Germanorum & Gallorum Græcis tradidit, Annio Viterbiense referente, Commentario quinto. Xenophon in Aequiuocis: Quintus, inquit, Cadmus ante Troiæ ruinas, retulit in Græciam sedecim rudes literas, non Phœnicas, uerùm Galatarum ac Mæonum characteribus similes. Hæc ille. Archilochus etiam in temporibus, Vltimum, inquit, Homerum etas nostra cernit, qui Olympiade uigesimatertia, ab excidio Troię quingentesimo anno, rudes literas, non Phœnicas, uerùm Galatarum & Męonum figuras habentes, Gręcię restituit. Hæc ille.

Galli ad Græciam missi.

Scytharum Docti in Græcia.

Ex quorum uerbis commentator eorum, non solùm literas, uerùm etiam philosophiæ initia Græcis dedisse Germanos, Mæones, & Gallos, loco ueri asserit. Cui rei fidem facit Berosus Chaldæus, ut Metasthenes Persarum scriptor ait, scriptorum omnium uerissimus, qui anno quarto Nini regis Tuisconem apud Rhenum Sarmatas regibus fundasse refert, omnibus Græcis antiquiorem. Abeant ergo ac desistant à sua opinione Ephorus ille Historicus, ac Diogenes Laertius in primo libro, qui philosophiam à solis Grecis inuentam asseruerunt. Timuerunt hi Græci famæ eorum, ne illi (quos ipsi Barbaros dixerunt) istiusmodi gloriam in se conuerterent, si literarum inuentionem Barbaris tribuerent. Si autem experiri cupis, qui apud Germanos philosophi fuerint, cum uiri pariter ac fœminæ literarum arcana ignorauerint, ut Tacitus ait: unum in medium adducam Græcis penè omnibus præstantē Zamolxem, quem Nazianzenus & Laertius Thracem, Dion uerò ac Iornandes & alij Gotthum dixerunt: ergo Germanum. Doctissimos etiam Gotthorum fuisse quosdam Socrates Historicus, Sozimenus, ac Theodoricus episcopus testantur, tempore Valentis Cæsaris. Longè autem prædictis illi antiquiores Comesinus, Zerita & Dicæneus, scriptores natione Gotthi floruerunt, Iornande referente: quos & libro primo, capite primo, adduximus. Est ergo philosophia non à Græcis, uerùm à Germanis adinuenta, ac à cæteris Barbaris. Indicant huius rei fidem sola Berosi uerba, qui libro quinto quendam nominat, qui in philosophiæ præceptis Gallos primus imbuit, & qui omnibus penè Grecis & ipso Cadmo antiquior, omnes priscorum philosophos longo spacio excessit.

Græcorū philosophia & literæ à Germanis.

De quibusdam uestigijs, structuris & monumentis ueterum Imperatorum in Germania. Cap. 49.

MAgnum olim ac peculiare decus fuerat Imperatoribus, si quis se in Germania fuisse gloriaretur. Multi igitur Cæsarum, uestigia ac monumenta post se, prorogandæ memoriæ eorum gratia, in Germania reliquerunt. Vlysses dum ab obliuione nomen eius asserere uoluit, literas quasdam Græcas sub altari in Asciburgo scripserat, ut Tacitus ait. Drusus pulcherrima facinora exordiebatur: fossas enim perduxit inter Salam & Rhenum fluuios, referente Eusebio. Suetonij uerba sunt in Claudio: Fossas magnas immensa ui & opere effecit, quæ Drusianę dicuntur trans Rhenum. Idem Cornelius libro primo, Ille etiam Drusus molem apud Moguntiam ad tutandum Rhenum statuit. Hæc Cornelius in libro Historiarum, cuius & in libro Amorum Celtes meminit: ponemus & nos libro quarto & ultimo, ubi de Moguntia mentio erit. Otto episcopus libro tertio, capite quarto, Historiarum, Peutinger & Gresmundus multa addunt. Hanc molem Luethus inde ductor à Druso inceptam restaurauit, referente Tacito. Iulius primus Rhenum ponte coniunxit, Plutarcho, Orosio, Eutropio, Eusebio, Cęsare, & mille auctoribus. Carolus inde Magnus quingentorum passuum longitudine pontem struxit, qui paulò pòst comburebatur, Sigiberto Geblacensi, Historia Francorum, Gotfrido, & alijs auctoribus. Primus autem per Danubium in lapideo ponte traiecit exercitum Traianus Cęsar, quod adhuc uidetur: opus fecit mirandum, & memorabile, cui cętera opera uix adęquare possis. Viginti statuit ex quadrato lapide pilas, quorum altitudo centum & quinquaginta pedum pręter fundamenta habuit, latitudo sexaginta pedes continuit: distant autem inter se centum & septuaginta pedibus, fornicibus uerò coniunguntur. Quęsitum est (quod rarò alicui conuenit) quibus'nam uiribus, aut qua ratione aut artificio, in profundum in illa gurgitum altitudine tanquam pręcipiti flumine, tum singulę columnę extare ualuerint?

Structuræ Germanorum.

Vestigia Cæsarum in Ger.

rint dictum est, nihil non posse Romanum Imperium. Hæc omnia Dion Græcus auctor in uita Traiani. Otto Cęsar pugionem misit in Coloniam Marti dedicandum, ut ait Suetonius in Vitellio. Item, Caligula Cæsar in Treueris ultra Ambianos profectus, supra Confluentes aram inscribi iussit, ob puerperium Agrippinæ, refert Suetonius: ita Cæsar Iulius gladium suum liquit apud Gallos, ut ait Strabo libro quarto, uel Auernos, ut Plutarchus: Suetonius tamen in Vitellio apud Germanos liquisse ait. Cætera de pontibus Rheni ac Istri multa, Suidas in dictione ζεῦγος, Philostratus fabulator in uita Nicetis philosophi, postquam Nicetem tot terrarum peragrasse scripsit, ἐπιβαπτὰς δὲ τὰ κελτικὰ στρατόπεδα, ὑπὲρ ἄλπεις τε καὶ τὸν ῥῆνον adiungit, ubi eum trans Alpes Celtas & Rhenum Germaniam uidisse refert, tanquam inauditum quoddam allegaturus.

De curru, plaustris, & uectione ueterum Germanorum.
Cap. 50.

SAtis, quantum res uidebatur exigere, de literis disseruimus: nunc ad cætera Germanorum artificia stylum conferemus. Erat olim omnibus Germaniam magnam incolentibus peculiaris plaustri usus: unde Pomponius Mela, Strabo, & alij, ubi de Sarmatis dixerunt, plaustrorum mentionem fecerunt. Claudianus Getis Germanis plaustra adiecit: *Vectura Germanorum.*

Dum Geticis ingens premeretur Mysia plaustris.

Concordat Ammianus Mercell. lib. 20. qui Septentrionalibus illis penè omnibus plaustra adscripserat. Cornelius ob id à Germanis & alijs gentib. discreuit Sarmatas. Ceterùm Suidas de litera ν, in dictione νομάδες postquam pastos greges tali uocabulo nominari, ac gentem Scythię ex Aristophane allegasset: subiungit, ἐπειδὴ οἱ σκύθαι τὸν χειμῶνα διὰ τὸ ἀφόρητον, αὐτῶν ἐφ' ἁμαξῶν τὰ πράγματα βάλλοντες, ἀπαίρουσιν εἰς ἄλλην χώραν· ὁ γὰρ μὴ ἔχων ἑκάστῳ ἅμαξαν, ἄτιμος παρ' αὐτοῖς κρίνεται. Id est, Postquam Scythæ hyemem intolerabilem ipsis sensissent, res eorũ plaustris imposuerunt, ac in aliam regionem traiecerunt: qui autem penes eos plaustris carebat, ignominiosus habebatur. Hæc ille. Et paulò antè, νομάδων, ἀγρίων βαρβάρων, οἱ λεγόμενοι ἁμαξοφόρητοι ἢ ἁμαξόβιοι. Id est, Nomades Barbari agrestes sunt, quorum populi dicuntur Hamaxobij uel Hamaxophoreti. Dicuntur autẽ Hamaxobij illi à plaustro, Strabone auctore. Nam ἅμαξα ultra quod sydus significat apud Homerum, & plaustrum, Gellio referente, denotat. Aristophanes solitudinem Scythis adscripsit, ἐν χαρεύσει, διὸ λέγεται συμπλακέντα τῇ σκυθῶν ἐρημίᾳ. Vbi enarrator adiecit, Scythis ideo solitudinem impeti, dum semper in plaustris uiuant, semper plaustris utantur. Cætera Theon Grammaticus habet. Meminit plaustrorum Sarmatarum Virgilius: *Plaustra Scytharũ & Ger.*

Puppibus illa prius patulis nunc hospita plaustris.

Budinos Herodotus, Pomponius Mela, Parmeno Byzantius, ideo dictos uolunt, quòd tantùm in plaustro uiuebant, & à bobus trahebantur. Scytharum diuites à pręstantissimis auctoribus ideo ὀκτάποδες dicebantur, quòd duos boues ac plaustrũ possidebant. Meminit illius Lucianus in dialogo σκύθης inscripto, sic de Toxari disserens: οἴκοι δὲ οὐ τοῦ βασιλείου γένους ὤν, ἀλλὰ σκυθῶν τῶν πολλῶν καὶ δημοτικῶν, οἷοί εἰσι παρ' αὐτοῖς οἱ ὀκτάποδες καλούμενοι, τοῦτο δέ ἐστι, δύο βοῶν δεσπότην εἶναι, καὶ ἁμάξης μιᾶς. Id est, In patria uerò non è regali stẽmate natus est parẽtibus, uerùm alioqui diuitibus & plebeijs, quales sunt qui à Scythis ipsis octapodes dicuntur, qui duos boues & unum currum possident. Leucanor rex apud Lucianum filiam suam Arsocomæ collocaturus Getę siue Scythæ, eũ quæsiuit, πόσα δὲ βοσκήματα, ἢ πόσας ἁμάξας ἔχεις; Quot boues aut quot plaustra possides?

Et

Et ſubdit, πάντα γὰρ ὑμᾶς πλουτεῖτε: Illis enim uos Scythę abundatis: Idem Euſtathius Theſſalonicenſis in cōmentario ſuper Dionyſium, multa de plauſtris Scytharum. Val. Flaccus in Argonaut. Baſtarnis & reliquis plauſtra aſsignauit. Horatius quoq; in Odis, Scytharum plauſtris uehementium facit mentionem. Ita & de Hūnis Rhegino Prumienſis innuit. Ouidius plauſtra à ſono ſtridentia dixit, ita de Sarmatis ſcribens libro quarto Triſtium, & de Getis:

Ruris opes, paruas pecudes, ſtridentia plauſtra,
Et quas diuitias incola pauper habet.

Idem:

— nec ut antè per Iſtrum
Stridula Sauromatas plauſtra bubulcus agit.

Idem:

Perq; nouos pontes ſubterq; labentibus undis,
Ducant Sarmatici barbara plauſtra boues.

De ueſtibus Germanorum. *Cap.* 51.

Lana Germanorū defoſſa.

NVnc ueſtium Germanorum memoria ſeſe nobis obuiam fert, quæ linea fuerat. Lana illa ſub terra defoſſa, in telas deducebatur, qua utebantur Bituriges, Caletes, Morini, atque alij Tranſrhenani, ut Plinio placet libro decimonono, capite primo. Herodianus libro quarto, Germanorum ueſtes ita deſcripſit, καὶ τοῦ σώματος γὰρ καὶ τὴν ῥωμαϊκὴν ἀποθέμενος χλαμύδα, ἠμφιέννυτο τὰ γερμανῶν περιβλήματα, ἔν τε χλαμύδι, αἷς εἰώθασιν ἀργύρῳ πεποικιλμέναις, ἑωρᾶτο. κόμας τε τῇ κεφαλῇ ἐπετίθετο ξανθὰς, καὶ εἰς κουρὰν τῶν γερμανῶν ἠσκημένας, τούτοις δὴ χαίροντες οἱ βάρβαροι, ὑπερηγάπων αὐτόν. quod illud fermè nobis repræſentat. Cuſtodes corporis Germanos ſibi Cæſar aſciuit, ſæpè & Romano cultu depoſito ueſtē Germanicam induebat, atque in eorum ſagulis argento uariatis conſpiciebatur, etiam flauam comam cæſariemq; impoſuit, ad modum Germanicæ tonſuræ, quibus læti Barbari ipſum dilexerunt. Erat igitur ueſtis Germanorum exigua, uel omnino nulla: patientiſsimi enim frigorum Germani extiterunt, ut dixi, unde paucis domi quàm belli ueſtibus utebantur. Herodianus libro ſexto in Alexandro, τῶν δὲ τοξοτῶν ἐς γυμνὰς τὰς κεφαλὰς αὐτῶν καὶ σώματα. Id eſt, Sagittariorū telis petierat capita nuda Germanorum, corporaq; pergrandia. Vnde ueſtium paucitate plerunque Germani, frigora eorum nudi agebant, ut ait Pomponius

Nuditas Germanorum.

Mela libro tertio, & poſt ipſum Zacharias Lilius. Nuditatis Germanorum quoque meminit Cæſar libro ſexto Commentariorum, ubi Germanos maximam partem corporis nudos terere dixit: & Oroſius libro ſexto ſcribit, capite ſeptimo, Romanos nudos Germanorum & intectos humeros tranſuerberaſſe. Ammianus Marcellinus libro decimoquinto de Germanis, nudantes corpora (inquit) intecta gladiorum haſtarumq; ictibus denſis truncabantur. Veſtis autem

Veſtis Germanorum.

eorum & ſaga fuerat, & fibula, aut ſi ea defuit, ſpinis conſerta: cæteram partem intectam noſtros iuxta ignem & focum degere ſcripſit Tacitus. Cæſar huic ſententiæ affuit, dum pellibus eos tegi dixit, & reliquam partem eſſe nudam. Cornelius Tacitus paulo pòſt ita ſubiungit: Gerunt & ferarum pelles, ripis proximi negligenter, alij etiam ueſtes, quas ignotum mare gerit, induunt. Eadem etiam ueſtis maribus, inquit, eſt & fœminis, niſi quòd fœminę lineis amictib. utuntur, diuites uerò ueſte diſtinguuntur, non fluitante, ſicut Sarmatę ac Parthi, ſed ſtricta omnes, ut Campanus ex Cornelio elicit, artus corporis explicante. Hæc Cornelius. Pomponius Mela libro tertio, & Zacharias Lilius Germanos ſagis uelari dixerunt: Cimbricis uerò mulieribus Strabo libro ſeptimo, ueſtem albam

albam tribuit, cuius tunica lintea fuerat, & fibulis annexa. Vestium tenuitatem nostrorum uel modestiam in uestibus, ita innuit Seneca libro de Ira primo: Quid Germanis induratius? quibus magna ex parte non uestimenta, non tegumenta corporis prouisa sunt, non suffragia ad perpetui cœli rigorem. Et Higinius libro 1, capite septimo: Hi, ait, qui arcto proximi sunt, braccis utuntur & uestibus hirsutis. Verùm uestes illæ exoletæ sunt nunc adeò, ut antiquam Germaniam non magis agnoscas. Germani (licet tunc barbari) Romanos, Græcos, & omnes olim uicerunt continentia. Iam uerò mos iste se peruertit, & actum est. Nam Germanus iam Tyrius esse uidetur. Quod & Rudolphus Agricola noster grauiùs tulit, de uestibus Caroli Burgundiæ ducis, & Friderici Imperatoris tertij, dicens: Quæ, inquit, peregrina luxuria patriæ nostræ gloriam contaminauit? & benè patriam gloriam dixit antiquis interfuisse uestibus. Nam uestium consuetudinem eorum in tantum extulit Petrus Crinitus libro duodecimo, capite septimo. Nec me latet Barbaros olim uestibus internotos fuisse, quod Euripides innuit in Hecuba.

De mercatura, usura, & diuitijs ueterum Germanorum. Cap. 52.

ILlud Germanorum ueterum præcipuum dedecus erat, quòd pecuniæ cupidinibus debilitabantur, sicuti alterius nationis homines: auro tamen caruerunt. Vnde Cornelius Tacitus dixit se dubitare, argentum & aurum dij propitij an negauerint Germanis, an irati, & uasis argenteis ac fictilibus, sibi à principibus dono datis eos uti. Huius assertor quoque Antonius Sabellicus libro secundo Enneadis sextæ exiftit. Cornelius quoque Tacitus addit, argentum magis quàm aurum sequi, sine ulla animi affectione Germanos: Quem usum Petrus Crinitus libro duodecimo, capite septimo, magnis laudibus extollit. Cæsar quoque argentum eos negligere dixit, ad sedandas contentiones, in Commentarijs. Indigentia quoque laborare dixit Strabo, libro septimo, Germanorum multos: non adeò auari, sicuti aliæ nationes Germani extiterunt. Et in hunc usque diem esse Pogius Florentinus in epistola ad Leonhardum Aretinum scribit, dum inquit: Nostras execror peruersitates animi, qui semper quærimus, semper appetimus, cœlum, maria peruertimus ad pecuniam eruendam, nullo contenti quęstu, nullo lucro satiati, dum expauescimus calamitates, continuis calamitatibus & anxietatibus iactamur: & ne miseri iterum simus, miseri esse non desinimus, semper inhiantes opibus, nunquam animo, nunquam corpori indulgemus. At isti paruo contenti, in diem uiuunt, (Germanos enim intelligit) quoslibet dies festos agunt, non appetentes diuitias, opibus non gaudent, non pauent futuris: si quid aduersi euenerit, bono animo ferunt, &c. Hæc ille. Pecuniæ tamen auiditatis Germanos accusauit Herodianus libro sexto, & nunquam non pacem, pecunia illectos, cum Romanis fecisse Germanos dicit, & ibidem Alexandrum Cæsarem, Germanos in ipsum assurgentes pecunia lactasse: Contrarium Cæsar, Cornelius Tacitus, & alij fouent. Iam uerò precio adducti Germanorum Dorypodes, Neapolim, Italiam, Hispaniam, Franciam, & remotos ab orbe Brittannos bellando adeunt, quod nomini Germanorum penè exitiale est: postquam enim agnita est pecunia, eius desiderio Germanos quoque adduxit. Fœnus autem agitare, & usuras extendere, ignotum antiquis fuit Germanis. Hæc Cornelius. Ecce quantum nomen Germaniæ, dum adhuc in gentilitate uolutabatur, nobilitatū sit. Dum uerò in religione orthodoxa, quantum degenerauerit, licet Orosius libro 6, cap. 20, Germanos contra Drusum dicat

Vsura de mercatura Germanorum.

cat undatim copulatos fuiſſe,uel accepturi pacis conditionem, ſi uincerentur, aut uſuri quieta libertate, ſi uincerent. Iam uerò & fœnus exercere apud Germanos nec inconſuetum eſt,maximè ſacerdotibus,cuius origo ex Italia manauit.Mercaturę quoq; ſuperſederũt antiqui Germani, niſi Oceano proximi,qui tenuiter tamen mercandi prouinciam ſubierunt:ait Cornelius Tacitus.

De donorum externorum cupiditate in Germanis ueteribus. Cap. 53.

Cupiditas donorum Germanorum.

GErmanos apud antiquos non auaros reperi, donatione tamen externorum motos,quod Cornelius in Germania his uerbis protulit: Gaudent, inquit, donis externarum gentium, tam ſingulis quàm publicis: ut equis,phaleris,torquibus,&c.Cęſar non magis bello quàm donis ipſos ſibi deuicit,ut ſcribit Plutarchus,& Otto libro ſecundo,capite quadrageſimooctauo Chronicorum, unde ad pertinacem Imperatorem apud Herodianum Lætus loquitur, Barbaros (intellige Germanos) iam donis uel precio non conciliabimus,uerùm potius metu. Tutor apud Cornelium teſtatur, Germanos ſola pecunia & donis corrumpi.Claudianus:

Qui nec principibus donis precibusq; uocati
Paruerant iuſſi,properant,ſegniq; uerentur,
Offendiſſe nota.
Illi terribiles quibus ocia uendere ſemper
Mos erat,& fœda requiem mercede paciſci.

Nec igitur falſum eſt, quod Procopius ille Græcus author allegat libro tertio,ſcilicet Iuſtinianum Cæſarem pecunijs Longobardos à Dalmatiæ ac Illyrici uaſtationibus amouiſſe.Gepidis quoque Iuſtinianum ibidem tributa ſoluiſſe teſtatur. Idem Procopius libro ſecundo belli Gotthici,Herulos Germanos aſſerit poſt Narſetis diſceſſum,acceptis à Gotthis pecunijs, è Romanorum & Græcorum agminibus diſceſsiſſe, & nunquam contra Gotthos bello inſurrexiſſe.Idem Procopius,Francorum populos pacem cum Gotthis uendidiſſe aſſerit,quando Viſogotthi Italia potiebantur.Venio nunc ad Galatas, qui reges Græciæ adorti,pecunia illecti, pacē cauponantes, diſceſſerunt, quemadmodũ Iuſtinus libro uigeſimoquarto, Liuius & alij aſſeruerunt. Belgius etiam dux eorum pecunias comparandæ pacis exigens, & fruſtratus, bellum Ptolemæo indixit,ut idem teſtatur ibidem Iuſtinus.Item ab Antigono rege Galatæ munera ſuſcipientes, eius ditionem reliquerunt immunem à uaſtationibus. Idem Iuſtinus ac Trogus Hiſtoriarum uolumine uigeſimoquinto profitentur. Pauſanias doctiſsimus alioqui,nec inter ueros Hiſtoricos numerandus,prędę cupiditate Brennum Galatarum pectora lactaſſe refert. Verba enim Brenni ſunt:καὶ ὡς χρήματα πολλὰ μὲν ἐν τῷ κοινῷ, πλέονα δὲ ἐν ἱεροῖς τά τ' ἀναθήματα, καὶ ἄργυρος, καὶ χρυσός.Id eſt,Multas diuitias in ærario publico,ac plures oblationes,auri argentiq; copiam in eccleſijs eſſe.Sic & Gigipedes,Celtas,Herulos,prædæ cupiditate contra Romanos profectos fuiſſe, teſtatur Trebellius Pollio in Claudio.Sic & Paulus Diaconus ſupra Eutropium libro duodecimo.Alanos pecunijs ſedaſſe Gracianum innuit.Sic Procopius uiginti millia aureorum Theodatum Gotthorum regem Germanis ob pacem donaſſe ſcripſit. Similiter Athenæus Scordiſcas auro allectos,pacem cum aduerſarijs compoſuiſſe refert: nullus uerò ſcriptorum omnium Herodiano dilucidiùs cupiditatem eorum aſſeruit,cuius uerba ſunt in Alexandro:ἀλέξανδρος μὲν (inquit) ἐν τούτοις οὖν πλὴν ἔδοξεν πρεσβείαν πέμψαι πρὸς αὐτούς, καὶ περὶ εἰρήνης διαλέγεσθαι, πάντα τε ἐπιχνεῖτο παρέξειν,

ξαι, ὅσων δέονται· οἱ δὲ φιλάργυροί τε ὄντες, καὶ τὴν εἰρήνην πρὸς Ῥωμαίους χρυσίου καπηλεύοντες. Alexander hoc tumultu decreuit, ad Germanos legatos mittere, qui de pace consulerent, pollicentes omnia principem Romanum (quę opus fuerint) præstiturum, magnaq; copia pecunias daturum: sunt enim Germani pecuniæ auidi, & nunquam pacem cum Romanis non cauponantur. Hæc ille. Idem Herodianus libro α, profusius rem executus est: ἐκπέμψας δὲ γράμματα καὶ διανείμας οἷς ἐδοκίμαζε τὸ ὄχθης τοῦ ἴστρου τὴν πρόνοιαν, προστάξας τε αὐτοῖς ἀνέχειν τὰς τῶν βαρβάρων ἐπιδρομάς, ἐπαγγέλλει τὴν ἔξοδον. οἱ μὲν οὖν ἐδιῴκουν τὰ ἐγκεχειρισμένα, οἳ καὶ οὐ πολλῷ χρόνῳ, πλείοσι τῶν βαρβάρων ὅπλοις ἐχειρώσαντο. οὓς δὲ μεγάλαις συντάξεσιν ἐς φιλίαν ἐπηγάγοντο, ῥᾷστα πείσαντες, φύσει γὰρ τὸ βάρβαρον φιλοχρήματον, οἱ κινδύνων καταφρονήσαντες, ἢ διὰ ἐπιδρομῆς ἢ ἐφόδου τὰ χρειώδη πρὸς τὸν βίον πορίζονται, ἢ μεγάλων μισθῶν τὴν εἰρήνην ἀντικαταλλάσσονται. ὅπερ Κόμμοδος εἰδώς, τὸ ἀμέριμνον ὠνούμενος, ἀφειδῶς τε ἔχων χρήματα, πάντα ἐδίδου τὰ αἰτούμενα. Quod fermè illud nobis represéntat: Marcus Commodus Cæsar datis Romam literis, & constitutis militibus, qui tuendæ Istri ripæ præessent, ac Barbarorum insultationes cohercerent, continuò profectionem edixit. Illi igitur mandata sua mutuò obeuntes, haud longo tempore multos Barbaros subegerunt. Quosdam uerò magnis præmijs deuicerũt, quod facile contigit, dum Barbarorum natura sit amare pecuniam, pericula despicere, populationibus uictum parare, aut præposita mercede pacem uenalem habere. Hoc uidens Commodus, ut pecunia maximè abundans, & cogitans, ut securitatem redimeret, nihil petentibus denegauit. Hæc ille. Cæterùm & nostra ætate id nunc Germanis natura insitum est, ut nec Francia, Hispania, Anglia, cupiditatibus eorum sufficiant: uitam mercede uendunt, quorũ cupiditas etiam tandem uita ablata saturatur. Hadrianus etiam Cæsar Alanos in eum surgentes, donis & pecunia compescuit: ut Dion Bithynius author Græcus in eius uita testatur. Theodosij temporibus cupiditate prædę tot Germanorum gentes Romani Imperij inclinationem meditabantur, ut innuit Hieronymus distinct. 12, epistola trigesimaprima, ad Geruntiam, dum inquit, Romani non pro laude, sed pro salute pugnare, & auro & supellectili uitam redimere. Hęc ille, postquam Germanorum, id est, Vandalorum, Dacorum, Gepidarum, Quadorum, incursiones descripsit. Traianus quoque Cæsar precio multo Germanos sibi obtemperantes fecit. Est adhuc tantus precij apud eos honos, ut neq; Neapolis, nec Francia, nec Anglia, auro nunc sitientes Germanos dimoueat.

Commodus pecunijs Germanos cõciliauit.

De ætatis dimensione, & funeribus, & nominibus puerorum Germanorum. Cap. 54.

GErmanorum pueritia diu metiebatur, ut Pomponius Mela libro tertio, & Zacharias Lilius scribunt. Cornelius ait, omnes Germanos pariter educari, dominum ut seruum, & unumquenq; propriam matrem uberibus alere, nec ancillis, nec nutricibus delegare: & postea inter pecora, & humo in pueritię gradu eos degere, donec ætas separet eos, & uirtus ingenuos agnoscat: itaque inexhaustam pubertatem fieri, & nec uirgines festinare, uerùm eiusdem iuuentæ diu perseuerare. Hęc Cornelius. Senectus autem gratior apud illos uiguit. Has leges Germanorum de senectute Petrus Crinitus probat, & præter aliarũ gentium usum laudibus extulit, libro 12, capite 7. Sunt Germanorum etiam aliqui uitæ longissimę, ut Iazyges, quos Valerius Flaccus facit diuturnioris uitæ homines. Funerũ aũt nulla erat ambitio apud Germanos, nisi q; uiri clari certis lignis cremanť, & his tm̃ arma apponunť: fœminis tũc lugere honestũ erat, Germanis aũt uiris tm̃ meminisse, ait Cornelius. Egesippus armatos etiã Germanos funus Cęsaris cuiusdã deduxisse refert. Vnum etiã operępreciũ uisum est ponẽdũ, q; nomina ętatis uarijs ex rebus eliciebant. Filios enim ut plurimũ nominibus equorũ dixerunt, ut Campanus in oratione ad ueteres Germanos testatur.

Pueritia ac senectus Germanorum.

Varia etiam de funere Herulorum Procopius, de Scytharum Athenæus, Lucianus, Suidas, Pomponius Mela, Cicero, atque alij prodiderunt, quæ nunc præteribimus.

De colore, crinibus, & oculis Germanorum. *Cap. 55.*

De colore, oculis. ac crinibus Germanorum.

TRuces Germanis oculos, cœruleas comas, & rutilas, Cornel. Tacitus, Sabellicus libro secundo Ennea. 7. adscripserunt: Florus libro tertio, horrendos oculos Cimbris tribuit: Iuuenalis cœruleos dixit Germanos Satyra 3, & flauam eis comam esse ait:

Cœrula quis stupuit Germani lumina, flauam
Cæsariem, & madido torquentem cornua cirrho.

Germanos & Horatius cœruleos probat in Epodo, Oda 16.

Nec fera cœrulea domuit Germania pube.

Philippus Beroaldus Glaucos scribit Alemannos uideri:

Qui glaucis oculis, comaq́
Pallens, principibus potens uirorum.

Iulius Firmicus libro primo, Germanos candidos ait. Hieronymus in uita Hilarionis, de Franco Germanico: Candidatus, inquit, rutilus coma, & candore indicans prouinciam. Idem Hieronymus ad Suniam & Fretellam, Getas rutilos & flauos dixit. Suetonius in Caligula: Rutilare, inquit, comam & subnectere, & sermonem Germanicum addiscere. Mantuanus:

— Alemannia campis
Frigora agens, certare ursis, niue candida semper.

Barbam etiam maximè Germani intonsam custodierunt, quod Victruuius & Suetonius proprium esse Septentrionalibus dixerunt. Nam Franci (ut ex Hunibaldo abbas Spanheimus scribit) barbam nutriuerunt, propter imperij eorum cupiditatem. Longobardi etiam longarum barbarum ratione dicti sunt, ut Paulus Diaconus, Methodius, & Ligurinus scribunt. Capillos uerò flauos habere Germanos scribit Strabo libro septimo. Lucanus:

Soluuntur flaui longa statione Sueui.

Et idem:

Fundit ab extremo flauos Aquilone Sueuos.

Horatius Sycambros dixit decoros, libro tertio Car, Oda 2. Martialis:

Crinibus in nodum tortis uenêre Sycambri.

Iuuenalis:

Tanquam de Getis aliquid toruisq́ Sycambris.

Picus in carmine Staurosticho:

Torui audiuêre Sycambri.

Claudianus:

Flauam sparsere Sycambri
Cæsariem.

Idem in Stilicone:

Crinigero flauentes uertice reges.

Idem:

In falcem curuat gladios.

Idem:

— illic flauente Sycambri

Cæsarie.

Cæsarie. Idem:

Agmina quinetiam flauis obiecta Sycambris.

Ptolemæus libro secundo, hos crines colorare & calamistrare dixit: & pulchritudine eorum Romanos lactasse scribit. Batauos quoque istiusmodi crines habere, scribit Petrus Marsus. Sillius Italicus libro secundo:

Iam puer auricomo performidate Batauo.

Idem Sillius in alio loco:

Triplex crista iubas effundit crine Sueuo.

Multa Baptista Leo lib. 3. de ædificijs, & Bonifacius Simoneta abbas epist. 22. lib. 5. Germani Hunni (ut scribit Rhegino Prunien.) capillos usque ad cutem tendebant: hoc & reliqui Germani, ut Cæsar Antoninus Caracalla (ait Herodianus lib. 4.) ad modum tonsuræ Germanicæ crines totondit, flauam caniciem capiti imponendo. Ammianus Marcellinus lib. 15. & Diodorus Gallis (subintellige & Transrhenanos) uniuersis rutilos crines, & alba corpora adscribunt. Sidonius Apollinaris lib. 20:

— *Flauoque in prælia fronte Sycamber.*

Panegyricus ad filium Constantini: Illa, inquit, Barbaria imitata est Barbarorum cultum ac uestes: nam prolixo crine comas rutilabant. Festus Ruffus:

Flauaque cæsariem Germania porrigit ora.

Sic & Ausonius ad Bissulam puellam Germanam:

Si Latijs mutata bonis Germana manerent,
Ut facies oculos cærula flaua comas:
Ambiguam te lingua facit, modo forma puellam,
Hæc Rheno genitam prædicat, hæc Latio.

Dionysius Germanos albis corporibus illustrauit. Plinius lib. 2 Nat. hist. cap. 80. Gentibus à syderibus remotis, flauos crines, candida crura, ob uaporem naturalem tribuit. Atheneus lib. Dipno. ιβ. Scythas Septentrionales tam in luctu quàm gaudio crines post terga diffudisse refert.

De herba crinium glasca, & sapone, & alijs membris, & pictura facierum Germanicarum. Cap. 56.

Antiqui uerò Germani ad crines herba glasca utebantur nomine, qua etiam Britannicæ côiuges, nurusque, quæ toto corpore oblitæ, in aliquibus sacris nudæ incedebant, Aethiopum calorem imitantes: de qua herba Plinius & Cæsar lib. 5 Cômentariorum, Britannos glasca infici dixit, quæ cœruleum inficit colorem. Merula quoque huic opinioni subscribit. huius herbæ Ouidius meminit de arte: *Herba glasca.*

Fœmina caniciem Germanis inficit herbis,
Et melior uera quæritur arte dolus.

Meminit huius herbæ Plinius lib. 25 Nat. Hist. cap. 2. quam uocat Britannicam, lib. uerò 22, cap. 1. glascam nominat. Rutilauerunt aût Germani comas eorum sapone, ut ait Cornelius: id & de Gallis Plinius ait. Hinc pilæ saponis Mattiacæ dicuntur, à Mattiacis populis Germaniæ, de quibus lib. ult. dicemus. Martialis:

Accipe Mattiacas quo tibi calue pilas.

Et supra Plinium idem testatur Hermolaus Barbarus. Non aût de Mattia loquimur, quæ comessationem significat, ἀπὸ τῆ μάτ]ειν. Cuius Athenæus Græcus author, & Erasmus noster meminerunt. Sed de populis, quorum mentio fit apud Antoninum in Itinerario, Ptolomæum & Tacitum. Martialis etiam spumam Batauam saponem dixit, eo quod sapo usui fuerat apud Germanos: ait Suetonius in Caligula.

Caustica Spuma & Batauа.

Alij ſpumam Causticam dixerunt ſaponem. Martialis:

Caustica Teutonicos accendit ſpuma capillos.

Dicit̃ aũt cauſticũ καυσικὸν, ignitũ, ἀπὸ τῦ καῦν. Illo uocabulo ſæpe uſus eſt Plin. Mituli, inquit, in cineribus uini causticam habent. Sapo uerò nihil aliud eſt, niſi ſpuma illa cauſtica: rutilabant enim Germani crines cinere, qui aduſtus, ſiccitate ſua cauſtici nomẽ meruit. Martialis poeta Domitianum ornatiorem facit, crinibus ipſis Germanorum comas rutilantium, dum inquit:

Sapo quid.

Captiuis poteris cultior eſſe comis.

Hæc Zacharias Lilius & Cornelius in Hiſtorijs. Vox Gallorum, ſimiliter & Germanorum metuenda eſt & minax, ut Ammianus Marcellinus lib. 15. in fine ſcribit. Vox etiam Germanorum interiorem uirtutem declarat, quod Celtes hoc carmine monſtrauit:

Vox et os Ger.

Vox habitum mentis cum geſtu & pectora prodit,
Vox quæ nil muliebre ſonat, ſed tota uirilis,
Martia craßiloquo teſtatur corda palato.

Os Germanorum toruum dicitur à Iuuenale: & Picus Sycambros toruos dixit. Mantuanus ad Cæſarem:

— toruo quoq; Saxones ore.

In illis autem omnibus partim aſtra imperium eorum exercere, partim rerum naturam omnium indagatricem, huius eſſe cauſam aſſerunt. Sub plauſtro enim urſarum, ſecundum Hali ſententiam, in ſeptimo climate frigidi homines degunt, qui albis ſunt crinibus, magnis corporibus. Hæc ille. Vide Iohannem Eſcuidenſem diſtinctione octaua, capite quinto. Hi uerò qui res naturæ indagant, uaporem in re eſſe aiunt, ex mobilitatibus præuenientem: cuius rei Plinius author eſt, libro ſecundo Naturalis hiſtoriæ, capite 80. Glaucorum oculorum naturalem induſtriam Ariſtoteles in Problematibus particula 14. ſcrutatus eſt: refert enim contingere in locis frigidis (puta Septentrionalibus) quòd natura intrinſeca (oportet iam ita loqui) calida ſit, locis tamen exiſtentibus frigidis, & ita intrinſeca caliditas euaporizare prohibetur, propter exterius frigidũ: Qua de re albis ibi exiſtentibus, his qui in Septentrione degunt, glauci oculi ſunt: albus enim huic proximus color eſt. Hæc Ariſtoteles. Albertus Magnus quoq; ait, in lib. de Natura loci, cap. 3. Econtrariò Daci & Getæ, ex parte Occidentalis, & Slaui ex parte Oriẽtalis, nati in fine ſeptimi climatis, & ultrà, ſunt albi, propter frigus complexionale, & quia corpora eorum non ſunt poroſa, & locus eſt frigidus, & frigus conſtringit. Remanet igitur multum humidi in eorum corporibus, & hoc auget corpora eorũ, & homines illic albos efficit. Barbari etiã, ut Germanorum ac Dacorum fœminæ & mares, faciem eorum ideò aliquando pinxerunt, ut ait Plinius: & tandem de ueterũm conſuetudine hæc.

De ornatibus alijs Germanorum. *Cap. 57.*

FVerunt & Germanorum principes ςρεπτόφοροι, id eſt torquium portatores: illi enim Germanorum uerißimi Galatæ, qui contra Torquatum pugnauerunt, principem habuerunt torque inſignitum. Ait enim Suidas de Torquato: σκυλεύσας τὸν νεκρὸν, καὶ τὸν περὶ τὸν τράχηλον ςρεπτὸν ἀνελόμενος, ὅς ἐπιχώριος ἐστὶ κόσμος κελτοῖς. Id eſt, Spoliauit mortuum, ac torquem à collo Galli ſuſtulit. Eſt enim torques ornatus indigenus apud Celtas. Athenæus Græcus lib. Dipnoſophiſtarũ ιβ. Scythas Septentrionales, id eſt, Germanos mirum in modum uarietate ueſtium ac pictura deliciatos oſtendit, & præter morem omnium ornatibus tam effuſè uſos.

Ornatus Germanorum.

FINIS SECVNDI VOLVMINIS.

LIBER TERTIVS DE NOBILITATE Germanorum ueterum ac nouorum, cuius capita sunt centum, & quinque.

PRAEFATIO AD LECTOREM.



RVDITI ac mirabiles disciplinarum uiri quotiescunq; nobilitatis rationem habuerunt, nil nisi genuinam quandam inclinationẽ pręse ferre τὴν εὐγένειαν æstimabant. Nec quidquam uirtutis esse in maioribus, quod cum posterioribus generandi illa uirtus cõmune faciat, aut participari queat. Nec ut credam ea amplitudini nostrę accedere, quæ maiores nostri in imaginibus ac tabulis referebant, facilè inducor. Fallit̃ eñ non mediocriter, qui maiorũ opinione censeri uult, dum tñ egregijs facinorib. minus illis respondeat. Potius eñ huic uitio nobilitas q̃ laudi uertat̃, qui secus q̃ uera ac syncera nobilitatis ratio postulat, uitã suã trãsegerit, ac oẽm lucẽ parentũ suorũ in tenebras uerterit. Quæ eñ, rogo, nobilitatis portio huic asserenda est? Video nouã hanc uulgi opinionẽ de nobilitate passim oẽs occu

 passe,

passe, atq; oculos omniũ hebetasse, qui tantã uirtutis uim generandis hominib. tribuũt, & reclamãte rerũ ipsa natura, maiorẽ uirtutis necessitudinẽ illis concedãt, qui è summis Heroibus processerũt, q̃ illis, quos uirtus humiles ortu, ac ad sui amorẽ paupertate aut alijs humanæ imbecillitatis conditionib. rapuit. Multa eñi sunt quę in nobiliorib. ac maximè fortunatis uirtuti repugnãt. diuiti enim magna cũ opib. maior cũ uoluptate luctatio est indicta: multa ei obuia sunt, quę specie uitæ melioris, ac rerũ terrenarũ affluxu, facillimè à uirtutis uia locupletẽ in trãsuersum agũt. Vnde plus incõmodat q̃ affert: plus adimit gñis sublimitas, q̃ in uirtute ędificat. Si uelimus cũ priscorũ tẽporũ necessitate decertare, id omni ætati datũ esse uidebim9, qđ in Prouerbiũ abiuit apud Erasmũ, ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα. i. Heroũ filios noxas esse. Ostẽdit uerbi huius integritatẽ prẹter Euripidẽ in Heracli. ac Aristidẽ in Cymone. Demosthenes fatis ita cõparatũ esse ait, ἀγαθῶν ἀνδρῶν φαύλους ἀποβαίνειν. Aelius Spartianus ad Cõstantinũ, id cruẽti in partib. ingentib. esse peculiare putat, ut à claritate maiorũ ac morib. posteri διὰ διαπασῶν absint, suamq; sententiã exẽplo Scipionũ ac Romanorũ nobiliss. ostẽdit esse integrã. Cõtra Agathoclẽ, Ausonio referẽte, Siciliæ, ac cerdonẽ quẽdã Athenis, ut Aristophanis fabula βάτραχοι testat̃, præfuisse uidemus. Nobiliores igit̃ illi sunt, imò plùs merent̃, quib. humili loco ortis χάριν ἐπιτίκτει πόνος καὶ ἄσφατος ἱδρώς. Id est, gratiã labor peperit ac strenuus sudor. Ita Demosthenis nouitas à Plutarcho, Marij à Salustio, summis laudib. effert̃. Iphicrates philosoph9 σκυτοτόμος, id est, coriarius, aduersus Armodiũ eius nouitatẽ exprobrantẽ apud Plutarchum dicere solebat: τὸ μὲν ἐμὸν ἀπ' ἐμοῦ γένος ἄρχεται, τὸ δὲ σὸν, ἐν σοὶ παύεται. Quæ uerba Cicero in Salustium ita trãslata intorsit: Noli, inquit, Salusti, mihi obiectare maiores meos, siquidẽ satius mihi est, me reb. gestis ꝓ prijs florere, q̃ antiquorũ opinione niti, ut nobilitatẽ à me partã studeat adimplere posteritas, q̃ ꝗ nobilitatis à parentib. acceptę finitor ac corruptor essem. Ceterùm ne ab exẽplis recedã, quẽadmodũ pomũ illud nobilissimi nomẽ fert, q̃d dulcedine saporis alia lõgè post se relinquit: ac ueluti equus generosissimus est, q longè optimus: ita homo uera nobilitate fruit̃, nõ q claritate nascẽdi, uerùm qui uirtute maximè præcellit cæteros. Licet fuerint horũ sentẽtiæ Cortina dignæ: nõ tñ penitus nullã nobilitas in se cõtinet uirtutẽ, siquidẽ iuxta Euripidis sententiã, δεινὸν χαρακτῆρα aculeũ quẽdã ardentẽ sanguinis necessitas in se recõditũ possidet. Nec ideo ultimã gloriã Helenę, Menelao, Vlyssi, Achilli, & Aeneę Deorũ origo cõcessit apud Homerũ: qui & reges ac industrios mortales è Dijs originẽ retulisse in Hymno Musis dicato, illa oratione significat:

ἐκ γὰρ μουσάων καὶ ἑκηβόλου ἀπόλλωνος
ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπιχθονίῳ καὶ κιθαρισταὶ, ἐκ δὲ διὸς βασιλῆες.

Ex Musis, longè & iaculante ab Apolline terram
Fœlices habitant cantores & citharistæ, A Ioue sunt reges.

Adde quod Plutarchus in libro περὶ παίδων ἀγωγῆς, in pulcherrimã prorupit sententiã: καὶ σοφὸς, inquit, ἦν ἄρα ὁ ποιητὴς ὅς φησιν, ὅταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους. καλὸς οὖν παῤῥησίας θησαυρὸς εὐγένεια. Qđ id nobis reprẹsentat: et eruditus Poeta ille est, qcunq; asseruit, dũ fulcrũ generis esset sub latũ bene, necessum tũc filios fore infortunatos. Honestũ igit̃ libertatis thesaurum esse nobilitatẽ. Germani aũt quemadmodũ fuerunt ἐλευθεροφρονιμότατοι, ita & præ totius Europæ populis nobilissimi. Et dum etiam non extremum sit laudis quod mortalibus cõtingere potest, ab honestis prognatis processisse: uolui id muneris præsentis libri esse, ut is totus Germanorum nobilitati seruiat. Nam nulla tanta humilitas reperitur, quæ non præstantia suorum maiorum tãgatur, opinionis etiam paternæ hæres esse non gaudeat.

De nobilitate Romanorum, Troianorum, & reliquarum gentium, erga nobilitatem Germanicam. Cap. 1.

CAeterùm ut clarius, facto sublimitatis aliorum periculo, nostra nobilitas constet, à Troianis nostram imbuamus orationem. Voluerunt prisci à Dardano & Laomedonte Troianorum nobilitatem fuisse exorsam: quis autem Dardanus ille fuerit, toties à Scriptorum memoria repetitum est, ut nec τοὺς ἀναλφαβήτους fugiat: pastores enim, aut aliud dicere nolo. Vnde Romani quę forsan'ne à profugo Aenea, quem Dion ille tot proditionibus insimulauit, tot rapinis incessiuit, cui necessarius Laomedon ille ἱερόσυλος extitit. An secundum Plutarchi, Liuij, Plinij, Orosij, & aliorum sententiã à fugitiuis? quos Romulus patefacto asylo, uarijs criminibus ac homicidijs furtoq́ declaratos, spe salutis allectos, congessit. Repetamus saltem Romuli cunabula, an'ne ἐλευθεροσωμάζοντος insignis meretricis filium Romulum dicemus? an præfecto meretricis nomine, ideo, ut Pompeius Trogus, à lupa processisse eum uolumus, dum animos inexplebiles Romani lupi instar habuerint? Quis Romulus? an'ne fraternæ cædis reus? Ille igitur Romulus nullus alius, nisi raptor uirginum, homicida, ut Theocriti dicto alludam, μασδὸν ἐθήλαξε δρυμῷ τε μιν ἔτρεφε μάτηρ. Vber suxit, in syluis educatus. Verba Iustini Historici sunt, uolumine trigesimooctauo: Tales reges habuerunt Romani, ut erubescant nominibus, pastores enim Aborigines, haruspices Sabinorum exules, Corinthiorum serui, uernęq́ Tuscorum extiterunt. Hæc ille. Essent nobis de alijs nationibus argumenta, quæ ut à nostra professione aliena prætermittemus, Germanorum originem uideamus, quos synceros ac puros esse, nec gentiũ aliarum incursionibus concretos, Cor. Tacitus, Sabellicus, Sipontinus, & alij testantur. Si antiquitate nobis decertare uis, solus Berosus nos totius Europæ gentibus maiores natu ostẽdit: si nobilitatem sola uirtute erogare uis, uide an extiterint, qui Imperium Romanum nunc possideant, possessam diuturnius retinxerunt? Solus igitur titulus Germanis adscriptus, omnem mortalem excedit nobilitatem.

Troianorum nobilitas.

De nobilitate Germanorum, & quòd omnes eorum originem è Germanis referant. Cap. 2.

NEquaquam id ferẽdum est, quod Germanorum quidam persuasissimum habent, ut hi, quibus arrogantiam uana nobilitas aliorum peperit. Omnes enim duces Germanorũ aut Romanos aut Troianos esse uolumus? huic Bauaros & Francos è Troia transuectos: Marchiones ab Antenore: Palatinos, Hennenbergenses, Hoenloenses è Romanis: Saxones ab Alexandri reliquijs dicimus, omni conatu, totis uiribus insanire uolumus, & è prædonibus, proditoribus, pastoribus, nobilissimos ortus nostros à malo dæmone persuasi reducimus. Nobilitatem, quærimus quam habemus, & quam habemus, possidere nolumus: sed ita quærimus, ut eam assecuti, ex nobilissimis uideamur ignobilissimi, synceram Germaniæ originem præterimus. An'ne Germanis unquam defuit nobilitas? quam ante mille annos panegyricus Constantini nobis concessit. An'ne nostris regibus probitas denegabatur? Fuerunt pauci boni Romanorum Cæsares numerati, Aelio Spartiano referente. Quis enim Caligulas, Heliogabalos, Nerones, Domitianos, Galenos, Bonosos, & reliqua naturæ monstra ignorat? tantum Augusto, Troiano, Antoninis, & Claudio, à Capitolino dexteritatem uideo destinatam. Nunc Germanos repetamus, uno tantũ excepto, nullus unquam excõmunicatione notatus est: adde quòd totus penè orbis nostra gaudet origine. Verba Campani Itali sunt, non Germani, alioqui Germanici nominis hostis, in oratione Ratisponensi;

Germanos nõ à Romanis aut Troianis ortos esse.

nensi: Vestra (inquit) nobilitas totum pene orbem ut fons uberrimus inundauit, ut nulla gens, nulla regio sit, quae non nobilitatem suam à uobis habere gaudeat, iactet, & laetetur. Quis enim Manfredos & caeteros totius Italiae nobilissimos, uestro sydere natos ignorat? & idem Campanus, nullam Italiae, Galliae, Hispaniae alicuius amplitudinis gentem esse asserit, quae non Germanicam originem sibi laudi ducat. A nobis, referente Iustino libro uigesimoquarto, per Galatas tota Asia populis infusa est. A Gotthis tota Lombardia, Italia ac Hispania. A Saxonibus Anglia Britannica. A Francis Gallia. Tot nationes libero & solido animo nostram suspiciunt originem. Et nos aliunde nostram erogamus: nec deest nobis auctoritas custodiendi ortus nostri synceritatem. Negant à Troianis Francos deriuatos Gaguinus, Michael Ritius, & alij: Bauaros à Bois Sabellicus ac tota scriptorum corona profitetur. fuere hi Boi olim qui contra Fabricium, Flaminium ac Caesarem pugnabant, omnibus Troianis nobiliores. Nobilitas ergo nostra à ueris Germanis est deducta, quibus à Tacito tãtum laudis praestatur, ut nec à Romanis, Italis, ac Troianis in ullo scriptore desumptum est.

Germanorũ origo.

De Papis Germanis, & iure Germanorum eligendi Papam. Cap. 3.

NEc summis pontificibus Germania caruit, ut nihil quod nobilitatis est, Germanis non contigisse liqueat. Constant autem numero Germanorum Pontifices septenario, ut ex Ottone Frisingensi, Platina, Sabellico atque alijs habemus. Fuerunt enim Stephanus 8. & eiusdem nominis nonus Germani, ultimus ille è ducibus Lotharingis originem duxit, prius Fridericus nuncupatus est, ut Sigeberto Genblacensi placet. Fuit & Gregorius quintus Saxo natione, Ottonibus affinis: prius Bruno dictus est. Nec non Clemens II. Damascius II. Victor, Leo IX. Germani extiterunt. Hic Leo prius Tullensis episcopus, Bruno dicebatur, ex Alsatia genitus, è comitibus Daospurgensibus, ut Annales Altorfensium testantur, Dioecesis Argentinensis monasterij. Instituit enim hic Leo Monialium coenobium, quod temporibus inde reuolutis nomen S. Crucis accepit, multis reliquijs coruscans, à Leone translatis. Sunt & tres arces haud procul à Marpachio ac Eyschem, in quarum una diuus Pancratius colitur, cuius reliquiae per Leonem consecratae sunt. Obijt mortem Leo ille, tempore quo millesimus & supra quadragesimum nonus annus agebatur. Sunt & qui Ioannem, qui simulato uirili habitu foemina, ad Papalem dignitatem euehebatur, Moguntinam dixerunt. Aeneas Syluius, Papa Pius inde appellatus Germanus esse uoluit, licet Italus: Senensis enim extitit. Eo numero Romanorum Pontifices Germani censebantur. Nec mirum est id, cum sanctissimi olim ius & potestatem eligendi Papam, Imperatoribus Romanis praestiterint, 63. distinctione, capite, Agatho. & par. electiones. Vbi Carolus Magnus priuilegio quodam facultatem eligendi Papam obtinuit, 63. distinctione, Hadrianus. Inde eandem copiam Otto primus à Leone erogauit, cum eius successoribus, ut ibidem liquet capite, in synodo. Quae repetit Lupoldus Babenbergensis de Christianitate Germanorum. Haec ideo scripsimus, ne Itali omnẽ sibi in Papam facultatẽ, ut propriã, persuadeant. Vt autem semper sese Christianissimos tenuerunt Germani, ne diuinarũ rerum facultatẽ detinere uideretur, omnia praedicta priuilegia abrogauerunt. Itaq; cõscientia pietatis, Caroli filius Luduicus primus, Papae iura omnia in Papã restituit, ut uidetur 63. dist. ego Luduicus. Cõsimiliq; pacto & Otto Imperator iuxta sentẽtiã Gratiani, 73. dist. parag. uerũ. Potuissent illa retinuisse, & tantũ de illo. Qua autẽ nobilitate praediti Papae illi Germani fuerint, in sequentibus patebit.

Quoto numero Papae Ger. sint.

Priuilegia ger. in papam.

De

De antiquis Germaniæ regibus, ab ortu mundi ultra sæcula Troiana. *Cap.* 4.

A Regum Germanorum antiquitate exorsus, id quod in fronte libri secũdi Exegeseos meminimus, iterum memoriæ nostræ repeti operosum duximus. Berosus antiquitatis perscrutator curiosus, cui & tantam fidem pręstat Iosephus, usq; ad Troiana tempora, hos reges Germanorum allegat, quos sumus allegaturi. Nec desunt doctiorum hominum sententię, quæ librum illum & auctorem mentitum uolunt, nec esse Berosi: quibus auscultarem, nisi Manetho ac Iosephus ea pené uerba Berosi (ut in prædicto libro continentur) allegarẽt. Meminerunt præter Annium Viterbiensem Tuisconis & eius progeniei Cornelius in Germania, & Sabellicus.

Reges Germanorum ab Vrbe condita. *Cap.* 5.

ROma postquam gentium domina erecta est, qui Germanię tunc pręfuerit, nulli Scriptorum cognitum extitit: id tamen certum est, tũc omnes penè nationes regibus proprijs fuisse subiectos. Suetiæ enim rex Surugo præfuit, cuius filia Gro dicta est, & eius filius patri succedens Hadingus, cum uxore Thoilda filia Regneri, qui Thoraldi filius ferebatur, regis tunc Cimbrorum. Meminit illorum Saxo Grammaticus. Tarquinij inde Prisci sęculo Germaniæ Clitoueus præfuit, qui ductu & auspicijs Bellouesi Galliæ regis usque ad Italiam uenit: ut Liuius libro sexto Decad. 1. asserit. Post Clitoueum in Hercynio imperauit Sigouesus frater Bellouesi, ut Liuius ibidem dixit. Plures Brenni referuntur ab auctoribus, qui & omnes Germanorum nomen acceperunt: nec aliud ipsum nomen Brenni sapit. Senonum dux Brennus, Galatarum quoque præses eiusdem nominis extitêre. Brennus autem Germanus dictus est, Hermanno, Gotfrido Viterbiensi, Strabone, Athenæo & Suida authoribus, quos omnes libro primo adduximus. Hic Bolgio ac cæteris ducibus, uniuersam Asiam cædibus egit ac rapinis, ut Iustinus ait. Athenæus Bathanatium tunc Galatis præfuisse asserit. Huius itaque secundi Brennonis temporibus, & alij reges Germanorum referuntur à Pausania Græco auctore, quia Galatis imperabant, ut Cerethrius, Brennus & Acichorius. Verba Pausaniæ sunt: ἔμελλε κερέθριος ἡγήσεσθαι, τοῖς δὲ ἐς παννονίαν ἰοῦσι Βρέννος ἦσαν καὶ ἀκιχώριος ἄρχοντες. Βολγιός τε παρὰ μακεδόνας τε καὶ ἰλλυριούς τε ἤλασε. Meminerunt horum Liuius ac Trogus libro trigesimotertio, qui Brennum ducem tanti censebant. Pausanias etiam in Phocacis: ἦν δὲ ὁ Βρέννος οὔτε πάντα ἀσύνετος, οὔτε ἀπείρως ἔχειν, ὡς αὔτις βάρβαρος, σοφίσματα ἐς πολεμίους. Erat autem Brennus non omnino inexpertus stultus ac insipiens ductor, ueluti alij Barbarorum: uerùm dolos non ignauiter in hostes excogitabat, &c. In conflictu Cimbrico Baleus, ut Floro placet, rex contra Marium insultauit. Erat & Teutobocchus tunc temporis rex, quem Eusebius Tentobecchum nominat, Orosius Teutolum, Plutarchus uerò Betoricis meminit, & nihil de Teutoboccho.

Reges Suetiæ.

Reges Galatarum.

Reges Cibrorum.

Reges Germanorum temporibus Cæsarum Iulij & Augusti. *Cap.* 6.

COnsulibus Cęsares successerunt, primum locum Iulius est sortitus, cuius temporibus Ariouistus, ipso Cęsare libro primo Commentariorũ testante Ger-

Reges Germaniæ temporibus Augusti.

te Germanis prefuit uniuersis. Inde Augusti temporibus multi Germanorum antistites capiebantur à Druso. Inter quos duorum è multis meminisse philosophos esse duximus, ut omnium totius orbis regum maximorum, ut & Itali uideant ac Græci, an ab ipsorũ auctoribus alicuius ducis tanta memoria fuerit exacta. Arminius Cheruscorum dux tres legiones cum Q. Varo prostrauit: & postquam huius uirtutem Cornelius Tacitus Italus non Germanus adeò celebrauit, ac cœlo æquauit: hæc uerba subiunxit: Ariminius, inquit, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubiè Germanię, & qui non primordia Romanæ plebis, ut alij reges ducesq́, sed florentissimum Imperium lacessierat. Prælijs ambiguus, bello non uictus, duodecim annos potentiæ expleuit, Græcorum Annalibus ignotus, qui sua tantùm mirantur. Romanis haud perinde notus, dum uetera extollimus, recentium incuriosi. Hæc Cornelius Tacitus libro secundo in fine, quibus uerbis nihil Germanis laudabilius, præsertim dum ab eo hæc recensere uidimus, qui numerum interfectorum Germanorum, Orosio referente, sæpè conticuerat. Idem Tacitus Ariminium libertatis & gloriæ Ducem appellat, & manu uoce ac uulnere prælium sustentasse. Eundem Arminiũ tanta uirtute Q. Vari legiones contudisse, Florus libro tertio refert, ut Augustus semper hunc diem lugubrem habuerit, caputq́ suum parieti impegerit, barbam uellicauerit, ac sacrificia pijs uouerit, ut in meliorem statum res Romanorum redigerentur. Hinc quinquies cum Romanis conflixit, semper uictoriæ compos nunquam superatus est. Vltimò tamen ab amicis eius insidijs circumuentus, ultimum diem clausit. Cæterùm Augustus ea tempestate, si Straboni libro septimo credimus, Sugambrum, Deudoricem, Catumerum, Betoricen, Segemundum, Tolluddam, Milonem, Italum Segesten, Veromirum, & reliquos reges in eius potestatem redegit, & ueluti obsides, ne Germani desciscerent, retinebat. Ferunt præterea Sesitatum regem Egimeri filium extitisse, ac quater ab Augusto captum, semper se expediuisse: ultimò tamen capitali supplicio ab eodem mortem obijsse. Et hæc de regibus Germanorum Augusti sæculo nobilitatis.

Alij Arimius.

Reges Germanorum sub aliorum Cæsarum temporibus. Cap. 7.

Reges Germ. sub Tiberio.

ALius memoria absoluta dignus Germanorum rex Marobudus Tiberij temporibus floruit, qui duodecim legionibus Cæsarem contra eum meditatum, conditionibus æquis discedere compulit: auctore Tacito, libro eodẽ. Fuit & huius temporibus, ut Cornelius ait, Gandestrus Cattorum rex, ac Bonco Noricorum ac Pannoniæ dux, referente Festo Ruffo. Erant & Curiouualda Batauorum, ut Cornelius asserit, & Arpus Cattorum principes. Extollit etiam Tacitus Segesten principem, uisu ingentem, ac optima memoria, impauidum nuncupando. Bois temporibus Augusti Critasirum præfuisse indicat Strabo: Vibilium Hermundorum, Vangionem & Sidonem, Sueuorum reges Cornelius libro decimotertio probat, sororis Vibillij filios. Domitiani sæculo Durpaneum Iornandes, Orosius, Eutropius, & alij asserunt extitisse, Dacorum Imperatorem. Inde Constantini temporibus Chonodarus, Vestralpus, Vrnus, Visinnus, Serapion, Suomarius, Ortarius, Germanorum reges numerantur, quos Ammianus Marcellinus libro decimosexto allegat. Francorum regum nomina uaria Hunibaldus affert. Sueuorum Nauclerus & Iornandes. reliquos etiam dum bellorum mentio erit, adducemus. Cæteros Methodius in suis Annalibus collegit.

De institutione regum Germanorum. Cap. 8.

MAgna penes antiquos inter reges ac priuatos erat ratio. Nam referente Cornelio Tacito, reges ex nobilitate, Duces uerò ex uirtute eligebantur. Nec libera ac infinita regibus fuerat potestas. Duces etiam exemplo potius quàm Imperio fruebantur. Hæc ille. Quorum usum tot laudibus Campanus noster ac Petrus Crinitus libro 12, capite septimo, Sabellicus etiam libro secundo nonarij sexti extulerunt. In eo quoque Imperatorum cæterorum conditionem Germanorum reges excedebant: sese enim periculis miscuerunt, aliter quàm ratio Imperatoris postulabat. Vegetius enim, Onosander, ac reliqui strategematum scriptores, imperatorium esse munus dixerunt, cautè ac diligenter uitæ suæ parcere, ne temerè eius morte uniuersus exercitus periclitetur: nec opus, ut militis officium Imperator expleat. Secus id Germanorum regibus uisum est: turpe enim Duci Germanico erat, Cornelio referente, uirtute à milite uinci, militi uerò Ducis uirtutem non æquare: semper enim Germanorum principes primi in acie uersabantur. Ita Sido ac Italicus apud Cornelium in Historijs, semper in bellorum aciebus primi hostem feriebant. Ita Maximinus Imperator id barbariei habuit familiare, ut semper putauerit Imperatorem propria manu, militis instar, bella conficere debere: ut Iulius Capitolinus, Symmachus libro quinto Historiarum, & Aelius Cordus testantur. Alludit dicto huic Herodianus libro septimo, ἔνθα καὶ γενναιότατα ὁ βασιλεὺς τῆς μάχης ἦρξεν. Id est, Vbi fortissimè ipsorum Imperator pugnam incepit: & addit, propria manu Imperatorem bello subijsse. Erat autem Maximinus parentibus utrisque Germanus. Simili iudicio Totila ille, Gotthorum rex (ut Procopius inquit) inter antesignanos semper morabatur. Aliud erat etiam quo reges à priuatis differebant: de minoribus enim rebus tantùm principes consultabant, de maioribus uerò omnes Germani in communi, iuxta Cornelij sententiam: nec penes principes omnia tuta fuerunt, & si quid à regibus fuerat sanctum ac cautum, penes plebem arbitrium reponebatur. Hæc ille.

Reges Ger. primi in acie.

Differentia inter plebem & reges Germanorum.

De illustribus quibusdam Germanorum, id est, Gotthorum regibus. Cap. 9.

BArbara licet ab omnibus rerum scriptoribus Germania nominata sit, reges tamen illustrissimos semper tulit. Gloriatur Roma ob Antoninos, Traianos, & cæteros, qui uirtute tamen pluribus Germanorum regibus multò posteriores fuerunt. Celebratur non sine magno honore Totilas ille, qui inter optimos principes numerandus, tantum id cruenti perpetrauit, quod Romam gentium dominam solo æquauit. Cæterùm boni Imperatoris officio functus est in omnibus, uictis facilis, bello strenuus, uictoria non elatus, omnes, ut Procopius testatur, in sui amorem rapuit: Italiam quoque Bellissarij operibus interceptam, sola uirtute recuperauit. Quemadmodum Theodericus Ostrogotthorum rex, à Sabellico etiam ac alijs celebratur, qui necessitudinem cum omnibus uicinis summam copulauit. Nec Aistulphi Gotthorum regis humanitas relinquenda est, quem Theodosius ille tanta beneuolentia complexus est, ut plus alio uirum hunc coluerit, perinde ac sacrum: cuius etiam mortem familiariter conquestus, funus eius ea pietate prosecutus est, ut animos Gotthorum omnium sibi conciliauerit. Hæc Socrates ac Theodericus Græci Historici profitentur. Nec Amalasuithæ Gotthicæ mulieris illustrissimæ facinus egregium à memoria nostra remittendum esse duxi. Cuius tot nobilissimi scriptores meminerunt, quemadmodum Iornandes, Procopius, & alij. Multò autem diffusius Suidas, cuius uerba Græca Latinitate do-

Illustres reges Gotthorum.

Amalasuithæ uirtutes.

k nare

nare uoluimus, ob diffusam loci illius ac uerborum extensionem, & ad leuandum lectori tędium, Græca excludemus. Sonat autem id ferme Suidas: Amalasuitha Atalarici mater, iusticiæ cultrix, ingenio uirilem uirtutem referens, quoad urbi præfuit, neminem è Romanis neque corpore, neque re nummaria mulctauit: neque ullo pacto Gotthis, cum in urbem sæuire uellent, consensit. Gnatum etiam inter Romanos magistratus communi eorum uitæ usu uoluit teneri, adegitque ut literatos audiret, delectis è Gotthorum principibus, qui annis, usu rerum gerendarum, & moderatione animi præstabant, eos Atalarico gnato ad communem usum studiorum iuuenilium socios addidit, quæ ob id Gotthis inuisa erant, quòd hi libidine barbarica uastandi domitos Romanos tenebantur. Fortè fortuna euenit, ut mater filium delinquentem publicè arreptum cæderet, & puer collachrymans in aulam duceretur, ubi tum Gotthi iuueni occursantes tumultuabantur, conuicijs afficientes Amalasuitham, tanquam ipsa puero uim strueret, ut perempto eo, ipsa alterius connubijs iungeretur, ac in Imperio perpetua esset. Posthac & agminatim Gotthi adorti, eam accusabant, puerum regem iniustè literis imbui, & senibus magno incommodo assuescere, & quòd illa indigna uiro forti essent: senes enim aiebant effœtos, uirili uirtute destitutos, promptos adolescentium animos emollire. Commodiùs fore, si tener audacia, ac cupidine gloriæ aleretur, inter scuta ac tela exercitaretur: alioqui metu iuuenem euirare inter eos, qui nunquam arma tractarint. Et demum postulabant Gotthi, ut regina puero magistros adiungeret æquales annis ac studio, qui uirilem eius spiritum acuerent, & accenderent ad uirtutem, ad patrios mores conseruandos. Non annuit mulier: tandem tamen metu coacta, rem arbitrio Barbarorum permisit. Hęc ille. Celebratur etiam multa admiratione Theodericus Ostrogotthorum rex, illius Atalarici auus, qui se uicinis gessit dextimum, referente Procopio, & singulari uirtute præditus, Romanis etiam arma interdixit. Aestimabat enim Barbarus ille successu temporum, ac armorum desuetudine, nomen ac uirtutem Romanis interitura, ac Gotthos perpetuò Italiæ regnaturos, ut & apud Plutarchum in Apophthegmatibus, quidam Imperatorum consueuerat. Nec in portu nobis relinquendus est Gotthorum regũ consummatissimus Dromachetes, in cuius laude Strabo libro septimo adeò occupatus fuerat, ut penè laudationis modum ac terminos excesserit.

Theodericus.

Catalogus omnium regum Gotthorum, à primo ad ultimum. Cap. 10.

Catalogus regũ Gotthorũ.

IAm ad priuatos quosdam Germanorum ueterum reges stylum conuersurus sum. Multarum gentium, quorum partim genus decoxit, partim transmutatis sedibus alienam terram incolit, reges ab eorum exordio repetam. Et primò de illustrissimæ Gotthorum gentis regibus, quorum multa ac optima pars desijt, dum hi ab Italia à Narsete & Bellizario expellebantur. Bona tamen pars quæ Hispaniam inuaserat, adhuc remanet, à quibus & hodierni Hispani eorum deduxerunt exordium. Reliqua pars Visigotthorum mortuo Attila, terram circa Danubium intenderunt, ut Iornandes scribit, quæ hodie Austria dicitur. Verùm ne Lectorem debito officio nostro defraudem, Genealogiam eorum ita exordiar. Primus eorum rex, Dione, Agathia, ac Iornande auctoribus, Bericus erat, quo duce Gotthi egressi sunt è patria: inde Filimer, quem alij quintum Gotthorum regem dixerunt.

Bericus	Antrireger	Dorpaneus	Veducq	Ermanaricus
Filimer	Sichalcus	Arganus	Varo	Fridigernus
Frogradus	Dicæneus	Gunthericus	Thitio	Alatheus

Atugis

Arugis	Libertus	Ostrogottha	Ariaricus	Sofrathus
Euripilius	Cõmosinus	Cniua	Aoricus	Attuaricus
Tamiris	Corillus	Respa	Gebericus	Alaricus
Aistulpus	Valia		Varemundus	Theodericus
Theodericus	Theodericus regnauit 13.		Euricus reg. 9.	Alricus reg. 5.

Sub Constantino Cæsare in Italia regnabant.

Theodoricus moderatus est sub Leone. Theodatus unum annum. Vitiges quatuor annos. Illouadus occisus est. Artaricus quinque menses. Totilas Taruisiæ rex. Teras ultimus tantùm tres menses sub Iustino in Italia regnauit, à Narsete ab Italia fugatus. Hæc ex Procopio. Sed ut æquiorem mihi reddam lectorem, copiosius ea quæ ad nobilissimæ Gotthorum gentis prosapiam accommodari possunt, executurus sum. Primitus Gotthi (postquam Scandiam egressi sunt) omnes gentes dicebantur: Gepidæ uidelicet, Heruli, Veneti, qui Antes & Slaui nuncupabantur, Rugi, & alij: ita ut plenissimus fons multas gentes sola Gotthia produxerit. Varia etiam nobilitatis Gotthicæ genera fuerunt: unum Baltheum uocabatur, à quo (Riccio referente) Alaricus à communi stirpe Gotthorum quibusdam lineis nobilitatis semotus, & huius catalogum indagare nullo pacto potuimus. Alij Antes Gotthi dicebantur, quorum Iornandes & Ablauius mentionem fecerunt, & inter illos Amali Gotthi recensebantur, ab Amalo quodam dicti. Hi inde diuidebantur in Visogotthos ac Ostrogotthos, post Domitiani tempora, siue à uentis ac terrarum eorum situ ita dicti sint: ut Ablauius uult, siue à duce Ostrogottho, ut asserit Iornandes. Alij temporibus Valentis hos diuisos fuisse dicunt in ducum eorum seditionibus, Fridigerni uidelicet & Theodomari: alij uerò sub Amarici temporibus, paulò post eos diuisos esse probauerunt. Visogotthi inde ab Hunnis pulsi, Thraciam, permissu Valentis Cæsaris, nacti sunt, & breui Mœsiam, Daciam ac Thraciam in ditionem eorum uerterunt. Inde in Pannoniam uenerunt, Visogotthi à Pannonia euocati à Stillicone, licet Claudianus ex decreto ueritati refragetur, & à Ruffino dicat. Gallia tunc eis fuit concessa ab Honorio, inde dolo circumuenti Visogotthi à Stillicone in Romanum Imperium arserunt. Romam duce Alarico, diruerunt, inde in Galliam sese receperunt: pulsi à Francis Germanicis, in Hispaniam uenerunt, ubi adhuc sunt. Et hæc Visogotthi. Ostrogotthi uerò mox ab Hunnis subacti, cum Attila eorum rege contra Visogotthos pugnauerunt: mortuo Attila, duce Theodorico Italiam occupauerunt, à qua expulsi à Belizario, ac demum à Narsete desierunt: quidam tamen in Italorum nomen (qui superfuerunt) abierunt, alij expulsi, eorum exonerationem habent incertam. Hæc de Gotthis exactissima memoria afferuntur à Procopio, Agathia, Ablauio, ac Scholastico Smyrnæo Græco autore, qui post Procopium, omnia Gotthorum bella ad unguem collegit, in libro quem τὴν καιζαρέα inscripsit. Belizarij Narsetisque gesta officiatim executus est: meminit & illius Suidas.

Gentes à Gotthis deriuatæ.

De regibus Vandalorum. *Cap.* 11.

VAndalorum reges Gotthorum catalogo coniunximus, tum quia ipsis affinitate deuincti erant, deinceps quia origine Vandali fuerunt è Gotthis: postremò quia Hispaniam cum Gotthis diu tenuerunt. Noluimus etiam Visogotthorum principes, Hispaniam incolentes, ad formam catalogi traducere, ob nimiam stirpis Gotthicæ illius defectionem: rarò enim per duos uel tres gradus in eadem prosapia regnum illud remanserat. Oblitus etiam suscepti officij iudicari potuissem, si ego Germanicæ Historiæ addictus, Hispaniæ Imperatorum descriptionem obirem. Cæterùm ut Zoilorum dentes effugiam,

Vandalorũ reges.

effugiam, & Gotthorum duces ad amussim recessisse uidear, satis Lectori sum facturus, dum Gotthos illos Hispaniæ præsides allegabo, qui ex Visogotthis genus eorum referentes, adiunctis Vandalorum regibus Hispaniæ præfuerũt, qui eiusdem farinæ gentes, è Germanica stirpe emerserunt. Anno itaq; Dominicæ incarnationis trecentesimo quadragesimotertio, Athanaricus primus rex Hispaniæ Gotthus eam occupauit.

VISOGOTTHI.

Athauaricus regnauit annos 13.	Alaricus regnauit annos 23.
Athaulphus regnauit annos 5.	Singericus annum unum.
	Vallia aliquos.

VANDALI IN HISPANIAS.

Gensericus	Hunricus	Gundamundus
Trasimundus	Hildericus à Bellisario abactus.	

Ricius in libro de regibus Hispaniæ scribit immediatè post Gensericum Gotthos recuperasse Hispaniam, cui non accedo, Procopij, Aretini, & penè auctoritatibus inductus omnium: Gotthorum autem tunc reges illos adducit:

Reges Hispaniæ.

Theodericus	Turismundus	Theodericus
Henricus	Alaricus	Almaricus
Gensalaricus	Amalasuitha	Teudius
Teudesilius	Agilla	Atanagildus
		Lymba.

Leonogildus cuius tempore Sueui ex Hispania eiecti sunt, qui tamen eam 170 annis occupauerant. Inde Recharedus, Luyba, Victericus, Gondamiris, Silsebuta, Recharedus, Suintilla, Rachimirus, Siselundus, Suintilla, Tulga, & alij, qui omnes Hispaniarum reges natione Germani ac Gotthi extiterunt. Referuntur & alij Gotthorum ac Vandalorum principes à scriptoribus, qui prætermissi sunt à nobis, ut Cordus Gotthorum & Daciæ dux apud Iornandem. Euricus rex à Gregorio Turonense allegatur, Ethico à Pomponio Læto, qui Traiani Imperatoris temporibus referebatur. Rhedagasus memoratur ab Aurelio Victore, Beneuenuto, Orosio & Claudiano. Sic quoq; Visimar primus Vandalorum rex Constantini temporibus allegatur à Iornande, Fretolphus episcopus Hinamigundum & Lendigillum Gotthorum regis filios tradit.

De regibus Hunnorum. Cap. 12.

HVnnorum duces mox adijcere Gotthis in animo erat, ut eos, qui ambas penè Gotthorum gentes subdiderunt, unam penitus ut Ostrogotthos. Vnde quia nec Gotthorum gens penitus sine illorum relatione indagari potest, & illorum originem (qua potero breuitate) auspicaturus sum. Priscus Historicus ait, Hunnos incognitos olim fuisse: primus tamen eorum rex à scriptoribus allegatus, Valamber extitit, qui referente Iornande, Ostrogotthos subiecit, & ante illum Valamir, quo duce primitus in Gotthos arserunt: huic Attilæ progenies successit.

Hunnorum reges.

Hunni temporibus Iustiniani Chreme & Chridichia regibus, anno Salutis 363. decies centum & octo millia hominum intulerunt hostibus. Luitprandus Historicus Dursac & Bugit Hunnorum duces allegat. Cæterùm Suidas autor Græcus in dictione βέρνιος, Attilæ ac Bledæ Asperis & cæterorum principum Hunnorum facit mentionem. Defecit autem tota Hunnorum progenies illis posterioribus, quare refellendi sunt illi qui Vngaros ab Hunnis deriuare nitebantur, ut in libris superioribus diximus: alij tamen Hunnos ad Hunnorum recessum Teutonicè Hundsruck consedisse uolunt.

De

De Herulorum, Slauorum, Alanorum, Scyrorum, Rugorum regum catalogo. Cap. 13.

HEruli eadem origine gaudentes cum Longobardis sæpe conflixerunt. Horum dux olim nobilitabatur Rudolphus, cuius meminit Vuarnefridus. Huius fratrem filia Totonis Longobardorum regis occidit. Hinc longo post tempore Rudolphus ætate Iustiniani à Procopio admodum celebratur. *Herulorum reges.*

Slauorum & Antarum duces à nullo recensentur.

Alanorum principem Sangibanum tempore Attilæ uiguisse recepta quorundam persuasio est, ut Iornandis & Ricij. Inde Breugus: Poloniam uerò Alani rege Fernedo inuaserunt. *Alanorum reges.*

Scyrorum rex tempore Attilæ Vinulff memoratur.

Rugi uerisimis Germanis origine, lingua atque uirtute intercensentur, ut uolumine primo copiosissimè demonstrauimus. Eorum reges ueluti Cregiptius in epistola ad Pascasium, & in uita sancti Seuerini innuit. Hi celebrantur: Flacitetus Rugorum rex inter primos connumeratus. Feletheum filium ex uxore sua Gunbalda suscepit. Hic Feletheus Gisæ suæ uxori posteritate carens, Rugorum regnum administrandum tradidit. Gisa uerò Subam Subæ Rugorum regis inde filium matrimonio sibi collocabat: eum denique Rugis præfecit, ex qua & duos filios genuit, Hunulphum uidelicet postea Rugorum regem, & Odoacrum, qui Italiam occupauit. Fit etiam mentio tunc temporis Friderici cuiusdam Imperatoris Rugorum Subę regis filij. Temporibus inde Iustiniani Anicicus ipsis præfuit, ait Procopius auctor Græcus. Hic quoque lectorem admonuisse uelim, Odoacrum à Procopio Italum fuisse describi, cui tamen minus ausculto, dum Herulorum ac Rugorum auxilio Italiam occupauerit. Eandem sententiam Bilibaldus Pyrckhaimer asserit, uir doctissimus, in proxima ad me data epistola: non etiam parum me mouet Cregiptij prædicti auctoris ratio, & maximè, dum ea tempestate uixerit. Ille Odoacer ille erat, qui Romam ac totam Italiam suo nomini ac iuri subiecerat. Induxit igitur Leo Imperator Theodericum, ne pateretur Italiam à Barbaris occupari: ergo non Italus, quia Barbarus. Verba autem hæc sunt Leonhardi Aretini in uolumine primo de rebus Gotthorum, & ipsius Procopij alioqui peritissimi. Habeo sententiæ meæ riuales, Sabellicum, Blondum, Fretolphum, & alios plurimos. *Odoacrū Germanum fuisse, & occupasse Italiam.*

De regibus Gepidarum & Longobardorum. Cap. 14.

GEpidę quoque è Gotthis originem sibi desumpserunt, & primitus sub Gotthorum regibus floruerunt: inde à Gotthis semoti, Thorismundum nacti sunt, & Chunimundum, reges ultimos. Tempore Iustiniani Charismo rege fungebantur, referente Procopio. Chunimundus autem prædictus filiam unicam reliquit Rosindam, uxorem Albuini regis Longobardorum, ac parentis eius occisoris, quem & ipsa sustulit, ut sequitur. Longobardi primitus (ut Vuarnefridus testatur) à Scandia uenerunt, Iboro & Aio ducibus: in Scoringiā uerò Ambio & Cassio præsidibus: in Mauringam rege primo Agelemundo Rege Ario Amazones uicerunt, Duce Gedeoc in Rugilandiam uenerunt: rege Toto Herulos uicerunt, Duce Albuino Gepidas (occiso eorum rege Chunimundo) strauerunt, & in Italiā uenerunt. Hic occisus tamē est ab uxore Rosinda, Chunimundi regis occisi filia, ductu & auspicijs cuiusdam serui. Seruus ille imperium assumens, mox repulsus, stirpem ueterem regum Longobardorum deficere coegit. Cæterùm plures ac uarij gentium ad Longobardorū regnum deuenerunt. *Gepidarum reges. Alij Rosimunda. Reges Longobardorum.*

deuenerunt. Nam & in inferioris Germaniæ partibus iuxta Ptolemæi rationẽ libro 2. capite 10. penes Rhenum habitauerunt. Si saltem illos Longobardorũ hos dicimus, à quibus Italia occupata est: quod multi negant. Id tamen certum est, Longobardos Pannoniam ingressos, à Narsete Iustiniani Eunucho ad occupationem Italiæ auocatos, ut Rheginoni & Vuarnefrido placet, Taruisium & Mediolanum interceptasse. Sæpè hi à Numulo uicti, ad pristinas sedes secesserunt: Childebertus quoq; rex Franciæ ab Italię occupatione eos arcere uolens, penè attritus est, ut honestißimè Rhegino & Platina non sine summa memoria prosequuntur. Vt autem nobis de regno eorum aliquid constet. Olim hi quando è Scandia proficiscebantur, sub Iboro ac Aione Ducibus, ut diximus, Scoringiam armis sibi uendicauerunt. Feruntur autem Ibor & Aio cuiusdam Gambaræ filij, cuius soror Ambium & Casſium ultimos Longobardorũ Duces partu susceperat. Inde Ducatus eorum in regnum euasit, primusq; rex Agelmundus initiatus est filius Aionis, cui Lanißio rex succeßit, quem Leschius filius secutus est: inde Hildeac, postea Gedeoc. Et sic semper sese horum reges in eorum titulis proferebant. Sunt qui eos, postquam Italiam interceperunt, salutis nostræ anno uidelicet septingentesimo sexagesimooctauo, sese duces tantùm exhibuisse scribunt, ueluti Rhegino Pruniensis & Blondus, nec regalis tituli dignitatem sibi asciuisse, nisi regis eorum Othocari sæculo, anno à su prascripto decimo. Cæterùm si curiosus Lector interim agnoscere cupit, qui reges Longobardorum fuerint, quorum Vuarnefridus, Diaconus, & alij nullam fecêre mentionem. Allegantur multi à Methodio Historico, uerùm absq; ordine: igitur hos nobis prætereundos esse statuimus.

De regno Arelatensi. *Cap.* 15.

Regnum Arelatense.

REgnum Arelatense ad Germanos semper attinebat, sub quo Sabaudia, Heluetia ac Delphinatus comprehendebãtur: Imbertus accepta à Philippo rege pecunia, & Valesio quinto rege Francorum, Delphinatum uendidit, ut Ricius ait. Dissentit tamen paululum à Gaguino Franciæ regum scriptore. Nauclerus id temporibus Caroli quarti factum fuisse tradit, & ductu Imperatoris, Sabaudiam inde in Ducatum redactam fuisse à Sigißmundo Cæsare. Heluetij etiam eorum tantum iuris esse uoluerunt. Henricus Burgundiæ rex Ropertum Franciæ regem hæredem constituit, & sic regnum illud antiquißimum desijt: & nisi nomen ad nostra sæcula remansit, quod Duces Zæringenses & Palatini siue Auentini illi uidelicet de Habspurg retinuerunt, quorum dominium & sub præfato regno continebatur. Fuit autem regnum Arelatensium à Germanis occupatum Iustiniani Cæsaris temporibus, quando Gotthi in Italia regnabant, ut libro secundo Procopius auctor Græcus testatur. Cætera libro undecimo de litera A, require.

De regno Austrasiæ. *Cap.* 16.

Regnum Austrasiæ.

REgnum Austrasiæ semper Germanis adscribebatur: coluerunt eam à principio Franci ante mille annos, antequam Galliam occupauerunt, ut apud Hunibaldum liquebit, & sæpius à nobis scriptum est, quomodo Franci iuxta Rhenum habitauerint. Et penè semper apud eos Francos Austrasia remansit, usq; ad Dagoberti tempora, qua tempestate Duces Brabantini (ut eorum Annales testantur) eam sibi uendicauerunt, à quibus & diu moderabatur, donec Imperium ad nos delatum est: tunc Lotharingia & Brabantia in Ducatus, ciuitates uerò maiores ad Imperium sunt relatæ. Nec me fugit, Ricium & Gaguinum penè semper Austrasiam sub corona regni Franciæ comprehendisse. Nec me præterierunt, quæ Annales Metensium, Treuirorum & Lotharingorum

contineant,

contineant, qui regnum Austrasiæ à Iustiniano Cæsare penè Francis semper tribuerunt, & hi Franci semper nomen Germanicum acceperunt. Alij sicuti Michael Ricius, quibus & plurimum damus auctoritatis, Carolum Marcellum Pipini filium præfectum fuisse scribunt regis Francorum. Et addunt: Chilpericus aũt (cui ultimo Austrasia contigit) è carcere, in quem ductu Plectrudis nouercæ iniectus erat, surreptus, continuò per desidiam Theoderici, quem alij Chilpericum uocant, regis Francorum filij Dagoberti, Austrasiam & Sueuiam suo nomini & iuri adiecit, & Pipinum Zachariæ Papæ auspicijs, præsidem creauit. Ita ergo semper sub Germanis Austrasię regnum moderabatur. Austrasiam alij ab Austraso præfecto Iustiniani Cæsaris dictam uolunt, quibus & ego eo libentius ausculto, quia penes antiquos huius nominis nulla mẽtio est celebrata.

Carolum Magnum fuisse Germanum. *Cap.* 17.

VEram Caroli Magni & eius progeniei stirpem fuisse Germanicam, nonnullorum testimonijs conuinci possumus. Testantur enim idem sacri Canones, Baldus, Flauius Forliuiensis, Donatus Acciaiolus, Otto Frisingus, Vrbanus papa secundus, Iacobus Vuimphelingius Selestanus, & cæterorum plurimi. Paululum tamen à se inuicẽ in diuersum abeunt. Platina in uita Adriani, & Gotfridus Viterbiensis, ex Franconia ortum retulisse Carolũ dicunt. Lupoldus tamen Babenbergensis de Christianitate capite primo, & in tractatu à prædio Rheni iuxta Moguntiam originem duxisse uoluit. Marlianus è uico Lupilia dicto apud Eburones, in dominio Leodiensi, & Pipinos Carolomannosq; omnes extitisse Germanos asserit. Cui sententiæ & Gaguinus subscribit. Innocentius etiam Papa (ut habemus de electi. C. Venerabilem) in persona Caroli ad Germanos Imperium translatum fuisse profitetur. Ergo Carolus Germanus extitit. Adde quòd nomina uentis Germanica imposuerit Carolus, referente Sigeberto Gemblacensi. Adde quòd Germanicè semper locutus sit, auctore Einhardo. Et postremò, quòd semper penes Germanos sedes tenuerit. Michael Ricius Carolum ex matre Germana prognatum dicit: quod dictũ non ueritati deest. Vxor quoq; Caroli Germana fertur à Gotfrido Viterbiensi. & tantum de Austrasiæ regibus.

Carolus quòd Germanus, & ubi natus.

Regum Danorum catalogus. *Cap.* 18.

DAnia semper Germanis erat adscripta, cuius etiã insulæ uerè Germanicæ sunt, à Dan primo eorum rege dictæ, ut ait Saxo Grammaticus, cuius & Methodius martyr meminit. Hic Dan (ut quibusdã placet) filius Hunulphi cuiusdam fuisse tradebatur, qui ex uxore Gefilda, Angul à quo Angli dicti sunt, referente Beda, & Dan genuit, qui nomen Danis indidit. Hic Dan copulata sibi uxore Grytha, regis Sueuorũ filia, Lotherum secundũ Daniæ regem suscepit, cui filius Stydus nomine succesit. Illũ filius Gram subsecutus, inde rerũ Danicarum potitus est, duosq; filios reliquit, Gunthernũ uidelicet, qui masculino semine destitutus, fratrem suũ Vadingum regno præfecit, ex quo tantũ filia prodijt nomine Vluilda, quę duobus maritis addicta, Guntherino & Vlboni, ueteri regum Danorum generi finem præscripsit. Vadingus itaq; prædictus uirili carẽs stemmate, externo genero Vlboni regnũ dedit: & hæc prima stirpis illius erat uariatio, cuius filius Frotho rex erat. Secũdũ ordinẽ itaq; eorũ reges allegabo:

Catalogus regum Daniæ.

Fronto	Roe filius	Stato	Haluinus	Roe, à q̃ Roskildia
Helgo filius	Roe filius	Rolue	Hiartuarus	Horterus
Othinus	Rorcus	Hortuẽdillus	Feugo	Auculeius
Vigletus	Vermundus	Vffo	Olauus	Frotho
Haraldus	Vnganus	Smaldus	Sigarus	Synaldus.

Hi principes ex plebe reges creati sunt:

Holdanus	Haraldus	Ringo	Ringo	Hetha
Olaus	Ormundus	Syuardus	Buthlus	Tarimarus
Boderus	Synaldus	Sicio	Viorno	Haraldus
Germo	Gotricus	Alanus	Heringus	Syuardus
Reguarus	Viarus	Smardus	Ericus	Kanutus
Frotho	Germo	Haraldus	Germo	Haraldus
Sueno	Kanutus	Magus	Sueno	Haraldus.
Kanutus	Olauus	Kanutus	Ericus	

Post hos Nicolaus, Ericus, Haraldus, Ericus Sueno, Kanuto, Voldemarus, Kanutus, qui octauus & octogesimus Daniȩ rex recto ordine initiabatur. Palatini etiam Rheni & Duces Bauariæ Daniam in eorum potestatem redegerũt, ut Christophorus Palatinus ob uxorem Dorotheam filiam Ioannis Marchionis Brandenburgensis, quæ prius Ericum Daniæ regem habuit maritum. Huius Christophori mentionem fecerunt Saxonum Annales. Hæc obiter ex Ioanne Saxone Grammatico adiecimus, qui res Danorum multis æditis uoluminibus copiosissimè collegit.

Regum Hierosolymitanorum catalogus. Cap. 19.

Reges Hierosolymæ. Hierosolymitanum regnum à Germania remotissimum, ideo Germaniæ annectere uolui, non quòd Germanorum sit (ita quòd Germaniæ adscribatur) uerùm quia à Germanis eam bello acquirentibus, primò in regnum sit sublimatum, ac regalem honorem sibi desumpserit. Vnde & hodie Lotharingiæ Germani duces, eam titulis eorum inserunt. Gotfridus Bulion dictus anno Salutis millesimo undecentesimo terræ sanctæ armis recuperatæ rex initiatus est, Michaele Ricio ac Ruperto scriptore terræ sanctæ referentibus.

Solidanus cœpit Hierusalē. Illis regibus functa est terra sancta Christianis ac Germanis, inde in manus Solidani deuenit, qui anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octuagesimoseptimo, in uno mense regnum cœperat. Vnde non ultra centum annos in manibus Christianorum moderabatur. Capta enim erat Antiochia anno millesimo octogesimotertio, & sancta terra anno millesimo nonogesimooctauo in die diuisionis Apostolorum infra triginta nouem dierum spacio, plus ducentis millibus Germanorum desideratis. Et à Solidano tamen tam breui recuperata est. Eo tempore Sicilia in regnum translata est, & reges Hierosolymitani se Siciliæ reges scripserunt. Renatus etiam Siciliæ præses ex filia nepotem Lotharingiæ Ducem sublimauit. Vnde & se hodie Lotharingorum duces Siciliæ dominos in titulis præferunt. Sublimabatur præterea ad regnum Hierosolymitanũ Balduinus Flandrensis comes, è cuius filia inde Flandrenses cæteri emerserunt.

De imperio Romano, & eius nobilitate. Cap. 20.

Sacri Imperij sublimitas. Omnium illorum quæ nobilitati debentur, nihil laudi alicui effusius, nihil nobilitati cumulatius cõtingere potest, ac demũ iucundius, nisi id, quod rerum terrenarum summam dignitatem refert, à quo omnis nobilitas, omnis splendor, ut à uero fonte manat, quod terrestrem Deum ex homine componit, & omnem humanam amplitudinẽ excedit. Modò nihil absolutius, nil magnificentius in rebus mortalium à Deo productum est, ut Diaconus Græcus auctor indicat, in libro quem ad Iustinianum scripsit: quàm Romani Imperij maiestas. Vltra quod humana nil uenerabilius assequi potuit conditio: nil à rerum natura excogitatum est, quod sublimitate sanctissimi Romani Imperij titulum

tulum ſuperauerit, ſiquidem duobus gladijs tota rerum neceſſitas ad ſuſtinendum commiſſa eſt, à primo legis noſtri Doctore Ieſu Chriſto, quibus & totus Chriſtianitatis conſenſus primas rerum mortalium partes defert, uerae obedientiae ſacramentum debet, & corpore quàm animo ad cuncta quę pręcipiunt efficienda oppigneratur. Fuit ſacratiſsimum Imperium exiguum penes Aſſyrios primitus, & ob deſidiam Sardanapali ad Perſas deuenit, quod inde uirtute Alexandri Gręci occupauerunt, Gręcorum claritati rerum ſummam Romani abſtulerunt, & ab eius ſplendore tantam ſublimitatem aſſecuti ſunt, ut magna ſcriptorum pars ad deſcribendam eorum amplitudinem adeò occupata fuerit, ut proprios libros de eorum claritate cõſcripſerit. Quemadmodum Lucianus, Plutarchus, ac alij. Non tamen conditione mortalitatis, humanarum rerum ſtatus ille diutius ſubſiſtere potuit, ob uarios bellorum ciuilium ac regum malorum uultus, unde ad Graecos defluxit, & partim in Italia ſub tot bellorum fluctibus remanens, à Longobardis demum interceptum eſt. Erant tunc belli opinione ac uirtute caeteris praeſtantiores Germani, qui tunc temporis non ſolùm huius mundi Chriſtiani, uerùm & omnis uirtutis, Imperium aſſumpſerant, bellica dexteritate eminentiſſimos quoſq; ſuperauerant. Hi igitur per Carolum Magnum Germanum, uirtutis inſtinctu, & dijs praeſentibus, rerum ſumma potiti ſunt, ac tot annis retinuerunt, ut nulla gens reliqua. Legibus etiam ac Electoribus conſtitutis aeternitati Imperij ita conſuluerũt, ut ipſis proprium ac perpetuum deſumpſerint. Hoc unum Germanicę nobilitatis argumentum, ſed maximum eſt, cui totius terrę nobilitas, & ſi in unum faſcem redigeretur, haud facilè reſponderet, quo minus ex aequo ac permiſſo ueritatis iure, me etiam tacente, Germanos & nobiliſſimos eſſe liqueat. *Germani omniũ amplißimi.*

Quomodo Franciae reges multa Germanorum in ditionem eorum redegerint, & quomodo à Germanis duce Carolo Magno & caeteris iterum nobis reſtituta fuerint. Cap. 21.

PLura nobis obuia eſſent afferenda, quae αὐτοσχεδιαζόμενα indulgenter, non accerſita, ſeſe noſtrae memoriae ingerunt, quae ſine magno etiam ſcribendi labore, ſua ſponte nobis affluerent, ac dicenda eſſent, niſi operis noſtri neceſſitas omnem eorũ mentionem excluderet. Multa enim de Imperij initio, & quomodo à Graecis & Romanis occupatum fuerit, memoriam ſuam à nobis exigerent, quae tamen ut τὰ πάρεργα reliquimus. Pius lector ſi de Graecorum Imperatoribus cognitione detinetur, Ioannem Monachum copioſiſsimum Graecorum ſcriptorem uideat. Latinorum uerò de Romanis Imperatoribus ſcriptorum numerus infinitus eſt. De Germanis Imperatoribus Lupoldus Babenbergenſis proprium uolumen abſoluit: uerùm ego nunc ἀφοδοιπόρος reuocato curſu ad inſtitutum redeam. Germani tempore quo Franci Galliam ſibi ſubdiderant, crebris impulſionibus à Gallis uexabantur. Clodoueus enim eiuſq; ſucceſſores, Burgundiam ac multa in Auſtraſia occupauerunt, ut teſtatur Ricius libro primo de regibus Franciae. Platina in Felice IIII. Theodatum nominat, quem alij Theodericum, qui Burgũdiones & Alemannos uiciſſe dicitur. Paulò pòſt Dagobertus primò uictus eſt à Saxonibus, quos deinde pari exemplo profligauit, ut Ottoni Friſingenſi uidetur libro quinto. Pipinius pręterea, ut Platina in uita Sergij Papę collegit, Germanos ſcilicet & Sueuos ſuperauit. *Translatio imperij.* Poſtea Carolus Martellus ſolus toto Franciae regno potitus, Rhenum traijciens, in ſua iura redegit Sueuos, Bauaros & Alemannos, ut uoluit Otto Friſingenſis libro quinto, cap. ultimo. Tres autem Carolos Hiſtoricorum conſenſus profitetur. Primus Caroli Magni auus de Bois uictoriam retulit, Carolus ue-

rò Magnus filius Pipini cum patre totam Germaniam subdidit. Tertius Carolus dicti Ludouici filius celebratur, & ita Germania Francorum ductu à Romanis iterum abstracta est, & ad Francos pristino iuri restituebatur: de hoc exactissimè Rhegino Pruniensis libros reliquit. Carolus ita demum ac Pipinus in totius Galliæ reges initiati, Francorum regnum ad ipsorum manus contulerunt, Saxones & alios Germanos, & ipsi existentes Germani, subegerunt, & ita pristinæ dignitati ac possessioni Germania est mandata, nec hoc quidem nisi Germanorum auxilio.

De translatione Germaniæ à Francis iterum in pristinam libertatem. Cap. 22.

Francia Orientalis Germania dicta.

GErmania tota Caroli Magni tempore Franciæ Orientalis nomẽ accepit, ut Otto Frisingensis & Lupoldus indicauerunt. Mortuis uerò Carolo Magno & filio Ludouico, regno Franciæ diuisio cõtigit, per eius filios: de qua diuisione Lupoldus in tractatu de zelo & de regni iuribus capite secundo, & nos libro primo cap. de Belgis plura adiecimus. Lothario autem tunc Gallia Belgica obuenerat: à Britannia inde usque ad Mosam Carolo, Ludouico uerò Germania cessit. Hæc Otto Frisingensis lib. 6. Platina in uita Sergij II, Michael Ricius lib. 2. de regibus Franciæ, & Rhegino Prunien. adducunt. Mortuo ergo Ludouico, Carolus Germaniã sibi asciuit, uicitque Turingos, Saxones ac Alemannos. Huic inde successit Arnulphus, qui Orientalem Franciã, id est, Germaniam nactus est, quam Sueuiam, Bauariam, Saxoniam, Turingiam uocant. Et inde usque ad Ludouicum Lotharij filium, sub Franciæ regno Germania constiterat, eiusque ætate iterum in pristinum statum redigebatur. Ludouicus enim Arnulphi filius ultimus memoratur eiusdem generis Imperator, sub quo Caroli progenies defecit, sub quo Imperium à Francis, Francorum ignauia ad Germanos deuenit, eiusque tempore plurimum Germania nacta est. Otto enim Belgas Germanis adiecit, & inde cum Imperij translatione omnia Germania nacta est, quæ Imperio superant.

Quàm longè Imperium dilatetur, & qui reges Imperio subijciantur. Cap. 23.

Dilatatio Romani Imperij.

NVnc de Imperij dilatatione nostra erit oratio, ut agnoscamus, quãta Germani possideant. Omnes autem prouinciæ Imperio subijciuntur, ut patet 6. quæst. 3. cap. scitote. Itẽ omnes nationes, 11. quæst. 1. parag. sed si quis. uer. uolumus. & 53. distinc. Adrianus. Accedit quoque in omnes Principes Imperatoris esse potestatem, eidemque tam censu quàm facultatibus eos astringi, quemadmodum constat, ff. de censibus. l. ultima, ubi & Burgundiones ac inferioris Germaniæ ciuitatem Agrippinam Imperio subditam esset liquet. Adde quòd omnibus quoque regibus Imperator coronam confert, eisque ut subiectis, gubernandi copiã administrat, ut uidetur glossa 63. dist. cap. Adrianus in loco secundo. Et 7. quæ. 1. cap in apibus, ubi unum dominum esse totius terræ sacri canones testantur, in quem omnes alij regnorum suorum facultatem referant, nisi illi, qui se probẽt ab Imperio esse exceptos, ut 23. quæst. 8. parag. Ecce. Vnde patet Vngariæ Bohemiæque, Daniæ & Poloniæ reges, à Cæsare omnia eorum iura impetrare, ac illi soli obligari. Nec hoc loco Scotiæ aut Angliæ, Arragoniæ, aut Portugalliæ reges excludo. Franciæ quoque rex iure submissionem obedientiamque Imperio teneretur, ueluti glossa 63. dist. cap. Adrianus in secundo loco: & leges 7. q. 1. cap. in apibus. Quare nõ uideo, cur Imperatori reluctetur, nisi quòd exceptus esse uult, propter Caroli Magni probitatẽ, ut extrà qui filij sunt, cap. Venerabilem, circa medium, & Specul. in titulo de appellatio. in parag. 3. circa initium.

initium. Consimili pacto rex Hispaniæ Imperatorio iuri refragatur, animatus illius quod 63. dist. cap. Adrianus cautum est. Illorum itaq; subiectionem præscripsit Papa contra Imperatorem. Subtrahant ergo sese leui ac quacunq; causa: id tamen omni uero uerius est, quod à uerissimo nostræ disciplinæ & Christianæ legis doctore Iesu Christo, quo nil uerius, prodijt, duos uidelicet gladios rerum uniuersitati sufficere, ubi uno doctorum omnium consensu, Imperatorem & Papam innuit. Illa tamen iniuria denegati honoris sacratissimo Imperio toleranda esset, si illa quæ Imperij sunt, Imperio sinerentur, nec ultrà quàm ius postularet, insultaretur à quibusdam, qui tamen omnia Imperio debent & obligantur. Verùm quid dixi? si illa quæ Imperij? dum ipsi, qui Imperio repugnant, ita alieni à communione Imperij sint, ut non possint non esse sub Imperio, si cuncta Imperij requirerentur.

Plura à Francis Occidentalibus occupata esse, & ab alijs, quæ ad Germanos spectant, & ad Imperium. Cap. 24.

Plura etiam adhuc à Gallis & alijs retinentur, quæ Germanis iure omni deberentur. Obtulit se primò memoriæ nostræ Lotharingia, quam post Carolum Crassum Otto primus Germanorum iuri subdidit, & Bossonem ea destituit, ut fert Ioannis Naucleri sententia, quam & in Ducatum Imperij redegit, referente Roberto Gaguino. Lotharius semel Lotharingiam Germanis intercipere uolens, ab Ottone secūdo usq; ad internecionem prosequutus est, ueluti Flauius Blondus Forliuiensis asserit. Semper itaq; sub Imperio Lotharingia permansit: nec minus regnum Arelatense iuri Germanico gaudebat, cuius una prouincia Sabaudia, in Ducatum à Sigismundo transiuit. Continebatur totus tractus Sequanæ olim & Burgundia sub habena Ducum Zeringensiū, partim sub Rudolpho Habspurgensi, Ducibusq; Austriæ. Anno autem à natiuitate Christi 1349, Imbertus Delphinus de Vienna induit habitum sanctæ Crucis, Delphinatumq; uendidit regi Franciæ, qui tamen Imperij iuris antea fuerat, & una de septem prouincijs regni Arelatensis. Hęc itaque interceptio contigit Delphinatui tempore Caroli quarti. Quid memorē Mediolanensem Ducatum locupletissimum? cuius Ducis titulum ob Germanorum opprobrium rex Francorum præ se fert, nec immeritò. Nam Germanorum auspicijs Ducatum hunc aucupatus est. Regnum Arelatense, & illud quidem uenerabilissimum, Procopio Græco testante, multa uirtute Germani olim occupauerunt, & in eorum iura totum huius secessum usq; ad maritima littora uerterunt. Nostro uerò sæculo bona illius pars Franciæ regi partim, partim Heluetijs tributaria contigit sinistro instituto. Olim enim ratum erat ueteribus Germanis regna acquirere, ueluti Campanus noster collegit, non parta amittere.

Plures regiōes sub Germanis amissæ.

Delphinatus olim sub Ger.

Imperatorem esse dominum omnium, & omnes subijci Imperio, ita & Germanos omnium dominos. Cap. 25.

Omnium illorum ergo dominus Imperator euasit, cunctosq; obedientiæ iugo sibi deuinxit, qui Christiano nomine imbuūtur. Infideles autem excluduntur, ut liquet 24. q. 1. parag. Sed illud, ubi extra Ecclesiā remotum esse Imperium constat. Omnibus autem Christianorum Imperator principatur, dominaturq;. l. deprecatio. ff. ad l. Rhodiam de iactu. A' Labione Iurisconsulto, uerba Antonini Cæsaris hæc sancta illic asseruntur: Ego quidem mundi dominus sum, &c. Idem glossa & Autentica, nauigia, C. de furtis. Singula præterea in potestate Imperatoris constituuntur, 8. disti, cap. quo iure, & 23. quæst. 8. cap. Conuenior, in glossa, & de quadrien. præscrip. cap. bene à Zenone. Ob id igitur triplici

Soli Christiani sub Imperio.

plici corona Imperator Romanorum coronabatur, ferrea uidelicet, in Aquisgrano, deinde argentea in Mediolano, demum uerò aurea in Roma à Pontifice Maximo, iuxta altare S. Mauricij, secundum scribentes & gloss. in c. Romani. parag. 1. de iureiur. in Clement. Hunc ergo totius mundi dominatum soli Germani possident, & omnibus dominantur gentibus. Quæcunque igitur gentes se Imperio subtrahere conantur, cùm omnia Imperij sint, nihil possident, dist. prima, capite, ius Quiritũ, & 8. dist. c. quo iure. Quicquid ergo Ecclesię & Christiani nominis honore nititur, Germanis subiugatur. Ostendit hoc Gregorius, quod & in generali Concilio cautum est, ut habetur quinta dist. de consec. c. in die. Verba Gregorij sunt, Romani, inquit, diuerso modo agere cœperunt, tempore quo Imperium Germanis concessum est, & nostræ ecclesiæ regum. Hæc ille.

De translatione Imperij ad Germanos. Cap. 26.

Virtute Germani Imperiũ meruerunt.

Antequam Imperij translationem innuero, circa Germanici decoris splendorem prius obambulabo. Germani tunc temporis uirtute sola Imperium sibi ipsis asciuerunt, ut 28. q. parag. ex his, & gloss. dist. 63. ego Luduicus, ubi Ioannes Teutonicus Francorum Imperium uirtuti Germanorum cessisse conuincit. Duo etiam de Germanis splendidissima adducit Campanus, in oratione Ratisponensi. Primum, quòd nulla gens tam diu Imperium incolume retinuerit, ut Germani. Italia enim 370, Germania sexcentis & plus 20 annis Imperium integrum tuebantur. Reliquum est, quòd nemo unquam interim nisi Germanus Imperio præfuerit, cum sæpe externos delegerint Romani. Sæpius ab ipsis militibus Romani duces Imperatores declarabantur, & ab exercitibus. Nunc tempus Imperij ad Germanos delationis ingrediar: Imperium Romanum sacro non minus sanctum quàm sanctissimum, primò Romanorum fuisse in propatulo est, usque ad Constantini tempora, qui id Græcis contulit. Inde post Adrianum Leo Papa tertius Carolum Magnum coronauit, populo Romano petente, octingentesimo anno, ut Historia Francorum, Gotfridus Viterbiensis, Martinus, Sigebertus Genblacensis, Lupoldus de zelo Germanorum capite decimoquinto, & in libro de translatione Imperij, scripserunt. Apud hos ergo centum & decem annos incaluit. Inde, ut placet Sigeberto Genblacensi, anno Domini nongentesimo uigesimo, ob Germanorum uirtutem secundum glossam de elect. c. Venerabilem. 767 anno per Carolum, ut sequitur, imperium Germanis cessit. Vnde nihil Germanorum honori imperio præsentius est: huius enim excellentia Germanorum uirtus & humanitas illustratæ, eorum fortitudinis certissimum fecêre experimentum. Et ne laude sua imperator primus Germanorum defraudetur, decoquentibus rebus Longobardum & Græcorum anno incarnanationis Dominicæ millesimosecundo penes Platinam, iuxta uerò alios 962. Gregorius quintus Saxo, Ottoni tertio imperatori unctionem dedit, quia Germani & dignitate & uirtute cæteris pręstabant, ita ut penes eos summa potestas remanserit. Hęc Platina in uita eius. Ottonem etiam primum Germanorum imperatorem nomine, catalogus imperatorum numerat. Primus ergo Otto Germanorum Cæsar, postquam grauissimis prælijs tribus Vngaros confregit, Romam profectus à Ioanne Papa duodecimo imperij coronam assumpsit, Platina & Richardo auctoribus. Lateranensis autem Romam ipsum ingressum scribit tempore Ioannis, sed nihil de coronatione adiecit. In decretis tamen Pontificum liquet, ex uerbis Gratiani, Leonem octauũ, hunc corona imperiali dignasse. Cui opinioni incumbit Otto Frisingensis libro 7, cap. 17 Cronico. Genblacensis autem & Lupoldus Babenbergensis de zelo, capite secundo, Henricum primum Germanorum

norum regem dicunt. Idem Lupoldus Romam uenisse ait Ottonem ad Ioannem, uerùm nihil de coronatione, capite quarto. Iacobus Vuimphelingius in sua Germania, Henricum Cæsarem primum imperatorem Germanorum fuisse scribit, & à Gregorio quinto Ottonem unctum. Alij multò antè scribunt imperium ad Germanos translatum fuisse, cùm tot fuerint Germanorum imperatores ante Carolum, dum & Carolus Germanus fuerit, unde Marlianus ait, tempore Henrici potius imperium ad Germanos redijsse, quàm translatum fuisse. Nauclerus scribit Carolum Magnum uoluisse, ut imperium apud Germanos maneret, licet iterum ad Francos redierit: ex quo & tempore Caroli apud Germanos imperium fuisse liquidò constat, & id non adeò incredibile est: Egesippus enim libro secundo ait, tot centum annis ante Carolum uiuens, Germanos totius orbis Imperium Tiberij tempore assumpsisse. Vide Ioannem Teutonicum sexagesimatertia distinctione, capite, Ego Ludouicus: multa etiam Innocentius tertius capite, Romani, Clemens quintus & Panormitanus.

De electione Principum, & quòd magis Germanorum dicere Imperatorem, quàm Romanorum conueniat. Cap. 27.

TRanslato igitur imperio ad Germanos, Gregorius quintus electionem fecit, ut Sigebertus Genblacensis, Gotfridus, Rhegino, Otto Frisingensis, & Platina in uita eius scripserunt. Moguntinum, Treuerensem, Agrippinum episcopos Germaniæ, Galliæ & Italiæ destinauit. Quæ quidem Lupoldus capite decimo, de zelo Germanorum scribit, & hos ecclesiasticos. De numero uerò Principum ciuilium, Bohemiæ regi, ut scribit Platina, tantùm ob honorem & Romani imperij amorem, primas partes obtulerunt: Palatino inde, Duci Saxoniæ, Marchioni Brandenburgensi, authoribus prædictis. Hi ergo Germaniæ Principes summam eligendi Imperatorem potestatem habent, & usque ad nostra tempora habuerunt, ut Platina scribit, in uita Gregorij quinti, & Innocentius in decretis suis, de electione, uenerabilē paragrapho. Verùm ad Germanos ius & potestatem eligendi imperatorem peruenisse, scribit & Lupoldus de zelo capite septimo, & de iuribus regni & imperij capite octauo, & alij multa, quæ experientia patent. Cum ergo totum ius & potestas omnis, Germanis commissa sit, non uideo cur ergo imperator ille Germanorum minus quàm Romanorum dicatur: tum quia iuris & potestatis eligendi Germani compotes sint: tum quia ad ipsos imperium translatum sit: demum, quia & antiqui scriptores hos Germanorum imperatores dixerint. Lupoldus capite septimo de religione, Romanorum ait reges & Francorum, post translationem Germanorum, qui nunc Germanorum reges uocantur. Hæc ille. Dicant Itali quicquid uelint, in Decretis Pontificum patet, quomodo Otto Henrici filius, à patre & Leone Papa primus Alemannorum rex dictus & consecratus fuerit. Hæc Otto Frisingensis libro sexto, capite decimoseptimo, Platina in uita Ioannis 12, ait. Vnde Otto à Ioanne accepto titulo, Germaniæ imperator factus est, ubi primò imperium ad Germanos translatum est. Possem plura afferre ex Gotfrido, Lupoldo, & recentioribus quàm plurimis: uerùm una tantùm autoritas hominis recentioris, summa eloquentia & opinione uiri Philippi Beroaldi Itali, non Germani sufficiat, qui supra Aureum Apuleij asinum uolumine septimo, ita loquitur, iuxta hanc orationem, & prorsus exoculatam esse fortunam. Maximus, inquit, dux Mediolanensis, audito tantùm belli nomine, habenas reliquit subitò, & ad Maximilianum Germanorum Imperatorem

Imperatoris electio.

Imperator Germanorum magis quā Rō. dicitur.

auro omni & argento asportato transfugit. Hæc Beroaldus. Verùm ne id o-missiori studio hunc fecisse, uerùm debita opera nobis persuadere possemus: Italorum unus tunc temporis, malè uerba Beroaldi ferens, grauiter doctissimum uirum tanto errore se obnoxium fecisse Beroaldum, iuxta Thomam Vuolphium accusauit. Vuolphius igitur iunior (ut Beroaldo deditissimus erat) dicti huius robur à Beroaldo expostulabat. Cui Beroaldus his uerbis literis suis respondit, & uerba eius sunt: Appellando (eruditissime Vuolphi) Maximilianum Germanorum imperatorem, non Romanorum, secutus sum rem, non uerba, annuo: censeo quoque, honorificentius esse imperatorem Germanorum quàm Romanorum, cùm hoc sæculo Romana nobilitas decoxerit fece & quisquilio superstitibus. Germania uerò sit uiris, opibus, ac magnitudine florentissima. Præterea uocare regem Romanorum eum, qui Germanis imperet, credidi conuenire ambitiosis, non simplicibus scriptoribus. Habeo quoque persuasissimum, sacratissimum Maximilianum non minus libenter audire, ut Germanorum dicatur Imperator, quàm rex Romanorum: cum alterum re ipsa fulciatur, alterum titulo tenus blandiatur. Hæc Beroaldi uerba sunt, non mea, refellat Momus. Malè ergo Iustinianus, uir alioqui eloquentissimus, Germanos non iustè imperatorem eorum dominum dicere hallucinatur, cui satis respondit Bebelius.

De unctione Imperatorum. Cap. 28.

Qui reges à papis ungãtur.

CHristianorum quatuor reges à summis Pontificibus ungi liquet: Romanum uidelicet imperatorem, regem Franciæ, Hierosolymitanum ac Neapolitanum reges. Huncungendi usum Clodoueus Franciæ rex introduxit, qui à sancto Remigio unctus est. Inde usus ille pertinaciter obtinuit, ut tam Germaniæ quàm Franciæ reges semper à Pontificibus unctionem assumpserint, quemadmodum in iure Canonico de electione, capite uenerabilem, & de iureiur. Roman. in Clementina continetur. Otto itaque primus à Ioanne Papa duodecimo sui nominis, formam hanc inungendi in canone, sexagesimatertia distinctione, tibi domino comprehensam præstitit, ut ait Lupoldus. Ita & ex sententia Platinæ Gregorius quintus Ottonem tertium consecrauit. Fuit hoc præcipuum obedientiæ indicium in Germanis. Romanorum enim reges sæpè ab exercitu initiati fuerunt, ut Maximinus, Vitellius, Iulianus, & alij.

De quibusdam Imperatoribus Romanorum Germanis, ante tempora translationis Imperij ad nos. Cap. 29.

Quando Imperiũ ad Germanos uenerit.

DIximus in capitibus proximis diuersam auctorum esse de translationis imperij tempore sententiam. Fuerunt, qui in Carolum Magnum referunt imperij apud Germanos initium, ut & nostra fert opinio. Nec desunt qui id Curãdo tribuant, quem Francum dixerunt. Alij tamen Cunradum de Caroli linea deducunt. Sunt qui id Ottoni primo uendicant. Sunt qui Henrico Ottonis patri translationem assignant, de quo prius longè lateq; disputatum est. Omnis illa ambiguitas ex hoc fonte manauit: quidam enim Carolum negauerunt fuisse Germanum, ideo in Ottonem retulerunt translationem. Alij etiam Cunradum & Henricum primum non posuerunt, ut Italorum omnes, qui tunc sub Berengarijs ac Rudolphis, falsis Romanorũ regibus degerũt. Et hoc nonnihil Sabellici ac cæterorum lectioni confert. Itali enim sanctum Henricum cognomine secundum, primum posuerunt: excluserũt enim, quemadmodum diximus, de imperatorum numero Henricum primum, Ottonis primi patrem.

trem. Nec tamen & Caroli temporibus ad Germanos primitus imperium deuenit, consultante de illo Marliano, qui plures ante Carolum Magnum imperatores, natione Germanos adducit, & potius imperium ad Germanos per Carolum rediisse, quàm translatum esse. Claudij enim temporibus Germani ad imperij sublimitatem euehebantur. Diocletianus in Illyrico natus est: Decius, Probus, Iouinianus, Valentinianus ex Pannonijs orti sunt. Maximinus imperator patre Gottho, matre Alana productus, à Symmacho libro quinto, Iornande & Herodiano asseritur. Licet Suidas Græcus paululum in diuersum abeat, nullum genus maiorum suorum allegans: φύσει δὲ, inquit, ἦν τὸ ἦθος ὥσπερ καὶ τὸ γένος βάρβαρος καὶ τὸ φονικὸν πάτριον ἔχων. Mores etiam ipsum Germanum esse indicabant, ut manifestè ex illis qui eius uitam scripserunt, habemus. Caracalla quoque se Germanum dicebat, referente Aelio Spartiano. Cæterum à linea materna Constantinum Germanum Lupoldus probat. Tot Germanis igitur Imperatoribus Romanum Imperium ante mille annos moderabatur.

Cæsares antiqui Romanorum Germani.

Catalogus Imperatorum Germanorum, & quomodo de genere in genus Imperium descenderit.

Cap. 30.

TEmporibus illis quibus illustrissima Caroli progenies plena felicitate, rerum summa potita fuerat, Germanorum nulla prosapia ob illius claritatem emergere potuit. Postquam uerò Caroli posteritati inclinationem fata trahebant, mox potentissimi nobilissimiq; Saxonum Duces, omnibus Germanis uirtute & facultate præstantes, imperium adepti sunt. Et primi imperatores Germanorum initiabantur tres Ottones: horum deficientibus liberis, ad Bauaros deductum est imperium per S. Henricum, eius nominis secundum, qui cum coniuge Kunigunda nullos procreauit liberos. Inde ad Cunradum II. Imperium ad Francos delatum est, licet hic secundum quosdam, ut Platinam, Blondum & Aeneam, Sueuus, secundum alios, ut Ottonem, Francus fuerit: huic successerunt Henrici. Inde Cunradus Francorum Dux deficiente Henricorum progenie, Imperator initiatus est, ductu Henrici quarti, patris Agnetis, eius matris: & ita tandem propter defectionem stirpis Henricorum, ob Agnetem quæ nupsit Friderico de Stauffen, ad Sueuos delatum est. Fridericus inde primus fuit imperator, quantò posterior, eò maior: huius uitam & gesta Otto Frisingensis duobus libris, Richardus Cluniacensis Monachus scriptor illustris, ac Vrspergensis absoluerunt multis libris: Radeuicus totidem, & Ligurinus, cuius elegantia carminis motus, ne laude sua Fridericus defraudetur, Ligurini uerba adducam, cuius hæc sunt de Friderico:

Imperium ad Saxones.

Forma nitens, animusq; sagax, manus impigra bello,
Consilijs belloq; ferox, & pace modestus,
Mente senex, ætate puer, prudentia rerum,
Certus amor, robusta fides, constantia mentis,
Quæ nec fracta malis, non est sublata secundis:
Laudis amans, largitor opum, crudelibus atrox,
Tranquillus placidis, ferus indomitusq; superbis,
Simplicibus facilis, iustis pius, asper iniquis,
Fortis ad instantes casus prudensq; futuri,
Præteritiq; memor, socijs bonus, impius hosti.

Hæc Ligurinus. Inde Henricus sextus, Fridericus secundus, Cunradus, & alij successerunt, usque ad illorum stirpis defectionem, uidelicet in Cunradino, qui Neapoli occisus est, ut sequitur, & inde Imperium à nullo moderabatur diu, usque ad Rudolphum Habspurgensem. hoc aũt intellectu facilius esset, si in modum arboris Genealogias istorum reponerẽ, quo diligens lector, quomodo ẽ genere in genus Imperium descenderit, internosceret. Postquã enim rerũ summa ad Germanos deuenit, nullus (Campano auctore) nisi Germanus Imperio præfuit: & quia Carolum Magnum Germanum fuisse testati sumus, ab ipso usque ad Rudolphũ Habspurgensem Genealogia nostra deducenda esset. Postquam autem Rudolphus de Habspurg, rerum summa potitus est, & è uiuis excessit, Imperium ad Adolphum de Nassau deuenit. Inde iterum ad Duces Austriæ per Albertum filium Rudolphi de Habspurg: post quem ad Henricum Lutzelburgensem. Paulò pôst ad Bauaros per Ludouicum Ducem, quo mortuo, Guntherus quidam ad Imperij sublimitatem deuenit, Comes de Suartzenburg. Inde iterum ad Lutzelburgenses, ductu Caroli & Vuenceslai, post quorum fata à Palatinis Imperium interceptum est per Rupertum. Deinde iterum ad Lutzelburgenses Imperium Sigismundus detulit, quod duces Austriæ inde ductu Alberti, Friderici & Maximiliani occupauerunt, & rexerunt, quorum ductu & felici sydere adhuc moderatur. Horum autem omnium Genealogias posuissem, & Guntheri, nisi liber in immensum uolumen excreuisset. Est etenim tam diuersa Genealogiarum ratio, ut sæpe cum earum scriptoribus contulerim, raro inuenerim, cuius opinionẽ potius ego ducerem esse mihi imitandam. Quare nolui nostras arbores euangelicæ ueritati pares esse datas, quod tamen non mihi, sed penuriæ scriptorum, aut diuersitati imputetur. Duxit in coniugem Otto Saxonũ Dux, pater Henrici primi, Ludouici ultimi filiam, ut quidam scribunt: alij uerò Cunradi tradunt, ut Vrspergensis, Sigifridus: abbas tamen Tritemius duas ei uxores tribuit, & neutram prædictarum: Arnulphi scilicet Imperatoris filiam.

Imperium ad quos Germanorum deuenerit.

De origine Curiæ Principum, & cæteris Ducibus. Cap. 31.

TRanslato itaq; ad nos Imperio, eligendi potestatem ac deponendi imperatorem quibusdam Germaniæ potentissimis communis totius imperij consensus detulit. Quorum in c. Venerabilem, de elect. & in glos. ibidem mentio fit, & quilibet proprio officio præuisus est ab imperatore, ut dilucidè aurea Romani imperij Bulla exequitur. Fuerunt enim ante imperij translationem principes quidam consecrati, quorum conditio exilis fuerat. Non enim ullos Germaniæ Duces ante translationem meminimus, nisi Sueuorum, Saxonum, ac Bauarorum: cæterorum Ducum nomina ac tituli fuerant sepulta. Inter Electores ob eius in Rom. imperium fauorem, primus honor Bohemorum regi allatus est, qui & antè imperatricem locum meruit, inde Archiepiscopi, à quorũ memoria ac excellentia nostra initium sumet oratio.

Electores imperij.

De ecclesiasticis Electoribus imperij, & Archiepiscopo Moguntino. Cap. 32.

INter ecclesiasticos Electores primum locum (ut in aurea illa imperij Bulla continetur) Archiepiscopus Mogũtinus obtinet. Hic totius Germaniæ Præsul maximus constitutus est à Pipino rege, qui Vuormaciensem Episcopatum ad Moguntinos transtulit, ob homicidium ab Geruilio ultimo Vuormaciensium antistite perpetrato. Geruilius ille autem criminis, hui9 insimulabatur, dum legitimum parentem suum occisum ultum petijt, unde à Gregorio tertio sui

Initiũ Archiepiscopatus Moguntinẽsis.

nominis

nominis Pontifice, homicida declaratus est, & in eius locum Bonifacius constitutus, Heracliti temporibus, quibus uidelicet annus uigesimusseptimus supra septingentesimũ agebatur, quemadmodum Iacobus Kinghoffensis Chronographus testatur. Meminit autem confirmationis Bonifacij Canon, præcipimus, 16. q. i. Et Nauclerus fol. cx. & Laureacensis monasterij Annales. Fuit olim Bonifacius ille Fuldensis monachus, & plura in Hassiæ partibus instituit monasteria. Huius Episcopi Epigramma adhuc penes Moguntinos tale uidetur: Ecce Moguntinæ dat almæ Episcopus urbi Culmen Metropolis quòd erat tibi Vuormaciensis. Carmina illa humilia ac triuialia ob uetustatem tantùm apponere uoluimus. Successerunt Bonifacio, Crescentius, Martinus, Suffronius, Budarbus, Rudhardus, B. Aurius sanctæ Iustinæ frater, Maximus Doctor, Sidonius, Sigismundus, Lutgasus, Rotelinus, Lantuoldus, Sigebertus auunculus Vuilhildis, Tullus, Richardus, Otgarus, Rabanus Abbas Fuldensis, Carolus, Sunderoldus, Lintbertus, Heribertus, Heltebertus, Fridericus ecclesiæ S. Petri erector, & alij quorum Vrspergensis abbas, Spanheimius, ac plærique meminerunt. Ioannes etiam Monachus propriũ uolumen de primis tredecim archiepiscopis conscripsit, & Gresmundus catalogum collegit omnium horum præsulum. Temporibus Ludouici imperatoris illius Ecclesię Archipręsul Hatto fuit, quem perperã Sabellicus Ottonẽ uocat libro penultimo, insignis proditor, qui Albertũ Comitem dolo seduxerat. Est & Archipræsulatus ille ditissimus, omnia penè quæ Vuormaciensium iuris erant, huic cesserunt. Otto etiã dux Brunsuigensis in regem Neapolitanum consecratus, totum eius patrimonium Archiepiscopatui huic uendidit, referente Hermanno Chronographo: totam enim Eysfeldensem regionem tunc Archiepiscopatus ille nactus est.

Catalogus episcoporum.

De Archiepiscopis Coloniensibus, Electoribus, eisque subiectis. Cap. 33.

SEcundum locum Archiepiscopus Coloniensis ille arripuit: quo uerò sæculo præsulatus ille exorsus fuerit, nulli, nec in eorũ Annalibus liquet. Multi Maternum primum præsulem fuisse illic dicunt, ut eorum catalogus. Id tamẽ ueritati proximum est, secundum Archiepiscopũ extitisse Seuerum, anno Domini 342: Constantini temporibus. Interim enim ob fidei Christianæ persecutores, nullum præfuisse episcopatui huic asserunt. Alij sub Tungrorum ac Treuirorum tiara subiectos Colonienses fuisse tunc temporis arbitrabantur. Tertius episcopus Enegislus refertur, Solinus quartus, inde Simoneus, Remedius, Cunibertus, Boraldus, Giso, Adelunius, Anno, Pharamundus, Agilolphus, Regefridus, Hildegerus, Bertelinus, Ricaldus, Hildiboldus, sub quo undecim millia uirginum desiderata feruntur, licet Damasus Papa ac Cosmidromius dissentire uideãtur. Primus electorio munere Heribertus insignitus erat. Alios adducere uanum putauimus. Ecclesiam Coloniensem dedicauit Vuillichus 22 Episcopus, anno Salutis 889. Habet autem sub se Archiepiscopatus ille quinque Suffraganeos (ut uocant) ac Episcopatus: Leodiensem scilicet, Mindensem, Monsteriensem, Ossenburgensem ac Traiectensem. Anno Dominicæ incarnationis 1080. dotatus est Episcopatus Ducatibus de Vuestfalen ac Engern à Friderico primo Cæsare, quos detraxerat imperator Henrico Superbo Saxoniæ Duci rebellanti, ac Philippo Episcopo adiecerat. Ille etiam Philippus Episcopus è Mediolano corpora trium regum Coloniam detulit. Conradus Episcopus Ecclesiam nouam illic auspicatus est, anno Domini 1248. & chorum, anno 1320. Fridericus archiepiscopus Rolantzeck, Andernacumac Vuolckenberg castra condidit. Comitatum Anaspergensem archiepiscopo Cononi tribuit

Archiepiscopatus Coloniẽsis initium

buit Fridericus de Anasperg, anno Dominicæ natiuitatis 1380. Henricus de Vuernenberg Vuen, Lisz, ex uillis ciuitates reduxit, ac Hulkenrad archiepiscopatui addidit. Duo etiam archiepiscopi referuntur à Coloniensium Annalibus, qui partim ciuitatem, partim alios duces penè exhauserunt, ac patrimonium Christi fermè dilapidauerunt. Cætera cuilibet priuato constant.

Archiepiscopatus Treuirēsis ac Tungrensis.

De Treuirensi archiepiscopatu, ac Tungrorum. *Cap.* 34.

TErtium locum Treuirensis archiepiscopus ac Elector occupauit. Fuit autem à principio unus episcopatus Tungris ac Treuirensibus, & 15 cōmunes habuerunt episcopos, usq; ad annum Dominicę incarnationis 273. Et hi penè omnes in sanctos euaserunt, & cœlestibus honoribus præditi sunt. Eucharius primus, Maternus secundus, Valerius tertius: inde Auspicius, Celsus, Felix, Mansuetus, Clemens, Moyses, Martinus, Anastasius, Andreas, Rusticus, Auctor, Mauricius, Fortunatus, Cassianus, Marcus, & ille quindecimus erat: inde diuidebantur, Nauitus Treuirensis decimussextus, ac secundus Tungrorum episcopus uiguit. Inde Marcellinus, Metropilus, Seuerinus, Florentius, Martinus, Maximinus, Valentinus, usq; ad 71 penè episcopos calculus illius numeri datur. Nec defuit archiepiscopis quibusdam nobilitas: inter illos enim Dietherus Adolphi regis frater, Balduinus frater Henrici septimi Erckenbaldus primus in sacratissimi imperij Electorem abijt: Basius Lotharingiæ ducis frater, sancti Ludouici patruus celebratur: Ioannes ac Iacobus Marchiones Badenses extiterant. Multa de illis Lotharingorum, Treuirorum ac Coloniensium Annales referunt.

Archiepiscopatus Magdenburgensis.

De archiepiscopatu Magdenburgensi, Mersburgensi, & alijs episcopatibus his subiectis. *Cap.* 35.

MAgdenburgensem archiepiscopatum, ut totius Germaniæ maximū nobilissimumq;, mox premissis Electoribus adijcere in animo erat. Incepit autem episcopatus ille, anno Salutis 1280. à Carolo Magno. Primus episcopus Hildegrinus memoratur. Hunc episcopatum ad Vuestualenses transtulit Vitikindus Saxoniæ Dux, ut Hermannus scribit. Henricus inde sui nominis primus, ad Vuallersleben. Otto primus atq; eius uxor Aeditha, iterum ad Magdenburgum eum reduxerunt, ut Lupoldus Babenbergensis, Historia Francorum atq; eorum Annales perhibent. Otto primus sex episcopatus huic adiecit, uidelicet Merspurgensem, cui tunc præerat Bosso antistes, Mysensem Episcopo Boggero, Cizensem præsule Hugone, Brandenburgensem ac Hauelburgensem episcopo Dudone, Porenensem præsule Iordane: Aeditha imperatrix illic monasterium S. Mauricij construxit, ad quam Innocentius Papa Hilligedonem uirum sanctum à Roma destinauit, anno Salutis 940. qui initiauit summam ecclesiam in honorem S. Stephani. A' principio pontificatus huius usque ad annum 1476, episcopi 40 ab eorum Annalibus referuntur. Quo uidelicet tempore Ernestus Lantgrauius præfuit, quos recensere parui emolumenti ac precij putauimus. Hunifridus Ecclesias S. Petri, Nicolai ac Mauricij erexit: Boggerus de Blanckenburg, Henricus de Anhalt, Bernhardus de Brandenburg, plurima beneficia huic episcopatui contulerunt. Anno Salutis 965, Otto per Dudonem sacerdotem reliquias (quæ adhuc illic extant) deportauit, & S. Gerontium ab Italia huc detulit. Ossa Bartholomæi ac brachium S. Adalberti, ac multa alia huc euexit. Præest huic nostra tempestate Albertus è Brandenburgensium prosapia ortus, cuius laudes tot literatissimis carminibus Huttenus poeta egregius explicauit.

Merspur-

Merſpurgenſem uerò epiſcopatum Ottones erexerunt. Sunt qui id in Carolum Magnum referant. Huic tamen decimas quæ ad Herſueld pertinebant, Otto ſecundus contulit, & ciuitatem ipſam Henricus imperator donauit, ac eandem Eccleſiam partim à Cizenſi, Magdenburgenſi, Miſnenſi, epiſcopis occupatam, ditauit, anno 1004, epiſcopo tunc Gizelero. *Merſpurgenſis epiſcopatus.*

De cæterorum Epiſcopatuum Saxoniæ origine. *Cap.* 36.

MEmorantur à claris auctoribus multi Saxoniæ Epiſcopatus, quorum magna pars deſijt. Aliqui uerò & uſq; ad noſtram ætatem deuenerunt, quorum Hermannus ac Lupoldus Babenbergenſis mentionem fecerunt. *Epiſcopatus Saxoniæ alij.*

Epiſcopatus	*Brandenburgenſis*	*Incepit anno Domini*	952	*inceptore*	*Ottone primo.*
	Sleſuigenſis				
	Miſnenſis		927		*Herico Cæſare,*
	Cizenſis				*Alij Ottone.*
	Porenenſis		781		*Carolo.*
	Stagnenſis				*Carolo.*
	Ripenſis		858		*Ottone primo.*

De Salinſtidenſi, Halberſtattenſi & Padebornenſi epiſcopatibus. *Cap.* 37.

SAlinſtidenſis epiſcopatus antiquiſsimus erat, cuius Eccleſia illic & epiſcopatus à S. Lothario caput ſumpſiſſe dicitur: hunc etiam in honorem S. Stephani conditum refert Hermannus. Carolus inde in Saxoniam delatus, ut Lupoldus inquit, anno Domini 713, illum ad Halberſtattenſes tranſtulit, ductu epiſcopi S. Hildegerini, ultimi Salinſtidenſis ac primi Halberſtattenſis epiſcopi. Aliqui hunc epiſcopatum uolunt nomen Oſterrodenſis ſibi deſumpſiſſe, anno 786. Secundus epiſcopus Halberſtattenſis Nagrinus, tertius Heymo, inde Eumolpus, Otto, Rudolphus, Vlricus, Theodericus, Bartoldus, ita uſq; ad Gebhardum, qui epiſcopatui præfuit anno Domini 158. numerantur 38 epiſcopi. Padebornenſis autem epiſcopatus à Carolo Magno eſt inſtauratus, anno 784. ut Hermannus ſcribit: denotant illud hæc carmina: Condidit hunc Magnus dum Carolus ipſe rebelles Saſſones afflixit, Vittikindumq; ferocem. Otto II. huc crucem detulit, è tributo Ligurum conflatam, ſexcentis libris ac 65 millibus aureorum æſtimatam. Coruſcant in maiori eccleſia S. Liborij & Cenomanni reliquiæ. Habuit urbs hæc multos præclaros antiſtites, præſertim de familia Brunſuigenſi, quorum prędia epiſcopatui ſubiecta Otto Beckmannus poeta illis carminibus intercluſit: Teckenburga domus Burnis Steinfordia diues, Et Retberga uetus, ſoboles Benchemia clara. Fuit autem primus epiſcopus S. Liborius, ut Lupoldus Babenbergenſis latè exequitur. *Epiſcopatus Salinſtidenſis & Halberſtattenſis.*

De epiſcopatibus Hamburgenſi & Oldenburgenſi. *Cap.* 38.

HAmburgenſis ſiue archiepiſcopatus, ut quidam dixerunt, ſiue epiſcopatus initium à Carolo Magno ſumpſit, ut Hermannus ait, qui omnibus Slauis ac Danis hunc conſtituit. Lupoldus uerò capite nono, de zelo id Ludouico filio Caroli conceſsit, qui Salutis anno 832 S. Anſcarium primum præſulem initiauit. Hermannus uerò Helmannum primum archiepiſcopum fuiſſe innuit. Otto primus huic Metropoli tres epiſcopatus in ciſmarina Dania ſubiecit, anno 952. & idem Oldenburgum in Slauonia ſitam urbem prædicto *Hamburgenſis præſulatus.*

archiepiſcopo ſubdidit, ut Francorum hiſtoriæ continent. Quem epiſcopatum anno Salutis noningenteſimo quadrageſimoquarto, epiſcopo Marco conſtituto, primus Otto exorſus eſt. Henricus Saxoniæ dux eum ad Lubecenſem epiſcopatum deuexit, anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo quinquageſimoquarto. Eccleſiam Oldenburgenſem in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ conſecrauit archiepiſcopus Adolingandus Bremenſis. Cæterùm ad Lubecenſem epiſcopatum orationem dirigam, ubi epiſcopus primus Conradus, ſecundus Henricus, octauus Albertus, uigeſimus Arnoldus, referuntur. Thomas autem qui anno Domini 1479. initiabatur, uigeſimus quartus numerabatur.

De epiſcopatibus Bremenſi & Mechelburgenſi, ac alijs.
Cap. 39.

Bremenſis epiſcopatus. BRemenſem epiſcopatum anno Domini 784. à Carolo Magno exorſum Hermannus, Lupoldus, & eorum Annales prodiderunt, & primum archiepiſcopum ſanctum Vuilhardum enumerant. Lupoldus Vuilibaldum, & ita facto calculo uſque ad Henricum, qui anno Dominicæ incarnationis 1463. initiatus eſt: colliguntur autem tres & quadraginta epiſcopi. Mechelburgenſis autem epiſcopatus ab Ottone primo, anno Salutis 943. erectus eſt, ſimiliter Ripenſis ac Schleſuigenſis uno quaſi epiſcopo Anſcario. Illud tamen lectorem latere non patior, Henricum Superbum uidelicet Saxoniæ ac Bauariæ Ducem, *Mechelburgenſis epiſcopat9.* Mechelburgenſem epiſcopatum pręſule Gehettenbero, Salutis anno 1115. ad Ratzenburgenſem (quē ipſe anno natiuitatis 1157 inſtituerat, præſule Euernoldo) ac ad epiſcopatum Schleſuigenſem, præſule Bernone (æqualiter ab ipſo fundatum) tranſtuliſſe. Otto II. Eccleſiam Mechelburgenſem in honorem S. Petri auſpicabatur. Sunt & alij epiſcopatus, ut apud Polonos archiepiſcopatus Ginſnauianus, in Pruſſia Culmenſis, Sambienſis, Vuarmienſis, in Schleſia Criminenſis, qui & ſoli Papæ ſubiectus eſt. Item Reualienſis ac Hapſelienſis in Liuonia, quorum partim Aeneas Syluius, partim alij meminerunt. In Bohemia Bragenſis, qui temporibus Clementis incepit, ut capite proximo oſtendi. In Dania epiſcopales urbes ſunt, Viburgenſis, Ripenſis, Schleſuig, Arhuſenſis.

De Hildesheimenſi, Ollenburgenſi, Vuerdenſi, epiſcopatibus.
Cap. 40.

Hildesheimēſis epiſcopat9. HIldesheimenſem epiſcopatum Ludouicus Cæſar auſpicatus eſt, anno Salutis 816. ac primus epiſcopus Guntherus nuncupabatur. Inde Frembertus, Ebo, Alfridus, Marquardus, Vichardus, Vualbertus, Bernhardus, Bruno, Hermannus, Adelgadus, Berno, Laudarus, Herbertus, Sigefridus, & ita uſque ad Bertoldum, qui erat anno Salutis in uiuentium numero 1482. Computantur quadraginta duo epiſcopi. Lupoldus Babenbergenſis capite decimoquarto hunc epiſcopatum de Aulicenſi Eccleſia transtuliſſe ſcribit Ludouicum Cæſarem uidelicet uenationi tunc deditum, miraculoq; puriſsimi fontis inductum, ut illic epiſcopatum erigeret. Aulicenſem autem epiſcopatū Carolus Magnus pater Ludouici erexit, ut hiſtoria Francorum latiùs exequitur. Erat olim Hildesheimenſis epiſcopatus locupletiſſimus. Daſſellenſem enim comitatum epiſcopatui adiecit Henricus præſul, anno Incarnationis 1310. Adde quôd Otto poſtremus Comes de Noblenburg Comitatum adiunctis ciuitatibus Beckelen, Popenburg, Lutter, ac Barenburg, Eccleſiæ Metropolitanę conceſſerit. Henricus quoque de Brunſuig Scladen, Vuiddenlaghe, ac Mariæburgum huic donauit.

De Min-

De Mindensi, Monasteriensi, Traiectensi, Rimegensi episcopatibus, Coloniensi archiepiscopo subiectis. Cap. 41.

MIndensem ac Monasteriensem, Traiectensemq́ episcopatus Carolus Magnus anno 781 erexit, Hermanno Lupoldoq́ referentibus. Primus in Monasteriensem episcopum Lotharius initiatus est Lutherus: Traiectensis uerò Ecclesiæ, Vuilbrordus primus curam suscepit. Inde Vuilhelmus episcopus uigesimusprimus Traiectensis frater Gerlachi ducis Gelriæ fuit. Huic Fridericus Marchio præest, quem nuper non sine dolore fatis concessisse accepimus. Ioannes Nouinianus quatuor libris episcopos Traiectenses collegit, & 19 episcopos usq; ad S. Lampertum allegat, qui Caroli Magni temporibus uixit. Cætera quæ nobis dicenda sunt, nec illiteratos fugiunt. Rimegensem autē episcopatum sub anno Domini 803 à Ludouico Cæsare institutum accepimus: alij per Carolum dicunt. Carolus etiam, ut Lupoldus ait, hunc episcopatum auspicatus primum præsulem ei constituit Lintherum fratrem Hildegerini Halberstattensis episcopi.

De episcopatibus Bauariæ, & Saltzburgensi archiepiscopatu, Ratisponensi, Eistettensi, Frisingensi, Patauiensi. Cap. 42.

EXactis Saxoniæ episcopatibus, ac illis quæ Coloniensi Præsuli subijciuntur, ad Bauariam stylum conuertam, ubi quinq; episcopatus Aeneas Syluius uigere scripsit. Primus est Saltzburgensis, cui Patriarcha præsidet. S. Hupertus episcopus, qui uniuersam Bauariam ad fidem conuertit, Ecclesiæ huic præfuit. Secundus Eistettensis ditissimus, inceptus à Bonifacio, anno Domini 745, memoratur illic episcopus Gebhardus, qui inde ad Papalem dignitatem euectus, Leoni Papæ successit, aiunt alij à S. Vuilibaldo instructum hunc episcopatus, ut Genblacensis. Tertius Ratisponensis, ubi Gebhardus, Eberhardus, ac S. Vuolfgangus primi episcopi referuntur. Semel etiam desijt illic episcopatus, anno Domini 952. somno monitus Imperator, Guntherum monachū ad cathedralem dignitatem sublimauit, testantibus Lupoldo cap. 14. ac Francorum Historia. Est autem Ratisponensis episcopatus antiquissimus, longè ante Carolum Magnum, licet Hermannus à Carolo institutum hunc probet. Ductus sum igitur hac coniectura: Eberhardus enim Carolum annis multis præcessit, Ratisponensis tamen præsul, diuam Otiliam baptismate abluit. Illic & Albertus Magnus incomparabilis Philosophiæ uir, sese episcopum gessit. Nunc uerò eo Rheni Palatinus præditus est. Catalogus horum episcoporū tali serie recensetur. Gebhardus, Gebhardus secundus, Gebhardus tertius, qui fuit patruus Henrici III. inde Otto, Gebhardus, & alij. Episcopatus ille totam Bohemiam olim occupauit: sub Ludouico tamen tertio, & Clemente sexto, Bargensis archipræsulatus incepit, referente Aenea Syluio. Patauiensis episcopatus initium sumpsit per Henricum IIII, & Ernestum quartum Marchionem Austriæ, Alberti Ducis filium, ut Annales Austriæ continent. In Frisingensem episcopum Corbinianus à Gregorio Papa primus declaratus est, auspicio Tassilonis Bauariæ Ducis, qui eum à Roma per uallem Tridentinam proficiscentem, benignè ac humaniter suscepit. Construxit ille Ecclesiam S. Benedicti, cuius Aeneas Syluius, & Otto Frisingensis illius Ecclesiæ episcopus libro quinto, capite uigesimoquinto, meminerunt. Nostro seculo sedi huic præest Philippus Rheni Palatinus.

Saltzburgensis archiepiscopatus.

Eistet.

Ratisponensis.

Patauiensis episcopatus.

Frisingensis episcopatus.

De

De Rheni episcopatibus, Basiliensi, Constantiensi, ac Argentinensi. Cap. 43.

Episcopatus Basiliensis. BAsiliensem episcopatum Carolum condidisse Hermannus scribit, cui modò refragor: mouit me plus Lupoldi ratio, id Henrico secundo concedentis, qui & primum lapidem ædificandæ cathedrali Ecclesiæ constituerat, non longius episcopatus ille se dilatat, ut nec ipsa tota potiatur urbe.

Constantiensem episcopatum eò diffusius se extendere uidemus, quo Basiliensis angustius: huic quondam sanctus Cunradus præfuit. Eorum episcopi in quodam catalogo ubique circumferuntur, unde nobis prætereũdos eos esse statuimus. *Argentinensis episcopatus.* Argentinẽsis episcopatus olim exiguus, nũc uerò diffusior. Temporibus, ut plærisq; placet, Petri ac Pauli exordiebatur, Euchario, Valerio & Materno, primis huius Præsulibus: primũ tamen alij episcopum Amandum uolunt fuisse, temporibus Dagoberti regis, qui impetrauit reginæ partum precibus: unde in episcopum sublimatus est. Huic sanctus Iustus, S. Maximinus, Valentinus ac Solarius successerunt. Inde Arbogastus, qui ob filium Dagoberti à morte reuocatum, episcopatum locupletauit, ac moriens extra ciuitatem sepulchrum suum habere uolens, Ecclesiæ illic cõstruendæ causam præstitit, Salutis anno 668. Cui B. Florentinus succesit, qui uisum filiæ Dagoberti restituens, in immensum Argentinẽsem episcopatum auxerat, quem Rudolphus, Henricus & alij secuti sunt: illos Iacobus Vuimphelingius elegantissimo catalogo descripsit: hunc curiosus Lector requirere potest. Lantgrauiatus autẽ Alsatiæ ad episcopatum deuenit, ex defectu stirpis uirilis: ultimus enim Lantgrauius stirpi eius masculino diffidens, auro Lantgrauiatũ episcopo Argentinensi uẽdiderat.

De Augspurgensi, Herbipolensi, ac Babenbergensi, episcopatibus. Cap. 44.

Babẽbergensis episcopatus. BAbenbergensem episcopatũ primitus S. Henricus secundus natione Bauarus, instituit, ductu ac auspicio Kunigundis reginæ, ut Francorum historia ac Lupoldus Babenbergensis testantur. Anno 1006. natiuitatis Dominicæ Ecclesiam in honorem S. Petri & Pauli apostolorum, ac Georgij martyris dedicauit: episcopus ille multũ episcopatui adiecit, quæ olim ad ducatum Voitlandiæ pertinebant. Dux enim Voitlandiæ à suis militibus occisus, inuadendi pro arbitrio cuiq; fecit potestatem, unde episcopus ille locupletissimus factus est. Nostro sæculo à dominis de Lympurg præsulibus moderatur. Primus episcopus Eberhardus dictus est, inde Sindegerus, qui ad Papalem dignitatem processit, Poppo, Guntherus, Hermãnus & alij. *Augustensis episcopatus.* Augspurgensis autem episcopatus à Carolo initium sumpsisse, authore Hermanno, uidetur. Alij uerò Henrici primi temporibus. Inter primos episcopos Vdalricus diuus enumeratur, qui & Ecclesiam illic summam ac cathedralem incolit. Bruno quoque & Eberhardus ab Vrspergensi inter primos adducuntur. Inde Friderici primi temporibus Reinbaldus, Gotfridus, Arnolphus, Cunradus, Ioannes Gebhardus, ac alij referuntur. *Herbipolensis episcopatus.* Herbipolensem uerò episcopatum instituit Pipinus, postquam Franciæ Duces defecerant. unde mortuo Hetano sine uirili semine, ultimo Franciæ Duce, Burkhardum primum episcopum Herbipolensem initiauit. Ditauit episcopatum hunc Ducatus Voitlandiæ, qui perdito proprio Duce, à proprijs famulis occiso, bonam partem episcopatui Herbipolensi reliquit. Huic successerunt Sineroldus, Arno, Dieto, Burkhardus, Poppo, Hugo, Berenhardus, Henricus, Bruno, Adelbertus, Meginhardus, Einhardus, Ertingus, Burkhardus, Bedo, & alij, usque ad tempora nostra: hæc Vrspergensis: & Spanheimensis proprium uolumen de istis scripsit. Cætera dum Ducum Franciæ mentio erit, resarcientur.

De Spirensi ac Vuormaciensi episcopatibus. Cap. 45.

SPirensem episcopatum Henricum III. erexisse, Annales eorum ac Lupoldus inquiunt. Cunradus enim II. Ecclesiam illic primis fundamentis instaurauit, ac cætera filio suo Henrico commisit, ut ait Genblacensis. Primum episcopum Athanasium fuisse ferunt: Hildericus Franciæ rex ciuitatem donauit episcopo secundo, ut Annales quædam profitentur, quare altiorem originem episcopatui afferunt, & Pipini regis temporibus instauratum hunc uolunt: exilem uerò tunc ab Henricis locupletatum Iasinus tertius episcopus, quartus Iatto, inde Sigebertus, Dauid, Vigeuinus, Otto, Carolus, Benedictus, Gebhardus, Ludouicus sequebatur, usque ad Georgium Palatinum, qui nostro sæculo feliciter Ecclesiæ præest. Oppidum Brusellam Cunradus II. Ecclesiæ donauit reliqua Henrici, ductu episcopi Ioannis addiderunt: cætera cuique priuato constant. Fuit penes priscos, Vuormaciensis Pontificatus totius Germaniæ maximus, quem Clodoueum erexisse fama diuulgauit. Primus episcopus Victor extitit, quanquam Coloniensium Annales nullum episcopum illius nomine reperiri tradant, in Vuormaciensium catalogo. Secundus episcopus Amandus nomine dictus est, cuius mentio fit in uita S. Seruatij. Inde illis decem episcopi successerunt, quos Ioannes Monachus in catalogo episcoporum Moguntinorum allegat. Duodecimus episcopus Geroldus dicitur, qui occisus, filio suo Geruilio reliquit episcopatum: Geruilius patris mortem ultum profectus, perpetrato homicidio, perdidit episcopatum, Pipini regis tempore siue Heraclij ac Gregorij tertio Salutis anno 727, ob quod facinus à Vuormacia episcopatus in archiepiscopatum Moguntinum transmutatus, & Bonifacio delatus est, ut prius indicauimus: nihilominus tamen episcopatus, licet exiguus, Vuormaciæ remansit, & Geruilio Carolus successerat. Inde Crotoldus, Amandus, Rupertus, Bernardus, & alij usque ad Ioannem Dalburgium, uirum in omni scientia præstantissimum, qui fatis concedens Reinhardo Riepergensi, uiro humanissimo præsulatum reliquit, qui nostro sæculo uolentibus fatis diuinam rem prospere ac innocenter distribuit, auspicio Ioannis Vigilij uiri præstantissimi. Possedit olim episcopus ille quicquid pene Moguntinus præsul, Palatinus ac Lantgrauius de Hassia, nunc in ditione eorum continent.

Spirensis episcopatus.

Episcopatus Vuormaciensis.

De Tullensi, Metensi, Leodiensi ac Morinorum episcopatibus. Cap. 46.

TVllensis episcopatus in Lotharingiæ partibus uidetur. Primus episcopus S. Mansuetus, ab eorum Annalibus allegatur. Inde Siotus, S. Amon, S. Altha, Celsinus, Auspicius, Vrsus, Aper, Albinus, Esculanus, Bodo, Teufridus, Ebornus, Ermetheus, Magoldus, Dodo, Gerbualdus, Godo, Iacobus, Berno, & alij, quos Lotharingorum Annales enumerant. S. Bertholdus castellum Laudouiller, & alia prædia episcopatui adiecit. Leo quoque Papa sui nominis nonus, illius Ecclesiæ episcopus trigesimussextus, bona multa episcopatui huic cōtulit. Erinna etiam comitissa prædium nomine Fontiginacum addidit.

Episcopatus Tullensis.

Metensis episcopatus ductu M. Clementis incepit, qui ciuitatem hanc à Dracone liberauit. Fuerunt episcopi tunc sibi inuicē successores Arnulphus, Cleodulphus, Goericus, Theodericus. Præfuit etiā Metensi Ecclesiæ S. Arnolphus. Aiunt quidam à Dagaberto episcopatum hunc erectum esse. Videbatur nostro sæculo Ioannes Lotharingiæ Dux præsul, ante quem Marchiones Badenses ad episcopatum fuerant accersiti. Extiterunt & alij episcopatus, ut Morinorum: inter præsules eorum Ioannes ac Milo, à Sigeberto Genblacensi numerantur:

Episcopatus Metensis.

rãtur:inter Leodicẽſes Bruno, Einhardus, qui Salutis anno 125, monaſteriũ illic erexit, inde Varo, ac alij, quos eorũ Annales adducunt. Celebratur & illius Ecclesiæ epiſcopus Obertus, qui caſtrũ Bulion trecentis ac mille marchis (ut aiũt) à Gotfrido Bulionẽſi redemit: quemadmodũ Annales Lotharingorũ ſonant.

De ſæcularibus Regibus, Ducibus, Principibus Imperij, & primò de Electoribus, ac rege Bohemiæ. Cap. 47.

Electores imperij ſæculares.

Catalogus regũ Bohemiæ.

ELaborauimus pro uirium captu Eccleſiaſticorum Germanorum nobilitatis exordia, & quæ horum amplitudini accedere uidimus. Reliquum erat, ne & ſæculares Principes debito honore priuemus. Libuit igitur & eorum Catalogum demonſtrandæ ſublimitatis gratia recenſere. Primum autem locum inter Principes, Bohemiæ rex obtinuit, cui & ante Imperatricem honorem aurea Imperij Bulla conceſsit, ut proximus Regi ſeu Imperatori Romanorum ſemper adhæreat. Et hoc ob huius honorem, ut firmior Imperio ac ſtabilior eſſet, ſicuti Platina infit. Bohemia à Bohemo rege nũcupatur, qui turri Babylonicæ interfuit, Aenea Syluio referente. Hic tres filias habuit, Libuſſam, Preſſam, & Brelam. A quarum nominibus & hodie urbes nuncupat ſunt. Inde mortuo Bohemo, Brela Primiſlaum ruſticũ in uirum ſibi copulans, Ducem Bohemię initiauit. Tempore Federici primi Bohemia in regnum abiuit: ultimus enim Dux Spireneus Chriſtianam legem ſequutus, primus fidem ueram ſuſcepit. Vuenceslaus inde & Boleslaus regnauerunt. Quorum alter eſt ab altero occiſus, non ſine Imperatoris ultione, inde Ottocarus regno potitus, à Rudolpho Habſpurgenſi uictus eſt. Poſt quem filius eius regnũ inuaſit, & ſine uirili ſemine diſceſsit, unica relicta filia, quam tunc Imperator filio ſuo tradidit, & tali pacto Lutzelburgenſes Comites ad regnum Bohemorum deuenerunt, quam penè ducẽtos annos moderabantur, uſq; ad Vuenceslai regis undeuigeſimi tempora, cuius ætate inſania illa Huſsitana totam regionem infecerat. Cui ſucceſsit Ladislaus ultimus Chriſtianus rex: inde uſq; ad noſtra tempora, tanta barbaries & infidelitas Bohemiam occupauit, ut fidei ueræ ſacramenta penitus deſtituerint. & tantum de Bohemorum rege, cui primas inter Electores imperij partes, totius Curiæ conſenſus obtulit.

De regibus Hungariæ. Cap. 48.

Catalogus regũ Hungariæ.

HVngarorum reges Germaniæ eò libentius inſerui, dum regnum illud ab imperatore Germano reges eius ſortiatur: dum etiam licet Hungari lingua à nobis abeant in diuerſum, coniugia tamen ſemper penè cum Germanis habuerunt. Fuerunt autem reges Hungarorum primi, Ladislaus, & huius filius Andreas: inde Bela, poſt quem Ladislaus, & Giſa filius eius. Inde Bela, qui cum Helena uxore, Stephanum & Ladislaum & Giſam partu edidit, Giſa Stephanum, cui Bela filius ſucceſsit, Bela duos filios Emericum & Andream reliquit. Emericus adiuncta ſibi Conſtantia, Arrogantiæ regis filia, Ladislaum genuit. Andreas uerò ex Gertrude alium Andream, & B. Elizabet peperit. Tertius filius Bela erat Stephani pater, ac adislai auus. Ab Andrea uerò prædicto Stephanus natus eſt, cui Stephanus ac Ladislaus ſucceſſerunt filij, hi unica relicta filia Maria, ſtirpem hanc finierunt: tunc regna Hungariæ ac Bohemiæ coniungebantur uſque ad Sigiſmundi tempora. Inde Ioannes Huniades uictorioſiſsimus, qui toties Turcum bello fregit, fudit, ac prælijs grauiſsimis contudit, maximè duobus, in ultimo tamen & ipſe ultimum diem clauſit, parta tamen prius de Turcis uictoria. Ab illo Matthias rex illuſtriſsimus genitus eſt, qui & ſolus toties compeſcuit Barbaros, tot uictorias edidit.

De

De origine prima Palatinorum tam Rheni quàm Bauarorum. *Cap. 49.*

PAlatinos multi Romanos antiquitus fuisse dixerunt, & à monte Palatino dictos. Alij ab Hectore quondam Troiano ipsos deducunt, & usque ad Carolum Magnum proferunt, & inde Caroli progeniem usque ad Hectorem. Alij à reliquijs Alexandri Magni. Et horum nullus ueritati accedit, mea quidē opinione. Grauior sententia illorū est, qui origine ipsos Germanos dixerunt, & à Palatio dictos: Palatio enim præfuerunt, quando cum Imperatoribus militabant, cuius honoris meminit Ammianus Marcellinus lib. 20. ubi Palatij decurionatum, non ultimæ dignitatis ordinem, fuisse demonstrat. Multos autem Palatinos fuisse cōstat, sicuti Habspurgenses, Tubingenses, Vuiffelspachenses, & Schirenses, quos Palatinos Ligurinus nominat: Atq; Palatino iuuenis committit Otoni. De quo Ottone ita Otto Frisingensis libro quinto cap. 20: Otto, inquit, Palatinus (intellige Vuiffelspachenses) perfidi & iniqui patris haud dissimilis hæres, omnes priores malitia supergrediens, Ecclesiam Dei usq; ad præsentem diem persequi non desinit. Sic enim mirabile dictu, diuino quodā iudicio, tota pene illa posteritas, in reprobū sensum tradita est, ut uel nulli, uel pauci utriusq; sexus, cuiuscunq; professionis seu ordinis in ea inueniantur, qui aut aperta tyrannide non desæuiant, aut animo infatuati, ad omnem tam Ecclesiasticum quàm secularem ordinem indigni, furtis ac latrocinijs, miseram uitā mendicando terant. hæc Otto Frisingēsis de Ottone de Vuiffelspach, qui Philippum regem occîdit, non de Palatinis Rheni, innuit. Meminerunt horū Palatinorum, Vrspergēsis, Gotfridus, Hermannus, Entrandus, Nauclerus, & alij. *Palatini unde.* *Palatini qui.*

Palatini uerò Rheni à palatio Rheni, teut. Pfaltz, dicti sunt, loco Rheno circumdato: cuius loci meminit Ligurinus, Ammianus Marcel. lib. 18. ubi de Moguntia loquitur, & Rheno. Cum uentum est, inquit, ad locum cui Capellacij uel Palas nomen est, ubi terminales Romanorum, & Burgundionum confinia designabantur. Hæc ille. Nuper autem antiquitatis perscrutator diligentissimus, Palatium Rheni intellexisse Marcellinū uoluit, quia ultra Rhenum tunc temporis, omnia erant Romanorum, & citra, Burgundijs adscribebantur. Facilè assentior, nisi quòd temporis ratio me dubiū agit: Marcellinus temporibus Valentiniani & Iuliani uixit, quorum temporibus bene huius loci uestigium fuisse persuasum habeo: uideat alius, an hunc aut alium locum uoluerit Marcellinus his uerbis significare? *Palatiū Rheni.*

Catalogus Palatinorum Rheni. *Cap. 50.*

SAtis autem constat nulli, Palatini primi qui fuerint? Alij Carolum Magnū Palatinatum Rheni instituisse referunt, ut Chronica Francorum. Abbas tamen Tritemius ante Carolum Anchisi uxorem Getrudem, cuiusdam Henrici Palatini filiam fuisse ait. Prior opinio nostro iudicio uerior est. Alij trāslato ad Germanos Imperio, primitus Palatinos fuisse institutos dicunt. Cui sententiæ & nos eo libentiùs subscribimus, quia nullus scriptor, temporibus Carolorum, Palatinorum meminit. Palatinorum tamen Annales Carolum Magnum, filiū eius Ludouicum Palatinum constituisse referunt, & post hunc Ludouicum regem, inde eius filium Arnulphum, ac inde Bernherum quendam in Palatinos euasisse. Verùm id nobis non uidetur ueritati esse consonū, & habeo persuasissimum, fuisse alicuius nobilitatis, etiam non ultimæ, olim Palatinos, non tamen dictos Palatinos ea tempestate: ac nomen illud tunc temporis primitus inoleuisse, postquàm sacratissimi Imperij Electores constituti sunt, tempore Gregorij quinti, Papæ scilicet, ac Ottonis tertij: & tunc primus in Imperij Electo- *Palatinatus institutio.*

rem Henricus Palatinus abiuit, cuiusdã Henrici filius, cuius maiores à Vuissenburgensibus ac Vuormaciensibus feudas, ut ita loquar, sortiebantur. hic Henricus ergo ducta in coniugem Adelheide, mortui cuiusdam Brabantini comitis uxore, tunc uidua, ac prole carente, Sigifridũ præfatæ Adelheidis, ex priori marito filium Palatinatui præfecit. Hunc Sigifridum aliqui primum Palatinum dixerunt, uerùm falluntur, ut liquidè Lacensium Annales testantur. Hic Sigifridus secundus munere insignitus electorio, copulata filia sua Kunigunde S. Henrico secundo Imperatori in matrimoniũ (qui Ottoni tertio successit) plenus annis, Palatinatum filijs suis Ezelino ac Cunrado tradidit. Ezelino successit Lutolphus filius eius, inde Cunradus tempore Henrici quinti Imperatoris: post hunc aliqui Palatinatũ defecisse dicunt, & quendam è genere Friderici monoculi Palatinum constitutũ fuisse à patruo suo Cunrado tertio Imperatore. Meminit huius Palatini Otto, & Ligurinus: uolunt & Henricum Superbum, qui à Friderico primo ob inobedientiam Bauaria ac Saxonia priuatus est, Palatinatũ obtinuisse. Ille planè oĩm tunc temporis principũ maximus, ut amplissimis totius Germaniæ duobus ducatib. ac Brunsuigo ac Palatinatus possessione præditus, amissis duobus ducatibus, Palatinatũ filio suo Henrico tradidit. Dicunt & eodẽ tẽpore Engerum quendã Palatinũ fuisse, huius fratrẽ. Post hũc Hẽricus Palatinorũ de uera linea ultimus, dũ nescio an terrã sanctã, an aliud orbis tẽtare uoluit, naufragio obijt, relicta unica filia Gertrude, ex tota eius ꝓgenie superstite, Otto dux Bauariæ, Ottonis illius de Schuren nepos, qui à Friderico primo Bauariæ dux (deposito Henrico) erat constitutus, in coniugem sibi asciuit. Hic Otto Palatinatum Bauariæ coniunxit, & ab illo solo omnes hodie Palatini ac Bauarorum duces emerserũt. Non accedo hoc loco Abbati Spanheimensi, qui ante tot centum annos Palatinatũ Bauariæ fuisse coniunctum refert, tempore uidelicet Anchisi, cuius uxor Gertrudis Ottoni nupserit: sed ueritati hæc minus uidentur consonare, ut prius adduximus. Huic Ottoni successit filius eius Ludouicus, cuius uxor Anna erat, regis Poloniæ filia: inde Ludouicus illius filius, cui filiam suam coniugio copulauit Rudolphus Habspurgensis, & tantum temporis, Bauaria & Palatinatus erant coniuncta. Mortuo uerò Ludouico, ob pluralitatem filiorum, Palatinatus iterum disiunctus, Rudolpho huius prædicti Ludouici filio cessit. Omnis autem Bauaria Ludouico postea Romanorum regi obuenit, à quo & nostræ tempestatis duces Bauariæ hæredes origine uera fruuntur. Ad Palatinos redeo, qui ab illo Rudolpho traxerunt eorum genus & patrimonium. Rudolpho tres erant filij, Rudolphus primogenitus, & Rupertus senior: & hi partim inuidia, partim inscitia electorio honore defraudati, tertio fratri Adolpho iuniori habenas relinquere cogebantur. Cui successit Rupertus, à patre dictus Adolphus. Huic inde Rupertus rex Romanorum, cuius temporibus & Palatinatus ob filiorum copiam diuisus est, Stephano filio Gemini pontis regio obuenit, à quo & nostræ tempestatis Ioannes dux Gemini pontis emersit, qui optimo iure tam Bauariæ ducis quàm Palatini titulum generis eius antiquitate emeruit. Ioanni uerò filio II. Nouifori prouincia erat addicta, & ob eius hæredum defectionem, Nouiforensis regio iterum in pristinam familiam redijt. A' Stephano quoque prædicto duces de Hundsruck prodierunt: tertius filius Ruperti regis celebratur Rupertus, cuius uxor Elizabet de Spanheim, partem de Crutzenach Palatinatui addiderat. Quartus filius Ludouicus, & hic Palatinatui (ut imperij elector) præfuit. Duas habuit uxores, prima Blãca de Anglia, secunda Mechtildis de Sabaudia: ac inter quatuor filios duos habuit spectatæ uirtutis bellicæ gnatos, Ludouicum (quem tanti faciunt Aeneas Syluius in Germania, ac Campanus) & Fridericum, uictoriosum dictum, cuius Sebastianus Brant ac Hieronymus

Coniunctio Palatinatus et Bauariæ.

Locus Abbatis Spanheimij.

Hieronymus Aleander meminerunt, ac Aeneas Syluius in plurib. locis. hic ille Fridericus tutor erat Philippi Palatini, filij Ludouici prædicti, tres principes (ut paulo pòst dicetur) castris exuit. Friderico succesit Philippus, quem pietate, magnanimitate, clementia, ac omnibus uirtutis numeris, tot mortalibus præstitisse, Rudolphus Agricola, ac Hieronymus Aleander, & Iacobus Vuimphelingius grauissimi uiri testantur. Fuit ille tum membrorum firmitate, tum coniugij dotibus, tum corporis habitudine, speciosissimus: fuisset & felicissimus, si Germanica bella minus contra eum infremuissent. Octo illi superfuerant filij, spes tanta nepotum, moriens Ludouico seniori tradidit Palatinatum, Ruperti defuncti filijs Bauariam, quibus præfecit Fridericum ducem absolutissimum. Alij tres præsules agunt, cæteri duo maximi præpositi. Inter nymphas Elizabeth natu maxima (ut ait Aleander) Philippo Marchioni Badensi, Amelia Pomeraniæ duci, Helena Megelburgensi, tres Heroides, totidem Heroibus, maximisq; in Germania principibus, matrimonio sunt collocatæ. Catharina uerò tali nomine dignissima, diuæ sibi cognominis exemplum imitata, spretis caducarum rerum illecebris, sponsum sibi Christum quæsiuit. Tanta prosapia Palatinorum, tot episcopi, ubi quis tantum recensendis nominibus defatigaretur? tot ex illa progenie Bohemiæ, Daniæ, Vngariæ, ac Romanorum reges prodierunt, ut si opinione maiorum niti oporteat, non sit Germaniæ progenies, cui plus debeat nobilitas.

De quibusdam Palatinorum bellis & regionibus, eorum iuri addictis. Cap. 51.

LIbuit & paucorum bellorum memoriam huic loco subnectere: Fridericus Austriæ dux, comitata lachrymabili discordia, magno exercitu contra Rupertum & Ludouicum insurrexit, ac anno Domini 1322, apud Dornberg cum multo discrimine Palatinis pœnas dedit, ut Austriæ Annales habent. Erat & inter Rupertum regem ac Marchiones Badenses non parua discordia: hunc secutus est Ludouicus, qui dominis Teutonicis opem contra Polonos ferebat. Eius tempore belli semina inter Moguntinos ac Palatinos serebantur, quorum Pius secundus in multis locis meminit: nec destiterunt, donec temporibus Friderici Palatini, à suis Moguntia prodita interciperetur. Anno 1462 Fridericus Palatinus strages grauissimas ediderat. Anno enim 1460, in die sancti Vdalrici ante Pfedersheim, ducem Ludouicum ac comites de Lyningen, episcopum Moguntinum, magno prælio commisso, castris exuit. Anno ab illo tertio in die commemorationis sancti Pauli, tres principes prælio exhaustos, multis desideratis, in eius potestatem redegit, ac totam Ottonis, quam uocant, syluæ circumferentiam ac regionem Palatinatui adiecit. Hic anno Domini 1470 oppida plurima ceperat, ac Schriessen, Stralbergum, Bockspergum, Kebergum in ditionem accepit, Besicam, Mulbrunn, Hensischen, Vuynem, Bensen, Vuisslenloch, ac cum patre suo omnem penè Chreychgaugiam subiecit. Eius antecessores anno 1218 Strauburg ceperunt bello. Cesit Palatino Cunrado ductu episcopi Coloniēsis anno 1189. Stalbergum, ac tota Bacharachi ditio: Fraubachum ac pars dominij Katzenelbogensis per Ottonem ducem filium Ludouici, Palatinatui adijciebantur. Ludouicus pater Ludouici imperatoris, Lantzhut & Abach condidit. Ludouicus uerò pater Ottonis illius qui Bauariæ Palatinatum annexuit, Furstenfelt, Fridburg, & alia oppida erexit. Cæterùm Oppenheimium, Germarschen, Eger, & alia prædia ab imperio, ære conflato redempta sunt: partem de Creutzenach Elizabet Ruperti Palatini uxor addiderat. Eppingen ac Bretthemium à Marchionatu Badensi, Heidelberga ab episcopis Vuormaciensiū Palatinatui addicta referuntur. Nec desunt, qui Rudol-

De regionibus et bellis Palatinorum.

Prælium ante Pfedershim.

phum Palatinum, Ludouici regis fratrē, penes Vuissenlochenses morā traxisse ferunt, & huius temporibus Heydelbergam nil nisi priscam Ecclesiā retulisse, ad diuam uirginem Heremiticā nuncupatam. Vidi ipse, demonstratore Augustino Lupff uiro grauissimo, literas, in quibus, Augustinense cœnobiū eiusdem ciuitatis in solitudinibus fuisse repositum ante 500 annos, continebatur. Nec desunt, qui Rupertum regem Romanorum, primùm constructa Heydelbergensi ecclesia, primas sedes illic tenuisse referant.

De erectione multorum monasteriorum à Palatinis.. Cap. 52.

MVlta extant Christianissimorum principum illorum uestigia ac monasteria, quorum pauca sum relaturus, ne magis in Palatinorum quàm Germaniæ rebus uidear occupatus. Henricus Palatinus tempore Ottonis secundi Cæsaris, monasterium Lacense, Treuerensis diœcesis, uno miliari distans ab Andernach, cum uxore sua Adelheide, tribus à Confluentia miliaribus erexit. Secundus inde Palatinus Sigifridus, Brabantinus dux, prædictæ Adelheidis ex priore marito filius, monasterium ad lacum condidit, & primum abbatem Gisilbertum constituit. Hæc ex eorum Annalibus. Nuenburg Palatini comites Rheni erexerunt, ut Aleander ait.

Lacense monasterium.

De Marchionibus Brandenburgensibus. Cap. 53.

MArchionatus ille olim ducibus Saxoniæ subijciebatur. Henricus uerò Cæsar sui nominis primus, habita de Vngaris uictoria, Marchionatum hunc erexit, ac ei quendam Henricum nomine proprium comitem præfecit. Henricus primus Marchio sublimatus est anno Domini 933. hominem autem postquam exuit, ei succeßit Henricus filius, & nepos inde huius, primus Romani Imperij Elector initiatus est à Gregorio quinto, ac Ottone 3. Inde alij usq; ad Henricum inuicem sequebantur, qui uita functus Marchionatū unà cū morte in dubiū exposuit. Cęterùm masculino genere destitutus, ut genero eius Alberto Marchionatus cōtingeret, consentit. Anno igitur 1113 Albertus de Soltuuedel ductu Conradi 3 Cæs. Marchionatum occupauit, & usq; ad Vuoldemarum Marchionem in posterioribus eius reseruauit. Hæc secunda Marchionū defectio erat: tunc Carolus quartus illius ætatis Cæsar, Marchionatum Ioanni filio tradidit, atq; ita ad reges Bohemiæ ac Vngariæ ducatus ille peruenit. Ioanne autem è uiuis exeunte, filius eius Marchio factus est, Iodocus nomine, qui ex defectu uirilis seminis obijt. Id etiam certum est, ante Albertum de Soltuuedel Conradum quendam Marchionem Brandenburgensem ab auctoribus celebrari, cui uxor contigit Adelheidis, filia Vuelfonis, qui filiam quoq; eius Gertrudim Ortolpho Saxoniæ Marchioni, ac inde Friderico Burggrauio Norinbergensi in matrimonium tradidit. Fuit & Albertus de Soltuuedel Conradi illius ex filia pronepos, cuius Genealogiam modò descripsimus. Sunt qui tradunt Rudolphum Habspurgensem comitibus Zolrensibus Marchionatum Brandenburgensem tradidisse, ut Eckius Theologus. Sigismundus etiam inde imperator Marchionatum Friderico Burggrauio Norinbergensi uendidit, qui iurisdictionem (quam Norinbergæ habuit) uendens, Marchionatum emit, anno natiuitatis 1411. à quo & hodierni Marchiones emerserunt.

De Burggrauijs Norinbergensibus, ac eorum gestis, nunc Marchionibus Brandenburgensibus. Cap. 53.

CAeterùm quia sermo de Burggrauijs illis nobis incidit, quotæ hi fuerint nobilitatis, recensere constitui. Non ultima autem illi nobilitate præditi fuerunt.

De Burggrauijs Norinber.

fuerunt. Videtur hoc ex eorum connubijs: filius enim Friderici Burggrauij, Fridericus nomine, sibi filiā unam Heduigen Gebhardi Lotharij Imperatoris parentis, coniugio copulauit. Aliam filiam Gertrudem nomine Ortoulpho Saxoniæ Marchioni in coniugem destinauit. Contigit autē illi filius Fridericus, à quo cæteri Burggrauij descenderunt: aliquorū nomina in Katelspurg loco, tribus à Norinberga miliaribus distante, continentur. eorum Genealogia ac sepulchra memorię prorogantur. Duxit eorum quidam Irmegardam filiam Kraffti Comitis de Hoenloe, circa quæ sæcula dux Voitlandię à suis famulis dolo occisus est. Eius ducatus in tres diuisus: Herbipolensis enim episcopus ac Babenbergensis partem bonam illius occupauerunt, partem tertiā Burggrauius Norinbergensis. Rudolphus etiam rex paulo pòst Fridericū de Zollern inuestiuit Burggrauiatu, & arce Vuarmstidel, & feudis, quæ olim habuit Fridericus Lantgrauius in Leuchtenberg: item Schniglung, Burlachen, quæ loca in ditione eorum habuerunt illi de Ortenbach. Et ut iterum ad portum redeam, unde egressus sum, multi autumant, Henricum imperatorem, anno Salutis 1140, postquam ciuitatem ac Ecclesiam sancti Egidij cōstruxit, Burggrauiatū constituisse. Alij anno 911. à Cunrado, quo tempore ad imperium uenit Norinberga. Aucti itaq; diuitijs Burggrauij, Marchionatum emerunt à Sigismundo. Norinbergensium quidam Annales eos comites fuisse asserunt, inde tamen in Principes initiatos, tertio anno Marchionatum nactos.

De Marchionatu Brandenburgensi, et quomodo incrementa, & à quibus ducibus sumpserit, & de illorum bellis. Cap. 55.

MArchiones Brandenburgenses, Stetinensiū, ac Pomeranię duces sese in eorum titulis præferunt, quos tamen se Daniæ rex atq; Mechelburgensium dux titulis eorū subscribunt. Nullā autē aliam res hęc habet rationem, nisi quòd Otto olim Stetinensium, sine uirilis seminis relicto successore, Friderico tertio Cæsari iure imperiali cōmisit ducatum, qui Cæsar Marchiones istiusmodi ducatibus inuestiuit. Sæpè Marchiones Polonis conflixerunt, ac uictoriam retulerunt, unamq; semel partem Poloniæ, eorum ditioni subiecerunt, quam postea Teutonici domini magno precio ab ipsis redemerūt, anno Salutis 1286. Comitatū pręterea Dornbergensem anno Dominicę incarnatiōis 1378. à Vuolframio ultimo Comite Dornbergensi corraserūt, qui relictis duabus filiab. masculino semine destitutus, fatali lege cōcedens, Anspach (ubi sedes modò Marchiones intenderūt) Leutershusen, & prædia omnia circumiacentia Marchionibus reliquit. Ostendit hoc memoria sepulturæ eius in Anspach. Cæteræ ciuitates Kreilsheim, Vffenheim ac Kreglingen olim Hoenloe Comitatui subijciebantur. Tali uerò pacto ad Marchiones deuenerūt. Vna imperatoris cuiusdam filia, Comiti de Hoenloe nupserat, qui prędictas ciuitates ut regali luxui respōdere posset, tradidit reginæ proprias, quas illa ut stirpi eius debito sumptui indulgeret, uendiderat. Vidimus huius rei testes literas in castro Schillingsfurst. Alpinæ uerò ciuitates, ut sunt Chulmbach, atq; alia oppida, à duce Voitlandiæ ac à Burggrauijs Norinbergens. ad Marchionatū accesserunt. De politia eorū quid dicam? non aliud habeo, nisi quòd hi sapientissimorum (ut uix uni alteri Principum contigit) senatorū consiliarijs ducantur. De eorū strategematibus, manifestū est sępe ab hostibus Marchiones captos, magno se precio redemisse: ut Hermannus Saxonum scriptor memoriæ prodidit. Sępe etiam uictores euaserunt, multum uiriū Sigismundo regi aduersus Bohemos contulerunt, Aenea Syluio referente: sæpe contra Pomeranos, sæpissimè cōtra Norinbergenses insurrexerunt, ac semel non sine magna utrarūq; partium iactura, Norinbergenses strauerunt, ubi usq; ad urbem fugati oppidani uix in tutum sese receperunt.

Marchiones Brandenburgenses.

Contrà & emeritos ac ueteranos milites nobilesq́, è multis prælijs reduces, ac huius militiæ sacramento strenuissimos, eo bello desideratos amiserunt, quos lachrymabilis conflictus ille exhauserat, utraque pars nunc feliciter degunt, dum inter Marchiones & eos nulla bella coeunt, nullum dissidium aboritur: & tantum de illis.

De Saxoniæ ducum initio ac dilatatione usq; ad Henricum Superbum. Cap. 56.

Duces Saxoniæ.

SAxones qua nitantur origine, præsentis operis non est differere: nam tantum nobilitati Germanorum nunc destinatus, ad erogandam nobilitatē Saxoniæ ducum operam nostram addixi, reliqua in aliud tempus dilaturus. Saxones, ut Vitikindus scribit à reliquijs Alexādri Magni prodierunt. Hermannus uerò, Vrspergensis atq; Sigebertus Genblacensis aliam ipsis pollicentur originem. Nam Valentinianus eos in paludibus sedentes, ac in Francorum regionem meditantes, bello fregit: Socrate, Eutropio, Pomponio Lęto, ac Panegyricis auctoribus. Eorum rex tunc Saxo dictus est, ut Methodius ait, à quo illi Saxonum nomen tulerunt. Inde in Turingorum fines deferebantur: antiquiores enim fuisse memorantur Turingi. Varios ortus tunc Saxoniæ ducum ac regum Ioannes Saxo Grammaticus in historia Danorum allegat. Inde Clodouei temporibus contra Ermefridum Turingorum regem surrexerunt. Quis inde dux eis cōtigerit uel rex, à nullo scriptore recensetur, usq; ad Caroli tempora. Quo sæculo Vitikindus (ut Hermannus ait) ex Dania ueniens anno 770 natiuitatis Dominicæ, Saxoniam armis occupauit, ac ad 30 annos Carolo prælijs respondit. Ille igitur Vitikindus in Christianum ductu Caroli abiuit, primus Saxoniæ dux initiatus est, licet subscriptores Eusebij, ut Genblacensis & alij, Lutolphum Ottonis Magni patrem, primum ducis appellationem accepisse afferant. Ad Vitikindum redeo, qui uita sua defraudatus à Geroldo Sueuorum duce, diem obijt ultimum. Alij Bertholdum primum Saxoniæ ducem dixerunt, qui contra Dagobertum ac Lotharium conflixit. Secundus dux post Vitikindum Vipertus euasit, inde Bruno quartus, Lutolphus quintus, Otto sextus, Henricus primus Cæsar Augustus, atque ita usque ad Ottonē tertium, qui nullo filio relicto, Brunoni (Henrici Bauariæ ducis filio) Marchioni Saxoniæ hæreditatem addixit. Nec desunt qui Saxoniæ ducatum in Marchionatum transuersum fuisse contendant, illicq́; obdurasse usq; ad Lotharium Cæsarem, Gebbardi Marchionis filium, qui Marchionatum lege paterna suo iuri asseruit, & ob uxorem quoq; Magni Marchionis Saxonię ducis aliam Marchionatus partem sibi uendicauit, atq; ob aliam coniugem Richisam Henrici de Northeym filiam, Comitatum de Northen eius ditioni desumens. Quare totam Saxoniā habuisse in manibus dicitur, & tunc Henrico Bauariæ duci, genero suo, collocata in uxorem filia sua Gertrude, ac iterum Marchionatu Saxoniæ per eum in ducatum redacto, Saxoniæ uniuersæ, qua longè lateq; tendit, ducatum tradidisse, ac omnem Saxoniam uni Henrico reliquisse afferunt. Cui opinioni nonnihil tribuo: nullus enim Saxoniæ dux, ab ullo præstantissimorum auctorum, Henricorum temporibus legitur: plures uerò Marchiones, ut in cap. sequenti subscribemus. Nec ultrà nec citrà etiam mentio Marchionum Saxonię ulla fit, nisi sub Ottonum temporibus, quo Bruno inter uiuos numerabatur, usque ad Lotharium Cæsarem, qui ultimus Marchionum, ac primus Saxoniæ dux, erecto Saxoniæ ducatu declaratus est. Lunenburgensis item ducatus ac Brunsuigensis, tunc Comitatus, ob uxorem Magni ad Lotharium Cæsarem deuenerunt. Et inde munere hæreditario Lotharij, ad Henricum Bauariæ ducem, tota Saxonia deuoluebatur, ut suo iuri subdiderit omnia, quæ inter Rhenum ac

Duces Saxoniæ.

Marchiones Saxoniæ.

Albim

Albim fuerant interſita: Bauariam quoque hæreditario iure poſſedit. Hic & Rheni Palatinatum nactus eſt princeps maximus, quo maiorem ſol in Germania nunquam produxit, nec uidit. Titulus eius ſic inſcribebatur: Henricus Dei gratia totius Saxoniæ ac Bauariæ dux, Rheni Palatinus, Brunſuigi, Lunenburgi, ac de Northeym Comes, omnium inter Albim ac Rhenum dominus. Succeſsit huic Henricus filius, qui cognomen Superbi aſſumpſit. Hic omnia paterna bona hæreditauit, ac cum Friderico primo Cæſare, Romam ſolus cæperūt, Mediolanum ſolus cum Friderico deſtruebant: ciues Mediolanenſes cum eo in gratiam reducti, ille etiā auribus popularibus auſcultans, ſe Imperatori geſsit inobedientem. Capto Mediolano, Imperator in ipſum exaſperatus, ut inobedientem conſenſu principum depoſuit, ac in uno menſe binis ducatibus eū exuit, ut ſequetur.

Titulus Henrici ducis.

De initio Lunenburgenſis ac Brunſuigenſis Comitatuum. Cap. 57.

NE etiam recta ſcribendi ſeries in nobis deficiat, antequam cæteros Saxoniæ duces, ab Henrico in medium adducam, Brunſuigenſis, Lunenburgenſis, Northeymenſis, Engerēſis comitatuum, qui uni Henrico ſubijciebantur, ac ſublati ab eo uno fuerūt, mentionem illic facere ſtatuimus. Otto Lunenburgenſem Comitatū inſtituit, ac Hermanno Bilunoi filio, ob eius in eum officium, primo comiti Lunenburgenſi contulit, huic ſucceſsit Hermannus, inde Erno dux, poſtea Ortolfus, inde Magnus Comes, qui ob filiam eius Lotharij cōiugem, & deficiente maſculino genere Lotharium Lunenburgæ generum ſuum præfecit. Fuit autem Comitatus ille à bonis Burggrauiatus Mechelburgenſis inſtitutus: ultimus enim Mechelburgenſis comes ſine filio diſcedēs, Ottoni primo reliquit Burggrauiatum, qui eum ad Comitatum Lunenburgenſem tranſtulit auſpicandum. Lotharius autem Henricum, ut diximus, eo Comitatu donauit. Brunſuigenſis comitatus paulò antiquior eſt. Henricus enim Auceps anno Domini 861, ut Hermannus Saxonū ſcriptor ait, Brunonem (à quo nomen tulit) ac Theomarum primos conditores Brunſuigi in Comites initiauit fratres ſuos. Ipſis uerò ſine ſemine obeūtibus, Henricus Vuilhelmo filio ſuo tradidit Comitatū. Inde Otto 3 dux, Vuilhelmi filius, huic ſuccedens, ac ſine uirili ſemine moriens, patruis ſuis Brunonibus Saxoniæ Marchionibus reliquit Comitatum. Itaq; ſub eiſdem remanſit per Rudolphum & Ecbertos, uſq; ad unicam filiam Gertrudem, quę Henrico de Northeym erat addicta: hæc ei Brunſuigenſem Comitatum detulit. Henricus uerò ille tradita Richiſa filia ſua Lothario in coniugem, ipſum Marchionatu Saxoniæ, ac Comitatu Brunſuigenſi inueſtiuit. Lotharius uerò Henricum Bauariæ ducem (cuius prius mentio erat) in eundem ducatum collocauit.

Lunenburgenſis Comitatus.

De comitatibus Northeym, & Engern, Gethingen, Ballenſteden, Suppelingburg, & Arneſpurg. Cap. 58.

COmitatum uerò de Northeym multi ac ditiſsimi Saxonum habuerunt: uolunt aliqui ab Ottonibus hunc inſtitutum, ac Ottonem Bauariæ ducē Ottonis patrem primum iſtiuſmodi comitatui præfuiſſe. Huius igitur Ottonis filius Henricus, comitatum retinuit, & Lothario ſocero ſuo ac Cæſari poſtea, ob filiam Gertrudem eius cōiugem, conceſsit. Lotharius Henrico Bauarię duci reliquit. Fuit etiam Henricus unus de Northeym, Palatinus Rheni, qui Gertrudis uxoris eius cum priori marito filio Sigefrido Palatinatum Rheni tradidit, ut manifeſtè in monaſterio Bursfelt (quod ab ipſo & Gertrude conditum eſt) memoriæ mandatur. Iuxta Vueſeram ſitus ille comitatus olim uidebatur.

Comitatus de Northeym.

Engern. Dominatus uerò de Engern, omnium Saxoniæ locorum antiquissimus, primi illius domini fuerunt Hengestus & Horstus, ut Hermannus scribit Saxonũ scriptor, qui in occidentali Saxoniæ parte residentes, à Britanniæ ducibus uel regibus euocati ad bellum, contra eorum hostes conflixerunt, hi 9 millibus instructi, hostes mox destituerunt. Vnde eis concessum est, ut terram quantam taurino tergo comprehendere poterint, occuparent. Illi igitur multo terræ spacio amplexi, ciuitatem Offenburgum condiderunt, quæ Anglica uoce Caucaster dicebatur. Angli autem tanta multitudine ad eos confugerunt, ut mutato uocabulo (die Engelschen) nomen acceperint. Inde temporis diurnitate l in r transposito, Engershen dicebantur. Paulo pòst Vitikindus, Ropertus, Lutolfus, & antiquissimi Saxonum, de Engern dominos se dixerunt, & mansit semper penes Saxoniæ ducatum dominatus ille, quamuis alij eam partem Marchiones Saxoniæ obtinuisse dicant. Goethingen. Goethingen etiam iuxta Vueseram ad ducatum attinebat, Lotharius Cæsar hanc sibi desumpserat, ac Henrico genero unà cum filia Gertrude obiecerat. Suppelingburg. Suppelingburg atque Arnespurg Gebhardus Lotharij pater, in ditiõe sua tenuit, uxor eius Ballensteden adiunxerat, quę omnia filius Lotharius hęres successori suo Henrico ac genero tradidit in dote.

Quomodo Henricus Superbus à Friderico Cæsare depositus fuerit, & quò regiones ac eius possessiones peruenerint. Cap. 59.

OMnes illę prædictæ facultates uni Henrico accesserunt, felici planè ac omnium principum absolutissimo, si quid in rerum natura tam absolutum fuisset, quod stabilitate quadam modesta ac felicitate niti possit, ita quod interitu careret. Vidit unus mensis Henricum horum dominum uniuersorum, ac idem penè nullum, ac omnibus spoliatum. Hermannus Hassiæ princeps optimam partem iuxta Albim sibi erogauit: ducatus Bauariæ totus ei oblatus est, ac Ottoni cuidam de Schuren addictus. Reliqua ultra Danubium pars Henrico Austrię duci destinata est: dominatum uel, ut quidam scribunt, ducatum Engerensem, atq; Vestalen Philippo Coloniensi præsuli donatum uolunt. Cætera inde Bertholdo de Carinthia, Friderico Sueuiæ duci ac Cæsari, Vuilhelmo de Gulch, Theoderico de Hochsteten, Henrico Lantgrauio Alsatiæ, Ludouico Marchioni Turingensi contigerunt: ita ut nullus in eorum numero fuerit relatus, qui nõ ditior huius miseria euaserit. Accessit Palatinatus Rheni Cũrado, tota Saxonia Bernhardo comiti Anhaldensi filio Alberti, eius tamẽ consanguineo. Vnicus atque solus Brunsuigensis comitatus, nondum ducatus, Henrico filijsq;, & his quidem uix remanserat. Contigit hæc depositio Henrici Salutis 1182. Meminerunt Hermannus Chronographus, & Hermannus alius Saxonum scriptor, Ligurinus, Otto Frisingensis, Radeuicus, Otto Beckmannus, & inter omnes copiosius Vrspergensis abbas, qui & id maximæ miseriæ fuisse innotuit, quòd nec sibi Henrico, nec ulli posterorum eius ablata unquam contigerint. Lunenburgenses penè ducatus, quẽ & penè semper (recenti tantùm facta diuisione) custodiuerũt, Goethingen quoq; reseruauerunt: Saxoniam etiam Magnus dux tenuit, quam tamen in eius iure non diu tutabatur. Ab illo igitur Henrico nobilissimo, nobilissimi duces Brunsuigenses deriuati sunt: & hæc prima causa erat pro tanta nobilitate exiguæ eorum regionis.

De Ducibus Brunsuigensibus, recta linea ab Henrico deposito descendentibus, & eorum odio in Sueuorũ duces: & quando Brunsuigenses duces initiati fuerint. Cap. 60.

MOrtuo Henrico Superbo ac deposito, Brũsuigensis comitatus (ut dixi) à Saxoniæ ducatu penitus se discreuit. Vnde tantum odium inter utriusque re-

queregionis duces emersit, ut omnis Friderici Sueuiæ ducis progenies, Brunsuigensi infensa habita, semper ulciscendi eis præbuerit occasionem. Claudentibus enim oculos Friderico I. ac filio eius Cunrado, maxima pro Imperio Romano contentio & lis orta est, inter Ottonē ducem Brunsuigensem, ac Philippum Friderici filium. Papa Innocentius ut in cap. Venerab. de elect. habetur, atq; omnes penē Imperij ciuitates, in sententiam Ottonis pedibus iuerunt. Philippus autem uiribus præualuit, & superior euasit: sed nō diutius, quàm ab Ottone de Vuittelspach occubuerat, rerum summa potiebatur. Obeunte inde Philippo Cæsare, omne odium principum discussum est. Redierunt enim inuicem in gratiam utraq; pars, Otto in Cæsarem consensu Sueuorum initiatur, Vuilhelmus quoque ac Otto Henrici Leonis filij, ductu Friderici II. in duces Brunsuigenses & Lunenburgenses sublimantur, ex comitibus prius. Facta est hæc translatio anno 1238. Otto primi ducis Brunsuigensis nomē assumpsit. Accedit quoq; quòd connubia inter se quæsiuerunt: Philippi enim regis filia, Ottoni Cæsari matrimonio copulatur, ac Ottoni, nepoti Henrici superbi, Mechilda, Alberti filia, patrui Bernhardi ducis Saxoniæ addicitur.

Lis Sueuorum ac Saxonum.

De diuisione ducatuum Lunenburgensis ac Brunsuigensis, & iterum unione, usq; ad præsentia secula. *Cap. 61.*

OTtone Vuilhelmoq; mortuis, ac alio Ottone Vuilhelmi ducis Brunsuigensium filio ac ducis Lunenburgensis, posteri Ottonis ob pluralitatem eorum cogebantur inter se ducatus ac regiones diuidere. Ioanni igitur Lunenburgum cessit, quem secutus est in ducatu Otto filius, inde Vuilhelmus: post hunc, ob stirpis eius uirilis inopiam, iterum ambo ducatus copulabātur. Brunsuigū uerò ac dominatus de Goethingen Alberto cessēre, qui duobus filijs dotatus, nominibus Albertis, uni Brunsuigū, alteri Goethingen obtulit. Brunsuigense duce è uiuis concedente, Magnus filius Alberti de Goethingen Brunsuigensem ducatū hæreditauit, ac Ludouico filio Goethingen, Magno uerò Brūsuigum addixit. Huic Magno, ut Hermannus tradit, uniuersa Saxonia contigit post obitum fratris. Voluit enim Magnus ob Sophiam Rudolphi Saxoniæ ducis filiam, fratris uxorem, omni potiri Saxonia, ideo inter Ottonem & Ernestū Saxoniæ duces, ac Magnum grauissimum prælium est obortum. Nec desijt, priusquam uxorem Magni Catharinam nomine, Albertus Saxoniæ dux, in coniugem sibi desumpserat. Ille etiam Magnus iterum ducatum Lunenburgensem, mortuo Vuilhelmo sine liberis, sibi uendicauit. Inde Friderico ac Bernhardo Brunsuigum. Henrico Lunenburgum addicta sunt. Filio inde Magni Bernhardo Brunsuigensi Otto dux successit, ac Fridericus, Friderico Otto filius, qui ad se traxerunt quasi proprium, ex abundantia stirpis uirilis, ducatum Lunenburgensem. Henrico autem Magni filio, cui Brunsuigum addictum erat, Vuilhelmum filium habuit successorem, cui iterum Vuilhelmus, cui Hēricus filius, cui iterum Henricus successerunt, qui & nostro sæculo feliciter Brunsuigo præfuit. Otto autem cui Lunenburgū addictum erat, Friderici filium in ducatu secutus est. Celebratur Henricus dux Lunenburgensis, uir præstantissimus, in bello strenuus.

Diuisio et coniunctio Brunsuigensis et Lunenburgensis ducatuum.

De regionibus ac ciuitatibus, qui Brunsuigensi ducatui accesserunt, & eorum bellis. *Cap. 62.*

MAgna etiam sui incrementa ducatus ille sumpsit: Otto enim Ioannis filius, comitatum Dauenburgensem ac Luchanensem Lunenburgensi adiecit, anno Salutis 1312. Otto etiam Henrici filius ducatui obfuit. Nam Eysfelt episcopo

Regiões Brunsuig. additæ.

episcopo Moguntino uendidit, postquam ipse rex Neapolitanus initiatus est. Vuilhelmus Brunsuigi dux anno incarnationis 1435. Hornbergum, Esterniensem, & reliquos comitatus recuperauit. De bellis autem eorum quoniam nobis oratio incidit, grauissima septem prælia Vuilhelmus anno Salutis nostræ 1476. contra Saxones ac Marchiones Misnenses strenuè compleuit. Philippus imperator contra Ottonem quartum profectus, Brunsuigum graui obsidione presserat. Sæpè etiam ducibus repugnauerunt ciues, ut est apud Hermanum. Mox originem ducum Saxoniæ explicabimus.

De ducibus Saxoniæ post Henricum Superbum, usq; ad nostra sæcula. Cap. 63.

Saxonia ad comites Anhaldenses.

CAeterùm ut redeam unde digressus sum, Saxoniæ duces prius usque ad Henricum Superbum reuocauimus, nunc reliquos eius successores adducamus. Afflictis rebus Henrici Superbi, Imperatorem Fridericum ad Saxoniæ ducatum Bernhardum quendam comitem Anhaldensem sublimasse diximus. Fuit Bernhardus ille affinis Henrici depositi, qui sæpè etiam multis ac assiduis molestijs ducatum Saxoniæ affectabat: nunquam tamen id quod petijt, impetrare à Lothario quiuit, nisi tunc temporis, cum summo Henrici dispendio. Bernhardo succesit Albertus filius: huic Albertus è fratre suo Henrico nepos. Inde filius huius Alberti Albertus, post hunc Otto, inde Albertus, mox Rudolphus, post quem Vuenceslaus, inde Rudolphus, & ille ultimus de genere illo in Saxonum ducatu Electorem euasit. Quo fine masculino semine diem claudente, Marchiones Misniæ ab Imperatore Sigismundo Saxoniam ac electuram uirtute dedita emeruerunt, anno Domini 1418. Primus electorio munere Fridericus inuestitus est: huic succesit Fridericus, eiq; Ernestus, inde Fridericus, quem & hodierna sæcula singulis uirtutum numeris perfectum fata ostendunt, uir studiosis omnibus dexter, sustentator ac conseruator, innotuit hoc in solo officio maximo, quod Ioanni Capnioni uiro integerrimo, ac literarum omnium literatissimo, uir literatissimus ac integerrimus aduersus aduersarios suos contulit: & hactenus de illis.

De bellis, strategematibus, ac incremento ducum Saxoniæ. Cap. 64.

Strategemata ducū Saxoniæ.

DEferuente odio exitiali inter Saxoniæ ac Brunsuigi duces, ob Henrici Superbi infortunium, non habeo, quæ bella inter eos fuerint oborta. Residerunt enim ut plurimum sine omnibus bellorum fluctibus quieti: Sigismundo etiam Cæsari auxiliaribus copijs contra Bohemos subuenerunt, ut apud Aeneam Syluium liquidò uidetur. Albertus etiam Georgij pater, totam Frisiam armis occupauit, ac comitem Endensem præfectum huius constituit, qui rupta fide, Frisiam sibi, ut iusto domino temerè occupauit, grauissima prælia nostro sæculo ob huius pertinaciam committebantur: uerùm maxima Georgij ducis Saxoniæ iactura. Frisia enim penè omnis ei deperijt, ac multa alia loca secum traxit in ruinam. Maxima autem bella quæ sub ducibus Saxoniæ commissa sunt, summum locum hæc sibi uendicant, quæ sub Henrico Leone ac sui nominis septimo infremuerunt. Habet huius carmen Otto Beckmannus:

Et Leo Brunsuigus tumida dux fronte Superbus
Contemnens Ligurum cum Cæsare uertere signa:
Hic timor orbis erat Sassonum duxq; uerendus,
Quem dominumq; ducem Baiorum castra secuta,

Vuestalijq;

Vuestualijq; suum gaudebant esse Tyrannum,
Angariæ antiquæ moderator & arbiter aulæ.
Principibus certans quondam uictor duodenis,
Amphytrioniadæ similis, discrimina rerum
Bissena est passus, dux armis alter Achilles.

De dominatu Embeccensi. *Cap. 65.*

FVit Saxoniæ dominatus Embeccensis olim sub iure dominorum Dasselensium: principi eorum ciues repugnauerunt, postquam Alberto duci Brunsuigensi adhærentes, ditionem eorum in comitatũ redegerunt. Soluente fata Alberto, filius illius Henricus comitatui præfuit, quem secutus est eiusdem nominis Henricus filius. huic successit Otto, qui rex Neapolitanus initiatus est, unde dominatus ad eius patruum Ernestum deuenit. Inde Albertus filius eum hæreditario patrimonio excepit, cui successit filius Ericus. Otto etiam filius Friderici ducis Lunenburgensis & Brunsuigensis se dominum Embeccensem scripserat, & ita in eadem stirpe postea perseuerauit, usq; ad Philippum ducem, cuius frater Ericus dum in uiuis morabatur, Aldenburgensis ac Padebornẽsis episcopus consecrabat: meminit huius Otto Beckmãnus poeta. **Dominatus de Embeck.**

De archiducatu Austriæ, & eius principibus. *Cap. 66.*

AVstria olim Pannoniæ superioris appellationem tulit, ut libro primo diximus. Temporibus inde Caroli, sub eius filijs, sine proprio rege moderabatur. Nec me latet proprios reges habuisse Austriam, Drusi & Traiani temporibus. Verùm de illis habita mentio est. Deficiente autem Carolorũ felici prosapia, Rudigerus quidam Austriam occupauit, ac sine uirili semine diem obijt. Lupoldo Austriæ Marchionatum igitur obiecit Henricus primus Imperator, ob affinitatem. Nam Lupoldus ille Sueuiæ moderator, eius sororem in matrimoniũ sibi desumpserat. hic Lupoldus primus Austriæ Marchio euasit, ut Austriæ Annales continent, qui Griphonem à ponte Aeni expulit: è uita inde decedens, filio Henrico hereditatem destinauit, qui fatorum lege oculos claudẽs, filio Alberto reliquit Marchionatum. Albertus autem licet inuitus, ob Cunradi Cæsaris auxiliũ, fratri suo Ernesto in Marchionatu cessit. Anno Salutis 1018. cui deinceps Lupoldus eius successit, Alberti filius, penultimus & octauus Austriæ Marchio, illius lineæ. Fuit horum signum quinq; alaudis in campo cœruleo distinctum: inde exuto Henrico Superbo tam Bauariæ quàm Saxoniæ ducatibus, Fridericus primus Imperator multa ducatui Bauarico ademit, ac Austriæ Marchionatui attulit, totam penẽ trans Danubianã regionem. Vnde per Fridericum I. Barbarossam ille Marchionatus in ducatum translatus est. Primus dux Henricus initiatus est. Secundus dux memoratur filius Lupoldi prędicti, qui ducatum ratione filiæ suæ de Stiria Austriæ subiecit. Inde Lupoldus filius eius Austriæ præfuit, anno 1189. Otto libro septimo ait, Albertũ post hunc regnasse, post quem Fridericus quintus dux anno 1226. & hic ultimus sine hærede obijt, unde Marchionẽ Hermannũ Badensem Austriæ oportuit anno 1250 ducatum administrare, donec ad Rudolphũ peruenit. Rudolphus aũt Habspurgensis (cuius Aeneas Syluius meminit) post Henricos Imperator, uel rex electus, ut Platina in uita Vrbani ait, Vdalrico Carinthiorum duce defuncto, & rege Ottocaro superato, Austriam armis intrabat, Marchionis mortui coniugem expulerat. Inde Basileam obsedit: ex consensu omnium principum rex Romanorum euasit, anno 1273. cui Alberti, Lupoldus & Ernestus successerũt. Illis Fridericus tertius, qui cum Leonora Portugalliæ regina, Maximilianum partu

Marchiones Austriæ. *Duces Austriæ.* *Maximilianus.*

partu edidit. Hic filiam Burgundiæ ducis matrimonio sibi delegauit, ex qua Philippum & Margaritam suscepit. Philippus autem cum regina Hispaniæ Ferdinandum ducem, & Carolum regem reliquit. Et hi Austriæ duces. Primus autem se Archiducem Fridericus tertius gessit. Maximilianus autem cui plus negocij affuit, quàm nulli ab initio Imperatorum, sine suijpsius uel facultatum eius dispendio (quod nulli unquam contigit) Morinos, Eburones, Sycambros ad unum contudit, ut de eo Iason Mainus in oratione, Vadianus, & alij asserunt. Philippum Palatinum tunc non minus imperatorem intestino bello compescuit. Venetorum animos superbia tumidos, per 10. aut plures annos totius orbis imperium marisque dominium assumentes, adeò confregit, ut nulla, duabus urbibus demptis, ciuitas eorum succubuerit imperio: nullus eorum iacturæ modus desinebat: hodierno quoque sæculo sine ipsius incommodo, bellum renouatum & auctum est. Quod Mantuanus carmine de fortuna eleganti ostendit. Anglorum inde thesaurum aperuit, sine suijpsius iactura. Hac fama impulsi Saraceni, Turci, & omnes fidei nostræ insidiatores, legatos gemmis & auro, omnibusque monumentis oneratos miserunt, amicitiæ secum conciliandæ gratia. Nũquam auditum est, uni imperatorum tot & tanta periculorum incrementa, tantos ubique terrarum fluctus infremuisse, & adeò feliciter, cum summa prudẽtia ab imperatore prouisa fuisse omnia. Aptissimum de illo quod Claudianus de Theodosio, testimonium referre possumus, quod ille poeta paganus, Deo & homini succisum sed elegans dedit:

Gesta Maximiliani.

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati ueniunt ad classica uenti.

Austria quoque clarissimos alumnos illustrauit. Leopoldus Austriæ Marchio Orientalis uir Christianissimus, clericorum & pauperum pater, ut Otto Frisingensis uult libro 7 Chronicorum, cap. 12. Hunc historia Austriæ, in numerũ sanctorum retulit. Rudolphus Austrius Romanorum imperator (ut ait Iason) Boniam & Flaminiam summo donauit Pontifici. Abertus Austrius tertius Pannoniæ & 6 Romanorum rex Hussitanos (ut idem asserit) interemit. Quis Sigismundo Austriæ duce prudentior, ut Rudolphus Agricola testatur? Sic de ipso ad Gasparum loquutus:

Viderat ista Sigismundus, quid non uidet iste?
Inclyta cui rerum est gloria, cuique decus.
Quo melior terris, quo non est iustior alter,
Fortis & in duris tam ratione potens.

Hic multa strategemata contra Venetos expleuit, quorum Sabellicus, Blondus, & alij orationem tenuerunt amplissimam, nisi quòd & fabulosissima commenta plerũque effinxerunt. Vt fit, ubi auribus magnatum gratia insusurramus, & plus assentationi quàm ueritati relinquimus. Inter cęteras uirtutes quibus Sigismundus meruit, potẽtissima fuerat liberalitas summa, & quòd plus aliquando publicis negocijs uacauit, ut Reipub. inseruiret, quàm priuatæ necessitati: aditus enim Alpium prius inaccessibiles lapidibus strauit.

De ducatu Stiriæ, Carinthiæ & Tyrolensium: & quomodo ad ducatum Austriæ deuenerint. Cap. 67.

Stiriæ ducatus.

FErunt Stiriam olim in numero Marchionatuum extitisse, ut Austriæ Annales continent, quam tamen inde Fridericus primus in ducatum redegit. Alij tamen in posteriores Cæsares id referunt. Erat Henrico primo Austriæ duci filius nomine Lupoldus, cui Kunigundis filia supererat, quæ Ottocaro ultimo Stiriæ Marchioni in cõiugem obuenerat. Ottocarus uerò sine uirili semine mortuus,

mortuus,consensu imperatoris,Lupoldo prædicto Marchionatus mox in ducatum mutatus,primum ducem habuit Lupoldum suprascriptum,cui hæres iustus filius succesit eiusdem nominis Lupoldus, qui cum Theodora uxore Fridericum,tertium Stiriæ ducem,filium genuit. Hic Fridericus sine uirili semine decedens, ducatum Henrico Austriæ duci cognato reliquit. Obijt & ille sine hærede masculino, quare unà cum Austriæ ducatu ad Rudolphum Habspurgensem deuenit ducatus ille, à quo interim ac eius posteris adhuc moderatur. Carinthiæ principatum Rudolphum de Habspurg Austriæ detulisse uolunt, uicto Vdalrico Carinthiorum duce. Alij uerò in posteriores referunt. Quis etiam Tyrolensium ducatum Austriæ coniunxerit, exactè Annales Austriæ exequuntur:id enim in Rudolphum Habspurgensem posuêre.

De ducatu Francorum Orientalium. Cap. 68.

FRancos olim Troianos extitisse, auctorum multitudo & præstantia recepta pluribus persuasit. Nos quibus potuimus argumentis refellimus,elaborauimusq́, ut Germanicam originem Francis imponeremus, & Troianum illis ortum tantùm adulatione adscriptum ueritate refutaremus. Est tamen multę opinionis uir Hunibaldus,cui non ob styli elegantiã,uerùm tantùm propter antiquitatem libentiùs ausculto. Hic Troianam originem Francis concesit. Hunibaldus ille inter uiuos numeratus est temporibus Clodouei, & penè per 400 annos Francorum reges ante Clodouei tempora adducit, dum Gaguinus, Ricius, & alij uix quatuor enumerent. Hic Hunibaldus decem & octo libros de Francorum regibus conscripsit : sex primos libros à Troianorum temporibus usq; ad mortem Antenoris deduxit, subsequentes sex usq; ad Faramundum,ultimos uerò sex ad Clodouei tempora dilatauit. Ad rem redeo. Antenor ante Christi natiuitatem 440 anno,à Scandianis,id est, Gotthis iuxta Danubium occisus est. Huius filius Marcomirus oraculo monitus, ne temerè Gotthos sollicitaret, Galliam primitus intendit. Inde in Germaniam primus regum Francorum profectus est, auspicio Saxonum, cum Priamo, Antenore, ac alijs adiunctis 7500 puerorum,ac 548 promptissimis uiris ad Rhenum deferebantur. Huic Marcomiro Antenor succesit, qui Hollandiam in ditionem occupauit. Huic Priamus, inde Helenus, post quē Diocles, Helenus, Basanus, Antherodanus, Clodomirus,Merodatus,Cassander, Antharus, Francus Anthari filius, à quo Franci dicti sunt. Benè ergo dixerunt, qui nullum Hectoris filium Francum dictum crediderunt. Nec ille Hectoris filius fuit. Non mecum faciunt ergo Sabellicus, Blondus, Mantuanus in Dionysio,& alij. Potius Ricio credendum est,qui nec Homerum,nec Euripidem,nec Anaxicratem,Franci mentionem facere asserit Hectoris filij. Licet Manetho historicus manifestè id profiteatur. Verùm de illo plura libro secundo in principio adduximus. Hic Francus 17 rex Clodium habuit successorem,cui Herimerus,inde Marcomirus, Clodomirus,Antenor,Catherus,Richimerus,Odomarus,Marcomirus, Farabertus,Sumno,Hildericus,Bartherus,Clodius,Dagobertus,Clodius,Vualterus, qui antiquis temporibus Hollandiam, Selandiam, Sycambriam, Traiectum, inhabitauerunt. Et ita demum Panegyricorum dicta intelliguntur,qui semper iuxta Rhenum posuerunt Francos:ita Vuimphelingij dicta & Suidę,Agathij & aliorum ueritati congrua sunt, qui totum Rhenum olim Francis concessêrunt. Hic autem Clodomirus Rhenũ relinquens 7 Imperij sui anno, Dominicæ autem natiuitatis 326,Indictione Romanorum 149,die mensis Aprilis, ad sedes à Turingis promissas deuenit:ubi scilicet Herbipolis adhuc sita est, numero hominum ingenti. Illic quoq; fratrem suum totius Mœnigaugiæ ducem primum,nomine Genebaldum constituit:ipse Galliam rapinis inuasit. Secundus

Francorum ducatus Orientalium.

dux Francorum euasit, prioris filius Marcomirus appellatus, deinde Priamus, Genebaldus, Sunno. Huc usq; Hunibaldus subscripsit. Sunnoni Clodius successit, cui Clodomerus, Hugbaldus, Helenus, Gotfridus, Genebaldus tertius, Clodomirus, Heribertus, Clodoueus, Gosbertus, Hospertus, Gosbertus iunior, & Hetanus ultimus Francorum dux, temporibus Pipini regis Francorum, qui sine uirili semine emoriens, regem iure debito Pipinum constituit hæredem, qui sanctitate B. Burkardi impulsus, cōsensu Gregorij Papę Herbipolensem urbem redegit in episcopalem, sanctum Burkardum Ecclesiæ præfecit, Anno Salutis 749. ac eum in Franciæ ducem sublimauit, cui omnia ducis priuilegia concessit: ita ciuitas ac totus ducatus episcopatui subiectus est. Reliquos episcopos in catalogo Abbas Spanheimensis allegat. Iuris huius episcopi est, gladio instar sæcularis cuiusdam ducis in altari niti, ac peracto officio armis incedere, ut testatur Aeneas Syluius. Henricus imperator Francię ducatum affectabat, qua de re excommunicationi notatus est. Nec quisquam alius Francorum ducis titulum retulit, excepto uno episcopo illo, qui id iure diuino humanoq; obtinuit. Reges autem Francorum qui Gallias occupauerunt, & Clodomiro successerunt, à nostra memoria excludere uolui. Licet Germani origine fuerint, dum Gaguinus, Michael Ricius, propria uolumina de illis uulgauerint: & tantum de regibus & ducibus Francorum.

Ducatus Franciæ ad episcopatum.

De ducatu & ducibus Bauariæ. Cap. 69.

BAuaria temporibus priscis Noricæ regionis appellationem quæsiuit, quā alij tamen à Bauaro rege nuncupatam, alij à Bois Gallis uolunt, qui huc consederunt. Ego facilè à Bohemis autumarem, quos ex Ptolemæi sententia, paulò superiori capite usque ad Danubium eorum ditionem prorogasse diximus. Responderet & id opinioni Cornelianæ. Sunt qui Troianos eos uolunt, ut apud Vuingartenses & Altdorffenses in Annalibus uidemus. Vrspergensis uerò è reliquijs illis, qui Valentiniani temporibus emergebant, processisse refert. Cui calculum adderem, nisi è Scythia, id est Scandia (ut cęteras Germanorum gentes) eos deuenisse tenerem. Fuit olim Bauaria obnoxia regibus. Temporibus Augusti Boamundus, postea Ingramus ac Adelgerus, inde Gundoaldus, primi reges Bauariam tutabantur, quorum Methodius & Sigebertus Genblacensis meminerunt. Primum ducem Theodonem quidam perhibent, qui à B. Ruperto lauacro Christiano perfusus, regni Bauarorum nomen commutauit in ducatus appellationem. Huius inde filius Theobertus, quem alij Theobaldum uocant, ducatum adeptus est, post quem Geribaldus, Heribertus, Odilio, rebus potiti sunt. Post quos Tasilo dux, Carolo rebellis, unde cum patre in monasterium detonsi trudebantur, ac Bauaria interim à Caroli posteris moderabatur. Inde Arnulphus Bauariæ dux consecratus, à Cunrado Cæsare in exiliū abactus, ab Henrico imperatore postliminio restitutus est, post quē proximas sedes tenuit Bertholdus filius, qui deficiente uirili sobole, unicam suam natam, de Ottonum familia uni coniunxit, ac Henrico Ottonis primi fratri Bauariam ob affinitatem detulit. Cui alter & alius Henricus successerunt, usq; ad sanctum Henricum Augustum, qui seruata castitate cum Kunigunda, post obitum suum in manus Vuelphorum nobilium ducum Sueuorum Bauariam tradidit. Hi itaq; usq; ad Henrici tertij tempora Bauariæ præfuerūt. Ab Ottone inde quodam scelestissimo uiro eo priuati, & ab Agnete imperatrice iterum pristino loco restituti, usq; ad Henrici Superbi ducis, de eorum familia potentissimi, tempora, Bauariam retinuerunt. qui dum se Friderico Cæsari opposuit, propter inobedientiam ducatum amisit. Abeunt à se scriptores in diuersum: Vrspergensi enim placet, Ottoni tunc Schurensi Bauariam datam, & eius fratrem

Bauariæ duces unde.

Coniunctio Palatinatus ac Bauariæ.

trem Ottonem ob uxorem, Palatinum Rheni cōſtitutum, Palatinatum Rheni ducatui Bauariæ coniunxiſſe. Nauclerus uerò Ottonem nominat, & Ludouici Palatini & ducis Bauariǫ parentem ait hunc fuiſſe. Ratio uerò temporis non diſcrepat. Nos ergo duos Ottones & duos Ludouicos fecimus, & nepoti Ottonis de Schuren, nomine Ottonem, ratione Gertrudis filiæ, Palatinatum Rheni ducatui Bauariæ coniunxiſſe contendimus. Ad hoc duabus rationibus ſumus inducti: primò, quia tempus eſt congruentius: deinceps, quia ille Otto qui in matrimonium Gertrudi collocatus eſt, dux Bauariæ ſecūdum omnes ſcriptores perhibetur. Non autem ille frater eſſe illius potuit, qui primus (depoſito Henrico) Bauariam ſibi copulauit: nec nomen à fratre aucupari. Libuit ergo illorum ſententiam ſequi, qui Ottonem Ottonis Bauariæ ducis nepotem, primum in comitem Palatinum euaſiſſe conuincunt, licet alia ſententia Vrſpergenſi ſecus perſuaſerit. Videtur etiam anile commentum, quod Abbas Trittemius indicat, ante Pipinum, Bauariæ & Palatini ditiones fuiſſe coniunctas per Gertrudem, uidetur contrarium inferri ab omnibus. Olim potentior erat ducatus Bauariæ: nam Fridericus primus multum Auſtriǫ Marchionatui tunc adiecit, quem ducatum fecit, ut Vrſpergenſis & alij ſcribunt, & Henricum ducem Auſtriæ Bauariæ præfecit. Verùm Henricus filius Vuelphonis iterum ad ueram lineam Bauariam reduxit.

De ducibus Sueuorum. Cap. 70.

ADeò à Sueuorum memoria receſſerunt fermè cuncti ſcriptores, ut nullus omnino eos attigerit integrè. Multi Sueuorum enarratores à ducibus de Stauffen ingreſsi catalogum Sueuorum, & uſq; ad Conradinum deflexerunt, altiùs ire non potuerunt: in tranſitu quaſi per decem forſitan Sueuorum duces excurrerūt, mox in limine deſtiterunt. Sunt præterea qui intētiſsima cura Sueuorum hiſtorias adierunt, ut Vrſpergenſis, Conradus Peutinger, & alij. Nauclerus paulò effuſius rem tractauit, nunc illum, nunc hunc tantùm nominando, ſine omni progenierum aut ſtirpium connexione & neceſsitate. Multæ interim ſcriptorum diſſenſiones oboriuntur, unus Hermannum ſecundum ab Hermanno primo deducit, cuius filiam Itam duxit Lutolphus filius Ottonis dux Sueuiæ. Vrſpergenſis uerò & Saxonū Annales repugnant: alij à Conrado Sapiente, Lupoldi Marchionis Auſtriæ fratre: alij ab Hermanno fratre Erneſti ducis Sueuorum & Auſtriæ, filio Giſelæ Imperatricis, illis originē perſuadent. Quare nobis parcendum erit, ſi in uno ſecus quàm recepta quorundam perſuaſio obtinuit, & aliam uiam ab alijs ingreſsi fuerimus. Id ergo ſufficiens ac tutiſsimum noſtro labori pręſidium erit, quod nihil proprio uſi capite temerè ſubſcripſimus. Ad rem redeam. Sueuia olim ſub regibus moderabatur, & Morauinus rex Sueuorum conſecrabatur, qui Brennum genuit ducem Sueuorum, non Gallorum, ut Hermanni, Naucleri, Strabonis, & aliorum auctoritatibus confirmauimus. Alludit Ligurinus. Huic ſententiæ etiam acceſsit Gotfridus, cuius uerba ſunt:

Incoluit centum primæua Sueuia pagos,
Non urbes nec caſtra colens, ſed rura uel agros.
Brennus dux fuit illorum, ſimul Allobrogorum,
Sede Byzantinus fuerat, tunc rex Siguinus.
Condit apud Gallos Senenſem Brennus & urbem.
En igitur Senones, quod nomen Senna parauit,
Ex hac ſunt Senones, qui quondam agmina Romæ
Vicerunt.

Nec exclusimus hoc loco Gotfridi (licet non accepti scriptoris) sententiam, ueri tamen, ut uerissimi, cuius auctoritatem tantum styli eius ieiuni ac desoleti ratio concussit: nobis autem cum ueritate non elegantia, ob meliorum auctorum inopiam res erit. Tempore Cæsaris Ariouistũ Sueuis ac omni Germaniæ præfuisse uidemus: ætate uerò Augusti Vannius & Sido à Druso cõstituti Sueuiæ reges nominabantur. Tempestate Tiberij Marebudus Sueuiæ à Pomponio Læto allegatur. Seculo uerò Constantini Thonodorus à Marcellino rex Sueuorum declaratur. Pomponius Mela libro tertio, & Solinus Celeri Metello à Sueuorum rege, mercatores Indiæ ad Germaniã appulsos donatos testantur. Volunt ergo quidam Caroli temporibus primitus in ducatum redactam fuisse Sueuiam. Ego qui antiquiores eorum duces uidi in auctoribus, haud facilè huic opinioni assentior. Legitur Gonso Sueuorũ dux, qui sanctum Columbanum exilio mulctauit, cui Langredus successit: inde Linfridus & Gotfridus, qui filiam Carolo Magno dedit nuptui. Inde Ensmerinus, Marsilius & Gerardus Caroli temporibus memorantur duces Sueuorum. Tempore Ludouici Pij Conradus initiabatur, Ludouici secundi Hiltebrandus, cuius filia uocabatur Hildegardis. Tunc temporis Luduicis uniuersa Germania sorte obuenit paterna. Luduicus ergo secundus imperator, Carolum tertium, paulo pòst etiam imperatorem Sueuiæ præfecit, à quo principes defecerunt, & Arnulpho Carolomanni filio eius patruo adhæserunt, qui Sueuiæ dux iuxtà & Imperator Augustus, ducatum Conrado filio, Conradi imperatoris de genere Carolorum ultimi patris tradidit. Conrado uerò suspecta erat Alberti nobilissimi Germanorum progenies, quæ se etiam Sueuorum duces professa, titulum ac iura Sueuorum in se uertebat, totamq́ nobilitatem Sueuicam affectabat. Albertus enim à Baba filia Ottonis ducis originem sibi pollicebatur: ut Gotfridus, Vrspergensis, & multi eruditorum dixerunt. Patre uerò nobilissimo Sueuorum duce à priscis genus suum trahente nitebatur. Hic etiam Albertus suæ stirpis nobilitate frui uoluit: Lupoldum Marchionem Austriæ, qui se ducem Sueuorum & omnem suam posteritatem inscribi fecit, Hermannum primum socerum Lupoldi, Ottonis primi filij, ac Conradum Sapientem ad sui generis nobilitatem reduxit, qui è Baba genus eorum deduxisse ferebantur: sicuti Austriæ Annales perhibent. Alij tamen Lupoldum, Hermannum primum & Conradum à quodam Ruperto parente gloriari testantur. Lector ex suo ingenio calculum addat uel demat: ipse ad lineam unde digressus sum, redeam. Conradus, quia Alberti copiam non habere potuit, Reinoldum fratrem eius occidit. Iratus Albertus, fraternę cædis impatiens, & ipsum Conradum eodem affecit supplicio. Luduicus ultimus sui nominis rex, Arnulfi Imperatoris filius, ut fratrem temerè occisum ulcisceretur, Albertum bello persequebatur, cuius facultate dum nequiuit potiri, ductu & auspicijs Hattonis Moguntini archiepiscopi, dolo & fraude interceptũ, & uerbis fallacibus, & spe componẽdi fœderis lactatum, acquisiuit, & in sua iura redegit Albertum, de quo capitis supplicium sumptum est. Tunc temporis Richardus Sueuorum dux memoratur, qui natione Burgundio ferebatur, secundum quosdam Anglicus, & Erkingerus cum sororio suo Linfrido in Sueuorum principes abiuerunt. Verùm hi à Conrado rege Conradi occisi filio decollati sunt. Semper enim odia maiorum in posteris etiam sese exercebant. Conradus igitur ut ducatum iterum in suam progeniem redigeret, masculina prole carens, suam filiam Burkardo Sueuorum duci copulauit, qui Richardi ducis prius à nobis allegati filius extitit. Hic Burkardus filiam suam Bertham Rudolpho tradidit, cui & Sueuię ducatum reliquit. Fuit eadem tempestate annis Rudolpho æqualis Hermannus Sueuiæ dux, qui ducatum Sueuiæ uniuersum possedit, & Hermannus primus dictus

est.

est, frater Lupoldi Marchionis Austriæ, & ut prius adduxi, è Baba & priscis Sueuorum ducibus originem referens. His temporibus Ottonis primi, multa prælia feliciter Cæsari confecit, strenuissimus ac multa prudentia præditus, & dignitate, unicam eius filiam prolis masculinæ expers, Itam nomine, Ludolpho Ottonis filio, unaq; totum Sueuiæ ducatum tradidit, Vrspergense teste. Sic ducatus Sueuiæ ad Saxones deuenit, post Lupoldum Burkardus tertius Sueuiæ dux euasit, ratione uxoris eius Hetuidis, quæ neptis imperatoris Henrici Aucupis, ac filia fratris primi Ottonis memorabatur. Aiunt quidam genitorem illius natione Bauarum fuisse, & S. Vdalrici affinem, cuius mentio fit in uita S. Vdalrici, & quòd nocte in somno gladium uiderit. Hic Burkardus sine prole defunctus, ducatum Ottoni, filio Lutolphi ducis Sueuorum iam adulto reliquit, cui Cunradus quidam successit, inde Hermannus secundus, secundum aliquos de genere primi Hermanni, qui Gerbirgam Cunradi regis Burgundiæ filiam in coniugem duxit, cui successit Cunradus filius eius, inde Hermannus tempore Imperatoris Cunradi secundi, qui illius Hermanni filius, secundum aliquos Sueuiæ dux erat: à Lutolpho enim paternam originem duxit, duce Sueuorum, ac Ottone & Hermanno: maternum uerò genus (non inficior) à Cunrado Vuormaciensium duce, qui ab aliquibus Francus fuisse conuictus est. Bene ergo Platina, Blondus, & Aeneas Syluius, Cunradum hunc Sueuum probauerunt, licet Otto Frisingensis Francum. Hic Hermannum uxoris eius ex Ernesto filium suum priuignum Sueuiæ præfecit, ut Annales Austriæ testantur. Inde Otto de Sueinfurt, ac Rudolphus de Pfullendorff, alterius generis & stirpis assertores, Sueuiæ contigerunt. Postquam Hermannus prædictus sine prole è uita excessit, & iterum ducatus uacabat, Henricus tertius Imperator, Rudolpho de Reinfelt, nepoti suo ratione filiæ, quam Cunoni eius parenti coniugio tradiderat, Sueuiam obtulit. Hic patruo suo Henrico quarto in multis prælijs socius affuit: postremò tamen ipsum bello prosecutus est, à quo occisus: omni prole uirili destitutus, unicam filiam Bertholdo de Zeringen copulauit, qui Sueuiæ ducatum ex promisso imperatricis affectauit, non tamen obtinuit. Fridericus enim de Stauffen comes, gener Henrici quarti, ob Agnetem eius uxorem, Bertholdum præuenit. Huic successit Fridericus monoculus filius. Inde Fridericus primus, inde Henricus sextus, cuius fratribus occisis, Friderico secundo detulit ducatum filio suo, è quo filij duo, qui ex concubina nati fuerunt, omnes legitima uxore natos ueneno necauerunt, tantùm superstite Conrado, postea Cæsare, qui relicto unico filio Conradino, fatali lege morti concessit. Conradinus ultimus Sueuiæ dux, cōtra Carolum Andegauensem Siciliæ, quam ratione matris possedit, occupatorem, cum Friderico Marchione Badensi, ac duce Austriæ profecti, Neapoli capite tusi & sepulti sunt, anno ætatis eorum decimooctauo, Dominicæ uerò natiuitatis millesimo ducentesimo sexagesimooctauo: & quia in eo omnis stirps defecit, nullus hactenus Sueuiæ dux factus est. Desierunt ita nobilissimi duo ducatus, Sueuiæ uidelicet in Cunradino, atque Austriæ ducatus in Friderico, nisi quòd Rudolphus de Habspurg Austriæ ducatum reduxit: potuisset & Sueuiæ ducatum suo generi asciuisse: nullus enim tunc principum eo consanguinitatis iure, quo Rudolphus, & necessitudine, ducibus Sueuiæ fuerat coniunctus. Multæ fuerunt in ducatu Sueuiæ ciuitates, quæ nunc aut imperio, aut Bauariæ ducibus subijciuntur. ducatus enim diuisus est: plurimam partem dux Vuirtenbergensium occupauit, non tamen titulum ducis Sueuorum ab imperatore meruit. Hæc autem quæ de ducibus Sueuorum posuimus, ex Gotfrido, Vrspergensi, Rheginone, Hermanno, Ligurino, Radeuico, Ottone Frisingense, Abbate Spanheimense, Peutingero, Aenea Syluio, & multis An-

Finis ducatus Sueuiæ.

 nalibus

nalibus habuimus, nisi quòd nostro æuo Nauclerus de Sueuis proprios libros edidit, & Berno quidam Abbas multa uolumina de ipsis conscripsit. Sunt & priuati quidam Annales Sueuorum, qui à Curio Romano ipsos deducunt. Bebelius poeta illud irridens, à nullo (inquit) Curionis imperatoris fieri mentionem, & anile commentum esse testatur. Nullus Imperator à rerum scriptoribus appellationem Curionis assumpsit, ut liquidò constat. Legimus tamen Pompeij temporibus Curionem quendam proconsulem, ad Danubium primum Romanorum imperatorum omnium profectum, ut Festus Ruffus, Aurelius Victor, & Iustiniani Cæsaris enarrator, copiosissimè testantur. Ego illorum sententiæ libentius accederem, qui Sueuorum antiquitatem non in Curionem, uerùm potius in ipsos Germanos referunt. Hæc autem quæcunque attulimus ueterum auctoritate nixi, & quàm plurimorum Annalium rationibus confirmauimus. Vt autem materia quam de Sueuorum regibus concepimus, se latius aperiat, non dissimulanda est Iornandis scriptoris uigilantissimi de ea re sententia, qui longè clarius Sueuorum reges illustrauit, & quorundam memoriam prorogauit, à qua reliqui scriptores recesserunt. Dum libris ueterum nitor, facilè consequor Sueuorum regum memoriam à temporibus Iulij usque ad inclinationem imperij Romani. Qui autē Theodosij aut Valentiniani sæculo usque ad Pipinum numerentur, nullus explicauit, secluso in hoc solo Iornande, apud quem Theodericus Visogotthorum rex, illius Theoderici filius, qui in bello contra Attilam occubuit, Sueuiæ regem contra suos hostes iuuit. Vnde claudente ultimum diem Sueuorum rege, ipse regnum in sua iura redegit, ac Turismundum filium huic præfecit, sub cuius posterioribus plus ducentis annis Sueuia moderabatur. Nunc ad strategemata Sueuorum digredior, quæ quamuis non dubitem, quin ad amussim ab Vrspergensi sint elaborata: in transcursu tamen quæ nobis obuientur, operi nostro allegabo. Multas Sueuorum expeditiones contra Danos, Saxo Grammaticus affert, in quarum numero octo recensentur grauissimæ. Cunradus tertius sui nominis imperator, accepto nuncio de obsessione ciuitatis Edessæ per Saracenos, nomen suum in militiam dedit, & adiuncto Ludouico Francorum regi ac Balduino regi suo exercitu, Iconiam intercepit, Damascum Syriæ metropolim recuperauit. Perfidia demum Emanuelis, Constantinopolitani imperatoris, in Europam regredi cogebatur. Quid Fridericum primum Sueuum memorem? qui capto Adriani ponte, Romam, Mediolanum, Venetias sollicitabat, Cremonam ac Galliam Cisalpinam terruit, Anconam ac Philomenam è iure Turcorum sustulit, Armeniam minorem in suam ditionem redegit. Quis Philippi Sueui regis dispendia contra Ottonem quartū, ignorat? Erat huic Philippo frater Cunradus, qui contra Bertholdum Zeringensem mouit expeditionem: quem & armis exagitasset, nisi repentino fato concessisset. Omnes etiam imperatores, in his quæ uirtutis & claritatis sunt, longè post se Fridericus secundus reliquit, qui Ancona urbe populata, Damiatam urbem à Soladino captam, & omnes Barbari conatus fregisset, nisi Honorij tertij Papæ ratio aut potius nequitia, ipso in limine obstitisset. Parmam tamen & Armeniam recuperauit, Russiam & Garam amplissimas regiones à Turcorum incursionibus liberauit, totam Italiam Gibellinorum ac Vuelphorum facta discordia castigauit.

De ducatibus Gelriæ ac Iuliacensi. *Cap.* 71.

Comitatum Gelriæ.

GElrenses olim Austrasiæ regibus, ut quidam uolunt, subiecti fuerūt: id autem manifestum est, quòd postquam ad nos Imperium deuenit, Vngaris deuictis Henricus in comitatum eam reduxit, anno Incarnationis 935. Primus

comes

comes Begrinus nominabatur, cui temporibus Ottonum Mendosus successit, ut monasterium Gelriæ in eius memoriam exequitur, inde multo tempore exacto, quis præfuerit Gelriæ, non penes ullos scriptores est: Gerlacus tamen à quo Gelriam dictam uolunt, Gelriæ deferebatur comes, à quo nostra Genealogia principium sumptura est. Illius posteritas recta linea ac ordine semper subsecuta est, usque ad Reinoldum ac Eduarum, qui sine uirili stēmate excedentes, Vuilhelmo de Gulch sororio reliquerunt ducatum. Erat enim in ducatum redactus comitatus ille à Ludouico Cæsare, anno Salutis 1329. & primus dux Reinoldus erat, pater Eduari ac Reinoldi prædictorum, ac ultimorum illius prosapiæ ducum. Erant itaque coniuncti Menapiorum ducatus, Gelrensi ductu Caroli quarti Imperatoris anno Domini 1274. nec diu tamen sub eadem prosapia incaluerunt: huius enim Vuilhelmi filij Reinoldus ac Eduarus, unà cum morte uitam & ducatum exposuerunt, uirili prole carentes in manus Imperatorias seposuerunt, anno Incarnationis 1422: nec plus duodequinquaginta annis, sub præmissa stirpe ducatus permansit. Ambo ducatus ducibus carentes, ad duces Bergenses uenerunt: postea diuisi, Gelria Arnoldo Egmontensi ductu Sigismundi Imperatoris, ac Salutis anno 1426 cesserat, post cuius obitū ad Adolphum, & post hunc ad filiū eius Carolum redacta est, qui & hodie eo potitur. Imperator enim in principum consilio, prædicto duci ducatum uoluit intercipere, ac ipsum dominum de Egmont appellari. Verùm regio ipsum defendit. Iuliacensis uerò ad duces Bergenses, à quib. & nostro euo tenetur, translatus est. Id etiam uerum est, Burgundiæ ducē præfuisse Gelriæ Carolum, post cuius obitū Catharina uidua, Adolphi ducis soror, ducatū administrauit, quousq; Carolus ille captus, liberatus est. Hæc de ducibus illis. Est autem Egmont dominatus, ac penè pars maxima Gelriæ.

De strategematibus ac incremento ducatus Gelriæ. Cap. 72.

NEc à nobis prætereunda sunt ducum illorum strategemata: fuerunt crebra eorum aduersus Brabantinos prælia, ut natiuitatis Dominicæ anno 1339. Sæpè episcoporum Coloniensium partium fuerunt, aduersus ciuitatem, non sine ingenti iactura. Reinoldus enim dux anno Domini 1288 à Ioanne duce Brabantino captus, Lympurg, Vuasserburg, Zupff, deperdidit. Arnoldus dux ad 30 annos Friderico III repugnans, depositus est, ac Carolus Burgundiæ dux, Gelriæ abacto Arnoldo consecrabatur. Verùm operam ac oleum Carolus perdidit: inexpugnabilibus enim tribus aut quatuor ciuitatibus, Gelriæ dux animatus, dū nihil amittere poterat, toti Germaniæ inferiori rapinis ac incursibus respondit. Succesit Arnoldo Carolus, animo ac ferocitate patrē præ se ferens, qui ad tot annos, nullum inferioris Germaniæ ducem, bellorum reliquit immunem, nec hodie bellorum ac cōficiendorum hominum eum pudet. Sumpsit autem Ottonis Gelriæ ducis tempestate incrementa ducatus ille maxima. Communes Arnheim, Rugemond, Haderuuic, Gothbamel, Vuagenstige, tunc temporis uillas, muro inuestiuit, ac ciuitates cōsecrauit. Ille idem Nimmagen ciuitatem Imperialem, anno Domini 1248, ductu sororij eius Vuilhelmi Imperatoris, magno conflato auro redemit. Monasteria plura condiderunt Gelrenses, ueluti Greuental monialium locum, Cistercienfis ordinis, ubi Gelriæ ducum sepulchra uidentur.

Gelria contra Brabantinos.

De ducatu & ducibus Iuliacensibus. Cap. 73.

DAtæ modò satis sunt partes Gelriæ ducibus, quibus statim putabam duces Iuliacenses, ob ducatuum amborum uicinitatem ac unitatem, esse annectendos. Diu enim ab uno duce ambo moderabantur. Hi à Sigifrido episco

po Colonienſi equites aurati olim conſecrabantur, ob immenſam uirtutē bellicam Aquenſibus præſtitam, à quibus lege ſanctum tunc erat, ut ſoli Iuliacenſes propoſiti Aquenſes initiarentur. Olim comites fuiſſe feruntur. Ludouicus Cæſar eos in Marchiones, Salutis anno 1329 ſublimauit, & paulo poſt in duces anno ab illo prædicto 30 euaſerūt. Primus dux Vuilhelmus nominabatur, qui Gelriæ ac Iuliacenſibus diu præfuit, inde, ut dixi, ad comites Bergenſes ducatus ille deuenit, penes quos manſit uſq; ad noſtra ſæcula, annus uidelicet poſtquam 1499 agebatur. Vuilhelmus inde Iuliacenſium dux, unicam filiam ſuam coniunxit Ioanni, Ioannis ducis Cleuenſis unico filio, & ita tres ducatus coniunxerunt, Bergenſem uidelicet, & Iuliacenſem, qui prius erāt copulati, & modò Cleuenſem.

De ducatu Bergenſi. Cap. 74.

Bergēſes Marchiones.

DIximus ad Bergēſes deueniſſe Iuliacenſem ac Gelrenſem ducatus: libuit igitur & illorum hîc meminiſſe. Bergenſes olim in comites abiuerunt: exuto enim Henrico Superbo Bauariæ ac Saxoniæ ducatibus, Fridericus primus in Bergenſem comitatum Engelbertum eorum præfectum ac comitem Bergenſem multis prædijs dotatum dimiſit. Horum comitatum inde Carolus quartus in Marchionatum tranſtulit, anno Salutis 1356. Primus autem Bergenſis dux Vuilhelmus, ſecundus Arnoldus, à Vuenceslao Cæſare ſunt conſtituti. In bello inde Colonienſi contra epiſcopum, Ioannes filius Henrici, Limburgenſem ac Bergēſem ducatus ad Brabantinos armis cōtulit: quia hi partes epiſcopi ſecuti fuerant, anno 1358. Ita aūt Bergenſis dñatus ad Iuliacenſes deuenit: Theodericus em̄ Gebhardo Iuliacenſi, pro Bergenſi dominio mutuo pecuniā dedit, eo pacto, ſi ſine filijs obiret, ut iterū ad epiſcopatum Bergenſis ducatus rediret. Succeſsit autem res, ut huic filius natus fuerit: ita Bergenſes Iuliacenſibus manſerunt.

De principibus Cleuenſibus. Cap. 75.

Cleuenſis ducatus.

CLeuenſes olim ſub regno Auſtraſiæ comprehendebantur, eorum dominatus inde ſub Ottonibus eſt inſtitutus: & ut annales Colonienſes aiunt, in concilio Conſtantienſi, princeps eorum in ducem ſublimatus eſt, anno 1418. ductu Sigiſmundi Cæſaris, primi ducis nomen Theodericus tulit, à quo penè omnes poſteriores Theoderici dicti ſunt: nunc iunctus eſt ducatui Iuliacenſi, per Ioannem Cleuenſem, qui filiam accepit Vuilhelmi ducis Iuliacenſis. Huius pater etiam Ioannes ferebatur. Alij Adolphum primum ducem fuiſſe dicunt, in concilio Conſtantienſi conſecratum, cuius frater fuerat Gebhardus comes de Marchia. Filia eius domina de Bernheim dicebatur, quę Stephanum Ruperti regis fratrem in maritum deſumpſit.

De ducibus Lotharingiæ ac Brabantiæ, & eorum initio. Cap. 76.

De Lotharingia ac Brabantia.

LOtharingiæ ac Brabantinus ducatus olim coniuncti fuerant ſub Auſtraſiæ ducibus. Dagobertus inde anno Salutis 624 Pipinum primum Auſtraſiæ ducem ſeu regē rex conſecrauit, cui ſucceſsit Grimoaldus dux, qui occidebatur à Leutherio. Inde ducatus ad eius ſororem Beggam deuenit, uxorem Anchiſi, quæ marito eius ducatum attulit, ac inde ad huius inſtantiam, filium Pipinum ad eundem ſublimauit. Inde proximum locum tenuit in ducatu Carolus Marcellus, quem ſecutus eſt Pipinus, ac inde Carolus Magnus: huic ſucceſsit Ludouicus filius. Inde Ludouicus Lothario filio hunc tradidit, à quo Lotharingia nomen habet. Lotharius duos excepit filios, Lotharium ſcilicet quē

præfecit

præfecit ducatui. Lotharius inde filium Luduicum in regem unxit, Carolum uerò in Brabantiæ ac Lotharingiæ comitem initiauit. Illi uirili semine carentes, tunc Conrado imperatori ac eius parenti eiusdem nominis ducatus Lotharingiæ affectandi causas tribuerunt, referente Hermanno. Quibus, sine filijs è uiuorum numero excedentibus, Franciæ reges ducatus illos, ut maioribus eorum subiectos repetierunt. Otto uerò sui nominis primus, Cæsar, Giselberto collocata sibi in uxorem filia sua Gerbirga, ducatum obtulit. Volunt multi tūc primitus Lotharingiam in ducatum cessisse, ut Gaguinus & Coloniensiū Annales habent. Gisilbertus autem Ottoni suo socero rebellis, iuxta Brisachum absorptus est, Vrspergensi teste. Ducatus igitur Brabantinus ac Lotharingiæ ad filium eius ex Gerbirga susceptum nomine Ottonem deuenit. Meminit & eiusdem Henrici tunc Lotharingiæ comitis Vrspergensis. Otto inde sine semine uirili lumina claudens, Gotfridum Barbatium, quodam consanguinitatis gradu sibi necessarium, hæredem declarauit: frater enim hic erat Falconis filij Richmiri, ac fratris Giselberti. Memoratur & illius Gotfridi frater Bernardus ambo Ardennēses: & hic præfatus Gotfridus Lotharingis ac Brabantinis dux contigit, anno 988, Ottone è uiuis discesso, & post obitum eius anno 4, auspicijs Ottonis tertio, Cæsaris. Quis huic successerit, nisi Gotfridus ille de Bulion, anno 1083, à scriptoribus non allegatur. Hermannus scriptor Saxonum quendam Hermannum Lotharingis præfuisse tēpestate illa innuit, Conradi uidelicet & Henrici 3 Cæsarum æuo. Idem Henricus 3 Imperator Henrico de Limburg ducatus illos commisit, cui & filius eiusdem nominis successit, quo sine prole fatis cōcedente, ducatus Lotharingiæ ac Brabantinus ad antiquos dominos de Leuen, ductu & auspicio Henrici quinti deuenit, & sub ijsdem ut Gozilone, Gotfrido secūdo, tertio, quarto remansit, usque ad ultimum Gotfridum, Salutis anno 1083. cuius frater Henricus Brabantinum tantum ducatum moderabat, cui filius Ioannes primus successit, inde Ioannes 2 & 3 eiusdem nominis, qui etiam masculina prole deficiente hominem exuens, Vuenceslaum sororium suū successorem sibi delegauit, qui tamdiu ducatū Brabantiæ in manibus tenuit, quā diu in uiuentium numero uxor constitit: moriens uerò ducatum cum uita amisit, ac ducatus Brabantinus ad Ludouicum Flandrensem ducem redactus est, ob Margaritam uxorem, ducis Brabantini filiam, ac uxoris Vuenceslai sororē. Alij tamen, ut Coloniensium Annales, ad Antoninum quendam tūc deuenisse uolunt ducatum, ob uxorem Isabellam Vuenceslai filiam: alij hunc Antonium de uera linea ducum Brabantinorum dicūt, discruciāt alij. Id loco uerissimi habeo, hunc Antonium Brabantinorum ducem fuisse, cui successit Ioannes quartus, huius filius, Brabantiæ dux. Hic copulatus est Iacobæ fœminæ, Vuilhelmi ducis Hollandini filiæ unicæ, ex Philippi Burgundiæ ducis filia. Superfuerat igitur ea uxor tantū, ex omni Brabantiæ ducum affinitate, ac Ioanne duce Brabantiæ, marito eiusdem Iacobæ, fatis sine ullo semine concedente, Iacoba fratrem regis Daniæ matrimonio sibi copulans, spe consequendi ducatus. Mox Philippus Burgundiæ dux anno Salutis 1434, bello in ditionem suam breui tempore Hollandiam, Selandiam ac Brabantiam redegit. Gaguinus patrem huius Philippi Ioannem Brabātiæ ducem fuisse scribit: alij tamē usque ad Philippum filium eius distulerunt. Philippo successit Carolus filius, qui sine uirili semine discedens, tradita filia sua Maximiliano regi, permissu Friderici tertij Cæsaris, genero suo reliquit tam Burgundiæ, Hollandiæ, quàm Brabantiæ ducatus. Maximilianus Philippum filium initiauit in ducem Brabantinum, qui moriens filio suo Carolo hæredi iusto omnia mortis necessitate relicta commendauit, qui & hodie Brabantiæ præest.

Brabantia ad quos duces.

De

De ducibus Lotharingis, & eorum catalogus. Cap. 77.

De ducibus Lotharingiæ.

INterim dum in negocio ducū Brabātinorum occupati fuimus, penè Lotharingos duces à nostra memoria exclusimus. Diximus capite proximo, Lotharingiæ ac Brabantiæ ducatus in principio in unum ducatum euasisse, ac Lotharingorum nomen tunc obtinuisse ita, quòd ambo ducatus tantùm appellatione Lotharingorum constiterint. Gerbirga simul & Gisilbertus Lotharingorum ducum titulum prætulerunt, licet & Brabantiæ præfuerint. Itaq; ambo ducatus indiscreti usq; post Gotfridi de Bulion sæcula perueniebant, qui lege fatorum è uita discedens, Vuilhelmo fratri suo Lotharingiā commisit. Brabantia uerò penes comites de Ardennen tunc erat, quorum catalogū capite priori descripsimus. Ad ducatum Lotharingorum redeo, qui per Gotfridum à Brabantino seiunctus est. Hic Vuilhelmum fratrem, ut diximus, pręfecit. Alij multò antè ducatibus illis discretionem contigisse scribūt, Ottonis primi temporibus uidelicet. Mortuo enim Gisilberto, aiunt Raginerum cum Lamperto Arnuldum ac Garneum ducatus illius occupatores expulisse, Lotharium inde ac Carolum fratres pro recuperando ducatu laborasse, ac Ottoni filio Caroli eundem donasse. Quo mortuo, Gotfrido Ardenensi obuenisse Lotharingiam. Illius sententiæ Genblacensis est: alteri uerò accedunt Annales Coloniensium. Gotfridus de Ardennen Lotharingiam Eustathio Lulionensi copulata sibi filia sua in matrimoniū tradidit. Eustathius Gotfrido Lulionensi filio reliquit ducatum. Hic in regem Hierosolymitanū abiens, fratri suo Vuilhelmo commisit Lotharingiam. Cui succesit Theodericus filius, cui Theobaldus, inde Fridericus, Matthæus, Matthæus filius, Fridericus frater, Theobaldus, Foricus, Rudolphus Ioannes, Carolus, inde ob Isabellam matrem, Caroli filiam, Renatus Siciliensis in Lotharingiæ ducem sublimatus est, post quem sedes proximas tenuit Ioannes filius: hic sine uirili semine mortuus, Renatum Vuademontensem comitem, agnatum suum, ad ducatum hunc accersiuit. Renato Antonius dux succesit, quem nostra ætas adhuc uidet.

De sepulturis & rebus gestis ducum Lotharingiæ, & eorum titulis. Cap. 78.

Tituli ducū Lotharingorum.

POstquam à Brabantia Lotharingia semota est, creuit in immensum ducatus ille, ob crebram & festinatam illorum principū mutationē. Ostendunt se duces illi reges Hierosolymitanos, quem titulum eis Gotfridi Bulionensis uirtus concesit, regniq; Siciliæ nomen eis Renatus contulit. Vuademontensem uerò & Barrensem comitatus, comes Antonius, cætera Ioannes, Carolus, Rudolphus, & alij, qui in Nansio eorum sepulturam erexerunt, ubi & Ecclesiā condiderunt, ac dotauerunt. Simon dux Lotharingiæ monasterium, Bellū pratum inscriptū, fundauit Salutis anno 1175, Indictione 20, tertio Idus Iunij, in die Ascensionis dominicę: cuius inhabitatores Cistercienses sunt. Illic etiam pręfatus dux sepulchro conditus est. Rudolphus dux in conflictu contra Anglos perijt. Memorantur multi episcopi à ducum illorum stirpe prosati, præsertim Metensium antistites, à quorum memoria modò recedamus. Si enim omnia quæ in decus illorum uerti possunt, quæreremus, semper à litore remoti, nunquam ad destinati finis terram nauigaremus.

De strategematibus ducum Brabantinorum ac Lotharingiæ. Cap. 79.

ORationem nunc de ducum illorū strategematibus dirigam. Lotharingiæ duces ante Ottonum sæcula, nihil memoria dignū elaborauerūt: Ottoni uerò

uerò primo Gisilbertus gener se rebellem gesfit, atque inita cum Eberhardo quodā coniuratione, postquā Imperatoris uires intellexit suis ualidiores, iuxta Brisacum in Rheno absorptus est. Hanc historiā Vrspergensis copiosissimè executus est. Gotfridus etiam Bulionensis, Lotharingiæ dux, Antiochiā Christianis militib. Christianitati adiecit, anno Incarnatiōis 1098. Inde Hierosolymitan9 rex consecratus est, ut prius indicauimus. Longo inde tempore Ioannes, Brabantinus dux, Reinoldum Gelrensem in bello quod contra episcopū Coloniensem gesfit, captiuum abduxit, & Limburgum, Vuasserburgum, Zupff, & multa ducatui Gelrensi ademit, anno Domini 1253. Brabantiam inde etiā omni uirili stirpe deficientem, Philippus dux Burgundiæ in ditionem excepit. Carolus huius nepos Renato Lotharingiæ duce fugato, rebus Lotharingiæ potiebatur: per Heluetios tamen repressus, ac ad ultimum mortis discrimen perductus est. Interim nulla uel pauca Lotharingorum prælia exuperauerant. Brabantinorū uerò eo plura referuntur. Vuenceslaus Brabantiæ dux contra Hollandinos grauissima bella confecit, ob id, quòd Hollandinus ille regionē suam à prędonibus permiserat undique infestari. Maximilianus etiam ante imperij sublimationē, seuerissimè penes Morinos ac Brabātinos sese bellis ostendit. Fuit Nicolaus Calabrię dux, qui assumpsit uxorē Ludouici regis Franciæ filiā, qua deposita, filiā unicā ducis Burgundiæ, consequendi ducatus gratia, in coniugē affectabat, cuius tamen spes exitu caruit: prius enim morte præuentus obiuit. Dux igitur Burgundius initiari uolens in ducem Lotharingensem, præuentus est à Vuademontensibus, ab eorum comite Renato, ex parte matris Renati Calabriæ ducis, nepote, unde prælia atrocissima inter Burgundiæ ducē ac Carolum sunt oborta. Demum occiso Carolo, Vuademontensibus ducatus ille remansit. Plures epistolę Philelphi circumferuntur, ad Renatum Lotharingorum ducem consecratæ.

Bellum inter Gisilbertum et Ottonem Cæs.

De ducibus Hollandiæ & Selandiæ. Cap. 80.

ET Hollandiam olim sub Austrasiæ regibus fuisse quidam obtinuerunt, cuius comitatum olim à Carolo Caluo institutum uolunt. Primus eorum comes Theodericus celebratur, ut in ducatu, ita & in suo nomine primus euasit: post quem rebus potitus est Theodericus secundus, cui Arnulphus successit, inde Theodericus tertius, Florentius primus, Theodericus quartus: qua tempestate Gertrudis Florentij prædicti uxor, ut filijs ætate imperio minus conuenientibus res integras conseruare posset, Ruperto Balduini ducis Flandrensis filio matrimonio se addixit. Theodericus quintus inde ratione præditus, postquam ad annos discretionis peruenit, eiecto Vuilhelmo episcopo Traiectensi, ac Gerlacho Gelrensi comitę, qui uiribus Hollandiam inuaserant, omnia sibi restituit, ac filium suum Florentium sui nominis secundum, hæredem cōscripsit, quem in comitatu subsecutus est Theodericus quintus filius, quem Florentius tertius, dein Theodericus septimus. Hic addicta sibi in coniugē Adelhaide, Theoderici Cleuensis filia, unicam gnatam nomine Adam reliquit, hanc Theodericus Leuensis in uxorē sibi deuinxit, ac Hollandiam occupauit: uerùm non diutius uxore sua. Postquam enim uita defuncta erat Ada, Vuilhelmus eius patruus, hæres uerus, Hollandiam recuperauit, quam iterum iusto hæredi restituit. Inde Florentio quarto filio suo in dominatu cesfit, qua hæreditate, Florētio fatis destituto, Vuilhelmus Cęsar functus est, filius prędicti Florentij. Vuilhelmum patrem subsecutus est Florentius quintus. Inde Ioannes filius, qui Frisiam totā penè armis sibi uendicauerat. Ioanni successit Vuilhelmus ultimus Hollandię comes, qui relictis filiabus, Mariā Reinoldo Gelrię duci, Ioannam uerò Vuilhelmo Flandriæ duci, ac Margaritam tradidit Ludouico Cæsari, masculino genere defraudatus. Imperat. ergo Ludouicus Salutis anno 1345.

Comites Hollandiæ.

Vuilhelmo filio suo Hollandiam concesſit. Vuilhelmo uerò ratione orbato, alteri filio suo Alberto comitatũ eundem adiunxit, cuius filiam unigenitam Eduarus Gelrię dux ſibi matrimonio copulauit: hęc Hollandiam usq; ad extremã sui senectutem sub iugo suo præuidit, tandem fatali lege decedens, multos ſpe conſequendi comitatus delusit. Affectabant in dominiũ Hollandiam dux Gelriæ, nec non Bauariæ duces, qui omniũ uerisſimi dominij referuntur: & eo tempore simul Selandiæ, Hãnoniæ, Hollandiæ ducatus recuperabãt. Vidi ipſe aureum numum à Vuilhelmo Bauariæ duce conflatum, cuius epigramma ſubſignatum talem formã sonabat: Vuilhelmus Bauariæ, Selandiæ, Hãnoniæ, Brabantiæ ac Holandiæ dux. Philippus etiam Burgundiæ dux, qui ob matrem suam Alberti ducis Hollandiæ uxorem, tum ob filiam quam nuper Vuilhelmo sexto ac ultimo Hollandiæ duci copulauerat, liti eorum intercedens, anno Salutis 1434, uniuerſam Hollandiam, Brabantiã ac Selandiam ui occupauit, quas in sua iura redactas inde filio Carolo reliquit. Philippus inde Auſtriæ dux ob Mariam matrem, Caroli ducis filiam, ducatui initiatur: multis tamen ac aſperis prælijs id redemit, cui & succesſit filius primogenitus Carolus, qui & noſtro tempore ducatibus illis præditus eſt. & hæc de illo. Vnum etiam quod noſtro æuo ducatui acceſsit, licet infauſtiſsimo omine, referre tamẽ in animo eſt. Poſtquam annus Salutis 1517 agebatur, poſt Pentecoſtes celebrationem, grex quidam ex multis hominum generibus conflatus, Hollandiam hoſtiliter inuaſit, optimas quasq; ciuitates spoliabat, prædis inde onuſtus discesſit, homines occidit, nec ad ſacratiſsimũ Saluatoris noſtri corpus, ut ad aſylum cõfugientibus pepercit. Miſerrimæ planè conditionis Hollandia, quæ tantos in uulnera eius sanguiſugos inuenit ſatellites, potuit hoc queri de illis, quod quondã tota Germania de Attila. Selandia etiã ſemper Hollandiæ ducatui fuerat ſubiecta, ac ſub ea comprehenſa: quare nihil de ipſa ſtatuere uoluimus.

De ducatu Limburgenſi, ac comitatu Hannoniæ. Cap. 81.

Limburgenſis ducatus. LImburgenſis ducatus, Aquiſgranæ uicinus, olim comitatus, ab Henricis Imperatoribus conſecratus dicitur. Huius comes primus Henricus fuiſſe aſſeritur, qui filium ſuum Henricum, poſt Gotfridum Ardennenſem, ductu Henrici quarti Imperatoris, Lotharingiæ ducem initiauit, cui & ſucceſsit Henricus filius, quem tamen Hermannum, Hermannus Saxonum ſcriptor nominare uidetur. Hic ſine maſculina ſobole fata ſoluens, comitibus Louanienſibus hæreditatem reliquit. Alij tunc temporis ad comites Gelrenſes eorum comitatum ueniſſe arbitrãtur, quibus & ego ſuffragor. Multo inde tempore præterito, Ioannes dux Brabantinus, Henrici filius, rem contra Reinoldum Gelriæ comitem, qui partes epiſcopi Coloniẽſis contra ciues ſecutus fuerat, gerẽs, uictoriæ compos, ac duce Gelrenſe potitus, eum captum abduxit, Salutis noſtræ anno 1293. Compoſitis inde ſoluendi ducis conditionibus, multa ducatus Limburgenſis, Vuaſſerburgum quoq; ac Zupſt Gelrenſium princeps Brabantinis relinquere compellebatur. Hannoniæ uerò comitatus multa antiquitate præditus eſt, ac olim amplior, nunc exiguus, argumentum ex eo cepimus: olim enim Franciæ reges eorũ connubia non aſpernabantur. Balduinus enim Flandriæ comes ex Aliza matre filia regis Franciæ genitus, Richildam Hannoniæ comitis filiam ſibi propriam dicauit. *Hannonia ad Flandriam.* Inde totus comitatus Flandriæ ad Hannonienſes duces peruenit, per Balduinum Hannoniæ comitem, ob Margaritam uxorem filiam Theoderici, ut Gaguinus, & alij teſtantur. Vnde & hodie coniuncti ſunt. Aliquando diuidebantur: Margarita enim filia Balduini regis Hieroſolymitani, Guidoni filio tradere uolens comitatus ambos, ac Ioannem omni paterno iure exuere, à Vuilhelmo rege ſocero Ioannis compulſa eſt ad dan-

dum

dum Hannoniæ comitatum Ioanni, Ioanne uerò sine liberis decedente, Hannonia iterum Flandriæ coniungebatur.

De comitatu Flandrensi, & eorum comitum catalogo. Cap. 82.

HActenus inter inferioris Germaniæ ducatus constitimus, antequam ab ipsis recedamus, moram prius in comitatu Flandrensi paulum teneamus, quo potitus est Lutericus primus, anno 782. qui accepit in uxorem Lotharij quarti filiam nomine Flandram, à qua nomen comitatui contigit: post quem Antonius, cui filius suus successit, inde Andaquercus. Et hi primi præfuerunt Flandriæ. Filius autē Andaquerci Balduinus, accepta Iuditha Caroli Calui filia in uxorem, primus Flandriæ comes euasit, à socero institutus, referente Hermanno scriptore. Huic succeßit Balduinus Caluus, inde Arnoldus tertius comes, cui Arnoldus quartus, inde Balduinus, cui rursus Balduinus sextus, qui tres habuit filios, primus Arnoldus, secūdus Balduinus: & hi contra Flandrenses pugnātes comitatū perdiderunt. Tertius tamē filius Rupertus eā recuperauit. Extitit hic septimus comes: hunc secutus est octauus nomine Rupertus, & postea filius eius Balduinus nonus in ordine, ac ultimus stirpis huius terminator. Inde Flandriam Kanutus rex Daniæ suo iuri subiecerat, ut Hermannus egregiè exequitur: alij tamen Balduinum morbo comitiali affectum, naturæ soluisse perhibent, ac Dantzensem ducem, ob uxorem, Balduini prædicti matrē, ad comitatum euasisse. Illius sententiæ assertor est Gaguinus in Francorum historia. Succeßit huic Tetricus nomine dux ac comes Flandrensis. Inde nominis eiusdem Tetricus, qui unica relicta filia Margarita, Balduino Hannoniæ comiti hæreditatem addixit. Ante Tetricos etiam Carolum ultimi Balduini nepotem, ac Vuilhelmū Iprensem Caroli prædicti generum, comitatui præfuisse constat, uerùm paucißimo spacio temporis: mox enim ad comites Hannoniæ Flādria deuenerat. Carolus. n. partes Ludouici regis Franciæ secutus, à Bochardo ac Beriopo occidebatur. Ad Balduinū Hannoniæ comitem redeo, qui Ruperto contra Philippum adhęrens, obijt, comitatū Balduino filio reliquit. Hic rex Hierosolymitanus initiatus, Ferrando Portugalliæ duci genero suo, ac Philippo Namurco comiti destinauit regionem. Hic Namurcum Hannoniæ ac Flandriæ comitatibus copulauit: Ferrandus uerò dux contra Philippū regem Franciæ agens, pro Angliæ regno, captus est, uxor eius oppignorato Gotfrido Brabantiæ comite obside, uirū è carcere redemit. Quo fatis destituto, Balduinus quidam Pseudobalduinum genuina prole prognatū, se falsò simulans, à Flandrensibus consecratus est in comitem: detecta uerò eius malitia, capitali pœna in eum est animaduersum. Interim Margarita Balduini regis Hierosolymitani filia, diu sola comitatū præuidens, Vuilhelmū Danipetrū uirum eius, in tutelam huius assumpsit, cui & duos filios partu edidit, Guidonem, cui rerum summam uendicabat, & Ioānem, sibi ob affectandi comitatus suspicionem offensum, exilio mulctabat. Ioannes uerò auspicio Vuilhelmi soceri Romanorū Cæsaris postliminio in patriam rediens, æquis conditionibus Hannoniā impetrauit à matre, relicta fratri Guidoni Flandria. Ita iterū coniuncti comitatus illi discernebantur. Guido aūt ac Rupertus, ob seditionem ab ipsis motam, à Flandria submouebantur, post quos Iacobus comes S. Pauli in eundem locū sublimatus est. Verùm ob quotidianam molestiam ac tyrannidem, qua ciues premebat, seditionis cuiusdam potentißima causa extitit. Nam Rupertū Bulionensem comitem è uiuis sustulerat, qui comitatū expulso Iacobo receperat. Hic cū Guidone Namurcensi habenas usque ad extremam senectutem flexerūt, tunc tertiò comitatus ille præside destitutus est. Nam Ludouicus Niuernēsis affinitate quadam Ruperto præfato comiti deuinctus, comitatu illo potiri postulabat,

Flandria unde.

bat, diu ob simultatem quam aduersus Philippum Pulchrum regem Franciæ aluerat, eo frustratus est: demũ uoti compos, rerum summa potitus, instante ultima necessitate, Ludouicum Marensem filium declarauit hæredem: sic Niuernensis, Marensis, Retelensis, Namurcensis comitatus copulabantur. Ludouicus autem ille absq; masculina prole hominem exuens, unicam filiã Margaritã Philippo Burgundiæ duci Ioannis Francorũ regis filio, omni iure hæreditario addicto, deuinxit, ac omni eius affinitate fatorũ lege soluente, nec quicquã præter uxorẽ Margaritã in uiuis remanente, suo genero Philippo, inuadendæ Brabantiæ præstitit occasionẽ: nec id exitu caruit. Postq; enim Ludouicus naturæ opus expleuit, ac nihil ducum Brabantinorum sobolem plus olebat, Philippus ob matrem, Vuilhelmi ducis Brabantini filiam, sibi ducatũ desumens, Lemburgensem ac Brabantinũ ducatus suo patrimonio annexuit. Quæ omnia Ioanni filio hæreditatis eius cõsorti destinauit Ioannes Philippo, Philippus Carolo filio. Carolus Lutzelburgensi comitatu ac Lotharingorũ ducatibus partis, uirili progenie carens, Philippo Austriæ duci ob filiam Mariam, Maximiliano parenti in matrimonium locatam, addixit: quibus rebus omnibus consecutis, Philippus ille omnium quos sol uidit, se maximũ principem gessit, ut in eius panegyrico Roterodamus noster ostendit. Proauus eius Hollandiam, Selandiam, Frisiam, & totam Germaniã penẽ inferiorem, Salutis anno 1434, in ditionem redegerat, omnium illorum dominus Philippus constitutus est. Accesserat eius potentiæ Hispaniẹ regnum, ob Ferdinandi regis filiam, ac Austriæ archiducatus, paterna hæreditate relictus. Adde quòd Romanorum rex ab Electoribus declaratus, omnes quos terra produxit, diuitijs, firmitate corporis, ac omnibus boni numeris excessit: ueneno necatus, duos filios post se reliqt: unũ Hispaniæ præfecit, alium Burgundiæ, ac totius Germaniæ inferiori constituit moderatorem. Misera mortalium conditio est, & omnium miseriarum generum refertissima, & tunc miserrima, quando illos quos in altum euntes, omnibus felicitatis partibus consummatos, repentino casu destituit. Occurrit Philippo illi accersita ac subita mors, in primo honorum ac ætatis eius uestibulo.

De potentia comitum Flandrensium, & ducum Germaniæ inferioris, eorumq; bellis. *Cap.* 83.

Caroli ducis Burgundiæ gesta.

VIbrante adhuc recenti principis Philippi, omnium maximi, memoria, fas uidetur maiorum suorũ potentiam ac uirtutem qua nitebantur, in mediũ afferre. Contigit Philippo maternus auus Carolus, Burgundiæ dux, qui terribilissimi nomen ob immensa eius facinora tulit. Regem enim Angliæ in Francorum regem exasperauit, Franciæ regem è suis finibus expulit, quem & è Parisijs excedere compulit. Fuit hoc potentissimi animi indiciũ, ducem Lotharingorum bis exulem fugauit, imperiales quasdam ciuitates ad extremam sui desperationem redegit. Demum tamen in Lotharingia uiribus suorum militũ destitutus, Heluetijs pœnas sanguine proprio dedit Salutis anno 1477, sub Epiphanię Domini festo. Scripsit huius rei orationẽ testem, Rudolphus Agricola, uir in omnibus eius scriptis sanctus, cuius memoriã non sine magna admiratione facere possumus. Quis Caroli patrem Philippum ignorat, qui Ropertum Gaguinum uiderit? Fuit Philippo illi parens Ioannes, omnis simultatis causa, quã adhuc principes nostri sæculi inter se diuersi agunt & exercent: demũ tamẽ à consanguineo suo Ludouico occisus, nequitiæ suæ pœnas pendit. Cæterùm Flandrenses plurima bella aduersus reges Francię expleuerũt: Balduinus enim Philippi Namurcensis cognatus, contra Philippum insurgens, non tamen sine sui detrimento concidit: Ferrandus inde comes à rege Franciæ interceptus est. Ropertus & Guido grauissimis bellis insultauerunt, Rupertus Claromõtensis

unà

unà cũ duobus millibus extremum diem obiuit. Gotfridus Brabantinus & Ioannes Hannoniæ comitis filius telis destituti sunt. Aiunt tunc Francorũ 12 millia desiderata concidisse. Brugenses ac Flandrenses uictoriæ cõpotes, uictoria qua nitebantur elati, socio eorum comite Guidone, Atrebates ac Gandaum in ditionem eorũ redegerunt, ac Philippo Pulchro regi Franciæ dispendia grauissima intulerunt, quorum iactura percitus Philippus, pugnam iterum renouabat, & Flandrensium millia 15 apud S. Adomarum castris exuit, ac è uiuis sustulit. Regi tamen duo fratres Iacobus atq; Philippus in prælio remanserunt exangues. Inde Valesij Philippi æuo, octingenti Flammingorum ac Flandrensium armis nudati, oppetierunt.

De comitatu Lutzelburgensi. Cap. 84.

LVtzelburgenses olim Brabantiam in potestatem nacti fuerunt. Multi sub Lotharingis olim fuisse Lutzelburgenses uolunt. Multa etiam connubia cũ Flandrensibus coniunxerunt, Guichardus dux Lutzelburgensis filiam suã Erinnam Balduino Barbato addixerat. Inde postquam ad eos imperium deuenit, Bohemiæ regnum ad se traxerunt, cui 130 annis præfuerunt, referente Aenea Syluio. Inter eorũ imperatores, duo eis contigerunt, rationis ac naturarũ diuersarum diuersissimi. Vuenceslaũ enim nemo ignauia superauit, cuius & nomen saltem nobis ignauiam uidetur inferre. Recesserat hic ab omni imperatoria præstantia, literarũ ignarus, imperio plus obfuit quàm profuit. Contrà huius frater Sigismundus, diuino ingenio præditus, omnes imperatores in disciplinarum cognitione procul post se reliquit, priscos superabat, futuros docuit. Præterea benignissimus, patientissimus, liberalitate, bellica quoq; uirtute nulli cedens, imperio dignus meruit, cuius tempora nullus unquam damnauit. Hussitanos præterea compescuit, orbem penè terrarum peragrauit. *Lutzelburgensis comitatus.*

De Boloniæ, Louaniensi ac Ardennensi comitatibus. Cap. 85.

BOlonia inferioris Germaniæ comitatus dicebatur. Comites illi nobilissimi olim meruerunt, ad quos uniuersa tã Lotharingia quàm Brabantia per uenerant: quibus demum Hierosolymæ regnum destinabatur. Papam nomine Stephanum ante Fridericum dictum, aluerunt, ut Platina, Vrspergensis, ac alij collegerunt. Ex eorum progenie nobilissimus ille Gotfridus processit, ac omnes demum reges Hierosolymitani. Olim Boloniensium dominium ad comitatum Flandriæ attinebat, itaque conueniebant inter se, ut seniori filio Brabantia cederet, reliquo Bolonia. Hinc est, quòd Adolphus comes Boloniæ præfuerat, Balduini comitis Flandriæ filius. Michael Ricius illos comites de Bulion uocat, quod magis uulgari consonat. Blondus uerò in gestis Venetorum, Gotfridum, Boliognum corrupto uocabulo nominat. Sabellicus uerò comitem Boniæ, ambo uocabulorum Germanicorum ignari, nomen Boloniæ corruperunt. Lotharingorum Annales nõ Bulion, uerùm Boloniam dominiũ hoc dici debere obtinẽt. Castrum Bulionense à Gotfrido rege Hierosolymitano, Oberto Leodiensi præsuli uenundatum est mille & trecentis marchis, ut eorum Annales testantur. Louaniensis comitatus olim ad Brusellensem pertinebat. Inde ad comites Ardennenses deuenit: Gotfridus aũt Ardennensis nacto Brabãtiæ ac Lotharingiæ ducatu, Louaniensem comitatũ Brabãtino ducatui adiecit, penes quẽ & hodie est. Fuit aũt potissima Brabantiæ pars, ita quando filij duo in hæredes eligebantur, seniori Brabantia, iuniori Louaniensis comitatus obuenerant. Ardennensis comitatus inferioris Germaniæ celebratur, ad cuius comites Brabantiæ ducatus redigebatur, ductu Ottonis 3, anno 1489. Fuit autem commune quasi illis comitibus nomen inditum, ut Gotfridi dicerentur. *Boloniæ comitatus.* *Louaniensis comitatus.* *Ardennẽsis comitatus.*

De ducatu Mechelburgensi, Vuirtenbergensi & Pomerania. *Cap.* 86.

Mechelburgenses.

MEchelburgenses olim comites tantùm feruntur, sub Saxoniæ ducatu partim, partim sub Pomerania cōprehensi. Hi anno 1349. duces initiati sunt, à Carolo 4 Imperatore, & primus dux eorū Albertus, secundus Ioannes dictus est. Fuerunt his nostro sęculo multa bella aduersus eorum subditos Rostockenses: duces uerò qui æuo nostro uixerunt, memorantur, Henricus ac Albertus fratres, quorum meminit Marschalcus in epistola quadam. Sororem eorū Annā Vuilhelmus Hassiæ Lantgrauius in uxorē sibi destinauit: Philippi Palatini Rheni filia nuper Mechelburgēsis duci Henrico nupserat. Vuirtenbergēsis uerò comitatus tātùm uidebatur olim. Eberardus primus dux à Cęsare Maximiliano cōstituebatur. Hos Gallię comites Otto Frisingensis nominare uidetur. Antiquissimi Vuirtenbergensium Eberardus & Vdalricus ferūtur. Eberardus ille ciuitatibus imperialibus repugnabat, qui à Marchione tamen Badensi cunctis ciuitatibus spoliatus est. Huius filius Eberardus anno 1325. Ecclesiā Stutgardiensem dotauit, eiq; erat uxor Irmergardis, Rudolfi Marchionis Badensis filia. Nobilitatur & alius Vuirtēbergensis comes Ioānes dictus, qui Rudolphi sui nominis primi Marchionis Badensis filiā sibi matrimonio iunxit. Ille Ioannes contra totum Imperiū unà cū Friderico Marchione se gessit. Fuit & Vdalricus comes qui anno 1342 Tubingam à Gozone & Vuilhelmo Palatinis redemerat. Omnium aūt antiquissimi Henricus & Conradus extiterunt.

Vuirtenbergenses.

De ducatibus Voitlandiæ ac Rotenburgensi nunc abolitis. *Cap.* 87.

Ducatus Voitlandiæ.

VOitlandiæ ducatus in montibus Bohemicis ex alia parte usq; ad Bambergam olim protendebatur, quorū princeps ultimus supra Mœnum fluuiū ditionem suā tenuit. Verùm à proprijs domesticis oppetijt, ac ducatus ille palàm expositus est. Potentissimus quisq; huius urbes tunc inuaserat. Asciuit sibi Herbipolensis præsul Schlusselfeldiū, Bābergensis uerò Holfeldiū, Norinbergenses Burggrauij Abenbergum, sicq; desijt. Rotenburgensiū præsides supra Tuberam in duces olim euaserant. Vltimus eorū dux Fridericus dictus, nepos Friderici Cęsaris, qui Scheftersheim monasteriū iuxta Vuickersheim diœcesis Herbipolensis condidit, & uillas quasdam, Eberhardesbrunnen scilicet ac Budelbrunnen eidē cœnobio contulit, præsentibus Poppone Burggrauio Herbipolensi, & Reinardo eiusdē urbis episcopo, Vigmannoq; Magdenburgensi præsule anno 1172, ductu & auspicijs Friderici primi, dein ad imperiū uenit, ut literæ habēt Friderici, quas in arce Schillingsfurst uidimus. Olim Rotenburgensis dux quinq; filios susceperat, primus Einhardus nuncupabatur, secūdus Rudigerus: qui monasterium Herbipolense & Rotesbergum in loco Tungental dicto erexerunt. Tertius filius Richardus ferebatur: quartus Bernardus Hildesheimensis præsul eligebatur: quintus uerò filius, Henricum episcopū Herbipolensem reliquit, & Herisbertū: Henricus pręterea ille episcopus Coloniēsis fundauit Ecclesiam in Anolspach, & in Haugis & S. Stephani. Burckardus de Rotenburg Cambergum molitus est, quæ Ecclesia dedicata est anno 1088, in die S. Thomæ. Frater huius Henricus S. Egidij erexit monasterium in monte Camberg, cui cœnobio tradidit Nuenburg, Visbach, Sultzdorff, & pleraq; alia.

Rotenburgenses.

Scheftersheim.

De ducibus Zeringensibus. *Cap.* 88.

NVnc Zeringensium ducum res aggrediar, quos Carinthiæ duces Vrspergensis perperā nominat, hi utrunque Friburgum erexerunt, ac penè toti

Brisgoiæ

Brisgoiæ præfuerũt. Hi Rudolpho ultimo duce desinente Sueuiæ, ducatũ affectauerunt, unde bella grauissima inter eos & totam Friderici primi prosapiam oboriebantur. Bertholdo enim duci eorũ nupta erat filia prædicti Rudolphi ducis Sueuiæ. Meminerũt huius Rudolphi Frisingensis libro 1, cap. 7, Hermannus, Nauclerus ac Innocentius de Elec. c. uenerabilem.

De regionibus Zaringorum ducatui subditis, & ad quæ dominia deuenerint. Cap. 89.

MAgna inter celebres authores lis est, de primo ducatus Zaringorum ortu: nulli inter se conueniunt. Volunt quidam à Friderico primo Cæsare primũ ducem fuisse consecratum. Vrspergensis autem, Hermannus & alij, Bertholdi Zaringiæ ducis meminerũt, Henrici tertij temporibus. Olim ducatus illorum totam Heluetiam comprehendit, Otlandiam quoq; : multa præterea in Burgundijs ac Arelatensi dominio. Aiunt aliqui Ruthardum Alsatiæ Lantgrauium, ac Zaringensium ducum antiquissimũ extitisse, qui cum uxore Irmefrida, Gengenbachum erexit, & monasteriũ Schuartzach, tempore quo 1066 agebatur annus. Gebiso etiam dux Sultzbergensis, monasterium illud dotauit. Eo tamen pacto ducatus ille desijt: Bertholdus dux Friderico Cæsari Burgundiam, Bernam ac multa in Arelatensi regno reliquit libera. Friburgenses etiam libertatem ab Egone duce 20 millibus marcarũ auri (ut uocant) emerũt. Postquam progenies ducum illorũ inclinauerat, ac nemo uirilis stirpis in ea superfuerat, ultimus eorum dux Zaringensis Bertholdus memoratur, qui sine masculina prole decedẽs, ac unica eius filia Agnete Egoni Furstenbergensi in matrimonium tradita, ducatũ reliquit Egoni, cui Cunradus, cui Ego sui nominis secundus, inde Cunradus successerũt. Vltimò Ego tertius cuius dominio ciues offensi, grauissima bella cum ipso compleuerunt: affuit prælio Marchio Badensis, Egonis partes secutus. Ego uerò intempesta nocte ac nebula Friburgenses pene ad unum profligauit. *Duces Zaringiæ.*

EPILOGVS AD LECTOREM.

Reddita iam Regibus, Electoribus, ducibus Germaniæ, debita sua portione, ad cęterorũ nobilitatẽ orationem meã dirigam, ut summa imperij nostri nobilitas, in unoquoq; membro eniteat integra. Primò autem de illorum amplitudine acturus sum, qui antiquitate stirpis eorũ præditi, unà cum Electoribus Imperij, ab Ottone sui nominis tertio Cæsare ac Gregorio quinto, in sacratissimi Imperij nostri membra consecrati sunt: & primò de Marchionibus.

De Marchionibus Germaniæ, unde uenerint, & dicti sint. Cap. 90.

MArchiones à Marchione quodam Troiano filio Antenoris, dictos perhibent, atq; Antenoris filio Marchionis nomen concesserũt. Qui Marchio condita à patre Venetia, Ticinensi urbi dedit principiũ, à cuius reliquijs, Germaniæ Marchiones, Bergomensis scriptor deriuasse uult. Non caret sententia illa omnino fide nostra, potissimum eo periculo, id enim uniuerso liquet, Friderici primi temporibus, ex Italia in Germaniam profectos esse Badenses, Hochburgenses ac Rotelenses Marchiones. Vidimus literas multa antiquitate præditas, eam originẽ Marchionibus pollicentes. Cæterùm à Germanico uocabulo (March) dictos esse, non incongruum fuerit. Quemadmodum enim nomina à Cæsaribus aliorũ nationes comprehenderant, & non nisi Germanica: ita & Marchiones nuncupatos fuisse à Germanis facilè inducor. Nuncupantur e- *Marchiones unde.*

nim quidam Langrauij, quasi Landgrauij, à ditione nomen ferentes. Quidam Palatini Pfaltzgrauij à Palatio. Ita quicꝗ à Marcha (Marck) principes huiusmodi traxerunt appellationem. Cæterũ Bergomensis atꝗ Carinus Florentinus, Germanorum uocabulorum ignari, nomina (ut sese res obtulit) finxerũt. Id quoꝗ ueritati proximũ est, Brandenburgenses ac Misnenses Germaniæ uerissimos indigenas extitisse, & à ditionis eorum qualitatibus, ab Ottone primo Cæsare, in Marchiones fuisse consecratos. Et hi quidem primi, aliorũ omnium Marchionum uetustatem ac originem excesserunt, à quorum appellatione nomina posterioribus innata sunt. Dum itaque ueritas uarijs uulgi sermonibus dissipatur, atꝗ quilibet symbolum suum condonat, facilè contigit in nominibus uariatio, quemadmodum in Marchionum origine uidemus euenisse.

De Marchionibus Badensibus, & eorum religione. Cap. 91.

Marchionum laus. PRiori loco Badensium Heroas donauimus, non quidem antiquitatis gratia, qua alij superiores sunt, uerùm tantùm patriæ necessitate inducti, ut debitam illis pietatem pro captu uirium mearũ expletum eam, ac eius, quod nobis concessum est exiguum scio, participes tam egregios non modò diuitijs, uerùm & uirtutibus principes reddam. Si enim nulla cum ipsis mihi necessitudo fuisset oborta, uel quæ pietati siue beneficio deberetur: id tamẽ suscepti muneris officium à nobis postulasset, atꝗ præsentis operis ratio, ne quæ ad Marchionum illorum cultum attinere certus fuissem, memoriæ nostræ subtraherẽ. Cæterùm illustrissime princeps Philippe, dum tuum in me officium indulgentissimum præ oculis requiro, ac te, excluso in hoc obedientiæ sacramento tibi debito, omnibus literatis dextrũ esse uideo, nec apud ingratissimos reprehensione carerem, præsertim si familiam tuam, tot dignis dignam, inter nobiles primam, inter primas nobilissimã, minus memoriæ assererem. Quæsiui enim à rudibus annis semper generis tui gloriam: nescio quoꝗ quàm uehementissimus semper affectus operi nostro inualuerit, quando memoriã saltem nobilissimæ stirpis tuæ mente ingrediebar. Si uerò breuibus hæc absoluero, non negligentiæ, uerùm uerecundiæ nostræ remittetur, dum te plus amauerim, quàm arida nostra oratione explicare uolui. Claris stirps tua, ut Papa Pius testatur, illustrata est titulis, quæ nullũ unquam non egregiè sapientem produxit: & idem Papa in epistola ad Martinum Maier, de Ioãne Marchione Treuerensi episcopo: Si non, inquit, maiorum suorum claritate niteretur, planè conuinci poterit, ex tali stirpe non fuisse eum productum. Quid potuit honestius de tua progenie dici? quis etiam laudatore illo honestior nobiliorꝗ: laudat omnis nobilitatis fons, nobilitatis eius uberrimum riuum. Patet in illo singulare religionis tuæ decus, & anteactæ uitæ ratio maiorum tuorum. Erat eiusdem amplitudinis æquali sacerdotio præditus Innocentius octauus, qui in epistola ad Fridericum tertium egregiè ostendit, quomodo penitus religioni Marchiones sese dedide rint, ac summo animo aduersus Romanum Pontificem usi fuerint.

De initio Marchionum Badensium, & eorum catalogo. Cap. 92.

NVnc in memoriam nostram nobilissimi stirpis Marchionũ ortus cadet. Retulerunt autem eorum originem Badenses, ut quidam dicunt, à Marchionibus Veronensibus, anno Salutis 1153. inde posteriori sæculo Fridericus primus Romanorũ Imperator, unum Veronensium Marchionem, ex Vrsinorum familia prosatum, capta urbe, ex Italia obsidem secum detulit, ut ei per uallem Tridentinam liberior pateret regressus. Huius postea filiũ in castrũ Hochburgense

burgense collocatum, armis ac nomine Marchionis insigniuit. Qui lu[illegible]na sine uirili semine claudens, incolas induxit ad constituendum alium Marchionē sui generis, à quo Badensium progenies exordium sumpsit. Ea tempestate comitatus tantùm regio Badensis fuisse memoratur, ac per feudum, ut uocabulo barbaro loquar, acquisitus. Hęc sub Marchionis Ioannis sigillo literę fermè cōtinent. Secundum alios antiquissimus omnium Hermannus in Marchionem euasit, qui primus se principem gessit, Salutis anno 1120. unde antiquior ratio temporis Marchionatui illi infertur, & quæ multos annos sæcula Friderici imperatoris excedit: cui sententiæ palmam do, ac calculum nostrum eò libentius adijcio, dum apud Hermannū Chronographum in expeditione ad terram sanctam Hermannum Marchionem Badensem profectum uiderim. Conueniunt mecum, quæ in memoriam eius de eo in Ecclesia Backenauensi consecrantur, cuius prima fundamenta ipse iecit. Successit Hermanno primo eiusdem nominis Hermannus secundus, cuius meminerunt Hermannus, Nauclerus, & alij. Literæ quoq; de eo uulgatæ, anno 1153, in uiuorum numero Friderici temporibus eum floruisse testantur. *Antiquitas Marchionum.*

De Marchionibus alijs subsequentibus catalogus. Cap. 93.

SVblimatus inde ad Marchionatum est tertius sui nominis Hermannus, cuius meminit Hermānus Saxonum scriptor. Hic duos filios sortiebatur, unum Hermannum Austriæ ducem initiauit, ob Margaritam coniugem, referentibus Austriæ Annalibus. Ex quibus processit Fridericus Austriæ dux, atq; Marchio Badensis, cuius Vrspergensis ac Peutinger supra Ligurinum memoriam fecerunt. Alter filius Rudolphus nominabatur, cuius pater monasterium Liechtenau erexit. Rudolpho successit quintus Marchio Fridericus, cui Rudolphus secundus, inde Fridericus secundus, Rudolphus tertius, quem secutus est Bernhardus, quos penè omnes Annales Argentinensium collegerunt. Inde Iacobus Marchio, quem tanti papa Pius in descriptione Rheni fecerat. Post quem Carolus filius, ab eodem Pontifice commendatus, deinceps Christophorus, ultimò Philippus felici sydere tredecimus Marchio Badensibus obuenit, ab Hieronymo Aleandro ac Philippo Beroaldo tot laudibus prosecutus, qui & nostro æuo administrandæ reipublicę natus, Marchionatum pace atq; bello inclitus, iusto fasce, regimine subditos auspicatissimo conseruat atque ampliat, cui dies in futuræ ætatis secessus fata prorogent, ac quàm longissimè extendant. *Marchiōes Austriæ duces.*

De illustri familia Marchionum Badensium, & nobilitate eorum. Cap. 94.

PRoduxit autem Badensium familia plerosq; nobilitate insignes, ac maximis sacerdotijs præditos. Ioannes enim Badensis Marchio, Iacobi Marchionis filius, ob egregiam generis eius uirtutem, ad Treuerensium pontificatum sublimabatur, referente Aenea Syluio, ac competitorem suum Bauarię ducem, auctoritate quoque Philippi Burgundiæ ducis potentissimi nixum, summouit, ac in affectando archiepiscopatu superior euasit. Aliò me uocat Iacobus Marchio Badensis, quo nihil eruditius, sublimius, innocētius, pręstantius, Germania produxit: omnibus uirtutum numeris perfectus, in eiusdem Ecclesiæ archiepiscopum abiuit, robusto ac uirili ingenio instructus, siue subita, siue meditata proferret, extemporali facultate præditus extitit, ut tantum doctrinæ huic Beroaldus noster præstiterit, quantum nec alteri, ut etiam elegantissimum de Philosophorū symbolo librum honori eius diuulgauerit. Hunc ante diem acerba mors damnauit, quem postquam numero uiuentium subtraxit, cœlestibus *Episcopi Badēsium Marchionum.*

adiecit: nec quicquam inter uulnera totius Marchionatus ingratius illius casu intercidere potuisset. Dum enim adhuc inter uiuos constitit, omni uirtute functus, tantos ingenij fructus, tantam de se spem dedit, qua feliciter penè tota patria nostra nitebatur. 30 annum ingressus in flore ætatis, ab inuidia fatorum interceptus est. Hinc in memoriam diui Bernhardi Marchionis abducor, cuius sanctitatis existimatio plurimum apud me ualet. Hic ab omni fœditate remotus, postquam mundi immundi uias ingrediebatur, solum ad imitandum sibi Christum quæsiuit, omnem antecessorum religionem superauit, futuris exemplum reliquit. Huius uita simplex, incorrupta, ac nulla uitiorum prauitate irretita aut offensa erat. Hic uniuersis renunciauit uoluptatibus, ueræ religionis sacramentum sequebatur. Quicquid ad diuinæ maiestatis cultum attinebat, ab illo nihil uidemus prætermissum: nullus somnus huic in delicto mortali surrepsit: penitus etiam sese à sæculari negocio, diuinis muneribus alioqui destinatus, subtraxit: patrimonium amore Christi, ut nunquam ab eo oculos haberet remotos, liberè suis fratribus addixit, eo contentus tantùm, quæ ad uitæ suæ sustentationem ac tutelam necessaria requirebantur. Hunc inde per huius sæculi tenebras raptum, uitæ suæ finis consentaneus excepit, post quam sibi bonis operibus, nobis exemplo respondebat, ac satisfecit, memoriam suam consecrauit sempiternam: in oppido Lotharingiæ, Mumpelir dicto, inæstimandis coruscat miraculis: uisum cæcis restituit, auditum surdis reparat, nulli oculos ad eum tenenti patrocinium denegat. Hunc iam uotis expetimus, ad nostram salutem seuocamus: & quicquid tristius accidit, auspicio eius auspicatissimo ac omine corrigimus. Contigit huic frater eius Georgius tunc Metensium episcopus. O' felicissime omnium Iacobe Marchio, cui nihil quod felicitatis esset, defuit, beatus partu, ac beatior fortuna tam corporis, quàm animi bonis: beatissimus liberis beatissimis, & te multo beatioribus. Collocabatur tibi coniugio Caroli Lotharingi ducis filia, thorus ducatu insignitus: filios sex fortuna indulsit, unum, cuius nomen inter diuos relatum est, duos episcopatibus amplissimis instructos, tertium episcopatui Argentinensi quàm proximum. Ante obitum quoque uidere tibi datum est, Carolo potentissimo qui adhuc extiterunt Marchioni, filio, Friderici tertij Cæsaris sororem, in uxorem copulari, unicam filiam Alberto Brandenburgensi Marchioni ac Imperij Romani electori destinatam. Videbatur ante paucos annos Fridericus Caroli Marchionis filius consummatissimus Traiectensis præsul, cui plus Sycambrica uictoria, quàm ulli totius Germaniæ inferioris principi debet. Si paulò altius rem nostram repetamus, Austriæ ducatus titulum ac ius Marchionibus Badensibus adscriptum fuisse, nobis constabit. Exoleta enim Lupoldorum prosapia, unica Margarita superfuerat, quæ ab Hermanno Marchione in uxorem desumpta, Marchionibus Austriam attulit, sicuti Annales Austriæ probant. Erat huic filius Fridericus Austriæ dux, ac Badensium Marchio, qui cum Conradino Sueuiæ duce ultimo, ac Conradi Cæsaris filio, contra Carolum Andegauensem Siciliæ occupatorem, profectus, Neapoli pœnam capitis luerunt, Vrspergense & Nauclero referentibus. Rudolphus etiam Badensis Marchio, Veronensium titulos sibi desumpserat, ut literæ adhuc testantur, quæ sub nomine S. Rudolphi subscribuntur.

S. Bernhardus Marchio.

Badenses Austriæ duces.

De strategematibus Marchionum. *Cap.* 95.

STrategematibus plurimis Marchiones illi claruerunt. Prima, quæ memoriæ prorogata sunt, Hermannus auspicatus est, qui cum Friderico primo Cæs. Richardo Angliæ rege, Bertholdo de Morauia urbem Acconam transmarinam expugnauerunt. Meminit illius expeditionis historia Friderici 1 Vrspergensis,

ſpergenſis, Hermannus,& alij ſub anno 1137. Soluente naturam Hermanno ſui nominis 3. Rudolpho Marchioni Geppingen incendebatur à Popone,& 4 inde anno Oberkirch à Burkardo de Heygerloch,& Rudolpho Habsſpurgenſi, contra quos prędicti Marchiones inſurgentes,uictoriam pepererunt.Hermannus etiã aduerſus Ottocarũ regem Bohemiæ prælia lachrymabilia expleuit,ut Annales Auſtriæ habent.Dein comites Vuirtẽbergenſes aucti animo atq; opibus,ſe Marchionibus oppoſuerũt,uerùm Hermanni Marchionis uirtute conciderunt: ac arx eorũ penitus expugnabatur,comes è ditione ſua abactus eſt, uti Hermannus ait. Fuerunt autẽ multa eorũ aduerſus Argentinenſes prælia: illos enim temporibus Cunradi 5 ſollicitabant.Rudolphus igitur Habſpurgẽſis tũc Alſatiæ dominus Durlachũ,Mulbergum ac Baden armis cepit, turrim Durlachenſem deſtruxit,Marchionem compeſcuit, qui temporibus Friderici 2. cũ epiſcopo Argentinenſi Henrico de Staheleck totam Alſatiam, Cronenburgũ, Vuikersheim,Haldẽburg,Andalau,Molburg,Huſen,Ortenburg,Offenburg, Gengenbach,& omnes penè adiacẽtes ciuitates, ceperãt,anno Domini 1230.Inde cũ ſucceſſore huius in epiſcopatu Vualthero de Gerolzeck nomine Argentinenſem ciuitatem ualde afflixerunt,ubi Mulhuſen, Colmar ceperunt,ac ante Hausbergẽ ingenti prælio anno 1262 cũ ciuibus Argentinenſibus conflixerũt. Inde tẽporibus Friderici de Blanckenſtein epiſcopi Argentinenſis Marchio ac comes Vuirtenbergæ opẽ epiſcopo præſtabãt,contra Imperiales urbes.Iunxerunt ſeſe illis comites Marchio Rotelenſis & Hochburgẽſis, comites de Dirnſtain,Naſſau,Lutzelſtain,Kiburg, & alij qui tunc impugnauerũt Argentinã in die B.Marię uirginis.Secundã uerò expeditionem in die S.Maurićij habuerũt, ubi Rheni poteſtatem in ditionẽ eorũ redegerũt,anno 1392: dein bellum deſijt. Ludouici etiam Cæſaris temporibus,epiſcopus adiunctis ciuibus, contra Marchionẽ & comitem Vuirtẽbergenſem bellũ mouit,anno 1330.in quo Reiboldus Argentinenſis exercitus ductor occubuit.Marchionũ quoq; memoria celebratur in expeditione Berbelſteinenſi,anno 1314.& poſt prædictũ tempus Berſz ciuitatem deſtruxerunt.Egonis etiã Furſtenbergenſis comitis partes contra Friburgenſes ſecuti ſunt.In bello quoq; contra ciuitates imperiales geſto cũ Friderico & Ioanne Bauariæ ducibus proceſſerunt,dũ 1376 numerabatur annus.Paulo poſt Stauffenberg,Gerolzeck, Dirſperg afflixerunt. Stolhoffen uerò & Baden ab Argentinenſibus obſidebantur,nõ tamẽ expugnabantur. Nec te Bernharde ſilentio prætercam,qui totius Imperij inuidiam expertus,cunctorũ minas in ludibrium uertiſti,Deo ſolo addictus,uniuerſo imperio renunciaſti.Mouebant aduerſus te primitùs Argentinenſes,Columbarij, Seleſtadienſes, duce nobili quoddam Zolrenſi, ac epiſcopo eorum Argentino, qui deſtruxerunt oppidũ quoddam in Hochburgenſi dominio,tunc Marchioni ſubiectum,uſq; ad arcem Mulbergum proceſſerunt. Coniunxit ſe eis tunc Ludouicus Rheni Palatinꝰ,ac duces Bauarię,nec arci temerè munitę ſuffecerũt.Deſtruebanť tũc Muckenſturm ac Raſtetten. Quo turbine ſedato, contra Moguntinos, Iacobus Marchio profectus,Palatino multa intulit diſpendia, adiuncto ſibi filio Ioanni Metenſi epiſcopo,quemadmodum Syluius teſtatur.Mortuo Iacobo, contra Fridericum Palatinum rem geſsit Carolus Marchio, uerùm ſiniſtro auſpicio:caſtris enim exutus,captus, & magno tam auri quàm ciuitatum precio demum redemptus,maxima iactura Marchionatum affecit,quem tamen Chriſtophorus Marchio ſubſequens reſarſit. Chriſtophorus inde Marchio, cui ducatus bellicę uirtutis adſcribitur,teſtante Beroaldo,ſine quo nihil egregij à Maximiliano geſtum eſt, Lutzelburgenſem comitatum, ab hæredibus iniuſtis occupatum,armis priſtino iuri reſtituit.

Badenſes contra Argentinẽſes.

Contra imperium.

De Marchionatu & ciuitatibus eius antiquitus, ac nunc à Marchionibus possessis. *Cap. 96.*

Sedes & ciuitates Badensis Marchionatus

REgionis illius nomina nnnc interpretaturus, ea quæ ad profectum huius astutura uideo, subiungam. Marchionatus Badensis Raphael in septimo Commentariorum Vrbanorum iuxta Rhenum meminit. Marlianus olim à Cheruscis hunc inhabitatum existimat, à cuius sententia quàm longissimè recessi, dum intra Rhenum Cherusci nunquam extiterūt, ut libro undecimo clariùs indicabimus. Ad rē redeo. Otto sui nominis tertius, atq; Gregorius quintus, Marchionatum primitus constituerunt, ac Vuissenburgensis abbatis ciuitates aliquas, quæ inter Rhenum ac Bacenem constiterant, Marchionatui adiecerunt, in quorum numero Baden, Stolhoffen, tunc temporis uillæ, atq; Etlingiacum extiterunt. Habent Etlingiacenses adhuc huius antiquitatis uestigium. Liberi enim Vuissenburgenses per oppidū illud res suas, sine omni uectigali uehūnt atq; euehunt. Mihi præterea puero adhuc in rudibus annis constituto, literæ ostensæ sunt, in quibus habebatur, quo pacto Etelingiacum Marchionibus sit addictum. Dagobertus autem abbati Vuissenburgensi Rotfrido, Baden urbem quam Adrianus & Antoninus condiderūt, & sex leucas, ut ita dicam, ultra Rhenū concessit, sicuti in literis adhuc penes Vuissenburgenses reseruatis, Dagobertus demonstrat. Durlachum uerò ac Heidelsheym Fridericus secundus imperio ademit, & Hermanno Marchioni Badensi adiecit. Rastetten ac Cuppenheim oppida, à dominatu Ebersteinensi Marchionatui contigerunt, per Hermannum filium Rudolphi. Pfortzheim ac Cellam mortuo Cunradino à ducatu Sueuiæ Marchionibus obuenisse uolunt. Besigheim uerò Hermannus secundus ab abbatissa Ersteinensi recuperauit, ductu Friderici Imperator. ut literę Badenses ostendūt. Stukgarten quoq; & Bachenheim, à Marchionibus conditæ sunt, ac ab eorum ditione ad Vuirtenbergæ comites uenerunt, ductu Ioannis Vuirtenbergæ comitis, ob Annam uxorem eius, filiam S. Rudolphi. Eppingen uerò per Fridericum Cæsarem Badensibus additum est, à Palatino Rheni, cùm Haidelsheim recuperabatur. Hochburgensis dominatus per Bernhardum Marchionem receptus est: ultimus enim dominus absq; sobole decedens, Marchionem Badensem constituit hæredem. De hac re in monasterio quodam Hochburgensi non procul à Friburgo multa reseruantur. Spanheimensem dominatum Rudophus Friderici Marchionis filius adiecit: alij tamen Iacobum Marchionem primū titulum Spanheimensem usurpasse ferunt. Rotelensem uerò Marchionatum Christophorus Marchio, mortuo ultimo Marchione Rotelensi, à Maximiliano Cæsare impetrauit. Idem Creutzenach magno oppignoratum precio, redemit. Hochburgense dominium recuperauit, plura à Palatino Rheni ære comparauit, ac Lutzelburgensem comitatum suis armis recuperatum possedit.

De sepulturis Marchionum Badensium, & sedibus. *Cap. 97.*

Sedes & sepultura Badēsiū.

MArchiones olim in Backenau sedes tenuerunt, ubi & eorum sepultura erat: illic enim Hermanni omnes sua corpora sepulturæ mandauerunt. Vltimus inde Marchio Rudolphus, sedem in Baden habuisse dicitur, cuius posteriores in monasterio Lichtental sepulti ossa eorum condierunt, usq; ad Rudolphum quartum, qui cum reliquis posterioribus, ad Badensem urbem sepulturas eorum transtulerunt. Fridericus Austriæ dux Neapoli capite tusus, illic honestissimè sepultus est: pater eius Hermānus Viennæ. Sanctus quoq; Bernhardus in ciuitate quadam Lotharingię se uita exonerauit, ibidem & sepultus miraculis coruscat. Hæc itaq; ob tuam uoluntatē ingressus sum Philippe princeps

ceps

ceps maxime, & quæ ad nominis tui gloriam attinere uidimus. Reliqua quæ de te concepimus, duobus libris absoluimus, qui postquam satis maturuerint, auspicato sidere æquè in uulgus abibunt.

De Lantgrauijs, & Lantgrauio Alsatensi. *Cap. 98.*

ALsatia regio Transrhenana, quam Elisatiam Marlianus uocat, olim à Treuerensibus, unà cum eorum ciuitate Argentinensi moderabatur. Inde reuolutis mille ac ducentis annis, ad Romanum Imperium deuenit, sub cuius dominio quingentis annis tenebatur, & Argentina ideo quasi argentea tina, quasi Romanorum ærarium, appellata est. Inde per Clodoueum ad Franciæ regnũ deuenit, unde Dagobertus & eius successores plus ducentis annis eorũ sedes in Alsatia tenuerũt. Executus est hanc rem honestissimè Peutinger in suis conuiuijs. Childericus inde Francorum rex Salutis anno 685, cõsanguineum suum Eticonem, quem Adalricũ Alsatiæ Annales uocant, Atticum uerò Nouietensium Chronica, Alsatiæ præfecit. Cuius sedes in Obernehen uidebãtur. Idem ex arce Hoenburgensi monasterium diuæ Odiliæ construxit, ut latiùs dicturus sum, dum Alsatiæ siue Vogesi mentionem prorogauero. Hic Etico filio suo Adelberto reliquit Lantgrauiatum, quem alij Adolricum uocant, cui successerunt duo filij fratres, Suntfridus & Eberhardus. Hi à Carolo Martello Alsatia abacti sunt: tota itaq; Attici siue Eticonis progenies 60 annos Alsatiæ dominabatur. Inde Martellum cæteri reges Franciæ in Alsatiæ dominio subsecuti sunt inuicem, usq; tota penè Caroli posteritas defecit. Temporibus Ottonis primi, domini Kiburgenses, ductu Imperatoris, Alsatiam recuperauerũt. Inde Ottonis tertij sæculo, ac Gregorij quinti, in Lantgrauiatum cessit Alsatia. Primus Lantgrauius Theodericus euasit, qui se & ducem Lotharingiæ scripserat, ob eius parentem Conradum, Vuormaciensem dictum. Huic successit filius eius Theodericus, qui sine uirili semine discedens, fratri suo Gerardo Lantgrauiatum commendauit. Successerunt huic duo filij, Gerardus, cui Alsatia obuenit, & Vdalricus de Egersheim. Probant autem tunc quidam sub Zeringensibus, alij sub dominio Kiburgensi Alsatiam remansisse, præsertim superiorem: inde ad dominiũ Habspurgense deuenit. Albertus Habspurgensis postea honestissimè Alsatiam superiorem rexit: inde filius eius Rudolphus Romanorũ rex eo potiebatur. Imperatores inde superiorem Alsatiam hæreditauêre, mortuo ultimo eius Lantgrauio, à quibus potestatem eligendi præsidem Palatinus obtinuerat. Alsatię uerò inferioris dominium ultimus Lantgrauius uirili prole defraudatus, episcopo Argentinensi uendidit.

Alsatiæ Lantgrauiatus.

Ad quos Alsatia.

De Lantgrauijs Hassiæ. *Cap. 99.*

LAntgrauiatus Hassiæ olim ad Turingorum dominiũ attinebat, & sub Ottone tertio, ac Gregorio quinto, in Lantgrauiatum est redactus, dum prius tantùm comitatus extiterit. Multos egregios principes produxit, qui connubia semper penè cum Saxoniæ ducissis traxerunt. Ludouicus Lantgrauius S. Elizabet Vngariæ reginam fœdere coniugali sibi collocabat, ex qua Lantgrauij nostræ ætatis processerunt. Henrico Lantgrauio olim ultimi comitis de Katzenelbogen filia matrimonio obuenerat, quæ deficiente masculino semine stirpis eius, comitatum hunc in iura mariti redegit. Memoratur celebri memoria Ludouicus Lantgrauius Aeneæ Syluij temporibus, cui, ut Aeneas ait, Romanum imperium erat delatum, quod ipse ob literarum ignorantiam recusabat, tanta animi præsentia uir, ut omnes principum fluctus solus compescuerit, cui tres Vuilhelmi successerant, medio Vuilhelmo mortuo tota progenies Philippo illi unico puero nondum 18 annum ingresso delata est, qui donec adoleuerit,

uerit,matri Annæ,à Mechelburgensi nobilitate prosatæ,mulieri uirili habenas cõsensu primatũ reliquit.Produxit egregios episcopos regio illa.Hermãnus enim Coloniensis presul, uir omnibus uirtutũ numeris perfectus à scriptorib.celebratur.Ernestus quoq; ad archiepiscopatũ Magdẽburgensem deuenit.Multi comitatus Lantgrauio subijciũtur,Zigenheimensis, Nidensis, quorũ ille Treisa,hic uerò Nida fluminibus irrigantur: necnon & comitatus Valdek,atq; alij.

De Burggrauijs olim Magdenburgensibus, Rotenburgensibus, Vuirtzburgensibus. *Cap.* 100.

Burggrauij Magdenbur.

CONstat Romanos imperatores olim in amplissimis imperij ciuitatibus cõstituisse Burggrauios,& hos ut plurimum in comites aut Barones consecrasse. Vidimus huius rei fidem fuisse obseruatam in Norenbergensiũ Burggrauijs,de quibus diximus.Nec prætereundi sunt nobis silentio Magdenburgenses, qui ad episcopale fastigium sæpẽ consurgebant,ut de Boggero Burggrauio legimus. Multa etiam hi Ecclesiæ Metropolitanæ contulerunt. Gero enim illic Burggrauius, in honorem S. Ciriaci S. Stephano dicatam fundauit Ecclesiam. Monialium etiam monasterium ædificauit, cuius Genealogia talis anno Domini 965 perhibebatur: Gero Burggrauius,Sigefrido ac Viprocho filijs dotatus est,ac Hetta filia, Viprocho Theomarus filius ac Gero episcopus contigerant. Tertius filius Geronis eiusdem nominis Gero ferebatur, qui Ecclesiæ S. Ciriaci fundamentum iecit. Hic ex Hetuida uxore Sigifridum filium Burggrauium Magdenburgensem suscepit. Vltimus huius Genealogiæ memoratur fuisse Henricus,qui sine liberis decedens,Boggerum Queruerdensem constituit hæredem, à quo reliqui Burggrauij processerunt. Hermannus Saxonum scriptor, semel Burggrauijs illis defectionem contigisse scribit in Hermanno Burggrauio, & Ottonem Cæsarem sui nominis primum, multa huic Burggrauiatui detraxisse,&erecto nouo ducatui Lunenburgensi adiecisse. Menfridus sæculo Henrici quarti, in Burggrauiatum Magdenburgensem electus,in bello contra Saxones gesto obijt.Rotenburgenses Burggrauij tempore Friderici primi Arnoldus & Conradus,Arnoldus ac Gualterus, huius filij referuntur: Vuirtzburgensis uerò Poppo.

De comitatu Hoenloensi. *Cap.* 101.

Comites Hoenloen.

HOenloensis comitatus Germaniæ non ultimum honorem penes priscos sortitus est.A' Beroaldo de Alta flamma dictus,inter Franciæ comitatus numerandus,olim ditissimus, nunc hæredum pluralitate distractus, angustior redditus est. Hos Beroaldus ex Pannoniæ nobilissimis originem retulisse conuincit. Ipsi tamen ẽ priscis Romanorum se processisse gloriantur. Alij eos à S. Adelheide emersos uolunt,quæ Franciæ Orientali præfuit,ac anno 1000 Hermanno Franciæ comiti nupta, Conradum Cæsarem genuisse asseritur, postea Gebhardum Ratisponensem episcopũ. Fuerunt emunctissimi uiri,quibus historiarum ueterum cognitio non defuit,qui Conradum 2 Cæsarem ab Hermanno ac Adelheide prognatum dixerunt. Cuilibet autem id cognitum est, hunc Conradum maternũ genus à Conrado illo Vuormaciensi duce reduxisse. Vnde opus erat Theoderico, quem patrem Adelheidis fuisse sciuimus, Conradũ illum Vuormaciensem cognatũ saltem asserere,licet à nullo scriptore legatur. Hunc etiam paternũ genus ẽ Ludolpho Sueuiæ duce retulisse cœlo clarius est: tu si plus nobis uides, ea quæ tibi arrident, iurare potes, nobis illa erat sententia. Adelheidis autem illa non Saltzensis fuerat, Ottonis uidelicet uxor, uerùm fundatrix ueteris monasterij in Spalt, consecrati in honorem S. Emerani: quæ & collegium in Oeringen constituit, ad quod multas reliquias aduexit,

quas

quas Conrado filio suo Constantinopolitanus Imperator transmiserat. I megardis præterea in arce Schillingsfurst Ecclesiam diuinis muneribus dotauit. Fertur olim comitatus ille fuisse ditissimus, uerùm multa prædia ad Marchionem Brandenburgensem deuenerunt, ut Kreilsheim, Kreglingen, Vffelen, & omnia montana uersus Sultzbachium, quas uxor una cuiusdam comitis uendiderat. Mergental quoq;, & penè totus ille circuitus Teutonicis dominis donatus est. Nec desunt, qui olim Franciam uniuersam, partim Herbipolensi episcopo, partim comitibus illis adscripserunt: & tantum de illis.

De Hennenbergensibus comitibus. *Cap.* 102.

Hennenbergum castrum memoratur, à quo comites Hennenbergenses nomen tulerũt, qui, ut eorum Annales habent, Romani, à Columnis ortum traxerunt. Post Attilæ uerò deuastationem in Germaniam profecti sunt. Condiderunt autem hi comites multa monasteria, ut sunt Frauuenrot, quod Otto de Hennenberg primus iecit fundamentis, cuius filius Bertholdus monasterium Gotzau erexit. Filius huius Gottenbaldus fundator cœnobij in Vuesero extitit, anno Domini 1131, & illic altare anno 1138, 19 Calend. Nouemb. ab Ottone episcopo Bambergense dedicatum est, cui gnatus Bertholdus successit, qui anno Domini 1167, monasterium uirginum condidit. Horum nobilitas ex solis connubijs eorum indagari potest: summorum enim principum filias sibi asciuerunt uxores, ut Bertholdus, qui Mechtilden Marchionis Badensis filiã sibi copulauit, unde multa Marchionatus sibi desumpsit: in castello Rheni Nuẽburg olim Palatinorum Rheni, nunc Marchionũ ditionis, ac in Durlacho & Forcheimio sedes fixerunt. Vt autem nobilissimorum comitum debita memoria à nobis exigatur, catalogum eorum Genealogiæ instar hũc collegimus. Primus Otto Hennenbergensium comes fuisse conuincitur, qui cum Beatrice uxore Bertholdum filium suscepit: Bertholdus ille cum Mechtilda Hermanni Marchionis Badensis filia sua cõiuge Ludgardam edidit, quam & Palatino Rheni collocauit, & Bertholdum, qui Eberardum Herbipolensem præsulem & Pop-ponem filios reliquit. Hic Poppo duas filias ex Elizabeth uxore prosatas, unã Marchioni Misnensi, reliquam Brandenburgensi coniugio collocauit, & Hermanno filio comitatum exposuit, cui Poppo, Bertholdus, Henricus, Hermannus, Bertholdus & Poppo suo ordine successerunt. Quos secuti sunt Bertholdus, Henricus, Ioannes, Hermannus, qui ex Agnete Henrici electi Romanorũ Cæsaris filia Bertholdum ac Fridericũ peperit, post quos tres Vuilhelmi ducatu illo fungebãtur. Inde Georgius, unde Bertholdum Moguntinum episcopũ, Henricum Argentinensem, Philippum Bãbergensem canonicos processisse nostra ætas uidit.

Comites Hennenbergenses.

De comitatu Leosteinensi, & eiusdem comitibus, ac Marchionibus Monteferratensibus. *Cap,* 103.

VEnio nunc ad comitatum Leosteinensem, quẽ tamen Leuuinsteinensem literæ uetustissimæ nominant, uenerandæ antiquitatis regionem, quæ à Gregorio quinto, ac Ottone tertio, in comitatũ abiuerat, tempore electionis Imperij. Nam paulò post Imperij electionem, anno Domini 1030, comites extitisse Leosteinenses, Annales Elsenspachensium testãtur, cuius fundatores prę fati comites extitère. Nomen à signo, clypeo eorum impresso tenuerunt, à leone uidelicet. Primus huius regionis comes quis fuerit, nemini cõstat, nisi quòd Theomarum hunc uocitatum Annales eorũ perhibent, cui post longa temporis interualla successit Gotfridus comes Leosteinẽsis, qui litem inter abbatem Murhardensem & episcopum Herbipolensem compescuit, quem Albertus co

Comites Leosteinenses.

p mes

mes secutus est, anno 1290. Inde filius huius Nicolaus, cui insignis uictoria de Rudolpho Marchione Badensi contigit, ductu matris eius Luitgardis, prædicti Marchionis uxoris. Interceptus erat itaque Marchio Rudolphus, ac ad arcem Leosteinensem delatus, cogebatur omnibus rebus compositis iterũ comiti ciuitatem, ac arcem Leosteinensem, Murhart, Beckingen, &c. prædia restituere: tempore quo 1318 annus agebatur. Vidi & ego literas sigillis comitum Vuirtenbergensium, Vuertheimensium, Hoenloensium, Ebersteinensium, huius euenti testes. Inde Nicolaum comitem filius Henricus subsequebatur, cuius filius eiusdem nominis Henricus comitatu potitus est. Aduersus quem tota penè Germania insurrexit: tuta tamen omnia custodiuit. Memoratur huius filius Albertus, qui in bello Vuilensi à ciuitatibus Imperialibus occidebatur, anno 1388. Habuit hic fratrem Henricum Bãbergensis Ecclesiæ canonicum, post quorum fata comitatus ille ad Palatinos Rheni deuenit. Nostro etiam sæculo à duce Vuirtenbergensi interceptus ille comitatus est, in bello aduersus Palatinum gesto. Præest tempestate illa comitatui Luduicus homo singularis uirtutis, & omnibus doctis ac literatis dexter tam corpore quàm animo præstans, cuius filius Vuolfgangus optimus adolescens, igne domesticorum incuria oborto absumptus est: extat de illo Oecolampadij uiri grauissimi Epitaphium. Multa de comitibus illis in cœnobio Murhardensi reponuntur, ubi & eorum sepulturæ supersunt. Nec silentio prętermittatur pijssimum facinus eorũ in condendis monasterijs: nam Longentalense cœnobium Elsenspachium nuncupatum inter Saltzburgam ac Rastetten erexerunt, anno 1030. inde centum quadraginta annis reuolutis, monasterium illud ad S. Viti cœnobium est translatum. Montisferrati insignis nobilitatis comites sunt, origine Germanica. Primus eorum princeps fuit Almarus Saxoniæ ducis filius, cuius uxor erat Alasma Ottonis secundi Cæsaris filia. Proximas sedes tenuit Marchio Vuilhelmus, cæteros ut externorum principes præteribimus.

De dominis Pfeffingensibus. Cap. 104.

MEretur præterea splendida Bauariæ progenies Pfeffingensis, quorum Genealogiam ad honorem prętantissimi domini Pfeffingensis illustrissimi ducis Saxoniæ ac Electoris à consilijs, ob summam eius erga doctos uoluntatem uolui recensere: tum quia non minorem gratiam ab illustrissimo Saxoniæ duce mihi acquisiturus sum, apud quem uir ille primas partes habet collocatas. Inter huius stirpis antiquissimos recensetur Bernardus, cuius uxor Clara, atque Nicolaus Friderici primi temporibus, postquam millesimus & supra centesimum quinquagesimus quintus agebatur annus. Inde anno 1203 Vuernherus adiuncta uxore Anna, Othmarum filium habuit successorem: inde Henricus, qui ex Barbara uxore duos suscepit filios, unum in Ratisponensem episcopum sublimauit, alteri nomẽ Alberti ferenti dominium reliquit, cui Vuernherus, Chistmãnus, Stephanus, Andreas, Vuilhelmus, Caspar, & reliqui successerunt, usque ad Ioannem Degenhardum ac Bernhardum, quos nostra sæcula uiderunt longa peregrinatione ac experientia rerum multarum celebres auratorum equitum titulos desumpsisse.

De nobilitate, præstantia ac politia Norenbergensium. Cap. 105.

EXacta regum, ducum ac primatum nobilitate, & cuilibet sua data portione, ad priuatarum urbium earundem amplitudinem accedens, non mihi temperare potui, quin aliquid Norenbergensium Reipub. ac præstantię astruerem. Visa enim est urbs illa mihi summæ nobilitati accedere, non quæ imaginibus ueterum constet, quæue maiorum opinione tantùm nitatur, aut sanguine propa-

propagetur,cui nihil uel parum cum uirtute commune est: uerùm quę propria uirtute paratur,& in proprijs egregijs facinoribus consistat,

Quæ enim genus & proauos,& quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra uoco.

Ego qui solam uirtutem nobilitatis uerum simulacrum præ se ferre agnosco, ac reliquam generis notam qualemcunque, nil nisi uana quadam uulgi opinione foueri, ac blandiri sibi deuinctis: in hoc Norenbergensium egregiam Rempublicam honestari non desinam, & si quorundam anagyrim mouеam,qui ostensa illorũ nobilitate offenduntur: qui præterea nec egregiè ferunt, quod soli manifestum est, de ueræ uirtutis cultoribus quidquã honestius dici: ego ob summum eorum in me officium,tum quia ueritati patrocinaturus sum, quæ mihi sese obtulerunt, ad paruum saltem tempus moram illic detinenti adijciam,nec nobilissimos illos ciues eorum claritate defraudari patiar. Viget illic Respub.nulli Germaniæ uniuersę cõferenda,cuius laudi accedit,quòd hęc nõ sutoribus,quibus ultra crepidam non licet,consita sit,uerùm uiris partim, quibus rerum cognitionem experientia ac longa peregrinatio peperit,partim,qui sese nobilioribus doctrinis totos destinauerunt, & qui à primis cunabulis aut tenerioribus annis multorum hominum mores uiderunt,& urbes.Illic itaq; senatores administrandæ,conseruandæ,propagandæ Reipub.causa nati, hoc unum agunt negocium,hoc unum curant,ut egregiè Reipublicæ consulant,nullis alijs addicti negocijs. Quibus penè omnibus ingenua pulchritudo ac senatorius decor inest.Hi sanctitate morum,aut uirtutum præstantia eliguntur,nec nobilitate aut ordine ad senatorios honores accurrunt. Postquam hæc in animum recepi,nobis egregij ciuis memoriam non potui subtrahere,Bilibaldi uidelicet Pirckaimeri, qui tot artibus instructus, præter summam morum eius ac famæ innocentiam,pręter amplam rerum familiarium facultatem,omnia studiorum genera tractauit: & maximus fœlicitati Norenbergensium calculus accessit. Putauimus extra naturæ conditionem esse, tantum literarum uni uiro superesse,inter tot alioqui curas distracto, & qui plurimam temporis sui partem inter Iuris ciuilis pugillares transmisit.Pœnitet nos quotidianæ illius molestiæ, quòd in consilium ciuitatis rogatus,non literario magis quàm publico ocio delegatur,unde uberiora ex eo literariæ palæstræ emolumenta fluerent. Hic potissimum cæteris Germanis in exemplum assumatur, ut & ipsi acriori studio literas adiuuent, & quemadmodum ille, tantum lumen linguarum diuersitati afferant, quod in futuræ ætatis secessus excurrat. Non possum tamen cæteros Germanos damnare, quibus æquè bonæ literæ sufficiunt: huic tamen pauci accedunt,& nulli nisi quos æquus amauit Iuppiter.Ne Lector ægrè ferat, nos intermisso nostri operis instituto,ad unius uiri memoriam descendisse,ac pedem alieno negocio intulisse: uicit me utraque ratio, tum patriæ nostræ, cui ex animo ob illius uiri præstantiam faueo,tum priuata pietas, quæ huic uiro propria debetur ob immensam eius in me uoluntatẽ.Nam is opem suam & bonam partem Germaniæ nostræ attulit: ductu huius studia nostra reddidimus alacriora, multa emẽdauimus,plura detulimus, plurima addidimus. Dij sibi, si qua pios respectant numina, si quid iustitiæ est, & mens sibi conscia recti, præmia digna ferant. Verùm ne fallente transitu longior æquo nostra oratio prorogetur,in transuersum agor, non uoluntate, non animo, qui semper uiro huic par reseruatur,uerùm operis necessitate,cui & sua portio debetur. Hæc de Norenbergensibus collegimus,ut honesta nobis saltem occasio præstetur, officij uiri illius meminisse, ac munus gratitudinis in hoc saltem expleuisse. Illis Heroibus inuestitur Norenbergensium senatus, dignus etiam tali urbe amplissima. Ambiguum esse arbitror,an urbs senatui,an senatus urbi proponatur: una illic

Bilibaldus Pyrkaimer senator.

omnium mens, unus animus, una denique μοναρχία. Videmus ante multos annos nullas partes, simultates, inter ciues ac senatores obortas: senatus plebi congruit, plebs primatibus conuenit: & demum res illa non aliam habet rationem, nisi quòd uno alteri auscultante, beatissimam & locupletissimam ex ciuitate ignobili erexerunt urbem, tantis opificibus præditam, ut quod multis alijs priuatis urbibus proprium, quilibet uni soli concessum est, tantum huic urbi diuinitus relatum, ac ueluti in unum fascem complicatum esse uidemus, saltem fama indicante:

Norenbergensium monarchia.

Orabunt alij causas melius, cœliq; meatus
Describunt radijs.
Excudant alij spirantia mollius æra.
Crede etiam uiuos de marmore ducere uultus.

Si uerò quicquid hominum manibus elaboratum, & quod natura homini concessit, inuestigare in animo tibi est, huc concede: patebunt tibi ædificia, non tantùm in foro, uerùm in modestissimis uicis ac triuijs urbis, omnium urbium Germaniæ honestissima, plus tamen in recessu quàm fronte pollicentia. Nec diuinus illic cultus delitescit, tot delubra, tanta sacerdotum corona, tantas etiam delicias pratum, Hallerense dictum, præ se fert, tot consitum tilijs, tot coruscans fontibus, cœlestis loci speciem de se præbet: illic latam ac diffusam planiciem natura effinxit, graminibus & fluminibus speciosissimis irriguam. Siphunculi horrent plures, à quibus clara aquarum multitudo scatet, quæ à cauato lapide rursus, grato murmure resonante suscipitur. Est præterea tanta mercatorum stipatio, tantus negociatorum numerus, quibus India, ac ultima Thule cognita est: tanta etiam opinio rerum familiarium de eis obtinuit, ut si sapientem uirum, siue diuitijs præditum diffinire uoluerimus, de Norenbergensium ordine profectum esse indicamus. Horum amplitudinis argumentum natura loci expressit, quę urbi huic sedem perfectionis, hoc est, medium ac umbilicum totius Germaniæ tribuit. Non est in tota urbe quod contemnas. Ne tamen ab huius urbis origine recedamus, cætera quæ requiruntur, annectemus. Vrbs illa, dum Hungari Germaniam inuaserunt, à uicinis condita dicitur, ut Germani eo loco tuto ad transuehendas res uterentur. Alij dum millesimus supra centesimum quadragesimus annus agebatur, Ecclesiam ab Henrico Bauariæ duce constructam Norenbergæ, in honorem sancti Egidij, cum ciuitatis erectione tradunt, ac opus ciuitatis anno ab illo decimo fuisse completum. Tunc autem unica tantùm arx muris circundata superfuit. Cunradus Cæsar sui nominis secundus, anno Salutis 911. ad imperium hanc ciuitatem detulisse fertur. Henricus autem tertius, ipsam graui obsidione angustauit, ac cepit, ab incarnationis sæculo millesimo ac uigesimosexto: filius huius Cunradi, dum contra patrem mouerat, Norenbergam penè deleuit. Henricus etiam filius Friderici secundi, nuptias illic celebrauit, qua tempestate sex ac quinquaginta uiri, tres ac uiginti mulieres, aqua absorpti sunt. Seditio tantùm una inter ciues oborta legitur, Caroli quarti Imperatoris æuo, & tunc in manus patriciorum ciuitatis iura omnia peruenerunt. Hæc quàm breuissimè potui, de Norenberga ingressus sum: haberem in promptu plura de illa, aperiente se latius materia, colligere, nisi me omnia dixisse uiderim, dum tantùm Norenbergam nominauerim.

Aedificia.

Norenbergum conditur.

Quando obsessa.

FINIS TERTII VOLVMINIS.

CAP. I.

CAPITA QUARTI LIBRI.



ENTVM nunc est ad partem longè grauissimam, ad cuius absolutionem omnes eloquentiæ fontes aperire, necessum esset: nunc enim mihi labor summus plus quàm in cęteris libris indulgebit, et id quod mihi difficilimum, Germanorum uerò gloriæ cumulatissimum est, ante oculos obuersabatur, in quo totas uirtutes eloquentia, mihi si ulla esset, experiretur, dum de Germanorum bellica uirtute differere in animum accepi. Nunc sanguinis ac uenæ plurimum nostra sibi postularet eloquentia, ut nobis ad destinatum finem liberior ac expeditior cursus concederetur. Nunc ut simul plurimorum ingenia subirem, necessum esset, nec tamẽ qualicunq; gratia mihi oblata, satis instituto proposito sufficerem: nec etiam si me Ciceronem totum effinxissem. Non enim bellum Troianũ, in quo tota Homeri industria occupata fuit, non aurei uelleris raptum exordiemur, quæ non tantam speciem difficultatis præ se ferebant: uerùm de illorum uirtute orationem dicemus, qui πολεμιώτατοι totius terræ uires excesserunt, confregerunt, subegerunt: qui inæstimanda uirtute præditi summa rerum potiti, sacratissimũ Romani Imperij titulum ac habitum in eorum iura redegerunt: qui soli omniũ Romam gentium dominam & uictricem ceperunt, exhauserunt, & solo equauerunt. Nonne hoc negocium in oratoria uirtute eminentissimum, ingenio ualidum, magnificum, eloquentia effusissimũ, & propè eloquentiam cæteros docentem, ac in omni scientiarum genere mirabilem requireret, qui tantis rebus sublimitatem, & cuilibet bellicæ uirtuti debitam dignitatẽ redderet, cuius grauitate ac nitore res Germanorum surgeret, & pro rerum necessitate uarios uultus indueret, ut & rerum gestarum claritati consentaneus & accommodatus Homerus responderet, ne ariditate dicendi, eximia patrię uirtus refrigesceret, uerùm accommodato eloquentiæ colore uoluptati futura esset legentibus. Ita enim res illa sese habet, ut Gellius, Sallustius ac Cato dicere consueuêre, ut tanta illorum uirtus putetur, quæ à rerum scriptoribus describitur, quantum illorum ingenium. Potuit egregiè Alexander ille Magnus queri de Achille, quòd dignus suæ uirtuti scriptor contigisset, quemadmodũ Flauius Vopiscus in uita Probi testatur. Nec tanta belli Troiani existimatio esset, si alterius quàm Homeri ingenium reperisset. Laudare autem uiros claros, & debitam gloriæ portionem forti uiro asserere, nõ simplicis ingenij opus est: uerùm excelsissimi, præsertim ubi rerum gestarum magnitudo tanta est, ut fortissimorum uirorum gesta à nobilissimis auctoribus commendata excedere uideatur, ac luce sua reliquorum facinora egregia tenebris obducere. Inclinata planè esset Homeri gratia illa candidissima, comptissima: nec facilè ingenio suo, tot ac tantarum gestarum molem sustinuisset, quem tamen in magnis sublimitate, in paruis proprietate nemo superauit. Quid ergo ego eniti laborem, qui totius orbis uictorũ uirtutes

tutes describendas nostræ diligentię ac mediocritati desumpserim. Et licet oratio nostra humilis depressa humi serpat: nō forum tantùm, uerùm & urbem formidet, & ad extollendos tantos uiros intempestiuior, ineptior, paulū sit: uel in eo tamē probabilis erit, quòd nullo intermisso studio λυχνόβι⊗ id laboris ęquo animo sustulerit, quòd eruditiores uiri exclusissent, qui nec tantam operam erogandis Germanorum necessitatibus contulissent, dum modestiori labore, ea quæ laudem uberiorem pariunt, assequi possunt. Nec nostrum erat institutum, Germanorum res exactè demū debita sua memoria prosequi, affectus condonare: uerùm laboris summā uoluimus subire, ex mille locis ac authoribus, quæ Germanorum uirtuti accommodari possunt, quasi è luto expiscari, firma inde ac idonea operi perferendo fundamenta iacere, ut minori cura successores nostri, ea quæ ad manus eorum libera ac solida magno labore comportata trademus: patriæ conferant, & ędificium à nobis relictum ipsi ad summū perducant. Nec historię ratio usq; adeò eloquētiæ copias desiderat: ideoq; ab oratore eam exclusit Fabius, dum mollem iucundumq; succum alat historia, poeticæ parem dum nihil aliud etiam referat nisi carmen solutum, & ad narrandum scribatur, non ad probandum aliquid: totumq; opus non ad intuitum rei, pugnamq; referatur, sed ad memoriam posteritatis, & ingenij famam. Nec Cicero in libro de Oratore Xenophontem nec Thucydidem Oratori permittit. In multa prætetrea genera historiā prisci secuerunt. Erat enim quę tantùm in dulcedine loquendi consistebat, alioqui omnibus manifesta: erat & quæ tantùm ad rei prius inuisæ memoriam niteretur. Verùm ut demū ad rem quam paro redeam, & institutum ordinē dicam, quem ita stare uoluimus, ut in proximo libro de Germanorum nobilitate agatur. Liber igitur subsequens rei superiori natura cōiungitur: nam præsens liber ad bellicam Germanorum uirtutem transibit, ex qua ueræ nobilitatis fons in Germanos descendit, unde magna illius uoluminis pars ex priori pendet. Destinauimus aūt strategematibus Germanorū libros tres succedentes: primus liber & in ordine quartus, tantum Germanorū bellicositatis, τὰ πϱοκατασκευάσματα, id est præparationes, ac expeditæ Germanorum uirtutis signa monstrabit. Subsequens uerò liber Germanorum contra Romanos strategemata & discrimina illata ostendet. Tertium uolumen singularium gentium quarundam Germanicarum Martem ac expeditiones aduersus totam terram nobis proferet. & ille demum ordo in his libris quos bellorum Germanicorum enarrationi destinauimus, ducendus est.

Excusatio au-ctoris.

Laus bellicæ uirtutis, & quòd hanc Germani diuinitus in sortem quasi propriam sumpserint, dū alij lingua, aut alijs donis ualuerint. Cap. 1.

VAria sunt mortalibus à Deo optimo maxima dona etiā diuersis pręposita referente Homero:

Ανδϱάσιν οὔτε φυὴν, οὔτ᾽ ἄϱ φϱένας, οὔτ᾽ ἀγοϱητύν.
Αλλος μὲν γὰϱ τ᾽ εἶδ⊗ ἀκιδνότεϱ⊗ πέλει ἀνήϱ,
Αλλὰ θεὸς μοϱφὴν ἔπεσιν στέφει.

Id est, Alius fortitudinē, alius uires, alius facundiā sortitus est, alius formā lingua compensat. Sunt etiam quibus longæuam pacem fata concesserunt, ut Aethiopes: sunt qui reuelatione ac cultu diuino cæteris præstabant, ut Hebræi:

Ingenium Graijs feruens dedit ore rotundo
Musa loqui.

Romani etiam præter summam diuitiarum ac imperij facultatem, totius terræ dominatum assumpserunt, & dum itaq; alij

Orabunt melius causas, cœliq́ meatus
Describunt, radijsq́ cadentia sidera seruant,
Ac alij uiuos ducunt de marmore uultus:
Tu regere imperio populos Germane memento.
Hæ tibi erunt artes, paciq́ imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Germanis longè excellentissimum contigit, summa uidelicet uirtutis bellicæ opinio, cuius præsidio, quod alijs exclusum est, patriæ libertatem tueri hactenus potuerunt, dum cæteri libertatis iure exuti, in exilio miserrimi degant, aut durissimo seruitutis iugo pressi uiuãt. An'ne nihil refert, quo precio, quàm optimo à diuina quisque ratione prouisus euadat, & dum deorum munera sint præsentissima ac χαρίεντα, ut Homerico uerbo loquar: nil tamen absolutius bellica dexteritate quicquam Germanis obuenisse facilè potuisset? Plutarchus grauissimus auctor, in libro qui inscribitur, πότερον ἀθηναῖοι κατὰ πόλεμον, ἢ κατὰ σοφίαν φιλοξότεροι. Id est, An Athenienses plus bello an ingenijs præstiterint: ex cuiusdam philosophi sententia, Athenienses τῷ λόγῳ μεγαλόφρονας, sermone grandiloquos, bellis uerò prorsus nullos calumniabatur. Verba Plutarchi penè Liuius libro secundo expressit, ubi tantùm lingua bonam gentem Athenienses scribit. Cæterùm seditiosam & inquietam, & quæ patriam tutari non potuerit. Contra Lacedæmones plus bello quàm literis uiguerunt, & Archilochum poetam exilio mulctauerunt, quia scripserat:

Ἀσπίδι μὲν Σαΐων τις ἀγάλλεται, ἣν παρὰ θάμνῳ
Ἔντος ἀμώμητον κάλλιπον οὐκ ἐθέλων;

Fuit omni ætati ac populo familiare adagium, ubi bellicæ uirtutis studium illic & literarum usum uigere: fuerunt itaq; semper penè disciplinæ Marti coniunctissimæ. Dum enim Roma bellorum fluctibus assiduis conflictabatur, plenæ felicitatis cursum tenuit, ac poetas celeberrimos produxit. Non enim imperium tantum, uerùm & literaturam à Græcis Romani traxerunt. Amissa quoq; rerum summa, dimidium penè literarum Romani amiserunt. Pauci quoque ante Imperij Romani translationem Germani literis uiguerunt: arcem tamen eloquentiæ nunc unà cum literis occupauerunt.

De scriptoribus bellorum Germanorum. Cap. 2.

Scriptores bellorum Germanorum.

Videamus autem nunc, quanto numero hi autores constiterint, quibus Germanorum bella curæ fuerunt: numero penè totidem sunt, quot
Thebarum portæ, uel quot sunt hostia Nili.

Nescio planè an altera pars orbis minus quàm Germania elaborata fuerit. Recesserunt enim à memoria patriæ nostræ omnes, quibus ullum ingenij precium affuit. Quidam Germaniam professi, inter initium constiterunt: quare nullum dicimus, dum Germaniæ scriptorem allegamus. Fuit hæc præcipua, imò potentissima Germaniæ infelicitatis pars, quòd hæc penitus ab omnium ingenio exclusa, nulli unquam scriptori accesserit. Nec quicquam me admiratione maiori detinet, quàm uirtutem eorum bellicam, qua nihil absolutius Germanico decori facilè futurum est, tot annis in tenebris obambulasse. Dum tamẽ tota uirtutis ratio ac nomen malè patiatur obfuscari: & dum unus memoratur qui in describendis nostris moribus occupatus sit, dum & alter qui aliquas Germanorũ urbes sua memoria adiuuerit, illustrauit, nullus extiterit, qui in describendis bellis ac strategematibus nostris, quicquã molitus fuerit. Hi enim qui Germaniæ negociũ hactenus egerunt, sese tantùm uni parti enarrandæ dediderũt,

cætera neglexerunt: quare ſcriptoris nomē hi bene tulerunt, non tamen ſcriptoris Germaniæ. Et ne ſimili incuria Germanorū ſummam uirtutē ſine ulla mentiōe tranſgrederemur, neceſſum erat uigili ſtudio omnia quę tantùm bella ſaperent, euoluere. Erant igitur nobis requirēdi Chronographorū quidā, cuius profeſsionis dextimi fuerūt, Euſebius, Eutropius, Hieronymus Beda, Paulus Diaconus, Sigebertus Genblacenſis, Gualfredus, Rhegino Prunienſis, Hermannus, Gotfridus Viterbienſis, Adam Vinenſis, Sabellicus, Blondus Forliuiēſis, Ioſephus, Egeſippus, Fretolphus, Vitikindus, & alij, quos ex induſtria prætereo. Cōtulerunt hi nobis nonnihil, uerū ſi modò uera fatemur, exilia erant, quæcunq; de Germanis ſctipſerunt. Perluſtrati ſunt inde à nobis ῥαψῳδικῶς quaſi, Panegyrici ac imperatorum enarratores, in quorum numero Herodianus, Suidas, Plutarchus, Procopius, Antoninus, Oneſinus ſcriptor Procli, Marius Maximus, Alexander, Symmachus, Arrianus, Seuerus, Dion Pruſienſis, Aelius Cordus, Deuſippus, & hi omnes Græci. In Latinorum uerò numero, Ammianus Marcellinus, Feſtus Ruffus, Aurelius Victor, Hunibaldus, Nazarius Mamertinus, Aelius Spartian9, Trebellius Pollio, Vuarnefridus, Latinus Pacatus Scotus, Suetonius, Aelius Lampridius, Iulius Capitolinus, Plinius, quatuor Panegyrici, & Auſonius. Claudius Euſthenius autem quatuor libros de Diocletiano, Maximiano, Galero ac Conſtantino Cæſaribus ſcripſit, qui & à ſecretis Diocletiani fuerat. Inde Fabius Marcellinus, Gargilius Martialis, Fl. Vopiſcus, qui uſq; ad Numerianum ac Carinū hiſtorias produxerunt. Eutropius uerò uſq; ad Iouinianum, à quo Diaconus exorditur, & uſq; ad Anaſtaſium Annales ſuos deduxit. Memoratur omnium copioſiſsimus Bimarithius, qui libros quatuor de Cæſarum geſtis diuulgauit, quorum meminit Suidas.

Scriptores ſemper Germanorum res depreßiſſe, Romanorum cœlo æquaſſe. Cap. 3.

NAe id iniuſtiſsimum, ac prorſus omni iure carebat, quo ſcriptorum iniuria Germanos affecit, ac omnem laudem bel o à ueteribus noſtris acquiſitam ſuſtulerat. Maxima enim ſcriptorum pars adulatione corrupta, Germanorum egregia facinora ab eorum ſtudio remiſerunt. Semper enim captandæ beneuolentię gratia, uirtutem noſtris meritis detractam Romanis aſſeruerunt. Illis planè igitur ſuperorum inferorumq; mala gratia, ac omnes maledictionū ſpecies imprecandæ eſſent, illis etiam omne malum Germania debet: potuiſſet Germania à totius orbis inſidiatoribus incruenta ac tuta conſtitiſſe, ab his non potuit. Multi enim ab Imperatoribus alebantur, ut Plutarchus inquit, non ob alium fructum, niſi ut famulante ipſis bono ingenio, facta imperatorum mirarentur. Erat & Iſocratis ſententia, οὐκ πλεῖστοι τῶν ἀνθρώπων αὐτοῖς πλησιάζουσιν· οἱ δὲ συνόντες, πρὸς χάριν ὁμιλοῦσι. Id eſt, Non multi cum principibus uerſantur: qui uerò *Adulatio ſcriptorū Germa.* aliquando principibus adſunt, ad gratiam loquuntur. Videamus autem an & id in rebus Germanicis cōtigerit? Cornelius Tacitus libro primo Hiſtoriarum: Qui, inquit, Claudij Tiberij ac Neronis res florentib. ipſis deſcripſerūt, ob metum quidam falſò indagauerunt poſtquam obierunt, ab alijs recentibus odijs compoſitæ ſunt. Ecce ille Cornelius, qui anteceſſores omnes, imperatorum geſtis quiddam addidiſſe ſcribit, & ſe liberrimum ab eo uitio profitetur, à Tertulliano mendaciſsimus appellatur. Oroſius quoq; hiſtoricus Tacitum ſumma adulatione notauit: interfectorum enim numerum Romanorum eum ait conticuiſſe. Nec ipſe Oroſius ab ipſo crimine ſe potuit abſtrahere, quo alios inceſſerat: Blondo enim ac Sabellico hiſtoricis referentibus, capta ab Alarico Roma, interfectorum numerum à ſua memoria excluſit. Sabellicum autem & Blondum ſumma adulatione in rebus Venetorum priſcos omnes exceſsiſſe quis ignorat?

ignorat? Et tandē hos autores, qui nobis quasi per successionē obuiauerunt, adulationis expostulasse ac conuicisse sufficiat. Cęterū in rebus Germanicis adeo illos assentationibus ineptijsse, parum nostra interfuisset, & an historiæ maiestatem mendacijs ac nugis uiolassent, an non si Germaniæ pepercissent nostræ. Quis autem ex industria ac dedita opera Claudianum inconcesso adulationis uitio non accusaret, qui Stilliconis Panegyricum uiderit, ac penè in assentationis cognomen Claudiani appellationem non uertet, ut à Sabellico & cæteris æquè adulatoribus uellicatur? Non erant ulli mortalium Sycobij illi plus auersi ac alieni, quàm Pescennio Cæsari apud Aelium Spartianum, qui grauiter ferebat Domitiani, Gallicani, Neronis, et aliorū Cæs. memoriā adeo à rerū scriptoribus celebrari. Trebellius Pollio quoq; tam funda assentatione immersus extitit, ut trecenta millia Gotthorum Claudij Cæsaris ductu interijsse scripserit: trecentorum millium plagarum dignus. Ecce Liberianus historicus ac Fl. Vopiscus, manifestissimum somnum in eo, Trebellio Pollioni subrepsisse dicunt, ac mendacio arguunt patentissimo. Denique omnes quos uidi hactenus, tot occisorum millia Germanorum glomerauerunt, unius Trebellij assentatoris sententiam imitati sunt omnes, & demum uice ueritatis, id obtinuit. Huius causa est, quia non allegantur Liberianus & Fl. Vopiscus, ubi ab aliorum sententia diuersi abeunt. Pauci quoq; illos legunt, & qui eos legerunt, incuriosè res Germanorū præterierunt. Ita nobiscū scriptores laudabant, & tu lusum putas, uerū nimis procax lusus ille est, famæ ac pristinæ Germanorum uirtutis inclinationem trahens. Malè de Germania actum est: miserum enim fuerat, unius hominis nugas, penitus imitatione scriptorum in ueritatem abijsse, ac cæteris huius tantum mendacio fuisse persuasum. Quid de cæteris agemus? Verùm quia recens memoria Fl. Vopisci facta est, libuit eius uerba in Aureliano, quoniam nobis ad rē faciunt, recensere, ubi omnes scriptores, qualiscunq; modestiæ fuerint, semper rebus gestis Cæsarū aliquid addidisse refert, & nullum scriptorum demum extitisse, cui non adulatio impingi potuerit. Verùm de illo proprium caput libro sequenti auspicabimur, nunc ad institutum properemus.

De proceritate Germanorum. Cap. 4.

Proceritas Germanorum. IN huius libri præfatione, tantùm pręparationē, & quę ad bella attinebāt, pręmittere uoluimus. Nunc uerò de Germanorum proceritate oratio nostra sumat exordium. Semper perpetuo attributo proceritas Germanis concessa est. Vnde Cornelius Tacitus lib. 2 Segestem Germanum ingentem uocat: sic & Procopius auctor Græcus Slauorum quendam maxima statura hominē describit. Sic Suidas Gallorum principem, quos tūc Germanos uocauimus, tam corpore quàm animo pręstantē dixit, in dictione Celtarum. Ouidius in Tristibus proceritatem Getarum ostendit. Apud Procopium Germanorū mulieres irridebant eorum maritos, quòd tam grandia eorum corpora, non exiliora uicissent. Iulius Cæsar libro primo Commentariorum scribit, Germanos incredibili corporum magnitudine esse. Idem libro quinto: Finito prælio mirifica corpora Germanorum uisa fuisse testatur. Vegetius quoq; libro primo, Quid, inquit, contra proceritatem Germanorū breuitas Romana ualuisset, nisi arte & exercitatione ipsis Romani præstitissent? Strabo lib. 7, in principio, & eum secutus Perottus, supra Martialem in primo, corporibus proceros Germanos scribunt. Proceritatis Germanorum meminit Cornelius Tacitus, libro uigesimo Historiarum, & Egesippus illustris scriptor, qui magnitudine cæteris omnibus gentibus anteposuit Germanos. Idem Tacitus Cecinnam dixit Germanum corpore grandē. Columella libro tertio, altissimos & celsissimos Germanos dixit. Manilius libro quarto ingentes eorum partus ait. Mantuanus ad Cæsarem:

Hic

Hic uenit excrescens in maxima corpora gutto.

Sic & Florus libro tertio, Teutobochũ proceritatis eximię hominem descripsit. Plutarchus Cymbros non agnitos primò refert, dum Italiam petierunt, uerùm tantùm proceritatem eos Germanos prodidisse. Zacharias Lilius & ante ipsum Pomponius Mela, libro tertio, de immanitatibus Germanorum uerba fecerunt. Cornelius in Germania ait omnibus truces & cærulei oculi sunt, rutilæ comæ, & magna corpora. Agrippa apud Iosephum de bello Iudaico secundo, ita Iudæis persuasit: Quis uestrùm non audiuit Germanorum uirtutem, inquit, & magnitudines corporum? ut arbitror equidem uidistis, cum Romani illarum gentium ubiq; captiuos habeant, spiritus etiam maiores corporibus gerentes. Hæc ille. Et paulo pòst fortitudinem Germanis ut Græcis sapientiã largitam fuisse scribit. Verba Iosephi Philippus Beroaldus carmini ita aptauit:

Grandes corpore, spiritu feroces,
Septi robore, prodigæq; uitæ,
Hostes aggrediuntur, & lacessunt.

Herodianus quoq; Germanos ubi de Maximino memoriã facit, corporibus magnos probauit: similiter & Paulus Diaconus, & Celtes noster dum inquit:

Nomen nobilibus quod adhuc uenerabile nostris
Pectoribus, similes ingentes corporis artus
Prodiga cui natura dedit per lactea colla,
Candida proceris tollentes corpora membris.

Ammianus Marcellinus libro 18. Gallos uniuersos, cui & Diodorus astipulatur, statura celsiores esse scribit, quos tamen Germanos esse uoluit. Et idem lib. 16, Chonodomarium regem Germanorum ante alios excelsiores populos produxisse refert, & ipsum regem nitore conspicuum. Proceritatis Germanicæ rationem Ioannes Escuidensis ex meatu syderum cõstare collegit, dist. 8. cap. 5. ubi ait secundum sententiam Haly, in 7 climate, ubi Germaniæ situs est, inter latitudines graduum nimiam frigiditatem grassari, unde corpora grandiora nasci. Manilius in 4 Astronom. eidem sentẽtiæ accesit, postquã & hæc subiungit:

Et stupefacta suos inter Germania partus.

Vide Arrianum Græcum libro primo, de rebus Alexandri Magni, & Ammonium lib. primo, cap. tertio. Liquet & id naturali lumine, ut enim Plinio placet, lib. 2, cap. 80, proceritas ex mixtione ignis intrinseci ac humoris causaſ. Nec aliter Aristoteli persuasum est in Problematib. partione 10. Alberti ratio est De natura loci capite tertio, id propter complexionale frigus in porosis Germanorum corporibus euenire: locus enim Germaniæ frigidus & constringens, multum humidi in corporibus reliquit, unde carnosi illic nascuntur.

De terribilitate, ferocitate & audacia Germanorum. Cap. 5.

PErpetuo epitheto Germanis ab auctoribus adscribitur ferocitas, immanitasúe: Lucanus *Ferocitas Germanorum.*

Rheniq; feroces Deseritis ripas,

libro 1. dixit. Strabo lib. 7, abundantes feritatis Germanos appellauit. Picus item inuictam gentem nominat. Memorantur Germani fuisse tamen adeò terribiles, ut testamentaria in exercitu Iulij scriberentur, ubi Germanos uiderunt, referentibus Cæsare, libro primo Commentar. & Floro. Cæsar addit tantum timorem inuasisse suos, ut sui ipsorum misererentur Romani. Aequalis timor Stilliconis exercitui parem metum incusserat: nam dum sese contra Germanos parauerat Stillico, exercitus suus penè defecit, referente Claudiano: *Metus Rom. à Germanis.*

Persultat

Persultat uarijs effrena licentia tectis,
Si reducem dominum sors improuisa reuexet,
Conscia seruilis præcordia concutit horror.

Iustinus Historiarum lib.38, Galatarum nomen, qui tunc Germani erant, semper Romanos terruisse probat. Et lib.25: Tantus terror, inquit, eorum nominis erat, ut nullus maiestatem suam tutam nec amissam recuperari, sine Galatarum auxilio crediderit. Temporibus Tiberij Cæsaris idem Cornelius Tacitus libro primo Historiarum: Romæ, inquit, nondum cognito exercitu in Illyrico, & legionum Germanicarum motu audito, trepida ciuitas incursare Tiberium cepit, ut prouideret ne inualida cunctatione plebs ac patres ludificarentur. Simili etiam timore in bello Marcomannis Romani conflictabantur, colligente Iulio Capitolino in M. Antonino Pio, ut undiqꝫ sacerdotes imperator acciuerit, peregrinos quoqꝫ ritus impleuerit, & Romam ludorum omni genere lustrauerit, ut se tutum à Germanis redderet. Item tempore Valentiniani, dum Marcomanni Romanos uicerunt, primo prælio maxima trepidatio Romę oriebatur, ne iterum id fieret, quod tempore Galieni Romanis obuenerat, scilicet ne iterū Italiam ita Germani uastarent. Hæc Fl. Vopiscus, qui & sacrificia à Romanis instituta fuisse refert. Iuuenalis Cimbros terribiles dixit. Adeo etiam Punico tempore, Romanos aduentu Cimbrorum territos scripserunt Florus, Plutarchus, & alij. Horatius Sycambros feroces nuncupauit lib.4 Car. Oda 2. & Germaniam feram in Epodo, Oda 16. Iuuenalis quoqꝫ Saty.14, Sauromatas truces, Dionysius truces, atroces & bellaces probauerunt. Appianus in Celtico ferocissimos mores Germanorum recitat, & insignem audaciam. Idem Seneca in 6 quęstio.na. Ob ferocitatem erga nostros agrestes & bestiales dixerunt scriptores, ut Lilius, Pomponius Mela libro tertio, Appianus in Celtico, qui bestiarum more Germanos feruere scribit. Cicero contra Pisonem immanissimas gentes Germanos dixit, & Rhegino Pruniensis omnium ferocissimos Hunnos asseruit, & horum pugnam truculētiorem alijs. Claudianus quoqꝫ, & apud Cornelium Suetonius Paulinus, Germanos atrocissimos uocauerunt. Herodianus lib.8. simili attributo ut feroces pugnæ Germanos extollit. Cicero contra Pisonem acerrimas Germanorum nationes esse indicabat. Hieronymus ostendit bellicosa pectora eorum intumuisse. Fl. Vopiscus omnium fortissimos Teutonas demonstrauit. Pomponius Mela libro quarto, ubi de Germanis loquitur: Qui sunt immanes, inquit, animis, corporibus, & ad insitam feritatem uasti utraqꝫ exercent, bellando animos, corpora ad consuetudines laborum. Et idem lib.2, Danubium, ait, per immania multarum gentium loca decurrere. Mantuanus ad Cæsarem, Sueuos truces, ardentes Marcomannos, & in borealibus partibus habitantes, truces, potentes animo & membris & feroces definiuit. Claudianus de Germanis:

Hunc tamen in primis populos lenire feroces.

Et in Stillicone:

Ante tubam nobis audax Germania seruit:

Idem:

Debilitat sæuum cognatis uiribus Istrum.

Ammianus Marcellinus lib.15, Gallia, inquit, Rheno à feris gentibus distinguitur. & in fine, Gallos uniuersos, ubi etiam intelligit Transrhenanos, terribiles dixit. & lib.16, Chonodomarius, ait, pugnaces & ante alios sæuos populos duxit, & paulo pôst robustos Alemannos retulit. Dionisius: λευκά τε φῦλα νέμονται ἀρειμανίων γερμανῶν. Id est, Gentes inde accolunt Martium Germanorum. Listrius

ſtrius tamen Germanos ἀρειφίλους, Martis amatores nuncupauit. Egeſippus lib. 2, Immanes, inſuperabiles & inacceſsibiles uocat, & lib. 3, ubi de Veſpaſiano loquitur, feroces noſtros oſtendit. Et tandem ut rei huic finem fecero, proximam orationem ad fortitudinem eorum uertam.

De fortitudine, impetu & reſiſtentia Germanorum. *Cap. 6.*

GErmani in bello tali fortitudine dotati referuntur, ut ubicunque ſtragem fecerunt, imperatores inde quaſi in præſidio ipſos ſepoſuerunt. Iulius Cæſar, ut ait abbreuiator Liuij in Epitomatibus, in bello contra Pompeium Pharſalico, Germanorum cohortes eduxit, qui in effuſos equites impetum fecerūt. Eorum itaque in eodem bello meminerunt Appianus & Cornelius, qui lib. 19, Sidonem & Italicū in acie uerſaſſe ſcribit. Fuerunt autem hi Germani. Iulius Cæſar in bello contra deficientes Heduos auxilia Germanorum rogabat, quibus immiſsis pugnam cœpit lachrymabilem. Et ut ipſe Cæſar lib. 7 Comment. teſtatur, Germanos tunc uſque ad flumen hoſtes fuiſſe perſecutos. Item apud Alexiam oppidum paucis ſuis equitibus Germanos ſubmiſit contra multitudinem hoſtium. Germani uerò uſque ad internecionem hoſtes perſequebantur. Hæc idem Iulius teſtatur. In eodem etiam libro ſcribit, cùm omnis Gallia aduerſus eum ſe apparabat, & dubia uictoria à meridie uſque ad ueſperum fuerat, Germani confertis turmis in hoſtes impetum fecerunt, & Cæſari uictoriam reſtituerunt. Hæc Cæſar. Item in obſidionibus Germanos primò conuenire iuſsit, & uictoriam peperit, ut lib. 1 Bellorum ciuilium teſtatur. Item Iulio Aegyptum ſternente bello, cùm ripa paulò altior eſſet, Germani aquam tranauerunt, & uicerunt, ut idem lib. 4 Bellorum ciuilium tradidit. Hæc ipſe Iulius, qui tantùm ter uictus eſt, bis in Germania, ſemel à Gallis, ut ait Eutropius lib. 6. Auguſtus tantùm in Germania ſuccubuit, refert Iacobus Carmelitanus, & in capitibus ſequentibus, Euſebij, Strabonis, Flori, Eutropij, Suetonij autoritatibus probabo. Ioſephus lib. 19, Germanis, ait, morem eſſe, importabili uti furore, ſicuti & Barbaros ingenio minores, robuſtos corpore, & primo impetu dixit quibuſcunque hoſtibus congreſſos præualere. Hæc Ioſephus. Huius ergo coætaneus Cornelius Tacitus bellicam gloriam Germanis in hoc eripere uolens, magna eorum corpora tantùm ad impetum ualida eſſe dixit. Contrarium Cæſaris omnes teſtantur. Hic enim ubi de periculo agebatur, Germanos immiſit, & hi facta turma, hoſtes fuderunt, ſicuti ſuprà probaui. Et idem Cornelius Tacitus cum uentum ſit in aciem, turpe eſſe principi Germano uirtute uinci, militi uerò uirtutem principis non adæquare. Et hunc uſum Crinitus lib. 12, cap. 7, miris laudibus extollit. Appianus tamen in Celtico ferociſsimos in aggrediendo hoſtes Germanos dixit, & inſignem audaciam eorum ibidem nominat. Plutarchus ſcribit, Germanos militibus Ottonis permixtos maximam ſtragem edidiſſe, & Batauos inde Romanis auxilio ueniſſe & uiciſſe. Suetonius Paulinus Germanos dixit genus multum ualens apud hoſtes, ut eſt apud Cornelium in Hiſtorijs. Mātuanus de Germanorum fortitudine plura retulit: in primo enim libro ad Chriſtianos principes ſcribit:

Fortitudo Germanorum.

Locus Cornelij.

Omnibus his durati auris Borealibus artus,
Atque potens animi membrisque, trucesque feroces.

Et idem;

Feſtinant Daci, rigido gens aſpera cultu,
Aſperior uictu, pugnanti aſperrima dextra.

Et idem in Panegyrico ad Ropertum:

Verùm accola Rheni

Gens durata gelu, genus insuperabile bello,
Quæ toties Romamq; sua ditione premebat,
Europæ Libyæq; urbes, Asiamq; minorem
Terruit, hi superant Parthos, Thracumq; furores.

Herodianus Græcus autor, Maximinum Cæsarem semper in aciem instruxisse Germanos lib. 8 refert, dicens: ἐβούλετο μεταπέμψασθαι τοὺς γερμανοὺς συμμάχους ὄντας ἐν ῥώμῃ, αὐτάρκεις ἐσομένους ἀνθιστῆναι τοῖς ἐπιβουλεύουσιν. Id est, Germanos iussit uenire, qui olim in Roma municipes eius erant, quos sufficientes putabat ad resistendum prætorianis militibus. Et paulo superius: γερμανῶν ἱππέων μεγά τι πλῆθος ἐπήγετο συμμάχους, ἐκείνους γὰρ μάλιστα προβάλλετο, ἵν᾽ ἐκδέχωνται τῶν πολεμίων τὰς πρώτας ἐμβολὰς, θυμοειδεῖς ὄντες καὶ εὔτολμοι ἐν ἀρχομένῃ μάχῃ, εἰδ᾽ ἄρα καὶ κινδυνεύειν δέοι, εὐκαταφρόνητοι ὡς βάρβαροι. Id est, Equitatu Germanico consueuit, quorum multitudinem magnam sibi auxiliarem futuram sperabat. Quos etiam Germanos præponere hostib. solebat, ut primos impetus pugnæ exciperēt, quēadmodum feroces audacesq; uiri in pugnę exordio existerēt. Aut si periculū sibi contingeret, potius illud discrimen uilibus Barbaris ageretur. Hæc ille. Procopius author Græcus Herulorum ac Slauorum populos feroces appellauit. Ouidius in Tristibus: Sauromatæq; tenent fera gens.

Perpetuo epitheto Septentrionalibus ferocitatem esse adscriptam. Cap. 7.

APud priscos itaq; sempiterno adiectiuo ferocitas Septentrionalibus omnibus concessa est. Iulius Firmicus ita rabiem Scythis adscribit. Ita & Ouidius lib. 4 de Ponto, Germaniam rebellatricem: idem & feram dixit, & addit:

Sunt circa gentes prædam quæ sanguine quærunt,
Nec minus infida terra timetur aqua.
Illi quos audis hominum gaudere cruore,
Penè sub iisdem syderis igne iacent.
Nec procul à nobis locus est, ubi Taurica dira,
Cæde pharetratæ spargitur ara Deæ.

Ita Claudianus Alanos implacatos, Vindelicos feroces nominabat. Et idem Claudianus de bello Gotthico, atq; Procopius Slauorum, Herulorum, ac cæterarum gentium crudelitatem ostenderunt. Ouidius Getas nunc inhumanos, nunc malè pacatos, nunc indomitos uocat.

De barba Germanorum, & eorum tonsura. Cap. 8.

Barba Germanorū. BArba etiam Germanorum ac coma hispida horrorem hostibus incussit: longam enim comam, Cornelio referente, nutriuerunt. Vnde Ouidius in Tristibus, Getas intonsos uocauit, & cæteri scriptores Hunnorum facies barbam deformasse scribunt. Nec ferocitati eorū disconueniebat coma. Nam Homerus ut Achiuos bellicosos ostenderet, τοὺς εὐπλοκάμους, id est bene comatos dixit. & Lucianus Iouem minus Veneri aptum ob id uult, magis seriis rebus accommodatum. Fuerunt Septentrionales semper comati, quod Ouidius in Tristibus ostendit, & Lucianus in dialogo φιλίας, differentiam inter Alanos & Scythas facit his uerbis: κοινὰ γὰρ ταῦτα ἀλανοῖς καὶ σκύθαις, πλὴν ὅτι οὐ κομῶσιν οἱ ἀλανοὶ ὥσπερ οἱ σκύθαι. Id est, Simulantur Scythę ac Alani, nisi quoq; Alani minus comantur. Tonsura autem Germanorum talem habebat rationem. Prisco enim instituto hi crinis luxuriē fugerunt, nec patiebantur capillum usquequaq; ad hu-

meros

meros usq; protendere. Herodianus lib. 4, Imperatorem Romanum instar Germanicæ tonsuræ caput rasisse refert, his uerbis: πολλάκι γὰρ καὶ τὴν ῥωμαϊκὴν ἀποθέμενος χλαμύδα ἐνεδύετο τὰ γερμανῶν περιβλήματα ἔν τε χλαμύδα, αἷς εἰώθασιν ἀργύρῳ πεποικιλμένας, ἑωρᾶτο. κόμας τε τῇ κεφαλῇ ἐπετίθετο ξανθάς, καὶ εἰς κουρὰν τῶν γερμανῶν ἠσκημένας. Id est, Sæpè & Romanam uestem deponens Germanicam induebat, atq; in eorum sagulis argento uariatis conspiciebatur: flauam etiam cæsariem capiti imponebat, in modum Germanorum tonsuræ.

Vicinitatem Germanorum semper fuisse odiosam uicinis. *Cap. 9.*

INtoleranda omnibus erat Germanorum uicinitas ob eorum ferocitatem. Nam semper ruptis limitibus uicinos presserunt. Et in primis Franci, quorũ demum truculentia erga uicinos in prouerbium abijt, apud Vrspergensem, τὸν φράγκον φίλον οὐκ γείτονα ἔχε: Francũ uicinum nõ, sed amicum opta. Omnes enim uicinos subegerunt Franci. Maximinus Cæsar iniquo animo ferebat, Romanorum regiones à uicinis Barbaris deuastari, ut Iulius Capitolinus, & Aelius Cordus asserunt. Alexandri Cæsaris temporibus uicina loca latè Germani depopulabantur. Ostendit hoc Herodianus libro quinto, cuius uerba sunt: Postquam imperator literas de Germanorũ insultationibus legebat, & tam à Persis quàm Germanis premebat: οὐ γὰρ, inquit, ὅμοιον ἡγεῖτο, τὸν ἐκ περσῶν κίνδυνον, οἷον ἐκ γερμανῶν. οἱ μὲν μακρᾷ γῇ καὶ γείτονας ποιεῖ γερμανός. Id est, Nec ęquale periculũ imminere putabat à Persis ac Germanis, dum illi in longinqua terra, hi uerò rura uicina ac coluerint. Sidonius Apollinaris sæpè in uicinorum loca populãtes Germanos expeditionem fecisse refert. Miserrimæ planè conditionis gentium illi erãt, qui uicinos in eorũ sanguinẽ satellites inuenerũt. Siquidem id uerũ est, quod apud Hesiod. prouerbialiter legimus, πῆμα κακὸν γείτων: Vicinus malũ pessimũ. Execrabilis Iudæorum aduersus Christianos ac amarissima imprecatio esse cõsueuit, quando malũ uicinum nobis precantur, συνοικοῦντα, id est cohabitatorẽ. Nõ potuissent planè Christianę legis hominibus ullo uoto plus incommodasse, etsi superorum inferorumq; gratiam malam precaturi fuissent, quàm si Germanos illis uicinos optassent. Nazarius Mamertinus & cæteri Panegyricorum miseram semper Galliam nuncupauerunt, dum nimis in agendis prædis accommodatior Germanis fuerit. Alemanni etiã, ut Procopius author Grȩcus lib. 1 de rebus Gotthorum inquit, uicina loca semper populabantur. Et Ouidius in Tristibus Getarum uicinitatem periculosissimam ostendit, lib. 3: *Vicinitas German. odiosa.*

Protinus æquato siccis Aquilonibus Istro
Vicinam latè depopulantur humum.
Diffugiunt alij, nullisq; tuentibus agros,
Incustoditæ diripiuntur opes.

Claudianus poeta pulcherrima uius fictione, Siciliam propinquitatis Gotthorum pertæsam esse, ac montes uicinitatis Germanicæ ostendit impatientes, in bello Gotthico his uerbis de Getis:

Iam iam conscendere puppes,
Sardonicos habitare sinus, & inhospita Cypri
Saxa parant.
Ipsa etiam diffusa breui Trinacria ponto,
Si rerum natura sinat discedere longè
Optat, & Ionium refluo laxare Peloro,
Fultaq; despiciens auro laquearia diues,
Tutior Aeolijs mallet uixisse cateruis.

Olim Turingorum rex ideò affinitatem cum rege Gotthorum contraxit, ut ſperaret pacem ſuis regionibus à uicinis Germanis, ut ſcribit Procopius. Verùm ſpe ſua deluſus eſt: bellum enim cruentiſsimum inter eos oboriebatur. Habuerunt Saxones ac Sueui Francorum uicinitatem ſemper ſuſpectam, referente Hunibaldo. Noſtro quoque æuo malè illis conſultum eſt, qui ſedes fixerunt Heluetijs propinquiores. Theodericus Oſtrogotthorum rex nil plus quàm uicinorum beneuolētiam poſtulabat, ut Sabellicus ait: putabat enim his artibus perpetuò Italia ſe potiturum. Procopius in primo: Turingi, ait, & Viſogotthi Germanorum uires auctas ueriti, hi multitudine præualebant, adeò, ut finitimos omnes iam apertius uiolarent. Hæc ille. M. Antoninus grauiſsimè Germanorum uicinitatem ferebat, referente Herodiano lib. ā: οὐ μετρίως, inquit, δὲ αὐτὸν ἐτάραττον οἱ γερμανοὶ γειτνιῶντες, οὓς οὐδέπω πάντας ἐκεχείρωτο. Id eſt, Terrebat Cæſarem præterea non mediocriter, quòd Germaniæ ſibi uicina gens eſſet, quam nondum planè ſubiecerat, unde in ſocietatem aſciuerat Germanos, & ab eis arma bellumque edocuerat.

Faciem ac aſpectum Germanorum ferocitatem oſtendere, καὶ περὶ τῆς κακοφυΐας Scythæ cuiuſdam, ac Hunnorum deformitate. Cap. 10.

ET quia de Hūnorum deformitate nobis ſermo incidit, inſignia ſcommata cuiuſdam compoſitiſsimi Scytharum tunc Germanorum, à Græcorū autoribus celebrati, uolui oſtendere: tum, ut illius inquiſita deformitate aliorum fœditas nobis repreſentetur: tum, quia riſu digna fabula celebratur à Suida: Græcam orationem remittam ob prodigam uerborum dilatationem. Latina tamen adducā, quę interpretata in hunc ſenſum redeunt: Cerco natione Scytha, genere Mauruſius, Cerci nomen ſibi uendicauit ob deformem corporis habitudinem, ludicramque ſpeciem. Os huic ridiculū erat, cæterùm breuiculus ac curtus, pedibus diuaricatis, naſo rhoncis ſublato, eoque præter modū ſimus uidebatur. Aſpari autem Ardaburio regi donatus eſt, eo tempore quo Aſpar in Libya uerſabatur. Deinde captus eſt à Barbaris in Thraciam immiſsis, ac apud Scythiæ reges alitus, in Attilæ quidem conſpectum non admiſſus. Bleda uerò admodū prę ter modum ridiculo eius ſermone ac greſſu delectabatur: ludicri igitur gratia aderat ei paranti ſibi expeditionem, unde magni faciebat eum Bleda. Dum autem cum cæteris Romanis captiuis aufugiſſet, alijs neglectis, Bleda hunc magna cura requiri uoluit. Captum autem ac ad ſe adductum, dum in uinculis uidiſſet, riſit, cauſamque fugæ quæſiuit: aut cur Romanos Scythis prætulerit? Reſpōdit Cerco, delictum quidem fugam eſſe, ſed delicti ſibi cauſam fuiſſe, quòd ſibi uxor non ſit data. Bleda igitur ioco illo adductus, tradidit ei uxorem nobiliſsimam è reginæ gynæceo productam. Vnde Cerco uſque ad ultimum uitæ terminum apud Bledam regem remanſit. Succeſſor autem Bledæ Attila, ipſum Aetio patricio, ac Romanorum occidentalium imperatori dono dedit: Aetitius autem Aſpari priſtino domino reſtituit. Hactenus Suidas quàm feſtiuiſsimè ſonuit. Claudianus Hunnos, tali forma deſcripſit contra Rufinum:

Suidas de Cercone.

Hunnorum deformitas.

Eſt genus extremas Scythiæ uergentis in oras
Tranſgelidum Tanaim, quo nec deformius ullum
Arctos habet, triſtes habitus, obſcœnaque uiſu
Corpora, mens duro nunquam ceſſura labori.
Præda cibus, uitanda Ceres, fratresque ſecare
Ludus, & occiſos pulchrum iurare parentes.

Ait

Ait enim Iornandes usum esse Hunnis quamprimùm nascantur ferro genas traijcere, & id nonnihil eorum deformitati conferre. Idem collegit Diaconus, Apollinaris Sidonius libro decimonono:

Sed Scythæ fera turba plagæ, feritatis abundans,
Dira, rapax, uehemens:
Hunnus erat. Quis tale solum? iacet axe sub ipsa
Gens animis membrisq; minax, ita uultibus ipsum
Infamem suus horror habet, consurgit in arctum,
Visus adest oculis, est propter prælia natus.
Hæc habet, & teretes arcus, sunt spicula cordi,
Terribiles teretesq; manus, iaculisq; ferendo.

Iornandes ac Rhegino scriptores tantùm ob deformitatem uultus, reliquos populos deterritos subegisse Hunnos referũt. Postquã enim è Scythia in Gotthos illi exarserunt, continuò Ostrogotthos percitos metu deuicerunt.

De bellica fortitudine Germanorum, & de eiusdem testimonio et difficultate uincendi Germaniam. *Cap.* 11.

ID etiam Germanicæ fortitudinis peculiare argumentum est, quòd totius orbis imperium tot annis custodiuerint, dicente Campano in oratione ad Principes, 660 annis penè Germani imperio potiti, quo Italia uix 370 utebatur, uos duplo diuturnius imperium seruastis: & cum Romani Traianum, Adrianum, Theodosium, Hispanos, Aurelianum, Dacum, Philippum Arabum, Seuerum, Aphrum, Maximinum Thracem, Diocletianum Dalmatam, Iouinianum, Valentinianum, eligebant, uos inuicti excelsi neminem non Germanum pertulistis. Hæc ille. Et paulo pòst: Quid, inquit, Germania faciat, cùm olim exigua portio incognitæ insulæ, collecta in Scandia, omnem Europam, Africam & Asiæ partem subiugauerit? Et addit: In Germanica igitur concordia una Christianorum salus sita est. Plinius ad Traianum Cæsarem: An audiant? qui sciant te se dasse ferocissimos populos, eo tempore, quo illis amicissimum, nobis difficillimum fuit: Danubius enim gelu ripas iunxit, ingẽtia tergo bella transportauit, cum ferè hæ gentes, non telis magis quàm suo sidere armantur. Et idem ad eundem quos Germanos infinita uastitas, plurimæ gentes muniunt, & Pyrenæi alpes dirimunt. Panegyricus ad filium Constantini: Facile est, inquit, uincere imbelles Indos, & timidos, quos amœna Græcia aut Oriẽtis deliciæ educunt, uix bene pallium & sericum tolerantes. At trucem Francum, qui ferina sola carne distentus, uitam propter sui utilitatem contemnit, quanta molis sit superare? Idem Panegyricus ad filium Cõstantini: Alterum terrarum orbem Cæsar peperit, cum Germaniam debellauerit. Franciscus Philel. libro 32. epist. Hungari, inquit, adiacent gentibus bellorum cupidissimis Germanis, qui nec rura colunt, uerùm semper armati equitant, incedunt, nulli opificum mores, &c. Et idem libro 34. ad Nicoalum ducem Venetum: Habent, inquit, Hungari bellicosissimos populos, qui nihil aliud malunt, quàm expeditionem. Et ad Laurentium Medicem libro 37: Nec mirum, cum tot Barbarię gentes Vandali, Gotthi, Hunni, Longobardi, Germani, Burgundiones, Franci, Belgæ, linguam ipsam & mores & doctrinam & uires Italorum mutauerint. Mamertinus ad Maximianum ita alloquitur Germanos: Non, inquit, estis in ociosa ac delicijs corrupta regione nati, sed in his quas ad infatigabilem consuetudinem laboris & patientiæ usus imbuit. Semper enim hosti oppositi estis, semper instructus miles exercet terram, omnis uita eorum militia est, quarum fœminę, cęterarum uiris fortiores

Diutius Germani Romanis imperabant imperio.

ſunt. Egeſippus, qui, inquit lib. 3, impacatas Gallias Germanorũ tumultu eriperent. Et lib. 2, idem inſuperabiles dixit Germanos. Arrianus Græcus autor libro primo, de geſtis Alexandri, Danubium, ait, bellicoſiſsimas gentes præterfluere: & paulo pôſt elatum animũ ipſis adſcripſit. Ammonius ſcriptor Francorum libro primo, capite tertio, Germanos præeminente uirtute uiros appellat. Plinius Epiſt. lib. 9 ad Caniniũ Ruffum de Traiani triumpho ait: Super hæc arctos bis triumphauit, quorum alter ex inuicta gente, primus etiam è maxima difficultate erogatus eſt. Hæc ille. Cætera quæ ad hanc lineam requiruntur, uberiori memoria libro proximo appendemus.

De ſignis quibuſdam ferocitatis ſeu fortitudinis Germanorum. Cap. 12.

Nomina Germanica. MVlta ſigna ferocitatis in Germanis relicta ſunt. Primò nomina eorum tantam habent ferocitatem, ut hi tantùm nomine terruerint cæteros. Vnde ait Nazarius Mamertinus ad Conſtantinum: Quid clamoſos Cheruſcos, Vangiones, Alemannos, Tubantes, memorem, ubi ipſius uocabuli Barbaries horrorem adhibet? Vox etiam Germanorũ minax & metuenda eſt, ut ait Marcellinus hiſtoricus lib. 15. Item armorum uſus quotidianus in Germanis exercebatur, ita ut Philelphus in epiſt. contra Turcos ad Chriſtianos principes, in bello, pace ac agrorum culturis, nunquam inermem fuiſſe Germanum oſtendat. Idem Cãpanus in oratione Ratiſponenſi, & Egeſippus armatos ipſos funus cuiuſdam imperatoris deduxiſſe, ac ſi in bella proficiſcerentur, refert. Idem Nazarius Panegyricus ad Diocletianum demonſtrat. Ouidius de Ponto:

Omnia barbaricè loca ſunt, uociſq; ferinæ,
Omnia quæ poſſunt plena timore ſonant.

Celtes quoq; nil muliebre uocem Germanorum ſonare dixit. Verùm ſpiritum eorum fortia corda prodere: & ut demum modum orationi noſtræ imponam, Ouidius omnia crudelitatis genera reperiri in Germanis illo diſticho interclusit, de Getis dicens:

Vox fera, trux uultus, uerißima mortis imago,
Non coma, nec ulla barba reſecta manu.

Dona uictorũ Germanorum. Aliud Germanicæ fortitudinis erat incitamentum, quòd donis etiam uiri fortes alliciebantur: dabatur enim uictoribus è uiridi gramine decerpta laurea, qui obſeſſos liberabant. Nã apud antiquos ſignũ erat uictorię herbam porrigere: quem morem & apud Germanos fuiſſe, Plinius lib. 22, cap. 4 teſtatur. Cornelius Tacitus equis, frameis, gladijs, aut armis donatos, ſcribit fortes Germanorũ uiros, & poſt eum Petrus Crinitus libro 12, cap. 6. & Sabelli. libro 2. Ennea. ſex.

De pœna illorum qui ſuccubuerunt, ac ab aliquo uincebantur. Cap. 13.

Pœna uictorũ abſciſione manuum. SCythis peculiare fuerat uictis ab eis manus amputare, quemadmodũ Toxaris apud Lucianum oſtendit natione Scytha: ὡς ἔγωγε πολὺ ἥδιον ἄν μοι δοκῶ μονομαχῶν ἡττηθεὶς, ἀποτμηθῆναι τὴν δεξιὰν, ὥσπερ τὸ σκυθικῆς ἐπιτίμιόν ἐστι. Id eſt, Adeò ut ego quidem, & ſi ſingulari certamine uictus eſſem, facilè paterer mihi amputari dexteram, quemadmodum penes Scythas pœna illorum eſt, qui uincebantur. Apud eundem Lucianum & Mneſippus cõtra Toxarim: ἂν γὰρ τοῦτο γένοιτο, οὐ τὴν δεξιὰν ὥσπερ ὑμᾶς, ἀλλὰ τὴν γλῶτταν ἀποτμηθῆναι καλόν. Id eſt, Etſi tunc abs te uincor, non ſolùm dexteram nobis, ſed & linguam amputare fas ſit. Cæterùm Cornelius Tacitus non quicquam poſſe infamius Germanis accedere, quàm aliquem è pugna confugiſſe uoluit.

De

De fortitudine quorundam Germanorum, & nostros semper Imperatoribus Romanis repugnasse. Cap. 14.

VEnio nunc ad unius saltem gentis Gotthorum uidelicet uirtutem, cuius fortitudinem Agathias, Ablauius, Iornādes, Dion, & multi tam nominis quàm animi uiri prosecuti sunt. Nam Mantuanus ille etiam Baptista de eis testimonium plenum dedit, cum ait: Sæuitia [Ger]manorum.

Qui Martem genuisse ferunt, hi spicula torquent
Panthesileæa non inferiora securi.

Et optimè Mantuanus: Hispania enim, Lybia & Asia, testantur eorum seuitiam, ut Methodius martyr, Rhegino Pruniensis, & Paulus Diaconus scribunt, & præcipuè Italiæ urbes funditus dirutæ. Claudianus de Gotthorum in Thraciam irruptionibus ita infit:

Ex quo iam patrias gens hæc oblita Triones,
Atq; Istrum transgressa semel, uestigia fixit
Thraicio funesta solo, ut impegit erinnys
Præcipites per claustra ruunt, nec contigit ullis
Amnibus, aut scopulis proprias defendere terras.
Nil Rhodope, nil uastus Athos, nil profuit Hæmus
Odrysiis, facili contemnunt Strymona saltu,
Et frustra rapidum damnatq; alimonia bellum.
Nubibus intactum Macedo miratur Olympum
More per erratum, campi gemit irrita tempe
Thessalus. & domitis irrisum Cotibus Oenum
Seruati Dryopes, nec nubifer actia texit
Littora Leucates, ipse qui durius olim
Restiterat Medis, primo conamine ruptæ
Thermopylæ, uallata maris Scyronia ripis
Isthmos, & angusti patuerunt claustra Lycæi.
Culmina Taygeti, trepidæ uidistis Amyclæ.
Secum cuncta uehens, à Gadibus usq; Britannum
Terruit Oceanum, & nostro procul axe remotam
Insolito belli tremefecit murmure Thyle.

Reliqua istiusmodi cum ad damna Romanis à Germano milite illata peruenero, declarabo, Huttenus poeta egregius ita loquitur:

— Terrent Germana Britannos
Auxilia, Hispanos arcent, pugnatur ab illis:
Splendida Pharsalico parta est uictoria campo.

Et ut cōcludam, Otto Frisingensis capite quadragesimooctauo libri secundi ait: Germani omniū fortissimi & bellicosissimi. Qui plura legere desiderat, Suetonium Tranquillum, Iosephum, Egesippum in oratione Agrippæ ad Iudæos, uideat. Hæc Otto. Iosephus autem libro septimo Titum introducit, fortitudinem eorum demonstrantem, & 19 Antiquitatum libro, robusti corporis gentem dixit Germanos. Egesippus libro quarto: Domitianus, inquit, fortius indignatos remittit Germanos in Capitolium, qui ferocis immanitate gentis, Resistētia Germanorum.

simul numero ualidiores circumuenerunt. Sabini enim rebellione facta, propè omnes interfecti sunt. Et libro tertio ingenitam ferocitatē Germanis ostendit, ubi de Domitiano loquitur. Hæc ergo fortitudo ab omni sortis improsperæ casu Germanos custodiuit, ut Romanus populus omnibus uiribus uix subijcere Imperio eos potuerit, ut Picus Iunior scribit. In hoc ergo Claudianus poeta ex decreto adulabatur Stilliconi, cùm sine ferro ac nullius belli horrore deuictos Germanos scribit. Quis enim meminit, authore eodem, deuictum sola formidine Rhenum? Verba Claudiani huiusmodi sunt de Germanis:

Miramur rapidis hostem succumbere bellis,
Qui solo terrore ruit, nunc classica Francis
Intulimus, iacuère tamen non Marte, Sueuos
Contudimus, queis iura damus. Quis credere poßit,
Ante tubam nobis audax Germania seruit.

Bene, inquit, quis credere posit? credat hoc Iudæus Apella. Cæsaris Iulij spretores, Augusti, uniuersi orbis penè ac diuûm arma contemnentes, sine ullius Martis facie oscitantes, Stilliconi se dedidisse, præcipuè cum omnis res Romanorum temporibus istis in turba fuerit, & continuis calamitatibus agitata memoretur, & afflicta, Hieronymo teste. Paulo pôst idem Claudianus de Germaniæ sine armis subiugatione loquitur, & addit:

Ulláne proſperitas credet?

Sic Nazarius Mamertinus inauditum aliquid se relaturum putat, dum Germanos succubuisse inducit. Huic autem iniuriæ Germanis illatæ à Claudiano Stilliconis adulatore, postea respondebimus, cùm Stilliconis facta retegemus, in quo nihil memorabile, nisi perfidiam, Orosio, Iornande, Paulo Diacono, & alijs authoribus, reperimus. Simili infamia Sidonius Apollinaris Germanos affecit, ita ad Maioranum uenatorē quendam dicens, ut carmē sequens habet:

Et licet aggrederis, quod nullus tempore nostro
Augustus potuit, rigidum septemplicis Istri
Agmen in arma rapis.

Verùm quid non potuit in assentatione fauor principum? Iniuria igitur scriptorum non uirtute uicti sumus.

De uelocitate & innato robore Germanorum in bello. Cap. 15.

Velocitas Germanorum.

BElli uirtus summa est uelocitas: quicquid enim unquā ab Alexandro Magno egregiè gestum est, id uelocitatis præsidio agebatur. Vnde Q. Curtius, scriptor facundus, nullam Alexandri uirtutem in tantum extulit, quantum summam eius uelocitatem. Verùm ut ad Germanos transeam, Cæsar uelocitatis eximiæ Germanos dixit in primo Cōmentario. Quod etiā Senec. in lib. de Ira annotauit, quando ait: Quid Germanis animosius? quid cursu acrius? & optimè. Nam Germanis quid uelocius Asiam, Phrygiam, & totius Orientis partes transcurrit? Illud ipsum Hieronymus miratur in epistola ad Eustochiam & Marcellinam, Cum tres ultimos libros, inquit, explicassem, Barbarorum impetus instar torrentis fluuij Aegypti limitem percurrit, ut uix effugerim. Et idem ad Heliodorum: Nam certè, inquit, præterito anno ex Caucasi ultimis montibus Septentrionales lupi inuaserunt, & tam breui prouinciam nostram percurrerunt. Quod Claudianus innuit his uerbis de Germanis:

— Ventis ueluti si frena remittat
Aeolus, abrupto gentes sic obice fudit

Armeniasq;

Armeniasq; niues inopino milite ducti,
Heu heu quàm breuibus pereunt ingentia causis.

Nazarius Mamertinus Iuliano, inquit, qui paulo antè inaudita regionũ, fluminum, mõtium nomina exercitu uictoriç peragrauerat, per ultimã ferarum regna calcata, regum capita superuolans, in medio Illyrici sinus improuisus astitit. Illa autem uelocitas innata Germanis extitit, referente Iosepho de bello Iudaico. Campanus in epistola ad Germanos: In primis cunabulis, inquit, priusquam nati esse uidentur, addicti armis sunt. Et idem: Omnes Cęsares solos Germanos corporum custodes sibi asciuerunt, ut eos tanquam natura ad robur, & ad arma, & fidem genuissent. Procopius Gręcus in rebus Gotthorum, penes Iustinianum refert Slauum quẽdam uelocissimum ac fortissimum nutritum, qui in uepribus abscondens se, manè exoriente, Gotthorum quendam raptum, uiuum in castra Iustiniani detulerit.

De contemptione mortis Germanorum, & ratio cur id fiat.
Cap. 16.

Contemptio mortis Germanorum.

GErmanos uitæ prodigos Philippus Beroaldus scribit in carmine de Germanorum laude, quod epitheton perpetuò Germaniæ attribuitur, dum nostris, ut & Iosephus scriptor testatur libro de bello Iudaico decimoseptimo, animam mortis contemptricem scriptores cõcesserint. Cornelius Tacitus infame esse scribit in omnem uitam, et probrosum Germanis, superstitem ex acie rediisse. Idem paulo antè, relinquere scutum, præcipuum flagitium scribit, cui nec sacris inesse, aut consilium inire fas sit. Et multos addit superstites bello, laqueo uitam finiuisse. His moribus quoq; Heluetij hodie incumbunt. Plura de mortis eorum contemptione Seneca quæstion.6. Naturaliũ collegit. Appianus autem in Celtico, eandem sententiam fouit, & hanc rationem dat: Eorum contemptus mortis, inquit, magnus est, ob reuiuiscendi spem. Egesippus cæteris gentibus in contẽptione mortis ualidiores dixit Germanos. Bataui apud Cornelium missi sunt iterum in Germaniam, ne truculentius quid auderent. Seneca libro de Ira tertio: Quid Germanis animosius? quid cursu acrius? mortis cupidius? Mantuanus ad Cæsarem:

Quem sequitur magnis dominans Alemannia campis,
Gens fera contemptrix animæ.

Campanus in oratione ad Germanorum principes, omnia ob patriam contempsisse refert Germanos: uocauit mortis contemptores felices Mantuanus, bene. audacem enim Græci εὔψυχον, & audaciã εὐψυχίαν uocant, ab animę qualitatibus ac conditionibus. Huius autem ratio est, cur ita mortem contemnant, cœli influentia, & siderum bonitas, quæ robur his addunt, & mortis contemptionem pariunt. Sicuti Ioannes Escidensis, in prima triplicitate, sub Septentrione, & Occidentis angulo, ubi Iupiter & Mars imperia exercent, bestiales, bellicosos, magnanimos, fortes gigni, ut Germanos, Britannos, authoritate Ptolemæi, Haly, & aliorum approbat. Maternus Firmicus per horoscopos Martis aliquos fieri bellicosos scribit. Alij asseruerunt sub Septentrione curru & plaustro degentes, magnanimos effici in septimo climate, ut idem Io. Escidensis capite 5. distinc. 8. Huic opinioni innititur Luca. lib. 2.

Ratio astrologica prodigalitatis uitæ German.

Certè populos quos despicit arctos
Felices errore suo quos ille timorum
Maximus haud urget læti metus, inde ruendi
In ferrum mens prona uiris, animæq; capaces

Mortis,

Mortis, & ignauum est reditura parcere uita.

Alij tamen qui rebus naturæ insudant, rem argutius tractauere, & hanc rationem collegerunt. Aristoteles Problematum partitione 14, in locis calidis timidos esse tenet, in frigidis uerò uiriles, quia natura calesit: secundam naturam enim calidi sunt, & ita caro propter frigus exterius condensatur. Hæc ille. Vegetius in primo De re militari, militem in Septentrione eligendum suadet, ex eo, quia mortem non timeat. & huius causam hanc adducit: In locis frigidis homines plurimi sanguinis esse, unde fieri, ut non timeant uulnerari. Picus in secundo Hym. commentario, probabilius rem prosecutus est, scilicet, plurimum sanguinis circa præcordia constipatum Septentrionalibus superesse, & ob frigus aeris continentis calefieri, & ita animos et audaciam prębere uoluit. Huius sentētię assertor est Aristot. quoque Problematū sectione 28, ubi audaces sanguine plenos facit, & motū ita sursum tendere. Albertus tamen De natura loci, capite 3, corpora Germanorū ratione frigiditatis quę in eorum loco est, constringi ait, & quia multū hi habeāt humoris, carnosos effici: quia uapor in loco digestionis generatus, euaporare non potens, constrictione reflectitur ad stomachum, & generat aqueum humidum, sicut fumus in olla feruente reflectitur ad operculum, et generatur aqua. Et quia corda eorū calida sunt, in audaces transmutantur, calor enim abundat spiritu & sanguine: unde fit ut magis timeāt Germani febrem quàm uulnera. Hæc Albertus. Manilius astrologus per sidera ita Germanis fortitudinem concedit lib. 5, ait enim:

Scorpius armata uiolenta cuspide cauda,
Qua sua cum Phœbus currum per sydera ducit,
In bellum ardentes animos, & Martia castra
Efficit, & multo gaudentem sanguine ciuem.

Seneca lib. 2 de Ira, fortiora ingenia solidæ naturæ prona esse ait, & Germanos in exemplum assumpsit.

De gratia bellica Germanorum apud Imperatores. Cap. 17.

Postquam Germanorum uires Romani experiebātur, uix bellum consummatum est sine ductu & auspicijs Germanorum. Tanta eorum apud imperatores uigebat gratia, Campano autore. Iulius, ut Marlianus ait, in eius exercitu semper habuit Germanos. Iacobus Carmelita cohortis Cęsaris ductorē Germanum fuisse ait, & pręsentiam ipsorum in bello Gallico prius declaraui. In bello autem Ciuili eorum meminit Appianus, & Lucanus libro primo dicens:

Gratia Germanorū apud Imperato.

Deseruêre cauo tentoria fixa Lemanno
Tristia, quæ Vogesi curuam super ardua ripam
Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.
Soluuntur flaui longa statione Rutheni.

Et addit:

— Tum rura Nemetes
Qui tenet.
Et Biturix longisque leues Axones in armis,
Optimus excusso Leucus, Rhenusque lacerto:
Et docilis rector monstranti Belga carini
Vangiones Batauique truces.
Tu quoque lætatus conuerti prælia Treuir,

Et

Et uos crinigeros belloq; arcere Chaicos.
Oppositi Romam petitis, Rheniq; feroces
Deseritis ripas, & apertum gentibus orbem.

Vbi secundum Sulpitium ultimo illo uersiculo totam Germaniam uoluit inferre. Caio inde Cæsari gratissimi acceptissimiq; Germani conuinciebantur, ut Iosephus libro decimonono Antiquitatum scribit. Antoninus quoq; Cęsar adeò Germanos dilexit, ut ualidissimum quemq; in bello, & socios & custodes sibi asciuerit: & aliquando Germanorum uestem indutus, Romano cultu dimisso, flauam capiti cæsariem imponens, ad modum Germanicæ tonsuræ gestabat, ut Herodiano placet libro quarto Histor. Antoninus Pius quoq; Marcomannos Germanos in exercitu suo sustentabat, ut apud Aelium Spartianũ uidere est. Maximinus quoq; numerum Germanorum habuit secum, colligentibus Herodiano libro septimo Histor. & Iulio Capitolino. Sub Nerone etiam in Syria militabant Germani, cuius rei Dion Bythinus Græcus author est. Adriano quoq; præcipuè gratus erat Masor Iazygum unus ductor, ob id quòd in eo fuit robur & audacia. Id de Caligula, Cornelius in Historijs, & Suetonius in eius uita referunt, cuius uerba sunt: admonitus dicitur turba Batauorũ, quos circa se habebat. Herodianus omnes penè Imperatores τοὺς συμμάχους sustentasse Germanos asserit. Eius uerba sunt de Maximino, libro octauo: ἐπηκολούθουν δὲ καὶ οἱ ἀπὸ γερμανίας ἐληλυθότες σύμμαχοι, ἐθάρσει γὰρ αὐτῶν τῇ εὐνοίᾳ, ἅτε καὶ τοῦ ἔθνους ἐπιεικῶς πρότερον ἄρξας. Id est, Proficiscebantur & cum ipso auxiliares copiæ Germanorum, quibus maximè confidebat, quibus & olim præfuerat. Et in alio loco de eodem: ἀφικνεῖτο δὲ αὐτῷ γερμανῶν, οὐκ ὀλίγη συμμαχία, πεμφθεῖσα ὑπὸ αὐτῶν κατὰ εὔνοιαν. Id est, Mittebatur etiam Cæsari non paucus auxiliarium Germanorum numerus à popularibus beneuolentiæ nomine, quibus olim Maximinus dum Imperio præfuerat, diligentissimè moderabatur. Idem Herodianus libro sexto apud Alexandrũ Germanos fuisse refert: ὅθεν οἱ νεανιοὶ γὰρ οἷς ἦν τὸ πολὺ πλῆθος παιόνων μάλιστα: Erant & iuuenes apud ipsum quorum bona pars è Pannonia ueniebat. Iustinianus etiam aduersus Gotthos nullis nisi Germanis utebatur. Habuit semper Narses apud eum duo millia Herulorum. Bellizario quoq; semper aut Longobardi, Slaui aut Heruli mittebantur, ut Procopius in omnibus penè libris, quos de rebus Gotthorum cõscripsit, publicè profitetur. Claudianus quoq; penes Stiliconẽ Germanos fuisse asserit, Et quos nascẽtes explorat gurgite Rhenus. Venit accola syluæ Bructerus Hercyniæ, ac Albim liquere Cherusci. Galatæ populi in ære Antigoni militabãt, ut Iustin. li. 25 scribit.

Germanos semper Imperatorum corporibus fuisse adhibitos, & de nimia familiaritate Imperatorum erga Germanos.

Cap. 18.

TAnta inde gratia Germanorum obtinuit, ut nulli alij corporibus principum custodiendis adhibiti fuerint: nec ullus Imperatorum extitit, qui nõ Germanos in custodes, quos Gręci λυκόποδες σωματοφύλακας appellant, sibi asciuerit. Cornelius Tacitus Histor. libro primo, Germanorum, inquit, qui tunc Imperatori custodes aderant, de Augusto locutus est. Procopius author Græcus Iustinianum Cæsarem satellite quodam Slauo ingenti ac fortissimo fuisse prouisum asserit. Nimium etiam familiaritatis Imperatores cum Germanis habuerunt, ut eorum gratiam uberiorem sibi conciliarent. Quod tamen in Alexandro Lampridius reprehendit, ac nimiam ciuilitatem Imperatoribus non conuenire asserit. Herodianus scriptor eidem Imperatori tantã adscripsit cum Germanis familiaritatem: ᾠκειώσατο δὲ καὶ πάντας τοὺς ἐπέκεινα γερμανούς, ἔς τε φιλίαν ὑπηγά-

Germani apud Imperatores.

ὑπηγάγετο, ὡς καὶ συμμάχους τῶν αὐτῶν λαβεῖν, καὶ τοῦ σώματος ἑαυτοῦ φρουροὺς ποιήσασθαι, γενναίους τινὰς καὶ ὡραίους ἀπολεξάμενος. Quod illud nobis significat: Adiunxerat autem sibi comites Germanos, quos & in amicitiam sibi deuinxit, adeò ut socios bellorum ac corporis custodes ualidissimum quemque & pulcherrimum sibi asciuerit. Addit etiam Herodianus, eum nonnunquam deposita Germanorum ueste, Germanica usum esse, & flauum capillum capiti imposuisse, ut sibi Germanorum beneuolentiam conciliaret. Suidas Græcus eandem ciuilitatem Antonino Cæsari adscripsit, sic inquiens: ἐπεὶ δὲ τὸν ἴστρον κατέλαβε, καὶ τοὺς ἐκεῖσε γερμανοὺς ἐφιλοποιήσατο, ὡς καὶ συμμάχους τῶν αὐτῶν λαβεῖν καὶ τοῦ σώματος φρουρούς, καὶ ταῖς φορεσίαις αὐτῶν χρῆσθαι, οὕτωτε καὶ ὑπὸ τῶν βαρβάρων καὶ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἠγαπᾶτο, κοινὸς ὢν πρὸς ἅπαντας, ὡς συστρατιώτης μᾶλλον, ἢ βασιλεὺς τῶν αὐτῶν λεγόμενος. Id est, Inde ad Istrum profectus Germanos adeò in sui amorem conciliauerat, ut commilitones ex ipsis sibi constituerit, & corporis tutores, & eis in sui tutelam usus fuerit, ob quod à Barbaris ac toto exercitu diligebatur. Erat enim omnib. familiaris, adeò etiam, ut plus commilitonis nomine quàm Imperatoris appellatus sit. Cornelius libro decimotertio: Dum Romani ad claustra Caspiarũ penetrabant, Germanos pugnæ affuisse dicit. Et idem in alia expeditione quę in Albanos parabaẽ, ait Cornelius, lib. 17. Itẽ Vitellius Capitoliũ cum Germanis expugnauit, Iosepho lib. 5 Antiquitatũ indicante. Item Constantinus secũ Germanos habuit, aiunt Sosimenus, & Aurelius Sextus. Bebelius etiã circa lectũ Herodis filij Germanos fuisse scribit, autoribus Iosepho, lib. 7. & Egesippo, li. 1. Item Mithridates secũ Germanos tenuit, ut Iustinus lib. 38. Itẽ Marcus pater Cõmodi: Otto quoque, ut ait Plutarch. in uita eius, Batauos & Germanos apud se aluit. Galba custodes corporis eos habuit, Suetonio referẽte. Similiter & Nero Caligula, & mater eius Agrippina, ut Iosephus scribit Antiquitatũ 19, multa ex Cornelio nostro illic collegit. Germani etiam in conflictu Gordiani & Maximini fuerunt, ut scribit Iulius Capitolinus. Item Lolianus adhibitis Germanis ad bellum, diu protraxit pugnam, ut in Victorino loquitur Trebellius Pollio. Apud Ruffinum quoque Germani egerunt, quod Claudianus ostendit lib. 1:

Iam gentes Istrumque mouent, Scythiamque receptant
Auxilio, traxêre suis hostilibus armis
Relliquias, mixtis descendit Sarmata Dacis,
Massagetæ. patriumque bibens Mæotis Orontem.

Fridericus etiã 3 augustissimus, Maximil. nostro Cæs. cũ ad ultimã uitæ suæ desperationem redactus fuerat, dixisse fertur, ut in primis Germanos coleret, quorũ præsidio facilè hostiũ minas in ludibriũ interuerteret. Quid uerò nostro sæculo opinionis Imperatores Germanorũ militibus adscribaẽ, constat uniuersis: summorũ enim pontificum hactenus fuit consuetudo, Heluetiorũ præsidio uel doryphororũ se facere munitos. Testantur hæc Iulij II, Pij II, Alexandri, & aliorum scriptores. Age quid Gallorũ rex unque sine Germanis egit? Nam profectò in tota Gallia nõ continere se posset, nisi Teutonicorũ præsidio uallareẽ. Ego solido sensu loquor: nõ est totius orbis regio, ubi non Germanorũ authoritatem corã principibus experiaris. Nulla est simul prouincia, regio, Imperiũ, ubi nõ summũ militiæ & authoritatis imperiũ apud principes sibi semper uendicent Germani. Vnde factũ est, ut nihil egregiè unque sine Germanis gestũ est. Friderici enim, Cõradi, Henrici, Ottones, Lotharij, Gotfridus, & alij, quicquid egerunt, Germanorum pręsidio illud peregerunt. Longobardos uastauerunt, Hierosolymam penetrauerunt, Græciam populabantur: Hungariam, Bohemiam, Illyricum trãsmeati sunt. Taceo bella Neapoli, in Gallia, Hispania, Anglia, gesta, & quæ quotidie Germanorum ductu & auspicijs geruntur.

De po-

De potentia Germanorum, & authoritate in bellis, & obseruantia eorum nominis. Cap. 19.

TAnta Germanorum apud priscos potẽtia fuit, ut resistentibus quibuscunque, eorum semper opinio oportuerit præferri, unde plures Imperatores ipsi constituerunt Germani. Vitellius enim ab ipsis ad imperium euectus est, Cornelio, Suetonio, Methodio, Egesippo libro quarto, Orosio libro septimo, autoribus. Vespasianus contra eorum potentiam primò dubitauit, an nitendum sit, Cornelio autore. Claudium imperatorem Germani initiauerunt, ut Iosephus lib. 19 scribit. Maximinus imperator effectus est à Germanis, ut Symmachus lib. 5 Histo. Iornandes & Capitolinus autem cõtra senatus autoritatem etiam, ut collegit Herodianus. Seuerus imperator à Germanis creabatur, Aelio Spartiano probante. Clodium Albinum noluerunt Germani in imperatorem consecrari, & ita priuatus est imperio. Constantinus quoq;, ut Aurelius ait, ab ipsis imperator creabatur. Hæc de Iuliano Cæsare scribunt Solimenus historicus lib. quinto, capite 50. Ammianus lib. 15. Platina pontifices & imperatores allegat, contra omniũ gentium opinionem solis Germanis instantibus, ad talem amplitudinem ascendisse. Hodie quoque & summam authoritatis arcem sibi uendicauerunt: soli enim sanctissimi imperij regem & dominum constituendi facultatem obtinuerunt. Ecce quanta eorum potentia, qua Cæsares adducti sunt, ut quilibet Germanici nomen sibi uoluerit ascire: non enim extremæ fuit laudationis, dicere Germanicum Cæsarem aliquem. Quod Martialis in Epigrammatis libro secundo ostendit:

Opinio Germanorum.

Esse Germanicum.

Creta dedit magnum, maius dedit Aphrica nomen,
Scipio quod uictor, quodq; Metellus habet:
Nobilius tribuit domito Germania Rheno,
Et puer hic dignus nomine Cæsar eras.
Frater Idumæas meruit cum patre triumphos,
Dicitur ex Cattis gloria tota tua.

Vnde Panegyricus ad Maximianum: Quid maius, inquit, euenire potuit illa tua in Germaniam transmigratione? Aufidius, ut Iulius Capitolinus ait, Victorinus Germanici cognomen tulit, quia etiam Cattos deuicit. Dracontius Romanis scribit fuisse decens & gloriosissimum dici Germanicum, ob insignẽ Germanorum gloriam. Germani enim auctore Egesippo libro secundo, totius imperium orbis sibi semper assumpserunt. Cætera sequentur.

De laude & præconijs Romanorum Germanos debellantium. cap. 20.

NVnc ad amplitudinem eorum descẽdam, quibus etiam exilis uictoria de Germanis contigerat. Marius ut deus habitus est, quia Teutonas destituerat, ut ex Plutarcho, Iuuenale, Propertio, Floro, Plinio libro 13, capite 11. Valerio in libro sequenti adducemus. Pompeius apud Lucanum Cæsari inuidebat de Germanis uictoriam, & de Gallis. Verebatur enim hæc obscurare suos triumphos. Maximinus quia prosperè rem gessit in Germania, imperator continuò euasit, ut Otto libro tertio, cap. 32. Platina in uita Antheri Papæ scribunt. Pertinax, quia sub imperatore feliciter gessit, cõtinuò Cæsar consecrabatur imperatore mortuo, ut Herodianus lib. 2 exequitur. Iulianus, ut aiunt Sozimenus lib. 5, capite 50 Histo. & Ammianus lib. 16, in fine, quia Germanis feliciter conflixisset, ausus fuit imperiũ affectare. Clodium Albinũ magni fecit eius de Trans-

Laus imperatorum Germanos debellãtiũ.

rhenanis uictoria, ut Seuerus & Iulius Capitolinus collegerunt. Cæsaris nomen Comodus sibi indidit & adeptus est, ob fusos Germanos stipendij facultatem. Victorinus quoq; cum tantum Cattos uicisset sub Antonino Pio, mox imperator effectus est. Et quia nobilitant ueteres, ut Claudianus ait, Germanica fœdera Drusos: quilibet Germanici cognomen sibi arrogare uoluit, sicuti de Domitiano, Druso, Claudio, Vitellio liquet. Sicut apud Aelium Spartianum Antoninus Caracalla, apud Iulium Capitolinum Gordianus, Tacitus apud Fl. Vopiscum, Iustinianus apud Hunibaldum, Iornandem, & alios. Claudianus quantæ laudis sit uincere Germanos, de Stilicone adducit tantum semel de Germanis uictore:

Qui mihi Germanos solus Francosq; subegit,
Cur nondum legitur fastis? cur pagina tantum
Nescit adhuc nomen? quod iam numerare decebat.
Usq; adeò ne leuis pacati gloria Rheni?

Et idem Claudianus paulo pòst maiorem laudem Germanicum siue Gotthicum bello esse scribit, & plus Stiliconi deberi quã Pyrrho, Decio, Fabricio, Mario, Paulo, Achilli, & alijs ęstimauit: facta em̃ horũ egregia memoria, subiungit:

Quanto maius opus solo Stilicone peractum,
Cernimus hîc gentem, non Chaonas atq; Molossos.
Quos Epirus alit, nec Dodonæa subegit
Agmina.

Et idem:

Nil ueris æquale dabant prohibere rapaces
Scilicet Harpyias, suetaq; excludere mensa
Nobilior titulus, quàm tot potuisse paratas
In Latij prædam Geticas auertere fauces.
Ast ego terrigenas potius mirabor in ipsis
Procubuisse satis, uitæ quibus attulit idem
Principium, finemq; dies, quàm cæsa Getarum
Agmina, quos tantis aluit Bellona triumphis.

Verùm nec Stilico Germanos adeò armis fregit, uel Getas, ut Claudianus Panegyricorum more de ipso testatur. Sed Probus imperator Germanos solus uicit: huic quãtus ideo honor delatus fuerit, Fl. Vopiscus adduxit. Claudianus etiam id testatur, cum inquit:

Omni nobilior lustro tibi gloria soli
Contigit, exactum nunquam memorata per æuum,
Germanos habuisse duces.

Crinitus lib. duodecimo, cap. sexto, de huius triumpho pluribus edisseruit.

De fortitudine & industria Germanicarum mulierum. Cap. 21.

Mulierũ Germanicarũ fortitudo.

FVit hęc igitur Germanorum uirtus bellica obuia ac manifesta omnibus, ita quòd non inueniatur, quem nec ultra primas saltem literas progressum fugiat. Vt autem nulla pars fortitudinis nostræ remittatur, maiorum nostrorum mulieres saltem in exemplum assumamus, uideamusq;, cui militiæ sacramento hæ se astrinxerint, in quo paternæ libertatis ardore illæ coaluerint. Harũ enim uirtutis

uirtutis præsidio facilè Germanicæ fortitudinis periculum & exemplar nancisci possumus. Plutarchus librum apud Græcos de illustribus mulieribus, & Ioannes Boccatius apud Latinos ediderunt, à Germanicarum uerò mulierũ memoria recesserunt, quę tamen belli uirtute omnes eiusdem generis fœminas deuicerunt. Cedant in hoc Amazones Germanis, quarum uirtutem Germanicæ mulieres, Bohemia olim occupata, suis facinoribus æquarunt. Bohemiã enim, ut scribit Aeneas Syluius lib.1 Hist. fœminæ olim regebant, & regioni præfuerunt, non minoris uirtutis quàm Amazones æstimatæ. In bello etiam Cimbrico mulieres hostium arma sumpserunt, & contra Romanos uirorum instar infremuerunt armis, sicuti ait Plutarchus in uita Marij: & addit, commisso pręlio, & rebus Cimbrorum afflictis, mulieres seipsas occidisse, & pueros ultra currus proiecisse, ne in hostium uenirent potestatem, terribilissimum tradidisse spectaculum. Val. Max lib.5. cap.1. & cum ipso Orosius lib.6, mulieres Mariũ rogasse uoluerunt, uti uirginibus Vestalibus iungerentur, re uerò minus impetrata, sibi ipsis mortem cõsciuisse. Hæc illi. Verba Valerij inde sequentia illa sunt: Dij melius quid animi hæ uiris eorum in acie non dederunt? Nam si eorum mulierum maluissent sequi uirtutem, Teutonicæ uictoriæ trophæa reddidissent. Hęc ille. Inde sub bello Iulij mulieres uiros rogabant flentes, ut persisterent, ne se & suos in seruitutem redigerent, & currus ipsis obuiam reposuerunt, ne effugerent, ut Cæsar lib.1 Comment. latè prosequitur. Tempore inde Augusti, quo Drusus bello Germaniam tentauit, mulieres cum uiris iuxtà Romanis conflixerunt, & telis deficientibus, pueros in faciem hostibus iniecerunt, ut Orosius libro sexto, cap.20, & enarrator uitæ Iustiniani asseruerunt. Florus etiam libro 4. agmen in eo bello fœminas auertisse hostium uoluit: unde puto de eo agmine dictũ hoc esse à Floro, de quo Cornelius Tacitus mentionem facit: scribit enim memoriæ esse proditum, quasdam acies inclinatas, iam & labantes, à fœminis restitutas, constantia precum, & obiectu pectorum, & monstrata cominus captiuitate, quam longè impatientius fœminas timere suorũ nominum adeò, ut efficacius eorum obligentur animi, quibus inter obsides puellæ nobiles imperarent. Hæc ille. Eutropius omnia iuxtà ac Orosius dixit, uerùm Cimbricis temporibus ea gesta adscripsit. Eusebius tamen Orosio & Floro in libro Temporum suffragatur, & Rhegino Prumiensis eandem ferocitatem refert in Hunnorum uiris & mulieribus repertam fuisse. Iornandes de Gotthorum fœminis eadem protulit, quas & in acie uersatas scripsit. Longobardi, numero uirili deficiente, fœminas armauerunt, ut Ligurinus de gestis Friderici, Paulus Diaconus, & alij scribunt. Cornelius Tacitus fœminas Germanos secum in bellũ adducere testatur, ibiq; ululatus earum, ac infantiũ uagitus audiri, testes sacratissimos illos, solitos inde ad has uulnera efferre, & nec illas horum plagas exigere, aut numerare ac pauere, uerùm cibos & hortamina bellantibus gestare. Campanus collegit, sæpè fœminas Germanicas frameam suscipientes, maritis præstitisse, & pro patria pugnasse. Et addit: Facite Germani quod uestræ matres in bello Cimbrico fecerunt, scilicet pueros in hostium ora iacite. Mamertinus ad Maximianum de Germanis: Quibus, inquit, omnis uita militia est, quorum fœminæ cæterarum gentium uiris fortiores sunt. In exercitu Gotthorum contra Aurelianum decem mulieres bellacissimas summa uirtute sub habitu uirili decertasse, Fl. Vopiscus, Blondus ac alij asseruerunt, quas & in triumphum imperator traduxit. Amalasuntham Gotthicam mulierem Suidas uirilem nuncupabat. C. Plinius 11. in lib. Hist. Germaniæ, tradit fœminã ingentem animi, saucijs militibus Germanis uestes ac fomenta largitam. Quod maximè animum Tiberij Cæs. cõcusserit. Idem Cornelius Tacitus Hist. lib.1, in fine asserit. Bellum quoq; à Germanis contra Drusum gestum Germanicę mulieres po

 tissimum

tiſsimum tenuerunt,ut Strabo lib.7 refert:tunc enim ſummorum principum uxores ac filiæ capiebantur.Cimbri quoq; ac Galli,ut Plutarchus in uita Camilli ait,uxoribus ac filijs comitibus Romanum imperium inuaſerunt. Herulorum mulieres in bello Gotthorum, digitis Romanos corpore minores monſtrantes,uiros eorũ accuſabant,quòd hi multo grandiores ſuccubuiſſent. Poteſt igitur Germanorum uirtus tantùm fortitudine mulierum internoſci.Proculus Cęſar centum uirgines in Sarmatarum acie captas,quindecim dierum ſpacio mulieres reddidit,putauit ſe fortem,ſi denſitate criminum caleſceret,ut ipſe imperator in una epiſtola oſtendit,ac id honori ſuo accedere putabat,ut & de eo Fl. Vopiſcus collegit.Claudius etiam Cæſar deuictis Sarmatis & Gotthis,ingentem mulierum copiam intercepit,ut ipſius Cæſaris epiſtola una ad Bochum oſtendit,in hęc uerba euadens:Deleuimus,inquit,trecenta millia ac uiginti Gotthorum, duo millia nauium ſubmerſimus,tecta ſunt flumina ſprotis & lanceis, campi oſsibus tecti lucent. Tot etiam mulieres cepimus, ut noſtrorum militum quiſque ſibi binas aut ternas adiungere poterit. Hæc Trebellius Pollio, Blondus,Sabellicus,& alij repetiuerunt.Nec fortiſsimum illud facinus & probè uirile à noſtra memoria excludatur, quod apud Pauſaniam Græcum legimus ἐν τοῖς φωκικοῖς de Galatarum,id eſt Germanorum mulieribus illa oratione, poſtquam Galatas occiſos tradidit:γυναῖκες δὲ καὶ ὅσαι,inquit,γὰρ ὥρα τῶν παρθένων, ὅσαι μὲν φρονήματός τι αὐτῶν ἦχον,ἑαυτὰς ἔφθησαν, καὶ ὅσαι μὲν τῶν γυναικῶν ταῖς μαχαίραις γαλατῶν ἐπιτύγχανον, αὐτοχειρία τὰς ψυχὰς ἠφίεσαν. Quod ſaltem nobis ſenſum illum faciat,uerba non curabimus traducere, Galatarum mulieres, inquit, & uirgines quę adhuc in flore uiguerunt,quę ſaltem ratione prędite erant,rem preuenerũt,& omnes ſumptis Galatarum gladijs,ipſarum manu ſibijpſis conſciuerunt.Et tandem de Germaniæ mulieribus.

De ſtudio & laude libertatis Germanorum. *Cap.* 22.

Libertas Germanorum.

OMnium illorum quæ uirtute belli nobis contingere poſſunt,longè præclariſsimum eſt libertas, ob quam ſolam conſeruandam Lacedæmonij, ut Plutarchus ait, totam corporis habitudinem direxerunt. Cuius etiam ſententia erat potius liberam caſam inhabitandam eſſe, quàm ſeruum imperare omnibus. Nec potuit Homerus Deorum felicitatem clarius exprimere, niſi quòd eos ἐλευθέρους, id eſt liberos uocaret, & Iouem ἐλευθέριον Heſiodus in Theogonijs:

> Τὰς γὰρ πιερίῃ κρονίδῃ τέκε πατρὶ μιγεῖσα
> Μνημοσύνη,γουνοῖσιν ἐλευθῆρος μεδέουσα.

De Muſis loquens, & muſas liberas oſtendit. Fuit autem libertas in ſummo precio apud Germanos,unde Tacitus lib.2 Hiſt.Arminium cumulatiùs nõ potuit extollere, niſi quòd hauddubiè Germaniæ liberatorẽ & libertatis Germanicę uindicatorem ipſum diceret.Idem Arminius fratri ſuo Flauio ob defectionem à Germanis nihil grauius potuit infligere, niſi quòd auitam libertatem negligens, propter opprobrium amicorum ad Romanos defeciſſet, ita ut patriæ proditor iudicari potuerit. Et paulo antè apud eundem Cornelium lib.2 Hiſt. maioris eſſe uirtutis mori pro patria, quàm ſeruitio iniuſto premi putauit. Omnes quoq; proprio libertatis iure exuti ſunt, qui Germanorum libertati inſidiabantur. Nam Valentinianus Cæſar,tributa Germanis iniungere uolens, penè ad perſoluenda tributa ipſe compulſus eſt.Doluit Lyſimachus rex, quòd Germanorum libertatem quietam affecerat.Plutarch.ita ait:λυσίμαχος γὰρ θρᾴκῃ κρατηθεὶς ὑπὸ δρομαχέτου, καὶ διὰ δίψαν ἑαυτὸν καὶ τὸ στράτευμα παραδοὺς,ὡς ἔπιεν αἰχμάλωτος γενόμενος, ὦ θεοὶ εἶπεν,ὡς μικρᾶς ἡδονῆς ἕνεκα, δοῦλον ἐμαυτὸν ἐκ βασιλέως πεποίηκα.Id eſt, Lyſimachus in Thracia uictus à Dromachete Gottho,id eſt Germano, cũ ſeſe

&

& exercitū præsidi tradidisset, bibēs in captiuitate positus, O dij, inquit, ut par uæ uoluptatis gratia, memet seruum ex rege feci. Dromachetes autem ille Germanus extitit, & illa pugna Germanis edita fuerat, ut lib.3. ex Strabonis & aliorum sententia diximus. Nil ergo hi quibus Germanorū libertas offensa fuit, nisi pœnitentiam meruerunt. Idathyrsus Scytharum Germanicorū rex, quoniā Istri loca tenuit, ubi Scythæ Germani erant, ille etiam suasit populis libertatem Germanicam nulli impunè tentandam esse, Plutarc. referente, cuius est oratio: Ἰδάθυρσος ὁ σκυθῶν βασιλεὺς, ἐφ᾽ ὃν διέβη Δαρεῖος, ἔπειθε τοὺς ἰώνων τυράννους, τὸ τοῦ ἴστρου ζεῦγμα λύσαντας ἀπαλλαγῆναι, μὴ βουληθέντας δὲ διὰ τὴν πρὸς Δαρεῖον πίστιν. Id est, Idathyrsus Scytharum rex cōtra quē Darius traiecisset, suadebat Ionū Tyrannis, ut soluto Istri Germanorum fluminis iugo effugerent, ac sese in libertatem uindicarent, dum noluisset fidem suā in Darium facere. Alij hunc regē Agathyrsum uocauerunt, quod plus arridet à populis illum nominari, qui hauddubiè Istrū incoluerunt. Tantum penes Germanós libertatis studium floruerat. Nullus etiam sine Galatarum tunc Germanorum ope libertatem suam tutā sperabat, referente Iustino historico lib.25. Methodius in suis Annalibus penes Germanos libertatis statuam olim cultam scribit. Ostrogotthi post tot editas clades, dum penè in cineres omnes resoluti à Narsete fuerant: deniq; ut omnes eorum facultates tutò eis liceret asportare, quousq; spiritus artus eorum dirigeret, sese certaturos cum Romanis uoluerūt: apud Procopiū lib.4. Idem Procopius lib.1. Sicuti deinceps, inquit, Alemanni gens ualida habitant, liberi omnes. Seneca de Ira lib.2. Vt scias, inquit, an generosi ira aliquid habeat, liberas uidebis gentes, quę iracundissimæ sunt, ut Germanos & Scythas. Id exemplo mulierū Germanarū probari potest. Hæ ut Cęsar lib.1 Comment. scribit, flentes pueros ostentantes, maritos rogauerunt, ne se in seruitutem redigerent. Libertatis ergo eorū meminit Tacitus in Germania, & in libris Historiarum, ubi Tentheri ad Vbios dicunt: Agimus Marti gratias, qꝫ liberi inter liberos simus. Egesippus Rheni fluenta dixit liberas gentes usq; ad mare inhabitasse, ac Aeneas Syluius ad hūc diem adeò libertatem apud ipsos in precio esse scribit. Mulieres Cimbrorum captiuæ, dū neq; uirginibus uestalibus iungerentur, uerùm captiuæ ducerentur, se inuicem omnes occiderunt. Val. Max. lib.6 scribit, & Hierony. distin.12. epist. ad Gerūtiam: Qui postquam hanc historiam posuit, Quid, inquit, Barbaræ castitati non potuit inferre captiuitas? Orosius lib.6, cap.20. ubi de bello Drusi loquitur: Germani, inquit, omnes confluxerunt undatim, aut suscepturæ conditione pacis, si uincerentur, uel usuræ quieta libertate, si uincerent. Getæ quoq; pro libertate omnia exposuerunt, ut scribit Horat. Oda. lib. Sic & Longobardi legatis Vandalorum respondebant poscentibus tributum aut bellum, ob libertatem tuendam potius armis se res commissuros esse, ut Paulus Diaconus in fine primi libri habet. Et idem: Hactenus apud Baioarios, inquit, Saxones & alios eiusdem linguæ homines (intellige Germanos) ea libertas est, ut carminibus celebretur. Libertatis studium in Francis Hunibaldus satis exprimere nescit. Nam cupidissimos libertatis, ideo semper Romanis suspectos Francos fuisse scribit: Valentiniano enim tributum postulanti responderunt, se libertatem præ omnibus custodire uelle, & si bello contra ipsos insurgat, se sensurum Francos liberrimos, & ipsum seruum. Hunibaldus à Marcomiro primo usque ad Clodoueum libertatem eorum summam recitat. Abbas Spanheimius scribit, inuicem se salutasse Francos, Salue liber France. Est apud nos prouerbium, Liberior Franco sum. Tacitus tāquam aliquid mirandum adducens dixit, Germanos adeò ludo aleæ deditos, ut pleriq; omnibus amissis pecunijs libertatē offerant, & quòd uictus uoluntarię seruituti acquiescat. Sic & apud historicum loquitur imperatorū unus, penè cōcidi, & tanta erat Germanorū libertas.

Francorum libertas.

Ludus aleæ.

Hodie quoq; libertas penes noſtros quāta ſit, ex clade Suitenſium ſcimus, qui ſemel re infecta, occiſis ciuibus, extrema, ſalua libertate, pati nō denegauerūt. Nec unquam tributa aliqua ſoluiſſe planū eſt Germanos, uſq; ad Imperij tranſlationem ad eos, niſi ſemel Vngaris. Pro libertate tamē cum duce Henrico nolebant ſoluere, & uicerunt, ut ſcribit Lupoldus. Bene ergo Cornelius Tacitus Arſacidis regno acriorem dixit eſſe libertatem noſtram. Ammianus de Sarmatis lib. 17. Qui libertatem, inquit, ſperabant parere Imperijs, & alias ſedes ſuſcipere ſunt accenſi tranquillas, ut nec bellis uexari, aut ſeditionibus mutari poſſint. Ioſephus libro ſecūdo belli Iudaici: Septuaginta annos Germanos ait pro libertate pugnaſſe, uerùm tantùm ad ſuum tempus rem eſt metitus: ſi diutius uixiſſet, maiori ſpacio hanc numeraſſet.

De ira & furore Germanorum. Cap. 23.

NVnc ad iram Germanorum deſcendam, quæ cos fortitudinis à Peripateticis eſſe ferebatur. Seneca grauis author, iracundiſsimas gentes Germanorum ac Septentrionalium eſſe arbitratur. Similiter & Albertus in lib. de Natura locorum, & Lucianus, Scythas Septentrionales in dialogo τόξαρις inſcripto aſſerit, ἔχθρα μὲν ἀεὶ συνεῖναι, καὶ ὀργῇ καὶ θυμῷ. Id eſt, ſemper iræ ac furori indulgere. Ira olim, ut Cornelius Tacitus libro decimonono aſſerit, Germanorū inconſulta erat: ut etiam Ioſephus libro decimonono ſcribit, Barbarorum præceps, inquit, ſubita & repentina ira eſt. Seneca quoque lib. primo de Ira: Quid curſu acrius? inquit, quid induratius ad omnem patientiam, & cætera. & multa ibidem de eorum ira diſſeruit. Claudianus de Alarici regis Gotthorum ira ſcribit in Stilicone: Sed nec euentu, inquit, minus furor caret. Sic etiam de eorum furore ſi quis legere cupit Florum, libro quarto uideat, ubi pugnam & exitium Quinticij Vari deſcribit. Mamertinus ad Conſtantinum, Francorum furorem ultra Oceani æſtum feruere ſignificauit. Manilius ad Cæſarem: Ecce Carithnos, quos furor armauit. Sidonius libro decimo: Obſequium gens una negat quæ nuper ab Iſtro Turgida plectendas in prælia ſuggerit iras, Rettulit indomitum ſolido truculentior agmen. Et Panegyricus ad filium Conſtantini, non ueritus gentis Francorum inexecrabiles iras ac odia. Oroſius, Euſebius, & Eutropius, de furore mulierum Germanarum, tantum Tiberij & Druſi temporibus plura retulerunt. Taceo furorem Cimbrici belli, cuius Otto, Plutarchus, & alij pleniſsimi præcones ſunt. Furoris Germanorum teſtes ſunt, ut Methodius martyr, Paulus Diaconus in hiſtoria Longobardorum, Rhegino Prumienſis, & Aeneas Syluius, alijq; inquiunt, uniuerſæ urbes Italiæ, Galliæ, Græciæ, & totius Europæ nunc dirutæ. Quarum in pleriſq; ueſtigium adhuc apparet. Teſtimonium huius perhibet Ammianus Marcellinus libro decimoſexto, dum propter furorem Germanorum inter Coloniam & Confluētiam nullam olim ciuitatem uiſam teſtatur. Et idem circa finem: Fremitus, inquit, Alemannorum indignatione mixtus, unanimi conſpiratione uociferantium erat, & in oculis eorum furor uidebatur. Id etiā peculiare eorum iræ & furoris argumentum eſt, quòd ſemper Germani armati ſunt, & armis cincti fuerunt, ut Egeſippus probat libro primo, quòd & in exequijs etiam militarem ordinem ſeruauerint Germani, ac ſi in bellum ire uoluerint. Idem Cāpanus in oratione ad principes teſtatur: Nec, inquit, maiores ueſtri templum niſi armati ingrediebantur.

De armis, lanceis & frameis Germanorum. Cap. 24.

Arma Germanorum. NAtio quaſi quælibet proprijs decorata armis nitebatur: Romani pilis, alij alijs, Germania uerò maximè frameis & haſtis, quam & Cornelius Tacitus maioribus lanceis uti dixit. Similiter & Diodorus libro ſexto, quas frameas dicimus,

dicimus, angusto, & breui ferro ac acri, & ad usum habili, ut eo telo uel eminus uel cominus, ut ratio dirigit, pugnetur, Cornelio in Germania libro Historiarum uigesimo referēte: quod post eum Sabellicus recitat libro secundo Enneadis sextæ, quorum sententiæ addictus Lucanus ita loquitur:

— Aut longis Teutones armis.

Idem libro primo:

Et Biturix, longisq; leues Axones in armis.

Et bene leues, quia Tacitus tantum missilibus ut Germanorum pedites asseruit, & Celtes libro secundo Odarum, cum inquit:

Quidue Germanus meditatur armis,
Dum mouet longa galeatus hasta
Horrida bella.

Leuitatem quoq; armorum Germanorum Tacitus libro 2. probat. Regino Monachus, Hunnorum ait esse morem, pugnare procurrentibus equis, & terga dando fugam simulare, cominus inde reuerso equo pugnare, & sagittarios esse. Astipulantur huic de Hunnorum more Sidonius Apollinaris, Paulus Diaconus de gestis Gotthorum, Claudianus, Iornandes, & multi alij. Propria etiam Germanis framea cōcedebatur, & origine non alia quàm Germana, nos eyn pfriem, ita & lancea Lantz: licet sint qui lanceam Hispan: cum dixerint nomen. Nec tamen Germanis tantùm proprius erat longarum hastarum usus, siquidem Homerus *Δολιχ' ἔγχεα*, id est longa tela Græcis ac Troianis adscripserit. Tacitus libro primo Histor. Barbari, inquit, Cecinnæ stationes perfregerūt, Sueui autem & Cherusci ingentes hastas ad facienda uulnera strinxerunt. *Framea & lancea qu.d.*

Septentrionales Germanorum maximè sagittis usos fuisse. *Cap.* 25.

ILli autem qui magnam Germaniam incolebant, sagittariorum nomen perpetuo attributo sibi desumpserunt. Sycambri autem telis Amazonum usi sunt, referente Horatio libro quarto, Oda decimatertia: *Qui populi Germanorum sagittarij.*

Te cæde gaudentes Sycambri,
Compositis uenerantur armis.

Idem Horatius Vindelicis securim Amazonum concessit. Mantuanus:

Hi spicula torquent,
Panthesileaa non inferiora securi.

Cymbri, auctore Plutarcho in Mario, tricuspide telo utebantur. Daci autē & Getæ ueneno spicula eorum inungebant. Sillius enim ita scribit:

Dacus ut armiferis Geticæ telluris in oris,
Spicula qui patrio gaudet acuisse ueneno.

Plura Iornandes. Ouidius etiam in Tristibus:

Pars cadit hamatis miserè confixa sagittis.
Nam uolucri ferro tinctile uirus inest.

Procopius libro secundo, Massagetas sagittādi peritissimos asserit. Apud eundem Gotthos non sagittarios nisi ex longinquo testatur Bellisarius. Iulius Capitolinus in Maximino ait: Cæsarem Germanis peritis sagittandi, sagittarios Mauros opposuisse, quod et Herodianus refert. Nazarius Mamertinus ad Diocletianum optimos sagittariorum Bohemos asserit. Lucianus in dialogo qui τόξαρις inscribitur, de Scythis Septentrionalibus, οὐ μόνον ἄρα τοξεύειν ἀγαθοὶ ἦσαν Σκύθαι, ἀλλὰ τὰ πολεμικὰ τῶν ἄλλων ἀμείνους. Id est, non solum utique sagittan-

do ualent Scythæ, uerùm & eos in his quæ bellicam uirtutem spectant, cæteris præstantiores esse uideo.

De scutis atq; cateijs Germanorum. Cap. 26.

Scuta Germanorum.

SCuta Germanorum lætissimis coloribus distincta obducebantur, referente Cornelio. Plutarchus in Mario, ferreis scutis usos refert Cimbros. Fuit autem peculiaris in bello scutorũ cõsuetudo penes eos, ita ut Cornelius Phennos populos eo argumento Germanos dixerit, quia scuta gerũt. Et idem Cornelius in historijs Brunonẽ Caninefatum scutum sibi imposuisse asserit ad morem gentium. Sic autem obtinuit mos ille conficiendorum scutorum, ut hęc ex boum tergis, sicuti in historijs Tacitus profitetur, consarcirentur. Familiare etiam apud eos fuerat detortis mulierum crinibus scuta ac tela eorum imbuere, quem usum ualidissimum Vegetius, Frontinus, & alij fecerunt. Maximinus Cæsar qui utroq; parente Germanus ferebatur, fœminarum crines telis adhibuit, ut Iulius Capitolinus, & Aelius Cordus de eo testantur. Romani ideo Veneri Caluæ templum constituerunt, ut mulierum comis uti ipsis liceret, ut Deusippus ac Arianus Græci authores, & Iulius Capitolinus collegerunt. Cæterùm Slaui clypeum ac tela in manibus gesserunt, Procopio referente, lib. 2 belli Gotthici. Rugi autem ac Leuonij rotunda scuta, Naharuali uerò & Harij Germani nigra induerũt, quemadmodum ait Cornelius in Germania. Campanus in oratione Ratisponensi multa scutorum genera inuenisse Germanos refert, in quorum numero ego cateias puto esse referendas, dum illis alios à Germanis usos fuisse non legatur. Huius teli meminit Virgilius, qui in septimo libro, tantùm μεταφορικῶς quibusdam adscripsit alijs:

Teutonico ritu soliti torquere cateias.

Et Sidonius Apollinaris libro uigesimo:

Quondam fracte subis Cimber gladijsq; grauatus
Ante manus solas iussi portare cateias.

Cateiæ.

Volunt aũt cateias scuta fuisse prælonga, penè totã corporis inferioris partẽ tegentia. Qualia Bohemorũ scuta, solo, dum præliatur, infixa referuntur, uulgò eine dartz. Locũ hũc Virgilij tã Seruius quã Lãdinus illotis pedib. transeũt, & quorsum id attineat, quod ad Gallos referãt, nõ intelligo. Nec prętermittatᷣ quod Cornelius ait li. Hist. 5, ex Vrorũ tergis scuta fabricare solitos Germanos, & addit: eodẽ anno Phrysij Transrhenani terga boũ pro impẽsis in usus militares negabant, donec Olennus eorũ princeps Vrorum terga ipsis tradebat. Hęc ille.

De gladijs ac curribus in bello Germanis peculiaribus. Cap. 27.

Arma Germanorũ.

NEc semper λογχοφόροι Germani extiterunt, uerùm gladijs aliquãdo res agebatᷣ ab ipsis. Bellisarius dux apud Procopiũ Græcum lib. 1. tantũ Gothos telis ac gladijs consueuisse refert. Cornelius breues gladios Rugijs ac Leuonijs proprios esse asseruit. Idẽ Cornelius in historijs, nonnihil Germanos ad pedestrem pugnam ualere putauit, præsertim dum contis ac gladijs rẽ gerant. Camillus consul uidit uirium summam Galatarum tantùm in agitatione ac usu gladiorum positã, referente Plutarcho: cõstituit igitur contos præacutissimos. Valuerũt & gladij non parum contra Germanos: Cæsar enim Comment. 12, ac Maximinus, referente Herodiano, nuda Germanorum capita, nullo telorũ genere plus offendebãt quàm gladijs. Curribus etiã fungebantur nostri in bellis, quos Germanorum mulieres maritis, ne uiri eorum effugerent, opposuerunt, Cæsare, Eutropio, Eusebio, & alijs referentibus. Et Scythas Septentrionales in exercitu curribus usos, Lucianus refert, in dialogo, qui ἡ φιλία inscribitur.

De

De uarijs telorũ et armorũ generibus, uarijs Germ. attributis. Cap. 28.

ET licet prescriptis armis Germani in cõmuni acquieuerint: propria tamen arma penè cuiq; Germanorum generi à scriptoribus sunt addicta, quibus uidelicet plus alijs ualuerint: quod Sidonius illo disticho ostendit: *Varia genera armorum.*

Cursu Herulus, Hunnus iaculis, Francusq; rotatu,
Sauromatæ clypeo, Salius pede, falce Bohemus.

Et Claudianus in Stilicone:

— Nec falce Gelonus,
Nec arcu pepulêre Getæ, nec Sarmata conto. Stat. etiã in 2 Achil. lib.
Nec quoq; me ulla fieri Mauortis imago
Præterijt, didici quo Pæones arma rotatu,
Massagetæ sua gesta cient, quo turbine cestum
Sauromatæ, falcemq; Getes, arcumq; Gelonus.

Bilibaldus Birckaimerus uir in omnibus literis adeò exercitatus, ut ὄπω ποιῶ τὸν ἐγὼ ἴδον ὀφθαλμοῖσιν, in proxima ad me epistola ita scripsit: Narrabis igitur quomodo Attila, militantibus cum ipso Sueuis, pedibus, Hunnis arcu, Alanis graui armatura, Gotthis ensibus, &c. Si autem propriũ quiddam Germaniæ loco attributi concedere uolumus, bombardæ inuentio eiusq; usus ipsis erit ac commodatissimus.

De inuentione bombardarum. Cap. 29.

OMnium quæ crudelitatis impulsi sibijpsi mortalitas nostra excogitauit, crudelissimum bombarda locum obtinuit, contra quã nullę ab humano ingenio elaboratæ, preualent artes, nulla uirtus: fulmine enim minacius, omnia obuia prosternit, solo ęquat: nihil hominum manibus adeò firmũ ac stabile fundatum est, cuius uires non excedant bombardarum tonitrua ac faces. *Bombardæ unde.*

Quæ mare, quæ terras cœlumq; profundum,
Quippe ferunt rapide secum, uerruntq; per auras.

Huius inuentorem tot funeribus dignũ, Polydorus de Inuentione rerũ scribit. Stapulensis Politica Aristotelis enarrãs congruũ fuisse ait, authorem tantæ machinæ opus imbuisse. Non me latet multarum rerum fontem esse, nõ tamen auctor memoria debita, ut rei cum rerũ natura præliãtis repertor, defraudetur. Polydorus nomẽ autoris reticuit: Stapulensis huius artificij originẽ an Burgundis, an Germanis adscribat, hæret. Cãpanus in oratione Ratisponẽsi, ac Platina in uita Vrbani VI. Germanis adscripserunt: multi id monacho cuidam cõcesserunt, qui ex libris philosophi de cœlo uidens, ignem multo maius sibi spacium quàm terram uendicare, ac mixta corpora, ut physici loquuntur, in ignẽ redigi, æream ollam undiq; circumseptam sulphure ac puluere repletã, igne accedente conflauit, agnoscens roboribus acernis densissimos ornos cõtusos, bombardam à sono dictam effinxerat. Alij uerò cuidam nomine Petro tribuerunt, qui perspectiua arte imbutus, ex duabus rebus diuersissimis: nam altera summo frigore ex saligno salpetro, altera calore naturali instincta puluerem cõglutinasse, ac in morem fulminis naturali ratione cõstituisse, & sic bombardam reperisse dicitur. Adrianus Cardinalis in libro de Venatione inquit:

Erat Sycamber,
Fortè in tam celebri sodalitate
Audax, prælia tanta qui cieret,
Libs cognomine, machinæ repertor

Miran-

Mirandæ, horrificæ, minacis, atræ,
Qualem nec Steropes, nec ipse fertur
Pater Lemnius inferis cauernis
Informasse Ioui. nec ulla in orbe
Per tot sæcula cogitauit ætas:
Nam truncum teretem, æneum cauumq́;
Nitro sulphure puluere & saligni
Carbonis replet, usq; ad umbilicum,
Inclusitq́; palam, ex liquente plumbo,
Supernè tenue oppido foramen
Spirat, hanc iacit igneam fauillam.
Non sic fulminis impetus trisulci,
Nec Balarica sic rota fertur.

Multa Nauclerus, & alij. Non autē hæc de funda Balearica similia sunt, quæ sine sulphure emittebatur. Sabellicus Germani nominis hostis, denique id nobis reliquit, licet sæpè fundis & alios populos usos scribat. Tanais Scytharū rex in epistola ad Vexorem regem Aegyptiorū, Parthos olim & fragosis uasis consueuisse ait, procul hostes ferire, in modum ac sonū tonitru. Id tamen certo certius, Venetos cōtra Genuenses primos bombardis consueuisse, & primò tunc ea tormenta fuisse uisa, ut Platina in loco prædicto asserit, ac Germanos huius repertores assignat: nec non Campanus in Ratisponensi oratione: nec Beroaldus illo carmine eius inuentione Germanos defraudare uoluit:

Nitidas ære machinasq́;
Ad nos belligeras subinde mittis.

Annus autē tunc millesimus & supra trecentesimū octuagesimus agebatur, quando bombardarum tonitrua à Germanis sunt reperta. Et tantum de illa. Sunt pręterea artifices longè optimi in Germania, qui à Grę̨cis τορευτόλυρα καὶ ἀλοπήγοι dicuntur, quorum artificio nil absolutius alius orbis produxit.

De equitatu Germanorum, ac equis eorum. *Cap.* 30.

Equitatus Germanorum. EQuitatu Germanos τοὺ ἀμφιπποτοξότας plurimū ualuisse omnium scriptorum consensus allegauit: repetatur omnis ætas, omne bellum Germanorū uirtute confectū, & constabit primas uirtutis partes equitatui Germanico fuisse delatas. Bellisarius apud Procopiū lib. 2 asserit, Gotthos tātùm equites telis ac gladijs consueuisse, licet & idem Procopius ibidem uirtutē equitandi Slauis ademerit, & eos κατὰ ἀντίφρασιν tātùm pedibus bonos dixerit. Pausanias Græcus in Phocanicis penè tantum equitatū Galatis Germanis concessit, quantā pedestrium multitudinem. Maximinus Imperator Germanorū equitatū semper hostibus antepofuit, Capitolino ac Herodiano referentibus. Idē imperator summopere Germanorum equitatum horruit, unde aduersus eum Mauros εὐτοξοτάτους immisit, qui paulùm submouerent equites hostiū, ut ait idem Herodianus. Cæs. quoq; in Cōmentarijs, Germanorū equites sæpè stragem ingentē edidisse asserit. Equites German. scutis ac frameis usos fuisse collegit Cornel. Procopius gladijs & telis addit, & raròsagittis. Equos præterea Germani ad belli usum alebant, posthabita forma aut corporis uelocitate, ut Tacito placet. Appianus in Celtico, Germanorum equos in necessitate lignis ali posse profitetur. Ad natandi etiam consuetudinem equos adhibebāt Germani, ad quod illud Cornelij Taciti attinet, sic dicentis in historijs: His qui ueteri, inquit de

Germanis,

Germanis, instituto nobilissimi regebant, erat equus natandi studio deditus. Idem Herodianus libro octauo, Ausi, inquit, sese Germani sunt fluminibus, ἅμα τοῖς ἵπποις διανήχεσθαι ἐθισμένοις, ut eius uerbis loquar, cum equis natare peritis immergere.

De sigillis, signis, galeis, thoracibus, & reliquis bellorũ instrumentis ueterum Germanorum. Cap. 31.

VAria secundum gentis diuersitatem signa erant Germanis: Cimbrorum uexilla Taurus imbuit, ut ait Plutarchus in Mario. Francorum etiam leo retulit, referente Hunibaldo. Saxonibus idem signum Hermannus fuisse probat. Gotthis uerò ursa, Gepidis nauis, Alanis, Burgundionibus ac Sueuis Hispaniam inuadentibus, catus in signum militare assumebatur, Methodio colligente. Cimbri galeis horrendis hiantium animalium imaginibus lustratis utebantur, ut Plutarcho placet. Alij Germanorum, ut Cornelius ait, pauci galeis aut loricis tegebantur. Procopius etiam Slauos thoracibus omnino non usos asserit. Et ut rei summam uno dicto teneas, armorum grauitate offendebantur Germani, leuibus uerò semper fungebantur, ut Plutarchus in uita Camilli ait. *Signa Germanorum.*

De instructione acierum, ac modo ineundi bella Germanorum. Cap. 32.

DVm Vegetius, Aelianus, & alij cuneos partim literis, partim instar τῶν τρυχοβατῶν uarias instruendarum acierum species assignent, Germani ἄτεχνοι furore quodam more Barbarorum uulnera inferebant, ut Plutarchus de Galatis Germanis scribit. Acies tamen per cuneos componebant, & loco aliquando cedebant. Tacitus enim libro primo ubi Drusi pugnam aduersus Cheruscos auspicatur: Diriguntur, inquit, apud Germanos acies, non ut olim disiectæ per catenas & uagis incursibus. Pausanias in Phociacis alam Galatarum tunc Germanorum, ita instructam inducit: primò numerum equitum Galatarum ingenti numero comprehendit: Duo, inquit, circa unumquemque equitem ministri uersabantur, ἀγαθοὶ καὶ αὐτοὶ τὰ ἱππικὰ, ut eius uerbis loquar, qui rerum equestrium haud ignari, paribus equis, & à tergo secundum seriem sequebantur, & ad omnia negocia paranda utiles requirebantur. Hæc ille. Cæsar in Comment. Germanos multo tumultu bellum ingredi asserit, quemadmodum Plutarchus omnes Barbaros ait, magno sublato clamore, bella exordiri. Et Homerus Troianos tumultu, Græcos uerò tacitos in bella irruere asserit. Plurimũ autem & in cuneos acies nostri maiores componebant, unde meritò Cuneos Germanorum Appianus appellat fortissimos. Germanos in principio pugnæ acerrimos antiquitas dicebat, & Marius, referente Plutarcho, tantũ acies Cimbrorum ualidas primitus esse ad sustinendos impetus iudicabat: repentinus enim eorum furor extitit. Cęsar Iulius, testante Frontino, Germanos fortissimè pugnantes emisit, & ita uictoriæ se compotem reddidit, ut idem Plutarchus in Camillo de Cimbris, ac Procopius de Gotthis testantur. *Bellica instructio German.*

De aris Germaniæ, ubi uidelicet pugnæ olim editæ sunt, & Romanorum castris. Cap. 33.

COnfecta autem pugna qualicunque fortuna, Germani in huius rei memoriam aras posuerunt, quas & nomine ducis appellauerunt. Daci Germani, uicto Decio Philippi Cęsaris præfecto, aras Decianas construxerũt, ut Iornandes de rebus Gotthorum, Sabellicus, & alij dicunt. Druso quoque inter Salam & Rhenum aræ fabricatæ sunt: de quibus illa uerba Cornelij sunt libro secundo *Aræ Germaniæ.*

cundo Histor. Fossa inde ac aræ Drusinæ, inquit, uidentur. Meminit & earum Suetonius in Claudio. Duæ præterea aræ in Germania uidebantur, quæ singulis annis reuolutis, die solenni, quo Cimbri à Germanis uicti sunt, clangorem edebant, ut Dorotheus Græcus libro tertio rerum Italicarum, ac Plutarchus in libro περὶ παραλλήλων ἑλληνικῶν καὶ ῥωμαϊκῶν testantur. Antoninus in itinerario, ac itinerarium nuper Augustę repertum, ararum Vbiorum recordantur. Arę quoque Barbonæ ubi Baro occisus erat apud Cheruscos, & ubi centuriones Romanorum à Germanis mactati erãt, erigebantur, ut ait Tacitus libro primo Historiarũ, in fine. Sic etiam ubi hostes Germanorum hyemabant, eorum nomine nostri castra dixerunt: ita à Cornelio uetera castra, Romanorum castra nuncupabantur, & Vbiorum ciuitas Romanorum colonia dicitur.

Castra Rom.

À multis diuinatas fuisse Germanorum diruptiones ac uastationes. *Cap.* 34.

Dirruptiones Germanorum diuinatæ.

CAeterùm ut & demum finis uolumini huic eueniat, illud prius annectere uolui, ante multos annos, ac ante rei euentum, etiam sæpè Germanorum fortitudinem fuisse prædictam. Heraclitus enim Græcus ab Hyperboreis Romam capiendam prædixerat. Similiter & Aristoteles, referente Plutarcho in Mario. Valerius etiam quædam prodigia Gallorum Senonum irruptionem præcurrisse testatur. Plinius lib. 2, quædam prodigia ac pluuias ante Cimbricum bellum, ac quasdam species armaturarum in cœlo apparuisse asserit. Iustinus historicus, Philippum quoque, Historiarum uolumine uigesimonono, Romam Gallis ac Pœnis prædam futurum prædixisse uoluit.

Germanos faciles & promptos in repetendis bellis. *Cap.* 35.

GErmani ad bella, quocunq; modo composita, renouanda cupidissimi fuerunt, ut bene de ipsis Herodianus lib. α. dixit: ἑτοῖμον γὰρ τὸ βάρβαρον καὶ ἐπὶ ταῖς τυχούσαις ἀφορμαῖς ῥᾷστα κινεῖσθαι. Id est, Barbarum enim est in rebus adeò mutabilibus facilè ad bella moueri. Ob leuem etiam occasionem, Brennus Germanus à Romanis quæsitus, cur Clusianos bello infestaret, apud Plutarchum in uita Camilli, Paruum, inquit, spacium terræ illis sufficeret.

Germanos nunquam uirtute à Romanis uictos esse. *Cap.* 36.

Germanos nũquam uirtute à Romanis uictos.

MAximum id Germanicæ fortitudinis argumentum, quòd si omnium auctorum uolumina requirerentur, nunquã uirtute Germanos succubuisse constaret. Semper enim auaritiæ gratia, aut nimia ebrietate obruti, Romanis uictoriã pepererunt. Reuocentur omnia à quacunq; ætate bella Germanis inflicta: Galli, Senones, Sueui ac Germani postquam uno ductu Romam eorum populationibus habuerunt patentem, uirtute Camilli uicti sunt, dum somno ac uino sepulti, se hostibus non prouidebant, Plutarcho in Camillo, Orosio ac Frontino authoribus. Cõsimili dolo Marius usus est, qui in calida regione Cimbros æstus impatientissimos uicit: triduum enim erat post æstiuale solstitium, ac in die nebulosissima: in arenis quoque ut se inuicem cernere non potuerunt, ut deniq; Germani ob multitudinem sese inuicẽ ferirent, uictoriam Romanis restituit, Floro, Plutarcho in Mario, Frontino capite uigesimosecundo, authoribus. Nec mirum fuit, toties uirtute Cimbrorum uictos Romanos, & hos tot dolorum ac insidiarum ductu, semel uictoriæ compotes euasisse. Alludit Huttenus egregius poetarum:

Contrà est Marius, data copia pugnæ,
Quis non ille dolis, qua se non fraude tuetur?

Possum

Possum aduersus Romanos id dicere quod Val. Maximus libro 7. aduersus Hannibalem, Romanos densitate nebularũ arenarumq́, ac opposito Solis aspectu uincentem: Punica uidelicet, inquiẽs, fortitudo hæc est, dolis & insidijs ac fallacia instructa, quæ uirtutis nostræ certissima excusatio est, quoniam magis decepti quàm uicti sumus. Tiberius, ut Cornelius ait lib. 1 Histo. in uicis Marsorum inermes ac epulis oneratos Germanos strauit, & nulla ætas ei miserationem attulit. Verùm Tiberius Cæsar æquali nebula oriente, summo manè in Germanorum castra irruit, ut idem Frontinus lib. 2 Strategematum cap. 1 ostendit. Iustinianus Cæsar, ut Germanos uinceret, mensas in exercitu parabat, uino ac epulis refertissimas, inde fugam simulans Germanos epulis ac uino καὶ τῆς ζωροποτίας penè desideratos oppressit, ut ex Græcorum Commentarijs habemus: quod & Suidas in dictione βούλγαροι latè exequitur.

Germanos religione aut à Dijs uictos, non Romanorum uirtute. Cap. 37.

ALia ratio erat quoq́ uictoriæ Romanorum aduersus Germanos, & maxima, cum non homines, uerùm Deos nostri habuerint infestos: sæpè enim religioni adeò dediti fuerũt Germani, ut certis solennibusq́ diebus, nulli hostium sese opposuerint. Fuerũt in sabbathis Hierosolymę à Pompeio dirutæ: certum enim ei fuerat, eum diem Iudæos habere sacrum. Aequali iudicio Germanorum mulieres, uiros eorum ad pugnam non emittebant, nisi dum nouilunium præterijsset. Hæc sciens C. Cæsar, Germanos oppressit, & in hac sola pugna contra Germanos uictor euasit. Hæc Plutarchus in Iulio, Frontinus lib. 1. Florus in 3. Marius etiam toties rebus Romanorum profligatis à Cymbris, ut uictoria potiretur, aut saltem extrema necessitate ductus, illos è Latio propelleret, sacrificia Dijs uouit, ut Sylla historicus, Val. Maxi. Plutarchus in Mario, Suetonius in Augusto, Frontinus, & plerique alij testantur. Ostendit & hoc Mantuanus illo carmine: *Germani tantùm à Dijs uincuntur.*

— Post Cimbrica bella
Barbaricis templum spolijs, prædaq́ recenti
Struxit, & optato Marius sacrauit honori.

Verùm cur non Plutarchi uerba in libro, qui περὶ παραλλήλων ἑλληνικῶν καὶ ῥωμαϊκῶν, id est, de uirtutibus Græcorum & Romanorum inscribitur, adducamus. Qui in hæc uerba prorupit: Μάριος πρὸς κύμβρους πόλεμον ἔχων, καὶ ἡττώμενος, ὄναρ εἶδεν, ὅτι νικήσει, ἐὰν τὴν θυγατέρα προθύσῃ, ἦν δὲ αὐτῷ καλπουρνία. προκρίνας δὲ τῆς φύσεως τοὺς πολίτας, ἔδρασε καὶ ἐνίκησε, καὶ ἔτι καὶ νῦν βωμοί εἰσι δύο ἐν γερμανίᾳ, οἳ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἦχον σαλπίγγων ἀποπέμπουσιν, ὡς Δωρόθεος ἐν τετάρτῳ ἰταλικῶν. Id nobis hunc sensum reddit: Marius à Cymbris in bello superatus, somno monitus est, tunc se uictoriæ compotem futurum, dum in uictimam suam filiam, quã habuit Calphurniam, dijs consecraret. Præposuit ergo ille naturæ legibus Reipub. commodum, unde & uictoriam consecutus est. Videntur adhuc duæ aræ in Germania, quæ reuolutis uictoriæ temporibus clangorem edunt, ut Dorotheus in 4 rerum Italicarum testatur. Idem Plutarchus in uita Marij, Catulum refert, Marij collegam, Fortunæ templum deuouisse, ut in meliorẽ statum res Romanæ redigerentur. Nec omnium memorabilissima illa Antonini Cæsaris clades contra Germanos omittatur. Fuit tunc temporis Germanis uictoria præsens in manibus: Romani enim sitis ac potus indigentia, terrore quoq́ cõfecti, iamiam penè, antequam hostibus conflixerunt, desiderati deficiebant. Interfuerant autem Romanis milites Christiani, qui repetito toties Christi nomine, imbrem largissimũ precibus consecuti sunt. Germani fulmine territi ac dissipati, à

Romanis circumuenti ſuccubuerunt. Hęc omnia Oroſius lib.8, cap.9. Euſebius in tẽporibus & in hiſtoria Eccleſiaſtica lib.5, cap.4. Tertullianus in Apologetico ca.5. Platina in uita Soteri Papæ 13. Marſilius Ficinus in lib. de Chriſtiana religione cap.35. Nec tantùm Chriſtiani, uerùm Pagani externi, diuinã prouidentiam tunc Romanis adiutricem nõ excluſerunt, ut ipſe Imperator, qui epiſtolam de illa clade ad fratrem ſuũ ſcripſerat. Apollinaris philoſophus hanc totam pugnam deſcripſit, & fulmineã nuncupauit. Ad hoc id Athenæi in 1 Dipnoſophiſtarum pertinere puto, ubi Antoninũ fulmineum nominat: quaſi Germani tũc nõ à Romanis, ſed fulmine diuinitus miſſo perierint. Multa Iulius Capitolinus in Antonino, Quadratus philoſophus, Theophilus Sextus, & alij, qui prælium illud totum expoſuerunt. Gratianus etiam Cæſar Chriſti fretus auxilio, multa Germ. millia caſtris exuit, ut Otto Friſingenſis lib.4, cap.15 oſtendit. Clodoueum Francorum regem toties à Germanis uictum, habita cũ B. Remigio ratione, ac uoto præſtito aſſumendę legis Chriſtianæ, ſi uicerit Germanos: ſubegiſſe tamen eos ſacri Canones, tum Sigebertus Genblacenſis, Lupoldus, & infinitus ſcriptorum numerus profitetur. Sumus ergo nõ uirtute à Romanis ac Francis, ſed à Deo uicti. Iuſtinus in hiſtorijs Galatas à Diana & Apolline ſuperatos oſtendit, & quoſdã in acie, ut & Suidas & Pauſanias teſtantur, diuino habitu apparuiſſe, ac Delphis uictoriam retuliſſe.

Deum Chriſtianos cõtra Germanos iuuit.

De omnibus uictorijs Romanorum in communi de Germanis, & nos nunquam uirtute ab ipſis uictos fuiſſe. Cap. 38.

Romani plus fortuna quàm uirtute contra Germanos uſi.

DEmum ut rem, generali omnium Romanorum uictoriarum deſcriptione oſtendam, qua uirtute nos uicerint Romani Accedat unicus Plutarchi liber, περὶ τῆς ῥωμαϊκῶν τύχης, id eſt, de Romanorum fortuna intitulatus, planè feſtiuiſsimus, niſi quòd miror, cur à nullo hactenus Latinæ linguæ donatus ſit. Illic Plutarchus penè bella omnia Romanorũ cõtra Germanos adduxit, & ſemper fortunam ſolam Romanis uictoriam cõſtituiſſe concludit, & Romanos Fortunæ etiam templa erexiſſe, ſicuti M. Ancum & Camillum: καὶ φούριος κάμιλλος, ὅτι τὸ κελτικὸν ἔσβεσε πῦρ, καὶ τὴν ῥώμην ἀντίῤῥοπον χρυσῷ κεκλιμένην ἀπὸ ζυγοῦ καὶ τῆς πλάστιγγος καθεῖλεν, οὔτε εὐβουλίας, οὔτε ἀνδρίας, ἀλλὰ φήμης ἱδρύσατο καὶ κληδόνας ἐκεῖ παρὰ τὴν καινὴν ὁδόν. Vbi Furium Camillum qui flammas Gallici belli extinxit, Romam auro inclinatã, à iugo & preſſura liberaſſe refert, nec bono cõſilio, nec uirtute, ſed quia Famæ ædificabat templa, fortuitu Romam in aliam uiã reſtitutam. Idem de Decio refert, quem à Dijs monitum, Gallicum bellum paruo tempore compoſuiſſe refert. Idem Plutarchus de Marcello innuit, quẽ & uirtuti ac honori ſacrificaſſe ſcribit: & idem ſubiungit, Aemilium Scaurum in Cimbricis bellis molitũ. Redeat igitur prior oratio ad nos, à Dijs uidelicet, non Romanis noſtros fuiſſe uictos. Interponamus huic libro aliud Plutarchi uolumẽ, in quo Delphis Apollinem conſultantibus, quid contra Galatas agerent: ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις: Mihi hæc curę erunt, reſpondit, ac candidis puellis, ſcilicet Palladi ac Dianæ. Nam ut Iuſtinus, Pauſanias ac Plutarchus referunt, Dij in bellum pro Delphis præſentibus armis proceſſerunt, ac corporibus. Cæterùm ne tantùm Dijs, uerùm & excluſa in alijs neceſsitatibus uirtute, nec nos à Romanis uictos oſtendam. Redeat in priori uolumine Plutarchus περὶ τῆς ῥωμαϊκῶν τύχης inſcripto, fortunã à maximis diſpendijs Romanos defenſaſſe referẽs: Gallis enim, inquit, Capitolium anguſtãtibus ac arces Romanas diripientibus, peſtis in exercitu Gallorũ graſſabatur, qua multi mortales perierant. Item dũ nocturnos aditus Romani ignorarent, fortuna eis uiam rexit. Quid plus? dũ Capitolium iamiam à Gallis clã perſcenderetur, Fortuna αὐτόματον ἐκπυστον, ut uerbis eius utar, id eſt fortuitum non prouiſum auditum Romanis largiebatur.

Quid

Quid multa? εἰ γὰρ ὥσπερ πολύβιος ἐν τῇ δευτέρᾳ βίβλῳ περὶ τῶν τότε τὴν ῥωμαίων πόλιν καταλαβόντων ἱστόρηκε κελτῶν ἀληθές ἐστι, ὅτι προσπεσούσης αὐτοῖς ἀγγελίας φθείρεσθαι τὰ οἴκοι ὑπὸ τῶν προσοίκων βαρβάρων, ἐμβεβληκότων εἰς τὴν χώραν καὶ κρατούντων, ἀνεχώρησαν, εἰρήνην θέμενοι πρὸς τὸν κάμιλλον. οὐδὲ ἀμφισβήτησίς ἐστι πρὸς τὴν τύχην, ὡς οὐχὶ τῆς σωτηρίας τῶν ῥωμαίων αἰτία κατέστη, περισπάσασα τοὺς πολεμίους; μᾶλλον δὲ ἀπασπάσασα τῆς ῥώμης ἀπροσδοκήτως. quod ita uertimus: Si enim uerum est, quod de Gallis urbē Romanorum tunc occupantibus, Polybius in 4. lib. prodidit, scilicet dum Gallis nuncia accidissent, eorum domos ab aduenis Germanis, eorum regionem militantibus dirumpi ac deuastari, ad patriam eorum redierunt, percussa pace cum Camillo. Nulla igitur contentio sit ad fortunam, quòd scilicet non Romanorum saluti affuerit, quia eis tot hostes immiserit? si uerum dicimus, magis hostes à Roma auertit etiam inexpectato. Hactenus Plutarchus. Ibidem simul maxima fortuna Iulium Cæsarem semper usum asserit, & si pergeremus ex eo solo libro, ea omnia quæ nobis ad præsentem lineam faciunt accersere, opus esset totum uolumen illud ac integrum proferre. Cæterùm de Romanorum fortunis audire cupido, uel satis Athenæus ille facit, in Dipnosop. libro, ubi ex Posidonij ac Polybij sententia pleraque adducit, Videamus quónam dolo & Galatæ ab Antiocho succubuerint. Lucianus in dialogo, ζεῦξις ἢ ἀντίοχος inscripto, Galatarum equos aspectu elephantorum deterritos, dum prius elephantos non uiderint, uictoriam Antiocho peperisse testatur. Vnde dum Macedones qui cum Antiocho fuerunt, regem καλλινικὸν, honestæ uictoriæ compotem dixerunt. Respondit rex collachrymans, αἰσχυνώμεθα ὦ στρατιῶται, οἷς γε ἡ σωτηρία ἐν ἑκκαίδεκα τούτοις θηρίοις ἐγένετο. ὡς εἰ μὴ τὸ καινὸν τοῦ θεάματος ἐξέπληξε τοὺς πολεμίους, τί ἂν ἡμεῖς ἦμεν πρὸς αὐτούς; Id est, Verecundiam habeamus ô milites, quòd salus nostra tantùm in sedecim illis bestijs erat sita. Si non nouitas aspectus horum, hostes terruisset, quid nos aduersus illos potuissemus?

Requiem semper Germanis fuisse odiosam, & de eorum tributis. Cap. 39.

HAbuit id Germania cum paucis commune, quòd cædis inexhausta, nihil plus quàm bella semper excogitauerit. Vt dum etiam hostis sibi defuerat, in se arma mouebat. Cornelius Tacitus lib Hist. 2, Sueuos & Cheruscos discessu Romanorum sese ipsos affecisse testatur. Mirum in una gente illa, tantam ferri fuisse licentiam, tantam cædis edendæ cupiditatem? Procopius autor Græcus Herulos Germanos scribit, regem eorum habuisse sibi offensissimū, eò quòd animi eorum assidua pace residerent, ac penè bellorum desuetudine corrumperentur. Alexander Romanorum imperator pacem donis ac muneribus cum Germanis cauponatus est, ea conditione, ut à Romanorum damnis desisterent, tamdiu ipse imperio præesset. Germani ægrè diuturnitatem imperatoris ferentes, sese iterum consueto bellorum usu in Romanos iniecerunt, ut ait Herodianus libro 6. de Germanis: ὄντες οὖν καὶ ἄλλως πρὸς τὸ καινοτομεῖν ἐπιτήδειοι, καὶ τὸ μὲν πρᾶον τῆς ἀρχῆς. βαρὺ δὲ μῆκος ἐξουσίας ἡγούμενοι ἀκερδὲς δὲ ἤδη, πάσης προανηλωμένης φιλοτιμίας. Id est, Sunt enim Germani suapte natura proni ad res nouandas, & tam longo principatu grauati: minus lucrosum putauerunt, eius diuturnitatem omni ambitione consumpta, &c. Gotthi simul sub rege deside impatientes, regem eorum occiderunt, ut testatur Aretinus, in rebus Gotthorum. Paulus Diaconus suprà Eutropium lib. 12, Semper ante Theodosij tempora, solo terrore nominis tributa Germanos ab omnibus exegisse refert. Gratianus Cæsar, referente Blondo, Alanos pecunijs pellexerat contra Maximinum. Eutropius tamen, uel potius Diaconus supra Eutropiū lib. 11, Incunctanter precio sibi Alanos

Germani inquieti & nouitatis cupidi.

Alanos Gratianum conciliasse testatur. Ecce Cornelius Tacitus lib ro primo Histor. magis uerbis adornasse, quàm specie uirtutis ostendisse triumphum Tiberium infit. Ad cætera exequenda nonnihil Procopius ualeret, qui tum in primo, tum in tertio libro, multa de Germanorum tributis disseruit.

Germanos olim triumphos eorum uendidisse. Cap. 40.

Germanos auro triumphos uendidisse.

GErmani quàm studiosi fuerint pecunijs, libro secundo diximus. Victoriam autem plerunq; auro uendiderunt: ostendit hoc Iustinus de Galatis Germanis. Quassauit & id Germanorum famam non mediocriter, quòd uictoriam consecutam auro uendiderāt Germani, ac impensiores ad comparandas pecunias quàm laudes inhiabant. Scriptores inde pecuniam in uictoriarū descriptione omittentes, absolutam uictoriam Romanis assignauerunt, ut in nullo bene de Germanis meriti sunt, in omnibus quæ ad Germanos spectant, iniquiores extiterunt. Traianus Cæsar mansuetudine ac donis Germanos superauit, ac sibi uictoriam adscripsit. Germani ut fuerant ἀφιλότιμοι, libero animo tulerunt. Otto Frisingēsis libro secūdo, capite quadragesimooctauo, Germanos à Iulio Cæs. pecunia lactatos titulum uictoriæ Cæsari cōcessisse refert. Galli Senones tunc Germani capta Roma, ac Romanis deuictis, in agendis prędis adeò occupati fuerunt, ut Romanis fugentibus non solùm uitam, uerùm & reparandarum uirium occasionem ac spacium reliquerint. Vnde uictoriæ ignaros, Plutarchus in Camillo eos ac Barbaros appellauit. Datum igitur fuit Germanis uincere, ut uerbis Liuij ad Hannibalem dicam, uerùm non uictoria bene uti. Thraces, quos ideo Germaniæ adscribere soleo, dum penè semper Getæ eam inhabitauerint, ut prius ostendimus, ęquali stoliditate diuitias uictorię præposuerunt, testante Plutarch. in lib. περὶ τῶν παραλλήλων ἑλληνικῶν καὶ ῥωμαϊκῶν.

Germanos à nullis nisi Germanis uictos extitisse. Cap. 41.

Germani tantùm à Germanis uincuntur.

ET ut demum Germanicæ fortitudinis summam habeas, Germanos nunquam nisi à suorum militum uirtute destitutos inueneris, qui dum diuersis partibus studebant, in quamcunq; partem uictoria inclinauerit, semper Germanorum fuerit necesse est. Camillus Gallis Gallos strauit, Aemilius Paulus Bastarnis Germanis Germanos superauit. Iulius ac Augustus semper Germanis exercitum eorum instruxerunt, ut prius diximus. Id & Antonini ex Suidæ sententia moliebantur. Iustinianus Cæsar contra Gotthos agens, apud Narsetem tantam multitudinem habuit proficiscentem, quanta uix Istrum translata unquam est, referente Procopio libro secundo. Tot quoq; Herulorum millia sibi asciuerat. Ita Claudius Cæsar Gotthos Germanis detriuit. Maximinus semper Germanis ad pręlia usus est, Herodiano authore. Stilico Vandalorum auxilio Gotthos destituit. Bellisarius aduersus Gotthos, referente Procopio, Herulos & Alanos habuit commilitones: & si ad calculum res deducenda est, nō sustinueris, quin semper Germanorum armis Germanos succubuisse inuenies. Cornelius Tacitus libro primo Histor. Tiberium Cæsarem Germanos quos apud se habuit, ad aciem contra Cheruscos posuisse affirmat.

De patientia sitis & fame Germanorum. Cap. 42.

Germanorum frugalitas & parsimonia.

VEgetius rei militaris author non spernendus, militem ob id è Septentrione, id est Germania eligendum suadet, quòd hi sitis ac famis patientes, laborem quemcunq; tolerare posśint. Nec id bellicæ uirtutis minimū in se continet. Ouidius Germanorum patientiæ testimonium tale adhibuit:

Quodq; sitim didicēre diu tolerare, famemq;,

Quodq́ sequens nullas hostis habebat opes.

Ateas Scytharum Germanicorum rex, Philippo Macedonum imperatori ita apud Plutarchum scripsit: σὺ μὲν ἄρχεις μακεδόνων ἀνθρώπων μεμαθηκότων πολεμεῖν, ἐγὼ δὲ σκυθῶν, οἳ καὶ λιμῷ καὶ δίψει μάχεσθαι δύνανται. Id est, Tu quidem Macedonibus imperas rerum bellicarum peritis, ego uerò Scythis, qui famem ac sitim tolerare possunt. Appianus non solum Germanos, uerùm & equos eorum tanta continentia assuefieri indicat, ut in necessitate etiam lignis uesci didicerint.

De supplicationibus Germanorum eorum qui succubuerunt in prælijs, aut captiui ducebantur. Cap. 43.

DVm autem Deus opt. max. præuertit Germanis anchoræ iactum, ita ut & hi cōditione rerum mortalium, in arena aliorum uirtuti succubuerint, rarò tamen sese dedebant, nisi rebus saluis, quemadmodum apud Procopium Gotthi. Septentrionalibus usus erat alio supplicandi genere, porrecto scilicet boum corio: ἐς τοὐπίσω περιαγαγὼν τὼ χεῖρε, ὥσπερ οἱ ἐκ τῶν ἀγκώνων δεδεμένοι Id est, Reductis in tergum manibus, more illorum qui à cubitis uincti sunt. Hæc Lucianus. Victi preterea ac capti Septentrionalium Zyrym dixerunt, quemadmodum antiqui saltem, id est salutem.

Modus cabiendi German.

Zyrym.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER QUINTUS EXEGESEOS GERmaniæ de bellis Germanorum in generali & communi, & continet capita 48.

Ll



ON me latet, magnum ac difficilem laborem nobis esse subeundum, & nos minimam metam laboris attigisse, dum in medio opere nostro, penè in principio proximiores paulum à littore recessimus, & adhuc longè à destinato fine sumus remoti. Bene tamen se res habet, dum memoriam aliquam rei nobis difficilimæ in describendis Germanorum bellis excesserimus. Nam libro proximo bellicam in nostris uirtutem exorsi, ad præsentis libri negocium aditum fecimus, ac illa quæ ad describenda bella condonabuntur, summis tantum digitis attigimus. Præparatiua enim quædam ac præfationes nostri instituti descripsimus. Nunc uerò uirtutem bellicam aggrediamur, omnibus exclusis ambagibus, quibus intendi crescere aut deprimi res nostra potuisset, nudamq; rei ueritatem cum gestarum rerum magnitudine, qua poterimus breuitate, transcurremus.

De primis Germaniæ bellis. Cap. 1.

MVltæ ac uariæ priscorum Germanorum gentes extiterunt, qui ante Germanorum nominis cognitionem, totam terram inuaserunt. Quemadmodum Cimbri Romanos, Galatæ Asiam, Getæ Scythiam, ac Thraciam: quorùm strategemata usq; ad sequentis libri memoriam dilaturus sum: præsentis enim instituti est nullius singularis populi recordari, nec rerum priuatarum, uerùm illarum, quæ ad Germaniam attinebant, & in quarum fluctibus fuerat occupata. Habuit Germania nullum bellum apertum ante Iulij tempora. Alexander Magnus à Germanis abstinuit, quamuis σκύθας οὐκ καταφρονήτους ἄνδρας, ut Luciani de eo uerbis utar: id est, Scythas non contemnendos ac Tanaim transgressus sit: Arrianus Græcus author, Campanus ac Ptolemæus Lagus, ob formidinem eum abstinuisse refert à Germanis. Otto Frisingensis legatos scribit Germanos conciliandæ pacis gratia Alexandro misisse, in quo fide caret: omnes enim diuersi ab eo abeunt. Galli etiam ante Cęsaris ætatem Germanis præstabãt uiribus & opibus, ut liquet ex ipsius Cæsaris testimonio, in primo Commentariorum. Hæc tantum à Cæsare scripta credo eius honoris gratia, ut & se tantorum populorum potentissimorum uictorem ostenderet. *Bellum primũ Germaniæ.*

De bello Iulij Cæsaris contra Germanos. Cap. 2.

IVlius igitur exorto Galliç tumultu, Arouisti Germanorum regis primùm uires expertus est: exercitum enim duxit Arouistus cũ Germanis, in quo Trebotes, Vangiones, Nemetes, Menapij, & alij militabant. Iulium igitur Arouistus affectauit, à quo & uictus est, ut scribit ipse Cæsar lib. 1 Comment. Orosius lib. 6 cap. 7 & 8, similiter 9. Eusebius in temporibus, Florus, Plutarchus in uita eius, secundum quem campum quadringentis stadijs sanguine sparsit, occisorum numerus etiam apud hos constat. Inde Heluetios, Tulingos & Latobrigos, in deditionem accepit. Rauracos inde & Boios, quorum 268 millia occidit, ut Cęsar libro primo profitetur. Eutropius libro sexto, Belgas, Bellouacos, Celtes, Vromandos, Condrusos, Eburones, Cheruscos, Tamatos, Germanos eum uicisse scribit, & legatum suum Titurium Albinum, Heluetios, Eburones, iterum destituisse. Cæterùm rem executus est Orosius perinde ac Cæsar, altero inde anno, Iulio quoq; à G. Trebonio Germania addicta est, unde Cæsar contra Germanos profectus, prius pontem Rheno fecit, ut Plutarchus, Eutropius, Orosius, Suetonius, Diodorus lib. 6. Liuius in loco prædicto, Sabellicus lib. 5 Ennea. 6. & ipse Cæsar in Comment. testantur. Verùm bello Brittannico impeditus, iterum à Germania discessit, ad Treuiros uenit, contra ipsos bellum gessit, ut libro quarto Commentario. & Liuius libro 107. Florus supra Liuium, & Orosius collegerunt. Suęui inde auxilia Treueris præstabant, ut Sabellicus, *Bellum Iul. Cæsaris cum Ger.*

Orosius & Cæsar libro quarto aiunt. Vnde contra ipsos Cæsar profectus est, & non inuento hoste, ut Liuius ibidem asserit, discessit. Orosius tamen & Eutropius, tantum 440 Germanorum Cæsarem fudisse dicunt, & totam Galliam à Rheno usque ad Oceanum subegisse, id est, Belgas. Inde Bellocauos uicit, ut Liuius libro sequenti affirmat. Et idem ait, Dalmatas Cæsarem in Illyrico subiugasse. Hæc Iulius in Germania gessit, quam tamē non sibi subdidit, quod Lucanus ostendit, apud quem Lælius adulatoriè loquitur ad Iulium, teste Sulpitio:

Oceani tumidas Rheno compescuit undas,

Fregit & arctoum spumanti uertice Rhenum.

Nam & Pompeius ipsum à Rheno fugisse testatur, apud Lucanum libro 2.

— *Rheni gelidis quia fugit ab undis.*

Et libro primo Lucanus multa in arctoo comparari potuisse indicabat, nisi bella ciuilia inhorruissent, dicens:

Heu quantum terræ, &c.

Ex quo Cæsarem Germaniam non subegisse scimus, nec Cæsar ipse profitetur. Arouistum uicit, & Germanos, ut libro primo & libro quarto Commentariorum dicit, se castra hostium Germanorum noctu & ex improuiso irruisse, & ipsos fugasse. Hæc bella cum Germanis legimus C. Iulium Cæsarem gessisse. Suetonius quoque Tranquillus & Eusebius uoluerunt, quater Cæsarem triumphasse: Germaniam uerò ipsi triumphum peperisse, nullus scriptorum profitetur, etsi Catulo & Mario simul Cimbros uincentibus, utrique triumphus decretus fuerit, hostes sternentibus. Coniectura est Cæsarem paruum de Germanis honorem retulisse. Quoties autem ipse uictus succubuerit, & qua iactura Germaniam tentauerit, cap. 31 patebit. Gladium apud Neruios amisit, ut ipsi gloriantur, Plutarchus apud Aruerinos ait, Strabo libro tertio, apud Gallos, Suetonius in Vitellio, apud Germanos, bello eum perdidisse affirmat in templo Martis. Beroaldus uidens tantam dissensionem auctorum, duos gladios perdidisse Cæsarem innuit, unum apud nos, alterum in Gallia.

De bello Augusti contra Germanos. Cap. 3.

Bello Cęsaris adhuc uibrante Octauiani strategemata referam. Antequam Augustus Germanico incubuit bello, Sex. Pompeius Dalmatas & Pannones subegit, ut scribit Liuius lib. 131. Inde Crassus Salassos Alpinas gentes subegit, sicuti lib. 135 Liuius collegit, iuxta Florum. Post hos Augustus habenas temperans, totius orbis dominus euasit, unde & Germanos bello solicitauit. Huius tempore Curium proconsulem primum trans Danubium profectum, Sex. Ruffus, Plutarchus & Iustiniani Cæsaris uitæ enarrator indicauerunt, & ibi Noricos & Pannones eum strauisse cum eorum rege Buchono dicūt: inde Amantinos. Hæc illi. Inde per Drusum Germanicum, bella Germaniæ sustinebant. Hic ergo primos Vsipetes, Tenteros & Cattos perdomuit, & Marcomānos ad internecionem deleuit. Vindelicos & Rhætos his addidit Strabo libro septimo: & hunc Amphianos, Ampsarios, Catischos, Cheruscos, Catuarios, Subaticos & Bructeros nauali prælio uicisse scribit, & Birchanem, ut in dictione eius patebit. Liuius libro 137. ciuitates circa Rhenum, & trans Rhenum Iulium cepisse ait, multa libro quarto ab Vrbe. Hunc etiam Florus libro tertio, Vsipetes & Cattos domuisse asserit, & quadraginta castella erexisse: huius enim uestigium adhuc Moguntiæ uidetur, ut ait Otto Frisingensis. Idem etiam Florus testatur, de eo qui Visurgim & Albim fecisse penetrabiles scribit, cuius rei authores etiam sunt Eusebius & Strabo libro septimo, qui Sueuos ab ipso ultra Albim amotos fuisse probauerunt. Multa Suetonius in Augusto, Appianus, Sabelli-

cus

cus libro undecimo Ennead. sextę, ubi Augustum Segestiam cepisse refert, cui sententiæ & Strabo libro septimo subscribit. Horatius de Druso multa innuit libro Carminum tertio, Oda quinta: & quarto libro, Oda secunda:

Cæsarem, quando trahet hic feroces
Per sacrum cliuum merita decoros
Fronde Sycambros.

De traductione populorum à Druso. *Cap. 4.*

DE qua traductione Suetonius & L. Florus, & Horatius multa retulerunt. Nam ut ait Acron & Porphyrio, ad laudes Drusi Odas & quartum librũ scripsit, ut & libro quarto, Oda quarta habemus: quæ uerba de Pannonibus & Vindelicis intelliguntur:

Sed diu lateq; uictrices cateruæ
Consilijs iuuenis reuicti.

Et libro quarto, Oda decimaquarta:

Quem leges expertes Latinæ,
Vindelici didicêre, nuper
Drusus Gelonos implacidum genus
Deiecit.

Ouidius etiam uictoriæ eius testis est Tristium secundo, ita dicens:

Ausonium ducem solitis circumuolet alis,
Ponet & in nuda laurea serta coma.
Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda,
Nunc te prole tua iuuenem Germania sentit,
Quæ bona progenies digna parente fuit.
Drusus in his quondam meruit cognomina terris,
Bellaq; pro magno Cæsare Cæsar habet.

Ouidius quoq; de laude Drusi libellum scripsit Getico sermõe, ut ipse libro quarto de Ponto testatur. Multi collegerũt quadraginta millia captiuorum ipsum ex Germania deduxisse: ut Orosius & Eutropius libro septimo, si bene memini, 400 millia referunt, supra Rhenum collocasse. Strabo libro septimo, reges ab ipso captos meminit, quorum libro tertio nos mentionem fecimus, cui astipulatur & Sex. Aurelius, Otto Frisingensis libro tertio, capite decimo, Germanicum Drusum Drusi filium, Caligulæ patrem de Germanis triumphasse ait. Idem Orosius lib. 6, cap. 20. Verùm ut rei summam breuibus perstringam, Augustus Rhætos, Vindelicos, Cattos, Dalmatas, Sueuos, Sycãbros uicit, & in Galliam transmisit, Pannones stipendiarijs his adiecit. Getarum populos Bastarnasq; lacessitos bello ad concordiam contulit: nec Germaniam tamẽ subegit. Vnde quando Euangelista loquitur, Vt uniuersus describeretur mundus: Augustinus intelligit mundum Rom. Imp. tantum: adulatoriè ergo Ouid. dixit:

Crinibus en etiam fertur Germania passis,
Et ducis inuicti sub pede mœsta sedet.

Impugnata bene Germania à Druso est, uerùm non expugnata.

De alijs ducib. quorũ ductu Augustus Germ. bellũ intulit. *Cap. 5.*

SVnt & alij duces, quorum auspicijs Augustus Germaniam solicitauit, ut Nero Tiberius frater Drusi, qui Dalmatas & Pannones subiecit, ut aiunt *Nero Tiberius.*

Liuius

Liuius & Florus supra ipsum, lib. 138. quod Hora. lib. 4, Oda 14 describit:

Maior Neronum mox graue prælium
Commisit, immanisq; Rhætos
Auspicijs pepulit secundis.
Nilus & Ister, te rapidus Tigris,
Te cæde gaudentes Sycambri
Compositis uenerantur armis.

Vindelicos quoque Rhętos & Pannones, Alpinas gētes imperio subdidit, Suetonio & Strabone libro septimo referentibus, & naualibus pugnis Vindelicos adiūt: multa Eusebius, Otto Frisingensis libro tertio, capite decimo, & Aurelius Sextus collegerunt. Item per Tiberium Augustus post Drusum, Germanica bella gessit, ut tenuiter Strabo tangit. Eusebius fratrem Drusi Pannones uicisse scribit, contra Germanos 40 millia adduxisse, quindecim legionibus, ut etiam Suetonius testatur, & de illo bello postea dicetur. Asinius Pollio quoq; & Vibius Vindelicos strauerunt, ut Floro placet lib. 3. Itē Lælius de quo Suetonius & Orosius, contra Germanos profectus est. Varus quoq; tribus cohortibus in Germania occubuit, de quo paulo pòst mētio habebitur, ubi de damno Germanorum Italiæ illato sermo erit. Augustus etiam Dacos Romā aggressos deleuit, tribus ducibus eorum cęsis, ut uoluit Appianus in Parthico. Eutropius hoc per Tiberium sub Augusto contigisse asserit, & ipsos tunc Pannoniā deuastasse. Vnde Hora. lib 4. Car. ait: Penè occupatā seditionibus Deleuit urbē Dacus. Item per Labienū Augustus Germanos terruit, de quo Orosius. Iustiniani uitæ enarrator etiam per Lentulum scribit Danubiū Cæsarem solicitasse. Cęterùm ut huic rei modū imponā, Augustus in potestatē pop. Romani gentes plurimas redegit, à mari supero usq; ad inferū, ut ait Plinius lib. 3, cap. 19. Sicuti Alpinas gētes, Nantuates, Lepontios, Sedunos, Veragros, Salassos, Caturiges, & alios, nō tamen Germaniā subiugauit: ad hoc enim Plinij uerba maximè de Gallis loquentia nihil faciunt, nec Virgilij uerba arrogantia Cæsari libro 8 Aene.

Augustus Germaniam non subegit.

Hic Lelegos, Carrasq; sagittiferosq; Gelonos,
Extremiq; hominum morini Rhenusq; bicornis,
Indomiti Daciq;, & indignatus Araxes,

Et Ouid. libro Meta. ultimo Iouem inducit Veneri dicentem de Augusto:

Quid tibi barbaricas gentes, & utroq; iacentes
Oceano, numerem? quodcunq; habitabile tellus
Sustinet, huius erit.

Hæc uerba cum de Germanorum fortitudine agam, falsa reperta esse ostendam, & præcipuè quæ Ouidius in Trist. quarto ponit:

Iam fera Cæsaribus Germania totus ut orbis
Victa, potes flexo succubuisse genu,
Cornibus hic fractis uiridi male tectus ab ulna
Decolor ipse suo tegmine Rhenus eat.

Ouidius enim quibus potuisset adulationibus, Augusto blanditus fuisset, ut postliminio ab exilio reuocatus esset.

De alijs imperatoribus, Tiberio & Claudio. Cap. 6.

Tiberius ac Claudius cōtra Germanos.

POst Augustum, ut Cornelius in Historijs ait, quietæ in Germania res fuerant, quia peruulgati erant triumphi, & ex eo decus plerique sperabant, si pacem tantùm continuassent. Hactenus Cornelius. Tiberius enim contra Germanos

manos nullum gesſit bellum, ſed tantùm ad ſe eos allexit, ut regem Sueuorum Marobudũ ſpe pacis, Suetonio, Oroſio, Iuſtini enarratore, Sex. Aurelio & Iornande authoribus. Euſebius tamen Dalmatas & Sarmatas ſubegiſſe ſcribit: & Eutropius libro ſeptimo à Dacis Pannoniam, Galliam & Mœſiam hunc hoſtibus liberaſſe, & demum à Claudio quendam Tiberiũ miſſum, ſcribit cum Germanis conflixiſſe. Claudius enim quoq; Germaniã tentauerat bello ſuo, ut Sabellicus libro ſecundo Ennead. ſextę ait, & 200 milites Germanorum occidit. Euſebius à Claudio Veſpaſianum miſſum ſcribit: unde conſtat, Claudium multa contra Germanos laboraſſe. Eutropius libro octauo Claudiũ aſſerit Transrhenanos ſubegiſſe. Inde Daciam à Cibale uictam, inde prouincias Danubianas, ut Taiphalos nunc Victoualos & Turingos dictos uiciſſe. Ioſephus Antiquitatum libro decimonono ſcribit, ipſum Imperatorem à Germanis fuiſſe initiatum. Aſſumpſerat autem Tiberius bellum Germanicum neceſsitate ductus, & magis abolendæ infamiæ gratia, ob amiſſum Quintilium Varum, quàm cupidine proferendi Imperij, ut collegit Cornelius Tacitus libro primo. Geſsit autem bellum ſuum Tiberius per Sex. Pompeium, & Sextum Apuleium, & C. Curratium, ut ait Tacitus. Duo etiam exercitus eius referuntur: unus ſub Cecinna iuxta Rhenũ, alius ſub Silio. Inde Cattos domuit Tiberius. Caius Cæſar inde, & ille in Germaniam uenit, uerùm nihil ſtrenuè moliebatur, ut Methodius martyr ſcribit. Ioſephus libro decimonono Germanos ei charos fuiſſe teſtatur. Otto tamen Friſingenſis Germaniam totam eum percurriſſe dixit. Nero Imperator nunquam contra Germanos debellauit: eius tamen tempore Virginius Ruffus Germanicum exercitum in Gallias duxerat, & tandem ab Imperatore deſciuit, propter eius libidinem. Ad quod alludit Iuuenalis Satyr. 8: Quid enim Virginius armis Debuit ulciſci magis. Multa Plutarchus in Galba, & in Ottone de Vindice ac Virginio ſcripſit. Dion etiam Gręcus ac Frontinus in libro de Aquæductibus, & inter omnes maximè Plinius Iunior, qui libro ſecundo Epiſt. ad Voconium propriam epiſtolam de illorum excellentia ac uirtutibus reliquit. Illo tempore etiam Vindex in Germania ſeditionem mouit: Virginius uerò occiſo Vindice, & Gallorum circiter 20 millibus cum Germanis Imperium retinuit, ut Suetonius & Tacitus in Hiſtorijs aiunt. Vnde & Epitaphium Virginij fuit apud Plinium in epiſt.

Caius. *Nero.* *Virginius.*

Hic ſitus eſt Ruffus, pulſo qui Vindice quondam
Imperium aſſeruit, non ſibi, ſed patriæ.

Neronis quoq; tempore Bataui à quartadecima legione digreſsi, in ciuitatẽ Lingonum poſiti, ad Fabium Valentem tranſmittebãtur. Valens timens perfidiam ſeparauit alam Treuirorum, & Tungros circumire iuſsit Galliam Narbonenſem, & Batauorum partem in ſubſidium ire: quare irati Germani, ipſum lapidibus fugauerunt. Hi ergo ductores tempore Neronis in Germania militabant, quorum Cornelius Tacitus lib. Hiſtor. 20 meminit.

De Galba, Caligula, Ottone, & Veſpaſiano contra Germanos. Cap. 7.

GAlba Germanos adeò dilexit, ut captos prius in bello dimiſerit: autores ſunt Suetonius & Cornelius. Caligula Imperator Batauos rebelles aggreſſus eſt, referẽte Suetonio. Germani inde defecerũt: ipſe ergo percepta eorum defectione, cõſtituit ad effugiẽdum Germanos, mare potius ſibi tentandum eſſe. Eutropius ipſum Sueuiam tamen ingreſſum ſcribit, cæterùm nihil ſtrenuè feciſſe. Oroſius libro ſeptimo, capite quarto, tantum Germaniam percurriſſe eum aſſeruit. Otto Imperator Germanos retinebat ſtudioſiſsimè, ut Tacitus

Galba. *Caligula.* *Otto.*

citus in Historijs exequitur. Plutarch. in eius uita, Batauos, ait, in exercitu eius militibus iunctos, magnam stragem edisse. Pro Imperio deinde Vitellius & Vespasianus certabant, cuius meminit Philostratus in uita Thionæi. Vitellius Germaniam ingressus est, ut Cornelio placet, Vespasianus dubitauit, an imperium inuitis Germanis susciperet. Germani & Heluetij Vitellij partibus fauebant, & ipsum in Cęsarē elegerunt, cuius meminerunt Methodius martyr, Platina in uita Lini, Otto libr. tertio, capite decimooctauo, Cornelius, Suetonius, & alij. Mauri inde conciliati Vitellio sunt, propter Germanos. Vespasiano uerò Sidon & Italicus, reges Sueuorum fauebant. Ciuilis igitur solertissimus, ut dissensionem moueret, partes alterius tutatus est, unde pugnabat contra Vespasianum adiunctis sibi Germanis duce Aquilio Primipilari, & uictoria potitus est: per Turingos iterum uincebat, cum Cereali inde & Vocali sæpè congressus, aliquando uictor, aliquando uictus euasit. Cecinna igitur mox contra Heluetios progressus est. Causa pugnæ fuit, quia Cecinna pecuniam uicesimæ legionis Heluetiorum rapuit. Heluetij interceptis literis, quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonias ferebantur, centurionem Cecinnæ & quosdam milites in custodia retinebant: Heluetios ultus inde proficiscebatur Cecinna, & per cohortes Rhætorum ipsos fugauit. Hæc ex Cornelio Tacito lib. 19 Hist. & alijs. Vespasianus tamen adiutoribus Sueuorum regibus, ad imperium peruehebatur. Inde dum Vespasianus apud Alexandriam moram traxit, & Iudæam bello tentauit, Petilius Cerealis se contra Britannos præparabat: audita defectione Germanorum, ad Germanos se uertit. Huius mentio fit apud Cornelium lib. 20. De Vitellio & Vespasiano plura lib. 7, cap. 5. Orosius adducit. Et ut in summa res dicatur, illis temporibus penè solus Vespasianus semper in Germanos bella gessit, nō solum dum ipse rerum summa potitus est, uerùm ut Suidas ait, κλαυδίῳ τῷ βασιλεῖ στρατηγῶν ὑπὸ γερμανοὺς καὶ βρεττανοὺς λ μάχας κρατερὰς ἀντιπεζεσάτο. Id est, Temporibus Claudij Cæsaris fortiter multas pugnas confecit.

De Domitiano & eius ductoribus contra Germanos strategemata ferentibus. Cap. 8.

Domitianus Germanicus DOmitianus Cęsar maximè Germanorum gloriam affectauit, eò ut sibi nomen Germanici imponeret. Sæpius enim Martialis ipsum nominat Germanicum, libro quinto:

— Degis Germanice ripæ.

Et libro octauo:

Nec sunt hæc hominum Germanice gaudia tantùm,
Quæ tua Romanus uidit Germanice Tibris.
Hæc est digna tuis Germanice porta triumphis.

Et sæpius, &c.

Iuuenalis quoque & Statius qui in Syluis libro primo ita ad ipsum loquitur:

Gallicus es cælo, dis es Germanice.

Et libro secundo:

Romuleum reserans iterum Germanice limen.

Idem:

— Summis æquat Germanicus astris.

Coniectura est Syluas Statium ob honorem eius scripsisse, unde equo ab ipso donabatur. Quintilianus quoque libro decimo, hunc Germanicum appellauit, & Sillius Italicus libro secundo:

At tu transcendens Germanice facta tuorum.

Germaniam

Germaniam enim bello tentauit, ut scribit Martialis illo carmine:

Solus Iulæas cum iam retineret habenas
Tradidit, inq; suo tertius orbe fuit.

Quid? nomen sine re possidere laudis est, unde facta eius in Germania paululum retegam. Bellum primum à L. Antonio mouebatur in Germania, ut ait Suetonius: unde Domitianus se aduersum Germanos præparauit, & contra Dacos, Pannones & Sarmatas profectus est. Eutropius libro septimo, & Eusebius id contigisse asserunt anno Christi 93. Contra Dacos duas fecit expeditiones. Primam, ut aiunt Suetonius, Iornandes & Orosius lib. 7, cap. 7. Appio Sabino adiutore, secundam Cornelio Fusco: qui occisi sunt, secundũ Methodium, à Dacis in Sarmatia. Vnde de ipsis Martial. libro sexto: *Duces Domitiani.*

Hic situs est Fuscus, licet hæc fortuna fateri:
Non timet hostiles iam lapis ille minas.
Grande iugum domita Dacus ceruice recepit,
Et famulum uictrix possidet umbra nemus.

Et Iuuenalis saty. quarta:

Et qui uulturibus seruabat uiscera Dacis.

De Fusco Cornelius Tacitus libro decimoseptimo Historiarum, Plinius in Epistolis, Statius in Syluis:

Gloria repositam Dacis pereuntibus urbem.

Et Silius Italicus libro secundo:

Hic & ab arctoo currus aget axe per urbem,
Sarmaticis uictor compescet sedibus Istrum.

Vbi sub arctoo intelligit Dacos Petrus Marsus Silij Italici præco. Martialis libro septimo, de eius lorica:

Inuida Sarmaticis dudum lorica sagittis,
Et Martis Getico tergore fida magis.

Et libro nono:

Cornua Sarmatici ter perfida concutit Istri,
Sudantem Getica ter niue lauit equum.

Mox secutum est Pannonicum bellum, cuius origo ferebatur, quòd tempore Domitiani Mœsiaci & Pannonici exercitus iuncti fuerant cõtra Romanos. Titus igitur Flauianus Pannoniam in prouinciam bello retinebat, Pompeius Syluatius Dalmatiam, ut ait Cornelius lib. 17 Hist. Inde Cornelius Fuscus procurator fuit, ingens ætate, clarus natalibus, prima iuuenta quietis cupidus, Pannonias aggressus est, & non uictoriam obtinuit. Quare Domitiano triumphus non erat decretus, lauream tamen Ioui Capitolino dedit, ut Martialis libro octauo ait, quæ non minor triumpho censebatur: *Pannonicũ bellum.*

Dum noua Pannonici narratur gloria belli.

Et idem:

Hyberna quamuis Arctous & rude Peuce,
Et ungularum pulsibus cales Ister.

Bis autem Rhenum uicit, id est Cattos, ut dixi secundum Lactantium Placidum, semel per Vitellium et Vespasianum, quòd Statius libro 1 Thebai. innuit: *Catticũ bellũ.*

Bisq; iugo Rhenum, bis adactum legibus Istrum,
Et coniurato deiectos uertice Dacos.

Et idem de Domitiano libro secundo Syl.

— Frena tenentem
Rhenus, & attoniti uidit domus ardua Daci.
Gallicus es cælo, dis es Germanice, condi
Non uocat arctoas acies, Rhenumq; rebellem.

Martialis tamen ter Rhenum hunc uicisse scribit: ait enim,

Fractusq; cornu iam ter improbe Rhenus:

libro septimo. Et idem libro nono,

Summe Rheni domitor,

ubi Cattos intelligit: nam sequitur,

Ex Cattis gloria tota tua est.

De bello autem Sarmatico, & quod contra Marcomannos gestum est, Statius libro Syl. secundo, multa his uerbis significauit:

Hæc est quæ uictis parcentia fœdera Cattis,
Quæq; suam Dacis donat clementia mortem,
Quæ modo Marcomanos post horrida bella, ferosq;
Sauromatas, Latio est non dedignata triumpho.

Vide Iuuenal. saty. 8. De triumpho autem eius & bellis, Patauinus eruditè satis disseruit. Batauos etiam puer domuit, quod Iuuena. Saty. 14 uult, dum ait:

Hic petit Euphratem iuuenis domitiq; Batauì.

Et Silius libro secundo,

Iam puer auricomo performidate Batauo.

Cætera de eius bello Otto Frisingensis lib. tertio, cap. 20: Orosius lib. 7, cap. 7 referunt. Sæpètamen & uictus est Domitianus adeò, ut ait Dion Græcus, quòd tributa soluere Dacis fuerit compulsus.

De Traiano ac Adriano Cæsaribus contra Germanos. *Cap. 9.*

TRaianus Cæsar post hos Germanos iterum in pristinũ statum reduxit, ut placet Orosio lib. 7. Sub illo Plinius II. contra Germanos militauit, sicuti Iunior Plinius ad Macrum testatur. Cornelius Tacitus Germaniam sub illius imperio demum uictam uult, uerùm ex temporis successu est delusus, unde uenia dignus est. Traiano enim imperante fata soluit Cornelius, unde non potuit futura prædicere. Iustiniani uitæ enarrator hunc scribit Decebalum regem Dacorum fudisse. Platina in uita Anacleti Papæ Transrhenanam Germaniam in pristinum statum Traianum reduxisse, & Dacos uicisse, Danubianas quoque gentes destituisse collegit, cui Otto Frisingensis lib. 5, cap. 21 astipulatur. Eusebius testatur Traianum in Rheno uectum Germanos debellasse, unde Martialis Rhenum ita alloquitur: Tiberis dominus te Rhene rogat, Cęsarem ut remittas. Germanicum ipsum dixit Martialis in Xenijs,

Seruus ut æthereа Germanicus imperet aula.

Sex. Aurelius & Orosius lib. 7, cap. 8 cũ Sarmatis bellasse eum asserunt, quod etiam Spartianus scribit. Dion Bithynius scriptor uitæ Traiani, per Luciũ Romanum contra Dacos, inquit, Traianus egit, & uictor bellicas machinas expostulauit, iterum rebellantes aggressus, lapideum pontem in Istrum fabricauit, et ita Decebalum ad mortem compulit: omnis Dacia tributaria Romanis facta est, & in prouinciam redacta. Hæc Dion. Campanus tamen tantum mansuetudine uicisse eum ait Germanos. Adrianus autẽ imperator, ut Eutropius refert libro 8, in Daciã exercitum duxit, cui ad uerbum Dion Prusiẽsis subscribit, qui

&

& Alanos eũ uiciſſe aſſeruit, uerùm tantùm muneribus. Aelius Spartianus hũc Germanis regem conſtituiſſe probat. Suidas, οὗτος ἐν παννονίαν ἀφίκετο, καὶ τὸν ἴστρον μετὰ τῶν ὅπλων διενήξατο, καὶ τοῦτο οἱ ὁρῶντες βάρβαροι ἐξεπλάγησαν.

De Antoninis & eorum contra Germanos ſtrategematibus. Cap. 10.

Antonini contra German.

REdeo nunc ad Antoninos, quibus nonnihil Germania debuit: hi enim ſoli, licet magnis difficultatibus, Germanos compeſcuerũt. Nam ut Suidas inquit, Antoninus παρὰ τὸν ἰδιώτην βίον πολύ τι πλῆθος χρημάτων κεκτημένος, ἐπειδὴ προῆλθεν εἰς τὴν ἡγεμονίαν, τὴν ἑαυτοῦ περιουσίαν, εἴς τε τῶν στρατιωτῶν καὶ τῶν φίλων ἀπανάλωσε δωρεὰς, τῶν τε δημοσίων θησαυρῶν πλῆθος παντοδαπῶν ἀπέλιπε χρημάτων. Id eſt, Ad propriam uitæ ſuſtentationem multum pecuniæ corraſit, poſtquam uerò in principem Romanum euaſit, propriam facultatem in dandis amicis & ſtipendiarijs diſsipabat, & publicos theſauros reliquit intactos. Alij eum publico foro res ſuas uenales habuiſſe dicunt, in bello contra Marcomannos geſto. Fuit autem bellum hoc ductu Rutiliani legati geſtum, referente Luciano in dialogo, cui nomen eſt ψευδόμαντος, ubi illa eius oratio eſt: ἔχων γὰρ, inquit, οὐ μικρὰν ἐπίβασιν ἐπὶ τὰ βασίλεια, καὶ τὴν αὐλὴν, καὶ τὸν ῥουτιλλιανὸν εὐδοκιμοῦντα πάρεδρον, διαπέμπεται χρησμὸν τοῦ ἐν γερμανίᾳ πολέμου ἀκμάζοντος, ὅτε θεὸς μάρκος ἤδη τοῖς μαρκομάνοις καὶ κουάδοις συνεπλέκετο. Id eſt, Dum iam liberum aditum in regiam poſsideret, inq; palatia pręſertim Rutilano rem adiuuante atq; appropinquante, cum bellum quod in Germania gerebatur, maximè flagraret, diuus Marcus Antoninus cum Marcomannis ac Quadis conferebat. Suidas ad Iſtrum ueniſſe Antoninum refert cum exercitu, cæterùm nihil adducit, ſed nec Capitolinus Eutropius, alijq; plura de illo bello ſcripſerunt. Quare ego quæ mihi ex Gręcorum Commentarijs conſtant, breuiter tranſcurram. In turbine illo Marcomannico, dum Roma uehementer terrebatur, oraculum requirebatur, cuius hæc erat ſententia, ut duos leones Romani in fines Germanorum Iſtro tranantes immitterent, ſacris magnificis ac uarijs odoribus conſpicuos. Romani tum oraculo paruerunt: ac dum leones in Germanorum agros Iſtro tranato deueniſſent, Germani eos canes eſſe conijcientes, fuſtibus eos arcebant. Romani mox ſubſecuti penè uiginti millia Germanorum extinxerunt. Sed oraculum his uerbis dabatur:

Ες δίνας ἴστροιο διιπετέος ποταμοῖο
Εμβαλέειν κέλομαι δοιοὺς κυβέλης θεράποντας
Θῆρας ὀρειτρεφέας, καὶ ὅσα τρέφει ἰνδικὸς ἀὴρ
Ανθεα, καὶ βοτάνας εὐώδεας. αὐτίκα δ' ἔσαι
Νίκη, καὶ μέγα κῦδος, ἅμ' εἰρήνῃ ἐρατεινῇ.

Quod oraculum à Germanorum præſtantiſsimo, nobis ita traductum eſt:

Gurgitibus fluuij turgentis ab imbribus Iſtri
Immiſiſſe duos Cybeles edico miniſtros
Monte feras alitas, tum quantum alit Indicus aer
Florum atq; herbarum bene olentum: moxq; futura eſt
Et uictoria pax & amabilis & decus ingens.

Antoninus Pius tamẽ Alanos & Dacos inde aggreſſus eſt, ut ait Iulius Capitolinus. Ille M. Antoninus Pius, ut idem ait, ita pugnauit contra ipſos, ut nullus imperatorum ante eum: ſpeciali enim bello Marcomannos, Pannones & Sarmatas à Vandalis liberauit, & triumphauit. Inde cũ Marcomannis omnes gentes ab Illyrico uſq; ad Galliam conſpirauerunt, Marcomanni, Variſcæ, Hermonduri,

duri, Quadi, Sueui, Sarmatæ, Butei, Hiali, Vsipetes, Roxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini, Costobani: hos omnes uicit, Orosio libro septimo, capite nono authore. Antoninus Verus inde contra Germanos progressus est, Eutropio lib. 8 referente, & quod maximum fuerat, in hoc Sueuos, Vandalos & alios coniuratos destituit. Multa de eo Iulius Capitolinus. Hunc Orosius lib. septimo, cap. 9. cum Christianis militibus Germanos uicisse asserit, cum siti periclitaretur. Platina in uita Aniceti Papæ 12, ærarium hunc exhausisse scripsit. Antoninus Commodus filius Antonini Veri, ut ait Platina in uita Soteri Papæ 13, & Iustiniani uitæ enarrator, cum patre Christianorum ductu uicit Germanos: hic ergo unà cum patre bellum gessit, & ex patris gestis triumphauit, ut Marius Maximus, Alexander, Aelius Lampridius & Platina scribunt. Eutropius libro octauo, hunc in Germania bellum feliciter egisse scribit. Aelius Spartianus in uita Caracallæ, & Aelius Lampridius in uita eius, uolunt ipsum Germanici nomen sibi asciuisse. Otto Frisingensis libro tertio, scribit semper ipsum incommodum fuisse, nisi quòd de Germanis feliciter pugnauerit. uide Orosium cap. 9, libro 7. Commodus etiam contra Germanos Marcellum præfectum misit, uirum doctum, & qui multa memoriæ scripta reliquit, referente Suida. M. quoque Aurelius contra Germanos insurrexit, ut ait Orosius: sub illo Pertinax fortissimè Germanos uicit, ut Herodiano placet.

Antoninus Verus.

Antoninus Cõmodus.

M. Aurelius.

De Pertinace, Aufidio, Antonino Caracalla, & Heliogabalo imperatoribus contra Germanos. Cap. 11.

Pertinax.

PErtinax illorum successor antequam imperator euasit, clarus tropheis et insignibus Germanorũ erat, ut ait Herodianus lib. 2 Hist. in principio. Mortuo ergo imperatore, Lætus unus electorũ ipsum in Cæsarem initiauit, dicens: Barbaros iam, intellige Germanos, non precio conciliabimus, uerùm metu potius. Hic ut scribit Iulius Capitolinus, cum matre ad Noricos & Dalmatas progressus est. Aelius Spartianus à Germanis postquam ipsos uicit, imperatorem hunc factum asserit: ac addit Iulius Capitolinus, hunc Germanicum fuisse, & ex rebus gestis peperisse sibi imperium. Aufidius imperator adeò Germanos in timore frenabat, ut nec aliquid in uita sua cõtra ipsum auderẽt, ait Vulcatinus Gallicanus, in eius uita, Marius Maximus, & Quadratus historici. Antoninus Caracalla (sic eum Orosius uocat) de Germanis triumphauit, & dici uoluit Germanus, ut ait Aelius Spartianus. Memoratur et Antoninus Heliogabalus, qui cũ Marcomannis cõgrediens inhibitus est, ut Aelius Lampridius colligit. Antonini Caracallæ meminit Platina in Pontiano Papa, & Herodianus.

Aufidius.

De Clodio Albino, Alexandro Seuero, Maximino, Gordiano, Gallieno, Posthumo, Loliano, imperatoribus contra Germanos. Cap. 12.

Clodius Albinus.

CLodius Albinus post hos rerum summa potitus est, qui ita se gessit, ut neque Germani nec Galli æquo animo ipsum imperatorem sustentauerint, ut Herodianus & Iulius Capitolinus uolunt, sed quòd opus fuerit alijs principibus. Semel hic tantum aliquid magni fecit, ut Seuerus & Iulius scribunt, quia Transrhenanas ciuitates superauerat: multa de eo Marius Maximus. Alexander Seuerus dum Germani agros Illyricorum populabantur, donis & precio eos compescuit, ut ait Herodianus libro sexto. Aelius tamen Lampridius Germanos in Galliam irrumpentes eum frenasse scribit, & contra eos 250 millia militum duxisse. Orosius apud Moguntiacum interfectum hunc asserit, libro 7, cap. 11. Spartianus scribit, ipsum à Germanis imperatorẽ factum, postquam ipsos

Alex. Seuerus.

ſos uicerat. De illo Panegyricus Cõſtãtini. Quid autem fecerit in Germania, uno uerbo Herodianus abſoluit dicens: καὶ ὅτι μηδὲν ἀνδρῷον μήτε νεανικὸν πεπράχοιτο Id eſt, Nil uirile nec puerile geſtum eſt. Maximinus imperator huic ſucce-dens, feliciter bello contra Germanos conflixit, ut Eutropius libro nono pro-fitetur. Iulius Capitolinus hunc Germanorum auxilio Aquilegias cepiſſe col-legit. Herodianus libro ſexto, adeò Germanos in ſyluis uiciſſe adducit, ut non multi emerſerint: etiam libro ſeptimo, hunc ſine authoritate ſenatus imperato-rem fuiſſe initiatum probat: ſed tantũ, quia proſperè in Germania bellum geſ-ſerit. Vide Platinam in uita Antheri Papæ. Multa de illo Euſebius, Oroſius lib. 7, cap. 12. Otto Friſingenſis libro tertio, cap. 32. & Iulius Capitolinus ſcribunt, tre centa ſcilicet millia hunc occidiſſe Germanorum, & quadraginta millia prędas abduxiſſe, & niſi Germani in ſyluas & paludes fugiſſent, totam hunc Germani am ſubieciſſe, unde Romanis in hunc modum ſcripſit Maximinus: Fecimus, pa tres conſcripti, quantum loqui non poſſumus, 40 millia Germanorum uincen-tes incẽdimus domos, greges abduximus, armatos occidimus, ad paludes ueni mus, & niſi eorum altitudo fuiſſet, totam ſubegiſſemus Germaniam. & Symma chus libro quinto Hiſt. de illo plura ſimiliter & Iornandes retulerunt. Gordia-nus Germanos, Sarmatas, Getas ſuperauit, ſed ab Alanis uictus eſt, ut ſcribit Iul. Capitolinus in eius uita, ſicut & eius Epitaphiũ ſonuit, cuius meminit Pom ponius Lętus. Galienus imperator Gallos à Barbarorum, id eſt Germanorum incurſionibus tutatus eſt: Galli inde ab ipſo deſciuerunt, ut ait Iulius Capitoli-nus: Platina multa in uita Lucij, Oroſius libro ſeptimo, cap. 15. Auſonius, Pom-ponius Lætus cætera exequuntur. Poſthumus Germanos rebelles iterum com peſcuit, & Gallos, ut Iulius Capitolinus collegit. Germani autem mox irrum-pentes, ciuitates Galliæ à Poſthumo ædificatas ceperunt, Oroſio libro ſepti-mo, cap. decimoquinto adducente. Lolianus ciuitates Poſthumi, ut Iulius Ca-pitolinus refert, iterum reſtituit, à Germanis deſtructas.

Maximinus. *Gordianus.* *Galienus.* *Poſthumus.* *Lolianus.*

De Galli Hoſtiliani, Taciti, Aureliani, Procli prælijs ac triumphis de Germanis. Cap. 13.

AVrelianus imperator Gotthos ſtrenuiſsimè uicit, ac Sarmatas in Illyrico compeſcuit, ut Priſcus & Fl. Vopiſcus dicunt. Theoclytus autem in libel lo de Nauibus, hunc ſcribit occidiſſe 48 millia Germanorum. Francos inde irru entes in Galliam tribus exercitibus uel legionibus ſuperauit, trecentos cepit, ſexcentos occidit, reliquos ſub corona uendidit. Hic etiam de Sueuis uicto-riã retulit, ut Priſcus & Fl. Vopiſcus ſcribunt. Euſebius hunc Romanos ab om ni metu liberaſſe ait. Eutropius lib. 9. multa de ipſo: mirum tamen, quòd nullum uerbum de Germanis facit. Platina in Felice probat, hunc iuxta Danubium ui-ciſſe Gotthos. Cætera uitæ Iuſtiniani enarrator, Otto Friſingenſis lib. 3, cap. 41. Oroſius lib. 7, cap. 15. & Fl. Vopiſcus, Pomponius Lætus, Sabellicus, & alij no-ſtræ memoriæ reliquerunt. Gallus Hoſtilianus Cæſar per Valentinianũ & Li cinium, Germanos ſollicitauit, ut ait Eutropius lib. 9. Platina in uita Lucij Papę huius meminit, de illo poſtea à nobis dicetur. Multa Pomponius Lætus & Sa-bellicus protulerunt. Tacitus inde Tranſrhenanas ciuitates afflixit, multas quo que cepit, ut ait Priſcus & Flauius in uita ſua, & in uita Floriani ipſum nomen tuliſſe Germanici. Fuerat enim reſponſo, in Dacũ ipſum Sarmatas uicturum, ui de Pomponium & Sabellicum & Fl. Vopiſcum uitæ eius enarratores. Pro-bus imperator demum Germaniam ditioni Romanorum penè ſubegit: ecce tamdiu Germania uincebatur. Euſebius Galliam à uaſtantibus eripuiſſe refert. Idem Oroſius lib. 7, cap. 16. Fl. Vopiſcus huius uitam deſcripſit, Probus ille Ger manos uicit, ut Claudianus in Probo ſcribit, uerba Claudiani ſunt:

Aurelianus. *Gallus Hoſti.* *Tacitus.* *Probus.*

Audijt, & gelido si quem Mœotica pascit,
Et placidi radiant in caßide uultus,
Qualis lætifera populatus cæde Gelonus
Procubat horrendus, Getico grandiuus in aruo.
Si tu Roma uelis, bruma tentabimus Istrum.
Annue, sic nobis Scythicus famuletur Araxes,
Sic Rhenus per utrunq; latus, medijs quod subiacet Indis.
Omni nobilior lustro, tibi gloria soli
Contigit, exactum nunquam memorata per æuum
Germanos habuiße duces.

Fl. Vopiscus scriptor egregius, de ipso sic loquitur: Germania, Hollandia, sint testes eius uictoriæ. Hic 60 ciuitates Galliam uastantes, Romanorum man dauit ditioni. Hic literas huiusmodi Romā misit: Dijs, patres conscripti, gratias habeo, quòd subacta est omnis quacunq; tēditur Germania. Habui quoq; mul tos nouos reges ante pedes meos, imò uestros. De triūpho Probi plures plura retulerunt, ut Priscus, Sabellicus, Pomponius Lætus, & Onesinus. Alij scribunt leones, damas, gladiatores, arbores inuicē annexas, syluæ instar in triumpho fuisse circūlata. Multa Petrus Crinitus lib. 12, cap. 6. ubi propriū caput de illo col legit. Hic enim primus Romanus imperator Germaniæ partē aliquā, nō tamen totam superauit, & si ad calculos res est limitanda, primus omniū Germanos ui cit, & quasdam prouincias tributarias fecit, ut plenius in sequentibus patebit.

Germāiæ pars subacta & uicta.

Constantinus. Constantius. Constans.

Germania deinde deuicta, lis inter Constantinum, Constantem & Cōstanti um orta est: Constantinus Germanorum auxilio euasit. Constans autem captis ducibus Germaniæ & Galliæ feris eos obiecit. Germani inde rebelles, ut ait Eu tropius lib. 16, Galliam uastauerunt. Cōstantinus autē imperator defensis Galliæ ciuitatibus, 5 omillia Alemannorū strauit, ut Eusebius testatur in Chronicis. Pla tina de ipso in uita Marcellini, primo occubuisse prælio Cōstantinū probat: se cūdo uerò multa Alemannorū millia uicisse. Sosomenus philosophus & histo ricus doctißimus, iuxtà & Christianus, Constantinū Sarmatas, qui nunc et Got thi dicuntur, uicisse refert, & addit signis ei demonstratā in somno fuisse uincen di uiam, quibus uictis, omnes circa Istrum in suam potestatē redegit. Hæc Soso menus lib. 5. Hist. cap. 7. Multa Otto Frisingensis, Ammianus Marcellinus, Au relius Sextus, Nazarius Mamertinus, Anonymus quidā Græcus historicus, q uitā eius collegit, & nuper à Capnione traductus, Latinæ linguæ restitutus est. Fecit & Constantinus expeditionē in Scythiam: dux eius exercitus Apsyrtus ferebatur, uir doctißimus cognomine Nicodemes: & dum iuxta Istrum erat, li brum ἱππιατρικὸν scripsit, & aliud opusculū, quod φυσικὸν περὶ τῶν αὐτῶν ἀλόγων uulgauit, quemadmodum Cimon Athenæus librū ἱπποσκοπικὸν scripsit, cuius meminit Plato & Suidas. Hæc ex Commentarijs Græcorū. Iulianus inde Con stantino succedens, ἀποστάτης καὶ κνορθοδόξατος, id est infidelißimus, cui ex decre to adeò assentatur Ammianus Marcellinus, uerùm non immeritò, dum Illyrici Epyri ac Dalmatiæ præfectus, referente Suida, ab eo consecratus sit. Hic Ale mannos strauit prælio, & nomen Alemannicum commeruit, ut hi Græcorū uer siculi de eo produnt è Cōment. Græcorū exarati, in eius palatij forib. adscripti:

Iulianus.

Ρωμαίων βασιλεὺς ἰουλιανὸς θεοκλὴς
Μαρνάμενος περσῶν πόλιας καὶ τείχεα μακρὰ
Αγχεμάχων διέπερσε συνὲ κρατερῷ τε σιδήρῳ,
Νωλέμενος δ' ἐδάμασσε πόλεις τε καὶ ἔθνεα πολλά:

Alla

Ἀλλὰ καὶ ἑσπερίων ἀνδρῶν ἀλαμαννικὸν ἔθνος
Υσμίναις πυκιναῖσιν ἑλὼν ἀλάπαξεν ἀρούρας. Quæ ita Latinitati restitui:

Iulianusq; deum referens simul imperij rex
Persarum sternens urbes quoq; mœnia lata,
Ipse manu præsens ferro populabat & igne
Oppida multa nouus ueniens in prælia miles.
Subdidit & multas gentes Alemannica castra,
Occidua & crebris pugnis uastauerat arua.

Iulianus Cæsar antequam coronaretur, cōtra Germanos profectus est. Belli causa fuit, quia Germani in bello apud Constantinum degentes, sine hoste, aliquas urbes depopulati sunt, unde ab imperatore missus Iulianus, Barbaros iuxta Rhenum uicit, alios cepit, ac ita uictoriæ magnitudine in Germania militibus imperator est factus. Hæc Sosomenus lib. 5, cap. 50. Eutropius libro 10. in Pannonia bellum gestum & contra Syllanum dixit: inde apud Argentariā magnas copias fuisse. Hieronymus in Eusebij Supplemento ait, Badomarium ducem illorum cepisse. Hic itaq; Romano imperio Germaniam iterum restituit. Multa de illo Nazarius Mamertinus eius Panegyricus, & Ammianus Marcellinus. Aelius Spartianus Iulianum quendam superiorem & inferiorem Germaniam contudisse scribit, ex cuius uerbis alium fuisse habemus.

De Valentiniano, Valente ac Gratiano imperatoribus contra Germanos. Cap. 15.

INde floruerunt Valentinianus & Valens imperatores: hi ut in Supplementis Eusebij Hieronymus, & Paulus Diaconus aiunt lib. 11, Saxones meditantes in Francorum fines deuicit, cui subscribit Sabellicus lib. 9 Enne. 7. Otto Frisingensis lib. 4, Orosius lib. 7, cap. 19, Hunibaldus, & alij. Hic etiā Gotthis terras tribuit, hi uerò ampliati contra imperatorē profecti sunt, referente Socrate historico lib. 8, cap. 14. & totam Thraciā subegerunt. Imperator uerò, inquit Theodoretus episcopus & Grecus historiographus doctissimus, ad Bosphorum uenit, & beneficio Eudoxi cum ipsis pacem composuit. Socrates eodē lib. cap. 15. imperatorē ait, tricesima die Maij mensis, sexto sui cōsulatus anno, tunc ad urbē Cōstantinopolim uenisse: hos autem usq; ad muros uastasse omnia, imperatorem uerò ad urbē Macedoniæ Adrianopolim ciues duxisse, commisso prælio Cæsarem uicisse, ut & Theodoretus scribit: mox illum à Barbaris igne consumptum, nona die mensis Augusti, 289 Olympiade obijsse. concordat et Socrates. Hic etiam cum Vandalis commercium habuit, sicuti Platina in uita Sixti Papę asseruit. Huius tempore Germaniam subactam fuisse Ausonius uult. An igitur Valens ipsos subegerit, an suo tempore adhuc in fide permanserint, cæteris relinquam: Danubius enim apud Ausonium ita loquitur ad Cæsarem illum:

Valentinianus. Valens. Theodericus.

Totus sub uestra iam ditione fluo,
Qua gelidum fontem medijs effundo Sueuis,
Imperio grauidas qua seco Pannonias.
Augusto dabitur sed proxima palma Valenti:
Inuenies fontes hîc quoq; Nile meos.
Saluere Augustos iubeo, natumq; parentem,
Armiferis alui quos ego Pannonijs.

Aurelius Sextus paululū discordat à Socrate & Theodoreto historicis: ait enim, bello lachrymabili commisso cum Gotthis, Valentem saucium in casam

uilissimam deportatum, & illic supposito igne Gotthis superuenientibus crematum. Iornandes de gestis Gotthorum & Ablauius plura de illo retulerunt, similiter Sabellicus & Pomponius Lætus. Gratianus Imperator Christianus, anno Romæ 1132 in Germaniam profectus, iuxta Argentariam urbem Gallorum, plus quàm 30 millia Alemannorũ occîdit, ut Hieronymus in Supplementis scribit, & Paulus Diaconus, Otto Frisingensis libro quinto, capite decimoquinto, Orosius lib. septimo, cap. decimonono, Sextus Aurelius & Ausonius.

Gratianus.

De Theodosii, Honorij, Arcadij ac Marciani gestis contra Germanos. Cap. 16.

Theodosius.

THeodosius, ut ait Paulus Diaconus libro decimoquarto, contra Vandalos bellauit, anno ab Vrbe condita millesimo ducentesimoquarto. De illo Latinus Pacatus, Orosius libro septimo, capite decimonono, Sabellicus, Claudianus, Pomponius Lætus, & alij. Martianus huic successit, cuius tempore Attila uniuersam Germaniam strauit, ut aiunt Paulus Diaconus ac Pomponius Lætus. Honorius & Arcadius hunc secuti sunt, sub quibus Stylico cõtra Germanos bellauit, ac huius rei Claudianus proprium opus absoluit, in quo meminit uictoriæ eius in Gallia factæ, his uerbis de Germania:

Martianus.

Iam sese placidam præbent Styliconis habenis,
Ut nec præsidijs nudato limite certet
Expositum calcare solum.

Verùm maximè adulatur poeta: nec enim ipsos adeò destituit, quare perfidiæ Stylico arguitur ab Orosio, lib. septimo circa finem, & à Iornande. Claudianus etiam scribit patrem Honorij uicisse Germanos, ait enim:

Signa triumphato quoties flexisset ab Istro,
Acta mox de strage calens, & poscere patrem
De Scythicis spolijs arcus, aut rapta Gelonis
Cingula, uel iaculum Daci, uel frena Sueui.
Te nascente ferox toto Germania Rheno
Intremuit, quoq; Dalmaticas prostrauimus alas,
Rhipheaq; simul fessos porreximus arcus,
In glacie stantemq; rota sulcauimus Istrum.

Ecce autem quomodo adulatur Styliconi Claudianus:

Et Rhenum, inquit, *pacare iubes, uolat ille citatis*
Uectus equis, nullaq; latus stipante caterua.

Et reges Germaniæ eius ante pedes iecisse scribit hisce carminibus:

O quantum doluit Rhenus, quo Barbarus ibat,
Quæ te non geminis frueretur iudice ripis.
Inde catenato gemuit Germania Rheno.
Debilitat sæuum cognatis uiribus Istrum,
Barbara fulmineo secuit tentoria cursu.
— De more uidebam
Barbaricos ardere focos, cum pulcher ab arcto
Aduenit Stylico.
Bella triumphati proculcat Honorius Istri.

Stylico contra Germaniam.

Hac

Hæc Alemannorum spolijs, australibus illa
Ditior exuuijs.
Et nullus Boreæ motus, Germania cessit.
Et Ianum pax alta ligat.
Hic tamen in primis populos lenire feroces,
Bastarnas una potuit delere ruina.
Omne quod Oceanum fontemq́ interiacet Istri,
Unius incursu tremuit, sine cæde subactus
Seruitio Boreas, exaratiq́ triones.
Cornibus infractis adeò mitescere cogis?
Ut Sueuus iam rura colat, geminasq́ uiator
Cum uiderit ripas, quæ sint? Romana requirat.

Hæc Claudius passim & penè centum uersiculis exequitur, ubi Germaniam etiã sine cęde subegisse scribit Styliconem. Verùm more Panegyricorum loquitur. Nam quis fuerit Stylico, Iornandes, Orosius, Paulus Diaconus & alij uberrimè descripsere.

De damno Romanis à Germanis illato. Cap. 17.

HActenus Germaniam semper occumbentem tradidi, nec eius fortitudinem quoq; retexi, quanto damno Romani prouinciam hanc sibi asciuerint. Nec utriq; parti studens, Germanię magis defui quàm affui. Attentiori ergo studio nunc iacturã uincendi Germanos indicabo. Romani ob nullam unquam gentem tanto dispendio obnoxios seipsos fecerũt, quanto Germanico bello, quod Cornelius Tacitus his uerbis innuit: Sexcentesimum & quadragesimum annum urbs nostra agebat, cùm primùm audita sunt Cimbrorũ arma, Cæcilio Metello & Papyrio Coss. Ex quo si alterum Imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur: tamdiu Germania uincitur. Medio autem tam longi æui spacio multa inuicem mala, non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ, Galliæúe, nec Parthi, qui nos sæpius admonuere. Quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud quàm cædem Crassi? amisso & ipso, & ipse Pacoro infra Ventidiũ deiectus oriens obiecerit? At Germani Carbone & Cassio, Scauro, Seruilio & Cœpione, Marco quoq; Manlio fusis uel captis, quinq; simul consulares exercitus pop. Romani, Varum quoq; tribus legionibus occisum: nec impunè C. Marius in Italia, Cæsar in Gallia, Drusus & Nero, & Germanicus, in suis sedibus eos perculserunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ sunt in ludibrium uersæ. Inde ocium, donec occasione discordię nostræ, & ciuilis belli, expugnatis legionum hybernis, et Gallias affectauere. At rursus pulsi, proximis inde temporibus triumphati magis quàm uicti sunt. Hæc Cornelius Romanus, non Germanus. Hæc uerba etiam lector pensita, & Germanorum uirtutem agnosces. Verùm ô Corneli, qui iacturam Romanis illatã à Germanis, Punicis bellis, quo nihil terribilius, Samnitico, Parthico prætulisti: annos tamen à Cimbris usque ad tuam ætatem æstimans, quanto prætulisses, si nostra te sæcula sustinuissent? Vnde ô Corneli, bellum Germaniæ in Traiano, sub quo fata soluisti, non destitit, nec minoris dispendium Romanis, post Traiani fata, illatũ priori æstimo. Quot ergo Punicis bellis Germanicũ unum cõferri iustum erit? Eleuet ergo aliquis bella Punica, si in tam breui Cornelij uerborum collectione nõ steterat Germanis. Quo modo ergo in tam amplo & diffuso tempore, usq; ad Carolum Magnum, maiorem

Iactura Rom. illata à Germanis.

rem quoq; exercitum Romani sustinuerunt apud Germanos, quàm ubicunq; gentium? Quod testatur Agrippa apud Iosephũ lib.2 de bello Iudaico, dicens: Galli qui Rhenum in Septentrione habent, trecentis quidem gentibus numerosi, septuaginta annos pro libertate pugnabant, & sub mille & trecentis militibus Romanorum custodiuntur. Dalmatæ una legione cubant, Illyricum sub duabus, Thraces sub duobus millibus militum. Germani uerò octo legionibus domantur. Hæc ille. Hęc in Romanum militem Germania struxit, unde si Italia cupiat, uel si minus id dispendij sibi uideatur, amplius instiget Germaniam. Egesippus lib.2 de Germanis ita loquitur: Romanis, inquit, supra nubes uiantibus, & ultra columnas Herculis imperiũ propagantibus, nihil immune fuit, tanta felicitate hosti, & qui iacebat qui fuerit repertus, & qui resistebat uictus est, quorum improuiso aduentu consedisse montes, Germania credidit, Rhenum exaruisse. Hęc ille. Ecce Romanum imperium in litore Oceani non stetit, & in Rheno tantùm Germanorum uires pertulit, ut Florus inquit.

De imperatoribus temerè de Germanis triumphantibus, & qui se falsò Germanos nominabant. Cap. 18.

ID Germanorum uirtutem maximè obscurauit, quòd ficto sæpè certamine de Germanis temerè triumpharunt, licet nec minimum triumphi meruerint, ac hoste nunquam tacto. Ita de Germanis Caligula triumphauit, quod Persius Satyra ultima de ipso illo uersiculo significauit:

Missa est à Cæsare laurus?
Insignem ob cladem Germanæ puppis & oræ?

Domitianus emptis crinibus Germanorum triumphauit.

Sic & Cornelius in uita Agricolæ, Domitianum emptis crinibus & habitibus, ratione Germanorum triumphasse refert. Ita lauream temerè ignauissimi imperatores sibi desumpserunt, dum triumpho tamen eorũ facta minus responderint, quem Ioui Capitolino offerebant. Illa autem laurea dabatur in lętitia, recuperata uictoria de inimicis. Meminit huius laureæ Latinus Pacatus, ubi Curij, Corũ cani & Fabricij meminit. Et addit ne uirtus quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini Iouis laureis triumphales rusticabantur. Et Plinius in Panegyrico, allata erat, inquit, ex Pannonia laurea, id à gentilibus dijs ut inuicti imperatoris exortum uictoriæ insigne decorarent. Eusebius duplex dispendium Domitianum militibus dedisse scribit. Ideo hos eum triumpho dignum declarasse. Dion Græcus, Domitianus: inquit, sumens in Germanos triumphum, postquam nunquam bellum intuitus est, redijt sponte in Dacos, ac necessariò in Sarmatas bellum mouit. Eutropius: Domitianus, ait, sub nomine de extinctis legionibus triumphauit, quos falsò superauerat. Frontinus lib.10 ait, Domitianum tantum mutasse aciem, & id triumpho adscripsisse. Hic triumphus Domitiani aduersus Germanos, æqualis illi quem Gallienus Cæsar habuit, qui, ut Trebellius ait, uictas personas habitu uictorum incedentes in Capitolium deduxit. Domitianus uictus in Pannonia & Dacia, de Dacis triumphauit falsò, testãte Orosio, lib.7, cap.7, Domitianus, inquit, prauissima elatus iactãtia, sub nomine superatorum hostiũ de extinctis legionibus triumphauit: hęc Orosius. Dum etiam de Pannonibus itidẽ uoluerat, nec ei triumphus decerneretur, quia uictus, ne omnino immunis esset, lauream Ioui Capitolino destinauit, quã Martialis omnium adulatorum corruptissimus, triumpho similẽ fuisse indicat, dum ait: Dum noua Pannonici narratur gloria belli. Similiter & Silius Italicus: Da Capitolinis æternum sedibus aurum. Ita etiam cæteri imperatores, dũ nec triũphus, nec laurea eis permittebantur, se Germanicos uocauère, quale nomẽ insolentissimum nulli eorũ maiores emeruerant. Claudius imperator nihil uirtutis

Imperatores quomodo dicti Germanici.

tutis in Germania gessit, sed quia à Germãis imperator factus est, Germanicus esse uoluit, ut ait Iosephus lib. 19 & 20 in principio Antiquitatum, et Suetonius. Vitellius quoq; uini plenus, referẽte Plutarcho, ad milites accessit, & sic Germanicus dictus est. Domitianus quoq; se Germanicũ dici uoluit, & ubiq; inscribi. Manet adhuc uestigiũ Dyrrachij in porta Caballina, ubi in saxo incisum legitur: D. E. D. V. Cæ. Aug. Vespasiano Ger. uict. orbis X. conseruatori opt. max. pietas & religio. An autẽ Germanici appellatione ita dici meruerit, Iornandes, Otto Frisingensis, & Orosius libro septimo uideantur. Edicto tantùm Domitianus sanxit, ne aliter quàm Germanicus nominaret. Meminit huius decreti Marinus Benchemius, Otto & Suetonius, unde ait Martialis, edictũ domini mei Deiq;, & puerum suum in cunis adhuc iacentem Vitellius Germanicum appellauit, tam nihili fecerunt hoc præstantissimum nomen esse Germanicũ, ita nobilissimo illo decore abusi. Legitur multo lepore & iucunditate apud Aelium Spartianum Pertinacis Cæsaris dictum aduersus Caracallam Cæsarem, qui se Rheticum, Parthicum, Arabum atq; Alemannicum dixerat: Adde, inquit, & si placet Geticum: fratrem enim suum occiderat. Optimum dictum aduersus eũ, quàm studio consequendæ gloriæ, licet parum egregiè egerit, exardet omnia, qui ita minoris tam præclarissima cognomina æstimat.

Multos imperatores ignauos tanti à Panegyricis factos, nihil fecisse operis in Germania, & contra Panegyricos. Cap. 19.

PArum igitur momẽti Romani imperatores in Germania præcipuè egerũt, & tamen tot præconijs, tot cognominibus, sibijpsis blandiebantur. Quid adeò dignum relatu operatus est Domitianus, ut nomen Germanici assumpserit? expeditionem in Galliam Germaniamq; non necessariam & dissuadentibus amicis mouit, ac tantum inchoauit, ut tantum se honoribus & cognomine patri æquaret. Pescennius Cæsar, ut Aelius Spartianus ait, tantum Vespasianum, Traianum, Pium & Antoninos uenerabatur, reliquos tantum uenatores iudicabat fuisse imperatores omnes. Cur ergo tot carminibus celebrati sunt? cur tanta illorum memoria? Nil aliud in causa est, nisi execrabilis & detestanda Panegyricorum adulatio, φιλεγκλήμενοι καὶ δωροβόροι. Illi enim, ut Marinus Benchemius ait, multa quæ Historia non admittit, finxerunt, reliqui scriptores ea inde acceperunt, & ut uera uendiderunt. Illa igitur assentatorum affectata adulatio in tantum nimis debiliter Germaniam affecit: opera enim præclarissima Germanorum tantum scriptorum perfidiæ succubuerunt, nostra uirtus delituit, & quod non uirtus est, Romanis in uirtutem abiuit. Cornelius Tacitus qui mendacissimus à Tertulliano dicebatur, numerum superatorum Romanorum conticuit, Ottone Frisingense ac Orosio auctoribus, Germanorum uerò occisos ampliauit. In eodem numero à Marino Benchemio & Suetonius, Silicus Italicus, Martialis, Pompilius, Fabius, qui perditissimè Domitiano adulabantur, referuntur. Ita Latinus pacatus Theodosium, Sarmaticum, Saxonicum, Alemannicum appellauit. Et Ausonius poeta ad Gratianum: Voca, inquit, dedicatione Germanicum, superando Alemannicum, uincendo Sarmaticum, traductione Francicum. Hui, si tantum & hoc addidisset auscultando adulatoribus, stultissimum. Ita Marcellinus sacrilegum illum & apostatam Iulianum ultra sidera extollit. Apud illum enim gloriatur libro uigesimoprimo, se Francos & Alemannos fregisse. Si cæcutiem ab oculis remouimus, semel apud Argentoratos uicit nostros, Panegyricus Maximiani, quod falsum, inquit, de imperatoribus priscis putabatur, ille trans Rhenum primus Barbaris signa intulit. Nunc res salua est: nullus ergo, ex huius dictis, Germanicus dici ante Maximianum meruit. Stylico perfidia usus est, Iornandes

Imperatores quosdam nihil fecisse in Ger.

Iornande & Orosio auctoribus, non meruit Claudiani adulationem. Verùm ut rem cōponam: Germania ab Honorio, Arcadio, Diocletiano, Stylicone secura fuisset, si à perditissimis adulatoribus fuisset remota.

De damno à Germanis Iulio & Druso illato. Cap. 20.

Iulius bis uictus in Germania.

SIngula quoq; nunc enarrabo, quātum dispendij nacta Roma fuerat, nunc ad Iulium Cæsarem redeam. Iulius in tanto rerū prospero successu, tantùm ter succubuit. Semel à Gallis, bis à Germanis, ut ait Eutropius libro sexto. Liuius & supra eum Florus lib. 104 contra Neruios ita pugnasse eum scribit, ut Romam maximo discrimine affecerit. Et ita bellum protraxerunt, donec ex sexaginta millibus trecenti superessent, ex senatoribus nonaginta tres. Plutarchus inde in uita eius, & ipse in Commētarijs testatur, quòd à Sycambris uictus est. Arueni adhuc gladium Cæsaris habent, testem uictoriæ eorum, ait Plutarch. Otto libro secundo, cap. 48. ait Cęsarem acri & periculoso non solùm bello, sed & muneribus & prouidētia multa uicisse Germanos. Quod & Nauclerus scribit, unde Cato sanxit, ut hostibus Cæsar daretur, sicuti Calisius innuit. Augustus Cæsar sine summo detrimento Germanos non contudit: nam ut ait Iacobus Carmelitanus, solus uisus est apud Germanos succūbere. Florus libr. quarto de Augusto: Tentauit & Germaniam, inquit, utinam Germanos tanti non putasset uincere, qui magis turpiter quàm gloriosi acquisiti sunt. Cæsarem bis transuectum fugauerunt. Hæc Florus. In una illorum fuga, crure percussus est Cæsar ab lapidis, non à Dalmatis, ut Appianus lib. ultimo ait. Drusus itaq; omnium primus post Augustum, eo bello mortuus est. Quod Ouidius in Fastis exequitur, Et mortem & nomē Druso Germania fecit. Liuius & supra eum Florus libro ultimo, ex equo cecidisse Drusum asserunt, & ex fractione cruris post 30 dies mortuū, & in sepulchrum C. Cæsaris locatum. Drusum ergo hi omnes in Germania scribunt occubuisse. Sicuti & Plinius libro septimo Natur. histor. capite 20, Tiberium Neronem ad fratrem suum Drusum in Germania ægrotantem uenisse testatur. Et Plinius Iunior ad Macrum, latissimè Germaniæ uictorem ibi occubuisse collegit. Strabo id libro septimo inter Salam & Rhenū fluuios contigisse probauit. Florus libro quarto cùm de Hercinio loquitur, quem Drusum prius inaccessum planum fecisse, & ibi fata soluisse uoluit. Alludit Claudianus illo uersiculo:

Augustus tantùm in Germania succubuit.

Mors Drusi.

Nobilitant ueteres Germanica fœdera Drusos,
Marte sed ancipiti quoq; multis cladibus empta,
Quis meminit uictum sola formidine Rhenum?

Alij scriptores indicauerunt, Drusum ueneno necatum, ut Eusebius, Orosius libro septimo, Platina in uita Petri. Duo autem Drusi referuntur: unus pater Tiberij Cæsaris, Drusi Neronis filius & Antoniæ, qui Germanici cognomen assumpsit, referente Suetonio, in principio uitæ Caligulæ.

Quibus cladibus Augustum Cæsarem Germani affecerint. Cap. 21.

DVas autem clades grauissimas, Suetonio ac Orosio colligentibus, Augustus in Germania suscepit. Primā Lollianā maioris ignominiæ quàm dispendij, aliam uerò Varianam & penè exitialem. Quintilius enim Varus tribus legionibus Germaniam ingressus Cheruscis pœnam dedit. Nec in hac parte fidem Straboni donabo, qui per insidias Varum à Germanis circumuentū, libro septimo collegit. In eadem sententia Tranquillum in uita Tiberij esse uidemus. Illis autem fides eo plus abrogatur, quòd omnes cæteri scriptores ab ip-

Casus Vari.

Locus Strabonis.

sis

sis in diuersum abeunt, & negligentiam tantùm Romanis impingunt. Adulatio Strabonem à recta uia auertit, Eusebius ait Varum elatum fuisse, superbia & insolentia: simul & Florus libro quarto, Methodius martyr, Orosius libro septimo, Sabel. libro undecimo Enne. sextę, Otto Frisingēsis, Nauclerus, & alij. Germani autem superbiam eius grauiter ferētes, duce Arminio arma ceperūt, ipsum negligentiæ deditum reperientes, tres legiones ad unum cæciderūt: corpus quoque consulis è terra effossum est, quod iterū recenti morte cruciauerunt, abscissa lingua dixerūt, Vipera tandem sibilare desine. Hæc Florus, Peutinger, & alij. Otto Frisingensis, Orosius, Sabellicus, Methodius, Suetonius, Vrspergensis, Nauclerus, Tacitus in Germania meminerunt. Hanc cladem apud Cheruscos editam asserit Strabo, lib. 7. Alij tamen apud Vindelicos, ubi adhuc uestigia apparent. Consentit & Otto. Turris est Perlethurn in urbe Augusta, quę Vrspergensi, à perdita legione nominata est: & uilla Catingen, quam à Cato primipilari dictum refert. Verùm nil nisi nugas Vrspergensis in ea re cōmentatus est, & multos secū etiam præstantissimos errare fecit, qui Vrspergensi subscripserunt, quos & Cornelij Taciti librorum inopia nouiter repertorum in talem errorē induxit. Reuera apud Cheruscos pugna illa edebatur, ac ij iuxta Albim tunc confœderant, ubi Quintilius Varus occubuit. Cornelij uerba ista sonant, lib. 1. Hist. L. Stertinius agmen ad ultimos Bructeros direxit, inter Amisiam ac Lupiam amnes, haud procul à Teutoburgensi saltu, in quo reliquiæ Vari legionesque insepultæ dicebātur. Hæc ille. Et in alio loco, Arminium ducem Cheruscorum, iam iam penes Albim cum Romanis decernentem, digitis Vari cadauera ostendisse refert. Velim illud sexies in nouiter inuentis Cornelij libris ostendere. Facta autem clade, Augustus quotannis lugubrem habuit diē, & caput parieti illidens, corpus humo impegit, ac grauiter impatienterque Romanorum cladem requisiuit. Vare, aiebat, redde legiones, ut Suetonius, Orosius, Methodius, Eusebius, Peutinger & Florus scribunt. Suetonius ait Augustum excubias fieri iussisse per totam ciuitatē, ne tumultus fieret: & ludos Deo opt. max. uouisse, ut in meliorem statum rem perduceret: & per cunctos menses barbam uellicasse. Picus iunior in Staurosticho, cum Peutingero, uolunt iuxta Vindelicos hanc cladem fuisse peractam: ait enim,

Vindelicus Rhætus miratur, & aspera cæde

Romani tremuit quondam prouincia Vari.

Verisimilius tamen est hanc apud Cheruscos contigisse cladem. Verba Ottonis sunt lib. 3. unde notari potest, quanti roboris prædicta gens Germanorum fuerit, quæ in summa authoritate Romani Imperij, tantam stragem Romano militi dedit. Hanc cladem etiam Aurelius Victor innuit his uerbis, de Augusto locutus: Huius, inquit, tempore Transrhenū uastatus est Romanus exercitus atque tribunus & prætor, quod in tantum accidisse perdoluit, ut cerebro ac ualido incursu parietem pulsaret. Tam lamentabilem pugnam, Cornelius Tacitus in 1. Hist. lib. apud ædem Saturni, in arcus Romanos posuisse refert ob cladem Vari. Florus ergo de cæde Variana: Ita factum est, ait, ut Imperium quod in littore Oceani non steterat, in littore Rheni contulerit. Hæc Florus. Quid ergo dissidij Germanos arguit, Romanorum superbia? Labienum etiam ab Augusto missum fugauerunt Germani, & Brittaniam & Angliam interceperunt. Sycambri quoque centuriones missos ab Augusto, qui ad stipendia alliciebāt, crucibus affixere, ut cōmentator Horatij ex Floro elicit. Sueui Vannium ducem eis impositum à Druso occiderunt, ut Cornel. lib. 13 exequitur. Tiberius quoque maiori dispendio Germanos uicit: per triennium enim quinque legionibus consumptis, res Romanas profligauit. Suetonius, Methodius, Eusebius, Orosius, formidolosissimum bellum illud dicunt fuisse post Punicum. Hæc Augustus

Ante hos vero Velleius Paterculus.

Seruitia Germanorum.

Excubiæ Augusti.

gesſit, malus etiam diſpendium à fœminis quàm uiris Druſum pertuliſſe Euſebius ait. Ambiguum ergo eſt, an Germania maiorem iacturam à principio belli uſq; ad finem deditionis ſuæ, experta fuerit, an Auguſtus præſenti bello? Meritò ergo Florus ſcripſit Germanos magis uictos, quàm domitos, moresq; Romanorum magis quàm arma ab Imperatore ſumpſiſſe. Hæc ille. Germani igitur in flore Imp. Rom. hæc Italis intulerunt. Qui plura de illis uidere cupit, Sabellicum ac Dracontium in deſcriptione Rheni legat: Druſum etiam dicat effeciſſe quod placuerit: ego Corn. lib. 1 Hiſt. ſubſcribo, qui German. in Druſum exarſiſſe refert, & uno impetu præruptũ hoſtẽ cæcidiſſe, ut pauci euaſerint.

Quanti alij Imperatores Germanos uicerint. *Cap.* 22.

NVnc aliorum Imperatorũ iacturas adducturus ſum: Domitianus uictus tributa Dacis impendebat, ait Dion Bithynius in uita Traiani. Traianus autem muneribus Germanos deuicit & manſuetudine, referente Campano. Adrianus item Alanos donis & pecunijs ſurgentes ſedauit, ut Dion latè exequitur. M. Antoninus Pius adeò Germanos fregit, ut nullus unquam Imperatorum: tanta uerò iactura, ut ærarium penè exhauſerit, teſte Iulio Capitolino. Hic Germanos Germanis ſtrauit, cuius rei Iulius Capitolinus author eſt, unde non agnoſco an præſtantius & magis Germanorum honori adſit, uel uiciſſe, uel uinci. Semper enim Germani uictoriæ capaces fuerunt. Hunibaldus ex relatione abbatis Spanheimenſis ſcribit, maximo damno Romanos tunc uictos, duce Faraberto Francorum rege, & pulſos iterum ad Italiam. Domitianus optimos quoſq; bello Germanico amiſit, ut Appium Sabinum & Cornelium Fuſcum, ſicuti prius uidimus: damnum tamen reipub. intulit, ut Otto libro tertio, cap. 20, & Cornelius aſſerunt. & Oroſius libro ſeptimo ita inquit: Domitianus aduerſum Germanos & Dacos, per legatos bellũ geſsit, pari reipub. pernicie, cum foris malum circumactum exercitũ, aſſidua hoſtium cæde laniaret. Nam quanta regis Dacorum cum Fuſco prælia? quantæ Romanorum clades? euoluerem, niſi Cornelius interfectorum numerũ reticuiſſet. Huius opinionis eſt Iornandes Gotthus. Antoninus Verus etiam ærariũ exhauſit, & adeò, ut poſt bellum, uxoris ueſtes & monumenta in foro Traiani uenderentur, ut Platina in uita Aniceti papæ 12, & Pompon. Lætus probauerunt. Eutropius libro octauo, hoc bellum Punicis contulit: nam uniuerſum exercitum Romanum tunc perijſſe innotuit. Aurelius Sextus loquitur de euacuatione ærarij, ſed non nominat, quo bello id factum ſit: Iulius tamẽ Capitolinus id bello ait Marcomannico contigiſſe. Maximinus Imperator adeò celebratus, cõtra Germanos profectus, Germanorum auxilijs Aquilegias deuicit, teſte Iulio Capitolino: ab Alanis tamen uictus, Germanos Germanis deſtituit. Et ut Aelius Cordus ait, apud eundem, plus ſcripſit Romano populo ſe feciſſe, ac pollicitatum, quàm ad rem deduxerit propter inuidiam ſenatus, qui eum odio perſequebatur. Etiam ſi Germanos ſuperauit, titulus ille magna ex parte laudis Germanorum eſt: nam Gotthus fuit Maximinus, ut uult Symmachus libro Hiſtor. quinto: & licet eos uicerit, tamen Germanos Germanis contudit, ut Cornelius in hiſtorijs collegit, ſcilicet Sidone & Italico Sueuorum regibus ſe adiuuantibus: & tamen triginta & duabus pugnis frangere non potuit Germanos, ut placet Iacobo Vuimpfelingio. Tempore Poſthumi Germani omnes Galliæ ciuitates ab ipſo conditas deſtruxerunt, ut aiunt Pomponius Lætus & Trebellius Pollio, quas Lolianus in ſolo Barbarico, poſtea per ſeptem annos iterum ædificauit. Aurelianus ſæpè Germanos uicit: uictus tamen ſemel eſt adeò à Marcomannis, ut Roma in diſcrimine fuerit, ut Fl. Vopiſcus ex Theoclito in libello de Nauibus probat.

Antonini iacturæ.

Domitiani diſpendium.

Maximinus.

De Galieno & Claudio, ac deuastatione totius Imperij à Germ. Cap. 23.

GErmani usq; ad Rauennas semel uenerunt, quod perniciosissimum & pene nomini Romano execrabile fuit: quin usq; Hispanias, Tarraconiam ciuitatem ceperunt. Sueui Sarmatas & Pannones sollicitauerunt. Hæc Eutropius li.9. Hoc tempore Galli Hostilij factum autumat Platina. Idem tēpore Galieni contigisse, idem in uita Lucij uult, licet & ibidem Galli Hostiliani meminerit, ut uix aliquis discernere queat, quem uoluerit. Iustiniani tamen enarrator etiam tēpore Galieni Germanos Ciliciā uastasse refert, cui suffragatur Otto lib.3, cap.39. & Hispaniam, Rauennam, Parthicā, Mesopotamiā cepisse collegit Orosius lib.7. Iulius Capitolinus Gotthos, Macedoniam, Thraciam & Thessaliā cepisse & deuastasse refert. His tēporibus Scythæ quoq; uastauerunt Asiā & Cappadociam: inde & Achaiam, ubi Martianus cū eis pugnauit. Ego uerò crediderim duas expeditiones, tempore Galieni unam, & Hostiliani alterā fuisse editā, & tēpore Valeriani tertiā. Post Galienū & alios Imp. Peucini, Tungri, Sicobates, Celtæ, Eruli, in Rom. fines, Scythæ in Cretā, alij in Mœsiā irruperūt, & multa mala intulerunt militi Rom. quos postea omniū primus Claudius uicit, eorum 120 millia occîdit, duo millia nauium cepit, ut meminit Hermannus Chronograp. Pomponius Lætus, & Panegyricus ad filium Constantini, qui Claudium asserit perditam disciplinam & solutam primùm reformasse. Similiter Orosius & Trebellius Pollio in Claudio, & ipse Claudius in epistola ad Brochum testatur. Iornandes Gotthos Galieni tempore Thraciā adeò depopulasse scribit, ut intactum Olympum mirandum sit, cuius meminimus in cap. de fortitudine: uniuersam etiam Asiam, Ciliciam, Africam & omnia depopulasse, & inde per Theodosium scribit eosdem Gotthos, duce Alarico, Romam cepisse, Italiam uastasse, similiter & Hispaniam, & conuenisse in Gallias, etiam Francos regiones illas deuastasse. Vnde Claudianus in Ruffinum libro secundo, sic de eorum incursionibus inquit:

Germani Hispaniam & Ciliciam ceperunt.

— Ventis ueluti si frena remittat
Aeolus, abrupto gentes sic obice fudit.
Laxauitq; uiam bellis, ut ne qua maneret
Immunis regio, cladem diuisit in orbem,
Disposuitq; nefas. Alij per terga ferocis
Danubij solidata ruunt, alij & expertaq; remos
Frangunt stagna rotis. alij per Caspia claustra,
Armeniasq; niues, inopino milite ducti,
Inuadunt Orientis opes, iam pascua fumant
Cappadocum, uolucrumq; parens Argeus equorum,
Iam rubet altus Halis, nec se defendit iniquo
Monte Cilix, Syriæ tractus uastantur amœni.
Hinc planctus Asiæ, Geticis Europa cateruis.
Ludibrio prædæq; datur, frondentis ad usq;
Dalmatiæ fines, omnis qua mobile ponti
Aequor, & Adriacis tellus interiacet undis.
Thessalus ardet ager, reticet pastore fugato
Pelion, Aemathias ignis populatur aristas.
Iam plaga Pannoniæ, miserandaq; mœnia Thracum.

Iactura Gotthorum in Romanos.

Heu heu quàm breuibus pereunt ingentia causis.
Imperium tanto quæsitum sanguine tanto
Seruatum, quod mille ducum peperêre labores.

Et addit Claudianus Romanos tunc uestes oportuisse mutare, & Geticas, ne cognoscerentur, assumere, dum inquit:

Nam cum Barbaries penitus commota, gementem
Irrueret Rhodopen, & mixto turbine gentes
Iam referta suas in nos transfunderet arctos,
Danubij totæ uomerent cùm prælia ripæ.
Dum Geticis ingens premeretur Mysia plaustris.

Et idem:

Gens nulla Scythicos diffusior ulla triones
Incoluit, cui paruus Athos, angustaq; Thrace,
Cum transiret, erat.

Huius & Marcellinus lib. 26. meminit Pomponius Lætus & Sabellicus. Eorum tempore & Vandali, Alani, Burgundiones, Franci, deturbatis Pannonijs ambabus, ob metum Gotthorum iterum Galliam & alias regiones depopulabantur, teste Iornande. Inde Hispaniam uastabant, ut Nauclerus & Eusebius aiunt. Hunibaldus & Abbas Spanheimius Francos scribunt tempore Galieni, duce Barthero cum reliquis Germanis, Saxonibus, Turingis, Alemannis, &c. Galliam deuastasse, omnia prius sibi illata ultos. Constantino inde urbes populatæ diruebantur, ut Sosomenus Historicus asserit: quantum uerò & Gotthi Valentiniano incommodauerint, ex Socrate & Theodoreto probaui. Eleuet aliquis ergo tanta emolumenta, & Punicis malis intestinis maiores Germanorum irruptiones uidebit, toties ærarij euacuationem, tot etiam summa urbis discrimina, tantum uictorum Romanorum aceruum agnoscet. Constantinus Germanos secundo prelio uicit. Quoties autem suo tempore illi rebellauerint, libro decimoquarto Marcellinus scribit, eius tempore limitibus Germanos egressos fuisse, Galliam uastasse, demum fœdus cum Alemannis iniuisse Cæsarem. Idem Marcellinus libro 15. imperatorem Germanis congressum, ab ipsis uictum fuisse collegit, & quòd tunc Romanis nihil subsidij fuerit quàm fuga, & numerum inopinatum Romanorum occubuisse, decem tribunos desideratos fuisse, & minas Germanos intendisse. *Constantinus.*

Qua iactura Constantinus, eius filius, Diocletianus & Iulianus Germanos uicerint. Cap. 24.

Qua iactura imperatores Romanorum Germanos uicerint.

CAeterùm quoniã nobis sermo de Constantino incidit, nullus liber apud Ammianum est, ubi non de Germanorũ irruptionib. huius tempestate & limitum transgreßionibus mentio fiat. Constantinus primo prælio est uictus, ut Otto Frisingensis scribit. Gotfridus & Orosius libro 7 uix hunc uolunt à suis militibus surreptum fuisse primo prælio. Hunibaldus Richimerum Constantinum Cæsarem fugasse ait. Vt autem per omne Constantini tempus nostra in Romanos dispendia reuoluam; dum Constantinus se gerebat adolescentem sub Maximiano & Diocletiano Cæsaribus, Franci Batauiam irruperunt. Vnde Panegyricus ad Maximianũ inquit: multa ille Francorum millia, quæ Batauiam & alias cis Rhenum terras inuaserant, depulit. Verùm Franci non destiterunt: sæpius enim cum illis post Maximianum rebellauerunt. Panegyricus ad filium Constantini, Terram (inquit) Batauam à regibus Frãcorum occupatam omni

omni hoste purgauit, & in Romanas transtulit nationes, ut non arma tantùm, sed & feritatem cogerētur Franci deponere. Et idem ad eum: Affecisti pœna te meritatis Franciæ reges, & non dubitasti eos ultimis punire cruciatibus, nihil ueritus gentis illius odia, & iras inexpiabiles, dum pacem uiolarunt. Et idem ad eundem: Sciunt posse transire Rhenum Franci, quos ad necem suam libenter admittis. Vbi semper infida nobilitas? & iam'ne procul audetis Rhenum attollere? & uix securi flumina interiora petitis? arat terribilem ripam aliquando inermis agricola, toto nostri greges bicorni flumine mersantur. Ex quibus uerbis raram pacem Francorum uides & Romanorum amicitiæ intercesisse, ut mirum sit, inermem littus colere. Idem Hunibaldus & Claudianus uolunt, cuius uerba sunt: Cornibus infractis adeò mitescere cogis, Vt Sueuus iam rura colat. Et addit: Per albim Pascat Belga pecus. Sic & Mamertinus ad Maximianum, ab Oriente ad Mæotidem liberè nunc licet & extrema Septentrionis. Alius etiam Panegyricus ad eundem: Purgauit (inquit) ille Batauiam aduena hoste depulso, tibi ex ultima Barbarie indigenæ populi se dedidere, ille Oceanum classe admouit. Hoc tantum à Francis Constantini primis temporibus gestum est. Diocletiani etiam sæculo, mirum in modum Gallia à Germanis uexabatur, unde eius Panegyricus ad eum ita infit: Cum omnes Barbaræ nationes excidium uniuersæ Galliæ minitarentur, neque solum Burgundiones & Alemanni, sed & Tubantes & Eruli, uiribus primi, Barbarorum in locis ultimi, præcipiti impetu in has prouincias corruissent: quis tam insperatam salutem attulisset, nisi tu affuisses? Nazarius Mamertinus ad Maximianum eadem testatur. Dum uerò ipse Constantinus imperio præfuit, quales uastationes editæ fuerint, prius retulimus, nec illis tantùm prædictis Germani acquieuerunt. Ammianus Marcellinus libro decimoseptimo, Imperator audiuit Sueuos & Rhætos quousque Valeriam Sarmatę, Mæsiam superiorem & secundam ac Pannonias uastarent. Et idem Chonodomarus, inquit, rex Germanorū, Cæsarem superauit, æquo Marte congressus, & ciuitates multas uastauit, & opulentas Gallias perculcauit. Hæc omnium adulatorum corruptissimus, dicere tamen de Germanis ueritatem non morabatur. Nazarius Mamertinus Constantino: Differamus parumper Italicas expeditiones, quibus Segusiensium ciuitates Italiæ claustra refregisses. Quid memorem Bructeros? Quid clamosos Cheruscos, Vangiones, Alemannos, Tubantes? ubi immanitas Barbariei in ipsis uocabulis horrorem exhibet. Hi omnes sigillatim armati, conspiratione fœderatę societatis exarserunt. Idem Hispanos & Francos Germanos armis infestos habuisse refert Constantinum. Fuit & filius Constantini in imperium accitus: hic dispendia etiam multa à Germanis pertulit. Eius Panegyricus de eo, Quid memorem, inquit, ex diuersis Germanorum populis multitudinem, quam duratus gelu Rhenus obduxerat, & eandem insulam, quam diuertit, suis armis cōplectitur, nauigijs occlusam? Et idem ait, Totus armatis nauibus Rhenus instructus est, & ripis omnibus usque ad Oceanum dispositus. Ecce enim dum à limite paulisper abscesseras, quibus se terroribus Barbarorum perfidia iactauerat? Et alius Panegyricus: Quid opus erat ipsi Rheno instructis & militibus & classibus? Idem ad eundem: Duxerat magnum Seuerus exercitum per Alpes, hostem uerò sua perfidia armauerat, maiores copias inde Maximianus, & ipse uidebatur, denique pater credebatur: discissam ab humeris purpuram senserat, & eum in illud dedecus sua fata transtulisse. Tu uerò toto oppleto alueo Rheni, nauibus tantam cladem periuræ genti intulisti. Alius Panegyricus ad eundem: Tempore Galieni truncata erat Respub. tunc Aegyptus & Syria defecerant, amissa Rhætia, Noricum, Pannoniæq; uastatæ, Italiæ quoq; excidia imminebant. Nunc autem nutu Neruiorum & Treuerorum arua iacentia

Constantini dispendia à Germanis.

Sæcula filij Constant. quid à Ger. patiebantur.

Lætus postliminio restitutus, & in leges receptus Frācus excolit. Hęc autē omnia damna tempore Constantini peracta sunt. Ad Iulianū redeo, iactura æquali à Germanis affectum. Nazarius Mamertinus ad Iulianum: Imperator noster, inquit, Gallias nactus nimium aduersus hostem habuit laboris & discriminis. Vno enim prelio Germania debellata est, sed difficile luctamen & periculi plenum fuit negocium. Idem ad eundem: Iulianus, inquit, Alemanniam domuit, Galliam ex fauillis & cineribus exuit. Illæ enim prouinciæ obsessæ, expugnatæ, uastatæ ferro ac igni. Et idem, in ipso scribit saltem limine oppresit Germaniam rebellantem, qui & paulò antè audacia, & inaudita regionum, fluminum, montium nomina, exercitu uictoriæ peragrauit per ultima ferarum regna calcata, regum capita superuolans in medio Illyrici sinus improuisus affuit. Plura etiam Ammianus Marcellinus in decimonono & uigesimo libris retulit, & libro decimoseptimo: Perculcabat, inquit, Illyricum furor hostilis, absentiam nostram despiciens, dum Italos tuemur, & Gallias uarijs discursibus uastabat, intima limitum peragrans, per licentiam scandens ad maiora, ad funestas prouinciarum clades erepsit, & crebras communitis aditibus Rhæticas peruigili Gallorum securitate fundatas, terrorem nullo relicto. Idem Marcellinus libro uigesimosexto: Euentus, ait, sæuissimi milites sibi proximos depopulabantur, Gallias, Rhætias, Alemanni proculcant, Sarmatæ, Quadi, Saxones, &c. & hæc omnia Germanorum in Romanos damna Panegyrici adduxerunt, in alijs corruptissimi, quare maiorē iacturā quā illi prodiderunt, agnoscimus.

Iulianus quæ à Germa. passus.

De iactura temporibus Theodosii Romanis à Germanis illata, & demum uictorum imperatorum aduersus Germanos incommodum. Cap. 25.

ANte Theodosium Hieronymi temporibus, quid Roma à Germanis sustulerit, ipse Hieronymus testatur ad Eustochium & Marcellinam scribens: Hoc anno, inquit, cum tres libros explicassem ultimos, subitus Barbarorum impetus Aegypti limitem Palæstinæ, Phœnicis ac Syriæ, percurrit, ad instar torrentis fluuij, ut uix eorum manus subterfugerim. Idem ad Heliodorum: Quid putas habere Corinthios, Athenienses, Lacedæmonios, Arcades, & cunctam Græciam, quibus Barbari imperant? Nam anno præterito ex ultimis Caucasi montibus immissi in nos Septentrionales lupi, tantas prouincias tam breui percurrerunt, obsessa Antiochia, & reliquæ urbes, quas Halis, Cydmus, Aruentes, Euphrates, præterfluunt, tracti greges captiuorum Arabia, Phœnix. Palæstina, Aegyptus. Hæc ille. Et idem dist. 12, epist. 31 ait, Innumerabiles & fortissimæ nationes uniuersam Galliam uastauerunt, Alanus, Vsipetes, Vandali, Sarmatæ, Eruli, Saxones. Ibidem Hispaniā perire quotidie uidemus, adiungit, & Romanos pro salute non armis, sed auro pugnare. Ecce Sidonij Apollinaris tempore in imperiū quam turbam Germani excitauerint? uerba eius sunt libro septimo, ad Mamertinum: Timor est, inquit, in Romanum solum castra mouisse Gotthos, huic semper irruptioni nos miseri Auerni ianua sumus quia dudum terminos ab Oceano in Rhodanum limitauerunt. Idem ad Basilium Papam: Varix, inquit, rex Gotthorum terribilis ac potens armis, ob uirium merita limitem sui regni egressus est. Eodem tempore imperatori rebellauerūt Germani testante eodem, cum ait libro uigesimo:

Theodosius quæ à Germanis passus.

Bellonothus, Neurus, Hunnus, Geta, Dacus, Alanus,
Pannonius, Rugus, Burgundio, Vesus, Alites,
Bisulta, Ostrogotthus, Procustes, Sarmata, Moschus,

Post

Post aquilas uenere tuas, tibi militat omnis.
Obsequium gens una negat, quæ nuper ab Istro
Rettulit indomitum solito truculentior agmen,
Quod dominis per bella caret, populoq́ superbo,
Turgida plectendas in prælia suggerit iras.

Concludit Campanus in oratione ad principes: antiqui uestri (intellige Germanos) semper imperia acquirere curauerunt, non sua amittere, & fecerunt, ne quis unquam se armis feliciter aggressum Germaniam glorietur, dum Iulij exercitus perterritus est aspectu: legiones Augusti esse deletas uidimus, & qui reliquum orbem ad ortum usque Solis perdomuerat, uni exercitui Germanorum parem se esse non posse testabatur. Idem ait: Tiberium armis aggressum Vindelicos, mox discedere è Germania coactum. Postea 30 pugnis Vespasianum, qui totum subegit orbem, uincere Germaniam nequiuisse. Antoninum, Aurelium & reliquos ad conditiones ęquas compulsos. Traiano non armis cõacti, uerùm mansuetudine paruistis, adiungit. Alexander fama uestra territus, in ripa Danubij substitit, nec Darius rex olim, nec Pyrrhus, nec Asię reges, ausi fuerunt attingere regionem uestram. Hæc Campanus. Latinus Pacatus ad Theodosium: An nescis rem tuam absumi per momenta? Nescis quid attulerit Gotthus? rapuerit Hunnus? auferat Alanus? Id olim desiderabat Arcadius, qui perdidit infortunatus Gallias, Lugeo Pannonias, Illyrici Gallorumq́ specto excidium. Et addit: Vnde igitur exordiar nisi à tuis Gallia malis, quæ ex omnibus terris, quas illa pestis insederat, haud iniuria tibi uendicas priuilegium miseriarum, compulsa uictoriam Maximini interitu retulisti. Et idem: O res memoratu digna, sub ducibus uexillisq́ Romanis ibat aliquando hostis Romanus, & signa contra quæ steterant, sequebantur urbes Pannoniæ, quas inimica dudum populatione uacantes miles impleuerat, Gotthus, Hunnus & Alanus. Diuus Hieronymus: Horret animus, inquit, nostrorum temporum ruinas prosequi. Viginti autem eò uel amplius anni sunt, dum inter Constantinopolim & Iulias alpes pugnatur, & quotidie Romanus effunditur sanguis. Scythiam, Macedoniam, Thessaliam, Thraciam, Dardaniam, Daciam, Achaiam, Epyrum, Dalmatiam, cunctas Pannonias, Gotthus, Alanus, Sarmata, Quadus, Marcomanni uastant, trahunt, diripiunt. Et idem Hieronymus, Italiam ferocissimos hostes habuisse ait, Pyrrhum uidelicet et Hannibalem, nunc uerò perniciosissimos. Quid autem Honorij & Arcadij temporibus gestum sit, Pomponius Lætus, Claudianus, Rhegino, Platina, Otto, Gotfridus, Iornandes & Sabellicus satis declarant. At dices, nónne etiam uicerunt Germanos? id prius scripsimus, quid bello aduersus Germanos emeruerint.

Antiqui Germani semper acquisiuerunt imperia.

Catalogus imperatorum contra Germanos debellantium, et eorum infortunio. Cap. 26.

Si autem ad calculos reuocãda res erit, nullus imperator Germanos prosperè deuicit, nisi uel morte immatura, aut dãno grauissimo pręuentus sit. Cõstantinus uicit Germanos, sed tamen Orosio auctore, à morte uix surreptus est: & ut Hieronymus ait ad Heliodorum: Dum acrius contra hostes pugnat, moriens in uinculo, hosti cum magno dolore reliquit imperium. Post eum Iulianus uictor Rheni, dum tantum fines regni sui propagare uult, perdidit partes & suas, ut ibidem ait Hieronymus. Valens, ut prius diximus, à Gotthis occisus. Valentinianus, referente Hieronymo de cõtemptu seculi, epist. 5, cum contra Sarmatas & Quados Illyricum uastantes cõtenderet, sanguine emergente

Imperatores qui Germaniã debellauere.

discrepuit. Gratianus qui auxilio Christi, auctoribus Orosio ac Ottone, fretus, Germanos uicit, ab exercitu suo proditus, ac obuijs urbibus non receptus, hosti ludibrio fuit, ut asseruit Hieronymus. Id & antiquis imperatoribus contigerat: Iulius uictus, Augustus mœstus tempus triuit, Drusus à Germanis occisus, Antoninus Moguntiæ gladio traiectus occubuit. Maximinus etiam Cæsar in paludibus Scythicis occisus est, ut testatur Suidas in dictione θεοδόσιος. Iuxta Rhenum & Bonosus imperator sese suspendit. Vides quam fortunam ac euentum rerum illi ceperint, quibus Germanorum gloria ac uirtus erat odiosa.

De incursationibus Germanorum in Romanos temporibus Augusti & Tiberij Neronis. Cap. 27.

Incursatio Germanorū in Romanos tempore Augusti.

PRoximis capitibus demonstrauimus, qua iactura Roma. Imperatores Germanos deuicerint: præsentis autem libri ratio memoriam exigit dispendij à nostris regionibus Romanorum illati. Nam quicquid hactenus scriptum est de Romanorum damno, tantum ad Cæsares attinebat: hoc uerò quod prosequitur, penitus ad Romani imperij inclinationem. Augusti temporibus in summo flore uiguit imperium, post uerò Augustum, cum temporum fluxu sensim ruinam Romæ fata trahebant. Florentibus igitur rebus Romanis eodem sæculo Germani ruptis limitibus imperium Romanum inuaserant. Ostendit hoc Ouidius libro quarto de Ponto:

Protinus æquato siccis aquilonibus Istro
Vicinam latè depopulantur humum.
Quæ nequeunt secum ferre aut abducere, perdunt,
Et cremat insontes hostica turba casas.

Inde mox fata Augusti Pannonicum bellum consecutū est: Germani enim sese putātes paulò tutiores, Tiberij principatum asperis bellorum fluctibus exordiebantur, ut ait Cornelius lib. 1, in principio. Romani tunc grauissima iactura duos exercitus in Germanijs sustentabant: unum in Vbiorum finibus, qui ocio corrumpebatur. Vnde sæpè districtis gladijs in ipsos centuriones agebant, ac laniatos ipsos in Rhenum proijciebant. Hęc Tacitus. Mox Germani uno ductu Rhætiam ferro igniq; populabantur. Hinc illud Taciti lib. 1 ualet, dum ait: Veterani non multò pòst in Rhætiam mittebantur, defendendę prouincię gratia. Nec ab Illyrico abstinuerunt Germani: unde nunc in alio loco Cornelius intelligitur, dum ait: At Romæ cognito, quòd exercitus legionum Germanicarum fuisset in Illyrico, &c. Et addit Cornelius Cæsarem 12 millia, sex legiones ac 20 socias cohortes, & octo equitum alas, huic soli bello desumpsisse. Mox Catti, Cherusci, Angriuarij, tres Germaniæ gentes, Tiberio renunciauerūt. Catti Syluium præfectum obuium necauerunt. Cherusci à quinta hora orientis diei usq; ad noctem cum ipso Cæsare pugnam protraxerunt: tanta strages edebatur, ut illi decem milliaria cadaueribus oppleuerint. Cæs. Sillius iterum triginta peditum, tribus equitum millibus, à Cattis exceptus extremum diē clausit, ita cum Tiberio Cæsare luserunt Germani, quem nouies ad Germaniam specie hostili deuenisse Tacitus ait.

Drusus quomodo Germanos uicerit, & quæ eius temporibus à nostris fuerint uastata. Cap. 28.

Drusus contra Germanos.

POstquam igitur Tiberius oculos clausit, necessum erat, ut Drusus bellum à Tiberio auspicatum componeret. Vincebantur tunc Agriuarij, ac imperatori dedebantur: rebelles inde extiterunt, aduentu alterius ducis. Drusus igi-

tur parato commeatu per mare Septentrionale, Germaniam uolens incursare, media uia deuians, penitus totum exercitum penè perdidit. Taciti uerba sunt lib.1. Milites Drusi, inquit, in mare elisi exhausti fame perierunt, nisi quos corpora equorum alebant. Sola Cæsaris Germanici nauis Caucorum terram attigit. Vbi Cæsar, dum tanti exitij se reum clamaret, uix surreptus est ab amicis, quo minus mari oppeteret. Multi ad Batauos, multi ad Angriuarios peruenêre. Quid autem cum Germanis Drusus gesserit, explicauimus. Triumphauit enim de Cattis, Angriuarijs & Cheruscis. Cecinna cum Cheruscis res gerens, bis fractis stationibus penè à Germanis interceptus est: secūdò enim uictus, ut Tacitus ait, auiditati Germanorum uix surripiebatur. Captus enim extitisset, nisi prima legio sese Germanorum furoribus opposuisset. Dein latius.

De irruptione in Rhætiam ac Illyricum aliorum Cæsarum temporibus. Cap. 29.

GErmani quid interim aliorum uidelicet Cæsarum ętatibus emoliti fuerint in Romanos, antepositá capita tenebant. Alexandri temporibus Rhætiam ac Illyricum miserè cædibus onerabant: & ut Eutropius, Orosius & Eusebius afferunt, Mœsia tunc à Dacis, Pannonia à Sarmatis, Gallia à Germanis uexabantur. Pannoniam ut lib. septimo Eutropius ait, Antoninus liberabat: & Antoninum ad Istrum uenisse Suidas asserit. Caracalla Rhætiam, referente Spartiano, Alexander Illyricum defendebant. Ille mansuetudine, hic dolo, tertius pecunia. Auctoribus prædictis. Alexandri temporibus in Illyricum Germanorum irruptionis recordatur Herodianus libro sexto, his uerbis: ἀπαγγειλάντων αὐτοῖς τῶν ἐμπεπιστευμένων τὴν ἰλλυρίδος ἡγεμονίαν, ὅτι ἄρα γερμανοὶ ῥῆνον καὶ ἴστρον διαβαίνοντες, τὴν ῥωμαίων πορθοῦσιν ἀρχὴν, καὶ τὰ ἐπὶ ταῖς ὄχθαις στρατόπεδα. Id est, A' procuratoribus Illyricis literæ uenerunt: quippe significabant, Germanos Rhenum Danubiumq; hostiliter transgressos, oppugnaréque iam exercitus ripis insidentes. Idem Herodianus libro iterum ᾱ, literas ad Marcum imperatorem allatas, ac Germanorum in Illyricum limitantium furores testatos adducit. Idem Herodianus libro septimo, Maximini temporibus imperium Romanum affectasse Germanos refert, cui Capitolinus subscribit, & grauiter imperatorem tulisse indicat, uicinas gentes à Barbaris quotidie impeti. Imperator igitur centum & quinquaginta millia uirorum aduersus Germanos adduxit: erat enim Reipublicæ grauissimum, quòd Gallia Germanorum uastationibus diripiebatur. Hæc Lampridius in Alexandro. Maximinus autem maiorem habuit exercitum quàm Alexander, ut Iulius Capitolinus, Aelius Cordus, & alij testabantur. Herodianus omnes totius imperij uires Germanico bello Cæsarem hunc destinasse refert. Videamus ergo quid non sine summo dispendio cum tam copioso exercitu comparato, sustentato ac conseruato Romani perfecerint. In Germaniam uenit Maximinus, nullos Germanorum reperit, uicos incendit, ut Herodiano placet, non aureos, nec argenteos, nec ligneos, uerùm tantùm terra lutóque compactos. Vah quantum dispendium Germanis illatum? Et ille Maximinus illorum numero recensetur, qui potissimum Germaniam afflixerunt: nam dempto solo Druso, nullus unquam Germaniæ se credere, quibuscunque uiribus confisus, audebat. Tanti casas illas combustas Romani emerunt, pacem sibi tot annis pepererunt, quot caput subsequens ostendet: nec sine suorum damno etiam militum Germanos strauit Maximinus, dicente Herod. libro septimo, πολὺ δὲ πλῆθος ἑκατέρωθεν πεσεῖν καὶ ῥωμαίων καὶ βαρβάρων: & ingens multitudo cecidit tam Romanorum quàm Germanorum.

Irruptio in Rhætiam & Pannoniam.

Maximinus.

De

De Germanorum populationibus sub Gordiano ac alijs editis. Cap. 30.

Gordianus. FVncto adhuc uita Maximino, in Cæsares Romanorum Germani se ultum petierunt, ac uno fœdere Gotthi, Sarmatæ ac Germani conspirauerunt, quos tamen à se uictos imperator in tali epigrammate ostendebat, apud Circeum penes Persas insculpto: Diuo Gordiano uictori Persarum, Gotthorum, Sarmatarum Germanorum, uerùm non Philipporum. Per Philippos Alanos Germanos intelligebat, à quibus exercitus suus penè ad internecionem deletus est. Hæc Iulius Capitolinus. Alterius autem Gordiani temporibus Germani, ut Fl. Vopiscus ait, Scythæ Bithyniam, Nicomediam, Siciliam, ac totum orbem inuaserunt.

De irruptionibus sub Vespasiano factis. Cap. 31.

Irruptio Germanorum sub Vespasiano. VEspasiani temporibus à Germanis uix Gallia est surrepta, Pomponio Leto, Campano ac Egesippo, libro tertio, referentibus. Post autem Vespasianum, Alani fera ac indomita gens, cum multis alijs populis Parthiam uastauerunt. Abscondit sese ab eis Parthorum rex Tiridates, & rex Armeniæ uulneratus ab ipsis concubinas suas auro redemit. Hæc Egesippus libro quinto, & Iosephus de bello Iudaico, libro septimo, capite quadragesimosecundo, memoria prosequuntur.

De uastationibus prouinciarum Romanorum, sub Galieno, Macrino & Claudio. Cap. 32.

Scythæ Germani cōtra Romanos. MAcrino imperatore rebus potito, Gotthi in Achaiam, Asiam, Thessaliam, Macedoniam, Byzantium, & inde Ephesiæ Dianę templum, ut Trebellius Pollio ait, interceperunt. Inde Germani Galliam depopulati sunt. Cæsar autem Iulianus ciuitates à Germanis destructas restituit. Imperante autem Claudio Virtungi, Ostrogotthi, Turingi, Sigipedes, Celtæ, Eruli, undique imperium Romanum infestis armis petierunt. Trecenta millia autem Gotthorum Claudium destituisse Trebellius ait. Liberianus uerò & Fl. Vopiscus Trebellium adulationibus corruptum plura addidisse ueritati referunt, quibus ego eo facilius subscribo, dum excepto Trebellio priscorum nullus tot occisorum recordetur Suidas in dictione σκύθαι, in hanc orationem de Scythis Germanicis euasi: Σκύθαι, inquit, Claudij Romanorum regis temporibus, superbi ob secundam expeditionem sub Galieni iunioris Cæsaris sæculo, Erulis, Peucinis ac Gotthis potiti, apud Tyram fluuium sese congregauerunt, multis fabricatis nauibus, penè triginta myriadibus naues uiginti compleuerunt, & per Pontum trajcientes, capta Tomi urbe ac Martianopoli, per angusta Propontidis incursauerunt. Instructis denuo nauibus, & sine singulari gubernantium cura ac robore prouisis, multi fluctibus sæuientibus perierunt. Qui uerò superfuerunt, Cysicum nauigauerunt, ac usque ad Athum montem porrexerūt, ubi restitutis nauibus Cassandram & Thessalonicam appulerunt, cuius mediterranea irruentes uniuersam regionem prædabantur, maximisq; calamitatibus regibus illatis, omnes Romanorum superstitum congregauerunt, & ad agriculturam compulerunt. Hæc Suidas. Fuerunt autem hi Scytharum Germani, quod patet Trebellij Pollionis auctoritate, qui in Macrino: Scythæ, inquit, id est pars Gotthorum Asiam uastabant, Thessalonicam obsederunt, & cætera, & penè totam historiam ordine enarrat. Cætera prius absoluimus.

De direptione Tomitanæ urbis. Cap. 33.

CAeterùm quia nobis sermo intercidit de Tomis urbe, quã à Getis & Scythis captam diximus: subijt tantum quod ab antiquis scriptoribus habuimus, sæpius Getarum direptionibus eam patuisse. Inhabitauerunt hanc urbem Getæ, qui ductu regis eorum ciuitates ab Istro usq; ad mare Euxinum ac Thraciam in ditionem sumpserunt. Venerunt inde Milesij, & eam occupauerunt. Sunt de illo multa carmina Ouidij de Ponto. *Tomitanæ urbis direptio.*

De incursionibus Germanorum Aureliani Cæsaris temporibus. Cap. 34.

POstquam Claudius Cæsar imperium reliquit, mox Sarmatæ ac Germani Illyricum hostili manu inuaserunt. ac ait Fl. Vopiscus, Aurelianum tunc trecentos Sarmatarum propria manu interemisse: & eius sententiæ est Theoclitus in libro de Nauibus, qui sua manu quadragintaocto occubuisse Romanorum refert. Huius temporibus Franci in Galliam irruperunt, quos tamen Aurelius dicitur sustulisse, & trecentos eorum cepisse, septingentos occidisse. Hunibaldus nimium in diuersum cum Fl. Vopisco abit: ait enim tot à Francis occisos. Aurelianus ob Sarmatarum Germanorum ac Francorum uictoriam partam Illyrici liberator ac Galliarum restitutor à Fl. Vopisco nominatus est. Huius etiam temporibus Gotthi Thraciam, ut Iornandes ait, populati sunt. Claudius igitur Flauius literas Aureliano istiusmodi mandauerat. Gotthi, inquit, à Thracis amouendi sunt: eorum enim plerique Europam totam uexauerunt. Ego igitur totum Illyricum, Thraciam, exercitumq; omnem in potestatem tuam constituo. Meminerunt illarum literarum Fl. Vopiscus, Sabellicus, Blondus, & alij. Compositis rebus Gotthorum Marcomanni emerserunt, Mediolanum ac totam Liguriam ferro igniq; populati sunt: aduersus quos dum imperator proficiscitur, Francos ac Sueuos habuit sibi obuios. Bellum mox utrique partium ambiguum imminebat: uictoria nulli parta, nisi quòd tandem æquali iactura ambo discesserunt. Ecce Gotthi duce Comnabam, alij Canabaudem uocant, iterum miserè Thraciam ac Illyricum affecerunt. Dicit Vopiscus quinq; millia hominum ab Aureliano tunc desiderata fuisse. Methodius uerò ac Iornandes Gotthis uictoriam tribuerunt: triumphus tamen Aureliano decretus est, in quo decem mulieres uirili habitu pugnantes captę circumferebantur. *Incursio Ger. tempore Aureliani.*

De irruptionibus Germanorum sub Cæsaribus subsequentibus, ut Tacito, Floriano, Bonoso, Caro. Cap. 35.

AVreliano Tacitus succeßit, cuius ætate Barbari è Mæotide uenientes, in Romanum imperium clades ubique edebant. Hæc Vopiscus. Alemanni inde ac Franci totam Africam penitus omnibus bonis exuerunt. Oraculo significatum est, horum ultionem ad Florianum attinere, qui & postquam rerum summa potitus est, oraculo factis respondit. Hæc idem Vopiscus. Germani uerò Floriano Cæsare è uita decedente, sese ad Rhætiæ ruinam inclinauerunt. Sarmatę Illyricũ, Getę Thraciã inuaserũt. Ait Fl. Vopiscus tunc Rhætias Cęsarem Probum composuisse, hostes in Illyrico fudisse: uerùm Thraciæ tunc non fuisse consultum. Probo Cæsari Saturnius succeßit, qui etiam Gallias restituere uoluit, ac ab hostibus uendicasse. Ex quo habemus & Gallias tum Germanorum rapinis patuisse. Mortuo itaq; Saturnio, Proculus ad rerum dignitatem *Irruptio Germanorum sub alijs Imp.*

tem ſublimatus eſt; cuius ætate Alemanni Gallias rurſus impetierunt. Quorſum enim alioquin illud Fl. Vopiſci attineret: dum ait: Proclus nonnihil Gallijs profuit. Nam Alemannos non ſine gloria attriuit, non alio tamen quàm latrocinij more pugnans. Bonoſus ſequens imperator luxurioſiſsimus, qui hoſtilibus armis Germaniam inceſsit, ac iuxta Rhenum deſidiæ ſtudens, à Germanis circumuentus eſt. Mox Sarmatæ Pannoniam inuaſerunt, Thraciæ ac Italiæ ruinam, ut Vopiſcus ait, minitabantur. Carus autem Cæſar ſeptendecim millibus Sarmatarum, id eſt Gotthorum occiſis, ac uiginti millibus captis, Pannoniam tutatus eſt. Hæc idem Vopiſcus aſſerit: Iornandes tamen ac Methodius nullius mortem concedunt.

De Germanorum uaſtationibus Gratiani Cæſaris, Theodoſii ac ſubſequentium temporibus. Cap. 36.

IMperium tandem ad manus Valentiniani Cæſaris deuenit, cuius ſæculo Sarmatæ, id eſt Gotthi, Pannoniam inuadentes, Africam etiam depopulabantur. Meminerunt huius Paulus Diaconus ſupra Eutropium, Euſebius, Oroſius, atque alij. Cætera prædictis capitibus diximus. Inde Gratianus imperio potitus eſt, de cuius ætate hæc prodidit Paulus Diaconus lib. 11. Gratianus, inquit, dum animaduerteret Thraciam & Daciam genitales terras à Theiphalis & Gotthis poſsideri, ac ab omni pernicie atrocioribus Alanis, extremum periculum Romano nomini inſtare putabat, &c. Ex cuius uerbis habeo, Thraciam ac Daciam à Germanis tunc ſubiugatam. Quid etiam Germani emoliti fuerint Theodoſij temporibus, maximè ex illius uerbis habere potes, quæ libro duodecimo adducit Diaconus. Theodoſius, inquit, magnum hoſtem, truculentum, ſolo terrore tributa exigentem, Germanos uicit. Eodem tempore ingens motus Sarmatarum, ut ait Fl. Forliuienſis, Romanis prouincias intenderat, contra quos Fl. Conſtantinus miſſus eſt. Huius temporis calamitates Hieronymus in epiſtola ad Euſtochium & Paulam latè exequitur. Iram, inquit, domini bruta etiam ſentiunt animalia, & uaſtatis urbibus, hominibusq; interfectis, ſolitudinem ac raritatem beſtiarum. Teſtis Illyricus. Thracia teſtis eſt, & in qua natus ſum Italia. Multa etiam Proſper ſuper Euſebium, de illius ætatis irruptionibus prædicauit, & Hieronymus ad Marcellinam. Oroſius ſcriptor clades illas non inſeruit ſuis hiſtorijs, ne attenuaret Romani imperij gloriam. Cætera quæ illa tempeſtate contigère à Germanis, prius poſuimus.

Germ. contra Gratianum.

Germ. contra Theodoſium.

De Germanorum populationibus, temporibus Iuſtiniani Cæſaris. Cap. 37.

EXcepto infortunatiſsimo Galieni imperio, nunquam Romanæ Maieſtati plus à Germanis ſuſtulit, quàm Iuſtiniani temporibus. Tunc enim Vandali, Gotthi, Alani, Burgundiones, Franci, Eruli, Slaui, Longobardi & Germani, non niſi Romanorum ſanguine alebantur. Quorum populationes ad ſequentis libri memoriam dilaturus ſum, ubi ferocium Germanorum gentium in ſingulari mentio erit. Nunc autem quod ad commune Germaniæ nomen ſpectat, paulum adducemus. Procopius libro primo rerum Gotthicarum, Germani habitant, inquit, gens Barbara, finitimi illis Arborichi, in Orientem Turingi, inde Alemãni. His temporibus facto in Roman. Imperium tumultu, partim Pannonias, partim Gallias ultra Rhodanum fluuium, ſuæ ditioni ſubactas uectigalesq; tenuerunt. Hi erant autem Arrobochi, quos Germani, dum facere ſubditos uoluerunt, abegerunt. Idem Procopius libro tertio, Iuſtinianum refert Cæſarem Galliam Germanis totam tradidiſſe ad inhabitandam, & Maſſyli

Germani contra Iuſtinianũ.

am

am Phocensium coloniam, & omnia quæ mare attingant, Arelatensium quoque terras, & demum totum illum sinum Germanos in ditionem eorum tunc redegisse. Cætera libro sequenti patebunt. Paulò pòst Bulgari, Auares, ut Suidas refert, Romanum imperium undiq; afflixerunt, à Iustiniano tamen Heraclij filio dolis circumuenti succubuerunt. Tempore eodem Fretolphus episcopus in suis Chronicis nihil tuti in imperio ait fuisse: tunc enim maximè imperij inclinationem fata traxerunt. Libuit & id subnectere, quod Romanis grauissimum fuit, tempore Sidonij Apollinaris, post omnes illos Cæsares. Versiculi Sidonij sunt:

Armorum semper sonitu cùm rupta tumultu
Barbaricas toties in nos transfunderet arctos
Gallia, pugnacem Rugum, comitante Gelono.
Gepida, trux sequitur, Scotum Burgundio cogit.
Hunnus, Bellonothus, Neurus, Bastarna, Turogus,
Bructerus ulmosa quem uolucer abluit unda,
Prorumpunt, Francus cecidit, citò secta bipenni
Hercynia in lyntres, & Rhenum texuit aluo.
Et iam terrificis diffuderat Attila turmis
Romanas ripas, & utroq; superbus in agro.

Et penè mille uersiculis Apollinaris Germanorum tunc uastationes executus est, cui ad uerbum penè respondit Claudianus, licet ætate paulò prior.

De limitibus Germaniæ, ubi Romani grauißimos sumptus faciebant, tantùm ad custodiendos Romani Imperij fines à Germanis. Cap. 38.

VEntum nunc est ad extremam ærarij, & totius Romanæ facultatis calamitatem, cui soli tot bella Punica cedant omnia. Non enim si bella gentium omnium congregarentur memini, tot fluctus Romã accepisse, quantos à Germanis, si alijs dispendijs limitum istorum populationes adiunxeris? Sita erat olim Germania in medio Romani imperij solo, undecunque etiam non nisi Romanis finibus terminabatur. Vnde ait Panegyricus ad Constantinum: Iacet in latere ac sinu tuo perfusa barbaries (intelligit Germaniam) per se ipsa potens natio, & post Romanam magnitudinem secunda in terris. In illis ergo confinijs, ubi Germania se imperio Romano coniunxerat, Romana præsidia collocauerunt, ne Germani transgressi limites, prouincias Romanas uastarent. Vocabantur igitur hæc loca, quæ à militibus custodiebantur, limites. Ammianus Marcellinus libro 17. Furor hostilis persulcabat, inquit, intima limitum. Et libro 20: Deses legatis ad Constantinum missis in limitem Germaniæ secundæ est egressus. Et ibidem, unde pari celeritate per flumen perfidiaq; limites explorans diligenter. Idem lib. decimoquarto, quorum, scilicet Alemannorum crebris excursationibus confines terræ Galliæ uastabantur. Et Panegyricus ad Constantinum filium: Ecce enim dum à limite paulisper abscesseras, quibus se terroribus Barbarorum perfidia iactauerat? Alius Panegyricus, cùm tot sint prolati limites prouinciæ restitutæ. Et idem, nullo siquidem certo fine fluminum aut montium tenebantur, quem dispositæ limitis custodiæ non tuerentur. Frequens itaq; apud Trebellium, Vopiscum, & Festum Ruffum, de limitibus mentio fit. Claudianus, nudato limite certet, Externum calcare solum. Fuerũt autem multi limites. Primus apud Germaniam Rheni limes ferebatur,

Germania in medio imperij Rom. solo

Germaniæ limites.

cuius Hieronymus, Seruius & Seneca meminerũt. Alexander Historicus libro quarto ait, Eugeniũ tyrãnum petiisse Rheni limitem. Et Eumenus Historicus in Panegyricis: Quid ego aliarum cohortium castra, inquit, pertranseam? toto Rheni, Istri & Euphratis limite restituto. Alio nomine is limes Germaniȩ inferioris dicebatur, cuius meminit Ammianus Marcellinus libro uigesimo, in autoritate iam promissa, & Festus Ruffus Panegyricus ad Constantinum, & eius filium. Porrexisti, inquit, ad inferioris Germaniæ limitem, magna temporis intercapedine. Ausonius, nec Rhenũ Galli limitis esse loco. Secundus limes Danubij memoratur, cuius meminit Eumenus in allegatione præfata. Appianus & Ambrosius: Limes autem ille in Rhętiæ uidebatur alpibus, unde & ab alijs limen Rhætiæ nominatur. Ammianus Marcellinus libro 22, Danubius oriens prope Rauracos montes, Rhætiæq; limites. Et Maximiani Panegyricus usque ad Danubium Germaniȩ caput Rhætiæq; limites. & Nazarius, Pertranseo, inquit, Rhætiæ limitem repentina hostium clade. Claudianus:

Prominet Hercyniæ confinis Rhætia Syluæ,
Vltraq; Romuleo protendens flumina regno.

Fl. Vopiscus in Aureliano, Fului Boi meminit, ducis aut præfecti limitis Rhætiæ. Idem in Bonoso, Tribunatus, inquit, erat, & dux Rhætici limitis. Et in Saturno, in limite Rhætico, &c. In lege de excusatione munerum, imperator militibus imperat, quorum cura limes Rhæticus erat, ne hæc finerent à Barbaris capi castra. Iulius Capitolinus in Antonino, composuerunt, inquit, omnia quæ ad munimen Italiæ Rhætiæq; continerent. Tertius limes Oceani fuit, cuius Tacitus & Strabo meminerunt. Fertur & Pannoniæ limes, cuius Marcellinus recordatur, & Mœsiæ limes apud Pomponium Lætum in Cæsaribus, & Sarmatiæ. Istiusmodi limites primus Cæsar Augustus erexerat, ut de eo Festus Ruffus testatur in opusculo quod ad Valentinianum scripsit, capite decimo. Limes, inquit, ab Augusto inter Romanos & Barbaros, per Vindeliciã & Noricum, Pannoniam & Mœsiam constitutus est. Post Augustum Adrianus Cæsar, auctore Spartiano, cuius uerba sunt: Per ea, inquit, tempora frequenter & in alijs plurimis locis, in quibus Barbari non fluminibus, sed limitibus diuiduntur, stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus iactis & connexis, Barbaros separauit. Hæc ille.

Limitũ fundator Augustus.

De custodibus limitum & Germanorum limitationibus. Cap. 39.

GErmania quanquam exilis fuerat, & undique Germanis circundebatur: semper tamen Romanorum potentiam posthabuit. Vnde Romani libenter & ex æquo à Germanis, licet potentissimi, abstinuissent, si Germani eorum pacem non fuissent aspernati. Reposuerunt igitur Romana præsidia in limites, non ut Germaniam caperent, uerùm ut tantùm à populatione prouinciarum à Germanis affectarum, ipsos arcerent. Ex quo patet, nunquam à Romanis uictos nostros fuisse in patria, dum nullus, Druso & Cæsare excepto, Rhenum transcenderit, uerùm semper in Illyrico aut in Gallijs cum Romanis cõflixerint. Hi autem milites, qui in limitibus latebant, Limitrophi dicti sunt, à uerbo τρέφω, quod est nutrio. Alciatus uerò ἀπὸ τοῦ λιμένος, id est à portu dixit: sunt enim portuum custodes, ab Aristotele in policitis οἱ λιμενοφύλακοι dicti. Meminerunt huius dictionis Iurecõsulti, de fundis Limitrophis. Latinè uerò Limitanæi dicũtur. Fl. Vopiscus in Probo: Accepit, inqt, 61 millia tyronũ, quos Limitanæis interfereret. Festus Ruffus: Maximianus ut reparato de limitanæis exercitu. Aelius Lampridius in Alexandro: Sola, inquit, quæ capta sunt de hostibus, limitanæis militibus donauit. Multi & prouinciales milites illos dixerunt,

Germani nunquam uicti in Germania.

Limitrophi.

quorum

quorum meminerunt Spartianus in Iuliano, & Panegyricus ad Constantinum. A Græcis etiam hi appellantur λιμινάρχοι, liminarchæ, ut apud Iurec. ονιul-tos, in titulo de muneribus & honoribus, & in uolumine Codicis imperatorij duodecimo mentio est de limitanæis ducibus & agris. Agri autem limitanæi dicuntur, qui in collinitio aut confinio collocantur. Limentinus Deus est, qui limitibus præest, aut agris limitaneis, ut in aureo asino ait Beroaldus. Suidas eos milites uocat, λιβιτανάιους. Verba eius sunt: λιβιτανᾶιοι οἱ ῥωμαίων βασιλεῖς ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις, πανταχόσε τῶν τῆς πολιτείας ἐσχατιῶν ἐπὶ φυλακῇ τῶν ὁρίων τῆς ῥωμαίων ἀρχῆς, καὶ κατὰ τὴν ἕω μάλιστα μοῖραν. ταύτῃ τὰς ἐφόδους τῶν περσῶν τε καὶ σαρακηνῶν ἀνασέλλοντες, οὓς περ λιβιτανάιους ἐκάλουν. Quod ita traduximus: Libitanæi sunt, quos superioribus temporibus Romanorum reges in præsidia ad custodiendos imperij fines collocabant, & maximè ad Orientem: ut illic Sarmatarum ac Persarum incursiones coercerent, unde eos Libitanæos uocabant. Alciatus locum hunc Suidæ emaculandum censet, & λιμιτανᾶιοι, non λιβιτανᾶιοι legendum esse putat: cuius sententiæ nonnihil tribuo. Limitare autem loco limites destruere ac incursare, accipiunt scriptores. Ammianus Marcellinus libro decimoseptimo, Limitantes quoque superauimus. Et libro decimonono, id quod nunc maximè formidant, limitantes Sarmatas, ut sunt uersatiles, ne aliquid mouerent. Idem: Improuisi limitantes, licet properare sentirent. Germani autem semper limitabant, id est, limites populabantur, & prouincias Romanis subiugas. Vnde Marcellinus libro decimoquinto, Romano sanguine parentantes insultant Barbari Gallias, rupta limitũ pace: Hac animati fiducia quod nos per disiunctissimas terras arduæ necessitates constringunt. Panegyricus ad Diocletianum, ingressus es ad illam, quæ Rhætis obiecta est, Germaniam, limitemque proculcatam. Verùm toties istiusmodi prouincias ac limites ruptos, capitibus superioribus demonstrauimus. Id etiam peculiare Romanorum discriminis est argumentum, quòd Romani singulis annis octo legionibus istiusmodi limites custodire cogebantur, ut Iosephus in oratione Agrippæ ad Iudæos in lib. Antiquitatum adducit: ut tãtùm Germanos in eorum patria retinerent. Verùm nec tot legiones Germanorum populationibus sufficiebant, ut ex præcedentibus habuimus. Possumus ergo cum Claudiano dicere:

Limitanæi. *Limentinus deus.* *Locus Suidæ.* *Limitare.* *Quot legionibus Germani fuerint coarctati.*

Cedant Druse tui, cedant Traiane labores,
Vestra manus quicquid dubio discrimine gessit,
Quis meminit sola uictum formidine Rhenum?

De difficultate subigendæ Germaniæ à Romanis. Cap. 40.

QVanta igitur difficultas fuerit Romanis, eorum iuri subdere Germanos, haud enarrare facilè est. Nam præter omnem uerborum licentiam, quibus fortitudo ac omnis difficultas effunditur, solam terræ Germanicæ asperitatem memoriæ nostræ subijciamus. Vidimus in libro primo asperam cultu fuisse Germaniam, ex Cornelio & alijs auctoribus, tum frigore, tum inundationibus penitus occupatam. Optimè ergo non minus telis quàm suo sidere armatas illas gentes, Plinius secundus ad Traianum Cæsarem testabatur, & Pyreneos montes, & infinitam uastitatem munire eam: id & Campanus in oratione Ratisponensi adducebat. Inde & Egesippus inaccessibiles Germanos libro secundo inducit: & libro quinto, Alanos in locorum difficultatibus residere. Quod & Herodianus in Maximino, & Iosephus in oratione Agrippæ ad Iudæos testantur. Idem Agrippa apud Egesippum lib. 5. ait ad Iudæos, alpium muro Germanos septos esse, & tamen hos uicisse Romanos. Nec tamen illa similia esse Tauri montis accliuis collibus aut Canopicis agminibus Aegyptiorum,

Difficultas Germaniæ debellandæ. *Munimenta Germaniæ.*

cum quibus Iudęis belli usus sit. Sic etiam Panegyricus ad Constantinum, non esse, inquit, cum Germanis ut cum Indis & alijs pugnare. Quod uidēs Alexander, Indos domuit, à Germanis abstinuit, & ab eorum legatis quæsiuit: Quid'ne timerent Germani? Hi uerò ut grandibus corporib. sunt & animi elati, hoc solum responderunt, Ne cœlum rueret. Hæc Arianus Græcus lib. 1. de gestis Alexandri, & Ptolemęus Lagi literis mandauerunt. Strabo lib. 7. id Getis adscribit, similiter Ptolemæus Lagi. Arianus tamen Germanis. Malè ergo Otto Frisingensis Germanos ait adeò fuisse timidos, ut ad Alexandrum legationes miserint, & si uixisset Alexander, bello petijsset, inquit, Germanos: sed in contrarium penè sunt scriptorum omnia. Antoninus Marcus imperator donis, Herodiano authore, non bello contra Germanos uoluit confligere. Sunt & alij imperatores moti Germaniæ asperitate, ut tantum eos in Romano solo adorti fuerint, non in eorum patria. Ideo Tacitus ait: Nec impunè Cęsar in Gallia, Marius in Italia, Drusus in eorum finibus, eos lacessiuerunt. Primus omnium Imperatorum ad Danubium cum exercitu uenit Curius proconsul, Plutarcho auctore in uita Ottonis, & Festo Ruffo in Valentiniano, cap. 9. Ille Curius est, de quo Sueuiæ Annales, quę circumferuntur mendacijs refertissimi, loquuntur. Et idē Festus Ruffus cap. 10. Romanos imperatores ad Gallias, Dalmatas, & Mysos, & demum usq; ad Danubium uenisse uoluit. Cæsar primus Rhenum transgressus est, primus ad Oceanum uenit Drusus, Vindeliciam Tiberius: nullus in eorum sede, ut uerbis Taciti in Germania loquar, eos pepulit. Cornelius Tacitus postquam in Historiarū primis libris Drusi iacturā à Germanis significauit, addit, quanto uiolentior cætero mari Oceanus, tanto cœli truculentia Germania præstat, tātū etiā clades illa nouitate & magnitudine excessit cæteras. Hæc ille.

Alexan. à Ger. abstinuit.

Qui primus ad Istrum.

De subactione omnium prouinciarum Germaniæ à Romanis. Cap. 41.

ADduximus quantum nostra tulit mediocritas tam Germanorum quàm Romanorum ruinas, dum inuicem bello insultauimus. Romani tamē demum uictores post multam acceptam cladem, suo iuri Germaniā ascripserunt. Fuit Germania olim tantum una natio, nec distincta, donec Romana potentia eam dum bello aperuerat, discreuit. Galliam uniuersam Cæsar Romanis adiecit, sub qua ea nunc Germaniæ pars, quæ Belgica dicitur, cōtinebatur. Inde Alpinas gentes ab Illyrico usq; ad Gallias & Oceanum Augustus, ut Plinius ait, uicit, & Romano imperio adiecit. Et quia Cęsar Pannonias tributarias Romano imperio fecerat, capto rege eorū Bancone, auctore Festo Ruffo, omnis Danubij ora, Rhętiæ, Norici, Pannones, Mysiæ in prouinciā redactæ sunt, & Romanis paruerunt. Daciam Traianus Cæsar utranq; bis adortus est, ut Dion Bithynus ait, semel de eis uictoriam retulit. Inde hi rebellantes penitus imperatore capto eorum rege Decebalo, renunciauerunt. Inde per Galienum Cæsarem iterum Dacia amissa, per Aurelianum recuperata est: sic & duæ Daciæ factę sunt à Romanis, ut Festus Ruffus testatur. Illyricus quo Germanos respicit, sub quo Valeria, Seruia, Mœsiæ, Dalmatæ comprehenduntur, post Augustum Romanis subditus est. Sarmatia sero imperio obsequebatur, Domitiani tamē successores eam subiugauerunt. Illa uerò intra Rhenum & Danubium, Oceanum, & Vistulam Germania, à nullo unquam Romanorum penitus potuit subiugari, nisi donec ad Francos imperiū fuisset translatum: tunc enim accepto fidei uerę sacramento, sua sponte paruit. Probus licet imperatorum unus omnium ipsos compescuerit, non tamen subiugauit, ut in capitibus præmissis patuit. Imperator. ff. de censibus. l. ultima. postquam omnes prouincias Romano imperio subditas adducit: In Germania, inquit, inferiori & Agrippinensiū ciuitas nobis est subiecta:

Germania olim una prouincia.

subiecta: ecce tantum unã ciuitatẽ enumerat. Temporibus Theodosij, qui post Probum floruerat, Germani libertate propria nitebantur: nam Hieronymus et alij eiusdẽ ætatis homines, Germanos semper Barbaros uocant, & tunc illi Barbari dicebantur, qui Romanis nõ cedebant. Titulus tamen Theodosij Germanos comprehẽdebat, ut 11. q. p. C. uolumus. Verba Theodosij sunt: Volumus inquit, & præcipimus, ut omnes nostrę ditioni subiecti, tam Romani quam Franci, Alemanni, Bauari, Burgundiones, Saxones, Turingi, Galli, Longobardi, Guascones, Getæ, Beneuentani, Hispani, &c. Et hoc ideo, ut puto, quia olim, uicti à Probo aut ab eius antecessoribus Germani referuntur. Vtimur & hodie largius & plus æquo nostris titulis, & quasdam regiones suis titulis inserunt, ad quas uidendas solũ uix liber ingressus patet. Quid si & hoc Theodosij temporibus Germanis contigerit? Quantas autẽ turbas Germani suo tempore excitauerint, ex dictis Hieronymi prius adduximus. Tenendum ergo putamus, Germaniam nõ nisi à Carolo Magno imperio cessisse. Sunt uiri præstantissimi partim Germani, partim externi, qui mecum sentiũt, & Carolum Germanum fuisse asserunt. Fuit ergo Germania nunquam Romano imperio subdita, uerùm potius imperium Romanum ductu Caroli Germaniæ subiectum est.

Germania quãdo subiugata fuerit.

Titulus Theodosii.

De subactione prouinciarum Europæ à Germanis. Cap. 42.

ANtequam rerum summa Germani potiti sunt, multas prouincias sibijpsis subdiderunt. Temporibus enim Iustiniani Arelatenses, qui postea eorum ditionem in regnum uerterunt, Germanię cesserũt: per Pipinum quoq; & Carolum Austrasia, ut lib. 3. diximus. Inde tẽporibus translationis imperij Burgundia, Delphinatus quoq;, qui nunc à Francis Occidentalibus tenetur. Quomodo autem & cuius auspicio ab imperio Germanico Gallis hi ducatus contigerint, lib. 3. diximus. Lotharingiam Otto Germanis subiecit.

De Vngarorum bellis aduersus Germanos. Cap. 43.

DVm omnium illorũ meminero, quibus uel aliquid damni Germania debet, nullam gentem uideo, cui plus Germania quàm Vngaris obligetur, à quibus penè ad summam desperationem nostri redacti sunt, & ab his solis. In Vngarorum fortitudine Philelphus, Aeneas Syluius, Luitprandus, & alij occupati erant. Hi ergo Vngari non Hunnorum reliquiæ, uerùm noua gens, sub Carolo Magno ac Ludouico in Germaniam exarserũt. Papia ab ipsis capta est, Salutis anno 923. quarto Idus Martij, Indictione Romanorũ 12. feria sexta, hora tertia, ut ait Luitprandus libro tertio, capite primo. Ludouicus Cæsar contra ipsos profectus est, ut Rhegino Prumiensis asserit, & Luitprandus innuit capite undecimo. Inde Arnulphi Cęsaris temporibus Bauariam miserè deuastauerunt, Sueuiam ac totam Germaniam, ut placet Genblacensi. Idem Caroli Grossi seculo, secundum Platinam in uita Stephani quinti, Salutis anno 915. contigit. Conrado regnante iterum ad Alemanniam & Saxoniam sese Vngari contulerunt, iuxta Ottonis Frisingensis opinionem libro sexto, & tunc Basileam diripuisse probat Genblacensis. Secundo inde anno iterum Germaniam incursauerunt, Sergij temporibus: ut testatur Platina. Iterum in Germanos expeditionem mouerunt, quo tempore & in Venetos, referente Blondo, incursauerunt, ac inopinato ductu eos omni pietate, omni humano iure carentes miserè egerunt. Hetruriam solo æquauerunt, utriusque sexus homines è cæde superstites, in Pannoniam secum transuexerunt: ut placet Sabellico. Iterum in Saxones mouentes, usque ad Merspurgum deuenerunt: ut asserit Platina, in Stephano septimo, & Agapito.

Germani contra Vngaros.

Quomodo Ungaria à Germanis deuicta, Imperio Romano cesserit. Cap. 44.

QVantum ego uidere possum, Vngaria, Italia, Francia, de Germanis queri possunt, quod olim Græci, Aphri, Macedones de Romanis: post enim Argolici regni detractionem, uis & robur simul à Grecis recesserunt: ita & nũc Vngaria, quæ ante Imperij decorem uictorem nõ agnouit, posterius uerò paulò nec uictum. Vngari ergo qui illo tempore Italia penè tota potiti sunt, ut ait Platina, in uita Agapiti, iam patriæ uix consulere potuerunt. Henricus ergo Cæsar, dicente Lupoldo, capite duodecimo de zelo Germanorum, Vngaris bello diffidens, tributa per nouem annos inire coactus est Vngaris persoluere, & sub anno Domini 924. Anno ab hinc nono habita oratione cum principibus, ipsos omnium Germanorum primus uicit. Hæc prima de ipsis uictoria. Anno domini 955. tempore Vdalrici episcopi Vngari usque ad Augustam uenerunt. Otto ipsos castris exuit, ut non sex eorum superstites euaserint, ut uoluit Otto Frisingensis libro sexto, capite decimonono Hist. Platina in uita Ioannis duodecimi tribus grauissimis prælijs hunc Vngaros contudisse scribit, tribus eorum regulis captis. Grauissimum hoc prælium ferebatur, ut quanto uictoria maior prius, tanto tunc clades exitialior. Multa Vrspergensis, Hermannus Sigibertus Gemblacẽsis addunt. Gotfridus inde dux cum Transrhenanis Germanis Vngariam penetrauit. Hæc igitur regio postquam per Henricum longo post religionem nostram sortita est, Imperio nostro cessit, ut & die hodierno partes Vngarorum rex à Maximiliano sortiatur.

Vngaria à Germanis uicta.

De bellis aliarum gentium & earum subactione. Cap. 45.

Variarum gentium subactio.

BVlgari Thraciam uastabant, occurrentem sibi Constantinum uicerunt, demum ut Mœsiam & Pannoniam eis concesserit, impetrauerunt: ut Platina in uita Agapiti scribit: itaque & hæc Imperio tributaria facta est. Otto Frisingensis libro sexto, & Sigibertus Gemblacensis sub anno 1146 huius rei euẽtum collegerunt. Belgas Imperio adiecit Otto filius Henrici anno 962. Nortmanni diu contra Germanos bellauerunt, ut Platina in multis locis ostendit. Tandem per Henricum primum, anno Domini 926 armis reddebantur obtemperantes ut, Lupoldus libro secundo, de zelo Germanorum, & Historia Francorum asserunt. De illis plura Rhegino Prumiensis, Otto Frisingensis & alij adducunt. Dani per Henricum tributarij facti sunt, Anno 915. ut Lupoldus capite secundo de zelo Germanorum ait, rebellantes inde per eius filium Ottonem anno Domini 952. Imperij iugum sustulerunt, ut historia Francorum probat. Sclaui per Hẽricum & inde per filium eius Ottonem uicti, ab Imperio subditi sunt, ut Lupoldus & Historia Francorum referunt. Boemos apud antiquos semper Germani deuicerunt. Henricus primus Germanorum Imperator, filius Ottonis Ducis, mortuo Cunrado Pragam cepit, ait Sigebertus. Postea Boemi Spitineo duce, Christi legem induerunt. Huius filius Vuenceslaus occisus est à fratre Boleslao. Iratus ergo Otto ipsum ulciscens, Boemiam ad deditionem compulit, & tributariam fecit, referente Platina, in uita Stephani 8. Sæpè autem rebellauerunt. Rex eorum semel Imperatori congressus, pedes eius detinebat, inde ab uxore redargutus, Imperatori iterum conferens occubuit, ut placet Aeneæ in primo Hist. Boemicæ. Grauissimum tamen bellum omnium Hussorum ueneno oriebatur, Syluio referente. Gotthi etiam contra Germanos processerunt, primo Dicenæi consilio, temporibus Syllæ & Marij: deinde temporibus Theodemiri Germani Vualamiris regis Gotthorum, contra Gotthos Sueui profecti, & uicti sunt. nam congelato Danubij alueo Gotthi transierunt, & uicerunt.

cerunt. Sicilienses etiam duce Rodigero, à Lothario duce Saxonum inde Imperatore subacti sunt, & Apuliæ ciuitates liberatæ, Ammonio cap.32 & Gotfrido authoribus.

De uirtute Dominorum Teutonicorum, & subactione Prussiæ. Cap. 46.

SVnt præterea Christianissimi milites, qui Teutonicorum ac Germaniæ nomen uirtute emeruerunt, nobis recensendi. Hi olim à Ptolemaide abacti, facto periculo ex quercu Marieburgum castrum condiderunt, quo fortius alterum nō fuit: uerùm insidijs Beatissimæ uirgini Mariæ à Polonis detractum est, ubi prius Dei cultus, nunc equorum stabula uigent. Heu religio stercore compensata est. Aeneas Syluius multa à Polonorum rege capta scribit, & per Sigismundum Hungariæ regem, iterum pristino dominio mandata, plura capta, ego, pauca restituta uideo. Nauclerus Henricum cognomine Valpotten anno Domini 1191 ordinem Teutonicorum incœpisse, & Ottonem secūdum & Hermannum Bart hospitale ex Marieburgo confecisse asserit, postquàm ex Ptolemaide uenerunt. Cæterùm maior Prussiæ pars Polonis remansit, minimamq; partem Teutonici fratres retinuerunt.

Domini Teutonici.

De subiugatione Liuoniæ à militibus Teutonicis. Cap. 47.

PAulo pòst & Liuoniam milites illi ὀρθοδοξότεροι fidei Christianæ submittere tentauerunt: nec caruit eorum uoluntas exitu. Pauco enim tempore Liuoniam totā armis occupauerunt, ac eam in fide recta instruxerunt. Tantumq; terrorem Sarmatis cęteris incusserunt, ut si Friderici secundi Imperatoris liuor eos non detinuisset, totam Russiam ac Sarmatiam ferro sibi & Christianis uendicassent. Cogebantur igitur Teutonici, ut Hannibali à Carthaginensibus euenerat, partam uictoriam è manibus deserere. In pugna ea contra Barbaros gesta, sindon tunc diuinitus submissa illis apparuit, ac eis postmodum alborū uelaminum dedit initium. Reliqua in Aenea Syluio lege.

Liuoniæ subiugatio.

Conclusio ad Lectorem de cæteris Germaniæ bellis præter iam dicta.

NOn me fugit, quàm multi iniquè laboribus nostris respondebūt, ac apud Rhadamanthum omnis debiti exceptorem, me interpellabunt, quòd capitulatim, ut sic loquar, omnia bella Germanorum summo studio exegerim: illa uerò quæ nostra ætas aut maiores nostri uiderūt, ac experti sunt, penitus excluserim. Illud Taciti ad me attinere dicturi sunt, dum uetera extollimus, recentiorum incuriosiores erimus. Nec caret ueritate sententia illa Taciti. Verū qui nobis ea calumnia insidiantur, ne sinistrè mihi rem hanc interpretentur, hoc à nobis sibi responsum desumant: Postulasset profectò hæc nostra professio, ac præsens negocium, ut ea quæ Germanorum sunt, pro captu nostro Germaniæ non denegassem. Nam id scribendi genus, quod nunc nostro ingenio cessit, in me requisiuit, ut pariter à prima Germaniæ origine, usq; ad calcem in deducendis historijs pergerem. Multa tamen nos auerterunt: quorum maximum erat, quòd uidissem maximā æquæuorum meorum partem, in recentioribus historijs uehementer occupatā, antiquitatis uerò penitus nullam habuisse rationē: tot enim Chronici, tot Annales, ut nihil in his desideretur, quod seculo recentiori contigit. Nec anni, nec horæ desunt, minutis rem metiti sunt, ut fit, quando rerum nouarū impensiores sumus. Sunt quibus rerum nouarum cura erat, qui historias recentiores effuderunt, ac plenis spacijs dilatauerunt, in quorum numero Rhegino, Hermannus, Vrspergensis, ac penè tot Annales: quot sunt

Bella alia Germaniæ.

Germaniæ urbes ac uici. Illos requirere potes, quorum operam si ornando nomini meo impendere maluissem, ac quidquid nobis uigilantia nostra tribuit, in unum cumulum coaggerassem, uoluminiqúe illi superposuissem, quales quæso rerum species edidissem? Adde quòd hi rem tam exactè, tam enixè prosecuti sunt, ut si labores eorum nostro operi imitandos asciuissem, aut rem prodigialiter mutassem, aut eorum orationem intemeratam ac integram recensuissem. Denique unus ille è multorum numero Iacobus Vuimphelingus instar plurimorum in recentioribus rebus habendus est, qui fermè de Imperij translatione, ubi nostra oratio desijt, exorditur, ac felici rerum seriè scribendi ordinem à calce libri nostri, usque ad suam ætatem deduxit: non parcè, non succisè, uerùm latis finibus effusè plena ac abundanti Historia disseruit omnia. Hunc nostro libro coniunge, & dices coniunctissimum. Erat ingenium nobis ad reparandam antiquitatem Germaniæ accitum, ac grauibus studijs intentum, & ad illa uidelicet quæ sparsim è tot auctorum uoluminibus dissipata sunt, quomodo in ordinem redigenda nobis uenirent, plus accommodatum. Ne tamen ullam aduersus nos habeas occasionem, ea quæ bellis debentur, & nunc libro illo detracta sunt, dum singularium gentium, regum, ciuitatum, regionum memoria nobis erit habenda, eo copiosius aptentur. Et hoc tantùm ideo adduximus, ut agnoscat cordatus Lector, nihil quod Germaniæ imputari posit à nobis desiderari.

FINIS LIBRI QVINTI.

LIBER SEXTUS EXEGESEOS GERMANIÆ, de stratagematibus singularium populorum Germanorum, & continet in se capita 62.

AD LECTOREM.



FVIT nobis longa oratio præmissa hactenus, de insigni in Romanos Germanorum uictoria, ac bellica fortitudine aduersum totius orbis nationes. Addidimus præterea, quod longè honestissimum fuerat, tot dispendijs hostes Germanorum semper affectos, ac penè ad ultimam suijpsorum desperationem ab eis fuisse redactos. Hæc quidem diuturna partim lectione nobis constabant, partim à doctissimis hominibus deprehendimus. Vtinam ea uerborum lenocinata ac luculenta iunctura, materiæ de se nobilissimæ captus ingenij nostri respondisset, qua Germanica fortitudo in disciplinarum omnium uiro instructo niteretur. Si enim ex æquo consentaneum uirtutis enarratorem dij Germaniæ nostræ concessissent, opus fuisset, ut Homero priorem, antiquioremq; rebus Germanicis destinassent, & qui maiori studio addictum sese, maius ac pręstantius argumentum sibi ad describendum sumpsisse putasset, quàm qui Homericum ac Troiæ negocium egisset. Illic enim tantum sola ciuitas ab imbelli Græcorum turba ac fallaci concidit, quæ aduersus Græcorum illos τοὺς λευκηπακτικὸς, ut Homerico uerbo utar, sui tutelam adeò comprehenderat, ut in decimum uestigia retulerit annum. Oh quanta bellorum turba? Parturient montes, nascetur unius ciuitatis periculum, ac ne huius quidem, nisi tot reuolutis annis, tot præmissis cladibus. Græci qui.

Nec tamen hac Titides, nec Larissæus Achilles,
Nec anni domuêre decem, nec mille carinæ.

Vnde hoc? unde tanta Troianorum uirtus, quæ tot annis, tot pręlijs Græcis respondit? quia spiculis res agebatur.

Φράξαντες δορὺ δουρὶ σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ,
Ἀσπὶδ' ἄρ' ἀσπὶς ἔρειδε κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ:
Hastis densabant hastas, scutisq; minantur

Scuta,

Scuta,tenet clypeus clypeum,galeam quoq; cristæ.

Heu quã lachrymabile bellũ. Græci enim καλλίζωνοι,ut Homericis attributis utar.i. pulchrè cincti,θρασυκάρδιοι,corde feroces, ὅπλ' ἐν χερσὶν ἔχοντες,χάλκεα ἢ ῥόπαλα δολίχ' ἔγχεα:id est,in manibus arma ęnea habuerunt,clauas ac lõgas hastas. Erat pulcherrima Toxaris apud Lucianum contra Græcos oratio: Ἐγὼ δέ σοι διηγήσομαι φόνους πολλοὺς καὶ πολέμους καὶ θανάτους ὑπὲρ τῶν φίλων,ἵνα εἰδῇς,ὡς παιδία τὰ ὑμέτερά ἐστι, πρὸς τὰ σκυθικὰ ἐξετάζεσθαι.οὐδὲ ἀλόγως αὐτὸ πεπόνθατε. ἀλλὰ εἰκότως τὰ μικρὰ ταῦτα ἐπαινεῖτε,οὐδὲ γὰρ εἰσὶν ὑμῖν ἀφορμαὶ ὑπερμεγέθεις,ἐν εἰρήνῃ βαθείᾳ βιοῦσι.παρ' ἡμῖν δὲ,συνεχεῖς οἱ πόλεμοι,καὶ ἢ ἐπελαύνομεν ἄλλοις,ἢ ὑποχωροῦμεν ἐπιόντας, ἢ συμπίσοντες, ὑπὲρ νομῆς ἢ λείας μαχόμεθα.id est, Ego tibi multas cædes enarrabo, bella ac mortes pro amicis susceptas,ut agnoscas uestra,scilicet Græcorũ,puerilia esse,si Geticis conferantur.Nec sine ratione temerè res uestras attollitis, uerùm meritò parua ista miramini, dũ grauia uobis non supersint,Græcis semper in pace summa uiuẽtibus.At apud nos perpetua bella,aut inuadimus alios,aut cædimus,ac semper concurrentes pro pascuis ac præda pugnamus.Nec planè aliam habet in se speciem Gręcorum illa turpis armorũ iactatio erga Germanorum uirtutem,quàm Βατραχομυομαχία illa Homeri:ubi milites,

Θώρακας δ' εἶχον καλαμοστεφέων ἀπὸ βυρσῶν
Οὓ γαλέην δείραντες,ἀσπὶς δ' ἦν λύχνου τὸ μεσόμφαλον.

Hæc uerò non Germanorum extiterunt,quorum nunc bombardarum usus est,quorum tonitrua trisulca Iouis fulmina destituunt: quorũ uis repentina cœlum,terras ac mare,manesq; infernos,ut Plato de fulminibus dicere consueuit, terret:quorũ fremitus ac necessitas oẽm humanam excedit conditionẽ,à cuius impetu nõ die una se Troia illa sustinuisset.Habuisset multo honestiorem occasionem Homer.quidã,saltem unicã Germanã gentẽ,Gotthicã scilicet suo uendicare ingenio,quę toties Romã,nõ Asiæ,uerùm totius orbis caput,gentiũ omnium calcatricẽ,armis occupauit,ac nõ semel solo æquauit, q̃ industriæ suæ Græcos τοὺς εὐπλοκάμους.i.bene comatos,ac Vlyssem astutũ, tot carminibus mirari,ac ultra cœli sedes efferre,honoresq; præter mortales renumerare, quẽadmodũ Homer.& alij qui ἀπαυθαδιάζοντες res hunni serpẽtes famulãte eloquentia ultra rei pensum ac lineã deducunt.Cæterùm ego ἀνθρωπίζων ad illorũ ingenia nimis intẽpestiuus.Cur Germanorũ factis ἀξιοφθεγγοτάτοις debitã dignitatem reddi posse à me sperarẽ, dũ uiderim, aliud remi genus Germanorũ esse q̃ Troianorũ:his Homer.illis uerò nec ante nos Cherilũ contigisse. Nõ tamẽ animi nostri uolũtas deest,licet uiriũ facultas ac explorata imbecillitas,quæ ut nostris nugis,quib. Germ.indigna est,parcã exhortat̃,ita patrię pietas,ut eo impẽsior in ei9 negocio peruigilẽ,admonet, & ne patiar dec9 eius in tenebras abire.

Contra Leonhardum Aretinum,& cæteros qui Germanis Gotthorũ gloriam eripere conabantur. Cap. 1.

NVnc in arenam aduersus plerosqne descendam, quibus nec,ara nec fides unquam erga Germanos affuit, ob innatam eis Germanici nominis inuidiam: quos iniuriarum expostulare nõ dubitabo,dum laudi nostræ semper σκεπτλίζοντες exitium ac inclinationem meditati fuerint. Quos & natura ita finxit, ut nostrum decus iniquè ferentes,semper Germaniæ laudes interuerterent.Hi olim à nomine Germanico Gotthos excluserunt, ut eos satis refellimus ac reuicimus in primo uolumine: ubi quicquid ad huius rei cognitionem conferre uidebatur,studio nõ mediocri prosequebamur.Id quoq; silentio nequaquam nobis remittendum est,Leonhardum Aretinum exitialem patriæ nostræ hostem, dum Procopium cum omni nominis illius auctoris dissimulatione Latinitate donaret, ea quæ penè è uerbo transtulit,suo ingenio,dissimulato auctoris nomine, *Contra Aretinum.*

mine arrogauit, ac se ut Procopium Latinũ uendi uoluit. Non fuisset hoc nostræ censuræ opus, nec nostra interfuisset, nihilq; superfuisset, quod reprehensione nostra indigeret, si Procopium saltem fideliter Latinitati restituisset, nec silẽtio ea quæ in ære Germanorum fuerunt, præterijsset. Scripsit Procopius Græcus de Gotthorum rebus gestis uolumina quatuor, Leonhardus uerò Aretinus totidem composuit, & liber libro, materia materiæ respondet, ut de eo & Blondus inquit. Nec ulla in ambobus orationis saltem alicuius commutatio est, quo minus liber idem unus uel ex uno profectus cẽseatur, nisi quòd quæ honestius de Germanis Procopius edidit, ea Leonhardus ẽ Græco non transtulit, cùm tamen cætera curiosa indagine imitatus sit omnia. hoc ideo euenit, nam grauiter passus est quicquam honorificentius de Germanis audiri.

De primis Gotthorum bellis ac diuisione. *Cap.* 2.

Gotthorum diuisio. VErùm ut ad rem, unde digressus sum, redeam, Gotthorum illustrissimę scilicet gentis egregia facinora, ac Romam toties ui armisq; occupatam, ad uires indicabo. Memorantur Gotthi olim in quatuor partes diuisi: quidam Ostrogotthi, alij Visogotthi seu Hypogotthi, Vandali ac Gepidæ, ex quibus Longobardi, & horum optimi Turcilingi processerunt: pariter ac Auares, Hunni, Alani, Slaui, Antes, Astringi, Teiphali, Scyri, Chaibi, Rugi, à nullis alijs originem traxerunt. Fuerunt enim multi gentium illarum, ut Iornandes ac Vuarnefridus inquiunt, nomine tantùm discreti, cæterùm una gens: de singulorum itaque strategematibus acturus sum: & primò de Gotthis, qui temporibus antiquissimis antequam Romani imperij fama ac titulus increbuisset, hostibus carentes, sibijpsis bella intulerunt, ac à Scandia insula & patria, primò ad Vlmerugos castra mouerunt. Propulsatis inde ciuibus, eorum terram, rege Bericho, occupauerunt. Inde ad Scythiam Ouim dictam profecti sunt duce Filmero, referente Iornande. Inde ad gentem Spalorum, auctore Ablauio, resederunt, quibus deuictis Gotthi sese diuiserunt: alij totam Aegyptum subegerũt, cuius rei & Herodotus Halicarnassæus meminit: alij Orientem duce Amalo, alij Occidentem Vualtho duce concesserunt. Ex illis ad Orientem delatis, Scythis fugatis, reliqui Scytharum reges emerserunt. Rex eorum Vexoris Betorici regi Aegyptiorum bella intulit ac uicit, ut Iornandes, Iustinus, & Trogus in primo, Bonifacius Symoneta, ac alij describunt. Successit huic Tomiris regina, quæ Xerxem bello egerat. Philippus inde rex Macedonum Gotthilam, à qua Gotthi sunt, Scythiæ regis filiam, matrimonio sibi copulabat. Alexander inde eos bello sollicitabat, uerùm expertis eorũ uiribus, pacem cum ipsis composuit, ut est apud Strabonem libro septimo, Arrianum in primo, & Ottonem Frisingensem, licet Q. Curtius discrepet paululum ab aliorum sententia. Darius enim rebus Persarum potitus, Antriregiri Scythiæ regis filiam matrimonio sibi addixit. Hucusque Gotthi Scythæ dicti sunt, ut eos manifestẽ Dion, Scholasticus Smyrnæus, Agathias, Iornandes, & alij uocant, non quòd à Scythis uenerint, ut Italis quibusdam persuasum est, uerùm quia expulsis Scythis, eorum potiti fuerint imperio, aut potius Scythæ ab ipsis originem sumpserint. Nam Trebellius Pollio Scythas Gotthorum partem fuisse dixit. Aliam Gotthorum turbam aggrediar, quæ Occidentem inuasit. Hi populata Græcia se in Asiam contulerunt, Troianis auxilio uenerunt. Eorum reges, ut Dion Græcus scribit, referuntur, Euripilius ac Thelephus, qui Cassandram occidit, ac ab Achille telis destituebatur.

Prima Gotthorum bella.

De Gotthorum gestis contra Augustum Cæsarem. *Cap.* 3.

Gotthorum gesta contra Augustum. INde Augusti temporibus Byrebistas Getarum rex floruit. Aelius Cato tũc ex Transistrana regione, quinquaginta Getarum millia in Thraciam habitatura

tura deuexerat: rex autem eorum eos nunc exercitatione corporum, nunc sobrietate ac edicto ita rexit, ut latum adeptus fuerit imperium, subiecitque finitimos plurimos audacter. Traiecto Istro, Thraciã, Macedoniam ac Illyricum depopulatus est, Romanisque magnum terrorem incusserat. De Gallis finitimis, Thracibus ac Illyricis prædas ingentes reportauit. Boios etiam subditos Critasius populos funditus deleuit, similiter & Tauriscos. Augustus igitur coactus, contra eum quinquaginta millia exercituum misit. Hæc Strabo libro septimo Geographiæ.

De Dromachetis strategematibus contra Lisymachum. Cap. 4.

FVit & penè eodem tempore Dromachetes rex Gotthorum, qui Lisymachum regem secum in Istro occurrentem intercepit, ut Campanus in oratione Ratisponensi, Strabo libro septimo, Plutarchus in lib. τῶν ἀποφθεγμάτων asserunt, cuius uerba libr. quarto, capite de Libertate apposuimus. Et idem Plutarchus in uita Demetrij idem infit, cuius uerba sunt: Trux Barbarorum dux Dromachetes, qui paulò antè Lisymachum captum tanta liberalitate dimiserat. Hunc Dromachetem Thraciæ regem Orosius libro tertio nominat, & historiam recenset. Similiter Liuius, Eutropius, Eusebius, & alij. Strabo tamen ac Iornandes Getam dicunt, quod & ueritati proximius est. Ideo autem præstantissimi illi Thracem eum fecerunt, dum Getæ penè semper Thraciam subdiderint. Aiunt & adhuc locum in Thracijs nomine Lisymachiam, ab illa pugna nominatum, cuius meminêre Plinius libro quarto, capite nat. Hist. Stephanus Byzantius & Ptolemæus.

Dromachetes contra Lisymachum.

De Gotthorum gestis contra Macedones. Cap. 5.

GOtthi multa bella aduersus Macedones compleuerunt: Sopyrionem enim Magni Alexandri legatum, cum 30 millibus armatorum deleuerunt, ac Philippum regem paulò antè domuerunt, ut ait Iustinus libro uigesimooctauo, & Scythas nominat. Iornandes tamen & alij id Gotthis adscripserunt, quos antiquitas Scytharum nomine comprehenderat. Alexander Magnus pacem cum Getis non respuit, nec Getæ cum ipso pacem excluserunt, referentibus Strabone, Arriano, Ptolemæo Lagi, Campano. Iustinus tamen feliciter uictos Getas ab Alexandro perhibet, cui alioqui nemo subscribit: potes & uidere Plutarchum in libro περὶ τῆς τοῦ ἀλεξάνδρου τύχης, quæ fortuna Alexandro in cæteris arriserit.

Gotthi contra Macedones.

De bello Luculli ac Augusti, Domitiani, Agrippæ contra Gotthos, ac aliorum. Cap. 6.

BLondus scriptor diligens in primo de Inclinatione imperij Romani uolumine, à Lucullo etiam Gotthos uictos ostendit, cuius rei tamen nec Methodius nec Iornandes meminerunt. Inde Istrum transire uolentes Gotthi, ab Agrippa remorati sunt, ut scribit Agathias: conuenit & Methodius. Augusti temporibus omnes prouincias imperio subditas Gotthi uastauerunt. Sunt de illo uersiculi Ouidij, qui eo tempore penes Getas egerat: ita enim infit libro primo de Ponto:

Augusti ac Domitiani bellum contra Gotthos.

Maxima pars hominum nec te pulcherrima curat
Roma, nec Ausonij militis arma timet.
Dant illis animos arcus, plenæque pharetræ.
Quodque sequens nullas hostis habebat opes.

Multas prætereà urbes ac regiones eo tempore Romanis Getæ detraxerũt, quod ibidem Ouidius his carminibus ostendit:

Stat uetus urbs ripæ uicina binominis Istri,
Mœnibus & positu uix adeunda loco.
Caspius Egypsus, de se si creditur ipsis,
Condidit, & proprio nomine dixit opus.
Hanc ferus Odrysus inopino Marte peremptis
Cepit, & in regem sustulit arma Getes.

Domitiani tẽporibus maximas strages undiq; in Romano imperio edebant Getæ. Blondus ait ob numerum interemptorum Romanorum Cornelium Tacitum conticuisse historiam. Inde Bassianus & Caracalla grauissimis damnis Getis conflixerunt, referentibus Flauio ac Methodio.

De Gotthorum bellis contra Philippum, Gordianum, Posthumum. Cap. 7.

Gotthi contra Imperatores. TErtia Gotthorum pars in insula Vlmerugorum hucusq; remansit, cæteris Gotthis coniuncta, inde Pannoniam, referente Methodio, occupauit. Tunc Sitalcus eorum dux centum ac quinquaginta uirorum millibus Atheniensibus conflixit, in quo prælio de Romanorum potentia expertus, cum ipsis fœdera iniuit. Inde ad Domitiana tempora, qui primus Ianum rupit, Pompeio ac Agrippa ducibus, Gotthi ambobus profligatis agminibus, capitibus eos tulerunt, Iornande auctore. Inde diuidebantur Gotthi, una pars Mœsiã ac Thraciam intendit, ex quorũ progenie paterna linea Maximinus processit, Symmacho Græco Historico Iulio Capitolino ac Iornande testibus. Reliqua pars contra Philippum Cæsarem Romanum egit. Argumentum huius discordiæ erat, quia sub ære Philippi Gotthi olim militauerunt, hic uerò denegato eis stipendio ac intercluso, eorum sentit bellum, quod gestum erat ductu Decij senatoris. Defecit in eo prælio pater Decius ac filius, adiunctis triginta millibus occisorum. Gotthi igitur Mœsiam occupauerunt. Ostendit hoc ara in Mœsia filio Decio dedicata. Meminerũt huius belli Sabellicus, Blõdus, Iornandes, Orosius, Gotfridus, atq; alij: copiosissimè tamen Pomponius Lætus, qui cum patre filium sponte precipitatos ostendit, ut ueterum Deciorum exemplum imitati, se pro futura uictoria deuouerent. Eusebius ac Sabellicus libro septimo Enneseptimę illos simul perijsse dicunt: inde Gordianus Cæsar Imperio potitus est, cuius ætate Gotthi Pontum, Asiam, Macedoniam ac Græciam populati sunt, ut Blondus, Eusebius, Eutropius, Sabellicus indicant. Trebellius Pollio rem diffusius enarrat, ac diuersus ab Eusebio abit. Macrinum enim ait Imperatoris filium tunc occisum. Successit Galieno Posthumus, quo tẽpore Gotthi Thracia occupata, Macedoniam populati sunt: Thessalonia nonnihil oppugnata, per Asiam inde euagati, ut Trebellius ait, Dianæ Ephesiæ templum oppugnauerunt. Byzantium tunc, referentibus Trebellio, Sabellico & Blondo, cæteris colonijs æquatum est, adeo prædijs exhaustum uidebatur. Gotthi etiam Euxino occultè enauigato, Istri ostia ingressi, accolas inopinato accessu perculsos, uarijs cladibus affecerunt, donec Cleochanus ac Athenæus Byzantiæ præsides, uicti tamen, Barbaros compescuerunt. Occisus est Venerianus prefectus, unde Gotthi elati, Cyzycenam inuaserunt, Asiam ac totam Græciam occupauerunt. Hæc Deusippus Grecus auctor, illius tempestatis scriptor, latè exequitur, ac Epyrum, Hæmoniam simul & Boetiam peruagatos Gotthos ait. Sabellicus ac Blondus ob Germani nominis inuidiam, hæc Scythas perpetrasse scripserunt,

Clades sub Galieno & Philippo.

pserunt, uide Suidam in dictione σκύθαι. Cum tamen eos Scythas Trebellius Pollio in Mariano, totius enarrator historiæ Gotthorum populos fuisse dicat.

De Diocletiano, Maximiano contra Gotthos, ac Mariano, Galieno, usq; ad Valentem Cæsarem. Cap. 8.

Diocletianus inde Cæsar Gunthericum ac Argaicum Gotthorum reges, Iornande referente, habuit hostes. Hi autem castris Romanis exutis, Marcianopolim Mœsiæ urbē ceperunt, Blondo ac Pomponio Læto referentibus. Volusianus inde cum Gotthorum regibus pacem conciliauit, cui successit Galienus, cuius temporibus uniuersa Respub. Romanorum laborabat, afficiebaturq;. Gotthi enim quatuor eorum ducibus Venducone, Thurone ac Varone, Asiam, Hellespontum, Ephesum, Bithyniam, Chalcedoniam uastātes, Anchialem Hœmi montis ciuitatem destruxerūt: Sabellicus, Blondus, & alij obtestantur. Tunc enim Gotthi omnes, ut Pomponius Lætus testatur, conspirauerunt. Probāt hoc Calphurnius Suras scriptor, Iunius Cordus, Deusippus, Arrianus, & alij, qui historias de temporum illorum Cæsaribus descripserunt. Et inter omnes maximè Trebellius Pollio in Mariano, ubi Achaiam, Thraciam, Macedoniam, Thessaliam uastatas scribit, ac in Byzantio tot cædes passim editas fuisse, ut nulla illic antiquior prosapia inueniatur, & nullum, nisi qui peregrinatus fuerit, euasisse. Hæc uidens Maximianus pacem quàm arma magis in Gotthis requirens, primus omnium eos in auxiliares milites precio uocauit. Ferebatur tunc Gotthorū dux Geberius, qui Scythas, Thuidos, Bubengetas, Vasmabrontas, ac Caldas ditioni eius astrinxit, ut memoriæ Iornandes tradidit.

Diocletianus ac Maximianus cōtra Gotthos.

De Claudij contra Gotthos prælijs. Cap. 9.

Imperante Claudio Cæsare desiderata Barbarorum 320 millia, id est Gotthorum fuisse traduntur, qui arma induerunt. Duo enim millia saltem nauiū submersa numerabantur, sicuti literæ ad senatū Claudij apud Trebellium ac Pomponium Lætum significant, ac epistola ad Iunium Bocchum Illyrici præfectū denotat, ubi à Claudio in Thessalonia ac in Dacia & Mysia iuxta Marcianopolim, ac circa Byzantium pugnatum fuisse ostendit, ac Gotthos Cretam simul & Cyprum igne ferroq; deuastasse, Claudium uerò Gotthos deuicisse. Ob tam insignem uictoriam clypeum in curia aureum decreuit senatus Claudio, ac statuam auream in Capitolio ante templum. Ecce quantum munus uictoriæ aduersus Germanos? Verùm hæc Trebellius de Claudio è familia Constantini prognato, adulatione plena omnia scripsit, ut Sabellicus ait: Eutropius etiam tunc 20 Germanorum millia desiderata fuisse asseruit, quod tamen præter Eutropium nullus scriptorum unquam memoriæ protulit, scribente de hoc Sabellico, homine Italo, non Germano, Eutropiū uidelicet fide tunc caruisse. Ecce Eutropij iniuria Germanis illata: executus est officium Germanorum tantū in eo Sabellicus, ac ueritati patrocinatus, Germanos defendit, cæterùm æquè de Germanis malè meritus. Eius tamen purgationem contra Eutropium eo libentius assumimus, quemadmodum ab hoste nominis Germanici, in eo ueritati addicto, cuius testimonio nihil acceptius est, quàm quod ab hoste in hostis defensionem diuulgatur. Suppresserunt itaq; Itali illi Romanorum excidia, ac dum nihil habuerunt de Germanis succumbentibus ueritate testari, finxerunt quæcunque falsissima. Tunc autem temporis si Germani soli, quemadmodum Gotthi, in Romanos fuissent debacchati, Imperium Romanum ultimum diem clausisset, ut refert Trebellius Pollio in Loliano.

Claudius contra Gotthos.

Locus Eutropij.

De Aureliani præmijs, eo quòd Gotthos uicerit, & eius triumpho. Cap. 10.

Dona data Aureliã. ob uictoriam contra Gotthos.

NEc facilè huic assentior, quod uerè omnis scriptorum grex de Aureliani in Gotthos uictoria exclamat, apud Nicopolim uidelicet imperatorem uicisse Gotthos: numerus enim interfectorum ignoratur. Quantum autem Gotthi tunc Romanum imperium affecerint, ac quantum ad gloriam Germanorum ob uictoriam Gotthorum præconij accesserit, ex solis donis ac epistola senatus ad Aurelianũ, referente Flauio Vopisco, poterimus agnoscere. Gratias tibi, inquit, Aureliane senatus agit, ut sese à Getarum potestate subtraxeris: abundamus per te prædijs, abundamus gloria. Accipe igitur pro rebus à te gestis coronas murales quatuor, uallares quinque, nauales duas, puras hastas decem, sellam eburneam: Antonianos etiam aureos 300, Philippeorum argenteorum tria millia, minutorum quinquagies æris, decem lineas Aegyptiacas, uiginti mantelia, Cypria paria, duos tapetes, Afros decem stragula Maura decem, centum sues, totidem oues. Illis itaque donis Circensium ludorum constitit apparatus. Sabellicus quinque Gotthorum millia uno prælio Aurelianum peremisse scribit. Fl. Vopiscus ex sententia Theocliti Greci auctoris, tot Gotthorum ab Aureliano desiderata scribit, trecentos tantùm præsidiarios, ac Sarmatas in Illyrico fusos, ac cum duce Gotthorum Camnabo siue Camnabaudo trans Danubium quinque Gotthorum millia destituta fuisse, ac multos in triumphum actos. ob id restitutor Galliarum, liberator Illyrici nominatus est Aurelianus. Quod planè falsissimum esse quis ignorat, qui Iornandem ac alios uiderit? Adulatur Aureliano Fl. Vopiscus, ut Italorum moris existit, numerum tantum occisorum laudi Aureliani adijcere uoluit, & ipse Vopiscus, in principio de Rerum scriptoribus, profitetur peculiare scriptoribus esse, gloriam imperatoribus de quibus scribunt, occisorum multitudine augere.

De Valente, & quæ eius temporibus à Gotthis contigerint, & eius ab eisdem adustione. Cap. 11.

Visogotthi & Ostrogotthi unde dicti, & eorum diuisio.

GOtthi etiam, Sabellico ac Blondo referentibus, à Constantino uicti sunt: quod Iornandes negat. Id tamẽ persuasissimum habeo, Gotthos circiter 70 annos, percusso cum Romanis fœdere, nihil molitos contra Romanos usque ad Valentis tempora, ubi ab Hunnis expulsi, ad Romani imperij exitium nascebantur. Valens olim eos in fœdera accepit, nec armis ademptis, ut commodius in officio suo eos contineret. Tunc temporis sese Visogotthi ac Ostrogotthi diuidebant. Qui enim magis occidui erant, Visogotthi, & qui orienti soli propinquiores, dicebantur Ostrogotthi. Ablauius scriptor à patria eos ita dictos asserit. Diaconus tamen supra Eutropium ait illos qui Fridigernum sequebantur, Visogotthos, Atalaricum uerò Ostrogotthos dictos: secundò enim inter se dissidebant. Fridigernus auxilium à Valente contra Atalaricum postulans, superior euasit, ut ait Socrates libro octauo, capite decimoquarto. Valens quoque Thraciam ei ad inhabitandam concessit, ideo ob peruersam Valentis fidem Gotthi in Arrianos euaserunt. Vualfilas Gotthorum sacerdos tũc temporis, ut ait Theodericus, in peruersa fide eos informabat. Multa illic scriptorum discordia est. Sabellicus libro nono Enne. septimæ, Visogotthos ab Hunnis pulsos fuisse, ac Valentem ad occupandam Mœsiam interpellasse refert: eiusdem sententiæ Orosius assertor est. Vrspergensis scriptor uerò ac Iornandes Thraciam, Mœsiam ac Daciam à Valente petijsse dicunt, & in oblata Thracia illic consedisse. Socrates Historicus idem testatur. Methodius tamen

ui ac armis Thraciam Gotthos inuasisse ait, & imperatorem metus gratia, ne hostiliter posthac in Romanum imperium deseuirent, Thraciam ultrò eis obiecisse, quem & inuitum asserit. Valens itaque Lupicinum ac Maximum duces Gotthis addidit, quorum ductu melioribus potirentur. Nec in eo scriptores conueniunt, quomodo inimicitiæ ac simultates inter Visogotthos ac Valentem Cæsarem fuerint obortæ. At fatis imperij Romani exitum trahentibus, Lupicinus ac Maximus, quem tamen Iornandes Lupitium uocauit, grauiter Gotthis moderantes, ac tyrannidem exercentes, fame Gotthos afflixerunt, Vrspergense ac Sabellico referentibus: alij tamen Fridigerno Gotthorum regi insidiatum Lupicinum asserunt, ac ueneno ipsum ab eodem petitū fuisse, alij inopina Gotthos ad arma redactos scribunt. Rupto igitur tumultu, Gotthi duce Fridigerno, Romanos in armis obuios aggresi sunt, solutos fuderunt, fusos partim in fugam uerterunt, partim morte excruciauerunt. Valens sagitta petitus, ac ægritudine aduersa correptus, in casam quandam comportatus, suppositio ab inualescentibus Gotthis igne combustus est. Iornandes id ignoranter à Gotthis perpetratum ait: Theodericus tamen episcopus apud Bosphorum prius Gotthos cum Valente conflixisse refert, & parto bello, ut Socrates dicit, libro 8, cap. 15. 33 die Maij mensis, sexto consulatus eius anno, usque ad Constantinopolim Barbaros expeditionē submouisse. Inde ad Adrianopolim Romanos actos trucidasse Gotthos, imperatorem in casam deportatum, igne consumpsisse. Fuit autem Valenti exitus in anno altero & octogesimo supra trecentesimum Salutis annum, qui millesimus fuit Romanæ urbis, tertiusq; ac trigesimus, à mundo condito, octogesimus supra quingentesimum ac quinquies millesimum, annus uerò Valentis imperij quartus decimus agebatur. Theodericus Græcus nona die mensis Augusti, Olympiadis 289, imperatorem ē uita excessisse arbitratur. Sozomenus historicus meritò id Valenti scribit ob peruersam fidem contigisse, ac ab Eudoxo quodam, nisi fœdus cum Gotthis iniuerit, mortem hanc sibi fuisse prædictam.

Dissidium inter Rom. & Gotthos.

Valens uictus & combustus.

De obsidione urbis Constantinopolitanæ à Gotthis, Valentiniano ac Theodosio, & eorum pace cum Gotthis percussa. Cap. 12.

VAlente concremato Gotthi sese urbi Constantinopoli obuios obtulerunt, & urbem grauissima obsessione presserunt. Dominica uerò Valentis uxor militibus commeatum distribuit, unde hæc sola urbi tunc saluti fuerat, Blondo, Sabellico, & cæteris auctoribus. Socrates tamen uiuente adhuc Valente, à Gotthis obsessam refert Constantinopolim, nisi fortè bis à Gotthis impugnata sit. Cætera autem in Mysia ac Thracia à Gotthis illa tempestate perpetrata, Platina in Syricio, Hieronymus in Eusebio, ac Prosper in suis recessis copiosissimè monstrauerunt. Licet à se inuicem maximè in diuersum abeant: plus tamen Hieronymo concedo, qui alumnus tempestatis illius extitit, quæ omnia hæc contigerunt. Post Valentem summa rerum Valentinianus potitus est, ac Romanā necessitatem cum Theodosio contra Gotthos tutabantur. Nobilitabatur eodem tempore Atalaricus Gotthorum rex, qui icto cum Græcis fœdere, Constantinopolim concessit, quod non tam bonum quàm necessarium fuerat. Actum enim de imperio fuisset, si tunc ullam simultatem Gotthus commouisset. Barbarus ille principem Romanum admiratus, ac eius circa eum officia, non dubium est, aiebat, imperatorem terrenum esse Deū, cui si quis intenderit, cōfestim sui sceleris luat pœnas necesse est. Defuncti Barbari funus ipse Theodosius subsequutus mira beneuolentia sibi Gotthos deuinxit.

Cōstantinopolis obsidetur.

Imperatoris et Barbari beneuolentia.

De motibus iterum ortis à Gotthis, Honorij ac Arcadij temporibus, perfidia Stiliconis ac Ruffini, ac de Claudiani intoleranda adulatione. Cap. 13.

Ruffini & Stiliconis perfidia.

REbus compositis ac in summa pace consistentibus, Ianum duorum perfidissimi mortales ruperunt, ac nefario consilio struxerant necem Imperatoribus spe consequendi Imperij. Ruffinus Arcadij tutelę ac patrocinio, Stilico honori præficiebatur, oues innocentes lupis rapacissimis committebantur. Ruffinus Hunnos in Romanum Imperium, Stilico Gotthos inuitauit, ac Vandalos ad inuadendam Galliam excitabat. Nec caruit exitu res utraq;, nisi quòd detecto Ruffini flagitio, Ruffinus morte ab Honorio pœna iustissima petitus est. Stilico uerò regni affectationē nomine belli dissimulans, uitæ Honorij insidiabatur. Gotthi tunc post regem Atalaricum annos uigintiquinque ductore carentes, Imperatore Rom. sub quo æra meruerunt contenti, è Thracia demum soluentes, Visogotthi Alaricum regem ex Balthorum familia constituunt. Iunxit se Alarico Radagasus rex, quo terribilior non alter erat, Orosio, Claudiano, Eutropio, ac Blondo testantibus. Ablauius hunc inopinato exercitu 200 millium hominum apparuisse scribit ac conflixisse. Quibus fretus Alaricus, Thraciam, Pānoniam, Illyricum ac Noricum ferro igniq; depopulabatur, omnia tunc direpta, cædes omni sexui ac ætati passim edebatur, ut Platina in Innocentio testatur. Radagasus perditas res molitus, interficitur, tanta uis hominū capta est, ut seruorū greges, uno aureo licitarētur: interim Stilico incautos hostes, ut Iornandes ait, aggressus est. Veniebat aūt ex Hispania Alaricus, quā triginta annis cum Gotthis possedit, referente Claudiano in eius persona:

Italiæ destructio ab Alarico.

Si numero non fallor ait, tricesima currit
Bruma, ferè rapidum postquam tranauimus Istrum,
Romanamq; manum tantus illudimus annis.

Blondus in libro de Inclinatione Imperij Romani, Rauēnam, Candianum, Aquilegiam, Ferrariam, ac totam Italiam Gotthos tunc diripuisse scribit, & ex Hieronymo, de obitu Marcellinæ, plura adducit. Additq; Orosium conticuisse cladem illam maximam, ne attenuaret Imperium Romanum. Cętera Sabellicus & Otto Frisingensis libro quarto.

De Alarico & urbis Romæ populatione. Cap. 14.

CLaudianum perfidum imitatus Sabellicus ait, non procul à Polentia fuisse Stiliconem Gotthos aggressum, & numero pauciori uictoriæ compotem euasisse, cæteros fame ac ferro delere potuisse, nisi ex industria bellum trahere uoluisset. Cognitis itaq; eius insidijs, Honorius Alarico Galliam à Sueuis, Alanis ac Burgundionibus occupatam, concessit: ictoq; cum Alarico fœdere, Italia excessurum putabat Alaricum, quod & factum est ex sententia, Stilico autem inuadendi Imperij spectans occasionem, subita ui Gotthos aggreditur. Illi relicta Gallia, Italiam repetiuerunt, Lucaniā, Siciliam, Apuliam, Neapolim, Campaniam, Brutios incesserunt. Romam gentium dominam, rapinis, incendijs, prędisq; onustam prostrauerūt. Capta est urbs die Aprilis, Salutis humanæ sæculo, quo annus duodecimus ac quadringentesimus, & ab eius exordio millesimus centesimusquartus ac sexagesimus agebatur. Meminerunt huius capturæ Hieronymus, Augustinus, Sabellicus, Blōdus, Scholasticus Smyrnæus Græcus, & alij. Hæc facta memoriæ digna Stilico perpetrauit, quare non miror, si à Claudiano illo ad adulandum nato adeò extollitur. Meruit hic adoream Romanorum ducum longè maximam, si nobis cum perfidia res erit.

Roma capitur ab Alarico.

Decreto

Decreto itaque & ex industria Claudianus ubique de eo fabulatur. Cæterùm Roma spoliata, Placidia filia Theodosij Imperatoris captiua abducta est, & in uxorē ab Aistulpho Alarici filio assumpta. Capta deniq; urbe, Aistulphus Romam Gotthicam nuncupare decreuit: ac Romanos Gotthos dixisset, nisi à Pladia uxore monitus ab incepto destitisset. Hæc prima urbis ruina, quæ penè linguam ac nomen cum re secum traxisset. Illud etiam addere uolui, etsi Stilico uicit Gotthos, hoc tamen non nisi Germanorum auxilio eum fecisse constat liquidò. Verba Claudiani sunt:

Accurrit uicina manus, quam Rhætia nuper
Vandalicis, auctam spolijs defensa probauit:
Venit & extremis legio pertenta Britannis.
Inde truces flauo comitantur uertice Galli,
Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

De Ostrogotthis & Hunnis, eorumq; ab Hunnis subactione, & Attilæ stra tegematibus contra Romanos & Germanos. Cap. 15.

Expeditis, quãtum operis ratio permiserat, Visogotthis, ad Ostrogotthos transeundum nobis erit. Temporibus Valentis Visogotthi sese ab Ostrogotthis seiunxerunt, ac ambo ab Hunnis repulsam patiebant. Visogotthi præterea Hunnorum metu à Valente, ut diximus, Thraciam ac Mysiam impetrauerunt. Ostrogotthi uerò Hunnis bello respondere statuerunt, ac armis eorum incursiones propulsare tentantes, ut Iornandes ait, à rege Hunnorum Vinitharo ipsorum Imperio cesserunt. Inde Attila rebus potitus, Herulorum, Gepidarum, Alanorum, Turcilingorum regibus in commilitium assumptis, in Galliã continuò impetum mouit. Inde mortuo Valentiniano & à fatis erepto Theodosio iuniore, Martianus successit, cuius temporibus, ut Diaconus in Eutropij supplementis testatur, Attila bello infremuit, qui ad quingenta millia exercitus conflauit: Burgundiones item, Franci ac Saxones auxilium Attilæ pollicebantur. Attila dolorem agens, Aetio patricio scripserat, rem sibi aduersus Gotthos esse: & contrà Gotthis, in Aetium Romanum se arma moturum. Detecta eius perfidia ac dolo, Theodericus se Aetio coniunxit: pugnatum est, ad 180 millia hominum desiderata fuisse Sabellicus Enneadis octauæ lib. 1 memoriæ cõmendauit. Attila uictus tandem discessit, Theodericus occisus est. Attila inde Dalmatiæ insidiabatur, Mysiam, Thraciam, Macedoniam ferro igniq; populatus, ac anno Salutis 449 Italiam ingressus, Brixiam, Mantuam, Cremonam, Bergomum, pari clade affecit. Inde ad Aquilegiã manus uerterat, 37000 hominum, Cælio autore destituit. Romæ iam proximus insultabat: actum de Roma esset, nisi Leo pontifex obuiam Attilæ processisset. Et hæc secunda Romanæ urbis gẽtium dominæ à Germanis occupatio: potuit planè ad præsens decus, nil pulchrius ad posteros aut memorabilius in tãta rerum gestarũ gloria excurrere ac Germanis contigisse, nisi tunc ante pedes, illos qui olim totius orbis domini, supplices iacuerunt, habuisse. Suidas in dictione κέγκιος ait, Bledã ac Attilam Huunorum reges Thraciã inuasisse: & Aetij patricij, Asparis & omnium ducum illorũ ibidem meminit. Totam quoq; Attilæ historiã præter Sabel. Blondũ & alios, Otto Frising. lib. 4, cap. 26 latissimè prosequitur, usq; ad caput 39. Cælius quoq; Donatus singulari uolumine res Attilæ compleuit: nec loco illo prætereundus nobis est Suidas, in dictione ἀρδαβούριος, qui Ardaburium Asparis filium tunc temporis generosum uirum Barbaros (intelligit Visogotthos) in Thraciã irruentes cõpescuisse ac expulisse scribit, ob quod uictoriali

Ostrogotthi Hunnis subijciuntur.

Attila contra Visogotthos.

riali præmio à Martiano Cæſare donatus, ac Orientalis exercitus dux conſtitutus, tribunitiam poteſtatem conſecutus, θηλυδριώδης μάανδρος, reliquum uitæ ad ocium ac deſidiā contulit, leuibusq; hominibus conuerſatus, à patre Aſpare honore ſuo abdicatus eſt, & in eius locum Leo pręordinatus. Hæc Suidas.

De Gotthorū contra Francorū reges ſtrategematibus. *Cap.* 16.

Franci contra Gotthos.

GOtthi cum regibus Franciæ ſemper bella habuerunt cruenta: nam Gotthi Hiſpaniam traijcientes pulſi à Francis, iterum regrediebantur. Temporibus Marcelli, duce Meroueo irruentes, plurimas Galliæ ciuitates intercęperunt. Marcellus duce Luiprando cum ipſis conflixit. Iiſdem temporibus & Abdiramus Francorum rex Gotthos ſolicitauit. Hæc Gaguinus libro tertio. & hæc ante Attilæ in Italiam aduentum, poſt Attilam uerò, pax penè ſemper interceſsit inter Gotthos & Francos, ut apud Procopium, Ablauium, & cæteros habemus.

De Attilæ poſterioribus, & Odoacro, & eorum in urbem profectione. *Cap.* 17.

ATtila iam è uiuis diſcedente, filij eius res Hunnorum adminiſtrauerunt, uerùm ſummo infortunio. Traxit enim ruinam ſecum Hunnorū ſola Attilæ mors, & ut nil ſtabile eſt conditione rerum mortalium, Attila ſuffocato regnum totum in perniciem inclinauerat. Omnes igitur qui prius Attilæ ſeſe penitus dediderant, nunc fortuna in tranſuerſum nutante, ab eius progenie deſciuerunt. Filios itaq; Attilæ Oſtrogotthi è Pannonia ac Mœſia propulſantes, Illyricum uaſtabant, à Leone pactis conditionibus terras armis occupatas impetrauerunt, dato eis in obſidem Theoderico rege poſtea Italiæ. Interim Roma in paucis annis tot Imperatoribus premebatur, uenit Richimerus, Baſiliſcus, Anthemius, Zeno, Marcus, Leontes, Olybrius, Glicerius, Oreſtes, ac filius eius Auguſtulus. Quo pacto autem ij rebus Romanis potiti fuerunt, Blondus, Sabellicus lib. 2 Enne. 8. Pompon. Lætus, Ioannes Monachus ad unguem executi ſunt. Ego qui Germanicæ hiſtoriæ addictus ſum, quæ ad operis huius neceſsitatem requiruntur, cæteris prętermiſsis eo attentius quo alia remiſsius inueſtigabo. Præſidēte Romanis Auguſtulo, Odoacer Rugorum rex, adiunctis filijs Attilæ, uictus ab Oſtrogotthis ac expulſus, præcipiti ductu ſeſe Italiæ iniecit, Taruiſinos ac Vicetinos ac Brixiam depopulatus, Ticinum uiribus cepit. Scribit Sabellicus tunc uno in loco cruoris Romanorū tantùm hauſtum eſſe, quantum non alibi, ex quo Romano Imperio cœpit inclinatio. Cætera Otto Friſingenſis lib. 4, cap. 31. Oreſtes ſimul ac Auguſtulus Imperatores Romani miſerè occiſi, diem clauſerunt, cæteris exemplum præſtiterunt, ne quis ſibi Imperatoris nomen facilè arroget.

Oſtrogot. contra Hunnos.

Italia capitur ab Odoacro.

De expulſione Odoacri à Theoderico, & initio belli Iuſtiniani contra Gotthos. *Cap.* 18.

QVis tibi hæc Roma? unde Auguſtorum tuorum nomen uniuerſo orbi uenerabiliſsimum, exitum tam miſerandum, uniuerſo orbi horrendiſsimum, anno Salutis 515 traxit? In duobus fermè annis duodecim Imperatoribus partim occiſis orbata, Imperatoris nomen adeò odioſum feciſti, ut nullus ſibi uendicare id auſus fuerit. Hæc tibi Germanus intulit, hæc Odoacer, quem Germanum libro tertio, ac Rugum diximus. Huius Odoacri terribilitate perculſa eſt tota urbs, & obuia facta honores exquiſitiſsimos ac ultra mortales Germano homini oſtendit, regemque eum ſalutauit. Meruitque iterum Danubius ante ſuos pedes, Romanorum ſenatores pro ſalute orantes aſpicere, & in

& in potestatem suam terrestres dæmones redegisse. Et quod nulli unquam contigit, processit Odoacer contra Feletum, relicta Roma. Vrbem inde uictoriæ compos, iterum ingressus est tam ociose, quàm nullus è Romanorum imperatoribus honestissima functus uictoria. Id honoris Odoacri Theodericus Ostrogotthorum rex iniquo ferens animo, à Zenone inductus est, ad expellendum Odoacrum ab Italia. Theodericus ad Padum hunc sibi occurrentem grauissimo prælio uictum contudit: ter pugnatum est, uictus Odoacer, Rauennam profugit, trium annorum spacio obsessus, æquis conditionibus se dedidit. Inde dolo Theoderici Odoacer occisus est: Theodericus itaq; omni potiebatur Italia. Ecce iterum Italia Germanis cessit. Hic Theodericus, ut Procopius Græcus innuit, Italiã ædificauit, ac ut eam tenere posset, affinitatem multorum conflauit, sed tantum 38 annis Italiæ potitus, perijt, ac Italiæ quietem morte tantùm sua dissoluit. Iustinianus enim Cæsar fiducia Belisarij, qui Vandalos ab Africa expulerat, recuperandæ Italiæ intentus, Gotthis Ianum aperuit, præsertim dum à rege timido Italia gubernaretur, ut Procopius, Otto Frisingensis libro quinto Chronicorum, Leonhardus Aretinus, ac plerique alij ostenderunt, maxime Pius Papa in Commentario supra Blondum. *Iustinianus cõtra Gotthos.*

De Iustiniano Cæsare contra Gotthos, & eorum reges Theodatum, Vitigin ac Totilam. Cap. 19.

SCriptores uerò quos in bello illo Iustiniani sumus imitaturi, fuerunt Procopius Græcus, qui libros quatuor de illo tantùm bello felicissimè diuulgauit, Guido Rauennas, Leonhardus Aretinus, Blondus, Platina, Bernardus Iustinianus, ac Sabellicus Enne. octaua. Copiosius tamen omnibus de hoc bello Scholasticus Smyrnæus post Procopium librum τὸμ καισαρεία reliquit, in quo omnia per Belisarium & Narsetem bella effusè tradidit, Silentiano ac Tribuniciano Macedonio consulibus: cuius meminit etiam Suidas. Belisarius primus è Sicilia Gotthos expulit, Theodatum fugauit Gotthorum regem. Neapolis à Belisario recuperatur. Mortuo Theodato, Vitigis Gotthorum res tutatus est, cuius tempore tota Italia ac Gallia Germani potiebantur. Franci enim usq; ad Alpes intenderunt, & in ditionem eorum omnia citra, ultra uerò alpes Ostrogotthi, redegerunt. Belisarius Italiam ingressus, ultrò Romæ interceptus est. Gotthi autem pontem à Belisario instructum eiecerunt, pugna instauratur, Romanorum optimus quisque concidit, Romani fuga salutem sibi quæsiuerunt. Gotthi eos usque ad portam Pincianam prosecuti sunt, tota die pugnatum est. Referunt tunc primas belli partes in Vrsidum Gotthum quendam, qui Romanis multis adeò uiribus ac uirtute præstiterit. Romani rebus afflictis in tutum sese receperunt. Gotthi Romam grauissima obsidione cinxerũt denuo, ac Romanorum plus ducenta millia obsidum necauerunt. Fit iterum conflictus, optimi ac ueterani Romanorum milites ceciderunt. Demum fame urbs ita angustata est, ut mulieres ac pueri, senes ac alij Neapolim abducerentur. Hæc ex primo Procopij ac Aretini libro. Gotthi inde Comum ac Ariminum igne consumpserunt, ac Ioannem ducem ad famem compulerunt. Mediolanum miserè ceperunt & deleuerunt, ita ut Procopius refert, multi mortales utriusque sexus desiderati, ac urbs penitus exhausta, ferro consumpta fuerit. Dacius Antistes ac Vuarnefridus, licet de urbe Mediolanensi clades scripserint, illius tamen calamitatis non meminerunt. Atalaricus inde rex Salinam portam Romæ penitus diruit, Beneuentum, Cumam, Lucaniam, Calabriam, Apuliam, in eorum ditionem redegerunt Gotthi rege Totila, qui & omnes Demetrij naues urbis fami subuenientes destituit, ac Maximini naues Hunnorum præsidio defensas in ditionem redegit, Neapolim cepit, Auximũ, Ariminum destruxit, Spoletum,

Scriptores belli Gotthici in Italia.

Italia & Mediolanũ à Gotthis diripiuntur.

Asculum recuperauit. Hæc omnia etiam Otto libro quarto, Suidas historijs accommodatissimus auctor, penitus nihil de eorũ gestis scripsit, quamuis Belisarij, Narsetis, Iustiniani, Atalarici, Theoderici, & aliorum meminerit, ut credo, ne imperium Romanum attenuaret, ac Græcorum maiestatem, ita scriptorum iniuria res Germanorum exaruerunt.

De afflictione urbis Romæ à Totila rege, eiusq́ bis ereptione ac captura. Cap. 20.

Inedia Romanorum. NVnc ad Romæ extremam desperationem ac necessitudinem accedo. Interim dum Rauenna, Cesena ac Petra oppidum nunc Bertinorum, à Totila rege ac penè tota Italia fuerat occupata, Totilas Romam grauissima obsidione cinxit. Vrbs uerò tunc fame ultra naturæ conditionem laborabat, adeò, ut radices, mures ac herbas loco cibi assumpserit. Vigilius papa urbis misertus extremæ necessitati consulere uolens, frumentum ciuitati aduexit, quod à Totila rege interceptum erat. Miserunt igitur oratorem Pelagium Romani ad Totilam, qui æquis conditionibus exoraret regem. Rebus infectis, mortalium multi fame perierunt. Interim noctu clàm uia inuenta, Totilas urbem inscendit, manè exorto plateas omnes gladijs strictis ac sanguine obuolutis perlustrat, obuios omnes Romanos penitus deleuit, 20. M. Græcorum, qui præsidio Italiæ urbi interfuerant, ad internecionem occîdit. Tertia quoque murorum pars euersa est, Capitolium igne concrematum, suburbia ferro exhausta, solo æquata sunt. Quirinalis ac Auentinus montes penitus depopulati facibus: ita ferro Roma penitus debellata, ac rapinis acta est. Egressus Roma Totilas, totam urbem reliquit uacuam. O' Roma gentium domina, semper Germanis infesta, quis te afflixit? unde totius orbis parens tanta dispendia sumpsisti? an' ne à Germanis? Cur ergo uirtutem Germanorum ac fortitudinem toties experta, ac solius illorum debitam Germanis belli portionem denegas? Fuerunt ex te historici, qui plus alijs terrarum populis, quæ belli fuerant, quàm Germanis concesserunt, Germanos inuidia, ducti etiam opinione belli exuerunt. Quis te autem toties uacuam reddidit, ac penitus ciuibus euiduauit? Nõ antea Parthi, non Pœnus, nulli licuit penitus Romam discindere ferro, & Germanis id datum est. Reliquis dare salutem consueuisti, à Germanis nec tuam seruare. Ad institutum redeo: Totilas Roma conculcata, Lucanos, Brutios ac Calabros in ditionem redegit, ac ultra ducentos milites Ioanni ductori subiectos occîdit: pauci fuga uitæ cõsulentes, in Rusticanum oppidum sese receperunt. Totilas Rusticano ac Perusia captis, Cyprum atq; Acarnaniam Romanis detraxit. Mox Roma à Belisario instaurata est, Totilas iterum urbe potitur, & hæc secunda urbis inclinatio à Totila trahebatur.

Roma ardet et diripitur à Gothis.

Secunda destructio Romæ.

De exitu belli illius, et expulsione Gotthorum ab Italia, & quorsum Gotthi peruenerint, & eorum fine. Cap. 21.

IAm autem, ut Procopius ait, Gotthi Siciliam omnem ac Italiam possidebãt, Rauenna, Achori, Hidrunto, in hoc exclusis. Iustinianus autem imperij inclinationem iniquo animo ferens, Narsetem eunuchum uniuersis copijs præfecit, qui accitis Longobardorum quinq; millibus, tribus Herulorum, quatuor Gepidarum millibus, Gotthos aggressus est, ac sine intermissione per duos dies præliatum tunc est ab utrisq;. Ostrogotthi demũ uidentes, nihil cum ipsis nisi prælium superesse, Italiæ occupationi renunciauerunt, si cætera, quæ ad eos attinerent, eis transportari liceret, si non, quandiu uegetans in corpore spiritus superesset, pugnis eos esse Romanis responsuros. Impetrato eo quod uoluerũt, ab

ab Italia excesserunt, quis tunc ad eas conditiones assumendas Gotthos redegit? an'ne Græci? an'ne Romani? parum eorum agnosco, dum prius non potuerint, uerùm Longobardi, Heruli, Gepidæ, Germani. Quibuscunq; igitur uictoria constitisset, semper Germanorum fuisset. Nec Belisarius Græcis ac Romanis adiuuantibus unquam Gotthos uicit, cui Hunni, Heruli, semper auxilio uenerunt. Et hæc Procopius Græcus memoriæ tradidit. Aretinus proculdubio Germanorum odio ac Gotthorum, multa quæ uirtuti eorum debentur, remisit, tantùm ruinas Gotthorum descripsit, pleraq; etiam domestica damna occultauit. Procopius etiam qui bello interfuit, nulli dubium, dum partium Iustiniani fuerit, quin pleraq; intermiserit, quæ Græcorum uirtuti obfuerint. Certum est si nullus historiæ maiestatem fictionibus ac delineamentis adhibitis corrupisset, honestiora de Gotthis memoriæ fuissent commendata, quamuis hæc satis sint quæ ab illis uulgabantur. Scripserunt hi tantùm ea, quę negligere nefas toti orbi manifesta fuerant. Si enim Procopius ac tota Græcorum Italorūq; grex cōticuisset, Roma saltē ac tota Italia ueritati uestigijs suis patrocinata fuisset, nec passa facilè hæc ullo tempore obfuscari, quæ generosissima Gotthorum progenies ac Germana post se reliquit, à quibus tantum cruoris Romanorum haustum est. Vix hodie urbs ædificijs reparata est, Methodio ac Vuarnefrido referentibus. Fuit autem bellum hoc Iustiniani usq; ad annum ultimum extremaq; fata protractum, & paulò etiam longius. Nam Gotthi se diuiserunt: una pars se Burgundijs ac Francis addidit, quæ contra Romanos iterum insurrexerunt: alia pars transportatis suis, ad reliquas gentes descenderunt: tertia pars quæ bello superfuerat, ex Ostrogotthis in nomen Italorum abiuit, ut ait Sabellicus Italus lib. 5 Enne. 8. Tam ueneranda Italorum antiquitas, Itali Germanos Barbaros semper ac Gotthos appellare consueuerunt, cum tamen ipsi nihil aliud fuerint ex uerbis Sabellici, quā fex & colluuies ac reliquię Barbarorum, id est Gotthorum, & illorum qui bello superfuerant.

Gotthi expelluntur ab Italia.

Ostrogotthi in quos abierint.

De Visogotthorum exoneratione, & quorsum hi peruenerint, & huius de Gotthis conclusio. Cap. 22.

SAtis nunc ostendimus Ostrogotthorum, ut puto, exonerationem, & in quos eorum nomen transiuerit, ad reliqua me cōferam. Visogotthi alter pars Gotthorum ad Hispanos profecta est, nomenq; Hispanorum assumpsit, & Hispaniæ, pulsis Vandalis, tot annis præfuit, ut exquisitissimè Michael Ricius ostendit. Eorum inde reges, atq; è sanguine eorum descendentes, ad nostra quasi tempora defluxerunt, ac uirtute belli semper Hispanias retinuerūt, postquam Galliam Francis reliquerunt. Hæc de Gotthis utrisq; dicere in animo erat, ut de illis qui Romam ter armis occupauerunt, Lector cordatus conferat an hęc Alexandri Magni, Cyri aut Hannibalis opera fuerint? quibus nec semel urbe potiri datum est. Contigit toties illis Hispania, ter uel quater Gallia, bis Pannonia, ter Mysia, septies Thracia, ac totus demum Oriens. Quomodo autem id sibi uendicauerint, Claudianus poeta Gotthis alioqui infensissimus, tamen ea de eorum uirtute bellica posteritati reliquit:

Gotthorū uirtus.

Irrumpunt Phrygiam, Geticis populatibus uri
Permisere Dij Romam, contemnere sueti
Gentes, sin Hunnus feriat? sin Sarmata portas?
Iam uaga pallentem densis terroribus orbem
Fama quatit, stratas acies, deleta canebant
Agmina, Mæonios fœdari cædibus agros,

Pamphilias,

Pamphilias, Pisidasq; rapi, metuendus ab omni
In Galatas, modo Bithynis incumbere fertur.
Sunt qui per Cilicas rupto descendere Tauro,
Sunt qui correptis ratibus terraq; mariq;
Aduentare ferant.

Et in alio loco:

Ausi Danubium quondam transnare Gothini,
In lyntres fregêre nemus, ubi mille ruebant
Per fluuium.
Nónne uidebantur quamuis adamante rigentes
Turribus inualidis fragiles procumbere muri,
Ferrataq; Getis ultro se pandere portæ?
Nec uallum, densæq; sudes, arcere uolantes
Cornipedum saltus. Iamiam conscendere puppes,
Sardonicos habitare sinus, & in hospita Cypri
Saxa parant.
Inde Lycaonia paulatim expulsus ab arcto
Crine uago Getici fœdauit sidera plaustri.

Et reliqua, quæ poeta ille cæterùm adulantissimus, de Germanis scripsit. Quis autem Visogotthos uicerit hactenus, legi neminem. Videtur Claudianus significare Stilliconem eos uicisse: uerùm omnes Claudiano quos uidi repugnant, nisi Sabellicus, qui huic auscultat. Claudianus etiam Gotthos ita deuictos scribit, ut omnia tuta iam sint, quæ prius quotidianis eorum incursibus patuerunt. Verba eius sunt:

Gallus agit grates, quòd milite tutus inermi,
Et metuens hostile nihil, noua culmina totis
Aedificat ripis, & sæuum gentibus amnem.
Oppida laxatis ausus iam pandere portis,
Rursus cote nouat nigras rubigine falces.
— Quantum te principe possim?
Non longinqua docent, domito quòd Saxone Thetis
Mitior, aut fracto secura Britannia Picto.

Poteris ex illis Claudiani uerbis uidere, quanta Gotthi semper bella in Romanos exercuerint, ut tam rara pax apud eos constiterit, quòd admirationis loco cœperint semel pace eos frui. Nam quãdo saltem à Gotthis & aliis Germanis oculos remotos aliquantulum Romani habuerunt, continuò à Germanis afficiebantur. Claudianus:

— Adueniat, Germania tota feratur,
Pallida translatum iam sentiet Aphrica Rhenum.

De bellis Gotthorrum contra alias gentes, præterquam Romanos aut Romanis subiectos. Cap. 23.

Gotthi contra Vandalos. FVerunt & alia Gotthorum bella, exceptis in hoc Romanis. Antequam enim diuidebantur Gotthi, in Vandalos expeditionem mouerunt, ac duce Geberícho

Geberïcho Visimarum Vandalorum regē profligauerunt. Meminit huius belli Deuxippus Græcus author. Inde Alarico rege contra Herulos profecti sunt, Venetos ac Astrorum regionem incursauerunt, ut Iornandes ait. Theodericus Rhiothinum Britonum regem superauit, ac Burgundiones strauit. Tempore Iustiniani, Germani ac Gotthi Burgundias interceperunt, inde apud Tarcasium montem Alaricum regem Visogotthorum obtruncabant, eiusq; exercitum deleuêre. Postquam autem opibus eius insidiabant, Galliam omnem inter Rhodanum & Oceanum in ditionem assumpserunt. Hæc Procopius lib. secundo, & Scholasticus Smyrnæus libro tertio retulerunt. *Gotthi contra Gallos.*

De Hunnorum bellis aduersus Romanos & Germanos. *Cap.* 24.

ORiginem Hunnorum priscus Historicus à dæmonibus ait deductam, utcunq; Germanos fuisse in primo libro diximus. Hi primitus contra Alanos & Boistos insurgentes, de eis uictoriam retulerunt, ac sola uultus terribilitate uicerunt, ut ait Iornandes. Memorabantur facies eorum nigræ, magis offæ quàm facierum similitudinem referentes, puncta non lumina oculorum loco ferebant, maribus ferro genę secabantur. Claudianus in 1 lib. contra Ruffinum: *Hunni unde et qui sint.*

Est gens extremas Scythiæ uergentis in oras,
Trans gelidum Tanaim, quo non deformius ullum
Arctos alit, tristes habitus, obscœnaq; uisu
Corpora, mens duro nunquam cessura labori.
Pro dapibus uitanda Ceres, fratremq; secare
Ludus, & occisos pulchrumq; uorare parentes.

Hos inde Ostrogotthos uicisse diximus, rege eorum Balambero. Attila inde Gepidas ac penè omnes Germanos in ditionem redegit. Huius præterea cum Theoderico ac Aetio bella prius indicauimus. Mortuo Attila Mysiam ac Thraciam Hunni occupauerunt, expulsi inde ab Ostrogotthis, Pannoniam receperunt. Fugati tamen sunt à Gepidis, unde Iustiniano Cæsari auxilio uenerunt. Iustinianus ut Procopius libro primo ait, Martino ac Valeriano ducibus, Hunnorum sexcentos ac mille contra Ostrogotthos direxit, Italiam posidentes. Reliqua pars Hunnorum cum Slauis & Antaris traiecto Istro Romam insatiabilibus malis affecerunt, ut idem Procopius libro tertio innuit. Inde penitus nomen eorum deletum est, reliquiæ Hunnorum ad locum uenerunt, teutonicè Hundsruck. Sabellicus ac Ricius in Vngarorum nomen eos abijsse referunt, uerùm alia aliorum ratio & opinio est, quos & ego imitatus sum, ut Ottonis Frisingensis libro quarto Chronicorum. *Hunnorum sedes.*

Do Vandalis & eorum bellis, atq; Romanæ urbis populatione. *Cap.* 25.

AD Vandalos stylum conuertam, ob proximitatem quàm cum Gotthis habuerunt. Fuerunt Vandali ueri Gotthi, ab una origine, ut Vuarnefridus ait, deriuati: cum ipsis quoq; sæpissimè conflixerunt. Prima Vandalorum bella contra Geberichum Gotthorum regem Visimar egit. Itaque expulsi Vandali à Danubio, Pannoniam à Constantino impetrauerunt, quam 60 annos seruauerunt. Inde à patricio Stilicone fraudem intendenti imperatori acciti sunt. Fertur & ipse Stilico Vandalus, Sabellico ac Blondo referentibus. Hi ergo mox adiunctis sibi Sueuis ac Alanis Galliam occupauerunt. Superuenerunt inde in Romanos Ostrogotthi, qui ab Honorio Galliam, si Vandalos abigerent, impetrauerunt. Vandali tunc contra Honorium rege Rhadagasio 200 millibus mo- *Vandali unde & eorũ sedes.*

uentes, Galliam occupauerunt, ut ait Pomponius Lætus. Sabellicus uerò trecenta millia similiter & Blondus eorum extitisse dicunt. Vandali igitur expulsi illic à Visogotthis, in Hispaniam uenerunt, & Hispalim Vandalusiam, ab eorum nomine dictam, interceperunt, Galliam anno 44, in eorum ditionem redegerunt. Fugati inde ab Hispania à Gotthis, & metu Gotthorum contra Romanos insurrexerunt. Victi sunt primò à Basilisco imperatore ac Richimero, postquam Venetias ac Istriam inuaserant. Demum hi se in Bithyniam receperunt, quam & circiter annos 30 retinuerũt. Mauritaniam inde ductu Bonifacij transfretauerunt, Bonalicam, Salam, Tamanusidam, Banasam, Tingendam receperunt. Inde Siciliam miserè afflixerunt, nec habuerunt quicquam aduersus eos agere duces Theodosij, ob Hunnicum tumultum. Valentin. inde bellũ in Africa debitis conditionibus cum ipsis composuit, Gensericus uerò aliquandiu in fide permanens, cum Romanis iterum Africam inuasit, Carthagine capta, in Siciliam, Scotiam ac Britanniam transiuit, ubi se retinuerat, quousque Attilæ superbia deferbuerat. Eudoxia inde imperatrix Gensericũ ad capiendam Romam induxit, cui obuiam prodijt Leo pontifex, pro salute urbis intercessit. Ille autem Orthodoxæ fidei infestus, ac Arrianæ hæresis ueneno imbutus, in agenda præda dies quatuordecim consumpsit, omnia sacra promiscua habebat, & ita à Germanis denuo urbs capta est. De illa Genserici uastatione Sidonius Apollinaris: Hinc Vandalus hostis Vrget, & in nostrum numerosa classe quotannis Militat exitium, conuersoq; ordine fati. Successit Genserico Hunericus, inde Guntamundus, Trasimundus, ultimò Hildericus. Quo tempore Iustinianus per Belisarium Vandalos ex Africa eiecit. Fuerũt autem multa Vandalorum cum Gotthis in Hispania prælia, Athaulphus Gotthus tres annos consumpsit, donec eos expelleret. Cætera de Vandalorum rebus Otto Frisingensis libro tertio, capite trigesimoprimo, & capite uigsimooctauo. Vltimò demum expulsi Vandali ab Africa in regionem, ut mihi uidetur, se receperunt, quam adhuc die Vuindischen dicimus.

Vandalorũ populationes.

Roma capitur à Genserico.

De Alanorum, Burgundionum, & Sueuorum strategematibus. Cap. 26.

TRanseo nunc ad Alanos, Burgũdiones ac Sueuos uerissimos origine Gotthos, temporibus ac nominibus saltem discretos: tum, quia expeditiones multas cum Vandalis fecerunt. Nam in Galliam simul ac è Gallia in Africam traiecerunt, ut Vuarnefridus ait. Fuerunt nomina eorum cæteris Barbarorum antiquiora: Cornelius enim Tacitus Burgundionum meminit, à Burgis dictorum, quod castrum apud nos sonat. Alanorum Græci ac Latini uetustissimi recordantur. Contra Alanos Domitianus, Traianus ac imperatores ueterrimi conflixerunt. Valentinianus ab Arbogaste rege Alanorum strangulatus est. Tempore Decij, Alani Constantinopolim ceperunt. Inde cum Vandalorum populis, duce Sangibano, adiunctis Burgundionibus Galliam occupauerunt, rege eorum Breuco, anno 48. Inde in Africam traiecerunt, ac semper cum Vandalis permanserunt. Postea Attilæ se coniunxerunt, contra Visogotthos profecti: post Attilam Mœsiam inferiorem occupauerunt: ab Ostrogotthis expulsi, cum Odoacro rege Rugorum Italiam traiecerunt. Burgundiones uerò quos à Vandalis uenisse Plinius ait, Heduorum, Lingonum, Vesuntiorum & Cabilonensium terras sibi destinauerunt, postquam à Francis expulsi sunt, ut ait Procopius. Inde rebus eorum Gundoaldus potiebatur, cuius frater Chilpericus, cui filia Cothildis, quæ Clodoueo regi Franciæ nupsit, quem & Christianæ legis disciplinis imbuit: post quos & Burgundia in ditionem regum Franciæ deuenit. Verùm nihil ad hunc Bacchum. Nec memoriæ nostræ intercidat grauissima

Alani in Galliam.

Alanorum irruptiones.

fima illa eruptio Alanorum prima, ubi Palestinam Aegyptum, ac Iudæam pene totam subuerterunt, cuius meminerunt Iosephus, libro septimo belli Iudaici, cap. 42. & Egesippus libro quinto, Alanos ἀλκήεντας, id est, fortes dixit. Dionysius, & πολυίππον φῦλον ἀλανῶν, id est, equorum amatores Alani.

De Herulorum Rugorum ac Gepidarum strategematibus contra Longobardos. Cap. 27.

HErulorum ac Rugorum originem è Gotthis profectam libro primo, eruditorum persuasione asseruimus, quorum bella prima contra Longobardos infremuerunt, terrarum eorum occupatores, indicante hoc Ablauio scriptore. Herulorum rex Rudolphus cum Totone Longobardo bellum iniuit, ob occisum fratrem suum à filia eius, à quo & occisus obijt. Felichius etiam Rugorum rex, cõtra Gedeochum Longobardorum regem gessit simultatem. Sic & Chunimundus rex Gepidarum contra Alboinum, quos perperam Sabellicus Chuniadum & Andoinum uocat. euasit uictor Alboinus, & assumpta in uxorem Chunimundi filia Rosimunda, Gepidarum rebus potitus est. Ita demum una gens Longobardi & Gepidi efficiebantur, ut Vuarnefridus, Diaconus, Blondus, Sabellicus, Vrspergensis, & cæteri testantur. Antequam autem subiecti sunt Longobardis Heruli, Iustiniani temporibus Sirmium, & totam Dalmatiam in ditionem eorum receperunt, Romanos captiuos abduxerunt, & progrediendo semper Romanum imperium depopulabantur. Vnde adductus Iustinianus, illis uectigalia denegabat: fuerant enim in eius ære prius. Hæc Procopius libro tertio. Inde duce Charismo, Heruli totam terram inuaserunt, referente eodem Procopio. Mox inter Herulos ac Longobardos bellum exortum est, utraq; gens Iustinianum uocabat in auxilium. Longobardorum preces præualuerunt. Nam Iustinianus eis 10 millia auxiliarium copiarum administrauit. Heruli uerò cum duce eorum Aordo, ac mille quingentis militibus succubuerunt. Hæc Procopius libro tertio. Meminit Herulorum Suidas in dictione σκύθαι, ubi olim à Scythis temporibus Claudij Cæsaris ac Galieni iunioris, eos uictos ostendit.

Heruli à Longobardis uincuntur.

Locus Sabellici.

De Herulorum ac Rugorum strategematibus in Romanos, & eorum fine. Cap. 28.

CAeterùm quæ in Romanum Imperium moliti fuerint Heruli, paucis dabo: placuit tamen prius aliquid de eorum moribus adijcere. Heruli ea credulitate olim ducebantur, ut nefas putarent, plures Deos arbitrari, nec amicũ senescere patiebantur: amico enim persuaserunt mortem, & prius ut mori mallet, eum induxerunt, quàm dolore uitæ reliquum transigere. Senio confectos amicos occiderunt. Fœmina charior cum uiro sibi ipsi desciuerat, quæ uerò uitæ suæ pepercerat, ignominijs notabatur. Olim hi cæteris Barbaris superiores extiterunt: Anastasij enim seculo, dum dux eorum Rudolphus resides eos, nullo belli usu exerceret, effœminati nomen sibi peperit. Semel Longobardos uicerunt, inde spretis eorum legatis, bellum maluerunt. Verùm non caruit pœnitentia bellum hoc: nam adeò à Longobardis frangebantur, ut sedibus ac patriæ renunciatum iuerint. Quare ad Istrum consederunt, ac se Romanis conflandæ pecuniæ gratia obærati addixerunt. Narses inde Iustiniani Eunuchus, comitantibus illis contra Gotthos processit. Facta uerò discordia inter Belisariũ ac Narsetem, Narses à Iustiniano reuocatus est, Heruli pacto cum Gotthis fœdere, ac pecunijs acceptis, quieti discesserunt. Seminata ex illo inter ipsos ac Iustinianũ simultate, Heruli Dalmatiam depopulati circa Sigidonum loca cuncta occupauerunt,

Herulorũ mores.

Herulorum irruptiones.

cupauerunt,illic ad tempus habitantes,Illyricum,Thraciam, ac loca uicina penitus deleuerunt. Hæc omnia ex Procopio Græco autore libro primo, Si autem demum quorſum deuenerint,agnoſcere cupis, Procopius alios poſt illam expeditionem ad Thylem ueniſſe ſcribit,& ad patriam antiquam.Nicolaus autem Marſcalcus homo doctus,ad Mechelburgenſes quoſdam eorum deueniſſe innuit, & duces noſtri ſeculi Mechelburgenſes ab illis deſcendiſſe indicat. Horum etiam bonam partem ſimiliter & Rugorum in Italicum nomen abijſſe ſcio. Secuti enim fuerunt Attilam,quo defuncto,cum rege eorũm Odoacro Italiam in ditionem ceperunt, quos Theodericus partim occîdit,partim in Italia ſiuit indeletos: Odoacrum uerò Rugum eſſe ex ultimis Pannoniæ finibus, Otto Friſingenſis teſtatur libro quarto,capite trigeſimoprimo.

De Antibus,Viuidarijs,Slauis,Venetis,eorum nominibus,ſtrategematibus,& exoneratione. Cap. 29.

DEſcenderunt & à Gotthorum origine Viuidarij, Antes & Slaui,Iornande dicente, ac olim iuxta Viſtulam amnem conſidebant, uno uocabulo ſic dicebantur. Inde uſq; ad Ruminenſem lacum deſcenderunt. An inde pulſi, ſiue non fuerint,nõ habeo. Id tamen certum eſt, trans Iſtrum in ripis proximis eos habitaſſe, ut Procopio libro 1. uidetur & libr. tertio. Ex Valeriani ſcriptoris ſententia, primò Herulis conflixerunt Slaui,ac uicti ſunt. Sicuti etiam Hunni, ita & Antherumq; Slauorumq; gentes, flumine Iſtro traiecto, inſatiabilibus malis Romanos affecerunt. Iuſtinianus quarto imperij ſui anno,Childibum ad tuendum Danubium conſtituit, qui à Slauis occiſus eſt, ac Barbari inde liberi Iſtrum fluuium traiecerunt, ac Romanorum uires concuſſerunt. Hęc Procopius lib. 3. Antheri inde cum Slauis præliati ſunt, & uicti, unde Antheri Thraciam inuaſerunt depopulaturi. Cæterùm una gens cũ Slauis Antheri ſunt, niſi quòd diuerſis ducibus moderabantur. Omnes prolixiori ſtatura, uiribus idem ualuerunt,non candidi,nec rutili,ſed ſubrutili, uitam ut duriorem ita neglectam ducunt. Sacerdotes eorum Sporas uocant,quia priuatim ſinguli habitant. Ruptis ſemel Danubij limitibus in Illyricum traiecerunt Slaui ac in Thraciam, illic imperatorem Asbalum concremauerunt,uſq; ad mare ferro igniq; omnia populabantur. Tunc urbs Thraciæ metropolis,à Byzantio 12 miliaribus diſtans,à Slauis direpta eſt. Quindecim millia Romanorum occiſa feruntur. Primò nulli ætati pepercerunt. Illyricorum Thracumq; terra inſepultis cadaueribus repleta tunc penitus obducebatur. Obuios uerò quoſcunq; habuerunt, non enſe aut conſueto genere armorum necauerunt, ſed palis infigentes, ſumma ui miſeros ſuperpoſuerunt,ſummumq; pali & id pręacutũ, per inferiorem partem, pudendaq́ue trudendo,ac ferrum per uiſcera adigendo,interiora captiuorum excruciauêre. Hæc Procopius. Et addit in alio loco: Slauorum, inquit, ingens uis, ac quanta non aliàs unquam Iſtro fluuio pertranſito apparuit, loca Romanorum circumuagati,Theſſaliam inuaſerũt. Et idem: Slaui ac Antherum gentes, Iuſtini æuo magnis copijs Thracum agrum uaſtauerunt. Germanus patricius Thraciæ tunc præfuit, illoſq; deleuit, unde nomen immortale ſibi peperit. Et idem Procopius: Slaui iterum,ait, Europam malis inſatiabilibus affecere, prædas ubiq; agentes,agros depopulati, circa Adrianopolim quinq; à Conſtantinopoli dierum ſpacio conſtiterunt. Occurrerunt eis Aratius Narazaras & Iuſtinus. Barbari illis deuictis, Aſycum agrum populati, ingenti præda nacta ad muros urbis prouenerunt. Hæc omnia ſuo tantùm tempore à Slauis Germanis, quia Gotthis,Romam perpeſſam eſſe oſtendit Procopius. Poſtquam autem ſatis in Romanos debacchabantur, inde diuiſi, pars Poloniam, alias pars Bohemiam

Slaui in Thraciam.

occupaue-

occupauerunt, ubi & hodie degunt, ut Sabellicus ait, & in horum nomen abierunt. Sunt qui Slauos à Germanico nomine excluserint, ob linguæ eorum diuersitatem: nos Iornandi ac Methodio in hac parte subscripsimus.

De reliquis Germanis à Gotthis descendentibus, & eorum strategematibus. Cap. 30.

FVerunt olim Germani Arborichi dicti, qui finitimi Germanis, Romanis parebant, ait Procopius. Alij tamen & hos Germanos fuisse & cum his con iugia eos iunxisse dicebant, utrosque tunc sectatos fidei Christianæ legem uolunt. Marcomanni etiam Quadi, Sycobates & Bastarnæ cum Antonino Cæsare conflixerunt. Turingi quoque nomen antiquissimum habent: hi Cæsaris Augusti permissu sedes occupauerunt, ac semper finitimas regiones spoliabant, ut ait Procopius. Meminit & horum Eutropius: fuerunt & Taiphilorum, Astringorum, Breucorum, Chaiborum, Vitungorum, Scyrorum, Carporum, Mundulorum, Turcilingorum gentes Germaniæ, quorum Panegyrici meminerũt. Turcilingos autem & Auares è Longobardis exijsse mihi Pyrckaimer grauis auctor ostendit. Auares postea Pannoniam in ditionem acceperunt, post Hunnorum recessum, ut Otto Frisingensis testatur. Inde in Bauariam sese illi exonerauerunt, & addita litera Bauari dicti sunt, ait Sabellicus.

Variæ Germanorum gentes è Gothis.

De Longobardorum strategematibus. Cap. 31.

CAeterùm quoniam Turcilingos ac Auares ex Longobardis processisse diximus, de Longobardorum strategematibus dicere libuit. Longobardos è Scandia profectos fuisse, communis auctorum sententia est, crebrò inde mutati, in Scoringam primitus soluerunt, Vinuli dicti. Inde in Rugorum patriam, postea Istrum, rege Godoocho, inde rege Albuino Pannoniam adepti sunt, qui à Narsete adductus, Italiam adortus est, inclinationis imperij Romani postquam centesimus sextus ac quinquagesimus annus agebatur, ut Platina in Benedicto, ac Blondus uolunt. Breui itaque Cremona, Mantua, Patauio, Cæsarea Rauenna, Venetia, Taruisio, Verona potiti, Arimium in ditionem redegerunt, Iustino Cæsare imperante. Verona etiam imperij caput ipsis cessisset, nisi morte à coniuge illata Albuinus fuisset præuentus. Clephus inde magna Italiæ parte potitus est, cuius posteri successores Neapolim adiecerunt: induciæ continuò pactæ inter Romanos & Longobardos indicebantur. Francos Longobardi enim tunc sollicitauerunt, ac cum ipsis Burgundiones ac Galli penè omnes, Longobardi compotes uictoriæ in fugam hostes uerterunt, inde Ebroduenses penitus populati sunt. Successit Clepho Antaris filius, qui Brixellũ oppidum regno suo adiecit. Inde Agilulphus, qui discordia seminata inter Romanos & Mauricium, urbes obsedit. Longobardorum historiam Vuarnefridus, Otto Frisingensis libro quarto, & Blondus de Inclinatione imperij, & supra Blondum Pius Papa libro octauo professi sunt.

Longobardi unde et eorum expeditio.

De Bulgaris, & eorum populatione in Romanos. Cap. 32.

BVlgari etiam è Scandia uenientes, ad Pomeranicum mare primitus consederunt. Inde egressi tumultuosius, Thraciam adorti sunt, omniaque terrore compleuerant. Conflixit cum illis Constantinus Cęsar, in Pannoniæ ac superioris Mysiæ confinio, infelicissima Græcorum pugna: uictis enim Romanis, uictoria Bulgaris remansit. Inde æquis conditionibus oblatis, Mysia utraque illis concessa est, quam terram iuxta Danubium & hodie gens illa possidet: omniũ etiam potentissima ad infringendos Turcorum conatus à Platina dicitur. Cyrillus

Bulgari unde & eorum irruptio.

rillus illos Christiana fide initiauit, quo nihil tam necesse erat. Hæc ex Blondo, Sabel. lib. 6 Enne. 8, Rheginone, & alijs. Dicebatur rex eorum Christianus primus Terbelis, qui monasticā uitam indutus, filio unico regnum reliquit. Filius autem ille successor, patris religionem aspernatus, in alium cultū Bulgaros uolens traducere, à patre oculis orbatus est. Cætera Blondus libro 1 & 2 de Inclinatione, & Otto libro 4. qui Zenonis tempore Thraciam dicunt Bulgaros uastasse. Suidas in dictione βούλγαροι, olim Bulgaros ait Auarum terram incursasse, & Auares penè omnes ad internecionem deleuisse. Contigit tunc Bulgaris dux nomine Terbelis, tempore Iustiniani Rhinotmetæ. Ipse autem Iustinianus atq; Constantinus Heraclij filius, tributarij eorum extiterunt. Parta autē uictoria de Auaribus, quærebat horum captiuos, quomodo euenisset, ut totus eorum exercitus perijsset? Responderunt captiui, id partim ob mutuas accusationes ac discordias contigisse: tum quia sapientiores ac strenuiores occiderant, fures & maleficos in communitatem iudiciorum asciuerant: tum ob largitiones ac mercaturas, quarum cupidine inuicē dolos struxerunt. Vltimò propter ebrietatem, qua quotidie obruti fuissent. Quibus perceptis, rex omnes Bulgaros conuocabat, ac legē tulit, ut si quis accusetur, continuò perscrutetur, si fur aut nequā repertus fuerit, mox occidatur. Vineas amputabat, cuilibet ciuiū tenuem uictum, ad uitæ tantùm sufficientiā dare iussit. Hæc breuiter ex Suida.

Auari à Bulgaris uincuntur.

Genealogia quorundam imperatorum cum prædictis Gotthis affinitatem contrahentium. Cap. 33.

SCio quid amplius à nobis curiosus Lector expostulabit, necessitudinem uidelicet, qua imperatores Romani Gotthis ac Germanis deuinciebantur, qua & ductores Greci imperatoribus. Vidi præterea id non ultimum fructum lectioni Procopij, Vuarnefridi, & historicorum allaturum. Non curiosa indagine tātùm, uerùm ut nobis res ista accurrerit, aperietur. Belisarius uxoris Iustiniani Cęsaris sororius ferebatur: Germanus dux uerò fratruelis Iustiniani, Amalasuntham Theoderici Ostrogotthorum regis ex filia neptim, Vitigis Gotthorum regis mortui uiduam, coniugio sibi asciuerat. Tale uinculum matrimonij inter Græcos tamen & Gotthos intercessit: ea itaque Amalasuntha, Amalasuinthæ filiæ Theoderici regis, & Eucharij Visogotthorum regis gnata, Vitigi regi duos filios procreauerat, quos Belisarius captos Iustiniano tradidit. Germano uerò alteri marito filiam sustulit, quam Ioannes dux Græcorum, Vitaliani ducis patruelis in coniugem sibi copulauit. Theodericus itaq; Ostrogotthorum imperator, Theodomiri filius, Italiæ rex, affinitatem penè cum omnibus traxit, ut eo tutius Italiæ præesset. Amalafredam sororem Hunerico Vandalo, Genserici regis filio tradidit: ipse Clodouei regis Franciæ ac Cotildis Hilperici Burgundiæ ducis filiæ gnatam duxit, ex qua Teudusiam filiam prognatam, Almarico Visogotthorum regi tradidit, aliam filiam Amalasuntham Euchario Visogottho: & ita Ostrogotthorum & Visogotthorum stirps olim diuersa in unum redijt. Tertiam filiam Amalabergam Hermenfrido Turingiæ duci addixit. Ex quarta filia Amalafreda Amalasuntham neptim suscepit, quam Theodato regi Gotthorum desponsauit. Tota etiam penè Theodosij prosapia Germanorum coniugia, id est, Gotthorum & Vandalorum non est aspernata. Huius enim filius Honorius Cæsar Termatiam Stiliconis Vandali sibi gnatam collocabat, sororemq; eius Placidiam Aistulpho Visogotthorum regi, Alarici filio dicabat. Hęc Placidia mortuo Aistulpho, Cōstantino iuncta est, ex quo Valentinianum excepit, qui cum Eudoxa Theodosij iunioris filia, Eudoxam procreauit, Trasimundi Vandalorum regis uxorem, quæ Hildericum ultimum Vandalorum regem partu ediderat, Theodosij pręterea iunioris filius, Genserici Van-

Affinitas Theoderici cū Græcis.

Affinitas Theodosij.

dalorum

dalorum regis fratris filiã, matrimonio sibi coniunxit. Et hæc tandẽ, ut agnoscamus, quam necessitudinem etiã Romani imperatores cũ Barbaris habuerint.

De Francis Germanicis, & eorum in Galliã irruptione. Cap. 34.

FRancos uerò Germanos palàm omnes scriptores fuisse testantur, & in primis Procopius, qui eos Francos non alio uocabulo quã Germanos nominauit, similiter Gaguinus. Consederunt autem Franci primitus ad Rhenum fluuium, ubi Hollandiam, Selandiam ac Brabantiam in ditione eorum tenuerũt, ut in primo libro adduximus. Quid autem uirtutis tunc Franci gesserint, Hunibaldus libris 28 scripsit. Sępè Galliã ingreßi sunt, semper tamen repulsam patiebantur. Traiani etiam temporibus Galliam affectabant, uerùm frustrabãtur. In Batauã insulã Maximinus eos fugauit, ut Panegyricus eius ijs uerbis ostendit. Multa ille Francorum millia, qui Batauam ac alias cis Rhenũ terras inuaserunt, depulit, abduxit, Britanniasq; ab ipsis liberauit. Cõstantinus multo discrimine eos à Galliæ pręda cohercuit, Panegyrico eius testãte. Facilè, inquit, uincere est imbelles ac timidos, quos amœna Gręcia transportat, aut Orientis deliciæ: sed trucem Francũ, qui ferina sola carne distentus, uitã contemnit. Et alius Panegyricus terrã Batauam à Francorũ regibus occupatam, omni hoste purgauit. Valentiani inde temporibus ruptis limitibus Galliã ingreßi sunt, moti rebus Vandalorum tam prosperè succeßis, Clodionis ac Merouei regum ductu, referẽte Sabellico. Procopius Gręcus Germanos tunc Francos scribit in 1 lib. & Germanos, id est, Francos cum Gotthis primitus Burgundiã cepisse. Visogotthis etiã è Gallia expulsis, eorumq; rege Atalarico occiso, eam inter Rhodanũ ac Oceanum Galliam Francos in ditionem asciuisse. Mortuo autẽ Theoderico Gottho Franci cõtra Turingos, Germani contra Burgundos proficiscebantur, adeò timor tunc Atalaricum inuasit, ut spe consequendæ pacis sororem Theodeberti in coniugem sibi adduxerit. Ipse autem dum Arriani ueneno infectus, uxore tamen dedita Orthodoxæ fidei, dißidij inter ipsum & Germanos dedit exordiũ. Vincebantẽ Gotthi tunc magna iactura, Galliamq; Franci ita in ditionẽ acceperunt. Gotthi tunc cũ quibus res aduersus Iustinianum erat, uiginti millibus aureorum, pacem ab ipsis redemerunt. Iustinianus uerò Galliã æquo animo Germanis reliquit, ne sibi occasionẽ præstaret omnibus suis rebus renunciandi, si secus ageret. Germani tamen, intellige Francos, Massyliam, Phocensiũ coloniã, & Arelatense regnum, cum omni maritima ora in ditionem eorum redegerũt. Hæc Procopius in pri. ac 3 de Gotthorũ bello libris de Francis, quos & tunc licet in Gallijs habitauerint, Germanos nominat. Postea uerò in Gallorũ nomen abierunt Franci. Quid autem interim, Gallorum appellatione functi, egregiè gesserint, Germanię destinatus, nõ Galliæ, in præsenti negocio supersedere uolui, licet origine uerißimi Germani extiterint. Cætera Otto Frisingensis libro quarto, capite trigesimosecundo, Gaguinus, Turonensis, Ammonius, Ricius, & alij proprijs uoluminibus absoluerunt.

Franci & Germani idem.

Francorũ strategemata.

De Danis ac Nordmannis, & eorum strategematibus. Cap. 35.

DAnos etiam ac Nordmãnos operi nostro inserere uolui, quia uerißimam originem Germanicã è Scandia insula, Iornande referente, duxerunt. Dani inde Herulos ab eorum regione depulerunt, ac duce Dano, regionem eorũ Daniam dixerunt, ut Saxo Grammaticus eorum scriptor testatur. Hi multa bella cum Saxonibus cruenta habuêre: cæterùm non multum circa bellicam rem uersati, contra Bastarnas olim, uerũ infeliciter, pugnauerunt, ait Iustinus. Nordmanni uerò, ut Gaguino placet, piratæ ex Dania existentes in Flandriam, Neustriam & Aquitaniam profecti sunt, obseßi inde apud Andegauiam. Lothro-

Dani ac Nordmanni quos uicerint.

tus rex eorum Biergosam, Lothrotam & Hastigonē intercepit. Temporibus Caroli Calui Burdegalam, Sanctonam, Parisios, Turonum, Nouiomagum, Au relianos, Pictauos afflixerunt, ceperuntq; Aquitaniam. Carolus autem dū eos sine summo discrimine delere non potuit, partem Galliæ eis concessit, quæ ab eorum nomine Nordmannia dicta est. Adrianus etiam, ut Sabellicus asserit, eo rum uiribus exterritus, à bello abstinuit, licet Blondus cum ipsis longè ante Adrianum conflixisse scribat. Arnulphus inde imperator eos uix domuit, sæpè uincebatur. Omnia autem bella reliqua eorum contra imperatores Romanos Rhegino Prumiensis, cuius monasterium etiam combusserunt, exactissima di ligentia collegit, & post eum Gaguinus. Sabellicus uerò, Blondus ac alij, illotis manibus rem præterierunt. Cæterùm est etiam, Treuerim anno 883. & Metim, à Nordmannis exhaustas, Corbeiam, Cameracum, Marinos, duce Gotfrido, usq; ad Scaldim inde incursibus eorum patuisse Tungros Argentinam & Lotharingiam. Anno tamen Salutis 882, Gila Lotharij filia Nordmannorum duci Christiano nupta, omnem litem sustulit.

De Sueuorum contra Saxones strategematibus ante translationem imperij. Cap. 37.

Sueui contra Saxones.

SAxones Hermannus scriptor in Turingiam uenientes grauissima cū Turingis prælia compleuisse scribit, uicti semel, inde sæpius uictores euaserunt. Turingos autem auxilio Francorum regum uicerunt Saxones, ut penes Vrspergensem liquet. Inde Saxones cum Longobardis ad occupandam Italiam profecti sunt, itineris inde pœnitentes, ad loca prius relicta concesserunt, quæ à Sueuis inuenerunt occupata. Primitus igitur, ut loco cederent Sueuos interpellabant: illis autem primò tertiam partem, inde dimidiam offerētibus, nec omnino è loco occupato cedentibus, prælium indixerunt, Sueui inde supe riores euaserunt, peneq; dimidium Saxonum deleuerunt: numerus occisorum ab Arnefrido collectus est. Meminit & huius conflictus Hermannus scriptor. Sueui olim inita cum Vandalis ac Burgundionibus societate, Galliam occupa uerunt, ac Hispaniam uastauerunt. Diuisi inde, Vandali Beticam, Gotthi Hispa niam, Sueui Lusitaniam obtinuerunt, ac postea prælia grauissima contra Gothos aluerunt. Theodericus enim Theoderici regis Ostrogotthorum filius, Turismundi frater, cum exercitu Sueuis deuictis, regem illis Rinardum cōstituit, qui repugnans iterum uictus est. Inde Athaulphus rex, eodem pacto concidit, quorum strategematū Sabellicus, Iornandes, Blondus & alij meminerunt. Sidonius Apollinaris de Sueuorum irruptionibus inquit:

Romano exuerat populato trux Alemannus.
In prædas centum naues diuiserat hostis.

Cætera Sueuorum prælia partim libro tertio præmisimus, partim usque ad librum duodecimum reseruabimus.

De priuatis quibusdam Saxoniæ ac Sueuiæ populis, qui Angliam, Britanniam, ac cætera loca remotiora interceperunt. Cap. 37.

Saxones et Suei Britanniam ceperunt.

EX gentibus prædictis Picti, licet Sabellicus Pictones uocitet, ac Scoti processerunt, quos Germaniæ populos Pomponius Lætus esse indicauit. Hi facta coniuratione, Scotiam occupauerunt, tunc Britanniam dictam, Claudiano testante:

— Quantum te principe possum,
Non longinqua docent, domito quòd Saxone Tethis

Mitior,

Mitior, aut fracto secura Britannia Picto.

Et alibi adulatoriè:

Ignotumq́ fretum maduerunt Saxone fuso
Orcades, incaluit Pictorum sanguine cæso.
Scotorum tumulos fleuit glacialis Hyberne.

Et Britannia, inquit, apud Claudianum ad cæteras terras de Stilicone:

Me quoq́ uicinis pereuntem gentibus, inquit,
Erexit Stilico totam.
Illius effectum est curis, ne bella timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne littora tota
Prospicerem notis uenturum Saxona uentis.

Hi autem Saxones etiam Angli dicti sunt, ut eos Sabellicus, Ammonius, & alij interpretātur, quia inopinato ductu in Angliam traiecerunt, Valentiniani temporibus, ac Romanos omnes ad interemptionem occiderunt. Exercuerūt præterea Saxones crudeliter in rebelles uictoriam: cœperunt enim per omnē sexum ac ætatem in tota insula cædes uagari, quo metu Britanni adacti populariter in Galliam transiere, Britanniæq́ nomē adepta insula est, ut tertio ac 40 anno, quo Romanum imperium labefactari cœperat, nō solùm possessionem, uerùm & nomen insula amiserit, ita ut à Saxonibus Anglis Anglia dicta sit. Claudianus huius meminit: *Anglia & Britannia unde.*

Quæ Scoto dat frena truci, ferroq́ notatas
Perlegit exanimes Picto moriente figuras.

Adulatur autem Claudianus Stiliconi, qui eos à Britannia expellere uoluit, uerùm operam ac oleum perdidit.

De Sueuis Senonibus, qui postea Galli dicti sunt. Cap. 38.

ET quia nunc Sueuorum memoriam ingressus sum, quædam de Sueuis uetustissimis, inde Senones dictis, adijcere uolui. Hos Germanos extitisse, satis lib. 1 indicauimus. Illi, ut Plutarchus in Camillo ait, primitus ad Oceanum consederunt, inde Thyrrenos, Liuio, Orosio & Eusebio referentibus, occupauerunt. Et in Clusinos mouerunt, ducti suauitate uini, mox prælio concurrerunt, Sueui autem, iuxta Plutarchi sententiā, uictores euaserunt: fugatis inde consulibus Romam intrauerūt. Maximam enim hanc Romæ capturam clades illa apud Alliam lacrymabilis præcesserat, ubi 50000. Romanorum perierūt, Liuio, Floro, Orosio ac alijs referentibus. Romani hunc diem ideo inter nephastos ponebant. Loquitur de diebus illis Ouid. in Fastis, Plutarch. in Numa, in Romulo, in Camillo, & in Romicis, Tibullus in elegijs, Orosius, Florus libro 1 de bello Gallico. Dicit Plutarchus tunc Romanos incursasse ciuitatem, & in foro sacrificasse, in subsellijs consedisse, uerùm multos eorum occisos, & iuxta Liuij ac Flori sententiam, uix 1000 hominum Capitolium duce Manlio insederunt, qui soli Romam saluauerunt. De captione urbis Theopompus, Plinius libro quarto, capite quinto nat. Hist. plura scripserunt. *Sueui Senones.* *Clades apud Alliam.*

Senonum impugnatio contra Romanos Capitolium seruantes. Cap. 39.

LIbuit nunc mihi totam Galatarum Senonum historiam à fronte recensere, quam nucleo tenus Plutarchus in lib. περὶ τῆς ῥωμαίων τύχης, id est de Romanorum

norum fortuna prosequitur, cuius uerba Græca ob loci illius diffusam dilatationem ne tędio uos afficerem, exclusi: Latina uerò integra, & quæcunque nobis ad album præsentem faciunt, eo libentius adducemus, quòd liber ille à nullo hactenus, quem uidimus, translatus, aut Latinę linguæ donatus est. Græca si quis desiderat, ipsum auctorem uideat. Sonat autem interpretatio nostra sic: Post magnam illam apud Alliam Romanorum interemptionem, Galli se sub fuga Romanorum unà in urbem receperunt, ac turbationibus omnia repleuerunt, populum Romanum terruerũt ac dissipauerunt, paucis in Capitolium immissis, ac sese à Gallis defendentibus. Alij uerò Romanorum sese ex uarijs locis ac plateis colligentes, Furium Camillum Dictatorem petierunt, quem Populus Romanus dum feliciter ac gloriosè adhuc degeret, iudicio publici furti damnatum, expulsum, in exilium miserat. Vbi uerò terrore illo concussus humiliabatur, amissa apud Alliam pugna, manum Camillo præbuit, eidem ut innocenti principatum Roma commendauit. Vt autem Camillus uideretur, non data occasione ex necessitate, uerùm lege principatum assumere, ne etiam Romanos in desperationem redigeret, armisque sparsi ac uagi exercitus potestatem ac electionem peteret, oportuit illos qui Capitolium inhabitabant, collectis ductorum suffragijs honores istiusmodi continentes, ei decernere. Erat tunc penes Camillum C. Pontius non ignarus uir, qui nuncius declaratus erat, ut deferret decreta illis, qui in Capitolio obsidebãtur, & hic magnum periculum aggressus est. Erat enim uia per hostes, quam uallo ac custodijs fines in circuitu circundabant: postquam hic ad flumen peruenit, latis scopulis innixus, & demum corpus eius leui cymbæ apposuit, ac fluxum hunc traiecit. Consequebatur enim mansuetam ac quæ gradatim traijceret nauim. Tutò itaque ulteriorẽ ripam tetigit, inde à flumine discedens, in quandam solitudinem deuenit, quã ob nebulas ac silentium coniecturatus fuerat. Inde præcipitio inhęrens, ad hos peruenit, qui montis radices obseruabant, ac præsidium fessis militibus pugnantibus ferebant, ubi difficultati petræ sese credens ac rem enitens ad ulteriores pręsidiarios euasit. A quibus continuò receptus, Capitolinis decreta reuelabat, à quibus inde suffragium sumens, ad Camillum detulit. Die autem exorto Gallorum quidam casu loca ea perlustrans, animaduertit pedum uestigia ἀκρώνυχα nocte intempesta signata ac elapsus, corrasionesque ac confractiones ac poas, ut uocant, è terra emersisse, continuò rem suis prodidit. Galli igitur putantes uiam nunc sibi ab hostibus ostensam, tentabant omnia experiri, & noctu solitudinem ingressi Capitolium inuaserunt, non tantum id custodes excubantes, uerùm proprios socios reliquos συνεργούς, ac canes Capitolij custodes latente, qui omnes somno obruebantur. Nec tunc tamen Romana fortuna ad pręueniendum ac significandum tam ingens malum clamore indigebat. Erant anseres sacri apud ædem Iunonis educati, cultuique Deæ adhibiti. Natura autem animal hoc ἀνθορύβητον tumultus perceptiuum impatiẽs ac formidolosum est. Hi etiam tunc negligebantur, ob penuriam rerum breuiter in Capitolio grassantem. His anseribus tunc somnus maceratus, ac famelicus subrepsit: quamprimum igitur hostium fulgentes galeas perceperunt, clamauerunt, ac inexpectatò demum hostes prodiderunt. Inde armorum aspectu plus exterriti uocis eorum clangorem edebant. Romani assurgentes ac συνφρονήσαντες unanimi auxilio inuicem iuuantes, tam imminens malum auertebant, ac hostes præcipitauerunt. Hactenus nobis Plutarchus Latinè sonuit.

Senonum impugnatio contra Romanos.

Romanos in una die sæpius à Germanis fuisse uictos. Cap. 40.

Romani quoties uicti à Germanis die uno.

FVit illa dies nimis atra & cruenta Romanis, quo apud Alliam fluuium uincebantur à Gallis. Vnde Virg. lib. 6, & infaustum nomen Alliam dixit, Lucanus

canus etiam damnosum. Plutarchus tanquam inter miracula refert, hunc diem pene semper Romanis extitisse infelicem, in uita Camilli. Cuius opinionis etiam Callisthenes Damastes, ac Philarchus Græci auctores sunt, qui eadem die, qua Romani à Gallis sunt profligati, & à Cimbris olim uictos testantur. Ostendit hoc in pluribus locis Plutarchus in uita Camilli, in uita Marij, in uita Luculli. Tum etiam in lib. τῶν ἀποφθεγμάτων, cuius uerba illa sunt: Postquam Lucillũ in Armenia cum decem millibus peditum & mille equitibus cõtra Tigranem centum ac quinquaginta hominum in expeditione habentem processisse scribit, adiungit: τῇ, inquit, πρὸ μιᾶς νώνων ὀκτωβρίων, ἐν ᾗ πρότερον ὑπὸ κίμβρων ἡ μετὰ σκηπίωνος διεφθάρη δύναμις. εἰπόντος δέ τινος, ὅτι ῥωμαῖοι τὴν ἡμέραν ἀφοσιοῦνται καὶ δεδοίκασιν, οὐκοῦν, ἔφη, σήμερον ἀγωνισώμεθα προθύμως, ἵνα καὶ ταύτην ἐξ ἀποφράδος καὶ σκυθρωπῆς ποιήσωμεν ἱλαρὰν καὶ προσφιλῆ ῥωμαίοις. Id est, Pridie autem nonas octobris is dies erat, in quo Scipionis copiæ à Cimbris consumptæ erant. Quare cum quidam ei dixisset, hũc diem esse Romanis nefastum, & formidabilem, inquit, ideo pugnemus, ut ex atro & tristi diem hilarem Romanis faciamus.

Quomodo Senones à Romanis expulsi fuerint. Cap. 41.

Senones à Romanis pulsi.

SEnones Germani itaque Capitolium graui obsidione undique angustiauerũt, ac Romanos pene fame ac siti macerauerunt. Capitolini autem postquam suijpsorum tutelam comprehendere nequiuerunt, ad dolos sunt conuersi. Scribit Frontinus panem tunc è Capitolio fuisse proiectum, ut Gallos eorum penuria lateret. Manlius inde Gallos noctu Capitolium conscendentes, proditione anseris auertit. Camillus Gallos incautos aggressus est, & eos fudit. Florus & Liuius tunc pecuniam à Romanis ob recessum Senones expostulasse scribunt, & Sulpitium Romanum eis connumerasse, Brennum autem pecunia custodita, Romanis denuo obstrepuisse. Verba Plutarchi sunt in uita Camilli: ἔπειτα δόξαν τοῖς κρατίστοις συνελθεῖν εἰς λόγους ὡμολογήθη, τοὺς μὲν χιλίας λίτρας χρυσίου καταβαλεῖν, τοὺς δὲ λαβόντας ἐκ τῆς πόλεως καὶ τῆς χώρας αὐτίκα ἀπελθεῖν. ἐπὶ τούτοις γενομένων ὅρκων, καὶ τοῦ χρυσίου κομισθέντος, τῶν γὰρ κελτῶν περὶ τὸν σταθμὸν ἀγνωμονούντων κρύφα τὸ πρῶτον. ἠγανάκτησαν οἱ ῥωμαῖοι πρὸς αὐτούς. ὁ καὶ Βρέννος καταγελῶν ἀποδυσάμενος τὴν μάχαιραν ἅμα τὸν ζωστῆρα προσέθηκεν τοῖς σταθμοῖς. πυνθανομένου δὲ τοῦ σουλπικίου τί τοῦτο; τί γὰρ ἄλλο εἶπεν, ἢ τοῖς νενικημένοις ὀδύνη. Postquam uerò optimũ uidebatur principibus, in unum conuenerũt, & conclusum est, ut Romani Gallis mille libras auri dependerent, hi uerò accepto auro & è regione Italica discederent, dato iuramento, ac auro numerato, dum Galli lancem palàm detorquerent, & Romani irascerentur. Brennus eos ludens, ensem cum balteo deponens, lancibus apposuit: quærentique Sulpitio, quid sibi ille uellet? quid aliud, inquit, quàm uictis dolorem.

De secunda Senonum pugna, & quomodo Italia pulsi fuerint. Cap. 42.

Senonum pugna.

SEnones inde ut Plutarchus in libro de Romanorum fortuna testatur, nuntium acceperunt à finitimis eorum sedes deuastari. Ad Danubium igitur facta pace cum Camillo redierunt. Mox postquam ab Italia excesserunt, sumptis uiribus, denuo Romam bello tentauerunt. Quos Camilli uirtus prostratos, denuo Italia exegit, & Concordiæ templum prius uoto promissum comparata uictoria erexit, referente Plutarcho in Camillo, & in Mario. Iidem Senones Galli paulo pòst Italiam iterum ingressi, à Manlio Torquato uicti sunt, qui ideo Torquatus dictus est, referente Suida, dum Gallorum ducem τὸν μεγαληγοροῦντα, id est, magna profitentẽ, & primates Romanos in singulare certamen allicientem sustulerit, σκυλεύσας τε τὸν νεκρόν, καὶ τὸν περὶ τὸν τράχηλον στρεπτὸν

Senonum extinctio.

πῖον ἀνελόμενος, ut Suidæ uerbis loquar, & mortuo è collo torquem detraxit. Hos ibidem Suidas,ueluti Plutarchus κέλτους,id est Celtas uocat, & idem in dictione κέλτοι, Senones Celtas dixit, unde illos fuisse constat, qui cum Camillo rem habuerunt. Nostræ quoque sententiæ astipulatur Florus,libro primo de bello Gallico in fine. Eosdem etiã illos Senonas fuisse,ibidem Florus asserit, quos Valerius Coruinus consul Romanus uicit,& eorum ducem singulari certamine ἐν τῇ μονομαχίᾳ auxilio corui, unde & nomen sumpsit, uita priuauit. Gallos præterea illos Celtas ac Germanos & Senones extitisse,omni luce clarius Suidas in dictione κέλτοι profitetur, cuius uerba lectori cupido Græca Latinis coniuncta,lib.1,cap.35 apposuimus,ubi & hos Germanos fuisse diximus. Florus ac Plutarchus tunc penitus interijsse in Hetruria iuxta lacum Vadimonis Senonum reliquias asserit,ita quòd nullus extet ex ea gente, qui incensam à se urbẽ gloriaretur,adeò à Dolobella penitus illos fuisse ad interemptionem deletos. Possem ego nunc multa ex Liuio,Plutarcho,Iustino,Floro,Orosio,& cæteris adducere, quanto discrimine Romam concusserint Galli Senones, tunc Germani. Verũ satis mihi sit Germanos eos probasse,& Germanis id debere,quod præfati scriptores Gallis concesserunt,& tandem de illis.

De Gallis Gessatis. Cap. 43.

Galli Gessatæ.

SVnt & Galli à Suida γεσσάται dicti,quos Orosius libro tertio,Eutropius ac Eusebius non à gente sic uocatos uolunt,uerùm à mercenarijs,nescio quibus. Hos etiam Germanos aliqui uoluerunt,alij uerò Gallos. Ideo cum nihil certi habeam, Laconica breuitate eorum res pertransibo, & Fabium historicum assumam,qui bello eorum contra Romanos interfuit. Hic, si ei fidem damus,octoginta millia eorum ab Attilio Regulo desiderata refert:bello inde secundo,L. Aemilio Catulo ac Torquato & Fuluio Flacco Consſ.octo millia occisa feruntur,planè ingens occisorum numerus ab auctoribus relatus est. Possemus conuincere eos non fuisse Germanos, uel tantùm numero succumbentium:si enim cunctas rerum historias euolueris, non facilè reperies, unquam tot nostrum ullius fortitudine concidisse. Florus ac Iustinus eos tantùm Gallos nominant, Plutarchus tamen in uita Marcelli, eis & Gessatarum nomen tribuit. Hæc tantùm ideo subscripsimus, ut successoribus nostris ansam præberemus lectionis ulterioris.

De Galatis Germanis,& eorum prima expeditione. Cap. 44.

Expeditio Galatarum Germanorum.

GAlatas Germanos ex Plutarchi ac multorum sentẽtia lib.1 diximus. Hos Florus Gallogræcos uocauit, ob mixtas eorum linguas. Antiochus rex eos in ære suo aluit,unde prouinciarum Romanarum non ignari,sese ad diripiendum Illyricum contulerunt,trecentorum millium hominum numero exercitum cõpleuerunt. Pannonijs domitis,in Macedoniam traiecerunt. Prima,ut Iustinus lib. 20 ait,eorum expeditio contra Ptolemæum mouebatur,quem uirtutis eorum contemptorem,maximis uulneribus confectum,capite tulerunt,caputque eius lancea affixũ,ad terrorem hostiũ circumferebant. Hos tamen Sosthenes Macedonum unus primatum, è Macedonia expulit. Habet & hoc Plutarchus in lib. τῶν ἀποφθεγμάτων inscripto: ἀντίοχος δὲ,inquit, ὁ ἐπικληθεὶς ἱέραξ ἐπολέμει περὶ βασιλείας πρὸς τὸν ἀδελφὸν σέλευκον, ἐπεὶ δὲ σέλευκος ἡττηθεὶς ὑπὸ γαλατῶν οὐδαμοῦ φανερὸς ἦν,ἀλλ᾽ ἐδόκει κατακόφθαι, καὶ τὰ λοιπά. Antiochus cognomento accipiter,contra Seleucum fratrem bellum gerebat: uerùm ubi Seleucus à Gallogræcis uictus, nunquam apparuit, sed trucidatus est, &c. Galatæ interim se recolligentes, duce Brenno, mox Macedoniam uno ductu incursauerunt, ut ait Iustinus. Fuerunt apud Brennum ex omni exercitu,peditum lxv millia. Pausanias

ſanias tamen paulum à Iuſtino diſſentit, ac multo plures Brenno adſcripſit. Delphi Apollinis Dianæ ac Mineruæ auxilio ſuperiores euaſerant, ut placet Iuſtino & Plutarcho in collectaneis Adagiorum, à quo non in diuerſum Pauſanias abijt, qui templum ab ipſis ſpoliatum aſſerit.

De bello Galatarum contra Antiochum regem. Cap. 45.

Galatæ contra Antiochum.

CAeterùm quia nobis mentio belli Antiochici incidit, operęprecium uidebatur totam huius hiſtoriam ingredi, maximè dum uiderim, Latinorum ſcriptores tam anguſto pede rem illam pertranſiſſe, ad Græcos hiſtoricos deſcendam. Iuſtinus Galatas ait contra Antiochum inſurrexiſſe, eundemq; eorũ uirtute ſuccubuiſſe, dum tamen & Antiochus Gallos uicerit, & grauiſsimo bello, cuius nec Pauſanias nec Plutarchus plurimum meminêre. Athenæus penitus conticuit, niſi quòd in Dipnoſop. libro Antiochum à Galatis uictum oſtendit, lib. tamen ε Dipnoſop. ubi Antiochi triumphos adducit, eos eiſdem triumphis interfuiſſe refert: ait enim, μεθ' οὓς μυσοὶ πεντακισχίλιοι συνεχεῖς ᾔεσαν. κίλικες δ' εἰς τὸν τῶν εὐζώνων τρόπον καθωπλισμένοι, τρισχίλιοι, χρυσοῦς ἔχοντες στεφάνους, ἐπὶ τούτοις θρᾶκες τρισχίλιοι καὶ γαλάται πεντακισχίλιοι. Id eſt, Poſt quos frequentium Myſorum quinq; millia ſequebantur. Cilicum autem tria millia, inter etiam ſtrenuos armati procedebant, aureas portãtes coronas, cum quibus & Thracum tria millia, & Galatarum quinq; millia fuerant. Vbi ſatis Antiochi uictoriam aduerſus Galatas oſtendit. Lucianus uerò in pluribus dialogis apertè contrarium, Galatas ſcilicet ab Antiocho uictos refert. Tũ in uolumine ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος: id eſt, de compellatione erroris: diffuſius tamen in dialogo ζεῦξις ἢ ἀντίοχος inſcripto, cuius uerba Græca ob diffuſam materiæ extenſionem ac dilatationẽ ſinam, ne tædio lectori ſim futurus. Latina tamen oratione quæcunque ad lineam pręſentem nobis faciunt, afferam, ob dialogi illius penes Latinos raritatem: qui enim eum tranſtulerit hactenus, uidi neminem. Sufficiat nobis ita ſenſum hiſtoriæ expreſsiſſe. Antiochus, inquit, qui Soter appellatus eſt, ſimile quoddam pati dicebatur, in pugna aduerſus Galatas. Si igitur uobis placuerit, & hanc enarrabo, quónam modo hæc fuerit edita: Nec latuit Antiochum Galatarum fortitudo. Vidit & eorum ingentem multitudinem eſſe, eorumqúe phalangas ſtrenuè prouiſas ac congruentes, quarum frontem ærei thoraces protegebant, cum quatuor ac uiginti armatis à tergo præordinatis. Cornua uerò equitatus infinitus, in medio ac corpore exercitus eorum currus uidit octoginta falciferos, apti ad inſiliendum hoſtes, & in quolibet curru bis totidem equos coniugales. Hæc itaque animaduertens Antiochus, omni ſpe deſtitutus, dum hoſtes inexpugnabiles exiſterent. Ipſe uerò neque magnificè, nec ſecundum debitum belli apparatum proficiſceretur, ac ualde modicum duceret exercitum, peltis conſuetum, ac leuis armaturæ præditum, in cæteris nudum, ut penè uix dimidium eius exercitus fuerat. Optimum igitur ſibi uidebatur, fœdus paciſci, ac opportunas quaſdam belli inducias cum hoſtibus percutere. Verùm Theodotus natione Rhodius, uir nobilis, ac rerum militarium non ignarus, cum huic conſilio interueniſſet, regi ademit mœſticiam. Erant regi autem ſedecim elephanti, illos interim ut abſconderentur, iuſſit, ne exercitui hoſtium manifeſtarentur. Et poſtquam tibicen claſsicum cecinerit, ac confligere hoſtibus ac manibus conſerere opus fuerit, & dum equitatus hoſtium accurrerit, ac Galatæ ad aperiẽdas ac diuidendas phalanges currus immiſerint: tunc quatuor elephantos ex omni parte equis eſſe immittendos, ac octo illis qui curribus pręfuerint, equiſq; coniugalibus obuiam impellendos. Quo facto equos hoſtium perterrefieri dicebat, & reuerſo curſu in ipſorum dominos fugiendo, impetum facturos. Nec caruit hoc conſilium effe-

Galatæ in triumpho Antiochi.

Antiochi dolus in uincendis Galatis.

Galatæ ab inopinato elephantorum uisu deterrentur.

ctu: nam Galatæ ac Galatarum equi, prius elephantes non uiderant, unde ex inopinato eorum aspectu conturbabantur, licet etiam longè ab illis abessent. Postq́ enim tantũ barritũ elephantorũ audiuerũt, ac dentes eorum insigni candidate resplẽdentes uiderũt, è fusco alioqui corpore, ac τὰς προνομαίας. i. elephantorum rostra, in eorũ prędam populatura perceperũt, priusquam iaculum attingerent, retrocedentes, cũ summo dedecore aufugerũt. Pedites aũt Galatarum alternis spiculis cõfodiebantur ac hastis, alij ab equorum ungulis conculcabantur. Et quemadmodum in illis rebus fieri solet, equi in eorum socios inciderũt, ac currus uice uersa retrouertentes, οὐκ ἀναιμωτὶ in terram ac repugnacula strepebant, non sine sanguine, in seipsos ac dominos eorũ diuerterunt. Et ut uerbo Homerico loquar, Currus cũ sonitu uerso sunt tramite ducti. Equi uerò postquam à recta uia deuiauerunt, elephantis cedentes, confessores deiecerunt incidebantq́, ac per Iouem falcibus eorum exercitum diuiserunt, omnesq́ socios, quoscunque obuios habuerunt, perdiderunt. Multi Galatarum in tanta turba desiderabantur. Adde quòd elephantes hostes insequentes conculcauerunt, ac συναρριπτοῦντες unum super alium conglomerauerunt in aggeres, ac rostris eorum discerpserunt, quos in uia comprehenderunt, & finaliter cum maiestate uictoriam Antiocho pepererunt. Galatarum uerò alij in tanta clade edita desiderabantur, alij capiebantur, pauci reduces euaserunt, & tantum hi superfuerant, qui ad montes aufugerant. Hactenus nostra interpretatione Lucianus. & addit: Dum Antiochi principes conuenissent, & uictoriosum regem nuncupassent, regem respondisse: Verecundiam habemus milites, quòd nostra salus tantùm in quatuordecim animalium terrore sita fuerat. Si autem rem copiosius tractare uolumus, diuina uirtute Galli conciderunt. Nam ut Lucianus in alio dialogo, ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος, in hæc uerba prorupit: Ἀντίοχος δὲ ὁ σωτὴρ, ὅτε τοῖς γαλάταις συνάπτειν ἔμελλεν, ἔδοξεν ὄναρ, παραστάντα οἱ τὸν ἀλέξανδρον, κελεύειν σύνθημα πρὸ τῆς μάχης παραδοῦναι τῇ στρατιᾷ τὸ ὑγιαίνειν. καὶ ὑπὸ τούτῳ συνθήματι, τὴν θαυμαστὴν ἐκείνην νίκην ἐνίκησε. Id est, Antiochus Soter dictus, Galatis confligere uolens, somnum uidit, Alexandrum sibi assistere, ac iubere, ut exercitui in tesseram bellicam ὑγιαίνειν, hoc est salutem præstaret. Et illa tessera mirabilem uictoriam sibi peperit. Hæc ille. Dum autem hæc pertranseo, incidit mihi Ioannis Capnionis uiri grauissimi festiuissimus locus, quem in tertio Cabalisticarum uolumine, ad Luciani enodationem adduxit: ubi se monetam uidisse testatur, nomine Antiochi conflatam, pentagoni symbolum tale retulisse, cuius pentagoni & Lucianus recordatur, dum dicit, τριπλοῦν τρίγωνον δι' ἀλλήλων τὸ πεντάγραμμον: Triplex triangulus inter se quinq́ linearis. Fuisset locus ille Cassiotico nodo intricabilior, nisi operam suam huic Capnion condonasset. Cæterùm ex Luciani dialogo ἀλέξανδρος inscripto, Græca carmina adduximus, quibus oraculum in bello Marcomannico à Cæsare Antonino gesto ostendit, quo nam pacto Germani essent debellandi. Nobis itaque Dij, non Imperatores uictoriam præripuerunt.

Galatæ monitu somni uincuntur.

De Galatarum expeditionibus contra Athenienses, Macedones & Delphos. Cap. 46.

Galatarũ contra uarias gentes expeditiões

VIdeor tenuiter pro ea copia, quibusdam curiosis forsitan, Galatarum res ingredi, quare altiori exordio paululum memoriam eorum reuocemus. Sunt qui Galatas Scordiscas dixerunt, ueluti Athenęus, sunt qui Sueuos. Hi cupiditate auri, ut Athenæus inquit, Istrum relinquentes, & ut Trogus lib. 33, ac Iustinus, Galatas scribunt abundanti multitudine trecenta millia hominum ad quęrendas sedes nouas comites sibi asciuisse. Illi studio augurandi primitus ad

Illyricos

Illyricos profecti: inde in Pannonijs conſederunt. Gens aſpera, bellicoſa, audax, hi primi poſt Herculem alpium iuga frigore intractabilia conſcenderunt: inde in Macedoniam ac in Græciam delati, reges Aſiæ terruerunt, qui ab ipſis laceſsiti, pacem pecunijs mercari coacti ſunt, aut rebus omnibus ipſorum renunciare. Profectionis Galatarum in Aſiam, præter Suidam & cæteros, Plutarchus meminit, in libro περὶ παραλλήλων ἑλληνικῶν καὶ ῥωμαϊκῶν, ubi in talem orationem euadit: Βρέννος γαλατῶν βασιλεὺς, λεηλατῶν τὴν ἀσίαν, ἐπὶ ἔφεσον ἦλθε: Brennus Galatarum dux deuaſtans Aſiam, cõtra Epheſos profectus eſt. Omnes autem Galatarum expeditiones nemo copioſius Pauſania Græco authore collegit, qui ἐν τοῖς φωκικοῖς per tres fermè pagellas, Galatarum ſtrategemata effuſè excurrit, à cuius Græca oratione recedamus, ueluti lectori tædioſa. Ea tamen quæ ad rem nobis faciunt, breui noſtra interpretatione deſideranti eo pacto Latina elocuti ſumus. Incurſus Galatarum, inquit, in Græciam, illam poſt ſe reliquit memoriam, quam in Eleutherio Atticæ loco ſubſcriptio tradit, quẽadmodum & apud Delphos manifeſtè etiam oſtenditur, ut in loco, ubi Græcis potiſsimum res erant aduerſus Barbaros. Celtæ primam expeditionem extra regionem eorum, duce Cambaulo, confecerũt, in qua Thraciam uſq; mouerunt: uerùm ſub regionis limine ſubſiſtentes, non audebant arma Thracibus inferre, ob eorum paucitatem. Nec Galatę expediti ſatis erant aduerſum tantum numerum Græcorum. In ſecunda autem, quam fecerunt, expeditione, optimum ipſis uidebatur alijs gentibus bella inferre. Proficiſcebantur igitur unà cum duce eorum Cambaulo populantes, ac demum inſatiabilitate eorum ſaturabantur. Poſtquam ad Eurotam fluuium caſtra mouerunt, multus tunc illis ac non uulgaris quoq; erat pedeſtris exercitus congregatus. Equitatum etiam in tres partes diuiſerunt ductores agminum, aduerſus Triballorum gentes Thraciæ. Futurus etiam imperator Cerethrius expectabatur. Gallis quoq; in Pannoniam proficiſcentibus, Brennus ac Acichorius præfuerunt. Bolgius apud Macedones ac Illyricos prædas agebat, ac cum Ptolemæo certabat, tunc temporis poſsidente Macedonum regna. Ptolemæus autem prædictus ille extitit, qui Antiochum nomine Seleucum dolo interemit. Hic è regione ſua expulſus, poſtea ſupplex auxilium petijt. Erat & ei cognomen inditum ob nimiam audaciam Cerauno: occubuit tamen in ea pugna, non ſine magna ſuorum iactura ac Macedonum. Deniq; Celtæ nullo pacto in Græciam audebant traijcere, quouſq; totus penè exercitus in caſtra deſcendens, à Brenno duce multis conuenientijs adductis perſuaderetur. Enarrabat enim Brennus in præſentia exercitus impotentiam Græcorum, ac pecuniæ multitudinem in ærarijs publicis, plura denique ornamenta ſiue holocauſta, argentum ac aurum in templis Græcorum reſeruari, quibus perſuaſit Galatis in Græciam expeditionem, ac ductoribus cæteris, qui cum ipſo exercitui pręfuerant. Congregato igitur exercitu pedeſtrium, cum ipſo militabant Myriades 17. accedentibus ipſis duobus millibus. Equitum uerò 400 ac 20 millia, tot & equi, qui ſemper in opere parati conſtiterunt. Et ut uerum numerum adducam, ducentis ac mille adiunctis ſex Myriadibus numerus conſiſtebat. Præterierunt autem poteſtatem Galatæ, ac iuxta littus caſtrametabantur, prædã autem è Delphici Apollinis templo ad uota & è Græcia egerũt. Hæc ille. Ibidem Pauſanias Galatarum cum Athenienſibus prælia enarrat, & quomodo Galatæ Kydiam eorum imperatorem fuderint, cui & Græcum epitaphium in huius rei teſtimonium ſanxerunt, ac ad templum Eleutherij Iouis poſuerunt. adduximus epigramma illud lib. 2. Inde Termopylas ferro, præda ac igne populabantur Galatę. Meminit huius belli Adon Vienneñſis epiſcopus, Græcorum præſtantiſsimi, in quorum numero Athenæus omnium copioſiſsimus ſcriptor, Dipnoſophiſt. libro quinto, ubi eos Galatas uocat, & eorum du-

Galatarũ ſtrategemata.

cem Brennum, ac irruptionis eorum in Delphos recordatur.

De Galatarum ruina, ac eorum contra Pyrrhum bella. Cap. 47.

Galatæ contra Pyrrhum.

FActa autem clade Galatarum Brennum in se manus uertisse Plutarchus, Pausanias, Iustinus ac Valerius Max. libro primo, cap. de neglecta religione testantur. Reliquiæ autem Galatarum, quæ bello superfuerant, Romanor. fines incursauerunt, numero 15 millia peditũ, equitũ uerò millia tria. Mox Getis ac Tribalis conflixerunt, quibus deuictis, ut Iustinus ait, ad Antigonũ confugerunt, eiusq; auro ac supellectile illecti, Antigono renunciauerunt, à quo testante Plutarcho uicti sunt. Pyrrhus tunc temporis sese contra Galatas gessit, eisq; deuictis adeò insolens Pyrrhus factus est, ut ad sui laudem Galatarum uictoriã asseruerit, & istiusmodi carmina suo titulo Plutarcho dicente adscripserit:

Hæc de pugnata Galatarum munera gente,
Mollossæ Pyrrhus fixit captiua Mineruæ.

De strategematibus Galatarum aduersus Romanos. Cap. 48.

Scriptores rerum Galatarũ.

BRenno occiso, Galatarum reliquiæ, ut diximus, cum Antigono conflixerunt, à quo uicti, in Asiam sese contulerunt, ut ait Iustinus. Florus uerò ac Liuius eos tunc Manlio occurrisse referunt. Cæterùm nulli Latinorum, res gestas eorum cum Romanis descripserunt. Fugiendum igitur erat nobis ad Græcorum commentaria. Multi autem Græcorum Galatarum res posteritati mandauerunt. Clitophon enim ac Diaphorus plura uolumina de ijs ediderunt, ut à Plutarcho in libro παραλλήλων ἑλληνικῶν καὶ ῥωμαϊκῶν allegabatur. Anaxippus præterea Comicus, fabulas quasdam de Antigono & Demetrio lusit, quarum Suidas & Atheneus meminerunt, quibus multũ de Galatis introclusum est. Demetrius quoque Byzantius, Galatarum incursum in Asiam, ac Antiochi gesta, octo libris complexus est, testante Diogene Laertio. Hos inde Pausanias, Plutarchus, & alij imitati, pluribus Galatarum res absoluerunt. Cæterùm ut ad rem redeam, Plutarchus Galatarum contra Romanos incursionis meminit, in libro τῶν γυναικῶν ἀρεταὶ inscripto, in uita τῆς χιομάρας. χιομάραν δὲ συνέβη τὴν ὀρτιάγοντος αἰχμάλωτον γενέσθαι μετὰ τῶν ἄλλων γυναικῶν, ὅτε ῥωμαῖοι καὶ γναῖοι ἐνίκησαν μάχῃ τοὺς ἐν ἀσίᾳ γαλάτας. Id est, Chiomaram ex eadem regione Galatia natam, Ortiagontis uxorem cum alijs mulieribus captam ferunt, eo tempore quo Romani Galatas, qui in Asia sunt, bello superabant. Nec ad hanc lineam Suidas aspernandus est, qui in dictione γαλάται, nobis illa sonat: Temporibus, inquit, Scipionis Romani ducis, ac Hannibalis Carthaginensium, Romani Galatas in Asia debellabant. Fuerunt autem hi Galatæ pars illorum, qui in Occidentem uergunt, qui olim relicta patria eorum, Brenno duce insurgentes λʹ Myriadum numero æstimabantur. Mox à se inuicem discreti sunt: quidam per interiora Græciæ claustra, alij per Thracias, alij per Asiam cursauerunt, quorum penè duæ Myriades ad summum extiterunt, quæ illato bello, omnes inferioris Asiæ cultores, ac Taurum montem inhabitantes, uicerunt, ac tributarios sibijpsis fecerunt. Illi quoque Galatæ loca, quæ circa Alim fluuium sunt, subegerunt, & loca intra Cappadociam ac Bithyniam sita inhabitauerunt, contra quos Romani bella mouebant. Hi igitur in pugna iuxta Sipylum edita, sese Antiocho coniunxerunt, inde à Romanis uicti, duce Manlio, Ancyram ciuitatem expugnauerunt, ubi ingenti manu iuuenum fortium occisa, reliquos non resistentes ad eorum deditionem compulerunt. Meminit huius Plutarchus, licet paucioribus penè uerbis. Hæc fermè nobis Suidas Latinè facit, imitatus, ut puto, Liuium de illa re copiosissimè differentem.

Galatæ contra Rom.

De

De reliquijs Galatarum quæ à prælijs superfuerant, et quorsum peruenerint. Cap. 49.

QVi uerò denuo bello illo superfuerant, alij Istrum antiquam eorum patriam repetiuerunt, referentibus Athenæo Græco Dipnosophist. quinto, & Iustino libro Histor. trigesimotertio, & ad Danubium habitantes, Scordiscæ dicti sunt. Alij uerò in Asia considentes, regionem quandam in ditionem eorum sumpserunt, quam Gallogræciam dixerunt. Habuit tunc plura nomina locus ille, uocabatur enim γαλατία, γαλλογραικία, βουκελλαρίων χώρα, ἑλληνογαλατία, auctore Suida: id est, Galatia, Gallogręcia, Bucellariorũ regio, & Hellenogalatia. Scordiscæ autem Germanorum uerissimi fuerunt, ut in lib. 1 dictũ est. Hi olim Macedoniam, tunc tributarij Macedonum fuerant, incursabant. Thessaliã, Dalmatiã quoq; tentauerunt, usq; ad mare uenerunt, contorta in ipsas aquas tela miserunt, Catonis exercitum profligabant. Didius eos compescuit, ac inde Drusus, ne Danubium transirent, retinuit. Hæc ex Floro lib. 3, Eusebio, & alijs.

Galatæ quorsum.

Scordiscarum strategemata.

Quomodo Gallogræci imperio Romano demum cesserint. Cap. 50.

CAeterùm quia Gallogræcos illos Germanos fuisse conuicimus, & eorum bella hactenus, quæ nobis lectione assidua constabant, reteximus: uoluimus ut nihil quod Germanorum sit, penitus desideretur. Quare ut effusè ac pleno calamo omnia dicantur, quomodo ad Romanũ imperiũ deuenerint Galatæ, adijcere huic lib. in animo erat. Galatæ, ut Iustinus ait, totam penè Asiam cũ Bithyniæ rege ceperunt, quo tẽpore tantus terror erat in Asia Gallici nominis, ut nemo putaret maiestatẽ suam se posse tueri, nec amissam recuperare, nisi eorum auspicio. Quæcunq; illi autem interceperunt, regi Bithyniæ reliquerunt, ipsi tantùm Galatiam seruauerunt: inde Mithridates rex Gallogræcia & eis potitus est. Causa belli Mithridatici contra Galatas hæc ferebatur. Mithridates 60 ex optimatibus Galatarum, simulata amicitiæ gratia, Pergamũ accersiuit, asperè inde ac superbè illos exagitans, uehementer eorum animos cõtra se irritauit: Thoredorax uerò uir τό τε σῶμα ῥωμαλέος καὶ τὴν ψυχὴν διαφέρων, ut Plutarchi uerbis loquar, tam corporis quàm animi fortitudine præstans, uitæ regis cũ cæteris insidiabatur. Prodita autem Galatarum coniuratione, Mithridates singulos cõspiratores, singulis tortorib. trucidandos tradidit. Hęc nobis Plutarchus, in libro γυναικῶν ἀρεταί intitulato. Galatæ inde suos socios ulciscentes, à rege superabantur. Drusus postea, quia Antiocho contra Romanos auxiliaribus copijs accesserant Galatæ, eos debellauit, ut ait Festus Ruffus. Inde Munius proconsul contra eos missus est. Rex etiã Deiotarus Galatas subdidisse dicitur. Augustus Gallogręciã in prouinciã redegit, & Lollio administrandã tradidi. Paulò pòst à diuo Paulo legem Christianã assumpserunt, & hi sunt, quos Hieronymo referente Paulus Galatas uocauit. Sub Traiano iterum à lege nostra defecerunt, tẽporibus Galieni Cæsaris à Romanis intercepti, à Posthumo, ut Orosius libro 4 ait, restituti, inde ad imperium Constantinopolitanum deuenerunt, & à Turco, ut Aeneas Syluius collegit, subiugati, à libertatis iure destituebantur. Cætera pręteriemus: dum enim Germani erant, ut Germanorum meminimus, nunc successu temporis dum & nomen & ius Germanorum amputauerunt, illis eos committo, qui in describenda Asia horas suas collocaturi sunt.

Galatæ quoties à Romanis defecerint.

Galatæ contra Mithridatem.

Epilogus terrarum à Germanis subditarum. Cap. 51.

POsuimus proximo uolumine præmisso, Lector æquissime, publicam Germanorum uirtutem, cui data sua portione, ad priuatarum gentium fortitudinem in præsenti libro descendimus, ut tam communium Germanorũ, quàm

etiam singularium populorum uirtus eluceret, qua non unum terrarum orbem sibi quæsiuerunt. Id longè maximum fuerat, quod nihil quod uirtuti bellicæ debetur, Germanorum maiestati detractum uidetur. Gentes difficilimas, ac tam terra mariq; quàm armis armatas, Germanorum uirtute concidisse admirationis fama diuulgauit. Vnde si uelimus cum omni priscorum temporum necessitate cõcertare, ac omnes terrarum populos uno fasce complecti, ac eorum res gestas tantùm Rheno conferre: egregiè fateor, numerosa testimonia nobis Roma saltem toties à nobis demolita conferret, aut qua tota patet Italia olim exanimata, Hispania consumpta, quę miseriarum priuilegium, ex tã crebro & inopinato Germanorum ductu ac incursione, sibi haud iniuria uendicauerũt. Differamus autem cæteras Germanorum expeditiones, ac intermissa ea, qua Europam, Africam ac Asiam fortitudine calcauerunt: id memoriæ repetamus, triplicem huius orbis discretionem, ab eorũ populis, ut à locupletissimo mari inundatam. De Asia testis accedit Iustinus, qui solos Galatas, quos Germanos in multis locis extitisse probauimus, multitudine Asiam uniuersam repleuisse intendit. Quis rogo Saxones, Sueuos, Anglos, Pictones, Scotos, qui in Britanniam exarserunt, illis sedibus depulit? Quis Gotthos ab Hispania reuocauit? Quis Vandalos ultimo ductu in Africã limitantes deleuit? quis Francos Germanos Galliæ totius uendicatores exegit? quis Tectosages ac alios, qui Belloueso duce, referente Liuio, Veronæ, Brixiæ conditores, ut diluuio quodam, totam Asiam armis occupantes, eorum regione interdixit? quis Ostrogotthos Italia expulit? non Belisarius, non Narses, siquidem Sabellico referente, multi et cæteri prælio superstites, in Italorum nomen abierunt. Quorsum tandem Friderici saltem secundi Germanorum Cæsaris inæstimanda turba Italiæ illata, profluxit? quis Manfredorum inũdationem? quis Tuscos, Sardiniã, Siciliam, Neapolim à Friderici illius filijs ex concubina susceptis moderatas ignorat?

Germanorum fortuna.

Gentes à Germanis ortæ.

De captione urbis Romæ, & quòd tantùm à solis Germanis capta semper fuerit, & quoties. Cap. 52.

AD Romanæ urbis excidia me conuertam, quæ gloria solis Germanis, ac illis tantùm debetur, nec ulla ætate hactenus ab illis data est alijs. Nec Germanico splendori quidquam uenerabilius contigisse potuisset, quàm terrarum dominam, terreneos Deos ante pedes habuisse subiectos, à quorum propagatione nullus hostis adeò delituit, quin repertus fuerit, quibus mare patentissimum cessit, nubes peruiæ patuerunt. Fatis itaque Romanæ urbis ruinam trahentibus, Senonibus Sueuis, inde Gotthis primitus domitæ Romæ gloria asserta est. Alaricus enim, ut diximus, mœnia urbis demolitus est. Meminit huius Claudianus:

Romæ captio à Germanis.

Heu regio funesta Getis, heu terra sinistris
Auspicijs calcata mihi, satiare nocentem
Cladibus, & tandem nostris inflectere pœnis.
Aspice quàm rarum referas inglorius agmen,
Aspice Romanum iam uertice celsior hostem.
Italia detrusus erat, quantumq; priori
Dissimilis, tu cuncta sibi cessura ruenti
Pollicitus, patrij nomen iurauerat Istri.
O' rerum fatiq; uices, qui fœda parabat
Romanos ad stupra nurus, sua pignora uidit

Romæ excidiũ ab Alarico.

Coniugibus permixta trahi, quæ mente profunda
Hauserat urbis opus, ultro uictoribus ipsa
Præda fuit.

Et reliqua. ubi Claudianus Romæ incendia lachrymabilia proclamat. Et ille tamen Alaricus, inter omnes destructores Romæ mitissimi ex communi scriptorum sententia nomen accepit. Quanti tulisset Claudianus, si Totilæ, Genserici, ac aliorum populationes descripsisset. Secunda urbis ἀπώλεια Attilæ adscribitur, qui Roma potitus, precibus summi Pontificis adductus, ab urbis ruina abstinuit. Tertia Genserico Vandalo destructio debetur, qui ob hæresim Arrianam, qua imbutus, humana diuinaq́ agebat promiscua. Hic penitus urbe populata, omniq́ præda abacta, Romam miserè damnauit. Quartum Romæ excidium Totilę regi concesserunt, qui Capitolinis montibus incensis, ac tertia murorum parte demolita, omniq́ præda abducta, Romam penitus uacuam, Procopio teste, reliquit. Quinto loco iterum Totilam referendum puto, qui ædificata denuo Roma à Belisario repentino incursu denuo urbē inuaserat. Fuit & Odoacer Rugus, ergo Germanus, ut libro 3 ostendimus, similiter Theodericus Ostrogotthorum rex, qui bellica uirtute, Romam gentium dominā, in eorum potestatem redegerunt. Quid Ottonem sui nominis primum memorem? qui contra Crescentium Romanę urbis patricium insurgens, portas Romanas inuenit clausas, uirtute aperuit, ac Roma potitus est, sicuti Platina in Ioāne Placentio, ac Sabellicus libro 2 Enne. 9 adducit. Adde quòd Arnulphus Bauariæ rex, ante Ottonem ob papam Formosum contra Romanos exercitum duxerat, multosq́ Romanorum gladio sustulerat. Ludouicus imperator de Caroli prosapia, Romam à Saracenis occupatam, liberauit. Otto II diu Romanos ob sidione ac fame ad retinendum Leonem papam compulit. Fridericus etiam primus, non nisi armis Romam occupauit, ductu tamē Henrici ducis Bauariæ ac Saxoniæ, referente Hermanno. Aiunt & Henricum III ob Suiggerum papam, quem in locum Gregorij locauit, Romanos coegisse, ut 23 dist. capite in nomine Domini in glossa. Et si ueritati non deesse uolumus, primi omnium urbem Sueui Senones occupauerunt, qui duce Brenno Romam interceperunt anno urbis 362, testante Plutarcho, & hi Germani erant, ut in primo uolumine dictum est.

Roma destruitur ab Attila.

Germani imperatores contra Romanos.

Quomodo Germani linguam Romanam corruperint, non solùm urbem. Cap. 53.

NEc tantùm urbem, uerùm & linguam, præcipuum Italiæ decus, eorum incursionibus adeò corruperunt, ut uix idiomatis ueteris uestigium sapiat. Aistulphus Gotthorum rex urbe in potestatem redacta, Romanos nomine eorum dispoliatos, Gotthos nuncupare uoluit, ac Romam Gotthiam. Et nisi à Placidia uxore fuisset in transuersum actus, ultima Romanis transisset nominis ætas. Theodericus etiam Italiæ titulū nactus, Romanis arma interdixit. Arbitrabatur in desidiam eo ductu Romanos uenturos, ut & nomen eorum in discrimen redigeretur. Probat & hoc de Alarico Claudianus. De linguæ Romanæ deprauatione, Blondus, Aeneas, Volaterranus & Philelphus multa scripserunt, cuius uerba sunt 37 epist. ad Laurentium Medicen: Nec mirum, inquit, cum tot Barbaræ nationes Vandali, Gotthi, Hunni, Longobardi, Germani, Burgundiones, Franci, linguam ipsam & mores & doctrinam Italorum mutauerint. Hęc ille. Ita Romam omnibus membris, brachijs ac comis dilaceratam, cunctis rebus priuauerunt. Lucanus nulli, inquit, fas erat ferro penitus distinguere Romā, Et Claudianus Deos pro urbe pugnare dixit, fulminaq́ ad con-

Lingua Romanorum deprauatur à Germanis.

ſeruandam urbem cadere. Verum tũc ſomno Romanorum Dij obruebantur, nec ab eius præda Germanos ac ruina arcere potuerunt, fulmina non hoſtem, ueùrm ipſam urbem concuſſerunt.

De Thraciæ uaſtationibus, & Conſtantinopolitanæ urbis di reptione à Germanis. Cap. 54.

Thracia quoties deuaſtata. SAepè in Thraciam Germanos fuiſſe delatos omnium auctorum conſenſus prodit. Strabo lib.7. Dromachetem Thraciã ſcribit armis admonuiſſe, Getarumq́ regem armis exuiſſe. Cætera Ouidius in libris de Ponto, Suidas in dictione κέρκιος, Athen. in Dipno. Stephanus Græcus in dictione βυσαντικοὶ, & in dictione γότθοι. Et nos octo incurſiones ſaltem unius gentis Gotthicæ in Thraciam, quinq́ Slauorum, ſex Germanorum, duas Herulorum, quatuor Sarmatarum, libris præmiſsis adduximus. A Romanorum ueterum memoria, ad nouæ Romæ direptionem me conferam, ac Thraciæ regionis caput, quo ueluti Roma Italia circumdatur. Fuit Thracia ſemper Germanis infeſta, poſtquam etiam Gotthorum nomen primitus adoleuit, in Thracum ſanguinẽ educabatur. Gotthi olim à Valente Cæſare impetrata Thracia, nunquam pedem ab ea ſubmouerunt: ſeminata inde ſimultate, uniuerſam Thraciã, ut propriam, armis ſibi deſtinauerũt, ut Sozomenus ac Socrates hiſtorici, & Theodericus epiſcopus memoriæ mandauerunt. Oſtendit hoc Claudianus libro 1 contra Ruffinum:

Ex quo iam patrias gens hæc oblita triones
Threicio funeſta ſolo ueſtigia fixit.

Valente concremato, Gotthi Conſtantinopolim cinxerunt: parum affuit quin intercepta fuiſſet, niſi Dominica imperatrix, ſuorum uirtutem pecunijs correxiſſet. Iacuit inde Galieni temporibus Thracia penitus exanimata, Theodoſij uerò, afflicta. Sunt Claudiani uerba:

— Vos gratia teſtor
Flumina, quæ largo mutaſtis ſanguine fluctus.
— Tot Barbara ſolus
Millia, iampridem miſerum uaſtantia Thracem.
Ecce autem flauis grandæuus & uſq; Gelonis
Arua cruentato repetebat Thracia curru.
Qua populis à ſtirpe metis, molire tumultus.
Nunc miſerum Thracum nimium Macedumq; ruinæ
Tædet, & in gentes iterum ſæuire ſepultas.
Damna minus conſueta mouent.
Non tibi Rhyphæis hoſtis quærendus ab oris,
Oſtrogothis colitur iamiam mixtiſq; Gothinis
Phryx ager, hos paruæ poſſunt impellere cauſæ
In ſcelus, ad mores faciles natura reuerti.

Cõſtantinopolis diripitur. Conſtantinopolim autem Thraciæ urbem ſæpius Germani adorti ſunt, tum etiam Theodoſij ſeculo, indicante Claudiano libro ſecundo,

Vrbs etiam magnæ quæ dicitur æmula Romæ,
Et quæ Chalcedonas contrà deſpectat harenas,
Iamiam finitimo Martis terrore mouetur,
Sed propius lucere faces, & rauca ſonare

Cornua,

Cornua, uibratisq; peti fastigia telis
Aspicit. Hi uigili muros statione tueri,
Hi iunctis properant portus munire Charinis,
Impia uicini cernit certamina campi,
Victas ire nurus, hunc per uada cœrula mergi,
Nec canos prodesse seni, puerique cruore
Maternos nudare sinus.

Hæc ille. Verùm tandem desinam, & à Germanorum populationibus desistam, Romanorũ ac totius orbis miserię modum imponam, tempus abire mihi est, ne potum largius æquo rideas, ac ne unquam modum orationem nostram inuenturam putes.

De destructione Carthaginis à Germanis. Cap. 55.

AD Africam nunc orationem dirigam, quæ toties Germanorum direptionibus patuit. Vandali à Gotthis Gallia pulsi, ad Africam traiecerunt. Gensericus igitur motis ad eam castris, primo ductu urbe potitus est, ut præter Orosiũ, Paulus Diaconus supra Eutropium lib. 14 testatur. Gotthi Claudiani temporibus totam Africam prædis agebant, ut ipse testatur poeta. *Carthago diripitur.*

De bello Cimbrico, & prima eorum expeditione. Cap. 56.

INterim in recensendis Gotthorum strategematibus occupatus, penè cæterorum illustrium Germanorum uirtutes præterijui: nec tamen Cimbrorum fortitudo dissimulanda est, quam nunc nostra oratione ingressus, cui potero breuitati me alligabo. Cimbri olim Oceano insidentes, anno 559 ab Vrbis ortu, ut ait Eusebius, Romam admouerunt. Hi Cimbri primò Celticam inhabitauerunt terram, ut scribit Plutarchus in Mario, & Sabellicus lib. 2 Enne. 6. ducti ea coniectura, quòd Celtæ Scythæ dicti sint, & ita uenisse usque ad Mæotidem. *Bellũ Cimbricum.* Alij duce Lidanio primò à Cimmericis deuenisse Cimbros asserunt. Idem Plutarchus & Sabellicus lib. 2 Enne. 6. Alij facta inundatione maris ex patria eoz fuisse collegerunt, ut Strabo libro 2 Georg. Et Ephorus magis illis cum aqua quàm armis periculum fuisse adducit. Clitarchus quoque inundationis eorum meminit. Consentit Florus lib. 3. & Plutarchus. Solinus cap. 26 uidetur ex gente Amazonum ipsos deducere. Hæ opiniones tamen magis probabiles, quã à Cimmericis eos uenisse testantur, sicuti & ex Dionysio elicimus, & Græci eos τοὺς κιμμερικοὺς dixerunt, & ab ipsis nominatus est Cimmericus Bosphorus, ut Strabo lib. 7 ait, ex sententia Posidonij & Herodoti. Sed hæc remitto quousque ad dictionem Cimbrorum peruenero. Hi ergo 100 millia hominum erogauerunt, & usque ad Hercynium deuenerunt, illi pulsi, ad Istrum consederunt. Scordiscas secum sumpserunt, ut Sabellicus & Plutarch. scribunt. Heluetios inde petentes Tigurinos & Toygenos sollicitauerunt. Inde Tauriscos, ut Strabo libro septimo ait, & trans Pyrenem uenientes, ut placet Sabellico, Hispaniam depopulabantur. *Numerus Cimbrorum.* Appianus in Celtico Galatiam quoque eos cepisse scribit. Inde uicti à Celtiberis, Ambarones & Teutonas secum sumpsere in Galliam, totam uastauerunt Galliam, exceptis Bellouacibus ipsis resistentibus, Cæsare & Strabone lib. 4 authoribus. Italiæ inde renunciantes, magnos Romanorum exercitus ultra Galliam uenientes fuderunt, indicatore Plutarcho. Papyrium igitur Carbonem primò ipsis occurrentem sustulerunt, ut ait Sabellicus libro 1 Enne. 6. Hoc autem factum est 640 anno Vrbis conditæ, Cæcilio Metello & Papyrio Carbone Coss. ut uoluit Cornelius in Germania: & paulò pòst addit, Carbonem occisum,

sum, cuius etiam Cæsar in Commentarijs meminit. Inde per Noricos descenderunt Cimbri, et obuium habuerunt Syllanum: illum quoq; fuderunt. Post hunc Manlius, ut Cornelius scribit & Liuius lib. 77, Florus tamen lib. 3, Orosius lib 5, cap. 15, C. Manlium, Eutropius lib. 5, Mallium uocant, uerùm liber est deprauatus. Antias indicat, C. Manilio & Q. Cæpione coss. M. Aemilium cum duobus filijs consulis, & 80 Romanorum millia occisa extitisse, 60 millibus Calonum in eo bello desideratis, ita uictum, ut uix 10 homines euaserint. Huiusmodi sententiæ assertor est Orosius in præallegato loco. Florus tamen Manilio, Liuius & Cornelius Manlio id tribuerunt. Cimbri inde rebus feliciter gestis, quia secundum Cornelium Manlius, Cassius, Scaurus, Aurelius, Seruilius, Cæpio, consulares exercitus populi Romani fusi fuerant, statuerunt, non nisi Roma diruta sedes ponere, ut ait Plutarchus. Cæpionis quoq; singulariter Florus & Eutropius meminerunt. & addit ille, actum de Roma fuisse, nisi Marium ea secula contulissent. Marius igitur secundò consul, secundum Plutarchum, secundum uerò Florum, Eutropium, Orosium quartò consul, ex Libya accersitus, ad Rhodanum sedit. Barbari autem sex diebus transierunt continuò, & nunciauerunt Romanis, an uxoribus eorū quid significare uelint? citò ipsos Romæ futuros. Cæpionem profligatum à Cimbris, Plutarchus in uita Camilli, in uita Marij, in uita Luculli, ac in Apophthegmatibus adduxit. Mox Catulus Cimbris occurrit, eorum multitudine deterritus, sese ad dolos conuertit, postquam eos uincere posse diffidit, referente Plutarcho in lib. ἀποφθεγμάτων. κάτλος λουκτάτιος ἐν τῷ κιμβρικῷ πολέμῳ παρὰ τὸν ἀτίσωνα ποταμὸν στρατοπεδεύων, ἐπεὶ τοὺς βαρβάρους ὁρῶντες οἱ ῥωμαῖοι διαβαίνειν ἐπιχειροῦντας, ἀνεχώρουν, μὴ δυνάμενος αὐτοὺς κατασχεῖν, ὥρμησεν εἰς τοὺς πρώτους τῶν ἀποτρεχόντων ὅπως δοκῶσι μὴ φεύγειν τοὺς πολεμίους, ἀλλὰ τῷ στρατηγῷ κατακολουθεῖν. quod hunc nobis sensum reddit: Catulus Luctatius in bello contra Cimbros gesto, ad Atistonem flumen castra posuit. Postquam autem Romani intelligebant, Barbaros ad transitum fluuij tendere, enitebatur ut illis cedere Romani poterint, si Barbaros detinere non ualeret. Contendit igitur ad primum cursum abscedentium Barbarorum, ne Romani fugere, uerū potius insequi hostes uiderentur. Hæc ille. Nec Marius cōsul eos à flumine potuit arcere: ipse igitur Marius cogebatur castra in siccis locis ponere. Quod cum Romani uidissent, grauiter ferebāt, ac siti eos affici dixerunt. Marius uerò monstrato illis flumine, quod uallum hostium defluxerat: ἐκεῖθεν ὑμῖν ὕδωρ, ἔφη, ποτὸν ὤνιον αἵματι: prope, inquit, nobis potus est, uerùm mercandus sanguine. Hæc Plutarchus in Apophtheg. tum in uita Marij nobis reliquit, quem Valerius Maximus, Orosius, Frontinus, & alij secuti sunt.

Numerus occisorum.

Catuli dolus in Cimbros.

De eodem, & conflictu Marij & Cimbrorum. Cap. 57.

Barbari inde stoliditate flumen transgressi sunt, ut ait Florus, Catulus à Thisone amne & Scala prohibere uoluit Barbaros: ac prælium ibi commissum est. Catulus defecisset, nisi ei iunctus fuisset Marius, ut ait Plutarchus. Commisso primo prælio 10 Myriades, id est, supra cētum millia hostium strauit Marius, ut ait Sabellicus. μύρια τὰ enim decem millia, uel μυριάς, άδος fœmininum, μύριοι uerò decem millia masculini generis apud Græcos, licet apud Latinos neutrū sit, & hæc ad intellectionem Plutarchi. Eutropius, sed nimis corruptus est, 300 millia occisa asserit, ducem uerò eorum Teutobochum captum cum 80 millibus. Liuius lib. 68, & supra ipsum Florus, & Orosius 200 millia occisa, noningenta capta Cimbrorum collegerunt. Hoc autem factum est, apud Aquas Sextias, ut probant Liuius, Sabellicus & Florus. Orosius uerò iuxta Isaram & Rhodanum. Reuera non longè à Saltzburga hanc conflictionē fuisse Chronographia non uulgaris nostri temporis testatur, & ibi adhuc uestigium uideri. Hieronymus

Pugna Catuli & Marij cum Cimbris.

Vbi conflictus fuerit.

mus ad Geruntiam epist. 31, dist. 12, hanc historiam recitat, & apud Sextias aquas in campo Saudio indicat, cui subscribit Florus. Sabellicus Caudio dixit, Lucanus iuxta Ariminum hanc cladem editam profitetur. Claudianus uerò illic ubi Stilico olim Getas uicit, ait enim:

— Memorabile bustum
Barbaricæ, nam sæpe locis & finibus illis
Plena lacessito rediit uindicta Quirino.
Illinc Oceani stagnis excita supremis
Cimbrica tempestas, & eisdem procidit armis.
Hic Cimbros, fortesq; Getas, Stilicone peremptos
Et Mario, claris ducibus, tegit Itala tellus.

Secundo uerò prælio Cimbri petierunt à Romanis sedes ut à fratribus, uelut ait Plutarchus, quibus abnegatis iterum Romanis cōflixerunt, iuxta flumen Athesim, ut Liuius & Florus collegerunt, qui ex Tridentinis alpibus effluit: Atistonem Plutarchus & Appianus hunc nominant. Commisso prælio Cimbrorum supra 60 M. capta, occisa bis totidem sunt, Sabellico referente. Liuius 1140 occisa, 60 capta, Eutropius 1160 cecidisse, capta 60 millia numerauerunt. Orosius cum Liuio, Eutropius autem scribit tria millia & 30 signorum Cimbris ablata fuisse. Apud Plutarchum tamen unum numerum occisorum inuenio, 6 Myriades hostium captas, bis totidem occisas: nescio an toto bello an singulo dixerit. Florus quoq; tantùm 60 millium occisorum meminit. Eusebius 200 millia occisa, 80 capta dixit. In toto autem Barbarorum bello Cimbrorum 360. millia occisa, capta 40 millia, præter fœminas, Orosius & Eutropius collegerunt. Multa Plinius libro septimo, capite uigesimosecundo. *Secūda pugna.*

De iactura illata Romanis à Cimbris, & defensio Cimbrorum ac Teutonum. Cap. 58.

NOn sine summo dispendio Cimbros & Teutonas Roma expulit, sicuti iā quinq; consularibus, tot & tantis ante Marium Romanis occisis, ut æqua re liquidò possemus, horum & illorum mortuorū multitudinem. Bellum Cimbricum Eutropius ita formidolosum, ut Punicum dixit, quia actum quasi de Roma fuerat, quod Iuuenalis uidit illo carmine de Mario: *Iactura belli Cimbrici.*

Hic tamen & Cimbros, & summa pericula rerum
Excipit, & solus trepidantem protegit urbem:
Atq; ideo postquam ad Cimbros stragemq; uolabant,
Qui nunquam attigerant maiora cadauera corui.

Et Propertius:

Cimbrorum minas & benefacta mari.

Plutarchus ob hoc Marium tertium Romæ conditorem dictum uult. Multa Florus: Tanti Romani putabant uincere Germanos, & ei ultrò quintum consulatum obtulerunt. Marius quoq; aureis uasis post bellum utebatur, ut Valerio Maximo placet, & Plinius lib. 13 cap. 11 ipsum auro & annulis posthac usum scripsit. Verùm non uirtute Germanos per id temporis Marius deuicit, sed dolo ac fallacijs, ut lib. 4 diximus. Marius etiam milites maximè coluit, quibus ad comparandam Cimbricam uictoriam utebatur: & ut Plutarchus ait, egregia uirtute præditos uiros ad Cimbricum bellum delegit, atque uniuersos ciuitate donauit, licet externi prius fuerint: & dum id facti quidam accusabant, respondit, τῶν νόμων οὐκ ἐξακούσαι διὰ τὸν τῶν ὅπλων ψόφον: id est, Se non potuisse audire uerba

uerba legum propter armorum ſtrepitum. Hæc debes Plutarcho. Honeſta plané ſententia, egregia de illorũ intempeſtiuitate, qui credunt in ſummis bellorũ fluctibus, non ſecus quàm in pace legibus eſſe auſcultandum. Methodius Martyr tunc ſummis uiribus omnes Romanæ maieſtatis uires Marium excitaſſe aſſerit, omnesq́ Romani nominis ſocios ſollicitaſſe, ærariumq́ Romanum pené in conducendis militibus euacuaſſe, externos ciuitate donaſſe, prętér legem urbis, profugosq́ latrones exulesq́ ſubliminio in urbẽ inuitaſſe, ut tãtùm à diſcrimine illo Romam exciperet. Nunquam enim maius periculum urbi contigiſſe Huttenus Germanorum illuſtriſsimus poeta in Panegyrico ſuo prodit:

Carbo fugit, capitur Scaurus, Syllanus in hoſtem
Fruſtra agit, oſtenſæ pœnam dat Caßius iræ.
Cæpio ſuccubuit Marius, data copia pugnæ.
Quis non ille dolis, qua non ſe fraude tuetur?

Otto Friſingenſis lib. 2, cap. 44 ait: Germanorũ bellum acerrimum fuit, tam miſerabiliter ac immaniter eſt actum, ut in uno cum prædictis gentibus bello 80 millia Romanorum, & 40 millia Calonum & Lixarum cecidere. C. Manlio et Q. Sæpio, coſs. cũ duobus conſulis filijs fuſis. Quanto igitur detrimento uicti ſint Romani, dicere neceſſe non eſt, cùm tanta damna proceſſerint. Cæterùm qui plura de Cimbrico bello cupit uidere, Plutarchum uideat in Mario.

De Scytharum, Myſorum, & reliquorum Germanorum incurſionibus & moribus, & quid ſit ἀποσκυθίσαι. Cap. 58.

Scytharum expeditio in Romanos.

NVnc ad Scytharum populationes deſcendam, & tantùm ad hos, qui Germanis adſcribuntur, quemadmodum hi fuerunt, qui Claudij temporibus & Galieni Romanum imperium diripuerũt, quos Germanos fuiſſe ex Trebellio Pollione, & alijs diximus. Hi, ut Suidas ait, Theſſaliam, Macedoniam, Tomim, Martinopolim uaſtauerunt. Conſtat autem illos ſemper non niſi è raptu uitam eorum ſuſtinuiſſe, ut Ouidius in Triſtibus oſtendit. Horum ferocitatis meminit Lucianus in dialogo Chelidonij & Droſæ, & Aelianus Græcus in epiſt. ἔςω σοι τοίνυν ἡ ἀπὸ σκυθῶν λεγομένη ἀπόκρισις αὕτη· ἐγὼ μαίνομαι, καὶ μισῶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος. Sit tibi hoc à Scythis reſponſum: Ego inſanio, & odi genus hominum. Florus libro tertio, idem de Scordiſcis Germanis innuit, ubi ius ſit ferocius agere, ac homines odiſſe, ſanguineq́ hominum lætari Myſi, quos & prius origine Germanos probauimus, omnes iniuria affecerunt, & maximé proximos, ut παροιμιαζόμενος κατὰ τὸν λόγον, prouerbialiter dixerit Ariſtoteles Rhetoricorum primo: καὶ τοὺς ὑπὸ πολλῶν ἀδικηθέντας, καὶ μὴ ἐπεξελθόντας ὡς ὄντας, κατὰ τὴν παροιμίαν μυσῶν λείαν. Id eſt, eos qui à pluribus iniuria affecti non curant ulciſci, præda Myſorum ſunt. Athenæus Grẹcorum copioſiſsimus in βιβλ. δειπνοσ. ιβ. ex Clearchi Græci ſententia, de Scythis Septentrionalibus: μόνον δὲ νόμοις κοινοῖς πρῶτον ἔθνος ἐχρήσατο τὸ σκυθῶν, εἶτα πάλιν ἐγένοντο πάντων ἀθλιώτατοι βροτῶν διὰ τὴν ὕβριν. Olim Scythæ conuiuendi lege fruebantur, poſtea autem omnium miſerrimi ob inſolentiam facti ſunt: & addit, omnes enim reliqui Scythæ ſuperbia ac diuitijs iniuria affecerunt, ac ueſtibus deliniebantur, contumelijs impetierunt cæteros, ὥστε πάντων ἀνθρώπων εἰς οὓς ἀφίκοντο ἠκρωτηρίαζον τὰς ῥῖνας. In omnes in quos inciderunt, naſum mutilauerunt: quod crimen & eorum poſteris in cognomen inditum eſt. Horum etiam mulieres Thraciæq́ fœminæ utriuſq́ tam ad Septentrionem quàm Occaſum uergentis, corpora eorũ ita ornauerunt. Et demum adiungit Athenæus, illi in omnes gentium, qui Scytharum inſolentias illas excludunt, ἀποσκυθίσαι dixerunt.

Myſorum inſolentia.

Scytharum inſolentia.

De Bastarnis Germanis, & eorum strategematibus. Cap. 60.

BAstarnas Germanos libro primo probauimus. Hi primam expeditionem eorum contra Dacos mouerunt, ac feliciter pugnauerunt, ut Iustinus ait. Inde contra Aemilium Paulum insurrexerunt, qui 10 millia equitum eius gentis destituit, ut asserit Plutarchus in Aemilio, & postea in eius ære eos aluit. Inde & Persa auctore, Lepido consule, Bastarnarum ferocissima gens, ab Istro sese extulit, ac iterum, ut uoluit Orosius libro quarto, Eutropius & alij, Romanum imperium inuasit. Postea cum Claudio Bastarnas pugnasse refert Trebellius Pollio. Bastarnas quoq; Cn. Pompeius & Cæsar uicere, auctore Diodoro. Inde ab Augusto Cæsare defecerunt, ut scribit Florus. Plutarchus uerò asserit, tunc maximo discrimine cum Romanis fuisse actum, quando Mithridates contra Romanos proficiscebatur, nisi Bastarnæ irruissent. Verba eius sunt in libro περὶ τῆς ῥωμαίων τύχης, id est, de Romanorũ fortuna, μιθριδάτην δὲ τοῦ μαρσικοῦ πολέμου τῆς ῥώμης ὑποφλέγοντος, οἱ σαρματικοὶ καὶ βασταρνικοὶ πολέμιοι κατεῖχον. i, In Marsico bello, Roma flagrante, Mithridatem Sarmatę ac Bastarni hostes lacessiuerunt.

Bastarnæ contra Rom.

Bastarnæ contra Mithridatem.

De insolentia Bructerorum contra Romanos, Cap. 61.

BRucteros præterea ad calcem operis nostri appendere uolui, qui Germanico more uictorias strenuè in Romanos uictos exercuerunt. Hi sub Tiberio 60 millia Romanorum cæciderunt, referente Cornelio Tacito. Mortua Velida sub Domitiano recusauerunt Romana iura. Temporibus Neronis à Iulio Auito debellabantur, testante Plinio libro secundo, epist. ad Macrinum, cuius & Martialis & Iuuenalis mentionẽ fecerunt, ideo filio suo Coccio statuam senatus decreuit. Aiunt & Cornelium Fontonem grauissimum uirum, prælio Bructeros tunc excepisse, cuius Fontonis Vlpia. ff. de pœnis, Dion Græcus in Adriano, Cæcilius, & alij recordantur. Traianus inde, Plinio ac Dione referentibus, per Vestricium Spurinam Bructeros compescuit. Reliqua pauca prælia Bructerorum à priscis colliguntur.

Conclusio huius ad Maximilianum.

AD te tũc nostra recurrat oratio, Serenissime imperatorum, qui ad augendam bellicam Germanorum uirtutem præcipuum decus patriæ contulisti, maiorumq; tuorum opinionem longo præconiorum iactu, omni functus uirtute excessisti, ut nullum credam ueterum in eruendis uirtutibus altius transiuisse. In omnibus quæ hominis conditio consummauerat, adolescentiam imbuisti. Vix decimumnonum ingressus annum, Morinos & Sycambros deletos ad unum concussisti. Bello Venetorum, pudet dicere, à cunctus desertus, solus rem gerens, & nunc plus 10 annis continuando bellum, sine auxilio Germanorum, uel proprio dispendio Venetos prosecutus es, non Troiano bello tot occisi feruntur, nõ Hierosolymitano, nullus uictorum numerus, nullus dispendij modus. Demum illa Venetia, Italiæ totius columen, armis Lacedæmonia, opibus Corinthia, literis Athenæ, maris totius domina & domitrix, cũcto colono spoliata, deserta, & quasi cunctis brachijs abrasis, detrita corruit. Polonorum ac Hungarorum regibus iam Maximiliano conciliatis, uereor nec fundum constiturum illius urbis. Proh Dij immortales, Colophonia qua iniuria Maximilianum affecit? Francigenę pauperrimum & exoletæ crumenæ, ut ita loquar, mercatoris nomen ei indulserunt, hoc & Germanorum multi, quorum nomina lector facilè intelligit. Verùm exoleta illa crumena, sine eius dispendio, quot uicibus Franciæ, Angliæ, Papæ, Venetum thesauros aperuit? non Heluetios imperio sæpius reluctantes Francis ulciscitur, Francos Heluetijs, Venetos Francis,

Maximiliani præclara bella

Francos Venetis. Ego libero & solido sensu dico, nullum, Carolo dempto, imperatorem legi penes scriptores, cui plus incommodi acciderit, felicioris exitus res fuerit, maiores gentes sine suijpsius dispendio concusserit, ut in Maximiliano uidemus. Quare ô principes Germaniæ, uestrum agnoscite Cæsarem, colite imperatorem, caput uestrum defendite, ciuiles discordias refutate, in gratiam mutuam redite, ut imperium quod magis pronum quàm cōditum est, perpetua hæreditate tutari uobis liceat. Nil tam firmum quàm fragile à mortali conatu elaboratum est, quod non quàm diutissimè concordia constiterit, citissimè discordia resoluatur & tumultuetur. Nil præterea humanum tam absolutum est, quod suo nixu insistere sine alterius ope potuerit. Nec alia ratio erat, cur à Bulgaris Auares frangebantur, Suida referente, nisi mutuæ principum simultates, quę postquam in prauum indurant, actum erit. Romula etiam Barbarico dat iter discordia bello. Verùm non morabor in hac parte, tantùm ut concordem animum geratis uos obtestor, & imperium tanto sanguine, quod mille ducum peperêre labores, mutua beneuolentia custodite: & satis studijs nostris Germaniæ præstitisse uidebor, si id quod non magis pulchrum quàm necessarium est, uobis persuasero.

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER SEPTIMUS GERMANIAE Exegeseos De fertilitate Terræ, & Montibus Germanorum, habens capita 25.

De qui-

PROOEMIVM IN LIBRVM SEPTIMVM.



IAM paulatim è terræ gremio Germania exeat, paululum accrescat, uiscera eius aperiat, gemmas, flores, nemora producat, ac se prorsus comis brachijs florentissimæ regioni parem effingat. Tradita enim proximis libris sua portione Germanis, & eisdem intentissima cura, quoad omnes uirtutum numeros, prouisis, resiliendum nobis erat ab ulteriori Germanorum memoria, ad patrię illorum cultum. Admonuit nos præterea operis nostri necessitas, quæ iusto ordine stare uoluit omnia, & medium huius itineris cursum sex libris in traditione Germanorum occupata compleuit, reliquis sex uoluminibus, æqua partitione, patriæ formationem ingredi, æqualemq; librorum numerum tam patriæ quàm ciuibus impartire. Ipse igitur in medio huius pelagi freto constitutus, tam arduã, qua functus sum, uiam redeundo obuiam habeo. Nec altius ibo, ad summũ enim tetendi: nec ulterius uela danda sunt, uerùm omnibus remis intentus, ne nauis longiori peregrinatione tumultuetur, per æqualem librorum numerum ac spacium festinanter ad littora nauigabo. Latente enim transitu, sine omni reditus cura, longius æquo inconsideratè porreximus, nihilq; erat quod nos à destinato cursu abduxerat, nisi dum modò mihi tanto spacio à littore semoto mare terram ex oculis eripuit, & tenuit omnia pontus. Ad imbecillitatem igitur meam ubi redij, uiresq; nostras consulatus, finem ulteriori nauigationi imponens, reditu uitæ nostræ prospiciam. Non tamen simile onus redeundo ac ingrediendo pontũ nostris humeris imponitur. Multo enim expeditius Germanos quã Germaniam, profiteremur. Illic enim plura auctorum multitudine ac præstantia tuta nobis obuiabant: hîc uerò nobis per solitudines quasdam, ablato illo pręsidio uelificandum est. Sunt præterea absolutissimi uiri, qui nobis anteactũ cursum imbuerunt: hoc est, qui de moribus Germanorũ quædam collegerunt. Veluti huius nauticæ artis peritissimus antistes Cornel. Tacit. qui instructa naui hoc mare ingressus nos pręuertit, ac uiam alioqui difficilem sua nauigatione leuauit. Sunt & alij bellicæ artis describendæ diligentissimi auctores, qui peculiariter Germanorũ uirtutes ac bellica sacramenta demonstrabant. Hi tamẽ in nascendis patriæ nostræ fluctibus resederunt, & qualitates tam terræ quàm polorum Germaniæ excluserunt. Vnde ij bene ad nostrã metam deferebantur, reditu tamen carentes, ab ijs quę patriæ nostræ auspicatissima sunt, recesserũt. Quare nimis deposita, occulta ac solitaria uia hæc erit, quã in sequentibus sex libris ratibus ingrediemur, in quę si pede lapsi fuerimus, aut errore quodam ducemur, antequam ad destinata littora deuenerimus, id non nobis, uerùm uię tã umbratili in iudicium ueniat, quæ raro hactenus uiatore nixa, omnibus signis ac diuerticulis caruit, & uerum tramitẽ inualescentibus spinis aut fluctib. dam nauit, maioresq; occasiones erranti quàm feliciter transeunti reliquit. Satis igitur mihi sit per qualescũq; necessitates, ad tutum salua saltẽ uita euadere, & successori nostro, ut studio meo adiutus, cãdidius, per id itineris uehat imponere.

De fructu & arboribus Germaniæ. Cap. 1.

ANtequam Germaniæ fructuũ genera ingrediar, pauca nobis prius de fertilitate eius dicenda sunt. Prisci omni penè fertilitate Germaniam exue- *Arbores et fructus Germaniæ.*

runt, annos nescio. Quam uerò iam speciem de se præbeat Germania, sensu patet. Celtes Germanus poeta neotericus, quoniam nobis antiquorum allegatio aufertur, hisce carminibus patriæ nostræ felicitatem ostendit:

Terra hominum pecudumq́ ferax, quæq́ ubere gleba,
Spiciferam Cererem, multo cum fœnore reddit,
Pascua florigeris extendens pinguia pratis,
Ingentes lacus, uarias uastasq́ paludes.

Et Beroaldus in carmine de Germania:

Felix frugibus inclyta & metallis
Et diues pecoris.

Mantuanus in Dionysio ita loquitur:

Et uada Teutonici tangit uastißima Rheni
Terra hominum frugumq́ ferax, armenta gregesq́,
Uberibus pascens glebis, non languida cœlo.

Cornelius Tacitus terram hanc syluis horridam, ac paludibus fœtidam scribit, & humidiorem qua Gallias, uentosiorem qua Pannonicam & Noricam aspicit terram. Idem Cornelius informem, asperam cœlo, tristem, cultu & aspectu Germaniam formauit. Hæc Cornelius, ex quibus sterilitatem inferre nititur. Eum secutus est Sabellicus libro secundo Enne. sextę. Forsitan apud antiquos eius terrę cultus intempestiuior quàm nunc uidebatur, ut libro secundo, capite de Agricultura diximus. Iam uerò satis fructuum capax est. Sordidiores partes Germaniæ sunt Polonia & Gotthia, ubi raro fructus nascitur, ut in alpibus Rhęticis. Item Cauchos Plin. lib. decimosexto, cap. secũdo nat. Hist. immunes fructuũ esse scripsit. Sic & Getæ terrã colunt, de qua ita Ouid. li. 1 de Ponto:

Orbis in extremis iacto desertus arenis,
Fert ubi perpetuas obruta terra niues.
Non ager hic pomum, non dulces educat uuas,
Non salices ripa robore monte uirent.
Neue fretum laudes, terræ magis æquora semper
Uentorum rabie solibus orba tument.
Quocunq́ aspicies, campi cultore carentes,
Uastaq́, quæ nemo uendicet, arua iacent.

Contrà & Austria tanto fertilior agit, quanto hæc steriliora loca sordent. Quid Alsatico uino & Cerere felicius? cuius meminit Rigmannus Philesius illo carmine de Vogeso dicens:

Munera cum liquido præbet Cerealia Baccho,
Ipsaq́ frondescit floribus omnigenis.
Hunc Bauari, Sueui, prædulcia dona Lyei
Potum, Teutoniæ maxima parsq́ capit.

Nolo Bauariæ & Sueuiæ mentionem facere, uerùm unius tantùm regionis Prussiæ, qua beatior terra non agnoscitur, si è cœlo Iupiter delaberetur, nullam potiorem Prussia terram facilè attingeret. Pabulis etiam Germania apud priscos ualuit, cuius rei testis est Plinius libro 17, cap. quarto: licet Germaniã arboribus frugiferis impatientem dixerit Cornelius, uerùm fallitur. Ex cœli etiã coniectura Plinius rationem affert, libro 17, capite secundo nat. Hist. in Septentrione, inquit, arbores fructiferas cõferi posse, & de Gallia probat, Dracontius

Rhenum abundare ſcripſit arboribus fœcundiſsimis, caſtaneis, amygdalis, & nihil quod utile ſit, huic abeſſe, Baccho præterea ditiſsimum. Territorio etiam Vangionum nil fertilius arbitrantur, alij Viennam Auſtriæ urbem ac Argentinam conferre uolunt. Hæc de fertilitate Germaniæ, nunc de gemmis agemus.

De fictione & fabula Phaethontis, unde electrum natum ſit. Cap. 2.

ANili commento poetæ electrum ex Phaethontis ſororum lachrymis aiunt procreatum, & iuxta Eridanum naſci, ut Euripides in Phaethonte, et Ouidius lib. 2 Metamor. Occaſio mētiendi Gręcis fuit, quia Phaethontis tempore incendium increbuit, Beroſo lib. 2, & Euſebio authoribus: & quia, ut Cato in Fragmentis ait, omnibus Liguribus parens fuit Phaethon, unde iuxta Eridanum ſuccubuiſſe Phaethontem ferunt, & ex lachrymis ſororum electrum inde natum, ideo quidam electrum à ſole torridum, ſuo ſponte naſci dixerunt. Huic opinioni Leontius Theſſalus, Higinius & Paulus Peruſinus accedunt, quorum myſtica in hoc probo. Sol enim apud Homerum 6 Ili. dicitur ἠλέκτωρ. Ait etenim Homerus Ilia. τ, κάλλει παμφαίνων ὥς τ' ἠλέκτωρ ὑπερίων: Pulchritudine ſplendēs ſicut indefeſſus Hyperion. Plinius quoq; ſubſcribit priori opinioni, ſolem dici ἠλέκτορα: alij probant ex eo, quia homines ſuſcitet, & dicatur quaſi τοὺς ἀλέκτρους, id eſt ſine lecto homines faciat ſurgere. Concordat Suidas, qui ἀπὸ τῆς λαμπρότητος τοῦ ἠλέκτρου, id eſt, à ſplendore electri: aut quia ἄληκτρος καὶ ἀκάμας, indefeſſus ac inceſſans ſtella ſol eſt. Idem Heſychius exponit, ſolem ob ſubſtantiam electri, uel formam ſic appellari. Quòd autem ē filiabus ſolis ex lachrymis ortum ſit electrum, non conuincitur. Hæc enim ob nominis conuenientiam, in ſole & electro, ē ſolis filiabus electrum ſtillaſſe autumauerunt.

Fabula Phaethontis.

Vbi naſcatur electrum terrarum. Cap. 3.

SCriptores in hoc maximè diſcordant, ubi'nam terrarum electrum creſcat? Alij iuxta Eridanum, id eſt Padum naſci dixerunt electrum, ut iam dixi, cuius rei teſtes ſunt Aeſchylus, Philoxenes, Nicander, Satyrus, et Lucianus, cuius hæc ſunt uerba, Iouis ad ſolem de Phaethonte: ὡς ἐκεῖνον μὲν, αἱ ἀδελφαὶ θαπτέτωσαν ἐπὶ τῷ ἠριδανῷ ἵναπερ ἔπεσεν ἐκδιφρευθεὶς ἤλεκτρον ἐπ' αὐτῷ δακρύουσαι, καὶ αἴγειροι γενέσθωσαν ἐπὶ τῷ πάθει. id eſt, Ideo hunc ſorores ſepeliant in Pado, ubi lapſus eſt auriga, electrum ob ipſum lachrymantes, & ſuccinum fiat prę paſsione. Ouidius in ſecundo Metamorph. idem ſecutus eſt, in hæc uerba prorumpens:

Electum in Pado naſci.

Inde fluunt lachrymæ, ſtyllataq; ſole rigeſcunt,
De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.

Verg. primo Georg.

Et mœſtum lachrymat templis ebur æraq; ſudat
Eridanus.

Hoc autē falſum eſſe Italiæ teſtimonio Plinius lib. 37, cap. 12 ait, & alij, ac nuſquam apud Padum electrum inueniri ſcribunt. Plinius eodem cap. tertio, hoc Gręcis occaſionem mentiendi dediſſe putat: quia Veneti primi rei famam fecerunt, qui proximi Pannonię id accipientes circa mare Adriaticum detulerunt, & ibi uendiderunt, unde Pado annexa eſt fabula. ait enim Plinius, centum millibus paſſuum Carnuntum abeſſe à littore Pannoniæ, quò electrum inuehatur. Alij quia primùm apud Eridanum arbores uiſas legerunt, hanc fabulam finxerunt, ut ait Solinus. Alij, cum uiderunt non inueniri electrum iuxta Padum, dixerunt Electridas inſulas eſſe in Adriatico, quò Padus diuertatur. ibi enim

Rhodanum & Padum confluere. Huiusmodi opinioni incubuerunt Euripides & Apollonius. Theophrastus in Liguria ait nasci electrum, & Phaethontē obijsse in Aethiopia Hammonis, ob id ibi delubrum esse. Huius opinionis & Sundines & Metrodorus erant. Hi rationem ex eo cœperunt, quia Ligures à Phaethonte orti, genus eorum deduxerunt, ut Cato in Fragmētis asserit, unde quia apud ipsos Phaethontem floruisse sciuerunt, mentiendi facultatem sibijpsis fecerunt. Alij in Britannia stillari electrum putabant, ut Sotades scripsit, & huic astipulatur Strabo li.3. & Dionysius in περὶ, & , ni fallar, Solinus. In Scythia quoq; nasci alij dixerunt, ut Philon, & fossile electrum esse indicauerunt. Alij iuxta lacum Sicyonem hoc nasci uoluerunt, ut Mnesias. Alij iuxta Atlanticum mare, iuxta Cephisidam illud oboriri annuerunt, ut Asarubas in India, alij & in Aegypto dicunt, ut Nicias. Solinus quoq; cap. 29 Indiæ meminit. Alij in insula Basilica ut Timæus, & Diodorus Siculus lib. 6 obtestati sunt. Plinius libr. 4 nat. Hist. ita ait: ex insulis ante Scythiam quas Pannonias dicunt, uno abesse aiunt à Scythia diei cursu, in qua ueris tempore fluctibus electrum eijciatur. Huius opinionis Xenophon Lampsacenus fuit, qui ut idem Plinius lib. 4 ait, à littore Scytharum triduæ nauigationis esse arbitratur insulam immensæ magnitudinis, quam Baltiam nominant. Pytheas eam Basileam uocat, & ab insula aliqua trium dierum nauigatione abesse uult. Huic opinioni subscripsit etiam Metrodorus Scepsius, qui in insula Balisca succinum crescere æstimat, apud Plinium lib. 37, cap. 4. Hermolaus Barbarus legit in Baltia uel Basilia, non Balisca. Verùm hi Græcorum omnes electri meminerunt, non de electro succino dicto locuti sunt, uerùm tantùm de illo, quod ἀλλότυπον χρυσίον μεμιγμένον est, ut Plinius lib. 30, cap. 4 innuit, & quintam argenti portionem electrum uocat, cuius & Homerus meminit: dum δ Odyss. Menelai domum describit pulchram:

Χρυσοῦ τ' ἠλέκτρου τε καὶ ἀργύρου ἠδ' ἐλέφαντος
Ζηνός που τοιήδε γ' ὀλυμπίου ἔνδοθεν αὐλή:
Auro uel ebore argento simul & electro
Qualis olympiaci Iouis intus emicat aula.

Hæc ideo scripsimus, ut, dum Plinius succini mentionem facit, & ibidem tamen tot authoribus penè ubique electrum nasci dixit, sanè intelligatur aut potius refellatur.

Electrum solum in Germania nasci, quod dicitur succinum. Cap. 4.

VErior ergo opinio est in Germania tantùm nasci electrum, cuius rei testis est Beroaldus in laude Germaniæ, & Zacharias Lilius. Cornelius Tacitus in Germania, apud Aestiorum, inquit, gentes iuxta Suitici maris littora electrum eijcitur. Solinus cap. 19, post Scythas apud Ingæuones hoc oriri scribit. *Electri fons.* Plinius lib. 37, cap. 3, Certum, ait, est ipsum gigni in insulis Septentrionalibus Oceani, in insula Glessaria à nostris, Austerania à Barbaris dicta, cuius etiam libro quarto, cap. decimotertio meminit. Celtes iuxta Codoneum electrum colligi significauit. Danda ergo uenia est illis qui eum iuxta Germaniam nasci dixerunt. Mithridates in Germanica insula Cedro dicta, Nicias quoque in partibus Oceani electrum inueniri probauerunt. Pytheas apud Guttones Germanorum accolas, spacio ab Oceano stadiorum sex millium electri copiam scatere putauit. Hæc Plinius libro trigesimoseptimo, capite secundo. Metrodorus etiam, ut dixi, in Balisca insula Germanica electri fontes collegit. Vt autem Græcorum error pateat, solum apud Germanos nascitur electrum, quod Cornelius his uerbis dixit de Germanis: At soli omnium Glessum, quod uocant succinum, inter uada atque in ipso littore legunt. Et Celtes:

Et capit innumeras Codonea per æquora naues,
Quæ Glessum eyciunt, quod succinus ore Latino
Dicit, & nostris tantùm reperitur in oris.

De illo multa apud Solinum, cap. 29. Crederem & in alijs regionibus electrũ inueniri sub mari, uerùm rarissimè. Inuenitur tamen in littore Pruteno tantùm, quod aliqui ex maris altitudine consueuisse uolunt, & uentorum tempestate, qui ex alijs regionibus succinum ad litora Prutenorum appellant.

De nominibus & generibus electri, & quod electrum sit succinum. Cap. 5.

SVccinum Latinè, Græcè ἄγγαρον dicitur, Eustathio & Luciano auctoribus, de quo iam mentio erit, Dionysius Græcus: *Varia electri genera.*

Κεῖθι δὲ κελτῶν παῖδες ὑφήμενοι αἰγείροισι,
Δάκρυ' ἀμέλγοντα χρυσαυγέος ἠλέκτροιο:
Succina Celtarum pueri stillantia legunt.

Hoc nos glessum, Cornelio, Celte, Plinio, auctoribus uocamus, inde Glessaria insula dicta, teutonicè Sudau, ubi glessum, teutonicè augstein, nascitur. Legi apud Lucianum ἄγγαρον pro electro. Suidas huius dictionis in nullo meminit: Hesichyus tamen ἄγγαρος εἶδος δένδρου ἐστὶ inquit, id est, ægirus species arboris est. Succinum autẽ Græci uocant Attica lingua ἤλεκτρον nos electrum, & idem est cum succino, quamuis aliqui negent. Audiant hi Beroaldi doctissimi uiri carmen de laudibus Germaniæ,

Et diues pecoris felixq́; gemmæ
Quod glessum uocitant tui parentes,
Electrum Attici, succinum Latini.

Plinius quoq; lib. 37, cap. 3. ex scriptoris Greci unius authoritate electrũ dixit, id est, aureũ colorem. Et paulò pòst uerba Plinij illa sunt: Hoc Lyncurium dici cogit authorum pertinacia: Quippe etiam si non electrum id esset, Lyncurium tamen Germanicum esse contendunt, fieri tamen ex urina cuiusdam Lyncis: nam λυγκούριον, Lyncis urina est, ἀπὸ τοῦ οὐρεῖν, id est, à mingendo, & ad se non tantùm rapere folia & stramenta, sed & æris & ferri laminas, ut scribunt Diocles & Theophrastus. Hæc Plinius. Ex cuius uerbis tamen nonnihil habemus, succinum esse electrum, quia ait Plinius, etsi non electrum esset. Id electrum Lucianus & Hesichyus putant dici & succinum, quod Phaethontis sorores sudauerint lachrymis. Dionysius quoq; in Geographia, ubi de Pado loquitur, electri meminit, à sororibus Phaethontis fusi, & illud succinum dici ait. Martialis etiam uidetur electrum & succinum idem dicere: canit enim de electro, quia fabulam Phaethontis allegat, & postea succinum uocat, libro quarto:

Et latet, & lucet Phaethontide concida gutta,
Ut uideatur apis nectare clausa suo.

Et idem:

Flentibus Eliadum ramis dum uipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram.
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit uincta repentè gelu.

Idem libro sexto:

Dum Phaethontea formica uagatur in umbra,

Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.

Illis etiam carminibus Martialis lector ſpeciem ſuccini uidet, hoc eſt Dionyſius, quem poſtea allegabo.

De alijs nominibus electri & ſuccini generibus, & uirtute eorũ. *Cap. 6.*

Lyncurium. NVnc autẽ alijs generibus ſiue ſuccini ſiue electri inſeruire uolo. Demonſtratus Græcus electrum λυγκουριον uocauit, & ex urina Lyncis fieri ait, unde nomen habet λύγξ Græcè, id eſt, Lynx. Plinius libro 37, capite ſecundo & tertio, Dioclis & Theophraſti authoritatibus, folia & ſtramenta electrum rapere ait, & æris & ferri laminas, & multa de illo Plinius ubi de ſuccino diſputauit. Sunt autem duo eius genera: Fuluum, quod è maribus Lyncum naſcitur: languidius uerò & candidius ex urina fœminarum, ut Demonſtratus & Plinius collegerunt. Cæterùm id nihil ad Bacchum hunc. Electrum ſcripſit Philon foſsile eſſe, & erui fuluum, candidum, & cerei coloris, hoc electrum dici. Fuluum uerò Sualternum, ut uidetur apud Plinium libro trigeſimoſeptimo, capite ſecundo. Idem Plinius libro decimotertio, capite quarto natur. Hiſtor. aſſerit, electri uirtutem hanc eſſe, ut ad lucernarũ lumina argento clarius ſplendeat. Idem Plinius libro trigeſimoſeptimo, capite tertio ex autoritate Thiſonis Græci ſuccinum contra febres utilem eſſe probat. Calliſtratus contra Lymphaticos ualere putat. Plinius ibidem, nec his nec terris precium eſt, textus eſt corruptus, nec his nec cereis precium eſt, legit Hermolaus Barbarus, cui ego adhæreo, authoritate Philonis & Plinij ca. præcedente. Dionyſius, cuius uerba ſequuntur, paleas rapere dixit electrum. Succinum præterea dum primò naſcitur, ex ſpecie camelorum falernum dicitur, ut ait Solinus cap. 29. Virtus ſuccini eſt, ut Cornelius ait, ſi ignem admoueas, in modum tedę accenditur, alitęꝫ flammam pinguem & olentem, in picem lenteſcit. Solinus capere ait folia ſuccinũ. Plin. lib. 37, cap. 3 ſubſcribit Cornelio, ait enim: Radimenta ſuccini oleo addito flagrare dilucidius diutiusꝫ Lynci medulla. Credo id Iuuenalem uoluiſſe, cum ſcribit: In cuius manibus ceu pinguia ſuccina tinctos Cernis. Martialis quoꝫ lib. 4. pinguem rorem dixit ſuccinum, Iuuenalis eſt locutus de fœminis: Fœminæ enim Romanorum illo ſuccino illectæ geſtabant, ut apud Martialem legitur. Ouidius quoꝫ ſecundo Metamor. id oſtendit. Nero, ut ait Solinus, uoluptatem ſibi futuram ſine ſuccino negabat, huic ergo Germaniæ dux 13 millia librarum donauit. Plinius Tranſpadanas mulieres ſuccino uti ſcripſit. Martialis Epigram. lib. 6. de ſepulchro Cleopatræ:

Succini uirtus & præſtantia.

Nec tibi regali placeas Cleopatra ſepulchro,
Vipera ſi tumulto nobiliore iacet.

Tanta gratia, tanta nobilitas, ſuccini apud priſcos fuit. Claudianus dum meminit gemmarum Probi Cæſaris, inquit:

Et bellica uictrix
Electro Tyberis, pinus formatur in auro,
Cingunt æra lupam, Mauors adamante coruſcat.

Genera eius duo ſunt ſecundum Plinium. Candidum, & id quidem pręſtanſtantiſsimum: fuluis uerò maior eſt auctoritas, des gelen augſtains. Verùm nulla ad cãdidum comparatio: omnes enim ſuccini uirtutes in candido latent. Accedit quòd aureo uno plus fuluij ematur, quàm uiginti aureis candidi. Re ergo uera uirtutes eius ſunt, adhibito naribus ſuccino puerperum, igne paululum obuſto, cõtinuò partum reportat. Item ex eius odore uirgines cognoſcuntur. nam niſi inuiolatæ fuerint, urinam emittunt: ſubitaneæ mortis quoꝫ remedium auferre ſuccinum dicunt.

Quo-

Quòmodo nascatur Succinum & Electrum. Cap. 7.

NIcias apud Plinium ex radijs solis electrum pinguem sudorem relinquere, & in æstate in Germanorum littora elici testabatur. Plin. Nascitur, inquit, defluente succinum medulla pineæ arboris, ut gummi cerasis, resina pineis erumpit, humoris abundantia densatur rigore, uel tempore, aut mari. Hæc Plin. Sed textus est deprauatus. Hermolaus Barbarus legit, dēsatur frigore aut tempore autumnali. Quod uerum esse ex Solino cognoscimus, cuius hæc sunt uerba: Arbor est succinus pinei generis, cuius meridionale tēpus autumni succinum lachrymat. Addit Plinius, tum uerò intumescens æstus rapuit, ex insulis certè ad littora expellitur, ita uolubile, ut pendere uideatur, quod arboris succi num etiam ueteres dixerunt, ob id succinum appellantes. Hæc Plinius. Cornelius à luxuria Romanorum ita nomen succino contigisse scribit. Solinus primò corticosum hunc nasci ait. Cornelius ita loquitur, Rude succinū legitur, informe profertur, preciumq; mirantes accipiunt, diu inter cætera maris eiectamenta iacebat, donec nostra luxuria id quæsiuit. Hæc Cornelius. Martialis de eius crescendi natura: *Locus Plinij.* *Species succini.*

Vera minus flauo radiant electra metallo.

Dionysius in περιηγ., ita dixit, interprete Prisciano:

Eridani fontis contingens rauca fluenta,
Hic electra legunt alnis stillantia Celtæ
Succina, quæ memorant mellis uiniq; colore,
Quæ paleas rapiunt, tractu frondesq; caducas.
Nascitur electrum præfulgens luce nitenti,
Mense solet primo qualis splendescere Luna.

Reuera ut ab ocularibus testibus accepi, nascitur in mari Germanico, eo pacto: Oriente maris & uentorū tempestate, Pruteni uiri pariter & mulieres edicto principum ad mare tendunt, uiri nudi mare intrātes, ut fasciculos piscium, & maris stercus circa littus accipiunt, pueri electra inde separant, fœminæ ignibus & pellibus nudos uiros frigore affectos obseruant, & ita uiri iuramento à principe astricti, ei collecta succina deferunt. *Succinū quomodo colligatur.*

De alijs metallis & gemmis Germaniæ. Cap. 8.

CErauniorum etiam genera diuersa sunt, ut ait Solinus cap. 22. Germanicum candidum est, splendet autem cœruleo fulgore, & folia rapit. De ceraunio Germanico plura etiam Zacharias Lilius. Plinius autem ceraunij meminit, nihil tamen de Germanico ceraunio. Celtes in Hercynij montibus iaspides, & diuersa marmorum genera esse dicit, crystallumq;, uulcaneas, glessarias, piccarias, uitrearias, carbonarias, Cyclopum officinas, & in plurimum Hornbergenses ciues illarum dominos esse: fluuijs etiam margaritarum & auriferacibus plenam Germaniam. Hæc ille. Gallica etiam reperitur in Germaniæ continentibus, quam gemmam Arabicis anteponunt, & tantùm in saxis reperitur. Solinus cap. 29, & Zacharias Lilius uiridum hunc Gallicum in Germania nasci dixerunt. Plinius dum de Gallico loquitur, Germaniæ non meminit. *Ceraunium.*

Adamas quoq; in Germania oritur, qui melior est Arabico, Anthidem dixerunt, contra Lymphaticos ualet, ut Metrodorus Scepsius, & Plinius nat. Histor. lib. 37, capite quarto collegerunt. Dionysius iuxta Agathyrsos nasci dixit, cui astipulatur Ammianus Marcellinus lib. x. Crystallū quoq; in Germania reperitur, auctore Zacharia Lilio, Smaragdus pallida, qua nihil iucundius in Germania uirere à Solino scribitur. Rhenum etiam abundare auro & cæteris *Adamas.* *Crystallum.*

metallis & gemmis Dracuntius asserit, nec Tago nec Gangi cedere. Et licet reliquæ regiones smaragdis & myrrha abundarint: illic tamen, ut in Arabia & India, solis feruorem aut animalium ferocitatem, apud Scythas frigiditatem tantam grassari, ut illis uti uix detur. Hæc ille. Trusilam etiam paruam alioqui aquam Hassiæ, gemmas reportasse fama uulgauit. Onychen lapidem præciosissimum in Germania oriri Plinius auctor est libro trigesimosexto nat. Histor. capite septimo. Nascuntur & aliæ gemmæ in Germanijs, quæ præstantiores & nobiliores illis sunt, quæ in Arabia aut India crescunt, ueluti Calaidę & Topasij, ut idem Plinius ait libro 36, cap. 8.

De auro Germanorum. Cap. 9.

De auro Germaniæ.

NEc aureæ uenæ Germaniæ desunt, præsertim in montibus ac fluminibus: totus enim fermè Rhenus illis adeò scatet, ut egregiè eius ripam Homerico uerbo ἀργυροδίνην appellare possemus. Aiunt & in aurifero fluuio Edera dicto, in partibus Hassiæ, maximè tempore hyemali auri crustas reperiri. Potest Germania id laudis sibi promittere, quòd plus auri ex ea sola erumpat, ubi Bohemiam respicit, iuxta Cremitz, & in locis inter Marcomannos, Vngariam ac Saxoniam, quàm in tota Gallia, ac Hispania. Antiqui uerò omni auro Germaniam exuerunt, quemadmodum Cornelius Tacitus in Germania & Sabellicus. Ita & in Scordistarum Germanorum regione, qui Galatæ dicti erant, aurum non reperiri Athenæus libro 5 his uerbis prodidit: τῶν δὲ γαλατῶν οἱ σκορδίσκαι καλούμενοι, χρυσὸν μὲν οὐκ ἐσάγουσιν εἰς τὴν αὐτῶν χώραν, ληιζόμενοι δὲ τὴν ἀλλοτρίαν καὶ ἀδικοῦντες οὐ παραλείπουσι. τὸ δ᾽ ἔθνος αὐτῶν ἐστι μὲν λείψανον τῶν μετὰ βρέννου στρατευσαμένων ἐπὶ τὸ δελφικὸν μαντεῖον. γαλατῶν δέ τις Βαθανάτιος ἡγεμὼν αὐτοὺς διῴκησεν ἐπὶ τοὺς περὶ τὸν ἴστρον τόπους, ἀφ᾽ ἧς καὶ τὴν ὁδὸν δι᾽ ἧς ἐνόστησαν, Βαθανάτους ἔτι καὶ νῦν προσαγορεύουσιν. ἀφωσιώκασι δὲ οὗτοι τὸν χρυσόν, καὶ οὐκ εἰσφέρουσιν εἰς τὰς πατρίδας, δι᾽ ὃν πολλὰ καὶ δεινὰ ἔπαθον. ἀργύρῳ δὲ χρῶνται, καὶ τούτου χάριν πολλὰ καὶ δεινὰ ποιοῦσι. quod hunc nobis sensum facit: Galatæ qui Scordistæ nuncupantur, aurum in regionem eorum non inferunt, populantes uerò alienam regionem non negligunt. Hi aũt Scordistæ sunt uocati, qui reliquiæ Galatarũ extiterunt, qui cum Brenno duce tunc temporis militauerũt, quando Delphos diripuerũt. Deinde Galatarum dux Bathanatius quispiam sic dictus est, qui eos in regione, quæ circa Istrũ est, collegit, sedesq; capere iussit, unde & uiam qua ad Istrum redierant, Bathanatum & hodie uocant. Quòd autem sacrilegio aurum diripuerũt, contigit eis, ut nõ in patriam intulerint, uerùm eius gratia plurima durissimaq; paterentur. Cæterùm argento utuntur, & causa argenti grauia pericula subeunt. Hæc ille, cui Iustinus historicus ad uerba respondet.

Bathanatum.

De uarijs metallis Germaniæ & artificibus. Cap. 10.

GErmaniæ nec alia quoque metalla desunt, in comitatu enim Vualdekensi, sub ditione Hassiæ Lantgrauij, plumbum optimum effodi dicunt. Gretz, Latinè Sauaria, Carinthiorum ciuitas, cultellis fabricandis nobilissima est, Norici uerò fabricatura ferrea cæteris præstant: unde Martialis libro quarto: Sæuo Bilbilin optimam metallo, Quæ uincit Chalybasque Noricosque. Aurifabrorum usus rarus erat apud Germanos: nam auro caruerunt Germani, aut raro auro utebantur, Cornelio & Sabellico authoribus. Etiam Strabo libro septimo multos Germanorum indigentia auri laborare dixit. Et Plin. lib. 13, de auri contemptione ipsorum, ait, nullos annulos apud maiores hominũ imperio degentiũ partes suo etiã tẽpore reperiri. Cornel. & Sabellicus, aureis uasis Germanos ab Imperat. uel ducibus donatis scribũt prouisos,

Aera Germ.

cæterùm

cæterùm fictilibus usos. Habuit tamen argenti uenas & auri. Strabo enim libro 4, Heluetios magnam auri uim posidere afferit. Polybius scribit, suo tempore in Noricis & Tauriscis aurum inueniri, ut fossæ id gerant duorum tantùm pedum spacio si foderentur. Strabo huic lib. 4, consentit. Cornelius Tacitus quoque, nō negare uelim omnino, inquit, nullam argenti uenam apud Germanos esse. Plinius & suo tempore uenas argenti in Germania repertas innuit, lib. nat. Histor. 14, cap. 1, Sunt & profectò multæ nostra tēpestate uenæ apud nos. Quis enim Goslarianas ignorat uenas? quas Otto primus erexerat, ut placet Ottoni Frisingensi lib. 6, cap. 20. & amplissimo fœnore radices apud Lotharingos & Saxones? Item in introitu Bohemię apud Hungaros, Carnos, iuxta Saltzburg, copiosissimis uenis argentum scatet. Aeneas Syluius ad Martinum Maierum: Audio uenas auri quas ignorauere prisci, apud uos repertas, in Bohemia montes Cuthini Cuttenberg, in Saxonia Stansbergij, in Misnia Fribergij, Vulturniq; Niualesq; montes Sneberg. Inexhaustas præterea ostenderunt argenti mineras duces Austriæ, in Oeni & Anasi uallibus, & in Stiria apud sanctum Leonhardum non longè à Volspergia argentum effodiunt. Rhenus aureas euoluit arenas, in Bohemia montes uidentur & fluuij, in quibus ad magnitudinem ciceris aurea grana fluunt. Inueniuntur & Thaboritæ in Hungaria, aurum apud Cremetiam reperitur. Hæc Aeneas Syluius. Martialis Rheni caput aureum dixit, secundum Calderinum, ex eo, quia auream harenā producit. Celtes in Hercynia arces æreas inexpugnabiles argēti, auri & uniuersi generis metalli uenas inexhaustas referre collegit, ut in carminibus idem adducit, dum inquit: *Rheni aurea harena.*

Prinde metalliferos extollens undiq; montes,
Argentiq; auriq; ferax uarijsq; metallis,
Plurima perpetuis effundens munera uenis,
Fornacesq; cauas liquidus quibus æstuat ignis,
Brontis opus, Steropisq; gerens liquefacta metallo,
Extendit uarias ubi ferri lamina formas.

Plumbi uerò laminas copiosissimas iuxta Polonos reperiri scribūt. Coruinus iuxta Cracouiam ait illo carmine: *Plumbum.*

Terra fœcundis metallis feraxq; nimium dehiscit
Aera inexhaustis tenebrosa uenis,
Et simul surgit rudis impoliti
Lamina plumbi.

Non longè iuxta Quados uidelicet mineras ferri esse Ptolemæus ait libro 2. ὑπὸ δὲ τὸν ὀρκύνιον δρυμὸν κούαδοι ὑφ' οὓς τὰ σιδηρωρυχία: id est, Super uerò Hercyniam syluam Quadi apud quos ferri mineræ effodiuntur. De Germanorum auri uena Plinius libro uigesimoquarto, capite primo.

De animalibus & pecoribus Germaniæ. *Cap.* 11.

GErmaniam pecorum feracem Celtes dixit, & Tacitus, cuius sunt hæc uerba: Pecorum fœcunda, sed plerunq; improcera, hæc Cornelius in principio libri. In fine quoq; Fennos Germanos esse auguratur ex eo, quia pecoribus & pernicitate gaudeant, ex quo habeo, Germaniam olim pecorum curam suscepisse. Nam equorum læta pabula illic patent, de quibus Plinius lib. 17, cap. 4 nat. Hist. Sunt tamen aliquæ regiones Germaniæ, ubi pecorum penuria grassatur, ut apud Cauchos, testis est Plinius lib. 16, cap. 2 nat. Hist. & econtrà Prussiæ, Heluetiorum & Hungarorū pecoribus nihil felicius. Boues illic sunt ceruis similes, *Pecora Germaniæ.*

miles, qui unum cornu excelsum gerunt, ut Zacharias Lilius, & Cæsar libro 6. belli Gallici testantur. Polybius hos boues peculiaris formæ esse tradit, ad staturam cerui, collo tantùm excepto, & uillis seu setis, in quibus plus assimulantur apro, geruntque sub mento carnis globum ad magnitudinem palmi, capillosum quoque crassitudine, ad equi pulli caudam. Multa de illo Strabo lib. 4, Plinius lib. 8, cap. 15 nat. Hist. Qui ceruice quadam similitudine eos esse probat: textus est deprauatus, nam cerui similitudine legit Hermolaus Barbarus. Solinus cap. 29. hos setosum collum habere indicat, ultra taurorum magnitudinem, horribili pernicitate uigere, & captos non assuescere. Sunt & Visontes feræ in Germania, ut uult Zacharias Lilius. Solinus Visontes feris similes dicit uillosa colla gerentibus. Plinius lib. octauo, capite decimoquinto Bisontes uocat, uerùm textus menda notandus est. Celtes scribit trans Vistulam à Sarmatis hos uenari, alij uolunt hos esse ceruos, de quibus diximus, alij negant, Plinio authore, qui de Bisontibus & bobus ceruis similibus loquitur. Celtes in Germania scribit in Hercynia circa Sarmatiam Visontes oberrare:

Diuersasque feras uolucres in saltibus abdens
Per Masouina truces abscondens rura Visontes.

De omnibus illis animalibus Ammonius Francorum historicus libro primo, capite secundo, copiose disseruit.

De equis & lupis Germanicis. Cap. 12.

PLinius nat. Hist. lib. 8, cap. 15. Scythiam paucissima animalia gignere profitetur, & huic conterminam Germaniam. Antiquitatem ego profectò nescio, nostro uerò seculo uerba Plinij decoxerunt, nisi fortè de syluestribus loquitur feris. Audiamus Tacitum ita dicentem de Germania: Fœcundiora, inquit, nemora lucosque, sicut in Orientis syluis, ubi thura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis inesse crediderim terris, quæ uicini solis radijs expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac ui tempestatum in aduersa litora exundant. Hæc Cornelius. Hæc animalia autem magis etiam iuxta Oceanum degunt, ut in Conrado Celte cernitur. Germania ergo non adeò feris destituta est, unde & maiora plerunque animalia in Germania nascuntur, quàm in alijs regionibus. Huius rationem uidetur afferre Aristoteles in Problematibus sectione 10. & Albertus in Naturalibus. Constat id de lupis, qui in frigidioribus regionibus degentes, truculentiores & acriores sunt, ut asserere Plinius lib. 8, cap. 22 uidetur. Equi etiam agrestes in Germanis aluntur, ut Plinius uult lib. 8 na. Hist. capite 15. & Cæs. in Commētarijs. Appianus ita Germanorum equos assuetos scribit, ut lignis ali poterint in necessitate. Stephanus Byzantius in dictione γελωνὸν ait, Gelonos Sarmatiæ populos esse in Europa, & à filio Herculis Gelono Agathyrsi fratre dictos indicat, & addit: ἔστι γὰρ ἡ πόλις ξυλίνη, κειμένη ἐν Βουδίνοις, ἔθνει μεγάλῳ, ὡς Ἡρόδοτος. ἐκεῖθι ζῶον θαυμάσιον ὃς ὀνομάζεται τάρανδυς, καὶ μεταβάλλει τὰς χρόας τῶν τριχῶν καθ᾽ ὃν τόπον ᾖ, ἔστι δὲ δυσθήρατον διὰ τὴν μεταβολήν. id est. Xyline ciuitas est, in Budinis sita, regione ampla, ut Herodoto placet: illic Tarandys est nuncupatum miræ naturæ animal, quod secundum loci qualitatem, ubi nutritur, colores setarum commutat, quapropter non facilè capi à uenatoribus potest. Ibidē Stephanus Chamæleonis meminit, qui ab Auicenna stellio dicitur, licet Hieronymus in Leuitici diuersum faciat Chamæleonem à stellione. Solum hoc animal nec cibo nec potu alitur, latet in hyeme ut lacerta, diuersa uarietate consperSum, ut pardus, & ad colores quos uidit conuersione facillima uariatur, iuxta opinionem Alberti, unde istiusmodi generis animal esse facilè crediderim, quod à Stephano Græco describitur. Crura Chamæleonis recta

&

Animalia Germaniæ. (margin)
Tarandys. (margin)
Chamæleon. (margin)

& excelsiora sunt, latera uentri leonis instar iunguntur, unde & nomen sortitur chamæleonis. Corpus alioqui & oculi concolores ueluti crocodilli uidentur, ex sententia Aristotelis. Suidas huiusmodi animal in omnes colores se transformare asserit, præterquā in album. Plinius Indiæ animal illud adscripsit. Stephanus tamē & alij Budinis Germaniæ accolis, si quibusdam credimus Germanis.

De uris Germanicis. *Cap.* 13.

SVnt & uri taurorum maximi in Germania, penè omnem tauri speciem habentes, nisi quòd barbas longissimas nutriunt, ac cornibus breuiusculis apparent, alioqui pro tanta corporis mole. Meminit horum Arist. in 5 τῶν θαυμασίων ἀκουσμάτων, & Stephanus in dictione γλωνόν. Suidas Grecus uros boues esse tradit, aut cornu auro splendidiori confectum. Dicuntur autem uri, ἀπὸ τῶν ὀρέων, id est, à montibus, ubi potissimum uersantur. Cęsar illos ut elephantos esse libro 6 scribit, specie & colore ut tauros, nemini parcentes, magna uelocitate. Plinius lib. 8, cap. 15, excellenti ui & uelocitate ait uros ab auctoribus scribi. Horum ex Polybij sententia Strabo lib. 4 Georg. uidetur meminisse. Celtes in Masouiæ finibus tantùm uros reperiri ait, à qua Fridericus III. maternum genus duxit. Cæsar hos in speluncis capi asserit, hos nos bubalos dicimus, ut Solinus cap. 29, & Plinius in prææallegato collegerunt. Cæsar & Solinus ex eorum labris pocula fieri indicant: multa de illis Virgilij enarratores lib. 2 Georg. *Vri German.*

Syluestres uri assiduè capreæq; sequaces
Illudunt.

Et idem libro tertio:

Quæsitis ad sacra bouis Iunonis & uris.

Seruius in secundo commentario, Galliæ animalia uros dixit, & plura de eis scripsit. Re uera in Sarmatia aut Masouia capiuntur, teutonicè Vrochsen, omnium taurorum maximi & fortissimi, & eos currus cornibus erexisse dicunt. Albertus Magnus libro uigesimotertio, uros hominem cum equo cornibus uentilare posse asserit. Capiuntur autem ex fortissimis trabibus facta spelunca angustissima. Nam si uires suas in patenti loco exercere ualeret, nihil tam firmū foret, quod non calce infringeret. Solent uenatores fœno undiq; sparso eos decipere, & postquam sagittam uri sentiunt, recepto ex fortitudine spiritu, in altum spicula retorquent sufflato uentre.

De alce, mustelis, iubatis Germaniæ. *Cap.* 14.

GErmania quoq; in Hercynia alcem aluit, ut ait Zacharias Lilius. Solinus propenso labro ipsas scribit, ut nisi in posteriora recederent, ali non possent. Cæsar lib. 6, ut capras esse putat. Plinius lib. 8, cap. 15. iumento aut alio animali comparauit, ceruicis tamen et aurium proceritate distingui à iumento. Has in Hercynia Cæsar ponit, Plinius in Scandinauia, Solinus in Gangenia, Hermolaus Barbarus in Gallia transalpina, & medium tenere inter cerui & cameli magnitudinem ait. Multa Iulius Capitolinus & Pausanias. Hermolaus alces inuentu raras esse scribit, quod & Plinius nunquam in hoc orbe uisas putat. Capitur autem somno, arbore decisa, ut Solinus & Plinius asserunt. Hermolaus olfactu è longinquo uenatorem eas sentire æstimat, & mares illarum cornua habere. Zacharias Lilius uarijs pellibus eas formauit, & magnitudine capras antecellere, crura earum sine nodis rigere, ut cū ceciderint, eleuari non possint. Sunt & mustelę apud Germanos magnitudine ut muri, ait Plinius lib. 9 nat. Hist. cap. 17. & has tantùm generat septentrionalis & occidentalis Oceani uicina regio. Hæc Plinius. Idem quoq; iubatorum animalium Germaniæ meminit lib. 8 nat. *Alces.* *Mustelæ.*

Hist.cap.15. Sunt & alia animalium genera, quorum proprietas & ratio cuiquã priuato homini constat, unde horũ mentionem uanam duxi, nisi quòd Mardi uel Mardri, teutonicè Mardel, & Sabelli animalia è Germanię partibus euehuntur. Ex quorũ setis preciosissimæ pelles efficiuntur. Capiuntur autem iuxta Oceanum Germanicum. De illis Cunradus Celtes sic:

Mardi & Sabelli.

Venantes Mardos, & molles pelle Sabellos,
Et nostri fugiunt rigidi commercia mundi.

De Auibus Germaniæ. *Cap. 15.*

VT apium ingens multitudo in Germania est, ita & mellis. Vnde Plinius ait, lib.11, cap.14. Alibi, inquit, mellis copia est, ut in Creta: in Septentrionalibus uerô, uidentur octo pedum longitudine faui. Alijs etiam nec minus auibus Germania illustrata est. Sunt aues ibi mira proprietate, quas Hercynias Methodius & Lilius uocant, quamuis apud hos aliquãdo legerim Hircanias, ego Hercynias puto, authoribus Cæsare & Plinio lib.1, cap.47 nat. Hist. Albertus Lucidias, Isidorus Emerias eas nominant: harum pennæ noctu collucent, Plinio, Alberto & Lilio assertoribus. Solinus ita eas splendere refert, ut flexas uias demonstrent uiatoribus. Dionysius Lybicus de ipsis scripsit, in Germaniç mentione: Et pascit uolucres mirum fulgentibus alis, Queis ducibus noctu cernuntur flexa uiarum. Celtes ita de ipsis loquitur: De uolucribus autem, ut apud grauissimos authores nihil compertum habeo, multa enim desijsse quæ hodie non sunt, & multa renasci in rerum natura quæ olim non fuerunt, constat noua cœlestium corporum, si quid in mundo nouum emergere potest, factum configuratiõe crediderim. Hęc Celtes, qui quinq; annis uniuersam perlustrauit Germaniam. De illis auibus & Cornelius in Germania, ubi de succino scribit, plura adducit. Ammianus Marcellinus lib.22, de Sarmatia scribens apud Agathyrsos siue Achillis dromon, huiusmodi aues esse halcyonibus similes perhibet. Bonasus etiam Germaniæ incultor est, ut ex Plinio, libro 17 elicimus, & idem libro 8. in mœnia feram, quæ bonasus dicitur: Hermolaus in Pœoniã legit, & ex uetustissimis libris, Pausania quoq; & Aristotele authoribus, in mõte Mesapo, qui Pœoniæ & Medię finis est, inueniri à Pœonibus dicit Menapon, ab Aeliano Pœonius moneps. Hæc Hermolaus. Anseres quoq;, Plinio lib.10 referente, uelluntur bis in anno, & iterum uestiuntur in regionibus Germaniæ. Sunt & candidi è Germania laudatissima, quos Ganzas uocant. Hæc Plinius. Turdi etiam in Germania sub hyeme maximi cernuntur, uere autem occultantur, at q; pennas amittunt. Hæc Plinius libro decimo, capite 24 nat. Historiæ.

Multitudo mellis in German.

Diuersæ aues Germaniæ

De syluis, & syluæ Hercyniæ magnitudine. *Cap. 16.*

POllicitus sum in præsenti albo terræ fertilitatem retegere, ac uideor nostræ professioni uicem minus retulisse, nisi etiam in montiũ relatione labor noster & syluarum desudauerit. Germaniam syluis densissimis interclusam ueteres protulerunt. Cornelius Tacitus syluis horridam dixit. Herodianus libr.6, & Cæsar lib.4 Commentariorum, satis de eius syluis disseruerunt. Cornelius in lib. Hist. in syluis Frisios habitasse refert. Et idẽ lib.20, multa de solitudine eius collegit, & eã causam scribit, cur Germani semper Gallias affectauerint bello. Pomponius Mela lib.3, Germaniam horridam syluis effecit. Maximinus Cæsar cum contra Germanos proficisceretur, in syluis ipsos uicit, ut Herodiano & Iulio Capitolino placet. Item Ammianus Marcellinus libro 17, ubi de exercitu Iuliani in Germaniam ueniente loquitur: Hoc progressu secutus, inquit, exercitus celsarum arborum obsistente concedegerie ire protinus uetabatur. Totius autem

Solitudo Germaniæ ueteris.

Locus Ammiani Marcellini.

tem Europæ ſylua maxima Hercynia memoratur, unde non immeritò dixit Ptolemæus libro β, ὑφ' ἃ ἐςὶν ἡ γάβριτα ὕλη, ὧν μεταξὺ καὶ τῶν σαρματικῶν ἐςὶν ὁ ὀρκύνιος δρυμός. ubi inter Sarmaticorum etiam montes refert ſyluam Hercyniam. Dionyſius in Perier.

Ὀρκυνίου δρυμοῖο παραθρώσκοντες, &c.

Et ſubdit:

Λευκάτε φῦλα νέμονται ἀρειμανέων γερμανῶν.

Priſcianus hæc carmina ſic uertit:

Saltibus Hercyniæ Germania ſubiacet atrox,
Qua ſunt Germani bellaces atq; Britanni.

Hanc Solinus capite uigeſimonono, Hyrcynium uocat, ſed textus eſt deprauatus, Græci enim hanc ὀρκύνιον appellant, ut Ptolemæus, inde & Capnion noſter libro primo Verbi Mirifici, Orcynium nominat: ſimiliter Boccatius. Huius Græcorum doctiſsimi meminerunt, ut Eratoſthenes, Dionyſius, Apollonij interpres, & alij. Cæſar nouem dierum lib. 6 Commentariorum expedito patêre hunc uoluit. Pomponius Mela lib. 3, dierum ſexaginta ait: addit tamen & Cæſar, & ſi ſexaginta dierum iter proceſſerit. Strabo libro 7, ſupra trecenta & ducenta ſtadia Hercynium dilatari ſe & extendere dixit. Verùm paulò maior eſſe perhibetur: nullus enim eſt qui ſe initium huius audiuiſſe, uel finem dicat, ut ait Cæſar libro ſexto, & Boccatius in libro de Syluis. Vnde Marlianus tota Gallia, tota Italia Hercyniam maiorem dixit. Lucillus Tarræus libro 4 ſupra Apollonium, ſcribit Hercyniam ſyluam Celtarum eſſe, & multa de ipſo adiungit. Claudianus eius meminit: *Vaſtitas Hercynij.*

Hercyniæ confinis Rhætia ſylua.

Et idem:

Hercyniæ per alta ſilentia ſyluæ
Venari tutò liceat.

Raphael Volaterranus libro ſeptimo, corrupto eam nominat uocabulo. Celtes in nullo famam ſuam immortalitati plus mandabat, niſi in Hercyniæ ſyluæ abſolutione: in eo enim tantum labore ſuo profecit, quantum omnes, quorum cura fuit Hercynij. Huius magnitudinem ita expreſsit: *Celtis ſtudiũ.*

Sed nemus Hercynium montes & ab alpibus orti,
Cum ramis totam ſe diffudêre per oram:
Iamq; ſub occiduum tendentes brachia ſolum,
Hinc auſtrum Boreamq; petunt, Eurumq; ſonorum,
Donec in Euxinum procumbat uertice pontum,
Quaq; Byzantinas anguſtat Boſphorus undas.

Conradus quoq; Celtes per Græciam hunc uagari ſcribit: & quemadmodũ Taurus per Aſiam, inquit, Atlas per Aphricam, ita Hercynia per Europam ſe ſpargit. Originem Hercynio Heluetiorum, Nemetum & Taurinorum montes uel fines præſtant, ut ait Cæſar libro ſexto belli Gallici, & Zacharias Lilius. Celtes à mõte Adula Hercyniam deducit. Strabo libro ſeptimo, ab eo diſſentit, ait enim, in medio Hercynij habitabilem eſſe oram, cui Iſtri & Rheni fontes proximi ſint. Rheni autem fontes & Danubij ex Adula originem referunt. Non ergo in medio, cum Celtes harum expertus rerum in principio ponat, Hercynio illorum fontes auſpicantur. Hercyniam Daci terminant, ut Cæſari & Lilio placet. Celtes uerò Boſphorum Euxinium apud Conſtantinopolim metas eius deſcribere ſignificauit. *Locus Strabonis.*

De rebus in Hercynia crescentibus. Cap. 17.

ARbores proceras in Hercynia crescere, author est Strabo lib. septimo, Plinius lib. 16 nat. Hist. cap. 2. Hercyniæ syluæ, ait, roborum uastitas intacta & ingenita mundo, propè immortali sorte miracula excedit. Constant enim attolli ibi colles occursantium inter se radicum repercussu, ita, ut secura tellus non sit. Hæc Plinius, qui mira de arboribus eius disseruit. Densitas eius arborum, satis Herodiani testimonio patet. Lignis tamen uario modo utebantur Germani. Arbores enim ad inuicem alligabant, & desuper contenta uehebant, cuius Plinius meminit libro decimoquinto. Sunt etiam & regiones Germanorum, in quibus ligna nō comburuntur, uerùm terra ligni loco, ut Hermolaus et ipse Plinius libro decimosexto, capite primo, scribunt. Salis quoque multitudinem in lacubus Hercyniæ emergere dixerunt, ut hodie apud Carnos ferunt. Nihil etiam Lotharingorum sale felicius est. Coruinus scripsit iuxta Cracouiam Poloniæ sales detrahi è latebris, dicens:

Densitas arborum Hercynij.

Salinæ Germaniæ.

Huius è terris latebris amaræ
Exeunt rupes salis, & sub auras
Turbinis, magni superans innata
Mole trahuntur.

Iuxta Saltzburg ad duo miliaria: item in comitatu Hanauiensi in oppido Orba, salinas dicunt uideri copiosas. Alij & in insula Islandia in Septentrione remotissima fodinas salis uolunt patêre. Celtes in Hercynia salis fontes esse scribit, & salem lapideum ueluti saxum non nisi sub terraneis montibus hauriri. Sunt & montes diu noctuq; continuo feruore flagrantes, sicuti apud Siculos Aetna memoratur, & hi, ut Celtes scribit, montes Saxonum sunt, sub habenis Friderici ducis. Vnde autem ille ignis incendatur, diuersi authores diuersa protulerunt, ut Philostratus lib. 5. uitæ Apollonij, Plinius lib. 2 nat. Hist. cap. 9. Aulus Gellius lib. 16 noct. Atti. Diodorus lib. 6. Strabo lib. 1 & 7. Apud Græcos Timæus, Ctesias, Gnidius Trogus, Iustinus libro 4. & Aeneas Syluius in epistola ad Martinum Maier, plura de illis disserunt montibus. Aiunt & picis multitudinem in Hercynia crescere, unde Celtes Hercyniam syluam dictā uult: patrio enim sermone Hartzuualdā, alij ex Cornelio ab Hercyno quondam Tuiscons rege nuncupatam ferunt. Marlianus aliam nominis rationem affert.

Flagratio montium.

De Adula, Arduenna. Cap. 18.

SEd ut Hercyniæ magnitudo constet, Hercynię ramos, brachia & fines quoque expediam. Incipit, ut dixi, à monte Adula, hunc Strabo libro quarto, Aduallam dicit. Hic hodie per Heluetios usque ad Constantiam descendit, & est radix alpium, teste Celte:

Adula.

Primum est immani dorso quod spectat ad arcton,
Germanos, Gallosq; uidens, Italosq; potentes,
Quod Rheni Rhodaniq; parens, Oeniq; sonantis,
Quod ueteres prisci dixerunt nomine Adulam,
Atq; suis ramis nunc procreat alpes.

Huius meminit Boccatius & Cornelius. Quòd autem Rheni parens sit, lib. 3 dicetur. Hūc à filio Istri Berosus dicit inhabitatum. Moyses Adulam Aduram uocat, Berosus & Annius Viterbiensis Adulam. In Galliæ finibus inde ab illo Arduenna sylua initium sumit, ut scribit Celtes. Marlianus hanc maximam dicit: Aquisgranum enim Menapios, Leodienses, Condrusos & Aduaticos attingit.

Arduenna.

git. Cæsar lib. 6. Arduennā ad Neruios & Treuiros peruenire ait, amplius quin gentis millibus in longitudinē patēre. Alij tamen millibus stadijs quaternis dilatatam dixerunt. Strabo libro quarto, tamen presſius & adductius eam descripsit. Idem Strabo, proceris arboribus ipsam horrere ait, & spinosis dumorum ramis, contra belli impetus. Boccatius in longitudinem millium passuum amplius sexcentorum Arduennam patere dicit. Reuera sylua illa est, quæ à Metensibus usque ad Aquisgranum porrigitur, dicta Achteruuald, ut Ligurinus uoluit libro primo, illo carmine: Inde per Arduennæ saltus peruenit ad illum Vsque locum, cui nomen aquis posuere priores.

De Bacena, Cetio, Pinifero, Ardua, Bohemica, Carpatho, montibus & syluis. Cap. 19.

HErcynia ubi Gallias spectat, has quas nominaui syluas complectitur, inde longius euagata Cisrhenanas ciuitates circundat, & Bacenis dicitur, nos eam Nigram syluam nuncupamus, ut ait Celtes in Germania, & lib. Odarum, ubi infit: Bacenis illa dicta prioribus. Sed modò atræ nomen habet. Boccatius infinitæ magnitudinis hanc esse scribit. Cæsar idem lib. 6. in principio, & longo meatu pro natiuo muro obiecto, Sueuos à Cheruscis diuidere. Cheruscos à Sueuis prohibere uult, unde non illa iuxta Friburgum sylua est, quæ Nigra sylua dicitur, quæ multa oppida intercludit, & monasteria, & longo tractu ad austrum tendit, per totam Sueuiam se diffundit, & usque ad Necchari fontes, ut ait Celtes. Verùm potius Turingensium seu Bohemiæ nemus coniectatur, quod plus placeret, cum hi non Cherusci sint, quos Chreuchgaugios uocamus, ut latius libro decimo dicemus. Capnion noster libro primo Verbi Mirifici, Phorcen Bacenę ciuitatem dixit, & enarrator Ptolemęi hanc à Badensibus, inter Athesim Neccharum, Rhenum, Mogum & Danubium esse scribit Bacenam. Verùm hi Celtis opinioni subscripserunt diuersæ à nostra sententia. Celtes enim libro primo Odarum, Oda prima inquit, *Bacena.*

Hic ubi campis Athesis receptus,
Perpeti cursu rapior per alpes
Inde Rhenum repetens gelato
Fonte cadente.
Post caput magni ueniens ad Istri
Sylua Bacenis uaga ibi patescit
Saltibus, multa insinuans reductos
Arbore calles.

Alterius tamen sententiæ ego sum, nec Bacenam nigram syluam facilē concedam, & quidquid id est, lectori relinquam, cui sufficiat me ansam dedisse. Hercynia inde per Vindelicos dilatatur, cuius Claudianus meminit in Stilicone, Vindelicos saltus & Norica rura tenebat. Inde per Lycum & Isarum porrecta, ut Celtes ait, ad Danubij ripas humiliori uirgulta, Frisingam, Ratisponam, Patauium attingit. Inde ad Austriam ipsum Cetium montem circumsepsit. Cetius mons, ut Celtes ait, Caluus dicitur. Iuxta item Viennam, Pannoniæ & Noricis finem imponit, hic teutonicē Calenberg nominatur, unde & Cetium uinum. Inde moram apud Danubium retinet Hercynia, donec in Francos se uertit, ubi & Pinifer appellatur. Pinifer non sine naturæ admiratione quatuor flumina remittit, ad quatuor angulos terræ, ut in Germania Celtes, & Peutinger in Antiquitatibus asserunt. Nam in arcton defertur & in Turingos Sala, quæ in Albim *Cetius.*

 fluit.

fluit. Mœnus ad Zephyrum in Francos, ad Eurum Egram, Nabus ad Noricos. Idem Celtes in carmine de Hercynia sylua:

Pinifer.

Ex quibus ingenti dorso stans Pinifer atrum
Tollit in astra caput, liquidoq; à uertice quatuor,
Quattuor ad mundi fudit uaga flumina partes.

Et in Amoribus:

Piniferi cuius de uertice flumina quatuor,
Quattuor in partes orbis amœna cadunt.

Multa idem Celtes lib. 2 Odarum de Pinifero scripsit, & nos ubi de Fluminibus dicemus. Inde Hercynia sylua per Francos cum Mœno progrediens, Ardua appellatur sylua, Steigeruuald, ut ait Celtes, ramosq; diuidit: ab Euro enim cum Egra ad Bohemiam diuertitur, & nuncupatur Behemeruuald, & illos quasi natiuo muro circundat, ut Celtes, Aeneas Syluius in historia Bohemica profitentur: & idem Celtes de Hercynia sylua:

Ardua sylua.

Mox Francos Turogosq; petit Bohemosq; feroces,
Tanquam natiuo quos claudit undiq; muro.

Alia parte ad flumen Limagum usq; à Mœno prope Confluentiam diuertit, & uocatur Occidentalis sylua, Vuesteruuald, Meridionale autem latus eius Carpathum attingit, ut Celtes asserit. Carpathus mons est iuxta Polonos, hic ab antiquis dictus est Sueuus: habet autem nomen à Sueuo rege Tuisconũ, ut placet Beroso lib. 5, cuius hæc sunt uerba: Apud Tuiscones regnat Sueuus, & apud Celtas Celta, à quo nomina illi montes habuerunt. Reuera mons est Poloniæ, Poloniam à Germania diuidens. Celtes in carmine:

Carpathus.

Ast aliud Carpathus habet, qui spectat in Eurum,
Auspicium nostris niueo dans uertice terris.
Quem Sueuum priscis memini dictum esse libellis.

Boccatius hunc Germaniæ initium præbere collegit ab ortu Solis, & adeò magnum, ut in Cimbrorum usq; tendatur promontorium, cui Marlianus astipulatur, in dictione Suesij. Inde per Sarmatas protẽditur, id est Prussiam & Athyrsos uergit. Postquam Hercynia sylua itaque se ad Orientem flexit, diuidit Franciam ab Hassia & Turingia, in medio se aperit, & patet in sinum nodi quo Bohemiam recipit, & ad montes Morauiæ deuenit, Pannoniam à dextro, & sinistro Poloniam relinquit, ad Dacos & Getas diuertit.

De Oddonis, Picearia, & obnobijs, syluis & montibus. Cap. 20.

Sylua Oddonis.

Hercynia inde à Septẽtrione Oddonis sylua dicitur iuxta Heidelbergam. Hæc sylua Francos à Sarrabis, & Cattos à Cheruscis diuidit, autore Celte. Nauclerus Francos à Sueuis diuidere dixit, & trium dierum longitudine patere, & ut idem Celtes ait, teutonicè Odenuualt dicitur. Bilibaldus Pyrckaimer uir in omni disciplinarum genere instructissimus, in proxima ad me epistola, Oddonis syluam non esse hanc arbitrabatur, quam nos Celtis auctoritate ducti, Osternuuald nuncupamus, siue Odenuualt, ex Ottonis imperatoris donatione Ammerbacensis cœnobij, siue ex loco non ignobili Oddonheim. Sylua illa latronum feritate periculosissima, rudes quoq; homines aluit, ut uice prouerbij apud nostrates celebratum sit, Leberide incultiorem, Oddonis syluæ colonum dicere. Hercynia inde sylua iuxta Moguntiam dilatata, Piceariæ syluæ retinet appellationem, Speishart à picis multitudine dicta. Peruenit inde ad Obnobios, qui montes Hassorum sunt, Celte ac Aenea Syluio authoribus, ad

Prouerbium.

Rhenum

Rhenum ac Vuestualos protrahuntur. Ptolemæus ὀβνοβίους, Obnobios ipsos dixit, ex quibus Amasis fluuius oritur, lib. 2, cap. 10 & 4. Sunt qui Nigram syluam dicant, quibus non ausculto. Dum itaq; Hercynia sylua se flectit ad Orientem, diuidit Franciam ab Hassia, eandemq; à Turingia, Turingorum syluæ nomē assumit. Inde ad Sycambros per Cattos & Busactores, ad Buchoniam, inde iterum ad Turogos & Sorabos. Nūc etiā alio itinere me accingam, & per alios montes pedem moturus sum, qui cū Hercynia sylua nullā ducunt necessitatē. *Sylua Turingum.*

De montibus Germaniæ, Vogeso ac Alpibus. Cap. 21.

MOntes Germaniæ altissimi sunt, sicuti produnt scriptores, & niuibus maximè onusti. Aristoteles naturali lumine id indagauit, dum ratione uentorum id fieri dixit, ut in Problematibus sectione 25 constat. Iuxta Rhætias alpes principium Vogesus mons sumit, qui à Rhæticis alpibus oritur, longo inde tractu per duos ramos cornuum instar, ad Metenses & Treuiros porrigitur. Lingonum mōtem hunc esse putat Cæsar lib. quarto. De eo multa Marlianus. Lucanus libro primo, *Altissimi Germaniæ mōt.*

Qui curuam Vogesi super ardua ripam.

Huius meminimus in Odilia nostra, quæ in uertice montis illius miraculis coruscat. Mons ille Altitona antè dictus est, ut Annales Nouietensium dicunt, & prius ibi arx regum Francorum fundata fuerat. Childericus inde Franciæ rex ducatum hunc Aethiconi seu Attico, diuæ Odiliæ patri addixit, quo mortuo, S. Odilia monasterium illic condidit: quod & hodie à monialibus inhabitatur, de quo tres libros nuper scripsimus. Boccatius huius quoque montis meminit. Philesius in carmine de ipso Vogeso:

Mons Vogesus sumit Rhætis ex alpibus ortum,
Et uiridi costa te quoq; Treuir adit.
Gallica Teutonicis qui separat arua colonis,
Et Mediomatricæ mox uidet urbis agros.
Odilia in summo requiescit uertice montis,
Odilia Alsatici gloria summa soli.

Alpes multæ sunt secundum Marlianum, quædam Tarentasiæ dictæ, in quibus Cæsar in Galliam uenit, de his Ammonius, Liuius Dec. 3, Plutarchus, Plinius libro tertio, Strabo libro quarto, in fine. Sunt & alpes Rhæticæ, quas Heluetij tunc siue Suitenses colunt, de illis Ptolemæus, Strabo libro quarto, Plinius libro tertio & quarto. Et Claudianus in Stilicone, *Alpes.*

Et latus Hesperiæ quo Rhætia iungitur oræ,
Præruptis ferit astra iugis, panditq; tremendam
Vix æstate uiam, multi seu Gorgone uisa
Obriguêre gelu.

De Iura, Riphæis montibus, ac Gabrete. Cap. 22.

IVra mons diuidit Sequanos & Heluetios, ait Cæsar lib. 1 belli Gallici, iuxta Vogesum. Hunc Boccatius manifesto errore ductus, apud Sequanos montem Luram dixit per l, putassem textum negligentia librariorum corruptum, nisi de litera l, etiam Luram posuisset. Marlianus in finibus Constantiensium & Basiliensium incipere Iuram ait, & ad Sebusianos usq; protendere, nunc Bellicenses. Hunc Teutonicè ex uno latere Blanberg dici, in alio uerò Leberberg uolunt. Strabo lib. 4 Georg. Oeurasagum montē illum dici putat, & in fine eiusdem libri etiam Iuram uocat. Verba Strabonis sunt, cum Rhodanum traijciet *Iura.*

lacumue Lemannum, in Heluetiorum campos trāsitus est per Iuram montem. Hæc Strabo. Ptolemæus libro secundo, capite octauo, Iurassum nominat, ubi Heluetij sunt. Verba Ptolemęi sunt: καὶ μετὰ τὸ ὑποκείμενον αὐτοῖς ὄρος, ὃ καλεῖται ἰούρασσον, ἐλουήτιοι μὲν παρὰ τὸν ῥῆνον ποτ. ὧν πόλις γαννόδουρον. Riphaos montes terminos Germaniæ Picus ait:

Riphæi mõtes. *Riphæo Germania proxima cœlo,* in Hymnis.

Dicuntur ἀπὸ τοῦ ῥιπίζειν, id est, à flando: Græcè enim ῥιπεὺς dicitur, τοῦ ῥιπέος: Latini uerò ϖ in suam aspiratam φ, ph transferunt, ut etiam accidit in dictione τρόπαιον, trophęum. De illis Eustathius, Pomponius lib. 2, Herodot. lib. 4, Strabo lib. 5 & 11, Solinus, Plinius, Valerius Flaccus, & alij. Bilibaldus tamē Pyrckaimer undecunq; homo doctißimus, non esse nec fuisse unquā Riphæos montes, in epistola una mihi nuper significauit, cui eo libentius ausculto, quòd nulli iuniorum penitus de eis quicquam constiterit.

Gabrete. Gabrete sylua est ingens Sueuorum, ut ait Strabo lib. 7. Ptolemęus lib. 2, cap. 4 & 10 asserit, eius medium esse Hercyniam, cuius uerba prius posui: plura de illa Tacitus, non tamen eam nominat. Est, inquit, mons & mōtium iugum, quod Sueuiam dirimit sciditq;, ultra quod plurimæ gentes agunt. Hæc ille. Ego nisi Carpathus fuerit, qui Sueuus dictus est, & accolæ Sueui antiquitus fuerunt, ut libro ultimo dicam, uix conijcerem. Sunt & alij montes & syluæ in Germania. Boccatius Matracenos montes non longè ab Istro esse ait: Ptolemæus Sarmaticorum montium lib. 2, cap. 10 & 4 meminit, Orientale latus Germaniæ explicare. Forsitan Sarmaticos montes putauit. Hi hodie Kemuntz dicuntur. Meminit et Selibati montis, & Senanę syluæ: tanta nominum est uarietas, ut nulli coniectura ea colligere liceat, quæ sint. Pomponius Mela etiam tres montes nominat, quorum nomina interierunt. Mons iuxta Danubium incipit, qui in Orientem uergens, latitudine 20 millia passuum, lōgitudine magna, in capite Scherra dicitur, inde alpes, inde Alboch, inde Hertfeld, ubi Leuuingen, Vlma, Vuerdea, & aliæ ciuitates Sueuiæ sunt. de illo monte multa Nauclerus.

De quibusdam herbis in Germania crescentibus. *Cap.* 23.

NEc singularum herbarum Germania caruit, quod naturali indagine habere possumus, cùm ita paludinosa antiquitus Germania ferebatur. Raphanus in Germania puerorum infantium magnitudine reperitur, propter frigus, ait Plinius in nat. Hist. lib. 19, cap. 5. Est & aliud genus incultius, asparago ac mitius corruda, quod paßim in montibus nascens refertis superioris Germaniæ campis. Hæc Plinius lib. eodem, cap. 8. Ista itaq; ob antiquitatē adduximus.

Herba Glasca. De herba etiam glasca seu Britannica seu Germanica lib. 2, in fine disseruimus. Cætera herbarum genera cuiq; priuato cognita sunt.

De quibusdam montibus mirabilibus Germaniæ. *Cap.* 24.

MVlti præterea Germanorum montium sunt, quos miris speciebus ac uarijs rerum scatere compertum habemus. Memoratur mons in Turingiæ

Horrisonus. partibus, haud procul ab Isenacho, quem ideo horrisonum Eobanus dixit, teutonicè Hörselberg, ubi syluanos satyrosq; inhabitare fama diuulgauit. Mons Martis in Vuestualia fertur, zum Berg dictus, ubi tria altaria olim Marti dicata feruntur adhuc superesse, ac nocturnis temporibus locum satis horrendum uarias rerum species referre. Est & Caluus mons iuxta Hassos, ubi Caroli Magni uestigium adhuc cernitur. In alpibus Suiticis plerosq; aditus subterraneos patere asserunt. Vidi ipse multos, qui se penè deuiasse dixerunt, totumq; diem in

Mons Noruegiæ. illis tenebrosis speluncis oberrasse. Retulit mihi nuper Ioānes Virdung Astrologus doctißimus è Daniæ partibus rediens, in Noruegia formidolosißimum

montium

montium omnium conspici, Hechelberg dictum, ubi tantum clamorem exori ri eiulantium asseruit, ut pene integrum miliare tumultus dilatetur, fontesque duos diuersissimos scatere retulit, unum intolerandæ frigiditatis, alium intensissimi caloris feruere, in parua tamen distantia, coruosque nigerrimos crudelissimo clamore montem sine intermissione circumsonare, ut accolis religioni deditissimis persuasum sit, purgatorij speciem montem hunc præ se ferre. *Mons Noruegiæ.*

De alijs montibus & syluis, præter iam dicta. *Cap. 25.*

EST & Taunus Germaniæ mons iuxta Cattos, ubi Cecinna olim Germanos dolo strauerat. Sylua etiam in Vuestfalia, Teutenburgensis nominatur, in qua Vari legiones à Germanis desiderabantur, Tacito testante, libro primo Historiarum. *Taunus.*

Descriptio montium Germanicorum quorundam, secundum longitudinem & latitudinem. *Cap. 26.*

VEnio nunc ad Mathematices disciplinæ dimēsiones, ut & uideamus montium Germanicorū extensiones. Hercyniam prius descripsimus, prudens lector, si inquisitiori studio tenetur, Ptolemæum uideat, qui pene totam Hercyniam per gradus ac minuta descripsit. Dicearchus Græcus montem altissimum totius terræ Pelion. esse tradit, & eius altitudini 1250 passus concessit. At Plinius libro secundo, capite 47, Alpes Suitensium quinquaginta M. pas. assurgere se non ignorare scribit, libro secundo nat. Hist. cap. 67. Sunt & alpes à supero mari ad inferum, quæ Germaniam ab Italia diuidunt, in passuum decem millia extensæ à Cœlio referuntur. Timagenes Gręcus uiginti duo millia passuum in latitudine continere eas refert, Cornelius uerò Nepos centum millia passuum, Titus Liuius tria millia stadiorum. Plinius libro tertio nat. Histor. capite decimooctauo, tria millia ipsis tribuit. Montem etiam iuxta Danubium, qui Scherra dictus usque ad Vlmam, Vuerdeam, & in tota eius longitudine xx millia passuum possidere scribit Nauclerus. *Dimēsio montium Germaniæ.*

FINIS LIBRI SEPTIMI.

CAPITA LIBRI OCTAVI Exegeseos Germaniæ.

Dimensio

De scriptoribus fluminum Germaniæ. *Cap.* 1.

Scriptores fluminum qui.



PROXIMO uolumine pro concessa nobis facultate, terram ipsam Germaniæ, & quæ ex ea producuntur, descripsimus: nunc felici rerum serie iusto obseruato ordine, ad flumina Germanica & eorum quę fluminibus aluntur, mę contuli, maiori auctorum fiducia animatus, quàm libro præmisso. Tantò enim attentiùs fluminum Germanicorum memoria est à rerum scriptoribus exacta, quantò remisśiùs terræ Germanicæ. Illi itaq; qui formare Germaniam ingresśi sunt, plus honoris fluminibus quàm ipsi solo tribuerunt. Nullus enim ueterum etiam tam procul à rerum cognitione recesśit, cui non de Istro ac Rheno constiterit. Eratosthenes Homerum ideo literarum parentem uellicat, quod dum 40 flumina ad mare properantia posuerit, Istri oblitus fuerit.

De humiditate Germaniæ. *Cap.* 2.

Humiditas Germaniæ.

GErmaniam fluminibus impeditam maximi scriptores protulerūt. Cornelius Tacitus uniuersam Germaniam aut syluis horridam, aut paludibus fœtidam dixit. Idem Pōponius Mela & ipsum secutus Lilius in Georg. Hic, in quam, Mela lib. 3, maximè fluminibus Germaniam impeditam asseruit, & paulò pòst, Melsiagum in Germania locum esse ai, terram uidelicet fluctibus undique circūdatam. Claudianus in Panegyrico, Grermanorūq; paludes Eruis: cui, & ego eò libentius ausculto, quòd nullam regionem solam tot fluminibus oneratam, ut Germaniam, legerim. Cornelius Tacitus lib. 20, Germanos suetos fluminibus

minibus oneratam,ut Germaniam,legerim. Cornelius Tacitus libro uigesimo Germanos| suetos fluminibus scripsit:hoc enim in pluribus Germaniæ gentibus notum est euenire, quas uis aquæ propria sede pulsarit. Cauchos Germaniæ gentes,ut ait Plinius,lib.decimosexto & secundo,Oceanus ita inundat, ut nec pecoris, nec suorum ipsorum curam ac tutelam comprehendere posśint. Frisos in paludibus duce Mulorige consedisse collegit Cornelius in libro Histor. Rhegino Prumiensis iuxta Mosam in paludibus Nordmannos scribit se continuisse. Cornelius libro uigesimo ideo uenisse Germanos in Galliam affirmat,ut è paludibus & solitudinibus eorum fœcundisśimum solum Galliæ attingerent. Paulus Diaconus, Sabellicus & Orosius libro septimo, Valentinianum Saxones domuisse in inuijs paludibus indicabant. Ptolemæus libro secundo, Saxones in paludibus iuxta Cimbros habitare profitetur. Cimbri etiam uexabantur à mari. Mantuanus: *Paludes Germaniæ.*

Impetu præcipitat uada cœrula concita Cimber.

Idem:

Reppulit instantes uelut æquora concita Cimbros.

Et Claudianus in Honorio:

— Latisq; paludibus exit
Cimber.

Cimbros enim gentes inundatione pulsos, Floro, Strab. & alijs authoribus roboraui libro 6. Ephorus maius scripsit, Cimbris tam cum aqua quàm hostibus prælium esse, & necesśitatem. Clitarchus quoq; adducit Cimbros equis insidentes, uix posse inundationes maris effugere, licet à Posśidonio refellatur. Multa de illo Strabo libro septimo. Tantæ quoq; aliarum Germaniæ nationũ incursiones aquarum sæpè creuerunt, ut magis extremæ necesśitati quàm saluti consultum sit. Duæ Argentinensiũ inundationes præ cæteris famosisśimæ, aquarum eruptione ciuitatẽ ita quassarunt, ut eorum Annales dicunt, quo de periculo ciuitatis actũ fuerit. Aquarum ergo Germaniæ harena satis argumẽtum est: harenosa enim regio præcipuè in inferioribus partibus est. Plinius libro 17, capite quarto, Quid, inquit, pabulis Germaniæ laudatius? & tamen subest statim harena. Idem Plinius libro decimosexto, cap. secundo natur. Histor. miraculi loco hæc refert, ac eius uerba sunt: Aliud in syluis miraculum, intellige Germanorum, quod in totam reliquam referunt Germaniam: frigoris enim umbras litora ipsa obtinent, quercus maxima auiditate nascendi, suffossæq; fluctibus, aut propulsæ flatibus, uastas complexu radicum insulas secum afferunt, ut nauale prælium contra arbores inferant. Hæc Plinius. Quibus uerbis syluarum inundationes habemus. Plinio Herodianus subscribit libro sexto de Maximino agẽs, ubi Imperatorem asserit uicisse Germanos in syluis & fluminibus. Drusus quoque & Tiberius nauali bello plus pedestri egerunt, ut apud Strab. lib. 6 uidetur. Tempore quo Maximinus debellauit Germanos, Germani, ut Herod. ait, se absconderũt iuxta paludes, quæ si non Rom. impediuissent, totam German. subiecisset, ut & Iulius Capitol. collegit. Alludit Sidon. Apollin. libro 4: Si quis, inquit, deportaret philosophaturus, aut ad paludes Sycambris aut Getis, Alanis, &c. Panegyricus ad filiũ Constant. Fecisti, ait, immẽsam uastationẽ Bructeris, quæ natio paludib. plena est. Iosephus lib. 7, cap. 42, Alani Mæotidas paludes sedes habẽtes terrã eorũ perũdantes, &c. Et tãdẽ hæc de humiditate German. *Cimbrorũ inundationes.* *Germania harenosa.*

De piscibus Germaniæ. Cap. 3.

CAeterùm quoniam humiditatis Germaniæ memoria hîc nos admonuit, pauca nobis de piscibus, fontibus & lacubus dicenda sunt. Plura autem refer-

referre, quæ cuiuſcunque plebeiarij hominis iudicio conſtant, uanum duxi, uel uti ſerie quadam uniuerſa & ſingula piſcium genera recenſere. Verùm ut tantùm rariſsimæ ſortis piſces enumerem, Silurus piſcis, cuius meminerunt Albertus, Plinius lib. primo, cap. decimoſexto nat. Hiſt. præcipuè in Mœno Germaniæ amne, propter Lisbonum, & in Danubio uerſatur, mari inde extrahitur. Hic ſimilatur porculo marino, graſſatur ubicunque eſt, omne animal appetens, ſæpè natantes dimergens. Hæc Plinius. Hermolaus Barbarus fulgure eum ſopiri ait, & malè legi apud Plinium fulgore. Nam Ariſtoteles dixit ὑπὸ βροντῆς καροῦται. Silurum Ariſtoteles in libro de Animalibus τὸν γλάνιν uocat: ſimiliter Oppianus in libro ἁλιευτικὸν dicto. Suidas quoque glanin genus piſcis eſſe dixit, cuius uerba ſunt: γλάνις εἶδος ἰχθύος καὶ χρησμολόγος Βάκιδος ἀδελφός. Idem Heſichyus refert. Stephanus γλάνις ποταμὸς κύμης ὡς λυκόφρων, γλάνις δὲ ῥεέθροις δέξεται τέγγυον χθόνα, καὶ ἐκ αὐτοῦ ἰχθὺς γλάνις. Vbi fluuium eſſe probat ex Lycophronte poeta Lyrico glanin, & piſcem. Athenæus libro quinto Dipnoſoph. ex philoſopho in quinto de Hiſtor. ani. ſplendida quæque adducit. Ambroſius in libro Hexam. Captus eſt ſilurus, & inutilis prędа detecta eſt. Et idem: Et ſilurum qui minorum piſcium uiſceribus aluum replet. Hunc ſilurum quidam ſturionem appellant. Scribitur autem per i: nam Sylurus per y nomen uiri eſt apud Plutarchum, & Silurus inſula dicitur referente Solino. Trichiæ quoque ſolum Danubium intrant, inde ſubterraneis uenis in Adriaticum fluũt, ut ait Plinius lib. 9 nat. Hiſt. cap. 16. Hermolaus Barbarus ex Speuſippo Græco, Germanica genera piſciũ plura allegat. Sunt enim paria genera, inquit, pſitta, bugloſſus, eſcharus, qui & coris dicitur, tænia, dorion. Et addit: Accedit quòd ad Oceanum Germanicum & Belgicum, non aliter uocari piſcem ſoleam aduerti, quàm tongem, ſignificante linguæ uocabulo. Hæc Hermolaus ex Ariſtotele, & Archelao allegauit. Haleces quoque in Germania piſcari uoluerunt, quæ apud Ariſtotelem ſecundum aliquos τὰ μαινίδια dicuntur. Has Scandia inſula Oceani nutrit, dicente Celte: Oceanum Codanumque uidens, ubi Scandia diues Haleces totum mittit piſcoſa per orbem. Alij è Gotlandia haleces, & illos piſces quos Strumulos uocamus, deferri uoluerunt, alij ab Islandia dicunt. Nec Conſtantia Sueuiæ urbs ſuo honore defraudanda eſt, hæc enim totius Germaniæ piſcoſior urbibus: tanta illic piſcium magnitudo, tantum decus, ut hæc ſola totius Germaniæ limitibus piſces ſufficeret: illic ditiſsimi piſcatores, tanta re tia, ut centum aureis comparētur, octo aut pluribus robuſtiſsimis hominibus, in naui per tenaciſsimas machinas agantur, quod Picus noſter miratus carmini ſuo Stauroſt. inſeruit dicens:

Glanis. Trichiæ. Conſtantia.

Viditque lacus, qui molle pererrans
Muros piſcoſæ ſubiectos perluit urbis,
Quos Conſtantini proles oriente ſubacto
Condidit, & proprio ſignauit nomine.

Celtes in Germania lacus uaſtos inexcluſos, & perpetuos, piſcoſosque horrere aſſeruit, diuerſo piſcium genere. Almonus etiam Bauariæ fluuius ditiſsimus prȩſtantioribus memoratur piſcibus, quod idem Celtes oſtendit lib. 2 Odarũ:

Abundat
Almonus. *Almonus cuncta ſuperans ſaporo*
Flumina piſce.

Plinius lib. 31, cap. 2 refert, in Danubio eſſe nigros piſces, & hos mortem afferre hominibus eos comedentibus, donec ueniat ad fontem alueo oppoſitum, illic id piſcium genus deſinere. Dracuntius in Rheno Delphinos Marinos reperiri

periri uoluit, & anguillas, & uaria piscium genera. Nauclerus anguillas in Rheno reperiri dixit, & in omnibus fluminibus Rhenum petentibus: in Danubiũ uerò amnes se exonerantes carere anguillis.

De fontibus Germaniæ. *Cap.* 4.

NVnc nobis cum fontibus Germanicis res erit, quos ęquè spectabiles, nec minoris admirationis Germania, quàm cæterę terrarum nationes produxit. Celebrabatur fons penes Tungros, olim Galliæ, nunc Germanię populos, qui corpora leuat, & uitia calculorum deprimit, ut Plinius libro 30 scribit. Est & fons Geppingę supra amnem Philisium, uini colore similis, ut Capnion asserit, uir omnibus numeris uirtutum & spacijs perfectus, lib. 1 Verbi Mirifici. Sunt et Mattiatici fontes in Germania trans Rhenum calidi, quorum haustus triduo feruet circa margines ueri, ut placet Plinio 31 nat. Hist. cap. 2. Mattiaticum autem non longè à Belgis & Rheno, stadijs à Moguntiaco plus 1400 situm est, ut ex Ptolemæo habemus. Martialis pilas Mattiaticas pro sapore dixit. Ferebatur & fons in Germania dulcis aquæ, pota autem ultra biennium dentes extrahit, & compages in genubus soluit: ei tamen malo Germanica herba medetur, cuius meminimus lib. 2, cap. 26. Hæc Plinius lib. 25 & Zacharias Lilius. Sunt nostro seculo alij memorabiles fontes in Germania, fons apud Heluetios nõ longè à Turicensibus & Vnderuallis, quo poto, massam carneam circa collum bibentibus efficit: proprium autem illius nationis est habere massam, ista uerò carentes, alijs ludibrio sunt. Est & fons apud eosdem non longè à Turicensibus, ubi stultos aquæ proprietatem imbuere fama est, nec domum immunem adeò esse, quæ non tres aut quatuor aluerit fatuos. Memoratur nostræ tempestatis fons apud Rapolsteinenses in prædio Alsatiæ, qui morbos expellit, curas leuigat, ita ut ibi homines diutissimè uiuant, & nonaginta annos excedant, dum uix quinquaginta ingressi uideãtur. Iuxta Rhenum salubres Celtes esse fontes & Dracuntius collegerunt. Varias planè uires natura in fontibus cæteris Germanicis ostendit, ad quas tradendas si occuparer, maiores haberem occasiones penè quàm Plinius, & æquè mirabiles. Nunc ad lacuum memoriã descendam.

Fons Tungrorum.

Geppingen.

Fons Mattiaticus.

Mira de fontibus.

De lacubus Germaniæ. *Cap.* 5.

LAcus multi & uastissimi penes Germanos horrent, & præcipuè quo Gallias respicit, ut ait Cornelius, humidior est Germania. Maximi tamen omnium lacus penes Heluetios illo seculo, & præcipuè Constantienses feruntur, de quibus Strabo lib. 4. Rhenum per ipsum fluere, ac Cerethes cum Vandalignis eum inhabitare asserit, & lib. 7. Georg. in Hercynia lacũ posuit, cuius perimetron supra trecenta stadia, spacioq́ ducentum dilatari uoluit, quem Vindelici, Heluetij & Rhęti accolant. Hæc ille. Coniectura est Strabonem Constantiensem lacum hunc putasse, teutonicè der Bodmersee, à domino Bodmeorum dictum, Picus in carmine Staurost.

Lacus Constantiensis.

— Viditq́ lacus qui molle pererrans
Muros piscosæ subiectos perluit urbis.
Audijt & timidi iam ditior accola Rheni,
Quiq́ lacu missus leni submurmurat unda.

Ammianus Marcellinus lib. 16 de lacu isto huiusmodi protulit: Brigantiæ, inquit, inter mõtium celsorum anfractus impulsu immani Rheni tenditur uastus & rotundus lacus, quem Murigaugiam accola Rhætus appellat, per quẽ quadraginta & 60 stadia longum pariq́ spacio latè diffusum horrere aiunt. Tigurinorum lacus inde dicitur, qui apud Turegos est, ait Marlianus. Alij Heluetiorum

Tigurinus lacus.

rum lacus nomina ab accolis accipiũt, de illis multa ſcribunt Nauclerus & Dracuntius. Verùm quia parum à ſcriptoribus cæteri lacus celebrati ſunt, remitto.

Fleuus. Fleuus lacus eſt Germaniæ inferioris, quem Rhenus intrans, & aquarum copiam trahens, de ſeipſo longum poſt diſcurſum inſulam parat Fleuam, inde iterum exit, ut ait Boccatius. Plinius quoque hunc Fleuum uocat lib. 4 nat. Hiſt. cap. 15. ſimiliter & Pomponius Mela, lib. 3. & alij. Lacus quos Rhenus efficit, dicuntur Acromius & Venetus, ut Pomponio Melæ libro 3 placet. Boccatius idem Metram & Sueuiam Germaniæ lacus tradit. Limagus lacus Germaniç ad

Limagus. ſcribitur, cuius meminit Volaterranus libro ſeptimo Commentariorum. Sunt qui hunc fluuium dicant eſſe Lemannum. Bebelius negat, pluribus onuſtus au ctoritatibus: influit autem Rhenum. Cæteros lacus prętereo: Bauaria enim ita irrigua eſt, ut hæc ſola iuſto uolumini ſufficeret.

De Oceano Germanico. Cap. 6.

Oceanus. FOntibus lacubusq́ Germaniæ expeditis, flumina ſe offerunt: quanto autẽ cæteris fluminibus nobilior præſtat Oceanus, tanto penes conſentanearũ rerum ſeriem prior alijs illuſtrabitur. Vt ſcriptores honeſtiſsimè meminerunt, unum tantum mare eſſe dicitur, ut ait Dionyſius, uerùm plura habere nomina. Pomponius Mela libro 1, cap. 1 Id adeò magnum eſt, & infinitum pelagus, ut totam terram ab illo circumfluam dixerint, ſicuti Ptolemæus libro θ. ὡς καὶ δὴ τὰ πάντα τὴν πέδι τὸ περιωρίσθαι τὴν γῆν ὅλην ὑπὸ ὠκεανῷ. Id eſt, Vt & undiq; totam terram menſurando cinxerunt Oceano. In eadem ſentẽtia fuit Homerus, ut de eo

Quatuor maria. teſtatur M. Cicero in lib. de Somnio Scip. Dionyſij uerba ſunt hæc: Nam terra ſolo præcingitur omnis Paruaq́ cœruleo caput effert inſula ponto. Alij quatuor maria inde ex Oceano fecerunt, ut Pomponius Mela in primo, & Strabo libro 3 uoluerunt: ſed de Germanico nihil meminerunt. Nam Strabo in loco prę allegato, ac ſimiliter Dionyſius, omnia quaſi Oceani genera poſuerunt, nihil de noſtro. A' Septentrione igitur ſcriptores dixerunt eſſe mare Caſpium, uel Hyrcanum. Sed ut aliquid lectori de eo conſtet, Germanicum mare plura ſortitum eſt nomina, ſecundum diuerſas Germanicas nationes. Illud enim quod apud Liuoniam ſeu Pruſsiam horret, Baltheum mare dicitur, authore Aenea Syluio, teutonicè die Oſt See. Celtes illud in Odis libro tertio, totum ferè his explicauit uerbis:

Baltheus dictus ſinus à latratu
Clauſerat noſtrum glacialis orbem.

Suiticum. Cornelius in Germania in fine Suitium ſiue Suiticum mare uocat: loquitur enim de Gleſſo in Germania creſcente: Ergo iam dextro, inquit, Suetici maris littore Aeſtiorum gentes alluuntur, quibus ritus habitusq́ Sueuorum eſt. Multa Volaterranus libro ſeptimo, & Ligurinus libro quinto, ubi de Polonis agit:

Tangit ab arctoo Suitici maris æſtuat ora.

Hoc mare & Codoneum dicitur. Celtes in carmine Hercynij:

Sed mare Codoneum Germano nomine dictum.

Hoc mare eſt in Baltheo ſinu. Alij uolunt eſſe ſinum, ut Pomponius Mela, Hieronymus in Supplementis Euſebij. Ptolemæus Arctoum mare hoc uocat libro 2. Plinius libro 4 cap. 3, poſt Parmam inſulam ſcribit Germaniç proximum montem ibi Codoneum refertum inſulis, quarum maxima ſit Scandinauia, & Codanum eſſe in mari Gallico. Volaterranus libro ſeptimo Commentario-

Locus Volaterrani. rum, Codauum uocat nomine corrupto, & malè. Pomponius Mela Codauoniam hanc nominauit inſulam, & Teutonas ſuo tempore adhuc hanc incoluiſſe regionem. Plura Iornandes de rebus Gotthorum libro primo, ubi de Scandia loquitur:

loquitur. Huius maris meminit Lilius, qui Codanum sinum in Oceano Germanico posuit. Nescio in eo loco quid de Plinio sentiam. Celtes quoque in mari Germanico Scandiam ait & Codanũ, loca ubi succinus nascatur, lib. 1. Odarũ 15,

Non tot procellis Codanus æstuat
Ferox sonoris quando aquilonibus, Locus Lilij.
Luctatur Eurus, succinumq́ Littore colligitur Pruteno.

Ex quibus uerbis iuxta Prutenos esse Codanum habemus, & prius Germanico nomine dictum mare Codoneum. Zacharias Lilius Codoneum mare à Seuo seu Seno monte dixit denominatum. Hæc de illo.

De mari Cimbrico, & maris diuisione. Cap. 7.

Alterum mare Cimbros habet, & Germanicum est, licet lacus appellationem sumpserit. Celtes Cimbricum mare dixit à Cimbris:

Tandem & Cimbriacum uagus exoneratur in æquor, Cimbricum.
A Cimbris quod nomen habet, ubi proxima Danis
Chersonesus adest rigidum porrecta sub axem.

Ab alijs præterea mare Accianum dicitur, quod mari nusquam simile esse, uerùm aquis passim interfluentibus, uagum & diffusum spargi, aiunt Pomponius Mela & Lilius. Ibi Teutones & Axenum quoq; mare dixerũt esse scriptores. Axenum. Illius meminit Orpheus in Argonauticis, cuius uerba Latina sunt: Axena per freta Colchos Denique delatus adhæsit Iason: uerba eius Græca allegat in quodam opere Plutarchus. Theocritus in Idyl. N.

πεζὸς δ᾽ ἐς κόλχους τε καὶ ἄξενον ἵκετο φᾶσιν:

In Colchim Phasim pedibus & in Axena uenit. Valerius Flaccus libro 8. ac Apollonius Rhodius in Argonauticis, Lucia. in dialogo φιλία, ὅτι ἄξενος ἐκαλεῖτο, οἷα οἶμαι ἀγρίων ἐθνῶν περιοικούντων. Id est, Ideo Axenus dicebatur, quia feroces gentes allueret, nunc autem Euxinus dicitur, referẽte Plinio. Strabo libro septimo, Ouidius in Tristibus de Euxino:

Dictus ab antiquis Axenus ille fuit. Maris Germanici diuisio.

Et Dionysius in descriptione orbis ita inquit: Post hos Cercecij, iuxta quos Axenus altis Fluctuat æquoribus. Ptolemęus Ciuitatis libro tertio, ἀξίου meminit peri. Dictus autem est Axenus, quasi inhospitalis: ἄξενος enim ut ait Strabo libro 7, propter raritatem nauigationis. plura Eustathius. Strabo etiam paulo pòst à Scythis id dictum ita uult, ob eorum inhumanitatem erga hospites: est enim pelagus Scytharum. Capnion in epistola ad Fridericum Saxoniæ ducem plura de illo, & Saxones illic consedisse uult. Vnde quamuis non me fugiat, Axenum pontum à longinquo ad Germaniam attinere libro tamen huic id inserere uolui, ob frequentiam Scytharum & Germanorum id mare incolentium. Axenus. Verùm ut rem componam, unum est mare quod Germanicum dicitur, hoc ergo mare finem põnit sub Arcton, ultra tamen Britannia & Thyle est, & ea quę nuper Portugalliæ rex reperit: in alio loco dicitur Codoneum & Baltheum. Inde ad Cimbros peruenit, & Cimbricum nominatur: ibi enim Chersonesus est, ac mare ita diuiditur, per duo spacia, Cimbrici & Codonei mariũ. Hæc tumultuariè ex Celte, cui subscribit Claudianus in Stilicone illis uerbis:

Nec Cimbrica Tethis
Diuisum bifido consumit sæpè meatu.

Lilius Codoneum sinum à monte Seuo usque ad Cimbrorum promontorium extendi scribit. Vocatur autem nunc Cimbricus Chersonesus, teutonicè, das land von Holsteyn.

Contra Strabonem, qui mare Arctoum dixit frigoris gratia congelatum, ita ut nauigari non posit. *Cap.* 8.

Boreale pelagus innauigabile.

STrabo Boreale pelagus gelu ita rigidum dixit, ut enauigari non posit, ac Scythicum itidē. Hunc secutus est Dionysius Lybicus, cuius translata uerba hæc sunt, interprete Prisciano: Oceanum boreo contingit frigore durum, Et picus in Staurosticho huic sententiæ proximus, ait:

Senserunt amnes, senserunt æquora longe,
Aequora torpenti glacie concreta sub axe.

Peutinger tamen summo ingenio, maioris opinionis, maximæ præstantiæ uir, & ante eum Aeneas Syluius huic opinioni nigrum adiecerūt calculum. Solinus omne mare ab Indico usq; nauigabile esse scribit. Multa etiam de mari Arctoo capite 31. Plinij uerba sunt, libro 2, capite 69: Septentrionalis, inquit, Oceanus maiori ex parte nauigatus est, auspicijs diui Augusti nauigantis, & circumuehentis Germaniam classe, ad Cimbrorum usq; promontorium. Hæc Plinius. Lusitani, Peutingero & Solino authoribus, ut & Pomponius Mela ait, libro 3. ab India usq; ad Germaniam uenerunt. Otto Frisingensis Indiæ negociatores Germaniam tetigisse affirmat. Plinius in loco prædicto, & Cornelius Nepos scribunt, mercatores Indiæ in Germaniam delatos, Celeri Metello à rege Sueuorum donatos, quanquam in libris Pompeianis à rege Lydorum legatur, quibus subscribit Hermolaus Barbarus. Verùm ut & de nostro seculo loquar, à rege Hyperboreo satis superq; perlustratum est illud pelagus, & à mercatoribus in dies imbuitur. Venię locum Strabo meruit, quia ei mare hoc incognitum tradit. Verùm maiores fluctus Strabo concitauit de Albi. Verba Strabonis sunt ex lib. septimo Geographię: Germanorum regio, quæ ab exitu Rheni usque ad Albim cognita est, quæ uerò trans Albim spectat, prorsus incognita. Nullum enim priorum ad Orientem usq; ad Caspij maris hostium peregisse nauigationem percepimus. Neq; Romani Albim transcenderunt. Et subdit: Nec illos supra Pontum nouimus habitantes, nec quantum ab Atlantico remoti sint pelago, neque an huic propinqui fuerint. Hęc Strabo. Et idem libro 2, Polybium & Pytheam scripsisse profitetur, totam Europam ab ipsis mensuratam, à Gadibus usque ad Tanaim, & Eratosthenem quędam totum spectasse Septentrionem.

Strabōis locus. Adiungit Strabo: Hermi illa afferenti non crederetur. Ecce contra Polybium & Eratosthenem in ea re quàm pertinaci contentione Strabo conflictatur, qui dignior magis suspicius obtrectationis esset. Veniam tribuit ob ignorantiam confessam Eratostheni, non in eo albo erranti: quo pacto igitur errori Strabonis ignoscamus, in eo perseuerāti & reo? Partes Strabonis Iornandes Gotthus uidetur tueri in principio, alijq; plures, secus tamen eruditis persuasum est.

De quibusdam Germanici maris nouitatibus. *Cap.* 9.

Nouitates Germaniæ.

VErùm quia à mari Germanico admonemur, quædam miratu digna nobis dicenda ueniunt. Vt enim scribit Methodius Martyr historiæ indagator, quo ad Occidentalem polum, pars est in mari illo, quod umbilicum uocant. Ibi, ait, bis fluctus absorbere Pontum nimia celeritate, & esse in eo uoraginem instar Virgilij Charybdis in freto Syculo feruentis. Hoc & horridum mare à laruis esse scripserunt historici. Picus iunior de superstitiosa prænotione, libro quarto, capite octauo: In insula Noruegia ad Oceanum Germanicum, scripsit, umbras hominib. sæpè occurrere, & signo crucis inde effugere. Quod & Claudianus uersibus illis protulit, libro primo ad Ruffinum:

Est locus extremum pandit qua Gallia littus,

Oceani prætentus aquis, quo fertur Vlysses
Sanguine libato populum uouisse, silentum
Illic umbrarum tenui stridore uolantum
Flebilis auditur questus, simulachra coloni
Pallida, defunctasq; uident migrare figuras.

Est & illic antrum, ut Paulus Diaconus lib. primo, & Methodius martyr scribunt, sub eminenti littore, ubi septem uiri iacuerũt, sopiti longo tempore, sine ulla corruptione, & sæpè populos ad ipsos lædendum egressos continuò fuisse contractos. Deniq; accolas pœna pręsenti cautos, ab ipsorum læsione destitisse aiunt, & ibi homines carnibus humanis uesci scribunt, insulam Stritobim incolentes, hirtis pellibus uestiri, ex ceruorum exuuijs, in modum tunicæ genu tenus aptatis, & ibi in locis circa æstiuale solstitium per aliquot dies, noctu quoque lucem clarissimam cerni, multoq; dies nostris diuturniores: circa uerò solstitium hyemale præsentem lucem non posse uideri. *Septem dormientes.*

Ratio naturalis ac Astrologica, cur mare Germanicum adeò infletur. Cap. 10.

Motum autem illius maris Gellius ostendit lib. 3, cap. 30 noct. Attic. Causa motus est, inquit, quòd uenti Septẽtrionales ex altiore cœli parte in mare decidentes, deorsum sub aquarum fluctibus quasi præcipites deferuntur, undasq; faciunt, non prorsus impulsas, sed ui commotas, quæ tantisper erutæ uoluuntur, dum illis infusi desuper spiritus & uis maneant. Hæc ille. Vnde notandum Septentrionale pelagus plus alijs feruere, quia boreas illic imperium exercet: quod Apollonius primo Argonauticorum ostendit dicens: *Mare Germanicũ cur adeò infletur.*

Ζεὺς δὲ ἀνέμου Βορέ' ἀόμενός τε κίνησεν: Id est,

Iuppiter inspirans boream excitauerat auram.

Vbi paulo post de ira Boreę multa ac uaria disseruit. Cur autem maria talem habeant impetum & feruorem, uarias naturalium rerum causas indagauerunt scriptores: aliqui enim Lunam in causa dixerunt, ut Plato, Albertus, Plinius libro 2, cap. 2, & lib. eodem, cap. sequenti, & lib. eodẽ, cap. 99. ac Aristot. lib. 2 Metheororum, & alij, in quorum sententiam iurauit Silius Italicus lib. 3,

— Regina uagæ pelagiq; labores
Luna mouet, luna immissis per cærula bigis
Fert refertq; fretum, sequiturq; reciproca Thetis.

Pomponius Mela libro tertio: Oceanus, inquit, infinitum pelagus est, magnis æstibus concitum: ita enim motus eius appellant, modò inundat campos, modò latè inundat, & refugit, nũc alios aliosq; inuicem, & alternis accessibus, nunc in hos, nũc in illos irruit, &c. Et subdit, aliquos Lunam causam esse uoluisse. Multa Strabo libro tertio. Plinius libro secundo nat. Histor. cap. 99. Lucanus Venerem causam dixit, Macrobius, Martianus Capella, Aulus Gel. libr. tertio, cap 30 noct. Attic. Philostratus etiam causam dicere nititur concitandorum fluctuum marinorum: τὴν δὲ αἰτίαν, inquit, ὑπὲρ πολλὰ εἰκάζων, δι' ἣν ἄπειρον οὕτω πέλαγος ἐπιχωρεῖται καὶ ἀναστᾶται, δοκῶ μοι τὸν ἀπολλώνιον ὑποσκέψεται τὸ γὰρ μίᾳ τῶν πρὸς ἰνδοὺς ὑποσολῶν, τὸν ὠκεανόν φησιν ὑφ' ὕδροις ἐλαυνόμενον πνεύμασιν ἐκ πολλῶν χασμάτων, ἃ ὑπ' αὐτόν τε καὶ περὶ αὐτὸν ἡ γῆ παρέχεται, χωρεῖν ἐς ἔξω, καὶ ἀναχωρεῖν πάλιν. Id est: Causam sæpè ego perscrutatus sum, ob quod pelagus tam uastum accedat ac sufflетur: mea sententia causam Apollonius in una epistola ad Indorum sapientes honestẽ tradidit, ubi mare à spiritibus sub aqua existẽtibus, ex multis hiatibus impulsum, quæ partim in ipsis subsunt, & ad terram diffunduntur, & sæ- *Motus mariũ.*

pè accurrunt,atq; iterum recedunt.Plura legere cupiens de illo, uideat Plutarchum in libro inſcripto, διὰ τί ἄλλων ὑγρῶν ἐν τῷ κινεῖσθαι καὶ στρέφεσθαι ψυχομένων τὴν θάλατταν ὁρῶμεν ἐν τῷ κυματοῦσθαι θερμοτέραν γινομένην: cuius uerba neceſsitate operis noſtri adducti præteriuimus.Quod autem Germanicum mare fluctibus uſqueadeò intumeſcat,alij cauſam æſtus eius,quo fertur in boream,reijciunt,qui in regionibus Septẽtrionalibus grauior appareat,ut enarrator Apollonij Græci inquit.Ventus enim ille Septentrionalis, πόντῳ ἐμπνεύσας ὄρινε, μέμυκε δὲ γαῖα καὶ ὕλη, πολλὰς δὲ δρύους ὑψικόμους. Id eſt, Ponto incidens turbat gementem terram ac nemora impellit,arbores alticomas ac pinus refertas concutit.

De periculis maris Germanici. *Cap.* 11.

Difficultas maris Germanici.

NVllum eſt mare non periculoſum,ac πολυφλοίσβιον,ut Homerico attributo loquar,longè tamen cætera maria Germanicum pelagus terrore ac periculis excedit, & dum raro incolumes ac reduces nauigatores reſtituit: unde à Strabone ἄπλωτον, id eſt, innauigabile dicebatur.Difficultatem illius maris Ouidius in primo Triſtium tot elegijs explicauit. Cornelij Taciti uerba ſunt in initio libri Hiſtoriar.ubi de Druſo loquitur:Quanto uiolentior, inquit,cætero mari Oceanus,ita truculentia cœli præſtat cæteris Germania terris.Mare autem illud tam uaſtum & profundum eſt, ut nouiſsimum credatur, & ſine fine mare. Et ibidem multa de difficultate maris Germanici diſſeruit, multa ſimul ibidem de maris illius formidine ſcripſit.Herodotus quoq; libro quarto, Plinius & alij,pontum maximè admirabile mare dixerunt.Minus autem id mare ſalſum eſt,lenius ac dulcius cæteris,quia plures exhalationes ſunt circa meridiem quàm Septentrionem,ut placet Alberto ac Plinio libro natur. Hiſtor. ſecũdo, capite nonageſimonono.Quint.Curtius Caſpium mare cæteris dulcius eſſe dicit,& id Septentrionale eſt.

De alijs maris Germanici ſpeciebus. *Cap.* 12.

Miracula maris Germanici.

STrabo grauiſsimus auctor, libro ſeptimo Georgic. de miraculis Ponti & maris Germanici tacendum putat eſſe, ob uariam ac miram ſcriptorum de eo memoriam. Plinius enim libro decimoſexto natur. Hiſtor. capite ſecundo.Pythias Maſsilienſis,Clearchus,& alij,ſtupenda omnibus de mari Germanico cecinerunt. Cornelius Tacitus in libro de Germania, illic Helluſios eſſe ſcribit, quos Ammianus libro uigeſimoſecundo Heillios nominat, & Oxionas,qui ſub uultu humano membra reliqua beſtijs æqualia gerunt.Solinus mare illud inhabitantes tam patulas aures habere putat, ut reliquum corpus tegant illorum propendiculo.Cornelius Tacitus in Hiſtorijs, Druſi milites Germanico pelago deuiaſſe indicat, & uaria rerum miracula in mari uiſa teſtatos, uim ſcilicet turbinum,inauditas uolucrum ſpecies, monſtra maris, ambiguas formas tam hominum quàm animalium.Cætera maris illius miracula uſque ad librum decimum reſeruauimus,donec de inſulis Germanicis agemus.Pytheas Maſſylienſis Græcus mare illud intumeſcere aliquando in octingentorum cubitorum eleuationem ſcribit,referente Plinio libro ſecundo,cap.99.

De dimenſionibus maris Germanici. *Cap.* 13.

Longitudo & latitudo ponti.

REdeo nunc ad dimenſionem maris Germanici,cuius longitudinem ac latitudinem colligere nulli facile eſt: pauci etiam hactenus tentauerunt. Tamen ut aditum noſtris ſucceſſoribus præſtitero, quæ mihi uidentur cognitioni huic poſſe condonari,adſcripturus ſum. Herodotus libro quarto,Ponti maris longitudinem eſſe 11000 ac centum ſtadiorũ,latitudinem uerò trium mil. ac ducen-

ducentorum. Cuius sententiam ob id probo: expedita enim nauis omnibus rebus prouisa, sub longo die 70 millia pas. meat, noctu uerò 60. A Ponto autem ad Phasim, octo noctium ac nouem dierum spacio nauigari posse compertum habeo, quæ sunt mille centum ac decem mil. passus, hoc est, stadiorum 11 mil. ac centum. Et hæc maris longitudo. Latitudo uerò à Scythia ad Tesmyarum, triū dierum, duarumq; noctium nauigatio est. Passuum igitur 3400, stadiorum autē tria millia & trecenta. Sic Herodotus suas dimensiones sub tali forma prosequitur, & nos hæc ex Martiano, Plinio, Strabone ac Herodoto collegimus.

Flumina Germaniæ facile congelari. Cap. 14.

A mari ad aliorum fluminum memoriam descendam: ea tamen prius subiungam, quæ cum mari etiam flumina habent communia, ut facilè congelantur. Gellius enim hoc mare congelatum scripsit, & Herodotus Bosphorum stringi ac gelu cōsistere dixit. Pomponius Mela & partem maris frigoribus obdurari asserit. Vnde Ouidius in Tristib. *Aequor Germanicum congelatur.*

Vidimus ingentem glacie consistere pontum,
Lubricaq; immotas testa premebat aquas.
Nec uidisse sat est, durum calcauimus æquor,
Vnda non udo sub pede summa fuit.
Vidimus in glacie puppes hærere ligatas,
Nec poterat rigidas cudere remus aquas.

Et nos prius ex Strabone probauimus, mare illud frigore constringi, uerùm non adeò, ut penitus nullo tempore fuerit nauigabile, ac ideo rationem Strabonis impugnauimus. Ad flumina Germanica me conferam, quibus ut cum cæteris Germaniæ fluuijs communis est congelatio, ita & propria. Herodianus lib. 6, postquam de Rheno ac Danubio disseruit, adiecit, eos æstate quidem nauigabiles, in hyeme uerò adeò concretos, ut ἐν πεδίων σχήματι καθιππεύονται, in morem camporum equitentur. Est autem, inquit, glacies eorum tam solida, ut non tantùm equorum ungulis, καὶ ποσὶν ἀνθρώπων ἀντέχειν, ut uerbis eius loquar, uerùm & hominum pedibus subsistat, & qui hausturi ex eo sint, non tantùm urnas aut uasa secum afferant, sed & secures ac dolabras, aquamq; concretam ueluti lapidem secum deferant. Et addit: φύσις γὰρ αὕτη τῶν ποταμῶν αὕτη, hæc enim natura illorum amnium præ cæteris est. Dion quoq; Grecus author tantam obduratam glaciem Danubio contingere ait, ut eo congelato per ipsum transfugientes Iazyges Antoninus prostrauerit, ut idem Dion in Traiano testatur. Exequitur & illud Ouidius in primo de Ponto: *Danubius & Rhenus congelantur.*

Cæruleas uentis latices durantibus Ister
Congelat, & tectis in mare serpit aquis.
Quaq; rates ierant, pedibus nunc itur, & undas
Frigore concretas ungula pulsat equi.

Strabo Mithridatem in glacie uicisse Barbaros asserit, & Iustinus Scythas à Philippo rege glaciato Istro uictos ostēdit. Virgilius etiam de illo hoc innuit:

Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ.

De fluminibus Germanicis, & eorum dimensionibus. Cap. 15.

Volui nuper rem à paucis hactenus expeditam lectori studioso conficere: uidi etiam eam à me operis nostri necessitatem ac officium nunc susceptum expostulare. Fuerunt enim qui fluminibus proprias latitudines, longitudines *Dimensio fluminū Germaniæ.*

dines per gradus ac minuta ac demum ſigna adſcripſerant, & multò perfectius iudicio noſtro, multò abſolutius Ptolemæo, homine alioqui ad naturam inueſtigandam nato. Tantumq́ itineris in eo negocio perfeci, ut multis Mathematices diſciplinæ libris collectis, quatuor ex omnibus mihi delegauerim, qui mihi ſatis regionibus ab ipſis deſcriptis, ac ſibi feciſſe uidebantur. Anteſignanus erat Ioannes Schonerus Mathematicus, ſecundas partes Ioanni Eſcuidenſi tribui. Nec alij defuerant rerum ſcientia ac eruditione illis cōferendi. Gaudebam prima fronte auctorū, ſperabamq́ dimenſionibus illis nonnihil ſplendoris noſtris enarratiunculis accedere poſſe, præſertim dum illorum additione nihil penitus ſupereſſe exiſtimabam, quod ullo pacto Germaniæ inſeri aut intrudi potuerit. Verùm dum oculatiùs rem ipſam aſſumpſi, tantam uidi auctorum inter ſe in collocandis dimenſionibus litem, ut Germaniæ præſtiterit conticuiſſe potius, quàm obſcuritates eius obſcuriſsimas intricaſſe. Fuiſſet profectò potiſsimum opus, quod ullo pacto patriæ noſtræ imputari potuiſſet, ſi ullius ſtudio ad tantam deſcriptionis felicitatem potuiſſet euexiſſe. Vnde non ſine dolore id præteriuimus. Sæpè experiri uolui, an ullo pacto aliquid in eo deſcriptionis genere patriæ potuerim impartiri: ſæpius in tranſuerſum actus, iterum atq́ iterum intermiſſum inſtitutum repetiui: bis conatus eram, ter noſtræ cecidêre manus. Demum poſtquam ad me redij, & quam rem agerem uidi, certus eram, nihil mihi emoliendum in ea re eſſe, ſi etiam Germaniæ conſultum uoluerim. Si enim cuiuſcunq́ opinioni ſubſcripſiſſem, continuò alterius gladium in me habuiſſem directum: ſi uerò omnium circa hunc album ſententias adſcripſiſſem, fallor, an non, Sardonicum riſum mouiſſem, tot capita quot ſenſus: uel rem planam ac nudam tam uarijs opinionibus diſtraxiſſem, aut rem per ſe ſolidam ac incorruptam prorſus tenebris obduxiſſem.

Dimenſio Boſphori Cimmerici. *Cap.* 16.

Dimenſio Boſphori Cimmerici.

MVltos uidi hactenus de Cimmerico Boſphoro ſcriptores, unus in Scythia eum repoſuit, alij in Sarmatijs, alij ad Tanaim, cuius os 2000 paſ. Plinius metitus eſt. Hermolaus uerò Barbarus iuxta Plinium 3000 aſſerit, cui eo libètius auſculto, dum 30 ſtadiorum Polybius dicat. A' Boſphoro igitur illo ad Thraciam Polybius 600 paſ. in circuitu Ponti habere indicat, & uicies ſemel millia Plinius ac Varro ei aſsignant. Martian. tamen Capella uicies ſemel quinquaginta millia ſcribit, cuius ſententiæ multum tribuo, dum Herodotus 12 mil. & centum ſtadiorum Pontum eſſe dixerit. Potes & Strabonem libro ſecundo requirere, cuius opinio nōn multum diuerſa eſt. Cæterùm libro decimo, per latitudinis & longitudinis gradus totum Cimmericum Boſphorum mathematicali deſcriptione trademus, ubi rem lector uberius reperiet.

An Nilus Danubio, an Danubius Nilo maior ſit. *Cap.* 17.

Danubius aſsimilatur Nilo.

MAgna inter ſcriptores controuerſia eſt, an Danubius Nilo præſtet, an Nilus Danubio? Communis tamen auctorum conſenſus eſt, Danubium à Nilo ſecundum eſſe, quemadmodum ex Saluſtij ſententia Aul. Gellius noct. Atti. lib. 10, cap. 7 probat, cui dicto aſtipulatur Auſonius illo diſticho: Illyricis regnator aquis tibi Nile ſecundus Danubius, lętum profero fonte caput. Pomponius Mela ſoli Nilo cedere ait Danubium, eiusq́ ſententiæ comitem habet Iornandem in libro de regibus Gotthorum. Claudianus idem loquitur. Herodotus quoq́ libro 2, νεῖλος τῷ ἴστρῳ ἐκ τῶν ἴσων ὁρμᾶται, inquit: id eſt, Iſter Nilo aſsimilatur. Et in libro 4, ἐπεὶ ὕδατί γε πρὸς ἓν συμβάλλειν, ὁ νεῖλος πλήθει ἐπικρατέει, ἐς γὰρ δὴ τοῦτον οὔτε ποταμὸς οὔτε κρήνη οὐδεμία ἐσδιδοῦσα ἐς πλῆθός οἱ συμβάλλεται. Si enim cōferendi ſunt, Nilus copia aquarum antecellet, dum in eum nec fons nec flumen incidat,

incidat, ad eius incrementum conferens: Arrianus Græcus libro 8, Danubium è fonte paruũ exire ait, ac multa flumina sibi admittere, tamen nec numero nec magnitudine Indicis amnibus æqualia flumina suscipere. Horum maxima esse Aenum ac Sabum, alij Sauum, qui è Noricorum ac Rhætorum finibus sese Danubio adiungunt. Cætera uerò flumina non multum nauigabilia sunt. Hęc ille. Quantum autem dictum illius tum à priscorum sententia, tum à uero absit, nullum latet. Alij tamen Istrum non minorem Nilo scripserunt, ut Celtes. Consentit Ouidius in libro de Tristib. *Locus Arriani*

Ipse papyrifero qui non angustior amne,
Miscetur uasto multa per ora freto.

Idem in libro de Ponto:

Innumeriq; alij, inter quos maximus amnes
Cedere Danubius se tibi Nile negat.
Copia tot laticum, quas auget adulterat undas,
Nec patitur uires æquor habere suas.

Danubium finem Romani imperij apud priscos terminasse. Cap. 18.

FVit peculiaris omnium scriptorum sententia, Danubium Romano imperio metas posuisse, ut Appianus Alexandrinus, Dion Græcus, Ambrosius in Hexametris, Seneca, & alij dixerunt. Fuit & Gellio ea sententia sacra in noctium Attic. libro decimo, capite septimo: similiter Varroni, Lælio, Salustio ac Ammonio. Ouidius in Tristibus: *Fines Romani imperij.*

Hactenus Euxini pars est Romana sinistri,
Proxima Bastarnæ Sauromatæq; tenent.
Hæc est Ausonio sub iure nouissima, uixq;
Hæsit in imperij margine terra tui.

Et paulò pòst Getas ultra Danubiũ Romanorũ terras inuadere dixit. Ausonius tamẽ & totũ Danubiũ Romanis adscribere nititur, adulatione corruptus:

Qua gelidum fontem medijs effundo Sueuus,
Imperio grauidas qua seco Pannonias.
Augusto dabitur sed proxima palma Valenti,
Inuenies fontes hic quoq; Nile meos.

Cætera Suidas Græcus in dictione ζεῦγμα, ad uires executus est, de Rheni & Danubij limitibus ac pontibus plura adducens.

De qualitate Danubij, & eius incremento. Cap. 19.

CAeterùm quoniam nostræ memoriæ Danubius accessit, breui indagine qualitates eius excurramus. Variam Danubij naturam auctores ostenderunt. Herodotus semper sibi similem esse prodidit, uerba eius sunt libr. quarto: ἴσος γὰρ ἀεὶ ῥέει ἔν τε θέρει καὶ χειμῶνι ὁ ἴστρος, κατὰ τοιόνδε τι, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, τοῦ γὰρ χειμῶνος νιφετὸς καὶ πάντα κρατεῖ, τοῦ δὲ θέρεος ἠχίων ἢ γῆ τῷ χειμῶνι πεσοῦσα ἀμφιλαφής, τηκομένη πάντοθεν ἐσδιδοῦσα ἐς αὐτὸν, συμπληθύει. Id est, Quòd autem semper sibi similis fluit Ister, tam in æstate quàm hyeme, ob id fit, ut mihi uidetur: in hyeme enim ningit ac pluit ubique, in æstate uerò nix in hyeme delata, tunc liquefit undiq;. Niues igitur in Istrum uenientes, ipsum implent. Et addit: Imbres quoque multi ac uehementes cum niue ipsum augent. Quanto autem plus per ęstatem pluit, & quanto plus aquę Sol trahit, tam in ęstate quàm in hyeme, tantum etiã Istro miscetur. Itaq; cùm semper paria faciat Ister tam æstate quàm hyeme, *Qualitas Danubij.*

datis

datis aquis & acceptis semper sibi similis esse apparet. Philostratus autem lib. 3. uitæ Apollonij, ex arboribus iuxta Istrum unguentum nasci uoluit: facit enim comparationem cum Hypaside: Arbores, inquit, similes in eis ripis nascuntur, his quæ apud Istrum crescunt, à quibus unguentum distillat. Hæc ille.

De Danubij fluuij nominibus & dimensionibus. *Cap.* 20.

Danubij magnitudo & fluxus.

TAm frequens ac peculiare nomen Danubij nobilitatur, ut nullus scriptorum qualiscunque antiquitatis fuerit, facilè reperiatur, qui nō Danubij mentionem faciat. Eratosthenes ideo ac Apollodorus in 2 de Nauibus, Homerum uellicauerunt, quòd multos fluuios Oceano scripserit immergi, ac Istri cōticuerit. Ister fluuius maximus omnium est. Philostratus libro 3. εὖρος δὲ αὐτοῦ κατὰ τὸν ἴστρον, ποταμῶν δὲ οὗτος δοκεῖ μέγιστος ὁπόσοι δι' εὐρώπης ῥέουσι. Latitudine quidem Istrum æquat, qui omnium qui in Europa fluunt, fluuiorum maximus est. Sic & Arrianus, Dion, Apollon. Strab. lib. 7, Hipparchus, Polybius & alij Græcorum protulerūt. Latinorum uerò Ammianus Marcellinus, Seneca lib. 3. Ambrosius in Hexametris, Valerius Flaccus libro 8. Orosius libro primo, capite 25. Ammonius in hist. Francorum libro 1. Hic multos Scythiæ locos ac multas gentes irrigat per Germaniam, Austriam, Vngariam, & Peucen, usque in Græciam, ut Strabo libro septimo, & Celtes afferunt, labitur, & ad Propontidem usque excurrit. Ab Occidente, ut idem ait, & in Austrum uergit. Primò ut Tacito placet, molli fluxu, clementer fluit. Hæc Picus in carmine suo ita affert:

Hic & Danubius non magnis deuehit undis,
Montibus Arnobæ uix fusus, plurima nondum
Flumina surripuit, nondumque binominis ingens
Alluit Elysios, Ariosque & Pæonis oram, *Et Ligyos.*

Quod Panegyricus Maximiani Nazarius ita adducit: Qua extrema Septentrionis, inquit, plaga feruidum caput porrigit Danubius. Iornandes ducentorum pedum altitudinem & profunditatem eius esse scribit in pluribus locis.

Quare dictus Danubius.

Dicitur Danubius secundum aliquos à sono, secundum cæteros à Dunis gentibus eius accolis, ut Catoni placet in primo fragmento. Nuncupatur alio nomine Ister, ut à Statio, Lucano in 2. Horat. Oda. 4, Oda ultima & penul. Strabo in primo. Et secundum aliquos ab Istro rege, ut uidetur Beroso, qui Istri meminit. Pomponius Mela libro secundo, Danubiū dici in ortu suo indicat, & inde post longas eius dilatationes ab accolis Istrum appellari: Iornandes uerò Bessorum lingua hunc Istri nomen ferre asserit.

Ister unde.

Vt autem priuatis scriptoribus persuasum est, tempore Augusti nomen Istri primum sortitus est Danubius, quod falsum esse quem fugit? cùm Argonautarum æuo Ister nominatus sit: unde Iustinus & Trogus libro 32, Istriam ab ipso dixerunt, & Portius Cato, qui ante Augustum uiguit, huius meminit. Græci ἴστρον ipsum uocant, quare bene Tortelius sine aspiratione eum scribi & enunciari putat. Non sine ratione etiam Annius Viterbiensis Chaldæum id esse collegit, & Moysen ipsum uocare Ictim. Stephanus Byzantius Matoan Istrum appellat, uerba eius hæc sunt: δάνουβις ἢ δάνουσις, ἴστρος ὁ ποταμὸς πάλαι ματόας καλούμενος. Ideo etiam binominis nomen hunc sortitum uolunt.

Binomius Ister.

Picus enim ac Sillius Italicus libro 1. Ouidius in primo de Ponto, Istrū binomium faciunt. Apud ripas binominis Istri, ripę uicina binominis Istri.

Matoas.

Stephanus Græcus superiores fluminis partes uersus fontes, usque ad præcipites eius Catarractas uocat. Suidas: καταῤῥάκται πέτραι ἐν τῷ ἴστρῳ ποταμῷ. ὄρους τρόπον τινὰ ὑπὸ τῷ ῥεύματι ἐπὶ παντὸς τοῦ πλάτους ὑποπεφυκότος. αἷς ἅπασιν ὁ ποταμὸς

Catarractæ.

ἐμπίπτων μετὰ μεγίστου πατάγου ἀνακόπτεται καὶ καγχλάζων περὶ ταῖς πέτραις. Id est, Catarractæ petræ sunt in Danubio fluuio, latis ita tumulis ac monticulis, in locis quibusdam

quibusdam sub aqua existentibus, super quas fluuius ille incidēs, cum magno sonitu repercutitur scopulos circumsonans. Catarractas alij conchas dicunt, loca uidelicet septa asseribus, ut apud Plinium lib. 9. Diodorus Nili Catarractas nauigabiles altitudine stad. 10 ait. Cæterùm latissimum fluminum Danubium Polybius scribit, & Herodianus hunc latissimum altissimumque prodidit. Nullus autem omnium ita Istrum expressit, sicuti Dion Græcus in Traiano, ubi Cęsarem potestate Danubium alligasse refert multis passibus. Ipsum autem Danubium aquarum multitudine nulli fluuiorum cedere, semper copiosissimum, nulli inferiorem, nullum etiam altitudinem & latitudinem eius enarrare posse ait, & spaciosum amnem. Multaque adducit Annonius Francorum historicus libro primo, capite secundo. Arrianus autor Græcus libro primo, de gestis Alexandri, maximum Europæ fluminum esse Danubium retulit. Nunc ad eius originem conscendamus.

De origine Danubij. *Cap.* 21.

VErùm ut ab origine eius loquar, multum in ea re scriptores dissentiūt. Cornelius Tacitus in monte Arnol. a oriri eum profitetur, quem secutus est Sabellicus libro secundo Ennea. 6. Picus in carmine de Cruce, Propius conspexit Danubij fons. Alij ex montibus Sueuicis, ut Aene. in una epist. alij Germanicis oris oriri scribunt, ut in monte, qui in Scauros Galliæ aspectat, sicut Solinus capite 22. Petrus Marsus, et Lilius Rauricum aduersus Danubium oboriri aiunt. Marlianus ex monte non longè à Rhætijs alpibus inter Tridentinam & Noricensem diœceses, alij Danubium ex limitibus Rhætiæ apud Rauracos scatere uolunt, ut Ammianus Marcellinus libro 22. & Plinius libro 13. Eratosthenes Gręcus non longè à montibus Ponti originem Danubio pollicetur, ubi fallitur cum Strabone. Nam idem Strabo libro 1 Georg. Eratosthenem refellens, à montibus supra Adriaticum Danubij fontē uideri putat, circiter stad. M. Dionysius non longè à Rheni hostijs ait Istrum oriri, his uerbis, à Prisciano translatis, postquam de Rheni loquutus est origine, subiunxit: *Danubij ortus.* *Locus Strabōis & Erathost.*

Ρῆνῳ δ' ἑξείης ἐπιτέλλεται ἱερὸς ἴστρος:

Hic prope consurgit fons Istri flumine largo.

Strabo etiam libro 7. fontes Rheni & Istri non multū differre à se inuicē asseruit. Boccatius in iugis Noricis initiū Istro concessit, & in cæteris cū Solino sentit. Claudianus pro Stilicone, ex Rhætijs montibus cū Marliano Istrū deducit:

Prominet Hercyniæ confinis Rhætia sylua,

Quæ se Danubij iactat Rheniq; parentem.

Re ergo uera ab Arnoba monte, cuius meminimus libro præterito, Ister descendit, ut prior omnium opinio fuit, non longè, utputa quatuor miliaribus à Rheni origine. In hanc sententiam descēdit Dracontius. Nauclerus Tiberium Cæsarem à lacu ex Solini auctoritate, uno diei cursu ad Danubij fontem peruenisse refert, qui ueritati proximus accessit. Eustathius etiam Græcus Dionysij locum exponens nunc allegatum, ἄρχεται δὲ, inquit, ἐκ κελτῶν, ῥεῖ δὲ πάσης εὐρώπης: id est, Oritur autem Danubius apud Celtas, & præterfluit Europam.

De hostijs Danubij & exitu. *Cap.* 22.

DE exitu uerò Danubij æqualis authorum cōtrouersia increbrescit. Eratosthenes & Ephorus in utrunque mare Danubium se exonerare dixerunt: alij in Pontum seu Euxinum, cuius opinionis est Strabo libro 7. Lilius, Petrus Marsus, Appianus, Vibius Sequester, Picus, Celtes, Cornelius Tacitus, & Lucanus, cuius uerba sunt libro secundo Pharsal. *Exitus Danubij.*

Nec

Nec minor hic Istro, nisi quòd dum permeat orbem,
Ister casuros in quælibet æquora, fontes
Accipit, & Scythicas exit non solus in undas.

Valerius Flaccus libro octauo:

Haud procul hic ingens Scythici ruit exitus Istri.

Theopompus & Eratosthenes, apud Strabonem etiam in Adriaticum mergi Danubium scripserunt. Cuius sententiæ dubios Polybius & Strabo satis se ostendunt, unde æquali censura & illi notandi sunt. De hostijs uerò Danubij opiniones his non minores numero sunt. Arrianus libro 1 de gestis Alexandri, Ephorus & Eratosthenes quinque Danubij hostia ponunt, & Claudianus in Stilicone: Thracia quinque uadis Istrum uorat. Et Dionysius Græcus quinque hostijs tantùm Istrum inuestiuit, interprete Prisciano: Qui poscens ortus Euxini peruenit undas Irriguam Peucem complectens gurgite quinto. Vbi Eustathius eius enarrator, καὶ ὁ αὐτὸς πεντάστομον τὸν ἴστρον: id est, ideo ei Dionysius quinque hostia adscripsit. Alij ex meatibus, ut Petrus Marsus. Quo uerò industria & opinio probabilior est, septem hostijs Danubiũ Ponto immisceri scribunt, sex nauigabilibus, septem uerò paludibus conseptum. Huiusmodi opinionis sunt assertores Pomponius Mela, Vibius Sequester, Solinus capite 22 Strabo libro septimo, Zacharias Lilius. Picus in carmine de Cruce huic opinioni imcubuit:

Hostia Danubij.

— Tandem rapto tumefactus aquarum
Euxinum ingreditur bis terno gurgite pontum,
Extremumque caput limosa perdit in ulua.

Similiter & Ammianus Marcellinus libro 22. & Celtes in Hercynia: Solus Germanas sed Ister deserit oras Septenis tandem qui faucibus exit in æquor. Pomponius Mela libro 2 ait, tot hostia ipsum habere quot Nilũ, & paulò pòst, ille, inquit, sex hostia habet, Peucem ex his maximum, cuius meminit Ptolemæus libro γ. τῶν δὲ ἀνατολικῶν τὰ μὲν ὑπὸ τὸ στόμα τὴν πεύκην τρογλωδύται, τὰ δὲ στόματα πευκῖνοι: id est, Inferioris Mysiæ eorum quæ ad ortum uergunt sub hostio Peuces Troglodytæ sunt, hostia uerò Peucini habitant. Ouidius:

Numerus hostiorum.

Solus ad ingressus missus septemplicis Istri,
Parthasiæ gelido uirginis axe premor.

Haud secus Valerius Flaccus septem hostijs hunc ditauit:

Fundere non uno tantum quæ flumina cornu
Accipimus, septem exit aquis, septem hostia pandit.

Hostia autem Danubij, ut placet Ammiano Marcellino libro 22, sunt illa. Primum Peuce, secundum Nauzocusoma, tertium Calostoma, alij Calaustoma, ut Boccatius ait, quartum Psudostoma, Ammianus Pseudostomon dixit, quintũ Baryostoma, sextum Spireostoma, quod dicitur ab Ammiano Stenostoma. Et illa tria cum septimo fragilima sunt, priora uerò eò maiora, ut per longinquitatem 40 millia pas. non misceantur æquori, & dulcem haustum seruẽt. Septimus autem meatus sine nomine in paludibus delitescit. Hęc ex Solino, & Boccatio. Strabo libro 7 dissentit ab illis, inter maxima enim Istri hostia Hierostoma dixit, id est sacrum ostium, ab illo usque ad Peucem stad. 120, enumerat, ubi Darius pontem struxit, ab eo septimũ hostium distat 300 stadijs. Hæc Strabo. Ego uerò uela detracturus sum, in hoc alijs prouinciam hanc relicturus, maximè ob scriptorũ diuersitatẽ, in nullo enim de hostijs memorãtes conueniunt, quod Solinus uocat Baristoma, Boccatius Banostoma, quod ille Spireostoma, hic Spirebostoma, quod ille Calestoma, hic Calaustoma, Ammianus Calonstoma. Amborũ etiã exemplaria excussis dentibus, ora tantùm ferunt, ita etiam deprauata, ut aucto-

Nomina hostiorum.

rem

rem uix agnoſcas. Adde quòd 60000 decurrere Danubiũ ait Albertus, ex ſententia Auguſti. Tortellius ex Ariſtotele ſecũdo Meteororum, ſingula ora Iſtri tantæ eſſe magnitudinis, ut mare uincant in 60000 paſ. neſcio quã latitudinem Martianus Felix Capella afferat. Verùm de illo ſatis, ad flumina Danubio ſe iungentia acceſſuri ſumus.

De fluminibus Germaniæ, Danubium petentibus. Cap. 23.

SExaginta flumina penè nauigabilia Danubio admiſcentur, ut penè omnes quorum auctoritas in precio eſt, afferunt. Boccatius, Feſtus Ruffus, Ammianus Marcellinus libro 22, Solinus capite uigeſimoſecundo, Albertus Magnus & Martianus. Iornandes & per mille ducentorum paſ. millia à fonte Iſtrũ uſq; ad Pontum defluere collegit. Nec mirum, dum per tot loca labatur barbara. Valerius Flaccus libro octauo: *Flumina Danubium petentia.*

Toruus ubi & ripa ſemper metuendus utraq;,
In freta per ſæuos Iſter deſcendit alumnos.

Vnde & multo plura flumina ſuſcipit. Corteras fluuius, ut Strab. ait, apud Lugeum & Tergeſtũ Sabũ intrat, Sabus Draborã, Drabora Noarã, Noara apud Scordiſcas Danubium: Regus fluuius apud Noricos in Danubium, ut Celtes libro ſecundo Odarum ſcribit, teutonicè der Regen, apud Ratiſponam transmittitur. Vnde ait Celtes libro ſecundo Odarum: *Regus.*

Sed nunc in oris Vrſula Noricis,
Qua Regus Iſtro ſe ſociat uago.

Item Almonus fluuius Aureatenſis, cuius meminit Celtes in Germania & in Odis, Baccuntius fluuius, cuius Boccatius & Plinius libro tertio, capite uigeſimo ſecundo recordantur, iuxta Sirmium in Saum influit. *Almonus.*

De alijs fluminibus Danubium petentibus. Cap. 24.

SVnt & alia flumina quæ Danubio approperant, ut Igla, qui caput non procul à Marſcheck loco producens, in Danubium ſe inter Trebetzick ac Petronel abſcondit. Curſus eius inter Orientẽ ac Meridiem eſt. Mura fluuius ſuo completo curſu, iuxta Treſnitz Iglam intrat. Almonius fluuius ſapore piſcium præſtantiſsimus, iuxta Kelheim ſeſe in Iſtrum commutat. Cæterùm Bernicus fluuius, quẽ alij Berneſum uocant, à quo partim, partim etiam ab Almono Tietfurt, Herriaden, Guntzenhuſen, Dinckelſpihel, Otingen irrigantur, Bernicum non procul à Vuerd in Danubium remittunt. Iſarus etiam fluuius haud procul à Pletlingio ſe Iſtro aſſociat, oppida quæ tranſit Landau, Lantzhutta, Sindelfingium, Monacum, Moſburgum, Mittenuualdium. *Igla.* *Mura.* *Bernicus.* *Iſarus.*

De fluminibus à Scythia in Danubium delatis. Cap. 25.

MVlta præterea flumina ſunt, quorum Herodotus meminit, quæ per Scythię partes ita olim uocatas, ad Danubium ducuntur. Verùm cur uerba Græca eius non adducamus, dum corruptiſsima habentur Latina, pręſertim in nominibus proprijs, ob quorum reſtitutionẽ uerba Herodoti qua licebit breuitate tranſcurram: πρῶτον μὲν οἱ ῥέοντες. τὸν δὲ σκύθαι πόρατα καλέουσι. ἕλληνες δὲ πυρετόν, καὶ ἄλλος τιαραντὸς καὶ ἀραρός τε καὶ νάπαρις, καὶ ὀρδησσός. ὁ μὲν πρῶτος λεχθεὶς τῶν ποταμῶν μέγας, καὶ πρὸς ἠῶ ῥέων ἀνακοινοῦται τῷ ἴστρῳ τὸ ὕδωρ, ὁ δὲ δεύτερος λεχθεὶς τιαραντὸς πρὸς ἑσπέρης τὰ μᾶλλον ἐλάσσων, ὁ δὲ δὴ ἀραρός τε καὶ ὁ νάπαρις καὶ ὁ ὀρδησσός, διὰ μέσον τουτέων ῥέοντες, ἐσβάλλουσιν ἐς τὸν ἴστρον. οὗτοι μὲν αὐθιγενέες ποταμοὶ σκυθικοί. Id eſt, Quinq; autem per Scythiam flumina decurrũt. Primum Porata

uocant Scythæ, Græci uerò Pyretum, secundus Tiarantus, tertius Ararus, quartus Naparis, quintus Ordessus dictus est. Primus illorum ingens fit, & ad Auroram fluens cum Istro communicat. Secundus Tiarãtus dictus, ad Occidentem magis uergit. Cæteri tres per medium illorum fluentes, in Istro se immergunt. Idem Herodotus: Inde, inquit, ex Agathyrsis μάρις fluuius, inde αὔρας καὶ τύβισις Auras & Tybesis, per Thraciã uerò ἄθρυς καὶ νόης Athres & Noes, καὶ ἀτάρνης Atarnes. Ex Pœonia uerò ac monte Rhodope κῖος Cius, medium eum interscindit. Ab Illyrijs autem ad aquilonem ἄγγρος Angrus, qui planiciem Triballorum percurrens, in τὸν βρόγγον Brongum incidit, Brongus uerò in Istrum, quos ingentes utrosque Danubius recipit. Inde ex regione Ombricorum καὶ κάρπις Carpis fluuius, & alius ἄλπις Alpis dictus, uersus Boream uentum tendunt, & Istro miscentur. Hæc Herodotus, cuius uerba eo libentius adduxi, ut restituantur. Nil enim uidi nominibus illis deprauatius. Sunt & alij, quos Huttenus poeta egregius in suo Panegyrico includit:

Paruus Iser, curuusque Lycus, Inus,
Eser, Bemus, Nabus, Aenus, Igla, Thesia, &c.

Item Parthiscus fluuius Sarmatiæ Istro miscetur, ut ait Ammianus Marcellinus libro 7. qui dum solus licentiùs fluit, spacia longa & lata sensim præterlabens, prope exitum in angustias accolarũ ab impetu Romanorum alueo Danubij defenditur. Hæc Ammianus. Arabon fluuius inferioris Pannoniæ in Danubium defertur uersus montem Cecium, iuxta Corroduum, & iuxta Curtam fluit, ut Ptolemæus ait: ἔχει θέσιν ποταμὸν μετὰ τὸν ἀράβωνα ποτ. κατὰ κούρταν. Est & Tibisus fluuius qui è Carpatho oritur, & in Danubium defertur, ut Nauclerus indicat.

De Aeno, Ilso, & Nabo. Cap. 26.

HVmillimæ sortis & nominis fluminibus relatis in Danubium properantibus, uicem relaturus nunc sum diuitioribus: primò ergo Aeno: Aenus fluuius oritur in alpibus, quod Picus illo carmini inseruit: *Aeni ortus.*

Atque sub aerijs perlabitur alpibus Aenus,
Aenus Cæsareis ardentia tecta caminis
Ducturus, &c.

Celtes quoque libro secundo, Oda secunda, huic suffragatur. Re autem uera, ex Adula monte irrumpit, quod Celtes ita scribit de Adula loquens:

Qui Rheni Rhodanique parens, Aenique sonantis.

Multa Aeneas Syluius in epist. ad Campanum. Descendit autem inde usque ad Aeni pontem. Quod Celtes notauit in Odis de eius turbine:

Natus excelsis ubi scindit alpes
Aenus, & saxis rapidus sonoris
Impiger, excelsum ferit insolenti
Murmure cœlum.

Dat itaque nomen urbi, unde Aenipons dicitur teutonicè Inspruck, ut Picus in crucis carmine loquitur:

Ciuitates Aeni. *Aeni concutitur pons, illius accola nudis*
Incessit pedibus.

Huius urbis meminit Antoninus Pius in Itinerario. Inde Noricos à Vindelicis separans, Bauariam petit, usque ad Patauium urbem episcopalem, teutonice Passau, Confluum fluuium Ilsum à Septentrione recipiens, in Danubium transmutatur,

transmutatur. Aeneas Syluius ibi pontem scribit ligneum sedecim arc ibus. Celtes id ita ad Coclem Odarum secundo testatur,

Urbs Pataua Cocles modò te tenet, insita colli,
Quæ tria flumina Conflua iungit.
Nam celer austrinis descendit ab alpibus Aenus.

Ciuitates autem quę non procul ab Aeno uidentur, sunt Scherdigen, Obenbergum, Otingum, Muldorffium, Hehennaugia, Rosenheimium, Kopffenstei *Iuuarus.*
nium, Vuasserburgium. Fluuius alius quem Aenus recipit, Iuuarus est, quem Saltzam uocant, qui supra Iuuauiam oriens in loco, zum Hellen, dicto, per Iuuauiam, Lauffen, Titmannigum ac Burckhusen præterfluens, Aeno miscetur, non procul ab Otingen & Praunau. Ilsus autem fluuius è Bohemia descendit, *Ilsus.*
ac ad Pataiuam Danubio immergitur. Celtes: Ilsus & à Borea niger exit Danubij medios quos accipit alueus amnes, Crescit & impetuosior undis. De Aeno & eius origine capite 7, Otto Frisingensis scribit libro 7. & Volaterranus lib. 7. Nabus in Pinifero oritur, Celte testante in Amoribus, Odis, Germania & Her *Nabus.*
cynia, & mox ad Orientem se uertit. Namque ait: Nabus exit in Austrum, inde in Danubium se abscondit, dicente poeta Germano in Amoribus:

Nabus Istrinis insidiatur aquis.

Ptolemęus Nabi, postquam orationem de Vindelicis habuit, non meminit, sed Aeni, ita inquiens libro 2, Secundum scissionem fluuij ad meridiem uergentis fluuius est qui uocatur αἶνος, Aenus. His uerbis ductus ego Aenus per æ scripsi. meminit huius & Dionysius. Nabus autem per Neustadium ad meridiem se flectit, & iuxta Ratisponam Danubio iungitur. Vilsum aūt in Hercynia Celtes allegat: Obliqua ad Vilsi protendens cornua ripas Vilsus in Histrinis qui *Vilsus.*
tandem perditur undis. Et idem Celtes ex Pinifero Vilsum uidetur & Nabum deducere, quos & in Danubio se abdere ait secundo Odarum:

Qui Nabum uitreis fontibus egerit,
Et Vilsum socio flumine concipit,
Qui magnum sociati patrem Danubium petunt.

De Lyco, Sauo & Drauo. Cap. 27.

LYcus Vindelicorum fluuius, ut ait Peutinger, urbem Augustam tribus uicibus dirimit, de quo Aeneas Syluius. Sigebertus Genblacensis hunc scri *Lycus.*
bit Bauariam ab Alemannis, id est, Sueuis diuidere, teutonicè der Lech, campus Lyci Lechfeld. Lycacij populi Vindelicorum ut Strabo libro 4 ait, à Lyco *Campus.*
dicuntur. Referūt hunc apud Valkyrū oriri, alij in alpibus. Celtes Odarū 2 lib.

Qua multa inundans prata
Rapax Lycus ex alpium radice *Lyci.*
Fusus, Danubij sociatur undis.

Et libro 3, Augustam Lyci margine conditam ait. De illo Volaterranus lib. 7. Huttenus in Panegyrico. Ligurinus autem corripuit & produxit primam illius, ait enim libro 1, Quas Lycus: & libro 2, Rura Lycus. Lechum hunc nominat Paulus Diaconus libro 2, capite 13. de rebus Longobardorum, & iuxta hunc fluuium Virdam, Vuertach, Græcè λύκιος à Ptolemæo dicitur, κατὰ, inquit, τὴν ἀρχὴν τοῦ λυκίου τοῦ εἰς τὸν δανούβιον ἐμβάλλοντος, ὃς δ' ὁρίζει τὴν ῥαιτίαν ἀπὸ τῆς οὐινδελικίας. Id est, Iuxta principium Lycij amnis qui in Danubium exit, qua Rhætiam à Vindelicis terminat. Postquam igitur Reynum, Augustam, Lantzspergum præterfluit, inter Nuenburgum atque Vuerdt in Danubium exit. Sauus & Dra-

Drauus.

uus flumina Pannoniam complectuntur, ut uitę Iustiniani enarrator scribit. Plinius tamen lib.3, cap.26, Dalmatiam interuallum putat esse 115000 passuum. Celtes libro secundo Odarum,

Auream terram colitis beati,
Quam rigat pulcher Sauus, & recuruo
Defluens cursu Draus.

Hic recipit fluuium, secundum Strabonem lib.4, in fine, Ogdolapem, & inde Danubium petit, teuto. die Sau. Oritur autem ex alpibus Carnicis, & placidior emergit. Distat à Drauo 116000 pass. per Lapiones & Breucos labitur. Flumina plura recipit, ut uoluit Plin. ubi suprà. Strabo libro quarto Pomportum amnem ex Illyricis nauigabilem circa Segesticam, hunc in se abscondere asseruit. Colaphis ut Plinius ait circa Istriā gemino alueo Sauum petit. Huius meminit Lilius, & inde in Istrum fluit. In Sauum Baccuntius fluuius labitur iuxta Syrinthium. Drauus autem è Noricis trāsit, uiolenter per Serapilos, Iasos, Scandezetes Dalmatiarum populos, ut Plinio placet libro tertio. De Sauo etiam & Drauo satis Albertus & Arrianus libro primo de gest. Alexandri & Ptolem. Lagi. Hi ergo fluuij in Danubium sese exonerantes maximi habentur. Nunc ad alios fluuios generales castra positurus sum.

De Rheno fluuio. *Cap.* 28.

Fluxus Rheni.

NEc Rhenus degenerauit, pari opulentia fluminum Danubio assimilatus, pari quoq; scriptorum industria celebratus est. Herodianus maximum hunc fluuium & Germanos pręterfluere dixit, æstate nauigabilem, hyeme concretum, libro 6 Hist. & lib.7, tantam Rheno tribuit profunditatem & latitudinem, ut irremeabilis uideatur. Multa Claudianus de bello Gotthico, de Rheno collegit. Cæsar lib.1, Rhenum altissimum & latissimum fecit. Plutarchus in Cæsare rapidissimum, & immensæ latitudinis. Mantuanus:

Ut Rhenus cursu uiolentus & unda.

De eius uerò fluxu, post fontē, testante Nauclero, mox duos lacus conficere eum, Pomponius Mela li.3 scribit. Inde longo spacio per fines Nantuatiū, Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricum & Tribochum citatus fertur, ut ait Cæs. lib. quarto belli Gallici. Reuera tenui flumine ab ortu labitur, & modò flexu in Occidentem, modò ad Septentrionem, referēte Cornelio, à Schafhusen eructat, multo strepitu, ut Leonhardus Aretinus scripsit, per lacus Nantuatiū propria seruata aqua effunditur, cuius lacus & Strabo lib. quarto meminit. De eius fluxu sic Picus in Staurosticho:

Qua Rhenus tenui Rhætis ex alpibus orsu
Funditur, & maior suppostis influit aruis,
Quiq; lacu immissus leni submurmurat unda,
Mox alium profertq; lacum, quo deniq; fusus,
Inde humilis timidusq; uorax euoluitur, inde
Plenus, & exiguus rectus sinuosus in urbem
Labitur, hic sumptis Basileam fontibus urbem
Diuidit, & uasto defertur gurgite, & alti
Uorticibus magnis contingit tecta Brisachi.

Multa de Rheno Celtes lib.3 Odarū, Oda 17, ubi de eius fluxu, fluminibus, & tota huius proprietate loquitur. Græci hunc τὸν ῥῆνον uocant: Suid. in dictione γερμανικὸς, ἀμφὶ, inquit, οἱ ῥῆνον ποταμὸν ἄστυ. Ammianus Marcellin. lib.15, inter

celso-

celſorum montium Rhætiæ lacum eſſe ſcribit Brigantiæ, ubi Rhenus incurrat, ſpumoſis uorticibus, quietem undarum permeans, & pugnam mediam ueluti finali interſecet libramento, tanquam elementum perenni diſcordia ſeparatũ, nec aucto, nec imminuto agmine, quod intulerit uocabulo, donec Oceanũ gurgitibus intimat. Hæc ille. Et profectò dictum Ammiani ueritatem & hodie tenet: niſi ut litera nimis eſt deprauata: per undam mediã, non pugnã lege. Multa de Rheno Dracontius, qui hunc Gange, Ibero, Tago, & omnibus fluminibus prætulit, auro, piſcium & aliarum multitudine rerum, qui & totum Rhenũ deſcripſit, ſicut & Phileſius in Regeſtis ſupra Ptolemæum. Cæterũ Rhenus multos habet meatus, & loca cõſueta relinquẽs, multos receſſus facit, à Græcis dictos πλατανῶνς. Vnde & aer circa ipſum minus ſalubrior eſt. Cornel. in 2 Hiſtoriar. lib. Rhenum ad Galliam latiorem ac placidiorem fluere indicat, & uerſo cognomine Vahalem uocabulum ſumi, antequam Moſam intret. *Locus Ammiani.*

De Rheni ortu. *Cap.* 29.

NVmero nec minores de Rheni origine authorũ diſſenſiones extant. Cæſ. lib. 4. ex Leopontijs alpibus Rhenum oriri dixit. Similiter Boccatius, uerbo tamen omnem rem abſtulit, iuxta Mediomatrices dicens. Marlianus inter fines Curienſis & Tridentinæ diœceſium Rheni fontem ſcripſit, non longè ab Italia. Strabo lib. 4, ex Adualla mõte hunc deriuari attulit, qui eſt aduerſus Leopontijs. Opinioni huic Conradus Celtes ſubſcribit de Adula, qui & Adualla malè dicitur, Quod Rheni Rhodaniq́ pares, Aeniq́ ſonantis, Quod ueteres priſco dixerunt nomine Adulam. Alij non procul à Danubij fonte Rheno initium præſtant, ut Dracontius. Plinius libro tertio, capite decimonono Sauromates accolas fontis Rheni dicere uidetur. De illo alij ſententiam ferant: alij ex alpibus Rhæticis, ut Marlianus, emergi eum dixerunt. Huius opinionis aſſertores fuerunt Sabellicus libro ſecundo Ennea. ſextę. Cornelius Tacitus, & Picus, cuius iſta uerba ſunt: *Ortus Rheni.*

Atq; ſub aerijs perlabitur alpibus Aenus,
Hanc Rhenus liquidam deuoluit fluminis undam.

Et idem:

Qua Rhenus tenui Rhætis ex alpibus orſu *Funditur.*

Otto Friſingenſis concordat capite decimoſeptimo Chronicorum libri ſeptimi, & Claudianus pro Stilicone:

— *Hercyniæ confinis Rhætia ſyluæ,*
Quæ ſe Danubij iactat Rheniq; parentem.

Pomponius Mela lib. 3, ex alpibus Galliæ Rhenum decidere collegit. Dionyſius Lybicus in Geographia tantũ ex alpibus, nihil addens. Verba eius ſunt:

Incipiunt alpes, quibus exit gurgite uaſto
Oceani rumpens glacialis littora Rhenus.

Mantuanus ab alpibus Teutonicis hunc ortum capere indicat:

— *Et alpes*
Teutonicas, genus unde trahunt & Rhenus & Iſter.

Horum omniũ opinionibus remotis, ſolius ſententiã Cęſ. ueneror. Thomas Vuolphius de Rheni ſcaturigine Mutianum Ruffum conſuluit, cui ille reſpondit, oriri Rhenũ ex Leopontijs alpibus, & ſe uidiſſe, unde oculatæ fidei credendum eſſe, cui Dracontius ſuffragatur, & ego doctiſsimorum hominum & teſtium ocularium animatus iudicio, hæc de Rheni ortu adduxi, quamuis nimiæ ſedulitatis erat de re per ſe nota, ac omnibus manifeſta, tot afferre opiniones.

De exitu Rheni, & hostijs, & dimensione. Cap. 30.

Exitus Rheni. DE eius uerò exoneratione penè omnes auctores consentiunt, & æquori, tamen diuersimodè, hunc destinant. Alij in Germanicum eum transmutari dixerunt, ut Cæsar, Marlianus, Pompõ. lib. 3. Cornel. Plin. lib. 4, cap. 14. Picus, Dionysius. Celtes æquori externo hunc iungi scripsit. Appianus Rhenum ad Borealem ibidem Oceanum se exonerare conuicit. Strabo lib. 4, Rhenum iuxta Segesticam urbem in Istrum transmutari asseruit, & paulò antè in lacum Larium Italiæ iuxta Comum intrare: cuius sententiam calculo notassem nigro, nisi rationem de pluribus Rhenis habuissem. & Plinius libro 4, cap. 15, Rhenum à Septentrione in lacum, ab Occidente in Mosam spargi dixit. Ego uerò duos Rhenos legi, maximum Germaniæ flumẽ, minorem Bononiæ in Italia, de quo Sillius libro octauo: Duo Rheni.

Hac ni prisca domus paruiq; Bononia Rheni,
Quiq; graui remo, limosis segniter undis
Lenta paludosæ perscindit stagna Rauennæ.

Vbi Petrus Marsus paruum dixit ad alterius Rheni differentiam: ecce ibi & Sillius cum Strabone Rhenum in lacum effluere dixit. Sed quòd in Danubiũ iuxta Segesticam, id negarem. Plinius libro 4, cap. 15, Colaphim scribit iuxta Segesticam intrare Danubium. Ad Plinium redeo, qui in lacum Rhenum effluere dixit: rectè loquitur. Lacus enim Fleuus dicitur, ibi insulam Fleuam Rhenus facit, statim tamen iterum digreditur. Author est Boccatius in lib. de Lacubus, Cornelius libro secundo Historiarum, & ipse Plinius libro quarto, Pomponius Mela libro tertio. Non tamen se in Mosam spargit, uerùm potius Mosa in ipsum: nam Cæsar libro quarto belli Gallici, & Sabel. libro quinto Ennea. 6, Mosam scribunt longius millibus pass. 80 in Rhenum fluere. Plin. in eo sibijpsi contrariatur, libro enim 4, cap. 14 nat. Histor. Mosam in Oceanum se spargere ait, quod & Cæsar: hoc tamen ob arctißimum spacium inter Oceanum & in Rhenum confluxum Mosæ, fuisse puto ab illis scriptum. Sed hæc sino, nec tamen & partem Rheni à Mosa recipi ignoro, quæ Vuallis dicitur, quam partem occupat Mosa antequam in Oceanum Rhenus & ad Batauos deuenit, diœcesis Traiectensis, prope Nouiomagum in Gelria, ut ait Marlianus. Cæsar Vuellis, Ptolemæus & Plinius libro quarto, cap. 18, Venellis dixerunt. Multa Hermolaus Barbarus. Cornelius Tacitus libro uigesimo, Mosæ fluminis os Rhenum in Oceanum spargere asserit. Nunc de Rheni hostijs dicendum est: Rhenus aquarum multitudine tumefactus, Germanicum mare petit, & hostijs bifidis in mare labitur, ut ait, Cæsar. Vnde Virgilius in octauo, & Egesippus libro secundo, bicornis Rheno appellationem imposuerunt. Alij tribus hostijs, ut Plin. & Celtes illo carmine: Fleuus. Locus Plinij. Alij Nomagũ uel Nouagiũ. Hostia Rheni.

Pulcher ab occiduo quos claudit gurgite Rhenus,
Qui tandem externum triplici cadit ore per æquor.

Et Oda prima, libro primo:

Hic ubi pulchras rapitur per urbes
Rhenus, & salsum ubi trinus ore
Spumat in æquor.

Sabellicus libro quinto Enne. sextę, multis, inquit, hostijs Rhenum effluere in Oceanum. Idem Pomponius Mela libro tertio, Dracontius cũ Celte scribit Rhenum postquam Germaniam permeauerit, in Oceanũ mergi tribus hostijs, cui auscultauit Nauclerus, & alij. Augustus Cæsar in Geographia, Rhenũ ad ma- Locus Augusti.

ad mare Tyrrhenum sese exonerando festinare indicat, citra tamen experientiam, quia aduersus Septentrionem in mare Anglicum se abdit, auctore Alberto Magno in Topographia, postquã 852 miliaria cursu compleuerit. Nescio quod Seruius in octauo Commentariorum hallucinetur, ob id Rhenum bicornem dici, quia duobus cornibus in mare acceleret: uno quo Barbaros præterfluat, alio quo Romanum imperium diuidat.

De Mosa, Mosella, & Scaldi. Cap. 31.

DEscriptis Rheni fontibus, finibusq; eius feliciter adductis, incrementa quoq; fluminis illius speciosissimi prædita his annectere statui, quorum numero & spacio Rhenus donatus, non extremam aucupatus est sortem. Non multum Danubio minor, & quia priori capitulo Mosæ memineram, ut memoria illa recens eo magis calescat, quo nouius præsto fuit, primò in Mosam uela nostra dirigam. Mosa igitur, cuius Marcellinus libro 7, & Cæsar libro 6, meminerunt, ex Vogeso ortum habet, & Batauorum insulam efficit. Marlianus Mosam in finibus Lingonum oriri collegit, non longè à Matronæ ortu, & per Belgas flumina agere. Boccatius cum Cæsare & Marliano conuenit. Philesius quoque Mosæ initium traxit ex Vogeso: *Mosa.*

Et Mosam & Mortam, Mortanam, te quoq; Sella
Immittit Gallis diuite fonte plagis.

Scaldis fluuius in Mosam transmutatur, ut ait Cæsar libro sexto, Marlianus, & Plinius libro quarto, capite 13, ab ipso Germaniam incipiunt, Plutarch. etiam in Mario: teutonicè die Scheld. Mosella autem alius fluuius est, oritur tamẽ etiam ex Vogeso, quod Philesius illo carmine innotuit: *Scaldis.*

Et Mosella unum gemino de nomine nomen *Mosella.*
Ingreditur Rhenum, pluribus auctus aquis.

Hic diuidit Germaniam superiorẽ ab inferiori, & dicitur à Mosa & Sella fluuius, quod Philesius prædicto uoluit carmine. Marlianus ait hũc in finibus Lingonum oriri apud Celtas, Metenses, Treueros, usq; ad Confluentiam cursum agere, & ibi Rheno commisceri: teutonicè die Mosel. Multa Boccatius de Fluminibus. Meminerunt fluuij huius Volaterranus & Ausonius poeta.

De Mœno. Cap. 32.

MOenus fluuius Germaniæ, ut Plinius lib. 9 scribit, der Main. Hunc Moganum dicunt. Ligurinus Mogum, Gresmundus Monagum, alij Mosgum uel Mogasum eodem authore. Pomponius Mela libro 3, Mœuim hunc uocat, Hermolaus Barbarus legit Mœnim per n, non per u, ex sententia Taciti dicentis: Inter Hercynium, Rhenũ & Mœnim Heluetij sunt. Plinius Mœnion dixit, authore Hermolao supra Plinium. Idem Plinius capite 15, libr. 9, Mœnim, ut ait Hermolaus. Ego tamen Mœnum legi. Verba Plinij sunt, in Mœno fluuio Germanię. Illa diaphonia delusus est Boccatius in libro de Fluminibus, qui Mœnũ ait Germaniæ flumẽ, & inde Mœui quoq; meminit, unũ fluuiũ in duos diuidẽs scriptorũ discrepantia, nũc Mœnũ, nũc Mœuim, nũc Mœnim dici putauit. Hermolaus per ę diphthongon Mænum scripsit, ex Taciti autoritate, ego remitto, non enim memini apud Græcos huius fluuij mentionem fieri, nec apud Strabonem, nec Dionysium. Ptolemæus hũc nominat Obricam fluuium, secundũ Aeneam Syluium, cui ego non adhæreo: nam Mosellam Obricam dici, magis probarem. Obrica enim Germaniam superiorem ab inferiori diuidit, ut placet Ptolemæo libro 2, capite 8. Quod & de Mosella prius probauimus, non autem *Mœnus.* *Locus Boccatij.* *Obrica.*

hoc de Mœno iudicium erit simile. Oritur autem Mœnus, ut placet Syluio ex montibus Bohemicis, iterũ fallitur: nam ex Pinifero monte Orientalis Franciæ descendit, ut Peutinger & Celtes aiunt. Verba Celtis hæc sunt:

Quam mediam Mœnus perlambit uitifer oram,
Cuius quadrifluo nascitur una iugo,
Piniferi cuius de uertice flumina quatuor,
Quattuor ad partes orbis amœna cadunt.
Mœnus ad Occasum Francorum fertur ad oras.

Idẽ Celtes in Hercynia refert, ex Pinifero initiũ Mœno cõtigisse, & in Francos eum relabi. Et idem in libro Montium de Pinifero:

Quattuor ad mundi fundit uaga flumina partes,
Mœnus ad Occiduum festinat currere Rhenum.

Mœnus itaq; ex Pinifero labitur, iuxta Hercynium, inde ambagibus plurimis, omni Germanorum fluuio curuior, usq; ad Herbipolim, inde ad Mildenburgum, Francofortum, inde iuxta Moguntiam, in Rheno se exonerat, unde Moguntia nomen habet. Dicitur autem à Celte Mœnus Bacchifer in Germania, & Oda. primo, libro primo, Vitifer.

De Pegneso, Regneso ac Tubera fluminibus in Mœnum abeuntibus. Cap. 33.

Pegnesus. PEgnesus fluuius est, qui Grauenbergum, Lauffen, Norinbergam attingit: Regnesus inde, teutonicè Regnitz, Radiantia ab Aenea Syluio, ab alijs Tramaricus nominatur. Gotfridus Viterbiensis:

Tramaricus.

Tramaricus fluuius uulgo Radiantia dictus,
Montis Pauonis urbis amœna colit.

Hic deinde ad Bambergam fluctus agit, & ibi in Mœnũ transmutatur, quod Celtes innuit illo carmine, libro tertio Oda. ad Ianum:

Iane Bamberga genitus uetusta,
Quæ fuit quondam ambitiosa sedes
Regnesus. *Cæsarum, Regnesus ubi subintrat*
Gurgite Mœnum.

Tubera. Tubera autem iuxta Veteringen ortus magni nominis fluuius, cæterùm exiguus, innauigabilis, ad Rotenburgum descendit, cui & nomẽ tribuit. Inde Kreglingen, Rotingen, Lauden, Vuickersheimium, Mergental, Bischoffen irrigans, iuxta Vuertheim Mœno infertur. Mœnus itaq; multis aquis auctus, per propinquas urbes fluctus concitat. Postquam super Culmbachiũ è Pinifero descendens, præterfluit Lucipetram, Bambergam, Vadum leporis, Sueuifordiã, Volkachum, Kitzingen, Vadum bouis, Herpibolim, Caroli ciuitatem, Vuertheim, Miltenburgum, Cineriburgum (Oschenburg) Francofordiam relinquens, iuxta Moguntiam Rheno immiscetur.

De Neccharo, & fluminibus in eum descendentibus. Cap. 34.

Necchbarus. CAeterùm Necchbarus inter maximos fluuios qui Rheno approximãt, connumerandus est. Hic enim Taxagetum, Rotenburgam, Tubingã, Eßlingen, Cãstadium, Marpachium, Lauffen, Hailprun, Vuimpinam, Peilsteinium, Heidelbergam, Laudenburgum præteriens, iuxta Manheim Rheno immergitur. Maximi autem fluminum, qui Neccharum petunt, tria sunt, quorũ duo Coquus & Iagusta, nunquam uno miliari à se inuicem absunt, penè 13 miliaria currentes,

Coquus.

trenes. Coquus non procul ab Alen oritur, per Hallim, Ingelfingium, Forchenbergium, Sinderingium, Nouam ciuitatē delatus in loco Kochendorff dicto, ad Neccharum transit. Iagusta uerò, die Iagst, non longè à Zebingen exortus, per Lauchen dominorum Teutonicorum oppidum, Eleuuangium, Greylsheimium, Landenburgium, Krauten, Scheutern, Vuidern prætertluens, iuxta Iaxfeldium Neccharo immergitur. Aeneas quoq; fluuius, die Entz, à Capnione nostro nominatus, iuxta Portam, uel quod alij Pfortzheimium dicunt, Nagoltam suscipiens, prope Besicken in Neccharum abit. Nagolta uerò ab oppido sui nominis delatus, ad Calbium oppidum descendens, sese in Aeneam iuxta Pfortzheim abscondit. Iagusta. Aeneas. Nagolta.

De alijs fluminibus Rhenum intrantibus. Cap. 35.

SVnt & alij fluuij Rhenum ingredientes, quorum nomina habemus in hoc Philesij carmine:

Et Mosam & Mortam, Mortanam te quoq; Sella
Immittit Gallis diuite fonte plagis.
Hinc Bruscha, hinc Matra, & decurrit origine Sara:
Alsa hinc cum uico, tu quoq; Schara fluis.

Rora fluuius est, non longè à Dusberga, cui nomē Roticius filius Clodouei Francorum regis dedit, qui in eo submersus est, ut ex Hunibaldo Abbas Spanheimius scribit. Philesius omnia flumina in Rheno se exonerātia collegit in Regestis supra Ptolemæum, ubi dantur uideri Rheni opes. De fluminibus Rhenum petentibus ita Panegyricus ad Cōstantini filium: Rhenus, inquit, superioribus locis uadosus, exiguus, iuxta fontem, ubi uerò totus est maximè crescit. Hic amnes plurimos, quos Nicer & Mœnus inuexerunt, recipit. Per Nicerum uerò Neccharum putauit, uocabulo hactenus non multum audito. Et tandem de Rheno, & eius mixtura: nunc de alijs fluuijs mare petentibus. Rora. Nicer.

De Amisio, Visurgo, Lupia, ac Odera. Cap. 36.

RHeni Danubijq;, & eorum incrementi fluminum facta mentione, in alios Oceani riuos deducentes fluuios, uela passurus sum. Sunt enim amplissima flumina, prædictis non multum humiliora in Oceanū fines suos terminantia. Vt in primis Amisius fluuius apud Frisios & Bructeros, Ptolemæo libro 2, capite 10 & 4, scribente. Fluit autem in Oceanum, Pomponio Mela libro 3, Plinio lib. 4, capite 14, Boccatio authoribus: & Ptolemæus ipsum ad Oceanum posuit. In eo Drusus Bructeros uicit, ut ait Strabo libro 6. A Pomponio Mela Amisius dicitur, à Ptolemęo Amasius, si bene memini, Amasus à Strabōe, secūdum Hermolaum Barbarum Amasias. Ego uerò apud Strabonem lego, Hamasia, libr. 7. per aspirationem ἀμασὸς Boccatius Amissim uocat. Plinius Amissiū, si codex non est mancus. Fluuius ille à monte Melibaco descendit, Frisiam alluit, ut Volaterranus asserit, libro 7 Comment. Oritur apud Padebornam, & mari Germanico terminatur. Visurgus clarissimus Germaniæ fluuius à Pomponio Mela libro 3, nominatur. Strabo libro 7, & Rhegino Prumiensis Bisurgim Plinius libro 4, capite 14. Ptolemæus libr. 2, capite 10, & capite 4, Visurgum dixerunt, & Visurgim Celtes cum Ptolemæo. Boccatius uerò Vrgim ipsū appellat dictione corrupta. Fluit autem in Oceanum, Plinio, Pomponio, Boccatio authoribus. Strabo libr. 7, hunc ad Amasium labi dixit, stad. 600 à Rheno semotū per Bructeros minores: & Ptolemæus apud Cauchos minores ipsum posuit: Orit in Hercynio, Celte auctore. Est autem fluuius nunc Vesera dictus, die Vueser, ut Volaterranus lib. septimo Comment. ait. Huttenus in carmine Panegyrico, Amisius. Visurgis.

Visurgis Vuestiphalos humectat agros.

Græcè οὐίσουργος: Celtes in Amoribus:

Vesera Saxonicis amnis clarißimus oris,

Sedibus e septem qua breuis una micat.

Lupia. Lupia die Lipp, fluuius Germaniæ in Oceanum se exonerat, ut scribit Pomponius Mela libro tertio. Strabo libro septimo, hunc cum Visurgo ait per Bructeros minores ad Amasim deferri, & à Rheno stad. 600 distare. Plinius tamen & alij in Rhenum. Multa Rhegino Prumiensis & Volaterranus libro 7 Comment. Cornelius quoque libro 20 eius mentionem facit, ubi de Cereali loquitur.

Odera. Odera fluuius Ollam, Musam, Lussam, Barisium, Brabum, fluuios assumit: in Hercynia oritur, ut ait Celtes, à Bohemiæ montibus. Idem Celtes in Hercynij carmine ita loquitur, ubi de Bohemorum sylua scribit:

Plurima Germanis quæ immittit flumina terris

Albim, Oderam, quæ nigra fuit memorata uetustis.

Huius meminerũt Volaterranus & Huttenus. Oderam ergo in Schlesia ponit Aeneas Syluius, & usque ad mare Baltheum uenire Oderã. Celtes in Poloniam hunc labi asserit, per Brandenburgum & Nussam, siue Nissam. Diuidit autem Poloniã à Schlesijs uel Germanis, quod Ligurinus illo carmine dixit lib. 6:

Odera Germanos qui separat atque Polonos.

Guttalus. Hunc fluuium Sueuum antiqui, Celte authore, & Guttalum dixerunt. Ptolemæus libro 2, capite quarto, Sueuum nominat, licet alij Spresbonam Sueuum

Sueuus. dici uelint. Boccatius Sueui fluuij meminit. Plinius libro 4. capite 14. Guttalum uocat, alij Viadrum, Græcè σούηβος, Sueuus, dicitur.

Drauenna. Drauenna amnis per Lubecum fluit, & in mare se abscondit. Celtes: Non longè à portu, qua se Drauenna sub æquor Voluit, & in rigidas it taciturnus aquas.

De fluminibus descendentibus in Visurgum. *Cap.* 37.

Fulda. SVnt præterea nobilissima flumina Hassiæ, quæ in Visurgum influunt. Fulda fluuius non procul à Fulda loco oritur, ipsam Fuldam perlabitur, Cassulam ac Bredenau monasterium relinquens, demum iuxta Minden urbem, sese in Visurgum immergit. Recipit autem iuxta Cassulam Anam & Trusilam.

Edera. Edera fluuius Hassiæ, die Eder, ab Eobano Aurifer dictus, non longè à Francobergo oritur, per Bericum monasterium moniale descendens, demum in Fuldam exit, postquam locum, doctrina pacis dictum, teutonicè Friczlar, irriguerat.

Lanus. Lanus fluuius, die Lon, per Marpurgũ dilabitur.

Trusila. Trusila fluuius locũ Hassiæ quendam præteriens, circa syluam ubi olim urbs uidebatur, à Iulio Cæsare debellata, quam Chronici principum dicunt Nuenstat uocitatam, adhuc uestigium illius relictũ est.

Vuerra. Vuerra fluuius per Creutzenburgum, Altendorffiũ, demum iuxta Minden in Visurgum properat.

Nida. Nida fluuius Hassiæ iuxta Grauenbergium, Heynau, comitatui Nidensi nomen tribuit.

Schalmus. Schalmus fluuius, cuius flumina sinuosa Euritius dixit, per Treyssam iuxta Friczlariam in Ederam descendit. Cæterùm Visurgus non procul à Götingen, Vuerden, Bremen, & per uarias ambages circummeans, in Saxonicum mare excurrit.

De Vistula & Albi. *Cap.* 38.

Vistula VIstula fluuius ab Hercynio, Celte auctore, originem habet. Iornandes hũc in Sarmaticis montibus oriri dixit, Sarmatiam irrigat, Germaniam à Polonis separat, die Vuisel. Hunc alij Istulam dicunt, ut Ptolemæus libro 2, cap. 10. & capite 4. quem & apud Rundios fluere asseruit. Idem paulò antè Vistulę meminit,

minit, per u proferendo. Plinius indifferenter Viſtillam ſiue Iuſtillam eum appellauit, libro 4, capite 14 nat. Hiſt. Idem Plinius lib. quarto, capite 12 Viſthiam. Strabo, Hermolaus, Celtes, Coruinus, Viſtulam nuncupabant. Hic Cracouiã diuidit, Coruino & Celte authoribus, cuius uerba ſunt, Oda octaua, lib. primo:

Viſtulam recto deinde pede poſcens,
Sarmatis latos ubi terra campos
Pandit, & celſis ubi Craca terris
Regia ſurgit.

Inde mari miſcetur tribus hoſtijs, poſtquam Poloniam irrigauit. Quod Celtes illo carmini inſeruit, imitatus Iornandem, qui lib. 1, Trifidũ uocat Viſtulam: *Viſtulæ hoſtia.*

Viſtula Sarmaticis qui famoſiſſimus oris
In Codanum trifidis effundens faucibus ora.

Ptolemæus ὀυίσουλαν nominauit: eius uerba ſunt, ἀπὸ δὲ δυσμῶν ὀυίσουλα ποτ. id eſt, ab Occidente Sarmatiæ Viſtula flumen eſt. Huttenus & Volaterranus libro 7 huius meminerunt, & copioſè Iornandes libro 1, qui hunc apud Scandiam ſerpere ſcribit. Idem in uno loco Viſlam uocat. Terminat autem Germaniam & Scythiam, referente Iornande. Albis die Elb, fluuius ex Hercynio oritur, *Albis.* ut ait Celtes, in montibus Bohemicis. Cornelius Tacitus Inclytum appellat, & in finibus Hermũdurorum originem referre dixit. Hic ergo à Bohemia, ut Aeneæ Syluio placet, per Saxoniam fluit. De illo Lucanus:

Albis, & indomitum Rheni caput omnibus hoſtis.

Sulpitius & Boccatius Sueuos à Ceruetijs hunc diuidere aſſerunt. Strabo hunc Albim nunc Album nominat, Plin. lib. 5, capite 14, Aluum, ut Hermolaus Barbarus teſtatur, Pomponius Mela, Cornelius, Celtes, Albim. Intrat autem Oceanum, non Rheno minor, ut ait Strabo. Celtes de eo ſic:

— Sed maximus Albis,
Qui rapidus mediam fluuius perlabitur oram,
Et quantum Rhenus, ſic Viſtula diſtat ab ortu,
Tandem & Cymbriacum uagus exoneratur in æquor.

Strabo libro primo, Germaniam in duo ſpacia diuidere Albim collegit, unum trans Iſtrum uideri ad Tyram amnem, aliud uſq; ad Mæotidem. Multa lib. 10, & in primo ex ſententia Nazarij probaui. Ptolemæus libro ſecundo, capite decimo, & capite quarto, Cauchos maiores ipſum alluere uoluit. Huic miſcentur, ut Huttenus ſcribit, Multauia, Nuſicus, Hauelus.

De Sala & Egra. Cap. 39.

SAla fluuius ex Pinifero deſcendit, Celte & Peutingero authoribus. Fluit autem uerſus Arcton, iuxta Hercyniam, auctore Celte. Sigibertus Genblacenſis hunc fluuium Thuringos & Sorabos ait diuidere. Donatus uerò uir doctus, qui Caroli Magni uitam deſcripſit, Saram uocat, iuxta Sarabos, id eſt *Sara,* Saxones, ut Sigiberto Genblacenſi uidetur. Sala autem tandem in Albim con- *Sala.* citatur, unde Celtes:

Sala ſed arctois perditur Albis aquis.
Et idem in Hercynio:
Et Sala quæ Druſi geſtat præclara trophæa,
Algentes petit Albis aquas.

Ad

Ad cuius uersiculi explanationem Strabo conducit, hic Bructeros per Salam à Druso debellatos scripsit, libro septimo, & ibidem Drusum mortuum inter Salam & Albim. Egra fluuius est à Pinifero ortus, Celte & Peutingero au-ctoribus: qui ad ortum uergens Bohemiam perlabitur, Syluio referente, quod & Celtes ait:

Egra. *Egra sed Eoi petit ardua regna Bohemi.*

In Hercynio:

Egra sed Eos flectit sua cornua in ortus.

Fluit autem Egra in Albim, ut Syluius ait. Et sic præ nostra mediocritate omnia Germaniæ flumina ostendimus, quæ alicuius opinionis ac memoriæ fuerunt: nunc ad ea descendam, quæ Germaniam, licet externa, ingrediuntur, aut Germanica, deficiunt ab eorum patria.

De fluminibus externis Germaniam petentibus, & econtrà. Cap. 40.

SVnt & flumina externa Germaniam petentia quoque, & econtrà: Danubius enim, ut dixi, à Germanis ad Scythas fluctus agit, quem Celtes ait solum inter flumina Germaniam deserere, ait enim:

Rhodanus. *Solus Germanas Ister, sed deserit oras*
Lata peregrinis inducens flumina terris
Germano concepta solo, quaue Ungarus acri
Barbarus ore bibit, Metanastaque Teutonus haurit.

Rhodanus fluuius Galliæ, ortu Germanico gaudens, oritur enim ex montibus Heluetiorum, Strabo libro 4, ex Nantuatium lacu originem referre dixit, à cuius sententia recedo. Ammianus Marcellinus libro 15, ab Apenninis alpibus hunc fluere uult, & procliuo impetu progredientem planiora perculcare loca & ripas, ac in Lemannum uenire. Fluit autem apud Nordmannẽses, ut ait Orosius libro 1, capite 27. Cæsar in principio inter fines Heluetiorum & Allobrogum hũc labi asseruit. Solinus in Collectaneis capite 9, illum per Heluetios decurrere testatur, & maximum inter tres Europæ fluuios. Cui astipulatur Silius Italicus, Pomponius Mela libro 2. Celtes ex Adula mõte Rhodanum dedu xit. Properat in mare mediterraneum, secundum Orosium in mare iuxta Nord mannẽses, & ibi uariæ authorum dissensiones. Timæus quinque hostia huic adscripsit. Artemidorus & Marlianus, quorum ego riualis ero, tria tantùm hostia. Polybius & Strabo libro 4, his consentire uidentur, nisi quòd duo hostia ei tri-

Sabis. buunt. Nec desunt qui septem numerant. Sabis fluuius Galliæ Belgicæ, nunc Sambia dicitur, apud Mosam iuxta Condrusos, Namurcum oppidum præter-

Sambia. fluit, ut ait Marlianus. Enarrator Ptolemæi etiam Neruios irrigari dixit ab eo, qui ut Marlianus & Zacharias Lilius scribunt, Samarobrini dicuntur, quam Cameracensem urbem ferunt, ubi Sabis præterfluit. Illic Cæsar consilium habuit, ut ipse in Commentarijs testatur. Lucanus libro secundo, & iunctus Sabis Isauro. Sulpitius legit Sapis & Galliæ flumen dixit, Transalpinæ. An ille, an ali

Isara. us sit fluuius, alijs relinquo discutiendum. Isara autem in Rhodanum defertur, Lucano, Sulpitio & Strabone authoribus.

De Arare, Athesi & Matrona. Cap. 41.

ARar Burgundiæ fluuius est, Rhodanum influit. Marlianus hunc dixit Assonum, oppida Burgundiæ Cabilonem & Heduorum irrigare. Strabo libro 4, ex alpibus eum defluere ait, & Sequanos, Heduos, Lincasios discernere.

Idem

Idē Cæſar lib.1 belli Gallici innuit,ex quo habemus, non Bernenſem hunc eſſe fluuiū, qui in Rhenū defertur, ille enim in Rhodano ſe mergit,Strabone lib.4, Plinio,Sulpitio,Petro Marſo authoribus.Quod & Lucanus lib.1 ſciuit dicens:

— Qua Rhodanus raptum uelocibus undis
In mare fert Ararim.

Et Silius Italicus libro primo,de Rhodano:

Mixtus Arar,qui gurgitibus complexus anhelis
Cunctantem immergit pelago raptumq́ per arua,&c.

Arares duo.

Claudianus in bello Gotthico, & Marcellinus libro decimoquinto, ubi inter primam Germaniam eſſe ſcribit. Albertus Magnus ex Vogeſo ipſum oriri ait. Verùm duo Arares ferūtur:alius enim Bernenſium fluuius memoratur.Atheſis fluuius Etſtlandiæ,cui nomen dedit,originē ex alpibus habet:huius meminimus libro ſexto. Inde per alpes in mare Venetum nunc Adriaticum fluit, quod Celtes carmine notauit illo:

Atheſis.

Hic ubi nunc rapidis Atheſis ſe concitat undis,
Adriaco miſcere ſalo Venetisq́ ſuperbis.

Multa de illo Mantuanus in libro ad Rubertum Seuerinatem. Huttenus in Panegyrico:

Et Germanus adhuc Atheſis,quanquam ſub alpibus erret,
Et ruat in Venetos deſerto Teutone campos.

Mantuanus in laude ducis Venetorum:

Hic Atheſis ſyluis oneratus & abiete rauco.

Liuius & Florus ſupra Liuium lib.68,ex Tridentinis alpibus affluere Atheſim dixit.Panegyricus ad Conſtantini filium,hunc ſaxis aſperum uocat,gurgitibus uerticoſum, impetu ferocem. Matrona ex eodē Vogeſo oritur,ut Phileſio placet, non longè à Moſe fonte, ut teſtatur Marlianus, Catalaunium interfluit Franciæ epiſcopalem urbem, inde Sequanæ miſcetur:alij Celtas à Belgis eum diuidere dixerunt. Attentiori indagine quanto nota & domeſtica flumina enarrauimus,eo remiſsiori externa ſiue à patria noſtra deficientia diximus.

Matrona.

De alijs fluminibus iam non dictis. Cap. 42.

SVnt & alia flumina,à quorum memoria mihiipſi peperci, tum propter ſortem eorum humilimam,tū ob dubium eorum exitū. Nabalthe fluuius eſt, teſte Marliano,trans Rhenum, qui Gelrēſes et Phriſiam alluit,de quo Tacitus. Vidius quoq; amnis in Hercynio naſcitur, non longè à Viſurgo, refert Celtes. Chronus fluuius Sarmatiæ eſt poſt Viſtulam,Ptolemæo,Ammiano libro 22.au thoribus.Solinus & Dionyſius Cronum, Plinius Crenum libro 4. capite 13 dixit: uide Hermolaum Barbarum.Sileſus fluuius nō multum à Sarmatia diſtat, cuius meminit Celtes lib.1 Oda.Ptolemæus libro 2,capite 10,& cap.4,Chalauſtum fluuium allegat. Hodie fluuius ille penes Roſtockenſes eſſe conuincitur.

Nabalthe. Vidius. Chronus. Sileſus. Chalauſtus.

De balneis Germaniæ,& eorum ratio naturalis. Cap. 43.

EXpeditis in proximis capitibus fluuijs,balnea Germanica ingrediar.Celebrantur autem balnea natura calida, & admiratione præcipua proſequi digna,penes Germanos Inter hæc non extremæ nobilitatis & opinionis thermę Badenſium Marchionatus clarēt,quas M. Aurelius Antoninus Imp.anno 214,licet alij annorū plus æſtiment,inuenit,ut literæ penè nunc exoletæ teſtantur,lapidi ibidem inciſæ. & Beroaldus in epiſt.ad Illuſtriſs.principem Iacobū Baden

Thermarū Badenſium fundator.

sem. Est & aliud Badense balneum non minoris sortis, iam sub Heluetiorum ditione, de quo Pogius Florentinus epistolam huiusmodi ad Leonhardum Aretinum scripsit. Multa dicuntur ab antiquis rerum scriptoribus de balneis Puteolanis, ad quæ uniuersus populus Romanus uoluptatis causa confluebat. Sed ad horum uoluptates illa accedere non puto. Itur ex Constantia 1000 pass. 24 ad Schafhusen, deinde Cæsaris sedes, Kaiserstul, ob amœnitatem dicta. Inde Baden oppidum Alemanorum lingua, situm in conualli montibus circumeminentibus. Fluuius ab urbe 1000 pass. est, & uilla supra flumen in usum balneatorum fabricata. Singulæ domus ibi sua habent balnea, eorum publica & priuata numero 30. publica duo, ubi innuptæ puellæ, matres, pueri & omnes descendunt: ridiculum est decrepitas mulieres & adolescentes nudos uidere, nates omnibus ostentantes. At domorum balnea perpolita, uiris fœminisq; communia, tabulata, ubi fenestrellæ sunt, quibus colloqui & potare licet: sępe fœminæ nudæ, uiro nudo obuiam ire nulla suspicio inhonesti. Hæc & alia Pogius Florentinus in epistola innuit, quæ & libro secundo adduximus. Fuerunt & antiquitus thermæ iuxta Aquisgranum, quas aqua scaturiente olim imperatores condiderunt, secundum aliquos Drusus uel Agrippa, alij Tiberium Neronem dicunt. Carolus cognomento Magnus illas uenationi illic incumbens, reperit, amœnitate loci captus, urbem condidit, ut annales Argentinensium scribunt. Est & iuxta Moguntiam balneum, de quo Celtes libro tertio, Oda decimatertia, plura adduxit. Nec postremum laudis habet Cellense balneum, non longè à Phorcen, in conualli duobus altissimis montibus præeminentibus situm, olim dictum Scylla, forsitan ab aliquo Romanorum. Capnion Sueuiæ decus & columen libr. primo Verbi Mirifici, à Phorce Troiano, qui Phorcen condidit, hoc balneum nominatum uult, olim Scyllam, iam uerò Scellam. Pares amœnitate ac usu rerum Baiæ penes Sueuos celebrantur, cui loco nomen Ferini est. Huic uoluptas illa balnearum penes Confluentiam accedere potest. Contuli olim cum doctis, quid in re esse putarēt, quòd pleraq; balnea Germanorum aquis sua sponte ac natura calidis feruerent, aut unde ea caliditas aquarum profisciscеretur? Quidam ratione Strabonis nitebantur libro quinto, ubi Auernum calidis fontibus ebullientem describit, ignesq; Aetnæos, ueluti Etesias, aqua illa incendi, & terra distingui dixerunt: cui astipulantur Plinius libro 3, capite 8. Trogus & Iust. libro 4 Hist. aquarum concursum spiritum secum trahere, inde fundum tamdiu tenere, donec per spiramenta terræ diffusus, nutrimenta ignis accendat. Hæc illi. Nec, ni fallor, alterius est opinionis Solinus, capite 46. Plinius libro 2, capite 105. Multi naturalis luminis indagatores alia ratione causam illam perscrutati sunt: aiebant enim aquam sulphure & bitumine accendi, sicuti Aetnam Philostratus lib. 5 in uita Apol. & Strabo libro 7. Hanc opinionem tutatur Celtes libro 3 Odarum, Oda 13, ubi de aqua natura feruente ita loquitur:

Kaiserstul.

Cellense balneum.

Ratio aquarū calidarū natura crescētium.

Sulphureo quæ calefacta flatu
Exilijt cauernis.

Meo tamen iudicio aqua illa thermarum elementaria est, ut omni constat, congregata in uno loco bituminoso, ebulliens uirtute ignis circumstantis, & conseruatione à loco sulphureo. Generatur itaq; à stellis & ab igne eueniente per portas terræ. Ignis enim non potest esse sine euentatione, ut Physicorū uerbis utar, ueluti Zeno philosophus asserit, unde in omnibus partibus terræ, quę stupenda nobis dicūtur, generatur ignis. Habet hoc Aristotel. 24 sectione Problematum, & id omni notum est, mixta generari posse sub terra, uirtute solis stellarumq; in loco prędisposito, ut Aristoteles de auro exemplificat. Ita Eetnā ardere Plinius libro 2, capite 109 ait: In montibus, inquit, Eetna ardet, tot noctibus,

bus, omniq́ꝫ euo igni materia sufficit, niualis hybernis temporibus egestum cinerem bruma operiens. Varia autem de huius aquæ ratione philosophorum opinio est. Albertus ac Auicenna cum Aristotele ratione ignis inclusi in terræ uisceribus, in loco bituminoso, hanc calefieri dixerunt, ut diximus: Democritus uerò nescio quam causam uentis adscripserit, alterius opinionis Zeno stoicus est. Et hæc de illo.

FINIS LIBRI OCTAVI.

LIBER NONVS EXEGESEOS GERmaniæ declarationem Ptolemæi, Strabonis, Plinij, circa nomina Germanica ac urbes Germaniæ continet, Capitaq́ habet 20.

PRAEFATIO.



VLTIMVM adhuc reſtat, in laboribus uerò exantlãdis primũ, quo expedito, tandem ad deſtinatum finem progrediemur. Quę enim ad Germaniæ ac Germanorum habitudinem attinent, proximis libris à nobis ſunt interpretata omnia. Extremum adhuc ſupereſt, de urbibus ſcilicet, earumq; ætatibus oratio, quæ quanto fine proximior, tãto in ſuſcipiendis laboribus maior, ac plus neruorum ſibi deſumit. Mirum, quòd penè tota rerum ſeries ac librorum, ſemper magnitudine ſudoris, ut pluralitate uoluminum ſurgat & augmentetur, & quod ſequitur, ſemper laboribus grandioribus ſimilius ſit. Verum adhuc eſt, quod Græcè dicitur, ἔσχατα τὰ χαλεπὰ: tantus nunc labor, tantæ difficultates noſtris humeris ad ſuſtinendum impoſitæ ſunt, ut id quod prius difficilimum fuerat, comparatione huius omni prorſus careat difficultate. Arduam uiam prius ingreſsi ſumus, fateor, uerùm quicquid illic pertulimus, pluralitate auctorum leuauimus, quos & uia lapſos intelligere ac reſtituere potuimus. Et ut rei ſummam dicam, inæſtimabilem ſudorem, & nil à ſudore alienum tulimus: quidquid tamen id erat, labore nobis mercandum fuerat, labore retaliandum, labore demum confringendum. Præſens uerò negocium longè laborioſiſsimum, nullo ſtudio cedit, nulla uigilantia mitigatur. Deſideratur penè omnis labor in ea re laborioſiſsima, laboris alpha, uel potius labore carente, id eſt, labori nulli cedente. Poſſet planè ea ſola res cupidiſsimum ac laborioſiſsimum etiam ingenium, & hoc quod omnes horas ac oleum Germaniæ deſtinaſſet, in tranſuerſum egiſſe. Et eo maximè, dum uidiſſet, nullum tam abſolutum, aut in refringendis ænigmatibus adeò exercitũ, ſoluendis inextricabilibus nodis adeò nobilem, qui etſi omnem ſuam ætatem ſoli præſenti negocio addixiſſet, aut erogandæ perplexitati illi deſumpſiſſet, nullo filo è Labyrintho illo Germaniam extrahere ualuiſſe. Nihil enim, ſi modò uera fatemur, obſcurius literę produxerunt. Deberetur igitur negocio illi nõ hominis unius ætas, non quòd tantam difficultatem res illa præ ſe ferat. Nihil enim tam arduum, tam incomparabilis naturæ extat, quod non aſsiduus labor, ſedulaq; uirtus expugnauerit: nihil manibus mortalium adeóue ſuis uiribus confiſum eſt, tanta difficultate elaboratum, aduerſus quod non humanus præualeat conatus. Illam autem materia præſens rationem habet, ut per ſe in tanta obſcuritate circumſepta, nulli labori cedat, nec Apollo Delphicus ille ea potiretur. Et hoc eo euenit, quia multa antiquitate nobiliſsima fuerũt, quæ noſtris ætatibus adeò exoleuerũt, ut & harenam funditus immutauerint. Ptolemæo noſtrã confer ætatem, rogo, quod antiquitatis ſimulacrum, quod ueſtigium retulit? Accedit quòd Ptolemæi ſeculo Germania exilis fuerit, aut omnino nulla. Ptolemæus caſas illas nominibus iſtis, quibus ſcatet, & uocabulis conſecrauit. Rogo ubi Heidelbergum tunc incolebatur? hoc tamen Buderinum dixiſſe Ptolemæum uolumus. Vbi tunc Brunſuigum? quod tempore Ottonum condebatur, & tamen à Ptolemæo Tubiſurgum dicitur. Ego annis quingentis nil niſi eremum retuliſſe Heidelbergam experientia habeo. Collige Ptolemæi & Antonini ſecula, quos eadem ætas uidit, & ab illis milleſimum additis plus trecentis annum nunc agi agnoſces. Potuit igitur ille de Germaniæ urbibus quidquã ſcribere? quæ tamen non niſi caſæ ferebantur Maximini temporibus, qui multo Antonino poſterior extitit. Tubiſurgũ non niſi caſa tunc, & nec caſa, ſi Hermanno Hiſtorico Saxonum credimus. δοκέει δέ μοι ἔμμεναι ἀνήρ. Hic igitur mihi uidetur cordatus eſſe, & hominis captum exceſsiſſe, quicunq; ſuperſtitioſum Ptolemæi nucleum fregerit, eiusq; nomina præſertim ciuitatibus Germanicis impoſita, noſtri ſeculi tenori reſtituerit, quod tam facilè quàm integrum eſt, ali

quem

quem illius gallinacij hauſtorem reperire. Fuerunt emunctiſsimi uiri, qui adhibuerunt Ptolemæum externis regionibus, & calculum penes doctos inuenerunt. Poſtquam autem Germaniæ appropinquarunt, laudem foris quæſitam penè amiſerunt. Nec id eorum ſtudio uel negligentiæ imputandum eſt, uerùm Ptolemæo, qui in reliquo orbe deſcribendo officioſiſsimus, Germaniam adeò tenebris obduxit, ut ſatius cõducibiliusq́ patriæ noſtræ fuiſſet, penitus in obſcuro tranſijſſe, nec unquam Ptolemæo uſam fuiſſe illuſtratore, uel potius obſcuratore. Solidè loquor, nihil unquam Germaniæ grauius aliud accidiſſe potuiſſet, cui plus Germaniȩ infelicitas debuiſſet. Exiguum enim eſſet Germaniȩ claritatem abſtuliſſe. Ceſsiſſent alij, quos noſtra ſaltem ȩtas uidit, quos Germania ad ſui memoriam aſſerendam inuitaſſet. Id uerò intolerabile, Germaniam illos penitus ſibi diſsimilem adeò reddidiſſe, ut nec ſibijpſi patria noſtra ſatis cognita, nunquam ad priſtinam claritatem redire ualeat.

Varietatem nominum ciuitatum Germanicarum cauſam eſſe ignorantiæ Germaniæ, ac negligentiæ ſcriptorum. Cap. 1.

SVmma igitur ratio ignorantiæ Germaniæ ac ſcriptorum negligentiæ, prodigioſa illa nominum uariatio eſſe ferebatur, quȩ ſcribendi uirtutem auctoribus præſtantiſsimis quibuſque etiam ademit: qui uerò ſcriptores poſthabita tam inquiſita nominum uarietate, ſcribendi de Germanis cupiditate, & ut profeſsionis eorum neceſsitate ducebantur, uariando nomina, tanta ſomnia effinxerunt, ac in imponendis nominibus intempeſtiui, adeò à ſe inuicem abierunt, dum cuilibet ſuo ingenio ductus, ἐλευθεροσομῶν, omnia ſibi iuxta eius opinionẽ fingere licere putabat, ac in fingendis monſtris ita ſibijpſi placebat. Et ut Ptolemæi ac Itinerariorum obſcuritates conticeamus: rogo qui ſunt Claudenacij, Vennones, Eſtiones, quorum ciuitas Candebonum Vindelicarum gentium apud Strabonem libro quarto? quos apud eundem libro 7, Zunnios, Mugilios, Sabinios Sueuorum gentes putas fuiſſe nominatas? qui apud eundem Biſurci, Capſiani, Gammabruci, Oygeni, Germanorum eſſe dicuntur? Pomponius Mela nullius urbis, nullorum populorum Germanicorum, niſi tantùm Melſiagum meminit. Et ne à Germaniæ mentione ſibi penitus temperaret, ac incruenta ei noſtra patria abiret: fingere quiddam nititur, uel ut ſolus aliquid ſapere uideatur, quod cæteros fugiat. Trebellius Pollio in Claudio Nurtingos, niſi hos Turingos fuiſſe exiſtimes, Sigypedes Germanos allegat. Eutropius libro ſexto Coſtobates, Tamatos, Iulius Capitolinus Bulanos, Trinomanes, Oroſius libro ſexto Machomates, Bombates, Plutarchus Rinuceros Germanos produnt. Taceo Plinium, Cornelium, Strabonem, & cæteros, in quorum recenſendis nominibus fatigaremur, qui omnes ex decreto nomine finxerunt. Quæ tamen cunctis collatis paulum reſtituimus, ac ſingulis ciuitatibus penè ſingula nomina tribuimus: quæ interpretari potes, tuo ductus ingenio. Nemo enim adeò cordatus, adeò ſubductas rationes habet, qui ablata cõiectura, ueri loco quicquam audeat in iſtis tenebris aſſerere.

Nominũ German. urbium obſcurum.

Alij Mugilões Sabinos.

Varietatem nominum Germanicorum ſcriptorum negligentiæ cauſam eſſe. Cap. 2.

MVlti ideo omnem de Germania curam excluſerunt, quòd eius nomina adeò intorta ac alendis ingenijs tam intempeſtiua fuerint, ut penè nulli literarum generi conuenerint. Quod Strabo libro 7 conqueritur, ubi de Tyregetis agit, Plinius etiã Secũdus, ſi uerum dicimus, in rebus Germaniæ primus,

ſæpè in cauſam ducit negligẽtię ſuæ, Germanorum nominum inopportunitatem, prauitatemq́. Pomponius quoq́ Mela Romano ore nomina Germanorum tam incompoſita ac rudia enunciari non poſſe teſtatur. Idem fermè aſſerit Ammianus Marcellinus lib. Hiſt. 22. ubi Sarmatarum uocabula non forum tantum, uerùm & urbes Romanorum, ac egregium cuiuſcunq́ elegantioris ingenium formidare indicat. Guntherus Ligurinus poeta natiõe Germanus, in formandis tamen nominibus impar, nec ea in numeros redigi poſſe perhibet uolumine quinto, ubi de Polonis mentionem facit:

Nomina Germanica nõ conuenire ſcriptoribus.

— Quorum nec Barbara noſtris
Nomina legitimè poſſunt accedere libris.

Et dein:

— Quarum nec Barbara nobis
Nomina, nec rigidi poſſunt noteſcere mores.

Cæterùm Ouidius Triſtium primo, in eadem ſententia eſt:

Boſphorus & Tanais ſuperant Scythiaq́ paludes,
Vixq́ ſatis noti nomina pauca loci.
Sauromatæ cingunt, fera gens, Beſsiq́ Getæq́,
Sunt nec ingenio nomina digna meo.

Idem Ouidius in primo de Ponto:

Non uacat in qua ſim poſitus regione Tomitæ
Quærere, finitimo nec loca nota Getæ.

Martialis quoque libro quarto:

Nos Celtis genitos & ex Iberis
Noſtræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre uerſu.

Quin mauis Ptolemæum in hanc ſententiam rapi, qui in libro 8. tum ob nominum uarietatem, tum ob locorum uiciſsitudinem nomina integra cuiq́ rei reddi non poſſe conuincit, & hac excuſatione nititur. Aptiſsimi ad id Plinij Cecilij uerba conducunt, qui in hanc orationẽ libro nono ad Caninium Ruffum euaſit, poſtquã de cladibus Traiani Cæſaris, Dacis, id eſt, Germanis illatis uerba fecerat: Vna, inquit, ſed maxima difficultas eſt, hæc æquare dicendo, arduũ, immenſum etiam tuo ingenio. Quanquam altiſsimè aſſurgat, et ampliſsimis operibus increſcat. Nonnullus enim & in illo labor eſt, ut Barbara & fera nomina in primis regis ipſius Græcis uerſibus non reſultent. Habes igitur Lector, quid auctores optimos à traditione Germaniæ auocauerit. Quando enim eorum operam patriæ noſtræ addixerunt, uideruntq́ tantam in nominibus ſaltem prauitatem, procul ab eius cura receſſerunt.

Somnia Sabellici, Stephani Græci, ac aliorum in rebus Germanicis. Cap. 3.

Anne impunè id laturus ſum, in quo non dubito quorundã in me crabrones excitaturum, dum à ſcriptorum ignorantia in Germanicis ad doctorum ſomnia deſcendero: ita tamen certum eſt Abydum hoc cuiuſcunq́ horroris, ueritatis conſcientia tentare. Inter cæteras Germaniæ infelicitates id longè maximum recenſetur, quod ſolum cum cæteris regionibus commune habet patria noſtra, ut auctorum exemplaria corruptiſsima habeantur, præſertim ubi res Germanas attingũt. Quid, oro, Cornel. Tacito corruptius? & maximè, ubi

Somnia quorundam auctorum.

tes Germanicas ſapit, ueluti dum de Vindice loquitur, & orta in Germania ſeditione. Quid Marcellino deprauatius? potiſsimùm uolumine 15, ubi Germanorum loca attigit. Ad neotericos me conferam: Sabellicus homo doctus, quã incurioſè res Germanicas proſequitur, licet cętera curioſiſsimè. In uno enim loco ab Alemannis Alanos deducit, nũc Vngaros ab Hunnis deriuat. Nunc Gotthos & Getas Scythas probat, & Gotthos à Dacis ſeparat. Quid multa? uideatur Sabellicus uel in ſolo 4. uolumine Nonarĳ undecimi, cuius uerba ſunt: Guilielmi ducis Auſtriæ, inquit, filium cui Boemundi filia nupſerat. Poteſt illud dictum puer ſubuertere. Ecce in alio loco, ubi de Alberto Marchione Brandenburgenſi egit mentionem, huius fratrem fuiſſe ſcribit Fridericum III Imp. Ingens ſomnus ignorare imperatorem. Idem lib. 2 Exemplariũ, diuę Otiliæ montem in Bauariæ locis poſuit. Idem Hattonem epiſcopum Moguntinum, Ottonem nominat. Et pleraq; fingit, à quorum memoria quam breuiſsimè nos abſoluamus. Satis enim eſt ſucceſſori demõſtraſſe præſtantiſsimos, & ſi nullibi alioqui, in Germanis tantùm lapſos. Quid Stephanus Byzãtius Græcus? qui φράγκους, Francos, ἐξ ἰταλίας, Italię populos dixit, & auctorem huius Partheniũ adducit. Idem Stephanus Viennam oppidum Galilææ dixit, pro Galatiæ. *Locus Stephani.*

Somnia Volaterrani, Arriani, ac aliorum, circa res Germanicas. Cap. 4.

VOlaterranus in omni diſciplinarum genere inſtructiſsimus auctor, tantũ in Germanicis rebus ſuccubuiſſe uidetur. Quam enim nos Auſteraniam dicimus, ille lib. 7 Comment. Auſtriam dixit: quos nos Auares, ille Sauaros. Lucernam quoq; Nanſium dici affirmat. Et Plinium Bernenſium Heluetiorum populorum memoriam habere, dum Bernenſes à Bertholdo Zaringenſi primitus fuerint producti. Taceo prudens mille ſomnia, quæ in Blondo ac cęteris uidimus apertiſsima, & non niſi ubi de Germania agitur. Arrianus Græcus lib. 5, non procul ab Ionio Germanorũ ſedes eſſe aſſerit. Tertia pars ueritati diſcrepat illorum, quæ Oroſius, cæterùm diligens auctor, de Germanorum regionibus diſſeruit. Notatur ingens lapſus Dionyſĳ, ubi de Pyrenæis montibus loquitur, dum penè Hiſpaniam totam aut negat, aut Germaniæ detrahit. Cætera dum ſingularem rei cuiuſq; rationem habuero, allegabo. Nec me latet, quid in hos lapſus tam egregios uiros traduxerit. Partim enim fama, partim mercatorum relatu, partim cõuenientia nominum labebantur, ut facilè contigerit, dum penes nullum priſcorum mentionem de Auſtria uiderunt: uerùm Auſteraniæ, Auſtriam pro Auſterania dixerint. Conſimili exemplo Sabellicus libro Exemplarium ſecundo, diuæ Otiliæ montem in partibus Bauariæ poſuit, ut ſciuerat in Bauarĳs multorum diuorum reliquias coruſcare. *Locus Volaterani.* *Locus Arriani.* *Locus Dionyſĳ.*

In enarratorem quendam Ptolemæi, & quorundam nominum declaratio. Cap. 5.

INter plures Ptolemæi enarratores calculum unus penes me reperit, qui alioqui ἀνώνυμος, quadam feſtiuitate operam ſuam non ſine laude poſteris participauit. Nos tamen qui attentiori indagine ac ſtudio acriori quędam uidimus emendari potuiſſe, noluimus pium lectorem illis defraudare: uerùm potius ei anſam præbere, cuius auxilio latiùs ipſe rem uideat, an mihi an huic ſubſcribendum ſit, & quis noſtrum ſaniori ſententiæ plus affuerit. Ille itaq; enarrator Aretisflauiam Norlingen, Canciœbim Amberg, Gammanodurũ Saltzburg, Murocla Moreck, Bolentum Pachelſpurg, Phileum Groningen, Phabiramũ Bremen, Leuphanam Hanofer, Lirunirim Mulben, Tuderium Palbrun, Stereon- *Declaratio Ptolemæi.*

tum Caſſel, Latiburgum Roſteck, Rugium Colburg, Buritium Sund, Munitium Göttingen, Aſcalingium Hildesheim, Galegia Vittenburg, Mœniũ Magdenburg, Pheugarum Halberſtat, Trimona Neumarckt, Budorinum Heydelberg, Biturdium Erphort, Arctauiũ Vuirtzburg, Aliſiũ Harnſtain, Caſurgim Brag, Locoritum Forcheim, Arſicuã Brum, Aſancam Clepern, Atuatucũ Antdorff, Anaxam Naſſau putauit, & pleraq; optima, ſecus enim non licet, cõiectura executus eſt: nec ullus propius Ptolem. hactenus acceſsit. Plura tamen incuria trangreſſus uidetur, quæ emendari poſſunt, quibus noſtram operam addiximus, ac partim relatu doctorum uirorum illam de his ſententiam tulimus.

Alij Aliſtũ Budorim.

Declaratio quorundam nominum Germanicorum iuxta Ptolemæum & Antoninum, extra communem enarratorum eius opinionem. Cap. 6.

QVæ uerò in enarratoribus Ptolemæi correximus, illa ſunt, quibus & in Antonini Itinerarium enodationes coniunximus. Elcebus Mulhuſen uel Enzen. Breucomagus Colmar uel Schletſtat. Vangiones Speir, & non Vurms, ita & Nemetes Vurms, & non Speir, hac ratione ducti coniectamur, quia apud Ptolemęum in tabulis, & ubiq; dum Rhenum deſcribit, à meridie ad Septentrionem decurrere, primitus meminit Vangionum, inde latius ad Septentrionem Nemetum. Hæc non pertinaci contentione tutari uolui, uerùm tantùm ſucceſſoribus occaſionem relinquere. Rufiniana urbs inter Vormaciam & Spiram, ubi ego nullam reperio, quæ medium inter ciuitates prædictas occupet, & alicuius nominis ſit. Borromagus Hagenau uel Curia. Neogamus Oppenheim. Bingum Bingen, huius meminit Tacitus, Ptolemæus, Antoninus, & Itinerarium Auguſtanum. Traiana legio Confluentz. Noueſium Nuſz. Battanodurum Gelria. Rabona die Rab, fluuius in Danubium. Chercobalus Heunburg. Phlexum Vuyn. Sacarbantia S. Pulten, huius loci Antoninus ac Itinerarium Auguſtanum fecêre mentionem. Carnus Melb. Auguſta ex altera parte Lyci deſcribitur à Ptolemæo, unde aliqui non Vindelicos uolunt. Ab Antonino uerò ſecunda urbs ab Amberga perhibetur 23, 27. uideant alij quid ſentiant. Sauaria Stein am Anger, non Gretz, ut quidam uolũt. Antonino, Ptolem. ac Itinerario Auguſtano teſtãtibus. Iuliobona Lintz. Aredata Peuerſpach. Boccodurum Paſſau, non Burckhuſen. Artobrigam Lechsgmind, à Ptolemęo ac Itinerario Auguſtano dici perſuaſiſsimum habeo, non Ratiſponã. Teutoburgum Seua ubi ingreditur fluuius Daros (alij Draos uel Drabus) in Danubiũ: de eo loco Ptolemęus, Antoninus, & Itinerariũ Auguſtanum. Daros die Trab. Sauaria fluuius die Mur. Taururum Belgrad, ubi influit Saus. Sirmium Agria apud Antoninum & Itinerarium Auguſtanum. Tornacum Tornach. Vindones Vindiſch, ubi ſepulti ſunt duces Auſtrię. Quintianis Cũtzingẽ iuxta Filiſhofen. Vetera caſtra Santen. Comagenis à Ptolemæo & ſcriptore uitæ S. Seuerini, locus non procul à Vienna eſſe uidetur. Sunt qui Cambergum id uolunt. Canipadum alij Kempten, alij proximam dicunt ciuitatẽ. Brigantia Bregentz ab Antonino dicitur. Curtam etiam Budam nũc dicere uidentur omnes, Hungariæ metropolim, teutonicè, Ofen. Ego uerò multa ratione ductus, Curtam Gran eſſe puto, & Salmum apud Ptolemæum Budam eſſe, Virunium Iudenburg dicunt: noui qui Friſingum eſſe uoluerunt.

Alij Viliobona.

Alij Campidonum.

De quodam antiquo Itinerario Auguſtano Danubij ciuitates declarante, eiuſdemq; enodatio. Cap. 7.

Itinerariũ Auguſtanũ, & eiuſdẽ enodatio

PEruenit nuper ad nos Itinerarium quoddam, ut antiquum, ita feſtiuiſsimum, quod Auguſtanum uocabant, ubi repertum fuiſſe dixerunt. In quo ciuita-

ciuitates Danubianæ continebantur, quafcunq; uetuftas uiderat. Huius igitur
uocabula quædã urbibus Germanicis impofita, licet obfcurifsima, habi[illegible]
ne ac fupputatione, ita luci protulimus: Regelfpurg primitus Rhegino ab ipfo
dicitur. Pataujũ uerò caftellum Bolodurum. Lambach præterea monafterium
non longè à flumine Drauo, Ouilia ab eo appellatur, ab Antonini uerò Itinera
rio Ouilabis. Carnunto preterea Peternel effe iuxta Hamburgum coniectaui-
mus. Taurinum fimul ab ipfo Mæfiam fuperiorem nominari putamus. Veto-
mannis quoq; penes eum Pettau ualuit, uel locus non longè à Petauione, licet
paulo pòft ubi Pannoniam fuperiorem defcribit, Petauionis meminerit. Vin-
doniffam inde Vuindifch fignificare uidetur. Seleftadium uerò nunc Hellum,
nunc Heluetum nuncupauit, cuius uocabuli & Antoninus meminit. Pontes
præterea Saroi Sarbruc, Argentaria Colmar, Tabernis Zabern, Matricorum
Metz, Argentorace Argentinam, Auenticum Habelnfpurg, Iuuauiam Saltz-
burgam, Solidurnum Soldurn, coniectura optima ab ipfo dici uidimus, quorũ
uocabulorum ufus tam apud Ptolemeum quàm Antoninũ frequens eft. Nomi
na preterea ciuitatũ collegit, quæ & noftri feculi rigorẽ feruãt. Veluti funt Co-
lonia, Argentorace, Iuliacum, Fleuio, Nouefum, Bingium, Afciburgum, Noui
omagum, Augufta Treuirorum, Augufta Rauracorum, Confluentia, Bonna,
Rigomagus, Moguntiacum, Bregetomagum, Augufta Lyci, Arisflauis, Lacus
Bigrantinus, Sirmium, Murfa, Ponte Drufi, Tridentum, Brigantia, Vlmo, & re
liquarum urbiũ appellationes, quæ cuilibet priuato conftant: quæ ideo addu-
ximus, ut earũ antiquitatẽ exigeremus, & has totius Germaniæ uetuftiffimas fa
ceremus. Reliqua in illo Itinerario fepofita fucceffloribus noftris relinquamus.

Declaratio quorundam nominum Germanicorum in Cæ-
fare, Cornelio ac Strabone, præter Marliani
fententiam. Cap. 8.

DVm nuper Marliani alioqui curiofi fcriptoris in Cæfarem uidebamus lu-
cubratiunculas, primo intuitu, ut fit, hunc probauimus. Multa tamen ui-
debamus aliter doctis nunc perfuafa fuiffe. Seductus penè Marliano aufcultaf-
fem, nifi Conradi Peutingeri uiri doctifsimi literæ nuper ad nos miffæ, me in- *Contra Mar-*
tranfuerfum egiffent. Nolumus igitur ftudiofum lectorem illis deftituere, præ- *lianum.*
fertim quatenus noftra profefsio ac fufcepti muneris officiũ pro operis necefsi
tate fuadebit. Vnde quæ in tranfcurfu memoriæ digna fentimus adducam, ne
cæteri in iftiufmodi laqueos irretiantur ac cadant. In primis nominum uarieta-
tem miratus Marlianus, qui fint rogat illi Germani, quos Gregorius 3 Papa Bo
nifacio Moguntino præfuli literis inferuit, dicens: Vt uniuerfis optimatibus ac
populo Germanicarum prouinciarum, Turrigenis, Hefsis, Viftrefsis, & Ve-
drefsis, Longuadis, Sudrodis, & cæteris in Orientali plaga conftitutis: tanquã
nomina eorum omnino uariata, nihil noftri feculi fapuiffent. Turrigeni quos
iam Turingos uocamus, appellantur. Hefforum nomen adhuc remanet. Vi- *Dani Daci.*
ftrefsi ab aliis Vedrefsi feruntur illi qui Vuederau incolunt, ita Longuados ac
Sudrodos cæteros dicimus. Bacenam præterea fyluam Tranfrhenenfem effe
fcribit, non longè ab oppido Baden. Sunt qui Turingenfiũ fyluam dicant, quo
rum opinioni plus tribuo. Dacos etiam eos putat, quos nunc Danos dicimus,
Strabonem forfitan ac Sabellicum imitatus. Verùm eius ratio nõ tenetur à me
lioribus. Daciam enim Suida referente, iuxta Danubium effe, quis ignorat, qui
Dionem Græcum in uita Traiani uiderit? Romani etiam quãdocunq; Dacos
uiciffe dicuntur, & iuxta Danubium eos afflixerunt. In alia pagella Dacos olim
apud Danubium confediffe, motisq; fedibus ad Daniam porrexiffe refert. Cæ
terùm

terũm auctorem quem habeat, uidi neminem, nisi Strabonem ac Italos quosdam, rerum Germanicarum inscios, qui nominis conuenientia ducti, Dacos Danos esse arbitrabantur. Id persuasissimum habeo, Dacos non nisi iuxta Danubium reperiri. Reliquas rationes quas adducunt, libro primo expugnauimus.

Heluetij. Heluetios simul Basiliensi, Constantiensi, Gebennensi ac Sedunensi termino circumscribit, quos longius extensos Cæsar ipse innuit: manet adhuc uestigium in Alsatia, inter Argentariam & Argentoracum, quod Heluetũ ab Antonino Pio dictum est. Vnde adducti recentiores, penè omnes Alsates ac Suitenses Heluetos dixerunt.

Alsatia. Alsatiam ab oppido Alseto in Burgundiensi ducatu sito nominatam scribit, quam ab Alsa fluuio dictam opinio uerior uulgauit. Vsipetes etiam iuxta Frisios esse putat, dum multi inter Neccharum, Rhenum ac Mœnum ipsos comprehendant, ueluti Plinius ac Cornelius. Adde quòd multa de ueteribus castris allegat, quæ hodie Santen dicuntur.

Cherusci. Cheruscos ipse Cerusos uocat, iuxta Bacenam populum, & ut Ptolemæi enarrator ait, inter Rhenũ, Neccharũ ac Bacenã: secutus est eos Celtes, qui hodie esse putat Chreuchgauienses, dum nihil minus fuerint: dormierunt omnes in ea sola dictione. Potuisset eos Strabo lib. 7 à lapsu illo sustulisse. Claudianus in Panegyrico iuxta Albim Cheruscos sedes habuisse refert, uerba eius sunt hæc:

—Venit accola syluæ
Bructerus Hercyniæ latisq; paludibus exit
Cymbrus, & ingentes Albim liquère Cherusci.

Verba autem Cornelij Taciti cœlo clariora sunt, qui libro 2 Hist. Visurgim fluuium Romanos à Cheruscis diuisisse scribit. Sunt ergo Cherusci Saxones.

De nonnullis in Conrado Celte repertis, quæ emendari possunt. Cap. 9.

ET quia Celtis poetæ mentio hîc nos admonuit, quædam cõtra receptas eruditorum persuasiones scripta illius refellemus. Iaziges illos, quos modò Septem castrenses dicimus, hîc à Ptolemæo fuisse appellatos cæteris persuasit. Habet præterea sententiæ suæ riualem Zachariam Lilium. Ego qui repugnare mihi difficilè duco, consentire difficilius, rem aliorũ sententię oblaturus sum.

Iaziges. Maximè dum sciam, Iaziges Vngariæ populos fuisse, & hos, quos hodie Iazos uocant. Scio Germaniæ summos, qui pedibus in sententiam nostrã eunt. Sed quid id est controuersiæ, dum satis ad huius rei fidem solus Ptolemæus libro 3 conferat. Hæc sunt quæ sine omni affectata lectione, obiter παρέργως sese nobis obuia tulerunt in Marliano, & quæ nec nobis satisfecerunt: placuit auditorem amicum iudicem rerum illarum constituere, ut ipse nobis calculum addat, uel demat suo, non nostro, ingenio ductus. Licet quæcunq; descripserimus, non temerè, ac sine præstantissimorum uirorum ductu à nobis exarata sint.

Castigationes quædã aliæ in Celtem in rebus Germanicis. Cap. 10.

Celtis somnia. CEltes autem licet Germaniam egregiè metitus fuerit, maioremq; partem peregrinatus sit: multa tamen memoriæ tradidit, quæ nunc secus à doctis persuadentur: ut de Cheruscis modò ac Iazigibus patuit. Posuit ille Osteruualt pro sylua Ottonis: Rhiphæos quoq; montes in Sarmatiæ partibus esse contendit, ex priscorum autoritate, cum tamen nec sint, nec unquam in rerum natura constiterint. Electrum etiam more scriptorum fluere ex arborum medullis canit. Non clam me est, in illo scriptores doctissimos ac absolutissimos imitatum fuisse Celtem, à quibus ob Germanicarum rerum ignorãtiam, & ipse seductus est.

eſt.Dacos quoq; Cimbros exiſtimat,ac præter quod Germanos indigenas arbitratur,Græcè Adelphos nominari indicat,cum tamen à Ptolemæo,Arriano, Herodiano,Dionyſio,& alijs Gręcis autoribus γερμανοὶ uocitentur.Cattos etiam Haſſos dicere uidetur, iuxta montes Obnobios, Marlianos autem Vngaros.Ego qui ſcio Cattos olim inter Salam & Albim,ac in loco ubi nunc Turingi ſunt,conſediſſe,penitusq; deletos eſſe,in diuerſum abeo.Sic etiam Oſtrogotthorum ac Viſogotthorum mentionem facit in deſcriptione Hercynij, qui penitus aut extirpati ſunt,aut in nomen Hiſpanorum ac Danorum abierunt. Multa alia in Celte uidimus,incuria quadam ac ſecus quàm nunc doctis perſuaſum eſt,enarrata,quorum mentionem diſtulimus,uſq; ad libros nouiſsimos, ubi rerum illarum accommodatior nobis locus erit. *Catti.*

De præpoſtera fictione rerum multarum,Plinij,Cæſaris,Herodoti ac Strabonis. Cap. 11.

NEc minima admiratione proſequendum eſt, tam Græcos quàm Latinos abſolutiſsimos,in tantis tenebris uerſatos fuiſſe,quemadmodum Pliniũ, Herodotum,Strabonem & multos antiquitatis proceres.Strabo libro quarto, non procul ab Adriatico labi dixit, ac oriri Iſtrum illum nominatiſsimũ fluuiorum, à cuius tamen fontibus tanta eſt diſtantia ad mare Adriaticum. Herodotus fabulator,quia ad Iſtrum uenimus,Iſtrum ab Heſpero fluere dixit,& oriri apud Celtas, qui omnium in Europa extremi ſint. Non'ne maximus, à maximo auctore ſomnus,ignorare Celtas,ac Iſtrum in extrema Europę parte oriri?Sed ne putes Herodoti uerba Latina eſſe corrupta,Græca adducamus ex lib.4,quę illa ſunt: ῥέει γὰρ διὰ πάσης τῆς εὐρώπης ὁ ἴστρος,ἀρξάμενος ἐκ κελτῶν,οἱ ἔσχατοι πρὸς ἡλίου δυσμέας μετὰ κύνητας οἰκέουσι τῶν ἐν τῇ εὐρώπῃ.καὶ τὰ λοιπά.i Fluit autem per totam Europam Iſter,incipiens ortum ex Celtis,qui ad occaſum ſolis omnium extremi ſunt,poſt Cynetas.Et addit, Totamq; permenſus Europam,ad Scythiam ingreditur. Verùm ne Herodotum & in eo loco incuria deprauatum putes, eius uerba ex libro ſecundo, qui εὐτέρπη inſcribitur, illa adducturus ſum: ἴστρος τε γὰρ ποταμὸς ἀρξάμενος ἐκ κελτῶν καὶ πυρρήνης πόλιος, ῥέει μέσον σχίζων τὴν εὐρώπην. οἱ δὲ κελτοί εἰσι ἔξω ἡρακλείων στηλέων, ὁμουρέουσι δὲ κυνησίοις. οἱ ἔσχατοι πρὸς δυσμέων οἰκέουσι τῶν ἐν τῇ εὐρώπῃ κατοικημένων. τελευτᾷ δὲ ὁ ἴστρος. Neſcio quid in Cæſ. uiderim Voſeſum montem in finibus Lingonum ponente,niſi Lingones Lotharingos dici uolueris,cuius copioſior ſermo libro 12 habebitur. Satis itaq; nobis ſit, in unoquoq; pręſtantiſsimorum aliquid corripuiſſe,Cętera ſi ſcire tibi animus eſt, Strabonem perquirito,quem in 7 libro ſcribentem reperies, Lupiam ac Viſurgim ad Hamaſiam deferri. In utroq; refellendus Strabo eſt: Lupias enim Rheno miſcetur, Viſurgis mari exoneratur. Verùm tandem uela ab illis detrahens, magis quæ ad eorum enodationem quàm calumniam accedere uidebuntur, pro captu ingenij noſtri explicabo.

Locus Strabonis.

Locus Herodoti.

Locus Plinij.

Enodatio nominum Germanicorum apud Cæſarem,Cornelium Tacitum,ac Strabonem & Ptolemæum. Cap. 12.

TAnta autem nominum obſcuritas in illis auctoribus continetur,ut non facilè admiratione adducar, multos in illis inueſtigandis oleum perdidiſſe. Volui & ego pro conceſſa nobis facultate,ea quæ coniectura aut præſtantiſsimorum relatu habemus,lectori inſinuare. Non quòd ueluti Apollinis oraculo illis inhæreat, uerùm tantum uideat,an ſentẽtiam noſtram corrigere poſsit.Ad Cornelium Tacitum itaq; adiuncto ſibi Ptolemæo accedo, & ſerie quadam urbes eorum tranſcurram, Angili Saxones ſunt. Aſciburgum locus Rheni nunc Emerich.

Enucleatio dictionum uariarum regionum penes diuerſos auctores.

Emerich. Angriuarios Brunſuigenſes, alij Saxones eſſe putant. Nitriones, Vargiones. Turogos, Carithios, Franciæ populos aſſerunt, alij tamen Turogos Polonos dixerunt. Buſactori minores Vueſtuali ſunt, Ioannes uerò Schonerus Mathematicus Friſios eſſe contendit: ſunt etiam qui eos Cleuianos eſſe dicāt. Nerteani, Caſuarij, Maringi, nunc Turingi dicuntur. Cheruſci Saxones eſſe ex Cornelio liquidiſsimè oſtenditur: ſunt tamen qui eos Marchicos antiquos fecerint. Teutonarij Saxones ſunt uel Brunſuigenſes. Chennos dicunt quidam Vueſtualos, alij Turingos. Camptæ, Dandicti, Mansfeldenſes, Voitlandi, ac Miſnenſes feruntur Variſtæ, Adrabi, Bohemi coniectantur. Cauchi maiores Saxones ſunt, Cauchi minores Friſij. Chalos, Phunduſios, & Carudes Dacos, alij Holſatios eſſe contendunt. Digulones, Habalignos Holſatios dicūt. Oqueni, Longobardi Haſsiæ ac Vuederaniæ incolas aſſerunt, ut Ioannes Schoner Mathematicus. Vnus tamen Germaniæ non infimus, Ocquenos Vueſtualos, Longobardos Miſnenſes dicit. Illud magis Cornelio, hoc uerò Ptolemæo reſpondet. Marlianus uerò Vueſtualos Longobardos aſſerere uidetur. Ego & ſi Marchiones Badenſes ob Rheni uicinitatem dicerentur Longobardi, non errorem putarem. Eraſios Iuliacenſes eſſe coniectura eſt. Mattiaticos Schoner Mathematicus Selandos putat, alij Batauos, unde Martialis pilas Mattiaticas, pro ſapone Batauo dixit. Videtur Hermolaus Barbarus ſupra Plinium probare ex Ptolemæo, plus 1400. ſtadijs à Moguntiaco Mattiacos abeſſe. uide de litera M, libro ultimo. Caumani Marchici antiqui feruntur: Marlianus neſcio quid Friſios dicat. Sueui olim, nunc Vueſtuali ſunt. Ptolemæum utranque partem eos ad Albim inhabitaſſe ait, unde multi Saxones opinantur eſſe, cui ſententiæ multum tribuo, Euſebio & Eutropio auctoribus animatus, qui Auguſtum ab Albi Sueuos ſummouiſſe dixerunt. Lucanus:

Alij Varagros uel Varagrones, Carithnos.

Alij Ocuentij uel Oquemi.

Fundit ab extremo flauos aquilone Sueuos
Albis.

Strab. lib. 1, ca. 7. Enarrator aūt Lucani maximè hallucinatus eſt, dum Sueuos Comatæ Galliæ populos dixerit, cuius ſomnum & Trebellius homo doctus animaduertit. Cogni & Corconcij Schleſij ſunt. Tubantes, Catti Franciæ populi dicūtur, licet Cattos Celtes Haſſos, Schoner Mathematicus Saxones, Marlianus Vngaros, Coclæus etiam Haſſos dicere uideantur. Ego relatu doctorū ac experientia illos deſciuiſſe nunc ſcio, aut potius Cattos Turingos probarem. Rundij, Eluones, nunc Pomerani dicuntur. Seligni Marchici noui ſunt. Senones nunc Luſatij. Pharodini Mechelburgenſes dicuntur, ait Marſcalcus. Sidini Pomeranos eſſe opinio communis inualuit, Schoner Mathematicus Mechelburgenſes dici putat. Corcontij, Latobrigi, Bardini, Dandati, Marchici noui eſſe perhibentur. Quados Morauos probat Schoner, Coclæus uerò Schleſos. Chetaori Vmbri ſuperiores referuntur, ſicuti & Sudini & Adropocampi. Thiriocheni Bohemi æſtimantur. Gothones Prutenos dici plurimi uoluerunt. Claudianus Guthones dicere uidetur illos, niſi fallor, quos Gotthos dicimus, ſed in alijs locis Cuthunos lego: Cornelius tamen Gothones Neuria, Samogitia, ac Samogetia, Lituania nunc eſſe cōuincitur. Carcothæ, Pagirithæ, Leuoni, Varini, Liuoni coniectantur. Marcomannos Morauos fuiſſe turba uniuerſa ſcriptorum aſſerit. Tyrigethas apud Strabonē Capnion Turingos nūc appellari teſtatur. Theiphalos ac Victoalos, nunc Turingos Eutropius affirmat. Codri, Viſburgi, Marmoncij, Dulgoni, Didoni, Hemoni, nunc Poloni feruntur. Tentheri, Fiſcini, Marchionatum Badenſem incolentes dicimus, ſi Cornelio ac Ptolemæo ſatisfacere uolumus, ac nobis, ut ex Hermolao Barbaro ac alijs auctoribus in libris poſterioribus probabimus. Virones Saxones ſunt,

ſunt,ſecus eſt de Virunis,ij dem & Auarpi putantur.Cheracatriæ ac Bemi,Auſtri ſunt, Bemos tamen Celtes & alij nunc Bohemos fuiſſe aiunt. Vide in libris poſterioribus, de litera B. Churiones ac Paumecampos Vmbros ſuperiores dici uidemus. Monethani Luſnitzenſes,Luſnizer dicimus. Nagethe, Marchici noui ſunt. Brig inthi Selignæ ſiue Lignæ Marchici antiqui conijciuntur, ſimiliter & Caulecones. Holſaciam ac Daniam præterea dicunt, das land uon Holſteyn. Hermandui Coclæus Bohemos dici aſſerit. Hermiones Pruteni uel Poloni iuxta mare ſunt.Cumi præterea Vueſtuali æſtimantur. Sycambros omnes Gelrenſes dicunt: Marlianus etiam eos Iuliacenſes dictos putat,ego ueriori pacto Monaſterienſes eſſe cōiectarer.Interim lector cogitet,nullum tam abſolutæ doctrinæ extitiſſe, qui ueritatis loco quoſdam ſaltem populos illos, ad noſtri ſeculi gentes audeat referre,niſi cōiectura utatur,ac eo argumento, quo ego ac cæteri fungebamur. Tu ſi nobis occulatior es,ac multo acutius uides,id in quod te tua ſententia induxerit,retineas,nos nobis ceciniſſe puta.

Declaratio quorundam nominum montibus & cæteris Germanicis rebus impoſitorum, à Cornelio, Strabone, Ptolemæo ac alijs. Cap. 13.

DIſcuſſa quorundam nominum Germanicarum gentium uarietate ac obſcuritate,libuit ſimili honore montes ac flumina dignari, ac eorum obſcuritatem ad uires luce condonare. Montes Sarmatici, nunc Kemuntz dicuntur, de illis Ptolemæus.Obnobij montes ſunt Haſsiæ,ut quidam ſicuti Aeneas Syluius,ac Celtes arguunt:ſed magis accederet,ſi Turingenſes aut Saxoniæ montes & ſyluas diceremꝰ. Eremus Heluetiorū Vueſteruualt.Semiania ſylua Hart uualt, alij Semitiana: Gabrete Bohemeruualt coniectatur.Goreta ſylua iuxta Pataujum æſtimatur. Cetius mons Srepuſchluck, alij Calenberg dicunt, inter Viennam & Lintzium.Melibocum Duringeruualt dici ferunt. Arduenna ſylua Eicheluualt,alij Acheruuald dicūt. Carpatus & Sueuus ille maximus mons non longè à Pruſſa putatur.

Montium enodatio.

Declaratio quorundam fluminum Germaniæ. Cap. 14.

NVnc ad flumina Germanica deſcendo, quorum in uariandis nominibus æqua obſcuritas eſt. Chalauſtus fluuius à Ptolemæo hodie flumen eſt apud Roſtock,quod ibidem mari infertur. Amaſus die Ems. Vrgis ſiue Viſurgis die Vueſer. Viadrus die Oder.Lupia die Lipp. Trab. die Trab. Sueuus Spree. Scaldis die Scheld iuxta Antorff. Narua die. Nara. Boryſthenes der Neper. Iornandes hunc eundem facit cum Danubio,alij eos diſcreuerunt,ut Herodotus dicit: τέταρτος γὰρ ὁ βορυσθένης ποταμὸς, ὅς δή τε μέγιστός τε μετὰ ἴστρον καὶ πολυαρκέστατος, κατὰ γνώμας τὰς ἡμετέρας, οὔτι μοῦνον τῶν σκυθικῶν ποταμῶν ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων πλὴν νείλου τοῦ αἰγύπτου. Id eſt, Quartus fluuius maximus poſt Iſtrum Boryſthenes eſt,ac copioſiſsimus noſtra ſententia,qui non ſolum Scythicis fluminibus præſtat,uerùm & omnibus alijs, Nilo excepto. Hæc eadem Stephanus, Strabo,Eratoſthenes,Dionyſius, & alij, qui Iſtrum à Boryſthene diſtinxerunt. Obrincam Aeneas Mœnum dici putat,ſed fallitur: reuera Moſella eſt,quia mediam Germaniam diuidit.

Fluminum declaratio.

Boryſthenes.

De urbibus Germanicis, & quomodo olim Germani domos fixerint. Cap. 15.

EXacta memoria de Germanicorum nominū obſcuritate,ipſas urbes nunc ingreſſurus ſum, quibus noſtra tempeſtate nihil nobilius eſt honeſtiusꝙ.

Germani ſine urbibus.

Dum autem uetustam Germaniæ speciem intuemur, inuenimus ipsam cœlo asperam, terra informem, Tacito referente, ac nullam Germaniæ ciuitatem, tantùm casulas quasdam olim compactas. Ait enim Cornelius, Germanos iunctas inter se sedes non pati. Et habet sententiæ suæ riualem Sabellicum libro secundo Ennea. 6. Cæsar quoq; libro Commentar. primo, ante 14 annos Germanos non subijsse tectis indicat. Cæterùm cur non Herodiani sententiam in testimonium trahimus, potissimùm in hac re nobiscum facientem libro 7? cuius uerba sunt: Regionem autem Germanorum Cæsar depopulabatur, maturis iam segetibus, uicosq; omnes incendendos diripiendosq; militibus tradebat. Raro autē apud Germanos è lapide lapidibusue coctilibus aut lateribus ædificia sunt, densis etiam syluis, quorum confixis augmentatisq; lignis quędam quasi tabernacula ædificant. Hæc ille. Idem Herodianus libro sexto, in syluis Maximinum contra eos pugnasse refert. Ex eo solo Germaniæ ignorantia profecta est: nulli enim ciuitatum eorum quidquam constiterat. Sic & Pomponius Mela libro 2, nihil de Germanorum ciuitatibus dicere consueuit. Multi Germanorum olim in specubus habitauerunt, unusquisq; etiam domum suam spacio circundabat, & aduersus ignis casum, aut inscitia ædificandi. Nullus enim cæmentorum aut tegularum usus apud illos fuit. Hæc omnia Cornelius in Germania. Franci etiam, ut Hunibaldo placet, usq; ad Hildegasti tempora rarissimas urbes possederunt, ita ut in prouerbiū abiuerit, das ist ain altfrenckisch gebeue. Cęterùm Ammianus Marcellinus libro 18, iuxta Rhenum in ulterioribus ripis penè nullam ciuitatem uideri asseruit. Nec id remittendum est, quasdam ciuitates Germaniæ domos eorū fixisse. Vnde Cornelius probat in Germania sua Fennos esse Germanos, dum domos fixerint, quod penes Sarmatas in usum non fuerat receptum. Et idem in Historijs, apud Frisios ædes fictas testatur. Cætera Baptista Leo libro tertio, de ædificijs exequitur.

Fictio domorū penes Germanos.

De pagis Sueuorum. Cap. 16.

ANtiquitus igitur non urbes, sed tantùm pagi penes Germanos extiterāt, quorum centum erant Sueuorum tantùm, referente Iulio Cæsare in Comment. lib. 4. cuius uerba sunt: Centum pagi Sueuorū referuntur, ex quibus multa millia militū quotannis bello partim, partim agriculturæ deduntur. Eutropius lib. 6, Orosi. lib. 6, alijq; plura de illis retulerunt. Itinerarium etiā nuper Augustę repertum decem pagorum meminit. Horum autem pagorum finalis terminatio in γῆ Gręcam dictionem exibat, quam Germani in geu uerterunt. Extant adhuc Sueuorum pagorū illorū nomina penes nos, ut sunt Algau quasi alpium γῆ geu, Brisgau laudis γῆ uel pagus. Sungau quasi Solis pagus ob amœnitatem. Ergau honoris pagus. Heugau quasi fœni pagus. Nortgau Noricorum pagus. & hi pagi Sueuorum dicebantur, custodito adhuc nomine eorum Geu.

A quo Germanorum ciuitates ac regiones nomina sortitæ sunt. Cap. 17.

ET quia capite præcedenti de Sueuorū pagorum appellatione, unde nomina sibi desumpserint, docuimus: nostro iure nos facturos æstimauimus, si & reliquarum urbium regionumq; uocabula exigeremus. Sunt Germaniæ oppida quę in Heim desinunt, quod patriam penes nos denotat, ut Phortzheim, Hildesheim, Vuickershim. Alia in pagus, Brun, ut Heiligbrun, nos Hailbrun, Balenbrun, Thieffenbrun, à profunditate. Et hoc non sine re: dicente enim Seruio, Prædia parua ideo pagi dicuntur, quia antiquitus iuxta fontes rustici tabernacula ædificabant. Eiusdem farinæ nomina sunt, quę in aquam Bach terminantur, sicuti Amelspach à fluuio dicta illic præterlabēte, nos Anspach. Arnspach, Alberspach,

Alberſpach, Alberti aquam. Alia in Græcam dictionem πύργον, quam turrim uel burgum tranſtulimus, ut Capnion noſter in codice epiſtolari oſtendit, manente in utraque lingua conuenientia, ut πύξος buxus, π in β, ita μαριανπυργον, Mariæburgum, Altumpyrgum, Hochburgum, Regelſpurgum ab aqua illic in Danubium ſe exonerante nomine accepto, Rotenburgum, Mechelburgum, Norenburgum, Friburgum. Alia in En uocem dimittunt, quę Latini inacum deducunt, ut Etlingen Etelingiacum, teſtante Peutingero, qui datis nuper ad me literis Etelingiacenſem uocitabat. Et ego compertum habeo omnes penè totius Auſtraſiæ urbes, olim in acū exiuiſſe, ut latiùs in libris ſequentibus patebit. Alia in uallem eorum appellationem finiunt, nos Tal: quia ualle circumdata, ut Mergental, Murgental. Sunt & aliæ nominum Germanicæ nationis rationes: multæ enim urbes à Dijs olim ibidem cultis nuncupationem nactæ ſunt, ſicuti Lunenburgum à Luna, in cuius honorem urbs condita dicitur. Mersburgum à Marte, Magdenburgum à Venere, & ut Capnion inquit, uel ab ancillis Veneris, Gręcè δμωίδων πύργος dictum: δμωὶς enim ancilla eſt. Ilenburgum à Ioue, Saterburgū à Saturno, Iuliana teutonicè Vuolgaſt à Mercurio, ut ait Hermannus Saxonum ſcriptor. Soltuelden à Sole ibidem culto, Hamburg à Ioue Hammonio, Almanhofen ab Alemāno, Etelingen olim Neptingen à Neptuno: ita & Oldenburg, ac alia. Oſtendit hoc clariùs Hermannus ſcriptor. Carolus olim Magnus plura illorum idola ſuſtulit, aliqua uerò ob antiquitatem uſque ad noſtra tempora excurrerunt. Poſtquam uerò religionis noſtræ honos inualuit, à ſanctorum nominibus ciuitates exorſi imbuimus, ut Portus Nicolai, Petershuſen, Mariæburgum. Alia oppida etiam à fluminibus inuenio nuncupata, ut Amelſpach, Moguntia, Confluentia, Iuuauia, Regelſpurg. Alia à cōditoribus, ut Treueris, Brunſuigum, Virunium, Dinckelſpuhel, Auguſta. Alia ab auſpicijs & ſortibus, ut Triboches à tribus quercubus, Herbipolis quaſi Erebi polis, referente Celte, cui tamen minus aſſentior. Alia à rerum proprietatibus, ut Eychſtadium quaſi Oedſtat, Monacum, Lantzhuta, Otlandia, Iechtlandt, Mediomatrices, Quadrata. Alia nominibus terræ uocabātur, ut Vangiones à terra proxima Vuneugijs, ubi ſita eſt urbs. Bataui Holland: Nemetes à montibus. Alia à qualitatibus terrę & uentorum, ut Oſterich, Vueſterich, Baden. Alia à ſignis, ut Bern, Baſilea. Ridebunt forſitan quidam noſtram ſedulitatem in exigendis nominibus Germanicis. Cæterùm qui Germaniā, nō de bene dicendi facultate inſtructionē ingreſsi ſumus, has tricas ueluti ſumma noſtri inſtituti ueneramur

De conditoribus urbium Germanicarum, earumque deſtructionibus, & iterum inſtauratione. *Cap.* 18.

PRæmiſſo capite à conditoribus plurima Germanorum loca traxiſſe nomina teſtati ſumus: uerùm quia ſæpius deſtructa ſunt, nominum pluralitatem aſſumpſerunt. Temporibus conſulum nulla urbs alicuius opinionis aut nobilitatis Germaniæ exuperauerat, quemadmodum in ſuperiori capite retexímus. Quòd autem de Tribochis, Vangionibus, Nemetibus, apud Cæſarē legimus, nulla alia ratio eſt, niſi quòd huius tempeſtatis populi id appellationis tulerint, non ciuitates, uerùm uillas incolentes. Nec deſunt ſcriptores, qui Iulium Cæſarem multas & nobiliſsimas urbes in Germania auſpicatum ſcripſerunt. Noſtri etiam temporis Annales Oppēheym, Ingelheym, & Rheni ciuitates à Cæſare exorſas finxerunt: & ij omnes apud me fide carent. Fuit enim Cæſar popularibus auris ac opinioni uulgi ſtudioſiſsimus ambitioſiſsimusque, qui & cætera in Germanicis egregiè geſta ab obliuione deperiri non paſſus eſt. Si igitur uel aliquid ab ipſo elaboratum fuiſſet, quod memoria dignū extitiſſet, procul dubio Commentarijs ſuis inſeruiſſet, Nō pauci etiam ſunt, qui tot urbes Germanicas

Deſtructio ac reſtauratio urbiū German.

 ab

ab Augusto, alij à Druso Nerone, alij à quodam Grano eius fratre, alij Coloniã à Traiano sumpsisse exordia hallucinantur. Ego uerò usq; ad Antonini Pij tempora nullam alicuius præstantiæ ciuitatem fuisse noui, nisi Coloniam, Soliturnium, Zabernas, Treuerim, & Austrasiæ oppida quædam, quorum meminit ipse Cæsar in Itinerario, & Cl. Ptolemæus eiusdem temporis assertor in sua Geographia. Habeo quoq; persuasissimum, ea ętate non ciuitates extitisse, uix ullas ac pagos retulisse. Dum enim Argentinensium literas antiquitate etiam modesta prędita sperlegimus, uidemus eam urbem uix tantũ spacij in recessu habuisse Ottonum temporibus, quantum oppidum ignobile. Eadẽ ratio de Moguntia, Vuormacia, Spira & Norenberga uulgatur, quæ tantùm Henricorũ temporibus incremẽta sumpserunt. Traianus ut Dion Prusiensis auctor Græcus testatur, duas copiosissimas urbes Daciæ, quæ & hodie Danubio adiacent, exorsus est: facilè inducor illas primas Danubij ciuitates extitisse. Inde Cõstantini ac Iuliani temporibus, ut Annales fide digni asserunt, à Ducibus Sueuiæ oppida temerè munita sunt, quæ nunc imperio parent, in quorum numero Rauenspurg, Vlma, & alia. Inde Attila uniuersæ Germaniæ destructor, Basileam, Vuormaciam, Argentinam, Ratisponam, Norenbergam, Iuuauiam, Coloniam, Iuliacum, & alia oppida penitus destruxit, quæ partim à S. Ruperto episcopo auspicijs Theodonis Bauariæ ducis, & aliorum episcoporum restituebantur. Pipinus inde atq; Carolus Magnus ciuitates in tantũ auxerunt, ac tot episcopatibus prædítas effecerunt, quemadmodum ante eos Dagobertus. Maior itaq; pars totius Germaniæ à Francorum regibus, sub quorum imperio erat, ac à Caroli progenie Germanica incrementum ac initium sumpsit, ut priuatim de qualibet ciuitate, dum mentio erit, copiosiùs exequemur. Tempore etiã translationis imperij ad nos, ciuitates Germaniæ copiosiores reddite sunt. Huius autem argumentum id ferebatur: Vngari enim Henrici primi seculo, totam Germaniam populationibus ac incursionibus deprædantes, amplissimarum urbium erigendarum causæ extiterunt. Quælibet enim natio ob metum Vngarorum perculsa, omnes eorum facultates ad instructionem unius urbis, & ut ad sedes illas tutiores res eorum transportarent, contulerunt. Itaq; oppida primò exigua, eorũ inscensu locupletiora euaserunt. Omnes tunc Norici ad Norenbergam, ut ad unicum refugium ac asylum, relictis paruis colonijs aufugerunt. Bauari uerò ad Augustam, Iuuauiam, Ratisponam, Alsates in Argentinam, Constantiam, ut ad anchoram sese recipientes, sui tutelam comprehenderunt, aduectis illis quæ ad salutem requirebantur. Ea igitur tempestate, nullum erat temerè munitum oppidum, quod ab Vngaris manserit incolume. Deuictis inde Vngaris, Otto primus Saxoniæ ciuitates erexit, multos Germaniæ duces atq; Marchiones initiauit, inter quos Henricus primus Brandenburgẽsis Marchio, Bruno similiter frater Ottonis illius, qui Henrici Aucupis pater, Ottonis imperio auus fuit, Brũsuigum auspicatus est. Inde à diuersis Germaniæ principibus, diuersa oppida sunt condita. Ludouicus Bauariæ dux Lantzhut, Ingolstat exordiebatur. Ernestus Monacum, Hermannus oppidum Baden, Eppingen, Backenau. Bertholdus de Zeringen duo Friburga, unum in Otlandia, alterum in Brisgaugia. Fridericus primus Sueuiæ oppida. Fridericus sui nominis secundus, Esselingen, Hailprun & Reutlingen muro inuestiuit, & tunc pagos in ciuitates deduxit. Sic demum urbes Germaniæ penè omnes esse recentes constat, nec uetustate quadam, ut Indiæ ac Græciæ præditas. Licet etiam Germanica natio cunctis antiquitate prior, totum mundum penè, si cum priscorum æuo decertamus, præcesserit, in struendis tamen urbibus penè posterior esse cognoscitur.

Erigendarum urbium Germ. causæ.

De

De nationum Germaniæ pluralitate. *Cap.* 19.

AB urbibus Germaniæ nunc ad nationes aſcendamus. Germania autem quæ tam ampla à ſcriptoribus memoratur, multas nationes ac regiones in ſe recepit. Genera Germanorum quinque Plinius libro quarto, capite 14 poſuit: Vandalos, Burgūdiones, Varinos, quorū pars Cimbri mediterranei ſunt. Hermiones, quorū pars Sueui, Hermunduri, Catti, Cheruſci. Quinta pars Peucini, Baſtarnæ contermini Dacis. Alij quinquagintaquatuor gentes Germaniam incolere dicūt, Carnos, Carinthios, Styrios, Auſtros, Morauos, Schleſos, Saxones, Friſos, Hollandos, Bauaros, Sueuos, Cimbros, Sycambros, Teutones, Vindelicos, Flandros, Iuliacenſes, Vueſtualos, Haſſos, Brabantinos, Francos, Alſates, Briſgaugios, Sundgauios, Heluetios, Lotharingos, Vueſteranos, Pomeranos, & reliquos, quorum Coclæus in ſua Germania meminerat. Cornelius uerò & alij tantùm tria Germanorum genera, Iſtæuones, Hermiones ac Ingæuones enumerant.

Nationū Ger. pluralitas.

Alij Vueſtrános.

De ciuitatibus nationum & gentium Germaniæ. *Cap.* 20.

NObiliores etiam tantùm Germanicarum nationum ciuitates adijcere uolui, ut eo perfectius à nobis profeſsio noſtra tradatur. Finibus Auſtriæ haud dubiè Vienna, Linzium, Ipſia, Chremſa, Lauriacum, S. Lupoldus, Noua ciuitas, Petau, Iudenburg, Villacum adijciuntur. Bauariæ oppida nobiliora, Ambergum, Chryſopolis, Monacum, Landshuta, Iuuauia, Otinga, Nouum forum, Aichſtadium, Friſingum, Burckhuſen, Aquęburgum, Landoia, Reinum, Nouiburgum, Roſenheimium, Copffſteiniū, Lauffen, Ratiſpona, Pataulum, Garſtadium, Straubingen, Deckendorff referuntur. Tyrolenſium uerò regioni ſubiectæ ſunt, Hallis, Enipontus, Brixia, Verona, Tridentum. Sueuiæ urbes inſigniores nobilitantur, Vlma, Auguſta, Rauenſpurgum, Stutgardia, Schonga, Vuerdea, Laugingen, Dinckelſpuhel, Memmingē, Gengen, Biberacum, Reutlingen, Tubingen, Rotenburgum, Eſſelingen, Hailbrunna, Vuimpina, Conſtantia. Algaugiam uerò illuſtrant Kempten, Fieſſen, Hegaugiam, Stullingum, Nuenburgū. Ad nigram Syluam, Baden, Seckingen, Rhenicampum, Lauffenburgum. Ad lacum uerò, Lindauium, Buchornum, Merſpurgum, Vberlingum, Zella. Eſt & alia Sueuiæ pars Ries dicta, cuius urbes Vuendigen, Ottingen, Nörlingen, Bopffingen, Lauchen. Franciæ urbes ſuperiores, Bamberga, Herbipolis, Coburgum, Cronacum, Anolſpachium, Suabachium, Forcheym, Mons regius, Hamelburgum, Rotēburgum, Biſchoffen, Vuertheim, Caroli polis, Miltenburgum, Cineriburgum, Francofordia, Vadum bouis, Kitzinga, Vadū leporis, Sueuifordia, Lucipetra, & aliæ quæ partim in Franciæ partibus, partim ipſam attingunt. Contigua illis regionibus Norenberga eſt, dubium an Francis an Bauaris adſcribemus. Montana autem ad Orientem, Amberga, Egra, Heriſportus, Salcipagus, Salicetum, Nouumforum. Haſsiæ urbes & circa ipſa, Gronbergum, Fridenberg, Putzpachium, Marburgum, Caſſula, Gelhuſen, Fulda, Melſingen, Alsfeld, Altdorff, Crutzenburgum, Vualdeck.

Vrbes Germaniæ.

In Turingia haud dubiè Erphordium, Arnſtadium, Iena, Nuenburgum, Northuſia, Gota, Vinaria, Mulhuſen, Iſenacum, Schuartzenburgum, Sangerhuſen uidentur. Myſniæ urbes, Lipſia, Merſpurgum, & aduerſus Bohemiā Dreſen, Fribergum, Mons terroris, Mons niuis, Zuicca, uerſus Turingiam, Neuenburgum, ad Saxoniam autem Zerbis. Aliæ ciuitates Zeiza, Torga, Argenia, Curia. Saxoniæ urbes, Vitenberga, Parthenopolis, Goslaria, Brunſuigum, Lubecum, Lunenburgū, Hannonis burgum, Ripen, Vuerden, Minden, Brandenburgum, Mechelburgum, Stetinum, Viſmaria, Sundis: nam priſci om-

Zuicka.

nes usq; ad littora Saxones dixerunt. Marchiæ utriusq; ciuitates, Stendalum, Gardeolum, Soltueldium, Osterburgum, Hauelspurgum. Morauiam incolunt, Olmuntium, Znæmia, Stollaburgum, Brunna, Trebetia. Schlesiam uerò, Vratislauia, Fristadium, Glaugoia, Nouum forum, Gorlicium, Budissina. Iuxta Oderam, Francofordia, Berlinum. Prussiæ insunt, Dantiscum, Mariæburgum, Mons regalis, Culmen, Sambien, Vuarmen, urbes episcopales, Graduicum, Nuenburgum, aliæq; plurimæ urbes. Liuoniæ uerò, Riga, Reualia, Dorpatum, episcopales urbes. Flandriæ autem, Gandauum, Brugis, Calles, Arras. Hannoniæ, Valentiana. Selandiæ, Mittelburgum. Brabantiæ, Bruxella, Maclinia, Louanium, Antuerpia, Berga, Traiectum. Vuestualię, Susatum, Tremonia, Paleborna, Monasterium. Iuliacensium, Bonna, Iuliacum, Thuren, Aquisgranum, Leodium. Gelrię, Nouiomagum, Zutphania, Ruremõdis, Arnia. Vuestriæ, Cruciacum, Cæsaris Lotharia, Sarapontum, Vuidersdorff, Metis, Treueris, Lucelburgum. Hollandiæ, Traiectum, Dordracum, Panniodelana, teutonicè Amsterdam, Brielum, Hemia. Frisiæ, Suollis, Gröningẽ, Emdena, Dauentria, Campen. Alsatiæ, Zabernia, Hagenoa, Kaltenhusen, Neuuuiler, Andelau, Argentina. Brisgoiæ, Friburgum, Offenburgum, Gengenbachum, Elza. Pomeraniæ, Stargardum, Golna, Gryphiualdum. Holsaciæ, Hamburgum, Schlesuicum, Flensburgum. In Palatinatu Rheni & Marchionatu Badensi, Baden, Etelingiacum, Durlachum, Pfortzheimium, Heydelbergum, Laudenburgum, Oppenheimiũ, Bretheimium. Rhenum procul dubio accolant, Curia, Vualtzhut, Hauenstain, Stokacum, Lauffenburg, Seckingen, Veldkirch, Basilea, Rynecum, Neuenburg, Prenitza, Schaffhusen, Constantia, Brisacum, Rinaugium, Argẽtina, Salza, Spira, Vuormacia, Moguntia, Pingium, Confluentia, Cuba, Colonia, &c. Has urbes fini uoluminis huius noni annectere uolui, ut tantùm nobiliores: alios uerò nullius opinionis & præstantiæ uicos, ac temerè munita oppida ex decreto exclusimus.

Olmintza. *Alij Nouiomagium.*

FINIS LIBRI NONI.

LIBER DECIMUS EXEGESEOS Germaniæ De Mathematicali descriptione totius Germaniæ, continet Capita 21.

Quan-

AD LECTOREM.



VLTIMOS quatuor libros describendis ciuitatibus destinaui, ut prius diximus: ordo tamen ita nobis ducendus est. In primo libro & præsenti præmisso, uobis nominum uariationem auctorũ circa ciuitates Germanicas, & earum, quousque licuit, enodationẽ, regionumque Germanicarum pluralitatem ac earum magnitudinem, & quicquid ad Germaniæ urbes attinet, expediuimus. Nunc uerò ad Mathematices ac Astrologiæ rationes descendimus, & sidera Germaniam attingentia, Planetarum Germanicorũ numerum ac cursus, Insularum demum Germanicarum descriptiones libro præsenti addiximus. Vltimis uerò reliquis iuxta seriem alpha & beta, omnes Germanorum ciuitates, monasteria, & reliqua quæ supersunt, includemus, & demum sacram anchoram, ut dicitur, petemus: sed ut ad institutum præsens digrediamur.

De Parallelis, Zonis ac Climatibus totius terræ, & in quo numero sint. Cap. 1.

TErram habitabilem Greci in Climata diuiserũt, ut Chrysippus libro secundo, Apollodorus, Antipater, Zeno, Boethus, & Laertius libro septimo asserunt. Cæterùm Martianus libro octauo octo ponit Climata: Diamæroes, Diasyenes, Dialexandrias, Diarhodi, Diaromes, Diahellesponti, Diaborysthenes, & ultimum per Mæotidem. Vide Plinium libro quinto natur. Hist. cap. 3. Zonas quoque retulerunt quinque, ut in primo Transformationum Ouidius, Boccatius, Polybius, Eratosthenes iuxta Strabonem libro 2, Martianus libro 6, capite tertio, Gellius libro secundo, cap. 22, Higinius capite 5, Tibullus ad Messalam, Macrobius libro secundo, de Somno, Plinius libro 2, capite 7, & alij, quę dicuntur Arctica, id est Septentrionalis, Thermæa æstiualis, Isomerine æquinoctialis, Chimerine hyemalis ultima est. Item duodecim Parallelis terram distinxerunt Artemidorus, Euclides, Strabo, & alij. Triplicitates quoque terræ tres Ioannes Escuidensis posuit, quas & è Ptolemæo elicit.

Climata quot. *Zonæ.* *Parallelæ quot.* *Triplicitates.*

De Climatibus, Parallelis & Zonis Germaniæ. Cap. 2.

NVnc ad Germaniam descendo. Hanc scriptores partim in sexto ac septimo climate recensuerunt. Sextum enim clima Diahellesponti dictum, per Thraciam & Germaniam superiorem sese extendit. Septimũ uerò per Borysthenem, per Ponticum mare, & supra Germaniam magnam dilatatur. Zona autem Germanica Arctica, id est Septentrionalis est, habitabilis & temperata, ultra uerò Germaniam regio frigidissima horret inhabitabilis. Quod Ouidius his carminibus explicauit:

Climata Germaniæ.

Longius his nihil eſt, niſi tantum frigus & hoſtis,
Et maris aſtricto quæ coit unda gelu.

Et ibidem Ouidius in libr. de Triſt. apud Getas Germanos moram trahens:

Vlterius nihil eſt niſi non habitabile frigus,
Heu quàm uicina eſt ultima terra mihi?

Parallelarum autem decima à Tanai per Męotim & Sarmatas, uſque ad Boryſthenem, per Dacos Germaniam uniuerſam Galliam Oceanum uſque propagatur. Quid autem proprietatis Climata, Parallelæ ac Zonæ habeant, paulo pôſt exequemur.

De ſideribus Germaniæ. *Cap.* 3.

Circulus Germaniæ. NVnc ſidera nobis accedunt dicenda omnia, quæ Septentrionalia ſunt. Circulus Germaniæ Arcticus eſt, id eſt, Septentrionalis uel Borealis, & Antarctico cõtrariatur, ut Cleomenes & Higinius in primo teſtantur. In eo circulo caput draconis, Cepheus, pedes Vrſæ maioris, ſedile Caſsiopeę cum pedibus & digitis, Engonaſis cum ſiniſtra manu continentur. Incluſit Celtes poeta breuibus uerſiculis omnia Germaniæ ſidera:

Qualia ab Herculeis memorantur pectora ſtellis,
Perſeo Andromedeq; uago deſcendere olympo,
Quiq; ſub extremo monſtrantur cardine Cepheus,
Et Bacchi Phœbiq; decus, rigidusq; Bootes,
Eniochusq;:
Vrſa minor maiorq; trucem complexa Draconem,
Sidera Germanas radios iaculantur in oras.

Hæc igitur ſidera Germaniæ totus Aſtrologorum conſenſus detulit. Claudianus etiam in Stilicone:

Qua micat aſtrigena ſenior cum coniuge Cepheus,
Inde Lycaonia paulatim expulſus ab arcto,
Crine uago Getici fœdauit ſidera plauſtri.

De urſa utraq;, & eorum nominibus & ſtellis. *Cap.* 4.

Arctos. OMnes rerum ſcriptores quibus cordi erat Germaniæ deſcriptio, eam ſub Vrſa comprehenderunt, id eſt, ſub Arcto: ἡ ἄρκτος enim urſa eſt: uel potius tria ſignificat, urſam terreſtrem, ut Lucianus ſumpſit in dialogo Galatæ, ἔφερε δὲ ὁ ἐπέραστος ἐν ταῖς ἀγκάλαις ἀθυρμάτιον, τὴν ἄρκτον. Tulit autem amator in ulnis ludicrum quoddam, urſam uidelicet. Ariſtoteles τὴν ἄρκτον piſcem marinum nominat, in libro de Naturis animalium. Pro cœleſti Homeri uerba ſunt:

ἄρκτον τὴν κ' ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν,
οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν ὠκεανοῖο.

Arctos, id eſt urſa, quam & cognomento currũ uocamus, ſola expers eſt fluminum Oceani. Scripſerunt poetæ Arcton nunquam mergi Oceano, ut Lucanus libro 8. Manilius, Heſiodus in Georg. Pontanus in Vrania, Ouid. in 2 Metamor. Quare autem id contingat, multi uoluêre indagare, maximè Theon Arati interpres, Euſtathius, & Crates apud Strabonem libro 1. Heraclitus mellitûs ita Homerum eſt interpretatus: Auroræ, inquit, & ueſperę terminus urſa eſt, & ſereni Iouis terminus per urſam & plauſtrum. Per Oceanum autem uoluit Homerus intelligere Horizontẽ, in quẽ & à quo ipſos occaſus ortusq; conficit, dum ſeipſum inundat Oceanus. Ego uerò in circumferentias eam cauſam *Cur urſa non mergatur Oceano.*

trans-

transferrem. Nam ſidera quæ in Arctico polo ſunt, habent maiorem circumductionem ſphæræ, quàm quę in alijs lucent. In alijs autem circulis ſidera citò occidunt, quia maiorem habent collationem ſub terra, quàm quæ in Boreali polo eſt finita. Meæ ſententiæ & Higinius eſt: Facit & hoc ad ſidera Germanica. Ad urſas redeo: duæ autem feruntur urſæ, maior & minor, illa Helice, hæc Cynoſura dicta eſt. Valerius Flaccus libro primo, iuxta Boethi ac Arati ſententiam, differentiam inter eas facit:

Parte poli in Tyrias neq; & Cynoſura carinas
Certior, aut Helice Grais ſeruanda magiſtris.

Marcus Manilius poeta:

Auguſto Cynoſura breues torquetur in orbes,
Iam ſpacio iam luce minor, ſed iudice uincit
Maiorem Tyrio.

Helicen ab urbe Peloponneſi, cuius Homerus lib. 2 Ilia. meminit, dictam uolunt. Eſt & Theſſaliæ urbs ſic appellata, ut apud Heraclitum, Strabonem lib. 8, & Stephanum. Eſt & Achaiæ urbs Helice terræmotu obruta, ut ait Pauſanias. Alij Helicen ἀπὸ τοῦ ἑλίσσειν, id eſt, à uertendo deducũt, ut Theon enarrator Arati. Inde ἑλικώπιδες dicti, qui eã obſeruant nauigando, referente Euſtathio. Hiethus Tegiates hanc Megiſtam uocat. Caliſto autem à Permeniſco, Lucano in 8. Ouidio in 2. nuncupatur. Ibidem Ouidius & Parrhaſiam eã nominat. Secundã Vrſam κυνόσουραν Iouis olim nutricem Agloaſthenes Græcus, qui Naxica ſcripſit, probat: alij quaſi caninam caudã interpretantur. Higinius hãc ab urbe Cynoſura à Nicoſtrato conſtituta nomen aſſumpſiſſe aſſerit. Aratus ipſam unam ex Idæis Nymphis eſſe teſtatur. Boethus Græcus Phœnicem appellat. Hanc Thales Mileſius inuenit, Herodoto, Callimacho ac Laertio referentibus. *Helice urbs.* *Megiſta.* *Caliſto.*

De alijs ſideribus ſupra Germaniam. Cap. 5.

CEpheus, ut Euripedes ait, & Caſsiopeia Andromadem genuerunt, ut ex Sophocle Higinius allegat. Hi inde inter ſidera tranſlati ſunt. Eniochus auriga latinè dicitur, ab Eratoſthene Erichthonius. Totam huius fabulam Boccatius, Ouidius in Maioribus, Euripedes, Lactantius lib. primo, & Higinius declarant. Columella ſeptimo Idus Iulij ueſpere oritur, & tempeſtatem ſignificat. Corona etiam ſupra Germaniam uires exercet, quod Celtes intelligit cum ait: *Sydera Germaniæ.* *Corona.*

Et Bacchi Phœbiq; decus.

Aliqui hãc Engonaſim uocant. Totam hiſtoriã Higinius lib. 2, cap. 7. Aratus: *Engonaſis.*

Aſpice ceu rutilis uibret lux Gnoſia flammis,
Hoc quondam Bacchi monumentum fulget amoris,
Hæc Ariadnei capitis teſtatur honorem.

Lyra Theſei, ſecundum Anacreontem, alij Tamyræ, ut Sappho aſſerit, alij Promethei, ut Aeſchylus ait. Pontanus Orphei eſſe uoluit cum inquit: *Lyra.*

Attollit ſeſe illa lyra,
Quæ quondam cuſtode Herebi nigrantia Ditis
Atria, crudelem & potuit placare Tyrannum
Threycius uates, ſuperasq; redire.

Multa Higinius libro 2, cap 9 ex Eratoſthene probat. Arcturus filius Caliſtonis fuiſſe ſcribitur, qui telo eam in urſam mutatam fixit, ab Heſiodo ἀρκτοῦρος dictus, ab Arato ἀρκτοφύλαξ, id eſt, cuſtos urſę: alio nomine Bootes nominatur. De eius ortu Columella Higinius libro tertio, capite tertio, Heſiodus, Amphis *Arcturus.*

Ophiuchus. Græcus & alij. Ophiuchus anguitenens est, ut Higinius ex Polyczo Græco & Eratosthene allegat: hic secundum Columellam 2 Kalen. Iulias occidit, & 23 stellas habet. Victruuius libro secundo, serpentem in manibus hunc continere asserit, & læuo pede calcare frontem Scorpionis. Martianus Felix Cap. libro *Serpens.* octauo, Pontanus & Manilius plura de illo retulerunt. Serpens ille fuit custos malorum Hesperiæ, ut Pherecidi & Eratostheni placet.

Quomodo omnia illa sidera prædicta supra Germaniam sint posita. Cap. 6.

TRansgressus sum limites, Lector candide, & plus æquo, imò diffusius quàm decuit, sidera illa attigi, ut professionis nostræ oblitus, Astrologiam non Germaniam scripsisse uidear. Verùm operæprecium uidebatur mihi Germaniam scribenti, etiam siderum recordanti, potius silendum esse quàm pauca dicendum. Redeo ad propositum. In circulo Arctico & supra Germaniam tali ordine sidera illa prædicta locantur. In Arctico septem stellæ radiant, *Septentriones.* quibus plaustri nomen impositum est, & hi Septentriones dicuntur, & sunt boues quasi teriones, ut aiunt Lælius, Varro & Aul. Gellius libro secundo, capite *Bootes.* 21. Sequitur hos Bootes, qui auriga fertur, unde à Iuuenale piger dicitur, à Lucano libro 2 fessus, tardus ab Ouidio libro 2. Iuxta hos serpens est collocatus, inter duas Arctos, maiorem ita concludit, ut pedes eius uideatur attingere, cauda tamen flexa caput maioris retinet. Vnde Manilius:

Has interfusus circumq; amplexus utramq;
Diuidit, & cingit stellis ardentibus anguis,
Ne coeant, abeantq; suis hæ sedibus.

Iuxta hunc Ophiuchus est, qui anguem continet, ut Victruuius ait libr. 2. In capite serpentis corona, secundum Aratum, & lyra figurantur. Cepheus inde à tergo minoris Arcti porrectis manibus lucet, & secũdum Higinium stellas nouendecim habet. Vnde Aratus:

Illum quinetiam rutilum pater intulit æther,
Donauitq; polo, tergo Cynosuridis ursæ
Posthabitat, geminasq; manus à pectore tendit.

Andromada. Iuxtà Andromada est, quæ stellas uiginti possidet, de qua Aratus:

— Et summis lux æstuat ignea plantis.

Perseus. Inde Perseus, qui dextra manu Arcticum circulum amplectitur, & pede dextro Cassiopeiã tangit, ut Aratus scribit. Iuxta Erichthonius, de quo ita Aratus:

Ille quidem in spacium membra explicat, at capra Leonis
Fixa humero.

Hæc sidera omnia, Celte auctore, Germaniam illuminant: quam autem uim habeant, in sequentibus dicetur.

De triplicitate Germaniæ, hoc est, quibus Planetis regatur. Cap. 7.

Influẽtia cœli. ET quia Iulius Firmicus Astrologiæ peritissimus, inferiora illa per mutuas rerum uicissitudines disponi à sideribus scripsit, ut qui horoscopum in quarta parte Mercurij habuerit, eloquentiam consequatur, qui uerò in septima parte arietis, auriga efficiet. Ea re adductus, Planetas Germaniæ retecturus ex *Triplicitas Germaniæ.* ordior. Germaniam sub prima triplicitate posuimus, in angulo inter Septẽtrionem & Occidentem, ubi primò Iupiter regit, qui est Septentrionalis, in cuius domo Mars ei sociatur, qui est Orientalis, ut Ioannes Escuidensis, authoritate Ptole-

Ptolemæi libro uigesimoquarto, capite tertio, probat, & in Germania ob Martis ac Iouis imperia mulierum esse contemptionem asserit. Ptolemæus quoque Germaniam Marti ac Arieti addictam scribit. Albunach. libro quarto, differentia ultima terram diuidens, sub circulo Cōstātinopolitano Germaniam comprehendit, quam & Arieti signo destinauit. Ioannes uerò Escuidensis illis qui sub Constantinopoli in partibus Septentrionalibus comprehenduntur, Arietem, Taurum, Geminos cōcessit, Planetas uerò Mercurium ac Venerem. Id etiam certum est, Lunam maximam in Germania habere facultatem, dum hæc septimo climati addicta sit. Cætera signa, tam Planetę quàm sidera Germaniæ, nulli facilè constant, nec etiam doctissimis. Alludit ad hoc M. Manilius libro quarto Astron.

— Sed quod fert Gallia diues,
Teq; feris dignam tantùm Germania matrem
Asserit ambiguum sidus terræq; mariue.

De Horoscopis Germanorum. Cap. 8.

HOroscopus Germaniæ tantùm elicitur ex qualitatibus. Cornelius Germanos aleæ cupidissimos facit: hi ergo Horoscopū in tertia Libræ parte continent. Item uenatores Germani dicuntur: his ergo quarta pars Libræ oriente Canicula conceditur. Sic & de alijs eadem ratio est: quare uos ad Iulium Firmicum remitto, huiusmodi rerum indagatorem primarium. *Horoscopi Germaniæ.*

De dilatatione horarum Germanicarum. Cap. 9.

HOræ Germanicæ nonnihil extenduntur: unde Angelus Clarouallensis in Itinerario, capite trigesimonono: In Septentrione, inquit, mox octodecim horarum dies. Terra hæc imbre ac pluuia ferè continua in meridie exurgit, nebula quę cœlum inumbrat, supra terram multum colligitur in subsolanū. Iuxta Rigam & in partibus Prussiæ xvij & xviij horarum diem esse scimus, dum poli eleuatio liiij fuerit. Quod idem Franciscus Bisius homo doctus in Russia fieri asserit. Plinius uerò libro secundo, capite xcix, experientiam ait significare in Britannijs ac Thyle insula septendecim horarum diem esse, & per senos dies lucem continuam. Credo Plinium corruptum, dum penè in nostris regionibus dies xvi horarum extendantur. Beda autem xx horarum dies Thyli adscripserat. Claudius Niger Mathematicorum præstantissimus ex Noruegia oriundus, ad Septentrionalem Noruegiæ partem iuxta promontorium Isenegk, ut Dani uocant, cuius gradus eleuationis poli lxvi ferūtur, dies xxiiij horarum lucere testatur. Scriptores præfati diem climatibus mensurabant, cuius rei testis est Plinius libro secundo, capite septuagesimoseptimo, & libro sexto, capite trigesimotertio in fine, Martianus & alij. *Dilatatio horarum German.*

Parænesis lectori in descriptionem totius Germaniæ, secundum longitudinem, & latitudinem per grad. & min. Cap. 10.

SVperest adhuc Germaniæ nostræ longè honestissimum, nescio an magis necessarium, & sine quo perfecta patriæ nostræ ratio constare nulli potest. Debita scilicet iuxta longitudinis altitudinisq; per gradus ac minuta dimēsio, quam nobiles ac defecato ingenio uiri exquisita traditione in cæteris formandis orbibus nobis demonstrauerunt, in Germaniæ autem officio resederunt. Abduxit eos, ut opinor, à cura Germaniæ Ptolemæi ratio, aut potius negligentia,

gentia, qui tantũ lumen uniuerso orbi intulit, lumen uerò, quo bonitate naturę Germania nitebatur, excussit, sinuosisq́ & accersitis uocabulorũ ciuitatibus illatis in tenebras uertit. Fuêre tamen Germani ad hanc lineam ducendam non intempestiui, qui Ptolemæo altius iuerunt, orbisq́ negocium, in quo Ptolemęus constitit, 12 signorum discretione exegerunt, ueluti Ioannes Escuidensis. Inter primipilares Ioãnes Schonerus Mathematicus Carolostadius sacer & mirabilis uidebatur. Erant & alij boni, his ut doctrina, ita sana traditione in nullo posteriores, quos oculis nostris Ioannes Virdung Hasfurdius subiecit, uir cordatus, & cui non uulgarem experientiam rerum usus, longa peregrinatio, ac ætas concesit. Cęterùm his ad formationem Germaniæ adductis, existimabam iter manifestissimum ad patriæ lumen ab illis ostẽdi, nihilq́ superesse, quod ad eius absolutionem profuturũ sit. Nisi quòd tantas inter eos controuersias deprehendebam, ut hi nec in paucis elementis cõuenirent, tam procul ab inuicem seiuncti. Mox uires nostras consulueram, dubitabamq́, an cuiuscunq́ persuasiones introducerem, lectoremq́ ad nullius sententiã alligarem, quod ambitiosi tamẽ hominis esse credidi: aut tantum unius iudiciũ confirmaturus, à cæterorũ persuasione non sine risu abirem? Tunc quoq́ opinionem iactantiæ ueritus, securus itaq́ omnem in illo scribendi genere curam excludam. Vt tamen curioso lectori consilio saltem nõ desim, uidetur nobis Ioannes Schoner in opere nuper diuulgato felici traditione procul à se cæteros reliquisse, ac in eo albo ad summũ tetendisse. Hic enim nuper libros in manus hominum quàm emendatissimos emisit, in quibus prædicto dimetiendi genere feliciter totam Germaniam aggressus, multo clarius cæteris Geographiæ opus illlustrauit. Hunc solum nostro operi coniunge, & coniunctissimum dices. Nihilq́ reliqui plus spectandum in utrisq́, in primis in illo, quod ad cognitionem Germaniæ suis numeris non fuerit absolutum.

Schonerus. *Hasfurt.*

De dimensione totius Germaniæ. Cap. II.

VT tamen his quæ ab illo sunt prætermissa, lectorem non defraudẽ, per stadia ac passus iuxta priscorum dimensiones Germaniam excurram. Est autem Germania in latitudinem maximè extẽsa. Vnde Plinius Iunior in epistola ad Macrũ Germaniã facit latissimã, quod cognomen præter Beroaldũ Panegyrici Germaniæ donauerũt. Eius præterea uastitatẽ Mantuanus explicat dicẽs:

Latitudo et uastitas German.

Cæsar & immensis dominans Germania campis. Idem:
— Amplissima cerne Regna Sueuorum. Idem:
Tot complexa sinu immenso excurrentia longè.

Dionysius Græcus terras Dacorum patentes nominauit. Vnde difficile est metiri Germaniam, maximè propter rerũ uicissitudines. Accedit quòd scriptores adeò à se inuicem diuersi abeant. Strabo ideo libro 3, in rebus Germaniæ destitit, cum tamẽ in eo uolumine totius terræ dimensiones scripserit. Martianus Capella lib. 6, ab Istro ad Oceanũ per omnes Germaniæ tractus bis decies centena mil. pas. collegit à scriptoribus computata. Ammonius Historicus Germaniam describere uolẽs, medietatem uix attigit: multo enim circumscriptius adductiusq́ hoc Geometrices munus ingressus est, ac centum & 48 tantùm miliariorum longitudinem Germaniæ contulit. Quod satis ex eo liquet, dum Cæsar Augustus in sua Geographia Rhenum 800 miliaribus describat. Qui tamen in eo nec mecum nec cum Alberto Magno capite 4 satis conuenit. Albertus 500 miliaria saltem Danubio concesit. Sex. Ruffus capite 9, & Dion Græcus Daciam centena millia pas. continere asseruerunt. Solam etiam Batauam insulam in circuitu ad 800 in longitudinem, ad 200 in latitudinem excurrere Albertus scribit.

Dimensio Germaniæ.

bit. Cæterùm ego id persuasissimum habeo, solam Noruegiam insulam Germanicam ultra trium mil. miliarium spacia occupare. Austrię tamen longitudo sex dierum, & latitudo duorum arrogatur. Schlesiæ uerò 200 mil. pas. latitudo 80 adjicitur. Agrippa latitudinem inter Istrum & Vistulam 4 milla & 400 pas. æstimauit, & Rhætiam cum Norico 200 mil. pas. adiunctis 86 ultra Septentrionem in longitudine, latitudinem uerò 648 mil. patere. Vide Plinium libro 4, capite 13 nat. Hist. Augustus Cæsar adhuc 100 & 60 addit. Nec esset usquequaque tam difficile regiones Germanię dimetiri, totam uerò ut pulchrum, ita difficilimum est. Nam id spacium quod Germaniæ concessum est, penè solæ Germanorum insulæ complectuntur. Plinius etiam putat à nullo unquam Germaniam bene mensuratam, libro tamen 4, capite 13, & Germanorum omnia 25 mil. pas. comprehendenda putat. Iudicet alius, sufficiat in his me saltem admnouisse cæteros.

Rheni dimensio.

De lateribus & medietate ac terminis Germaniæ. Cap. 12.

OMnis Europæ regio penes antiquos Romanorum erat, exclusa in hoc sola Germania: limites enim Romani imperij Germaniã undique attigerũt. Celtes Germaniæ quatuor angulos adscripsit libro 3 Odarum, Vistulam, Rhenum, Codanum, & in Getas currentem Danubium. Verùm angustioribus finibus plus iusto Germaniam arctauit, ut in libro primo ostendimus. Medium uerò totius Germaniæ Norenbergam dicunt, quam umbilicum Germaniæ Aeneas ac Celtes dixerunt, quorum sententiæ nonnihil tribuo. Fiat enim periculum æqua distantia à Norenberga ad Viennam, eadem quæ & ad Antuerpienses, uobis repræsentabitur. Antiqui uerò Albim fluuium Germaniam mediam diuidere tuebantur, ut Strabo libro primo, qui in duo spacia Germaniam Albim diuidere collegit. Et Celtes libro quarto Car.

Anguli & latera Germaniæ.

Vmbilicus German.

— *Arctous Albis*
Teutoniam mediam peragrans.

Nazarius Mamertinus ad Maximianum: Qua horridus Albis, inquit, secat Germaniam. Verùm Germania circa Norenbergam altissima est, & præcipuè uersus partes ubi arx Schillingsfurst cernitur, quem locum totius Germaniæ eminentissimũ altissimumque puto. Quod non solum ratione aquarũ, aeris, uentorum: uerùm & naturali experientia potest indagari. Cęterùm totam Septentrionalem ac Germaniam libro primo diximus. Erat & signum Germaniæ termino constitutum πιτυοῦς, referente Suida, πιτυοῦς πολύχνιον ἐν πέρατι μὲν θαλάττης τῆς ποντικῆς κατὰ δεξιὸν κείμενον, τέλος δὲ τῆς ῥωμαίων τῆς ἀρχῆς γινόμενον βαρβάροις καὶ ὠμοῖς ἔθνεσι συνάπτον. Id est, Pityus uestigium in termino maris Pontici constitutum ad dexteram: erat enim illic finis ac limes Romani imperij coarctans, designatus barbaris ac crudelibus gentibus.

Germania ubi altißima.

Quantum se dilatet Germania magna. Cap. 13.

VT autem demum uideamus, quousque sese Germania magna extendat, sumamus in pręsentia priscorũ rationes. Artemidorus ultra Tanaim incomperta tradit esse. Tamen Isidorus Græcus duodecim millia stad. usque ad Thylem allegat. Martianus uerò Capella duodecim centena quinquaginta millia adijcit. Plinius autem innumerabiles gentes in tã longo tractu illic degere scribit, quæ & sedes quotidie mutent: Pythias uerò Masiliensis à Britannia in Septẽtrionem sex dierum nauigationem esse profitetur. Vnde liquet, priscos maximè errasse, dum ultra Istrum ad Septentrionem nihil posuerint. Quos Ouidius in libro de Ponto ac Tristibus tot uersiculis secutus est:

Dilatatio Germaniæ in Septentrionem.

Vltra, inquit, nihil est quàm non habitabile frigus.

Et se terræ terminis uicinum esse asserit inter Getas tantùm uersatus. Totum autem illud spacium Septentrionis Germania occupauit. Sarmatiam, Scythiam, Tauricam longitud. 1980, latitud 1717. explere dixit Agrippa. Augustus Cæsar in sua Geographia his adhuc centum adiecit. Plinium laudo, qui libro quarto, capite decimotertio, nulli huius dimensionem constitisse refert. Nec me latet maxima illa latitudo Rusſiæ, à Francisco Bisio uiro doctiss. descripta, cui uni si auscultare uolumus, illam penè descriptionem soli Rusſiæ largiemur necessum erit. Hæ autē regiones Septentrionales Germaniæ secundum multorum sententiam adscribuntur, ut lib. 1 diximus.

Vbi lingua Germanica terminetur. Cap. 14.

Finis linguæ German.

VErùm lingua Germanica non in tantum sese dissipans terminos citeriores quærit. Posuerunt alij alpes illos maximos à supero ad inferum mare porrigentes, linguæ Germanicæ terminos. Verùm hæc persuasio minus recepta est: aliquando enim citra ac ultra Germanici sermonis tenor ualet. Id uerū est sub prędictis partibus in Otlandia Friburgum, ex alia parte Lotharingiam, ex tertia parte Athesim, ubi Tridentum, ex quarta parte alpes illos, qui Styriā non omnem, uerùm tantùm ubi Drauo irrigatur, nostri idiomatis terminos describere. Cæterùm in Oriente Vngaria, in alijs partibus Silesia trans fluuium Oderam quoqꝫ iuxta Ligurini sententiam Polonicam linguam repręsentat.

De insulis Germanicis, & earum ignorantia. Cap. 15.

Ignorantia insularū Germ.

BEne se habet, maior enim labor exactus est. Superest ut antequam manus extrema operi siue libro præsenti inferatur, æqua insularum Germanicarum memoria uolumini nostro adijciatur, quarū agnitio nulli priscorum constitit. Vt ergo de antiquissimis memoria remittatur, ad Plinij tempora sermonem nostrum collaturus sum. Plinius natur. Histor. libro secundo, capite ultimo siue penultimo, insularum Germanicarum penitus nullam rationem uetustis concessit. Nec huius temporibus cognitas fuisse nobis Ptolemæus argumento est, qui licet Scandiam, ac insulas quasdam Saxonicas internouerit: nihil tamen omnino de Danię, Noruegię, Gronlandiæ, dicere habuit. Visum itaque nobis est rei precium non defuturum, si ea quæ priscos latuēre, recentiores fugerunt, apponerem. Sunt autem Germanorum insulæ numero non magno, etiam non exiguo.

De quibusdam rebus circa Scandiam repertis, et de ipsa insula Scandia. Cap. 16.

Scandia.

SCandia insula Germaniæ in mari Arctoo secundum Ptolemæi sententiam lib. β, qui, si litera non est deprauata, σκανδίαν uocat, καὶ αὐτὴν σκανδίας, inquit, οὗ δυτικὰ κατέχουσι χαιδεινοί. Et Scandiæ partem occidentalem habitant Chędini. Pomponius Mela, Hieron. in supple. in mari Codoneo sitam scribūt. Habet autem Scandia, ab uno brachio distenso, Germanicum mare uersus Septentrionem, ab Oriente lacum uastissimum, ab Occidente pelago circumdatur. Hæc Iornandes scriptor, qui & tantum frigus illic grassari scribit, ut nullæ apes illic degere possint. Plinius libro tertio Scandizonam uocat hanc insulā. Illius quoqꝫ meminit Paulus Vuarnefridus, Rhegino Prumiensis, Ligurinus, Beda in historijs Anglicis, & alij. Quæ autem iuxta illam reperiri lectione assidua comperta habemus, ea sunt. Bergen ciuitas celebratur, cuius dimensio 4, 9, 9, 80, 45, perhibetur esse, ubi magnes lapis infinitæ magnitudinis omne ferrum ui ad se trahere narratur. Illinc etiam pisces euehuntur à Barbaris strumuli

dicti

dicti, Stockfisch. Nec procul ab illo locus, Anharung, dicitur, cuius dimensio est 3, 10, 30, 61, 0, ubi zobelli pellium optimæ in summo precio habentur ac eue-
hantur, quemadmodum & mardi: meminit huius Celtes poeta. Ex Scandia eti-
am haleces asportari idem Celtes profitetur. Non procul etiam ab illa insula e-
lectrum siue succinum, Augstain, colligi, lib 7 diximus.

De Islandia, Baltia ac alijs insulis Saxonicis. Cap. 17.

PRima etiam insula à Septentrione ultra Noruegiā Islandia est, Ptolemæo *Islandia.*
incognita, perpetua glacie congelata, ut ait Ioannes Schonerus. Hîc cri-
stallus, fodinæq́ salis reperiunt. Sunt & insulæ Saxonicæ Dietmars dictę, quas *Insulæ Saxonicæ.*
nunc Danias uocamus. Est & Baltia insula Germanica, cuius meminit Pythias
Massyliensis. Xenophon Lampsacenus, Timæus Metrodorus Sceptius, Plin.
lib. 4, cap. 13. & nos lib. 7, superius. Sunt & in Rheno insulæ ut Sena, cuius memi *Baltia.*
nit Cornel. in Hist. item Battaua: uerùm illarum mentio usq; ad lib ult. deferet. *Sena.*

De Noruegia, mirabilibusq; rebus in ipsa. Cap. 18.

OMnes quos studio nostro indagare potui rerum scriptores, qui saltem 200
annis nostram ætatem excesserūt, de uastissimis Germaniæ insulis, pror-
sus omni scientia, uel saltem nomine caruerunt: & quod miserandum est, ulte-
riora tetigerant ac semotiora, citeriorum ignari. Insula Thyle ob Augusti lau-
dem nobilissima, à scriptorum ingenio celebrata est. Dania uerò, quæ uicinior
est, neglecta ac omissa in tenebris uolutabatur. Miratu multo dignius est, quòd
uniuerso mundo ultimus terminus Thyle imponebatur, ultra quam nullius ho
minis ingenium potuit quidquam assequi. Vbi interim Noruegia insula in cir-
cuitu plus trium millium miliariorum longitudinem continens, & tamen à scri
ptorum industria desiderata delituit, tāquam nunquam sub rerum natura con-
tenta fuisset. Hanc enim res hæc habet rationem: Mundi insularum Thyle ulti-
ma dicta est, quæ mediū penè inter Daniam ac Noruegiam locum occupauit. *Noruegiæ*
Mirum dum extrema auctorū indagine functa non fuerint, quo pacto interio- *ignorata.*
ra illorum tanta memoria prosecuta extiterint? Verùm iniqua nobis cum anti
quis luctatio est, quibus temporū necessitas ac loci inopportunitas, cognitio-
nem illarum rerum denegauit. Cum iunioribus nobis res sit, quorum industrię
ac exquisitæ sedulitatis me nūc pœnitet, qui ad describendas Germanias quo-
dam sidere allecti, natiq; uidebantur: quib. Germania in summa eius amplitudi
ne uideri cōtigit, & tamē ab his nihil adhuc egregiè de Germanicis insulis ela-
boratum est. Quare ego adductus, ea quæ partim relatu Ioannis Hasfurt habe *Miranda in*
mus, qui nuper ab insulis illis primò pedē retulit, partim assidua lectione nobis *Noruegia.*
comparata sunt, laconicismo quodā enarrare statuimus. Vltimus præterea lo-
cus illic est cruce Christi signatus, ubi nec Christiani audent sine regis facta fa-
cultate lōgius proficisci, & hoc nō nisi adiuncto comitatu magno. Ab illo inde
loco, ut Nicolaus Niger Mathematicus profitetur, uersus occasum longissimo
ambitu terræ habitant primò Vuildlapmanni, quorum gradus 44, 30, 66, 20, re-
feruntur, homines syluestres, Danorum tamen regi tributarij. Post illos uersus
occasum Pygmæos agere, exiguos mortales, longitudinis cubitalis, Nicolaus
Niger Mathematicus collegit. Ioāni Escuidensi præterea persuasum est, dæmo
nes uarij generis hominum seruituti subiectos, in Noruegia reperiri. Mons ma
ri Noruegico circumseptus, Hechelberg dictus, inferni aut purgatorij speciē *Hechelberg.*
repræsentat. Hunc horrendo clamore instincti uultures ac corui nigerrimi cir-
cumuolando perterrefaciunt. Totus præterea mons eiulatu lachrymabili into
nat, clamor ad unum miliare dilatatus diffunditur. Duo quoq; fontes illic hor-
rent diuersissimi, primus intēsissimo frigore, alius calore intractabili præditus,

cætera elementa longē excedūt. Nec ultrà octo pedum spacio à se inuicem absunt. Tumultu illo itaq; admoniti accolę, cultui diuino plus cæteris mortalibus deduntur. In Meridionalibus etiam Noruegię Nadhegrin promontorium est, cuius grad. 39, 35, 63, ubi malignus spiritus aereo corpore in præsentia cernitur ab omnibus. Haud procul Lisce promontorium Noruegiæ, ubi candidi falcones capiuntur, cuius dimensio 35, 26, 10 æstimatur.

Falcones albi.

De Thyle Gronlandia terræ termino, & alijs insulis. Cap. 19.

Thyle. THyle Noruegię pars est, inter Daniam & Noruegiam. Nec reputatur insula, licet limite uel tractu maris separetur à terra: glacies tamē eam ad octo menses terræ conglutinat. Quemadmodum mare quod à Danis Nordlimbaduch dicitur, lōgissimo tractu Vuildlappenland ab Vermenland diuidit, perpetua tamen glacie penē eam constringente. Cæterùm mare cōgelatum à Danis iuxta Ynesegk promontorium horrere perhibetur, cuius aqua Gotlandiæ uersus Orientem & Septentrionem per longum tractum mare ingreditur, sub grad. 41, 66, ubi & diem 24 horarum esse asserunt. Gronlandiæ præterea insulæ Chersonnesus dependet à terra inaccessibili, à parte uersus Septentrionem uel ignota propter glaciem. Proficiscuntur tamen Caroli infideles quotidie cū exercitu in Gronlandiā, & hoc absq; dubio ex altera parte poli Septentrionalis. Non igitur Oceanus alluit limen terrę rectē sub polo, ut omnes priscorū auctores profitentur, ueluti honestissimē nobis Niger Mathematicus ostendit. Gronlandiam etiā cærarū refertissimā testatur Ioan. Escuidensis. Nobilitatē & fœminarū insula, ubi nunq; mares partu eduntur, cuius gradus 26, 63 referunt.

Gronlandia.

Descriptio Daniæ, Cimbricæq; Chersonnesi, & adiacentium insularum, à ueteribus prætermissa. Cap. 20.

Dimensiones insularum. NVnc ad Mathematicas rationes transcendam, quibus & Germaniam nostram breui traditione excurram, & maximē insulas, à quarum formatione Ptolem. Marinus, Hipparchus, alijq; Græci iuxtà & Latini procul abierunt. Protulerunt enim se hominū ingenia in cæteris regionibus Germ. nemo tamē insularum Germanicarū periculū fecerat, nisi nuper Claudius Niger, qui totius Cimbricæ Chersonnesi extensionē hactenus omnib. ignotā, multa experiētia tradidit, quę impulsu Ioan. Virdungi Hasfurdensis Mathematici nobilis posteritati ac successorib. reddere uoluimus. Ab Occidētali itaq; parte post Albim, Chersonnesi illius descriptionē auspicatus est Hamburgo, cui longitud. & latitud. 32, 0, 26, 20 tribuit. Inde Holsatiæ littori 32, 57, Frisiæ inferiori 33, 57, 20, Burglanensi uerò ciuitati 36, 58, 20. Inde ad Septentrionalem eius partem Vendissel ciuitatem sub grad. 39, 59, 40 posuit, duobus ei adiunctis littoribus. Ad Orientem uerò Skane promontorium grad. 40. 35, 59, 55, & Viburgum urbem parum à mari distantem grad. 40, 59, 20, adiunctis ipsis littoribus ac sinubus. Inde Slauorum extensiones aduersus Septentrionē: Lubeco regni Danorum capiti, 34, 30, 56 grad. concessit. Prussiæ duas insulas ignobiles, quatuor littora, duos sinus tribuit. Primo littori, 54, 30, 57, 20. ultimò uerò, 55, 40, 58, 10. Liuoniæ præterea septem insulas, sinusq; septem adiecit, primum sinum Ostrogotthiam nuncupabat, cuius gradus 9, 20, 59, 55 allegauit, ultimi sinus uerò 59, 20, 64. Orientalis autem Visogotthiæ sinum primum Hunnorum dixit, ubi ruptura maris Oceani longo tractu intrat de Nordbodhen, ut ipsi eorum lingua dicunt mare Gronlandiæ, & gradus continet 58, 20, 64. Huic & quinq; insulas adscripsit, & urbem Stockholm magnā sub grad. 53, 30, 62. Postea ipsius Daniæ descriptionē subijt, cui ad partem Orientalem quatuor promontoria tribuit: primo grad. 51, 25, 60. ultimo, 48, 25, 58, 35. Ad meridiem uerò Ischede ciuitati gradus 48, 25, 58, 35. Helsenberg

Extēsio Prussiæ, Slauoniæ & Liuoniæ.

Dimensio Daniæ.

ſenberg urbi, 46, 50, 58, 35. per quinque & quatuor ſinus diſtinxit.

De quibuſdam inſulis Daniæ nondum dictis, & ciuitatibus eorundem. *Cap.* 21.

REferuntur præterea inſulæ licet ignobiles plures in Daniæ partibus, uelu- ti Herlandia, quæ ſola in circumferentia 15 inſulas complectitur. Promon torium præterea Neu dictum, cuius grad. 14, 69, 39. ult. eſt terræ terminus nobis cognitus, 12 inſulas poſsidet. Necnon 10 & 8 inſulas ſoli Noruegiæ conceſſe- runt. Islandiæ uerò 14. Ciuitates autem totius regni Danorum maximæ ſunt, Coppenhagen, ubi rex reſidet, cuius grad. 44, 40, 57. 78. Othonia urbs, in qua cor pus S. Kanuti regis coruſcat. In Noruegia Berga urbs maxima & emporium, graduus 33, 5, 63, 15. Falſterbod, Calmarij ciuitas magna graduus 52, 40, 61, 5. Itẽ Kumtzhone promontorium occidentalis Daniæ, ubi fodiuntur auri mineræ anno Salutis 1425 repertæ, cuius gradus feruntur 44, 59, 30. Hæc itaque tradi- tione Claudij Nigri doctiſsimi Mathematici ex Daniæ partibus oriũdi, impul ſuq; præterea Ioannis Virdungi nuper è Dania redeuntis ingreſſus ſum, ut Da niæ eiuſq; inſularum ignorantiam pari diſcrimine tam doctis quàm hebetibus indultam diſcuterem, ac ſucceſſoribus noſtri huius quæſtu, uberiorem ulterio- ris exquiſitionis anſam præberem. Id autem quicquid eſt, Claudio Nigro de- betur, qui precibus regis Danorum impulſus, totius Daniæ deſcriptionem ſibi deſumpſit, quam ob nullam eius editionem hactenus uiſam, curioſo ſucceſſori communicare uoluimus. Interim uale, & ijs boni conſule.

Inſulæ Daniæ regni.

Terminus terræ.

FINIS LIBRI DECIMI.

LIBER VNDECIMVS EXEGESEOS Germaniæ De ciuitatibus eius.

AD LECTOREM.



DICITE *Io Pæan & Io bis dicite Pæan,*
Finis, & haud longè quem peto portus abeſt:

finis inſtat, laboris quidquid ſuperat penè ſuperatum eſt, modi- cum ſudoris adhuc uacat, & rerum quæ tantum actu ac uiſu con ſtant. Cætera tranſacta ſunt, de ciuitatibus Germaniæ oratio adhuc reſtat, cui & nobiliora cœnobia, & quicquid Germania poſsidet, admiſcuimus. Nec per capita in ijs ultimis libris decurremus, ob incompoſitam rerum ſeriem, nec ut pleriq; Geometri, qui iuxta regionum qualitates ac partes ordinem ſequũtur: ueluti nuper in ſua Geographia Aen. Syl. ac Coclæus emoliti ſunt. Verùm in- ſtar Marliani ac Lilij, iuxta literarum ſeriem, ciuitates, earumq; enarrationẽ in- grediemur. Vidi id Plin. familiare eſſe, qui eundẽ curſum in traditione morbo rum, lapidum, gemmarum tenuit, & per alpha & beta rerum ordinem faciliori traductione proſequitur. Nec in iudicium mihi ueniat, ſi Galliæ aut Sarmatiæ, Italiæ quoq; urbium memoriã unà Germanicis miſcuero. Induxit enim me ad id Cl. Ptol. ratio, qui in hanc euaſit ſententiam. Quemadmodum dum ſolum ca put pingemus, non tamen ea quæ ſolius capitis ſunt, aut manus, ea quæ tantũ ad manum requiruntur, adijciemus: neq; tantùm quæ capitis ac manus ſimul ſunt, dũ hominẽ deſcribimus: ita nihil prohibet, aliquãdo augere aut minuere materiã. Et addit, ita contingit in deſcriptione partium, quas augere poſſumus aut circumſcribere, ob mutationes ac ἀλλοιώσεις locorum frequentiam.

Aduatici. ADVATICI populi, ut Marlianus & enarrator Ptolemæi scribunt, regno Eburonum finitimi sunt & Neruiorum. Oppidum Beaumont colunt, quod in monte situm est comitatus Hannoniæ. Alij uolunt ipsos Douacum inhabitare, non procul à Cameraco urbe Atrebatensis diœcesis. Alij Brabantinos esse dixerunt, iuxta oppidũ Niuellum comitatus Hannoniæ, iuxta Bintium & Canetum, Cameracensis diœcesis. Sabellicus libro 5 Enne. 6, à Cimbris & Teutonis illos prognatos scribit, cui astipulatur Marlianus. Multa de his Cęsar. Eutropius libro sexto, hos Aduatigos nominat, & à Cæsare uictos ostendit: Græci τοὺ ἀδυατικούς, Galli Bosleduc eos uocant.

Agrippina. AGrippina à Suetonio in Ottone, nunc Colonia, Cöln ab Agrippa genero Octauiani dicta, unde Agrippæ meminit Strabo libro quarto, & ad ulteriorẽ ripam prius consedisse hos ab Agrippa reductos scribit, ut manifestè in Cęsare uidetur. Sichardus uerò Cremonensis ab Agrippina Claudij uxore hanc urbem dictam uult. Marlianus illam primò ab Agrippa ædificatam asserit, & tempore Iulij Cæsaris Marchionatum Cleuensem sortitos fuisse Agrippinenses, quos Ptolemæus libro secundo, capite octauo, tabula tertia, Agrippinenses appellat. Conuicit hanc ciuitatem Agrippinæ nomen assumpsisse Peutinger authoritate Cornelij libro 12 Hist. ab Agrippa Claudij uxore. Plinius libro 4, cap. 17, Agrippinam Coloniam hanc facit: similiter Rhegino. Ammianus Marcellinus libro 15, hanc in secunda Germania ampli nominis urbem esse putat. Cornelius libro 12 ita loquitur: Agrippina, quo uim suam ostentaret socijs & nationibus, in oppidum Vbiorũ, in quo genita erat, ueteranas colonias deduci iubet, cui nomen ex uocabulo suo inditum est. Et fortè accidit, ut eam gentem Rheno transgressam, auus Agrippa in fidem acciperet. ijsdem temporibus aduentu Cauchorum latrocinia agẽtem. Hęc Cornelius. Sextus quoq; Aurelius Agrippinam esse asserit nobilem Galliæ urbem. Strabo libro 4 hos Vbios & Vibios dixit. Vbios Cornelius, Peutinger, Cęsar & Ptolemęus: Plinius uerò lib. 4, cap. 15 nat. Hist. illos Incubos uocat. Hermolaus Barbarus ad hodiernum diẽ ait uicum ibi Vbium dictum, à quo forsitã dicti sunt Vbij, uideri. Cornelius in Hist.

Cornelij locus. Iubonũ ciuitas malo improuiso igne consumpta nobis socia: scribe Vbiorum, textus est deprauatus: & in sequẽti libro Virbiorum Treuerorumq;, scribe Vbiorum, & in libr. penult. Et in Virbijs, quòd Germanicę originis enunciata patria, Romana nomine Agrippinensis uocaretur. Dicitur Colonia, secũdum Sicardum Cremonensem, à quodam Traiano Colono. Alij Coloniam Romanorum dixerunt, ut Peutinger & Chronica Argentinẽsium uolunt, ab Hilderico rege, qui huc Romanos deduxerat, ut & Otto scribit libro 4, capite 32. Hi Rhenum ingreßi, ut eos arcerent, non ut custodirent. Est autem ad ripam Rheni sita urbs illa lunę similis imperfectæ. Otto libro 7 Chronico. capite 12, Coloniam magnitudine, diuitijs, ędificijs, omnibus Galliæ & Germanię ciuitatibus prętulit, ex quo Treueris defecit. Cæsar libro 4, florentem & amplam ciuitatem testatur, & caput Germanorum. Olim à Sueuis Vbij premebantur: postquam tamẽ subacti sunt à Romanis, nunquam à fide recesserunt, ut idem Cæsar libro 6 scribit. Henricus IIII. donis ipsam, post longam obsessionem, sibi cõciliauit, ut Otto ait. Alij Henricum V. dicunt anno Domini 1114, Coloniã afflixisse. Vrbs hæc nomen Beatæ sibi asciuit, quia reliquijs nulla profectò sanctior ciuitas est. Hîc enim S. Gereon sub Maximiano & Diocletiano martyr euadens coruscat. Hîc diua Vrsula cum uirginibus occisa quiescit iuxta Rhenum. Mantuanus Parthenices primæ libro secundo de Vrsula:

Colonia.

Et gelidi faciles pugnas gens accola Rheni,
Dulciaq; arrecto cernet spectacula uultu.

Huc

Huc & tres reges translati sunt anno à Sigeberto, et alijs assignato. Huius urbis etiam Antoninus Pius meminit, & Vlpi. ff. de censibus. lib. ult. ubi & glossa, Volaterranus, & multi Panegyricorum. Episcopatum illorum à sancto Materno initium sumpsisse quidam Annales referunt, & usque ad Heribertum episcopi 31 numerantur. Illic uiget studium uniuersale, quod incepit anno 1390. ab Vrbano papa. Ecclesiæ illic numero octuaginta referuntur. S. Helena Gereonis Ecclesiam fundauit.

AQVISGRANVM ciuitas, Ach dicta, Granus frater Neronis balnea illic constituit, inuenta aquarum calidarum scaturigine: unde ab aquis & suo nomine Aquisgranum dixit. Cuius opinionis est Ligurinus dicens libro primo: Aquisgranum

—Peruenit ad illum

Vsque locum, cui nomen Aquis posuêre priores.

Carolus enim Magnus repertis thermis Aquisgranum muro cinxit, ut Francorũ historiæ testantur. Templũ inde Mariæ constituit, de quo Celtes Amo 3,

Quaque patent celsæ genitricis templa Tonantis,

Sanctius in nostro queis nihil orbe micat.

Multa Genblacensis. Ptolemæus libro 2, capite 8, tab. 3, Veteram nominauit, ubi eius enarrator Carolum illic scribit tria millia hominum conuertisse. Lupoldus capite 14, de zelo Germanico asserit, cæcos, claudos, mortuos illic Carolum resuscitasse. Illic præterea Concilium Carolus conuocauit, testantibus Lupoldo capite 11. & Platina in uita Stephani IIII. Illic reliquię uidẽtur preciosissimæ. Carolus Magnus enim postquam Terrã sanctam recuperauit à Saracenis, Patriarchis, & imperatore Constantinopolitano, aurum offerentibus renuit, uerùm reliquias postulauit, unde de corona Domini, unum clauum passionis, partẽ crucis Dominicę, sudarium Domini, camisiam B. Virginis, fasciã Iesum in cunabulis tegentem, & paria monumenta in basilicã B. Virginis Aquisgranensis contulit. Idem Carolus ex auro argentoque & solido ære cancellos & ianuas ornauit, marmoreasque columnas ex Roma huc deuehi fecit. Hic Imperator ferream & primam coronam ab episcopo Coloniensi sumit, secundum scribentes & glos. in C. Romani, par. 1. de iureiurando in Clement. In ea Carolus Magnus sedem tenuit, illicque semper morabatur: uerùm hodie nec uestigium apparet. Nordmãni enim Carolo infensissimi, ut eorum deletori, post eius nepotes, sub Carolo Caluo in Germaniam irruentes, omnia demoliti sunt funditus, Ecclesiam quoque B. Virginis igne aggressi discesserunt, uerùm ignis ob arctissimã lapidum congeriem nec quidquam operari potuit. Alij Vetera castra. Reliquiæ Aquisgran.

AMantinos populos Vngaros uolunt, ex eo, quia inter Saum & Draum degunt, ut Iustiniani uitæ enarrator scribit. Sex. Ruffus cap. decimo, illos ostendit uictos ab Augusto, per Curium proconsulem: ego Vngaros dicerem, quia Ptolemæus libro 8. ubi de inferiori Pannonia loquitur, κατέχουσι, inquit, ἀπὸ δύσεως ἀμαντῖνοι. id est, Occidentalia tenent Amantini. Amantini.

ARenatij, ut ait Marlianus, inter Coloniam & Traiectum urbes episcopales, ultra Nouesium Rheno adiacent: consentit & Ptolemæi enarrator, & de illis Cornelius Tacitus. Alij Areuatij.

AVsterania insula Germaniæ apud Prussiam, Teutonicẽ Sudau dicta, alio nomine à Barbaris Glessaria à glesso, id est, succino, augstein, ibidẽ nascente. Plinius libro 4, capite 13, iuxta Cimbros illos sitos ait esse: multa ibidem Plinius libro ult. id est 37, capite 3. & nos libro 8 & 9. Hermolaus supra Plinium scribit à Plinio dictam Austraniam, & alibi Austeraniã. Volaterranus ignarus Germaniæ, alioqui homo doctissimus. delusus est nominis cõuenientia, Austeraniam Austriam nunc dici affirmando lib. 7. Comment. quæ tamen in tantum distant. Austerania.

Ambiani. AMBIANI Germaniæ populi, proximi Menapijs ad Oceanũ ait Strab. lib. quarto Geog. hodie iuxta Atrebates sunt. Plinius à Scalde ad Rhenum sitos Ambianos dixit libro 4 nat. Hist. capite 17. Cæsar quoq; eorum meminit, & Eutropius libro 6, à Cæsare illos uictos scribit. Orosius, similiter & Liuius hos Belgarum populos asseruerunt, & Florus supra Liuium libro 4. Hieronymus dist. 12. Epist. 31. multa incommoda ipsos sustinuisse probat. Orosius libro 6, capite 7. Abianos nominauit. Marlianus eorũ in omnibus ut Atrebatum meminit. Ptolemæus postquam de Bellouacis scripsit, libro β. addit, μεθ᾽ οὓς ὁμοίως ἀμβίανοι, ὧν πόλις σαμαρόβριγα. Id est, Supra hos similiter Ambiani sunt, quorum ciuitas est Samarobriga. De ipsis Antonius Pius. Galli Armiens appellant.

Ambuiarij. AMbularij, ut ait Marlianus & enarrator Ptolemæi cum Vsipetibus, Menapios olim expulerunt. Ex eo aliqui hos Ambianos esse dixerunt: id negarem ideo, quia apud Cæsarem illorum & Ambianorum mentio est. Hi hodie circa Rhenum & Mosam habitant. Alij eos Brabantiæ ciuitates incoluisse uolunt, ubi Leua, Bergis oppida sunt, diœcesis Leodiensis. Cornelius in Hist. Ampsinariorum meminit, & hos à Cattis & Cheruscis exactos dixit & uenundatos. Idem Cornelius in Germania Agriuariorum. Prudens lector uideat: nec Ambuiarios, Ampsinarios & Angriuarios unam gẽtem dicerem, ratione ductus Cornelij, quam in Germania dat: Angriuarij enim Brunsuigẽses ab alijs nominantur, Ambuiarij uerò Brabantini.

Austria. AVstria olim Pannonia superior dicta est, ut libro primo, capite de Pannonia retuli secundum Aeneam Syluium. Ab Oriente Vngariam habet, ab Occidente Bauariam, à Septentrione Bohemiam, ab alijs Styriæ montes, ubi primò Romani ipsam occupauerunt, nomen accepit Orientalis Germaniæ, sicut Syluius ait. Inde tempore Francorum ubi totam Germaniam penè in ditionem eorum redegerunt Franci, à uento aut positione Austriæ appellationem huic imposuerunt, quæ ad Oriẽtem uergeret. Vuestriæ uerò quæ ad Occasum, ut Bilibaldus Pyrckaimer ac Cunradus Peutinger testantur. Regio illa fœcundissima, semper lætissimis pabulis referta uiguit, olim Marchionatus ab Henrico duce, ductu Friderici 1, in ducatũ redigebatur, à Friderico 3 in Archiducatũ.

Atrebates. ATrebates Galliæ populi, ab Eutropio libro sexto. Plinio libro 4, capite 17. Floro, Liuio, & Strabone libro 4. referuntur, inter Scaldim & Rhenum, Ambianis ac Tornacensibus, Morinisq; proximi. Vnde à multis Burgundiones creduntur. Hieronymus dist. 12, Epist. 31. Atrebites eos uocat. Strabo Atrebatos in secundo ordine, Ptolemæus Atribatios lib. β, ἀτριβάτιους, ad Sequenam, inquit, fluuium Atribatij sunt. Galli Atrebates Arras eorum lingua nominant. Est autem urbs eorum Atreba, cuius meminit Sabellicus libro quinto Nonarij sexti, à qua eos dictos uolunt.

Antdorff. ANtuuerpium ultra Coloniam nominatissima ciuitas mercatoribus est, Rudolpho Agricola referente, diœcesis Cameracensis, iuxta Ambuiarios in Brabãtia, Teutonicè Antdorff. Cuius nũdinæ totius Germanię maximæ à Morinorum urbe translatæ sunt, ductu Maximiliani Cæsaris. Gręcè ciuitas eorum ἀτουάτουκον dicitur à Ptolemæo libro β: εἶτα μετὰ τὸν ταβούλλαν ποτ. τουγγροί, καὶ πόλις αὐτῶν ἀτουάτουκον. Id est, Postea ad Tabullam fluuium Tungri sunt, quorum urbs dicitur Atuatucum.

Altdorff. ALtdorffium Bauarię oppidum, non procul à Norenberga temerè in ædificijs ornatum, muris tamen mediocribus. Olim sub Adulfi comitis de Nassau Romanorum Cæsaris manibus moderatum, à quo & priuilegijs honestissimis honoratum est. Inde ad Bauariæ ducatum deuenit temporibus Ludouici, & tũc à Norenbergensibus impugnatum, uerùm non expugnatum est. Inde Otto ultimus eorum dux, postquam diem extremum clausit, Philippus Palatinus

tinus Rheni oppido potitus est, cui à Norenbergensibus oppidum illud elt de tractum in bello Germaniæ contra Palatinum.

ARBORICHI populi Germanis olim finitimi, Romanis parebant, & in Orientem Turingos habuerunt, ex alia parte Alemannos. Hęc Procopius lib. 1 de bello Gotthico. Sub Germanorum nomine Francos intellexit, unde non possum agnoscere qui inter Turingos, Francos & Sueuos habitent, nisi Hassos uelis, qui ab Oriente Turingos habent. *Arborichi.*

AREl atum oppidum, à quo regnum Arelatense dictum est. Strabo Arelatos hos populos uocat libro quarto. Continebant autem Allobrogos, Heduos, Sequanos & Heluetios. Huius regni meminit Aeneas Syluius, qui sub prouincia Treuerensi situm esse scripsit. Pomponius Mela libro 2 Sextanorum, inquit, Arelate, &c. Plinius Vocontiorum ciuitatis fœderatæ, ait, duo capita Vasius & Lucus Augusti, in mediterraneo Arelate Sextanorum. Ligurinus libro 5 claudit Arelatum. De Arelatensibus Paulus Diaconus libro quarto, capite 8 rerum Longobardorum. Abbas Spanheimius in Hist. Francorum. Plura de illis protulit Ammianus Marcellinus libro 14. Dum hęc aguntur in Oriente Borelate hyemem agens Constantinus, textus est corruptus, Arelate enim scribitur. Idem, & Cæsaris iterum egressus Harelate Valentiam petit. Huius loci sæpè meminit Antoninus Pius in Itinerario. Suidas & Philostratus in uita φαβωρίνου. *Arelatum.* *Locus Ammiani.*

AVGVSTA ciuitas Vindelicorum, ut Peutinger, Ptolemæus capite 20, tab. 5, libro 2 scribunt, à Vindelicis originem habet. Fuit & dicta Ciphroim. Hanc urbē Drusus instaurauit, & de nomine Augusti, Augustam dixit, ut placet Ottoni Frisingensi libro tertio, capite quarto, qui & Rhætiæ urbem illam nominauit. Sunt tamen Annales, qui ante Drusum 1220 anno Augustam primam inchoatam testantur. Illic Lycus, der Lech, præterlabitur, quod Celtes illo carmine innuit libro tertio Odarum: *Augusta.*

Augusta Lyci condita margine
Claris abundans inclyta ciuibus.

Augusta alij, ut altiùs insurgamus, à Iaphet primò habitatam dicūt, propter aerem, & Vindæ, & Lyci flumina. Alij Zisam à qua Zisaria dicta est, ciuitatis illius fundamenta iecisse asserunt. Alij Deam uidelicet Zisam, cuius templum uestigium retulit, & hodie colles uidentur, ubi uersiculi istiusmodi reperti sunt, apud Vrspergensem: *Zisaria.*

Quem male polluerat cultura nepharia Diuûm,
Gallus monticulum hunc nunc tibi Zisa tulit.

Multa urbs illa pertulit, ab Attila destructa, inde ab Vngaris obsessa, anno Domini 955 ab Ottone liberata: inde à Vuelphone duce Bauariæ capta, anno 1024, & anno 1088 destructa à Sueuis corruit. Hîc Ecclesia S. Afræ horret, quam Vdalricus illic episcopus instaurauit: similiter S. Ioannis & Stephani. Hic Philippus episcopus sub Antonino Imp. martyr euasit. Hîc S. Afra, Hilaria, Quiriacus, Euria martyres coruscant. Huius Rhegino Prumiensis, Volaterranus libro 7 meminerunt. Ligurinus et Paulus Diaconus libro 2, capite 13 de rebus Longobardorum, qui Virdam & Lechum, nos Lycum, fluuios diuidere hanc aiunt urbem. Totam hanc ciuitatem explicauerunt Abbas Vrspergensis, Nauclerus, & Antoninus Pius in Itinerario. Monasterium S. Stephani à B. Vdalrico auspicatū uolunt, āno Domini 964. Ab eo inde 26 anno ædem beatiss. Virginis, ductu Vdalgeri episcopi exordium sumpsisse ferūt. A' quo anno postea undecimo religiosos ordinē S. Benedicti referētes, primûm Augustam ingressos asserunt. Beati Petri uerò Ecclesiam Suigerus comes seculo Salutis nostræ postquam millesimus supra sexagesimum sextus annus agebatur, exor-

sus

ſus eſt. Ab eo anno inde 102 diui Georgij monaſterium fundabatur. Inde ingenti turbine uentorum excitato, Eccleſia S. Vdalrici penitus corruit, anno Incarnationis 1474. Maxima ſui incremēta urbs illa ſumit, aliamq; Norenbergam nobis refert, clarorum uirorum prudētia adiuta, in primis Cunradi Peutingeri in omni diſciplinarum genere inſtructiſsimi.

Argentuaria. ARGENTVARIA, Colmar, huius Antoninus in Itinerario ſuo meminit, & Ptolemæus libro 2, capite 3, tab. 3. Argentuarium dixit, ubi enarrator Argentinam putat, qui me riualem non habet. Argentuariā enim Colmar putauit, coniecturam talem capio, quia Ptolemæus ciuitates ſuperiores Germaniæ enumerans: Eſt, inquit, Nemetorum Neopagus, Rufiniana, Borbetomagus, Argentoracum, Breuiomagus, Iubonum, Rauricum, Argentuaria. Ecce Ptolemæus prius Argentoracum nominat, deinde aliam ciuitatem Argentuariam: ex quo patet, non Argentoracum Argentuariam uocari. Argentuariæ meminit Iuſtiniani Cæſaris enarrator, & Doctor in Supplemento Euſebij, Eutropius libro 10, ubi de Gratiano loquitur, apud Argentuariam occubuiſſe multa millia Germanorum aſſerit. Apud alios Argentoria inuenio, incuria ſcriptorum. Cæterùm Colmar ſecundum alios, ab auſpicio columbarum, ſecundum alios à claua Herculis, quam temulentus ibi perdidit, dictam uolunt. Hanc alij ex debita ſupputatione eſſe Seleſtadium ferunt, ex eo, quia ſex ab Argentina diſtet miliaribus: tamen Conradus Leontorius, Ioannes Stabius, Ioannes Collaurius & Iacobus Spiegel Columbarię, ut nos dicimus, huic urbi nomen impoſuerunt. In Columbario monaſterium S. Petri ab Adelhiede conditum eſt, ut Annales quorundam loquuntur, anno 832.

Columbarium.

ANſuarij, ut ait Marlianus, Germaniæ populi ſunt inferiores, iuxta Friſios. Idem & Ptolemæi enarrator. Cornelius Tacitus in Germania iuxta Friſios Thaſuarios, ſi liber non eſt mendoſus, & Angriuarios ponit. Et idem in libro Hiſt. ualidiorem gentem Anſuariorum dixit, non modò copia ſui, ſed & miſeratione adiacentium populorum, quia pulſi à Cauchis, & ſedis inopes, tutum auxilium poſtulabāt. Hos autem Angriuarios eſſe certū eſt. Ptolemæi uerba ſunt libro α. ἀνγριουάριοι, inquit, inter Cauchos enim maiores & Sueuos ſunt.

Anſuarij. *Angriuarij.*

Alberſpachiū. ALberſpachium Sueuiæ cœnobium, Vuirtenbergenſi duci paret, ab Alberto comite de Zollern dictum, hic cum comite de Sultz extitit fundator, & religionem inde petijt.

Aſchau. ASchau monaſterium, quod tempore Caroli Magni epiſcopus Argentinenſis 25 Remigius Sophiæ, Spei, Fidei & Charitati conſecrauit. Sophiæ corpus ab Adriano papa miſſum eſt proprijs humeris è Roma, & ab Hezelone locupletatum, ut Iacobus Vuimphelingius in catalogo probat: Chronica Argentinenſium anno 803 conſtructum illud fuiſſe uolunt.

Auleriti, alij Aulericij. AVleriti Belgæ, proximi Lixouijs & Velacaſsibus, ut enarrator Ptolemæi ait: de his Cæſar plura in Commentarijs: hodie iuxta Mediolanenſes habitare dicuntur, ubi eſt ducatus, prius Eporedia dictus.

Vuiſſenburg. ALbum Caſtrum, Vuiſſenburg, Tranſrhenana ciuitas, à loco nominata Vuiſſenburg, ait Peutinger, Dagobertus illic eccleſiam cōſtruxit in honorem Trinitatis, B. Virginis, Petri & Pauli Apoſtolorum, anno Chriſti 623. die Maij. Ibi corona quam Dagobertus detulit, reſeruatur, cuius metallū nemo agnouit. Vrbs illa multum à Palatino pertulit. Eſt & monaſterium extra ciuitatem, quo opulentius in Germania nō fuit: illud Pirminius epiſcopus fundauit anno 724, ut Chronica Argentinenſium teſtāur, olim ſub abbatis iuriſdictione ipſa ciuitas. Multa quoq; Marchionis Badenſis, & Palatini oppida extiterūt. Manet adhuc ueſtigiū apud Etlingenſes, ubi liberè ſine omni uectigali & ſtipēdio Vuiſſenburgenſes peruehunt, Dagobertus dū illud regale monaſterium cōſtruxit,

cis

eis anno 634 multa prædia cõtulit, quæ apud Abbatem Spanheimiũ leguntur.

ALBA Dominorum, Herenalb, cœnobium duobus ab Etlingen milliaribus distans, ab aqua Alba illic subterlabente nomen sortitum. Huius monasterij erectores extiterunt comites de Eberstain, qui illic sepulti sunt. Est & Alba Dominarum non longè ab eodem condita. *Herenalb.* *Frauenalb.*

ALBA Basilica, urbs Vngariæ, ubi reges coronantur, ac ossa eorum conduntur, Stuluuissenburg. Hanc urbem Stephanus Vngarorum rex, dum contra Slauos & Bulgaros bellum gesit, condidit, ut Michael Ricius lib. primo Regum Franciæ scribit. *Alba Basilica.*

ALba Græca, Krichischuuissenburg, ubi 150 millia hominum Turcus abduxit ad oppugnãdum, ut Syluius ait in Europa, & in Historia Bohemica libro 5. sed non expugnauit, fugatus per Capistranum, qui & illa scripsit Papę, ut idem Syluius ad Nicolaum S. Petri Cardinalem testatur, adeò ab Huniade Turcus fusus est, ut semper quo uixit maledixerit huic diei, quo ad Albam uenerat. Aeneas urbem hanc Taurinum uocari putat. *Alba Græca.*

AQuæburgum ad Aenum fluuium sita urbs Bauariæ, à multitudine aquarum dicta, Teutonicè Vuasserburg. *Aquæburgum.*

ADolphi campus, Alsfelt, ab Adolpho nominatus, genere Caroli Magni, ut eorum Annales dicunt. Est autẽ Hassię urbs, ubi statua literis Gręcis signata est. Inhabitat urbem hanc Schorpachius insignis rerum naturaliũ inuestigator. *Adolfi cãpus.*

ALtendorf, Hassiæ locus & ciuitas à S. Bonifacio condita, uti ferunt. Illic salina salis supra Vuerram fluuium scatet. *Altendorf.*

ANoltzspachium, Anspach, corrupto uocabulo dicitur, ciuitas quinq; à Norenberga miliaribus distans, inter Francos & Bauaros, sedes Marchionis Branденburgensis à fluuio paruo quodam nominata, qui ciuitatem præterlabitur, Anolspach dicto. Fuit urbs hæc olim sub dominio de Dornberg, à quibus ad Marchionatum deuenit. Ecclesiam hic S. Humbertus condidit & erexit, qui & illic ultimum diem claudens, suas reliquias seposuit. *Anoltzspachium.*

AChillis Dromos, apud Scythas non longè à Borysthene insula est, quæ ad solem uergit, & nudus locus Achilli sacer, inter mare porrectus, ut ferunt Strabo libro septimo, & Eustathius. Dionysius hunc iuxta Borysthenem esse ait: ταῦροι δὲ ναίουσιν ἀχιλλῆος δρόμον αἰπύν. Reuera apud Tauroscythas locus ille situs est, de quibus Euripedes & Vopiscus in Aureliano. Dromus autẽ ille porrigitur usq; ad Chersonnesum & Tauroscythas. Verba Strab. sunt: τῆς δ' ἑπλάσιν τῆς χερσονήσου μέχρι τοῦ ἰσθμοῦ καὶ τοῦ κόλπου τοῦ καρπινίτου ταῦροι σκυθικὸν ἔθνος. Id est, Proximam inde partem Chersonnesi usq; ad Isthmum & sinum Carpinitum, Guarinus legit Carpineitem, Tauri inhabitant, Scythica gens. Alij Carcinitem proferunt, cuius in litera C mentio erit. Pomponius Mela libr. secundo, Achillem infesta classe mare Ponticum ingressum refert, & ludicro certamine celebrasse uictoriam. Inde armis se & suos cursu exercitasse, ideoq; dictum locum Achillis Dromon. Multa Ammianus Marcellinus libro 22. ubi de insulis Sarmatiæ scribit. Eustathius supra Dionysium, ibi ideo Achilli sacrum hũc locum putat esse: illic enim litatam fuisse Iphigeniam Agamemnonis filiam, Achillis amatricem, & bouem pro ipsa immolatum. Volaterranus libro septimo Comment. huius loci & Procopius meminerunt: unde hi Tauri dicuntur. Eustathius ex fabula probat, Osiridem illic aratra primitus monstrasse. Plinius multa libro 30. Strabo etiam lib. undecimo, sacellum asserit Achilli illic sacratum. Plinius insulam hãc testatur esse Achillis ad formam gladij figuratam. Accedit quoq; Iornandes de rebus Gotthorum, & ni fallor Valerius Flaccus in ultimis libris Argonauticorum, qui plura memoria digna de Dromo Achillis protulerunt. *Achillis Dromos.*

ASciburgium, ut ait Cornelius Tacitus, ab Vlysse conditum est, supra Rhenum, *Asciburgium.*

num,ubi & nostro seculo ara & literæ Græcæ ostenduntur:hęc Cornelius Mar
lianus apud Geldubam esse dixit,non longè à Rheno in Cleuensi ducatu,nunc
Emerich. dicitur Teutonicè Emerich, ab Emerico. Enarrator Ptolemæi iuxta uetera ca-
stra hunc locum uideri putat, Nusiæ proximum. Volaterranus libro septimo
de illa urbe, & Cornelius libro 19. Græcè dicitur ἀσκίβουργον, uel ἀσκιβύγιον.
Strasburg. ARGENTORACUM, ἀργεντόρατον per t Ptolemæus, si integer est, scripsit.
Argentoracũ. Argentoraci meminerunt Eutropius in uita Constantini, Ammianus Marcelli
nus libro 15 in fine, & 16. similiter & Orosius. Ab aliјs Argẽtina quasi Argentea
tina nuncupatur, quia census ibi colligebatur. Antoninus Argentoracum di-
xit. Marcellinus libro 17 in principio Argentoracensem pugnam uocat. Dicun
Tribochi. tur & Trebotes ab Eutropio libr. sexto, Plinio libro 4, capite 15. Strabo Triboc
chos. Luca. lib. primo, Cornelius Tacitus, Cæsar uerò Trebores posuerunt, Pto
lemæus τρίβωνι Triboni. Celtes à quercubus tribus nominatissimis eos nomi-
natos scribit in Germania. Ego uerò à Trebeta puto, qui primo Treuerim, dein
de Trebotes, Moguntiam & Vuormaciam condidit, ut Gresmundus collegit.
Hos primùm à Sicambris & Sueuis ortos uult Peutinger, traiectoq; Rheno
olim illic consedisse refert, ante illum Strabo libro 4, eos natione Germanos an
Ecclesiæ funda tor. tiquitus fuisse ait. Clodoueus Hilderici filius, quem Remigius baptizauit, pri-
mo regni sui anno, Dominicæ uerò natiuitatis 484. è ligno tantùm ecclesiã fun-
dauit, ut Annales eorum & Iacobus Vuimphelingius in catalogo testãtur. Sed
tempore inde Bernardi episcopi, anno Christi 1016, lapideũ factũ est fundamen
tum. Nono inde anno erigebatur. Turris summi templi incepta est anno Chri-
sti 1277. inde usq; ad galeã perducta 1305. desiјt hæc partim ex Vuimphelingio,
partim ex eorum Chronicis hausimus. Vrbs hæc egregiјs ciuibus ornata est, in
primis Nicolao Gerbellio, Iacobo Sturmio, Iacobo Oslario, uiro literatis omni
bus sedulo, cui & rerum experientiam multarum longa & inęstimanda peregri
natio concesit. Nec sua laude defraudetur Eruinus de Stainbach, qui turrim
primus fundauit, ut Epitaphium illic testatur. Est autem turris hæc profectò in-
ter miracula mundi recensenda, caput inter nubila cõdit, ut Aeneas ait. Vrbem
hanc Hieronymus distin. 12. epistola 32. ad Geruntiam Argentoratum uocat, &
multa sustinuisse mala suo tempore afferit. Monasterium enim illic combustum
est anno 1007. & inde reædificatum anno 1015, ut Annales eorum ferunt. Attila
rex Hunnorum totam ipsam destruxit, ita ut liberè uia egredientibus ubiq; pa
teret, unde Straſzburg dicta est. Heinricus tamen 2. ipsam iterum anno 1004 ere
xit. Philippus Rom. rex contra Ottonem 4. mouens Argentinam impugnauit,
sed non expugnauit. Anno 1198. inundatio grauissima iactura ipsam fermè pes-
sundabat. Deinde 1343. circa festum Iacobi grauior paulo aquarum uis urbem
concusit. Hanc ciuitatem à regibus Francię frater Ludouici regis abstraxit, ste
rilis enim factus B. uirgini Mariæ ciuitatem deuouit, referente Vuimphelin-
gio. Prudentissimus illic senatus est, cuius potestas olim apud nobiles uigebat:
facto inde tumultu ad ciues priuatos perducta est, anno 1332. De illa ciuitate
Volaterranus libro septimo, & Dracuntius:

Huic urbi celsæ metiuntur mœnia turris.
Nam mihi percupide nunc Argentaria cordi est,
Teutonicis præstat grandi quæ uertice templis,
Urbs præclara situ Rheni contermina ripis
Gloria præcipuè Rhenanis maxima terris.

Alsatia. ALsatia Elsas, ab Alsa flumine nomen habet, ut in Otilia nostra scripsimus,
quod Philesius illo carmine ostendit de Alsatia:

Quamuis

Quamuis ornetur nemorosis uallibus, atq;
Arboribus uarijs floreat omnis apex,
Munera cum liquido præbet Cerealia Baccho,
Ipsaq; frondescit floribus omnigenis.
Mitis in apricis ibi crescit collibus uua,
Alsaticam dicunt, nomen ei Alsa facit.

Alij Ilsatiam uocant, flumen enim hodie, die Yll dicitur. Latissimè se illa prouincia extendit, quod Aeneas Syluius testatur, ubi hanc prouinciam plus una diœcesi ostendit ualere, Basiliensi uidelicet, & Argentinensi. Volaterranus lib. septimo. Rhegino Abbas, quam Alsatiam in uno loco nominat, in alio, si liber non est deprauatus, cum Caroli mentionem facit & Selestadij, Elisatiam appellat. Marlianus in dictione, Nemetes, Helsatiam dixit, id est Heluetiã, & à ciuitate ducatus Burgundię Alseti dictam, ultraq; Spiram Alsatiam extendit, & Iacobus Vuimphelingius in sua Germania capite 24, omnes Rheni accolas olim Alsates & Francos dictos ait. Nam sub Francorum imperio olim Alsatia subijciebatur, inde per Ottonem primum in Marchionatum euasit, & per eius filiũ gubernata est, usq; ad duces Auentinos deuenit. Est autem duplex Alsatia: inferior, quã episcopo Argentinensi tradidit ultimus Marchio. Superioris uerò ciuitates quasdam Dagobertus tradidit Arbogasto & Florentio.

AVgia maior Rychenau, à rerum copia nominatur, hanc cõuertit Osophon Angliæ alumnus, quam Sueuorum imperator condidit. Abbas tamen Spanheimensis à Priminio scribit auspicatam fuisse primitus Augiam, ditissimum olim cœnobium totius Germaniæ monasterijs. *Augia.*

ANdelau oppidum Alsatię, iuxta Vogesum, non longè ab Hohenburg, ubi nobilissimi sacri imperij equites degunt: ibi monasterium à Richarde imperatrice fundatum est, anno Domini 880, ut Annales Argentinensium dicunt: ibi & Lazarus requiescit, & unus clauorum. Castrum illic semel destruebatur per Henricum de Staheleck episcopum Argentinensem, anno 1387. Rhegino Prumiensis refert imperatorem contra Nordmannos expeditionem fecisse, inde redijsse in Alemaniam, Limphardum episcopum Vercellensem sibi in publicis consilijs unicum consiliariũ arguisse adulterij suæ coniugis Richardæ, eo quòd episcopus familiariùs quàm oportebat, reginę ministraret. Pro eadem re quoq; concionem uocauit imperator, & mira dictu publicè testabatur, nunquam se carnali coitu eam tentasse, cum plus quàm decennio legitimi matrimonij fœdere ei fuisset copulatus. Illa ab omni commixtione immunem & se esse profitebatur, idq; approbauit Dei omnipotentis iudicio, ignitorum carbonũ haustu. Facto inde dissidio monasteriũ quod in sua regione cõstruxerat, famulatura Deo decessit. Hæc Rhegino Prumiensis, qui monasterium ait, sed non nominat. *Andelau.*

AVreatenses Bauari sunt incolæ regionis iuxta Eichistadium, ubi reliquiæ S. Vualpurgis sunt. Sic Celtes libro secundo Odarum: *Aureatenses.*

Aureatensis decus omne terræ
Virgo, qua pulchra rigat arua ualle
Almonus, cunctos superans saporo
Flumine pisces.

Aeneas hanc ciuitatem uocat Dryospolim, Aichstat ἀπὸ τῆς δρυὸς καὶ τῆς πόλεως, in epistola de laude Germanorum: quod & Conradus Celtes in Germania ait. Alij Eichstadium quasi Edtstadium à solitudine dixerunt, & à S. Vuilibaldo in deserto degente principiũ sumpsisse. Illic omni miraculo B. Vualpurgis clarior

coruſcat, e cuius ſepulchro oleum diſtillat. Epiſcopatus illic omnium Bauariæ longe potentiſsimus eſt, cuius libro tertio meminimus.

Allobrogi. ALLOBROGI Sabaudienſes ſunt ultra Heluetios, ut Platina in uita Nicolai V ſcribit, & Sabellicus Ligurinus libro primo:

Allogobrosq; duces, coeunt Germania Rheno.

Allobrogorum Tacitus meminit in libro Hiſtor. Pomponius Mela libro ſecundo. In ducatum autem redigebatur per Sigiſmundum Imperatorem.

Aredata. Lintz. ARedata, ut Ptolemæus libro ſecundo, capite primo, tab. quarta, Linx dicitur ciuitas Auſtriæ, Græcè ἀρεδάτα, Rhætiæ urbs, olim non longè à Vienna.

Aſanca. ASanca nunc à Ptolemæo ibidem Clepern fertur Germaniæ ciuitas, Græcè ἄσανκα.

Nörlingen. ARestauiane Nörlingen, à Flauio Imperatore parta uictoria ipſam condente dicta. Alij Aretisflauiam uocitant, urbs Sueuiæ in partibus Rhizæ, Imperio paret.

Algiones. ALgiones populi ubi Rhenus oritur in Heluetia, ut uult Celtes.

Amberg. AMberga à Ptolemæo libro ſecundo, cap. primo, tab. 4, Cancioebis dicitur.

Aureliana. AVreliana Enſſ, ab Aurelio dicta.

Andegauia. ANdegauia Galliæ ducatus apud Turones & Bituricenſes, proximus Oceano, ait Lilius.

Amerbachū. AMerbachum monaſterium à Priminio conſtructum eſt, diœceſis Herbipolenſis, ut refert Abbas Spanheimius.

Auari. AVari populi trans Rhenum & Danubium in Hercynio, ut ait Marlianus. Horum meminit Platina in uita Stephani V. Ptolemæus & Rhegino Prumienſis. Hi ergo olim Vngari fuere, & à Plinio lib. quarto, cap. decimotertio, & Cornelio Tacito in Germania Varini dicuntur, authore Hermolao Barbaro. Obdormiuit ergo Volaterranus libro ſeptimo, in hoc, qui Varinos, nūc Varmos, & Varmenſes dici ait. Auaros uerò, qui olim Sauari dicti ſunt, cum tamen una gens ſit. Enarrator Ptolemæi Auartios hos uocat, Otto Friſingenſis Auares nominat, & optimè noſtro iudicio. Græcè enim ἄβαρες à Suida in dictione βούλγαροι appellantur. Hos & à Gepidis ortum habuiſſe refert Otto. Roſuita monialis eodem nomine eos nuncupauit, & hodie Vngaros eſſe dixit. Similiter & Paulus Diaconus in Mauricio, & in geſtis Longobardorum libro primo, capite ultim. à ducis unius eorum nomine Hunnos prius nunc Auaros appellari conuincit, cui tamen non auſculto, ut in primo libro adduximus. Mantuanus Auarinnos cauſa metri protulit ad Cæſarem:

Locus Volaterrani.

Ecce ſagittiferos Auarinnos, ecce Carithnos.

Ptolemæus eos Sarmatiæ populos probat: uerba eius ſunt libro γ, poſtquā de Phennis mentionem facit, ὑφ᾽ οὓς, inquit, αὐαρεινοὶ παρὰ τὴν κεφαλὴν τοῦ ἰσούλης ποταμοῦ: id eſt, Supra hos Auarini ſunt ad caput Iſtulæ fluuij. Ego profectò facilè dixiſſem Auaros Vngaros, Varinos uel Auarinos Pruſsiæ populos, ſed alijs relinquam, nec temerè contra Hermolaum agam. Sunt qui Auares in Bauaros abijſſe dicunt, addito B eorum nomini.

Armarij. ARmarij olim dicti ſunt Franci, qui iuxta Rhenum conſederunt, ut ait Marcellinus, uerba eius ſunt libro 20, Appropinquabat Rheno, & inde tranſmiſſa legione ſubitò inuaſit Francorum quoſdam, quos Arthuarios uocant, Bebelius legit Armarios.

Althach. ALthach in Bauaria monaſteria dicunt duo eſſe ſic nuncupata, ordinis S. Benedicti. Inferius Odo dux pater Taſsilonis cōdidit: ſuperius uerò Priminius epiſcopus, ut amborum hiſtoriæ dicunt. Cōſentit & Abbas Spanheimius in Hiſtoria Francorum.

ALbani

ALBANI, de quibus Marcellinus lib. 19 in principio, Aeneas Syluius & alij, Taurini sunt. Suidas Græcus Albanos Galatarum populos iuxta Istrum esse probat, & terram eorum fertilissimam, pabulisq; lætis. Sunt & populi Sarmatiæ ad Istulam fluuium secundum Ptolemæū iuxta Auarinos, ἄμβρονες εἶτα ἀναρτόφρακτοι ἀρσυῆται: & alij Ambrones Anartophracti Arsyetæ. *Albani.* *Ambrones.*

ALteminster latinè Altonis monasterium dictū, ab Altone hîc requiescente auspicatum est. Monachos illuc transtulit Henricus filius Ethiconis de genere Vuelphonum, qui prius in Auergau fuerunt, ait Vrspergensis. *Altonis monasterium.*

ASchaffenburg canonicalis est Ecclesia diœcesis Moguntiacæ: Otto eam condidit Brunonis pater. *Aschaffenburg.*

AVgiam Cæsaris, Kaisersuuerd, duobus à Nouesio miliaribus iuxta Rhenū struxit Ezelinus frater Kungundis Palatinus Rheni. *Augia Cæsaris.*

ABachum ciuitas Bauariæ à Ludouico patre regis Ludouici condita est, ut eorum Annales habent. *Abachum.*

AMertal locus Bauariæ ab Ottone & Friderico ducibus conditus. Otto enim dux de Amartal, ex Sophia filia Fridericum de Amartal habuit & Bertholdum nepotes. Bertholdo filius Otto cognomine sanctus contigit, qui Bambergæ sepulchro prouisus est. *Amertal.*

DE LITERA B.

BRucteri, Pruteni, Prussij, Vlmigeri, Sarmatiæ populi sunt à Mamertino ad Cōstantinum, Strabone libro septimo, & Cornelio nuncupati, quos Prussios Celtes, Vlmigeros Aeneas uocant, Ptolemæus Amaxobios. Legi apud Plinium Vlmanetes libro 4 nat. Hist. capite 17. Ptolemæus Vlbanectes Gallos, non idem cum Vlmigeris apud Ptolemæū: nam Bructeros ad Oceanum sitos memini me legere, quos alij Vlmerugos appellabant. Hi autem Prussiā Preussen, olim prouinciam tenuerunt, ut Iornandes ait natione Gotthus, & eos Vlmerugos nominat, à Rugijs forsitan. Gotthi uerò ipsos expulerunt, ut scribit Aeneas: & nunc dictum Hieronymi intelligitur, in supplementis Eusebij, qui ad Vistulam consedisse Gotthos scribit. Cornelius Tacitus in Germania Bructeros iuxta Tentheros ponit, quos & Chamanos, Angriuarios, & Bructeros expulisse indicat ab eorū sede uicinarū consensu nationum, seu superbia uel odio aut prædæ dulcedine. Hæc Cornelius: Marlianus Bructeros à Cāmanis & Angriuarijs pulsos ostendit. Nostro seculo, ut dixi libro 3, hanc prouinciā fratres Teutonicorum habitant, qui eam armis acquisiuerunt, à manu infidelium. Illic dum pugna ambigua fuit, candidę crucis simulachrum Christianis apparuit, à cuius aspectu multi sanabantur, sicuti eorum Annales dicunt. Vnde in habitu eorum candidæ crucis ratio constat. Habitant autem illi iuxta mare Baltheum, ibi & Vistula præterlabitur: nec felicior terra sub cœlo est, piscibus, carne, & omnibus humanæ uitæ necessarijs. Vnde Celtes de ipsis in Hercynio: *Bructeri.* *Vlmigeri.* *Vlmanetes.*

Quoq; manet pulchro diues iam Prussia portu
Sarmaticis obducta plagis, quoq; ultimus orbis.

Et Claudianus in Panegyrico Honorij:

_ Venit accola syluæ
Bructerus Hercyniæ.

Ciuitates eorum Parmenensis, Sambiensis, Dantz. Est & castrum Marięburgum, quod Carinthiorum rex Vdalricus semel cepit, ut Aeneas in descriptione Bohemiæ testatur. Poloni nostro tempore meliores ciuitates Christianissimis militibus abstulerunt, hos olim Augustus deuicit per Amasum fluuium, ut ait Strabo libro septimo. Et idem Strabo ad Oceanum uergere ipsos dixit. Cornelius in historijs hos olim à Cattis & Cheruscis exactos & uenūdatos scripsit, *Ciuitates Prussiæ.*

Ligurinus eos libro 6, Bruſcos nūcupat, in alijs libris Briſcos. Cornelius tamen in primo Hiſtoriarum duplices ait Bructeros eſſe, ultimos in Amiſiam & Lupiam amnes uictos. Reliqua uide libro ultimo, in dictione Pruteni.

Battanodurū. BATTANODVRVM gens Belgica, inter Coloniam & Traiectēſem urbes epiſcopales, ultra Noueſium, in finibus ducatus Cliuenſis ſitum, Rheno adiacet, ut ait Marlianus, & Ptolemæi enarrator, de illa Cornelius Tacitus in libro hiſtoriarum.

Bruxella. BRVXELLA oppidū Sueuiæ, ut Rudolphus Agricola in una epiſtola ſcribit, licet ibi lingua ipſos nō eſſe Sueuos arguat. Hic canonici olim religioſi tantùm ex nobilibus eliguntur. De hoc oppido multa enarrator Ptolemæi: paret nunc epiſcopo Nemetum. Eſt & Bruxella nobile oppidum Brabantię non longè ab Antuerpijs, cuius plures meminerunt. Hoc uerò oppidum Sueuiæ olim ſub imperio Vuormacienſium fuerat. Hi autem illud Conrado duci Vuormacienſium, qui in bello cōtra Vngaros occubuit, tradiderunt, ut omne ius quod in Vuormacienſes haberet, & nomen deponeret. Inde Conradus ſecūdus Cæſar hæres illius oppidi, nepos prioris Conradi totum oppidum Sigebaldo epiſcopo Spirenſi donauit.

Buſactori. BVSACTORI Friſij ſunt, ubi nunc ciuitas eſt Gröningen, acriter impugnata à duce Saxonum noſtro tempore. Hæc regio & Friſia dicitur, cuius incolas Friſos Aeneas Syluius, Iacobus Carmelitanus, Cornelius Tacitus, Marlianus, Hermolaus Barbarus, Ptolemęus Friſiabones, Plinius libro quarto, capite decimoſeptimo Naturalis hiſtoriæ Friſiauomes nomināt. Sæpè tamen Plinius in alijs locis à Ptolemæò diſſentit. Eſt autem ſita Friſia ad Oceanum Germanicum, ab Oriente habet Saxoniam, à Meridie Vueſtualos, ab Occidente Traiectenſes, ut Aeneas Syluius ait: caret & lignis, plantis ac agris, omnino paluſtris & uaſta iacet. Cornelius Tacitus author grauiſsimus ſimul & doctiſsimus, in Germania ſcribit eos inter Bructeros Dulgilinos, & Thaſuarios habitare, et ad Oceanum uergere, cum Rheno ad loca ubi columnæ Herculis uidentur. Conradus Celtes poeta egregius Friſos Bubulcos uocat. Marlianus autē ipſos poſuit iuxta Brabantiam & Gelriam. Alij Buſactoros uolunt, terram non longè à Fulden, ubi & die hodierno ueſtigia apparent, & dicitur Buchonia Buſacterorum, ſi fidem adhibere uelis. Dicitur autem Friſia à Friſo Clodionis filio regis Francorum, ut Abbas Spanheimius ex Hunibaldo probat. Ptolemęus, κατέχουσι δὲ τῆς γερμανίας τῆς μὲν παρὰ τὸν ῥῆνον ποταμὸν ἀρχομένης ἀπ' ἄρκτων οἵ τε βουσάκτοροι. id eſt, Tenent autem Germaniam ad Rhenum fluuium à Septentrione incipientes Buſactori. Et idem: Iuxta Buſacteros Friſi ſunt uſq; ad Amaſum fluuiū. Ex quo plures illos nō Friſos eſſe uolunt, niſi quòd Ptolemæus addit: Minores autem gentes quæ inter Cauchos paruos atq; Sueuos iacent, Buſactori ſunt.

Breuci. BREVCI populi Alpini referente Plinio libro 3, capite 19. & ab Auguſto uincebantur, ut & Strabo teſtatur lib. 4. Dicuntur autem ſecundum cæteros populi Noricorum. Sunt & Bruni populi apud Plinium Alpini libro 3, capite 26. per quos Saus fluit. Ego hos Brunos et Breucos eſſe auguror Vngaros, Ptolemęus ubi de Pānonia inferiori loquitur: ἀρκτικώτατοι ἀυαρίσκοι ἤ τε βρεῦκοι ἐν τοῖς ἀνατολικοῖς. id eſt, Septentrionales Auariſci ſunt Breuci orientales.

Blauus fons. BLAVBYREN Blauus fons dicitur, à quo nomē habet in Sueuia prædium ibidem monaſterium.

Babenberg. BAMBVRGVM ſiue Babenberga à Ptolemæo libro 2, capite 1, tabula 4. Gramonarium dicitur, à Baba filia Ottonis nomen accepit. Hanc urbem Pauonis uocat Gotfridus Viterbienſis, cuius illa carmina ſunt:

Tramaricus fluuius uulgo Radiantia dictus,

Montis

Montis Pauonis urbis amœna colit.
Nomine mutato mons Babenberga uocatur,
Montis ab urbe tamen culmina clerus habet.

Hanc ciuitatem Baba, ut dixi, erexit, episcopatum Henricus II. anno 1006. ut Lupoldus ait cap. 9. de zelo in honorem S. Petri & Pauli Apostolorum & Georgij Martyris auspicatus est. Hunc prædijs multis ditauit, ut Otto Frisingensis libro sexto, Platina in uita Benedicti 8 & alij ferunt. Inde, ut Lupoldus ibidē asserit, S. Stephani illic collegium, & monasteriū S. Benedicti orsus est. Hæc omnia in historia Francorum, & in supplementis Eusebij, in Gotfrido Viterbiensi concluduntur. Henricus quoq; II. de cruce, & parte clauis Dominicæ passionis, & alia Babenbergensibus commisit, testante Lupoldo capite 12. Berengarius anno 963. ab Ottone captus, illic delituit. Henricus quoq; cum Kungunda sepulti sunt in Babenberga, miraculis coruscāt, ut Sigeberto Genblacensi, & Lupoldo capite 5 placet. Hanc ciuitatem inde ampliauit Albertus tempore Ludouici. Illic gladium esse contendunt, quo Malcho Petrus aurem abscidit. Celtes de ea libro tertio Odarum sic:

Iane Bamberga genitus uetusta,
Quæ fuit quondam ambitiosa sedes
Cæsarum, Regnesus ubi subintrat
Gurgite Mœnum.

Primus illic episcopus fuit Eberhardus: Benedictus papa ecclesiam consecrauit, ut ait Genblacensis: multa Volaterranus libro 7. Illic Albertus comes ab Hattone insidijs proditus est Ludouico imperatori: illicq; Philippus rex cōtra Ottonem IIII. bellum mouens, ab Ottone Palatino proditus est.

BETHASII ut ait Marlianus, inter Celtas, proximi Caninefatibus, Tungris & Marsacis, Traiectensibus, ad utrāq; Mosæ ripā cis Rhenum siti sunt in diœcesi Leodiensi, de his enarrator Ptolemæi cum Marliano & alijs. *Bethasij.*

BAccharacum Rhenana ciuitas sub Palatini ditione. Rudolfus Agricola optimum ibi uinum nasci scribit, unde se putare à Baccho dictum, teutonicè Baccharach. Paruit olim episcopo Coloniēsi, uerùm anno Domini 1189, Cunrado Palatino Rheni addictum est. *Baccharacum.*

BAtaui inferioris Germaniæ populi. Plinius libro 4, capite 15. eos Butauos dixit. Hermolaus & Ptolemęus Batauos uocant. Marlianus illos à Cattis ortos asserit, & à Transrhenanis, Cerusis & Ligijs Pannoniæ populis, & ultra Hercynium sedisse, domestica tamē seditione pulsis, insulam illam occupasse. Hæc ex Cornelio Marlianus. Plutarchus in Ottone Batauos nobilissimos ait equites hanc insulam habitare. Aeneas Syluius palustrem & pascuosam regionem Batauam putat esse, & ab Oriente Frisiam, à Meridie Vuestualiam, à Septentrione Oceanum habere: eorum insulam Batuam uocat Petrus Marsus. Aeneas duas ciuitates enumerat præcipuas, Dordracensem & Brielensem, ambas mercatoribus aptas in Holandia. Sunt autem Holandi Bataui, non tantùm hi Holandi, qui incolunt mare Baltheum, aut Daniam, ut Marlianus ait. Hi à cauitate, ut ita loquar, aquarum dicuntur Holandi. Quod Volaterranus uult, & Celtes illo uersiculo in Amoribus dixit: *Bataui.* *Holandi.*

— Illicq; Bataui,
Hollandiq; cauis habitant ubi littora terris
Suspensi dubio per freta sæua metu.

Videtur igitur Tortelius optimè Bathauos per th scripsisse, & à Græco βαθὺ, id est profundo deducere, concordat Græca uox Germanico rigori, Holand.

De Spuma Bataua libro secundo, in fine disputauimus apud Martialem. Quid autem Auris Bataua sit, enarratores eiusdem, melius tamen Erasmus enodauit. Nec desunt, qui appellationem Batauæ in Gelrenses referant, & hac coniectura nituntur. Vestigium enim huius in Gelria dicunt respondere ex loco Bedaue dicto. receptior tamen sententia illorum est, qui Græcum uocabulum Batauiam putant, à βαθὺ, & in Hollandos reijciunt. Corripit autem uel producit penultimam Batauia. Iuuenalis:

Hic petit Euphratem iuuenis domitosq; Batauos.

Et Sillius libro secundo:

Iam puer auricomo performidate Batauo.

Lucanus:

Vangiones Batauiq; truces.

Mantuanus produxit:

— Tardat mora nulla Batauos.

Enarrator Ptolemæi eos octoginta mil. pas. ab Oceano distare, diœcesis Traiectensis, proximos Frisiis dixit. Tacitus præcipuos uirtute omnium Rhenensium esse scribit. Ex illa insula hi legati fuerunt, quos solos Pompeius apud Tacitum fide & bello omnibus præstare testatus est: ex illa insula columen & tuba totius Germaniæ, Erasmus noster Roterodamus prodijt.

Bonna. BOnna oppidum ad interiores Rheni ripas situm est, Coloniæ & Confluentiæ proximum, & Belgis adscribendum cõuincit Marlianus. Hoc oppidum obtinuit Batauorum princeps Herennius Gallus, ut Tacitus libro 20 Hist. & Peutinger scribunt, & idem Tacitus libro decimonono Hist. Ptolem. lib. β. βόννα appellat, Antoninus Pius uerò Bonnam.

Burgundia. BVrgundiæ eo libentiùs uolo mentionem facere, quia Germanos Plinius libro 4, capite 14 dixit. Hos è Scandia uenisse recepta persuasio obtinuit, & inter Galliam Germaniam inde ultra Rhodanum & Rhenum profectos Burgos condidisse, à quibus dicti sunt. Postea à Clodoueo rege Franciæ subiugabãtur, ut Michael Ricius collegit. Tempore inde Felicis III. regnum eorum in ducatum cessit. Alij illos Romanos fuisse uolunt. Cæsar in Comment. hos Heduos et Sequanos indicat. Peutinger ipsos Frãcos expulisse primitus, et sedem posuisse refert apud Heduos & Lingonas, Cabilonenses Blondus à Germanis Burgundiones ortos asserit. Orosius lib. septimo, Paulus Diaconus & alij multa de ortu eorum adduxerunt.

Buri. BVri tergora Marcomãnorum & Quadorum claudere, & sermone Sueuos esse Tacitus æstimat. Iulius Capitolinus istos Bureos uocat, in uita Antonini Pij. Ptolemæus ad Istulam ponit, ait enim libro β. Buri sunt usq; ad caput Vistulæ fluuij: quare Poloni esse coniectantur.

Brandenburgenses. BRandenburgenses Saxoniæ olim populi fuerunt, ut ait Syluius, & nos lib. 3 diximus duo Marchionatus sunt, nouum & ueterem Albis fluuius intersecat, ubi Gardileuum, Soltueldium & Osterburgum ciuitates uidentur: multa Aeneas Syluius. Est & Hamburgum pontificalis ciuitas. De illis Volaterranus lib. 7. Francus Francorum rex primus in hac regione quondam consedit, quæ habet ab Oriẽte Sarmatas, à Meridie Slauos Bohemiæ, ab Occidente Saxoniam & Teutonas, ab Aquilone Cimbros, ut Hunibaldus ait. Abbas Spanheimius Brandẽburg esse elicit. Hi dicti sunt Marcomeri à Marcomero, & inde ab eius filio Brandone, qui & Brandenburg condidit, Brandenburgenses. Hæc Abbas Spanheimius ex Hunibaldo elicit. A' Ptolemæo Seligni Senones Pharodini appellantur.

Bellouaci. BEllouacos omnium Gallorum Cæsar libro 2 uocat præstantissimos, unde

Cimbri

Cimbri totam Galliam uaſtabant,præter hos,ut libro 6 probaui. Quod & Marlianus ac Strabo libro 4 indicauerunt. Oroſius libro 6.50 millia illos contra Cæſarem ait miſiſſe. Strabo Belloacos,, Cæſar tamen, Liuius, & ſupra Liuium Florus libro 113, Eutropius libro 6, Marlianus, Oroſius, & alij Bellouacos eos appellant. Memini apud Plinium libro 4, capite 17 & Bellouacos legere. Sunt autem Menapijs proximi ad Oceanum, referente Strabone libro quarto. Marlianus in prouincia Rhenenſi, in Francia eos habitare ſcribit, & urbem epiſcopalem incolere. Ptolemæus libro 2, capite 8, tab. 3, Cæſaromagum Bellouaci ciuitatem nominat. Oroſius libro 6, capite 7, cæteros uirtute & prǽſtantia eos anteire dixit. Galli eorum lingua eos Beauuois uocabant.

BIRCHANIS locus Germaniæ quem Druſus cepit, ſemper Romanis infeſtus, ſæpius captus, ſemper deſciuit, demum ſedes illic ciues reliquerunt, ut placet Straboni libro 7. Hermolaus Burchaim dixit ex ſentẽtia Strabonis. Plinius libro 4, capite 13, Burchanam fabariam nominauit. Eſt autem regio poſt Codoneum & Cimbros, ut Plinius ait, Zacharias Lilius in mari Germanico hanc ſitam, & à frugibus dictam conuincit. *Birchanis.*

Bingiam, Bingen, nunc Pingiam Belgarum oppidum & Germaniæ, inter Moguntiam & Confluentiam cis Rhenum eius ripis finitimum, aiunt Marlianus & enarrator Ptolemæi. De illa ciuitate Cornelius in libro Hiſto. Cœnobium non longè ab hac S. Ruperti Hildegardis regina erexit, ut Annales Argentinenſium dicunt. Huius urbis meminit Antoninus Pius in Itinerario. *Bingia.*

Briſachum, Briſach, caſtellum Briſgaugię, cuius Sigebertus Genblacenſis, & Briſaci montis Antoninus Pius meminerunt. Otto libro 6, capite 1 Chronicorum Breſacum dixit. Annales Suitenſium & Iacobus Spiegel Briſ-gum, Picus tamen Mirandulæ comes Briſacum. Olim hoc oppidum Harenlingorum, neſcio quorum, fuit, ut Genblacẽſi placet. Ego Zeringorum aſſererem. Illic Eberhardus tempore Henrici & Ottonis primi anno Incarnationis 1040, occidebatur, obſeſſus ab Ottone rege. Arx ibi à Bertholdo de Zeringen conſtructa eſt, ut Annales Suitenſium dicunt. Otto uerò Friſingenſis ab Henrico caſtrum ibi, ut aſylum pauperum, conſtitutum eſſe teſtatur, libro ſexto, capite decimonono, & libro ſeptimo, capite ultimo. Chronica Suitenſium Briſachum per regem Franciæ fuiſſe captum, Ottonem autem regem Franciæ fugaſſe uſque ad Lucetias, & illam prouinciam Alſatiæ duci Friburgenſi, ſcilicet ducibus de Zeringen, tradidiſſe. Inde ad comites de Habſpurg deueniſſe aſſerunt, & ad domum Auſtrię. Illic Rhenus prǽterlabitur: oppidum illud in monte ſitum, quod Picus in carmine de Cruce ſic expreſsit: *Briſachum.*

Vorticibus magnis contingit tecta Briſachi.

Bituriges populi Gallię metropolis, ubi eſt Turo Aquitanię pars. Soli hi, ut ait Hermol. Barbarus, indigenæ ſunt inter Aquitanos: illic S. Vrſinus epiſcop. migrauit ad cœlũ, hos S. Auſtragiſillus conuertit, ut Ptol. enarrator aſſerit. Hos Bituriges uocat Cæſar in Comment. belli Gallici, & Ptolemæus libro 2, capite 6, tab. 3. eiuſque enarrator. Hermolaus Barbarus Bituriges uel Bituros dici conuincit. Plinius lib. 4, capite 19, cognomine ipſos Sexignatios dixit, Vbiſcos Ptolemæus. Βίτουριγες enim inquit, οὐβίσκοι. Strabo libro quarto, Bituriges Loſcos dictos perhibet; meminit horum Plinius. *Bituriges.*

Berna ciuitas Heluetiorum poſt Friburgum anno 14 condita eſt, ut teſtantur eorũ Annales. Sunt qui hanc urbẽ Arctopolim uocãt, ἀπὸ τῆς ἄρκτου, id eſt, ab Vrſa. Annales uerò Suitenſium probatiſsimi anno Domini 1036 aiunt Bertholdũ fugato rege Francorum ab Ottone, Suitẽſium tellurem in ditionem accepiſſe, ratione coniugis eius, itaque anno prædicto 14, poſtquam Friburgum Otlandiæ ciuitatẽ condidit, Bernam extruxiſſe. Illic prudentiſsimus ſenatus ab omnibus *Berna.*

est appellatus. Huius ciuitatis meminit Aeneas Syluius, & multa in bello posse indicat, quod & in propatulo est. Illic Prædicatores ante paucos annos de Hæresi conuicti comburebantur, quorum Faber Stapulensis theologus in translatione sua meminit. Est & alia ciuitas Italię Verona dicta in Italia, à Theoderico rege Gotthorum, quæ ciuitas à Gallis Senonibus condita est, ut Polycrates, Iustinus, Peutinger, Blondus & Iacobus Carmelitanus scribunt.

Verona.

Baden. BADEN, latinè Thermæ inferiores, oppidum inter montes situm, à balneis ibi dictum: de illo oppido ita Philippus Beroaldus in una epistola scribit: Quid referam ciuitatem inclitam inter latissimæ Germaniæ ciuitates, haud longè à Rheno sitam, duarum artium munitissimam, his propè inexpugnabilis conspicitur: illic thermæ sunt salutares. Ibi literis penè exoletis scriptum est, Antoninum imperatorem urbis conditorem extitisse. Hæc Beroaldus. Sunt ibi balnea opinione & præstantia reliquis thermis pręferenda, quæ à M. Aurelio Antonino anno Domini 126, secundum alios citra uel ultra inuenta sunt. Huius urbis meminerunt Volaterranus libro 7 Comment. & Nauclerus, semel obsessa per Argentinenses Baden fertur, sed non expugnata.

Boij. BOij populi à Cæsare libro 1, Orosio, Celte, similiter Ammiano Marcellino, Iornande, Strabone, & Paulo Diacono referuntur. Boioarios Peutinger & Aeneas uocant, nos Bauaros. Aeneas hanc prouinciam primò ait Noricos inhabitasse, alij ab Auaris Vngaris dictos uolunt, ut Rosuita monialis, quæ Ottonis uitam scripsit, & addita litera b, Bauaros nuncupatos. Alij à Boijs gentibus Galliæ: hoc Aeneas negat: uerùm maiori indagine utar. Marlianus scribit Boios Cęsarem uicisse, & locasse ad alia loca. Sabellicus quoque libro 5 Ennea. 6. qui olim Boij dicti sunt à Cęsare uicti, nunc Bauari dicuntur, unde & hodierno die Boios dictos inuenio, ut Celtes quoque Boios uocat illos, quos nos Bauaros appellamus, & Cæsar libro 1. Noricorum agros Boios uastasse indicat, & illuc consedisse. Quid ergo dubitãdum in eo est, à Boijs uenisse Bauaros. Audiamus Cornelium Tacitum in Germania ita scribentem. Inter Hercyniam syluã, Rhenum & Mœnum amnes Heluetij, ulteriora Boij, Gallica utraque gens tenuère. Manet adhuc Bohemi uestigium, signatque loci ueterem memoriam, quamuis mutatis cultoribus. Hæc Cornelius. Ex cuius uerbis habeo, olim Boios ubi nunc Bohemi sunt, fuisse, quod maioris admiratiõis loco recensetur, quàm Bauaros à Boijs uenisse, quia mutatis, inquit, sedibus & uestigium ibi remanere. Nec & magna ibi distantia: Occidentem enim Bauari tenent, ut Aeneas ait. Annales Argentinensium non pœnitendi ab Armenis Bauaros deuenisse asserunt: alijs id remitto. Habet autem Bauaria ad unam partem Francos, ad Meridiem alpes Italiæ, ad Occidentẽ Sueuiam, ad Austrũ Bohemos, ait Iacobus Carmelitanus. Illic Danubius & Lycus diuidũt Sueuos à Bauaris. Quinque episcopatib. numeratur illa regio ab Aenea, & ornamẽta Ecclesię pulcherrima seposita sunt in Bauaria, quæ olim tẽpore Henrici Arnulfus destruxit crudeliter. Diffusiora illis apud Ottonem lib. 6, cap. 18 Chronicorum extant. Tempore Theodonis Christiana lege Bauaria imbuta est, ductu Ruperti episcopi Saltzburgensis.

Boioarij.

Bauariæ episcopatus quot.

Bursfeldt. BVrsfelt in Saxonia monasterium, à Gertrude ac Henrico de Northeim conditum est, ait Hermannus.

Billikaim. BIllikaimense monialium monasterium inter Neccharum & Odenuualt, ab Ernesto de Hirsperg erectum est, ut Annales eorum loquuntur.

Bericum. BEricum Hassię monasterium supra auriferam à monialibus inhabitatur, ubi crux ex terra creuit.

Bellumpratũ. BEllumpratum monasterium in Lotharingia, Simon Lotharingiæ dux anno Domini 1125 indictione Romana undecima, tertio Idus Iunij, in die Ascensionis condidit, ordinis Cisterciensis.

BVDO-

Budonis monasterium.

BVDONIS monasterium, Bodo episcopus Tullensis in honorem B. Virginis fundamentis ornatißimis iecit.

Bederau.

BEderau monasterium Hasśię inter Fuldam & Ederam, non procul à Cassula, ubi Fulda & Vuerra confluunt, ab Vuernhero anno Domini 1120. erectore, aut latitudine prati dictum, à comitibus Gelrensibus conditum est. Primus Abbas B. Henricus ferebatur.

Bohemia.

BOhemia Germaniæ regnum est, ut libro primo indicauimus, à Bohemo rege dictum fuerat, ut uolumine 3 adduximus, tota penè flatibus Aquilonis exposita, Albi, Aegra & Multauia fluminibus irrigua, opulentißima arboribus et pecudibus, ut Lilius ait. Hermolaus Bohemos legi putat deberi apud Pomponium Melam, lib. 3. & apud Cornelium Tacitum. Ego utrunque legi non nefas esse puto, licet Cornelius magnam uicinitatē inter Boios & Bohemos tradat. Ptolemæus illos Bemos uocat, καὶ ἡ λοῦνα ὕλη, ὑφ᾽ ἣν μέγα ἔθνος οἱ Βαῖμοι μέχρι τοῦ Δανουβίου: Et Luna sylua est, super quam gens Bęmi sunt usque ad Danubium. Quibus uerbis & Bohemos olim in sedibus Bauarorū consedisse innuit. Nazarius Mamertinus in lib. ad Maximianum Bohemorum meminit. Plura diligens lector apud Volaterranū libro septimo Comment. & Platinam in uita Ioannis 22. reperiet. Aeneas Syluius quinque uolumina rerum Bohemicarum cōscripsit. Fuit regio illa hæresi Hussitana infecta, de qua epistolam propriā Poggius Florentinus scripsit, qui interfuit eorum concioni. Primos præterea habitatores Bohemiæ & quæ requirebantur ad huius lineæ cognitionem, libro 1 & 3 collegimus.

Braga.

BRaga Bohemiæ metropolis, & totius Germaniæ urbs maxima, ut placet Aeneæ. Hanc urbem Primislaus primus Bohemiæ dux condidit. Libussa uxor eius quærebat quid ageret? & ciuitati nomen dedit, illud enim penes eos Braga sonat. Hanc urbem Multauia fluuius intersecat, nunc episcopalis urbs, olim sub Ratisponensi diœcesi comprehensa: coluntur nūc quatuor religiones illic corruptißimæ. Celtes poeta propriū carmen de ea conscripsit lib. Carm. Od. 27,

Visa non urbs est meliore cœlo,
Fertili gleba tua Braga cincta est.
Explicat septem hæc spaciosa colles,
Quam rapax scindit fluuius per Albim
Ambitu murorum, imitata magnæ mœnia Romæ
Exiens, nomen socios petentes fluctibus æquor.

Ptolemæus urbem hanc libro β. capite quarto, tabula 4, Casturgim nominat.

Brunsuigum.

BRunsuigum nobilißimū oppidū, à duobus fratrib. Brunone ac Theod, ab alijs Theomaro dicto, Lutolphi ducis Sax. filijs cōditum, Salut. año 861, ut eorū historicus Herman. testatur. Monasteriū illic in honorem S. Egidij año Dñi 1113. Gertrudis condidit, & à Treueri S. Auctorem detulit peracto prælio. Cætera de ducibus & eius ecclesijs lib. 3 diximus: à Ptolemæo Tubisurgium dicitur.

BVritium à Ptolemæo Sundis est, Sund nuncupatur.

Balbrun.

BAlbrun ciuitas à Prolemæo Tuderium nominatur.

BRegetium ab eodem Presspurg appellatur.

Brabantia.

BRabantia amœnißima ac potentißima prouincia Germaniæ, habet ad Occasum Flandriā, ad Austrum Galliā, ad Ortum Gelriam, ad Aquilonē Hollandiam: nobilißimas ciuitates tenet, Traiectum, Bruxellam, Bergam, Mechelinum, Antuuerpiam, cætera libro tertio diximus.

Buda.

BVda urbs Vngariæ regia sedes apud Danubiū sita, habet ab Oriente Mœsiam, ab Occidente Noricos, à Septentrione Danubium, ad Austrum montes Illyricos. Hanc ciuitatem Ptolemeus libro secundo, capite decimoquinto, tabula quinta, Curtam uocat, κούρταν: illic Paulus Eremita ossa sua condidit: ut au-

Cura.

tem doctioribus persuasum est, Buda à Ptolemæo Salmum dicitur, non Curta.

Brun. BRun Arsicuam uocat Ptolemæus libro secũdo, capite decimo, tab. quarta, apud Morauos.

Bremen. BRemen à Ptolemæo Fabiramum dicitur, urbs Vuestualię episcopalis, quæ ab Hamburgensibus huc translata est: primus episcopus fuit S. Anscarius.

S. Blasius. S. BLasij monasterium in Hercynio fundatũ est anno 1084, ut Annales Argentinensium asserunt.

Basanburg. BAsanburg castellum supra Mosam instructum est à rege Basano Francorũ, à quo & nomen habet, ut ex Hunibaldo Abbas Spanheimius probat.

Brũtes hofen. BRunteshofen monasterium uirginum in Saxonia, ordinis S. Benedicti, à Nicolao primo pontifice & Lutolpho duce Saxoniæ conditum est, ut eorum Annales habent.

Ballenstat. BAllenstat Halberstadiensis diœcesis monasterium exordiebatur Otto, situm est in Saxonia. Hæc ex eorum Annalibus.

DE LITERA C.

Cassula. CASSVLA Cassel urbs Hassiæ dicta quasi castellum: olim enim tantum illic arcem extitisse uolunt, Fulda, Ana & Trusula fluminibus irrigua. Illic lilium aureum è Roma per Lantgrauium delatum uidetur. Nũcupatur autem ciuitas illa à Ptolemæo Stereontium. Mons Cucullæ Cuttenberg.

Capella. CApella monasterium Hassiæ Cistercienſium ordinis, tria miliaria distans à Bederau, sic à Cardinali quodam appellata.

Calb. CAlb oppidum Sueuiæ, ducibus Vuirtenbergensibus subiectum, olim proprios comites habuit, & antiquissimos, ut Erlafridus comes, qui hoc oppidũ incoluit, anno Domini 838, temporibus Ludouici Pij, qui cum Nottungo Vercellensi episcopo Hirsaugiam monasterium erexit, cui Erlafridus filius successit. Longo inde temporis interuallo, Adelbertus comes de Calb uiguit, qui monasterium Sindelfingense condidit, cuius neptis Vuelphoni ultimo nupsit, uxor eius Vuilia uocabatur. Habuit ille Adelbertus Brunonem, Adelbertum & Gotfridum filios, qui Palatinus erat Tubingensis: filias uerò Vtam & Hirmegarden.

Cliuensis ducatus. CLiuensis ciuitas inferioris germaniæ, Cleff, olim inter Sycambros numerata, nunc ducatus, quem erexit Sigismundus Imperator, & primum ducem fecit Adolfum.

Küngsfelt. CAmpum Regis condidit Richardis soror Vuilhelmi regis Romanorum de Hollandia.

Constantia. COnstantia Costentz, Sueuiæ urbs, à Constantino Magni Constantini auo dicta est, ut Leonhardo Aretino uidetur, qui eam muro cinxit. Secus Picus illo carmine introduxit:

Quos Constantini proles oriente subacto
Occiduas repetens stellanti murice terras
Condidit, & proprio signauit nomine.

Vbi Picus à Constantini filio hanc auspicatam dixit. Hæc urbs prius Vitudura nuncupata est, ut aiunt Aretinus & Antoninus Pius in Itinerario. Ptolemæus Gannodurum libro secundo, cap. 8. tab. tertia uocat. Est autẽ episcopatus plenissimus, illic S. Conradus olim episcopus claruit, illic S. Pelagius requiescit. Est & ara illic instructissima, qua nobilior & preciosior nõ reperitur. Hic Concilium fuit maximum anno 1414, de quo Platina in Ioãne, & Poggius Florentinus in Epistola ad Leonardum Aretinum. Est & tabula ibi antiquitatem præ se ferens, cuius Aretinus meminit. Hæc refertissima piscibus urbs est, ut libro octauo diximus. Diu insolentias Heluetiorum sustinuit, extra ciuitatem illius

lius S. Gebhardus confessor iuxtà & martyr ossa condidit, ubi 40 stadijs Heiligenberg locus nominatur, unde comites orti sunt de Vuerdenberg. Ibi & lacus Lemannus, cuius meminimus libro octauo, & libro primo. Hi autem qui circa lacum & Constantiam morabantur, antequam à Constantino restituta fuerat Constantia, Nantuates dicebantur ab antiquis, secundum aliquos Natuantes. Horum Peutinger & Strabo lib. quarto meminerunt. Marlianus Nantuates iuxta Heluetios esse & Sequanos scribit. Plinius lib. 3, cap. 19 nescio quid inferat, alpinas esse gentes. *Comitum de Vuerdenberg origo.*

CAleti populi iuxta Menapios ad Oceanum, ut Strabo libro quarto refert. Horum meminit Sabellicus libro quinto Ennei. sextę, Eutropius libro sexto. Hodie iuxta Rhenum sunt. Orosius libro sexto, capite septimo, Galetos per g dixit. Marlianus hos scribit Ambianis, Atrebatibus, Morinis & Oceano proximos. Meminit horum Plin. in 4. & lib. 19, cap. 1. *Caleti.*

CErusij Germaniæ populi apud Cæsarē in bello Gallico, proximi Hermonduris, Cattis & Ligijs, ait Tacitus: hos sylua Bacenis à Sueuis diuidit. Multa Eutropius libro sexto, & Orosius. *Cerusij.*

CHerusci à Celte & Cornelio dicebantur. Et sic Claudianus: *Cherusci.*

Quæq; domant Cattos immansuetosq; Cheruscos.

Strabo hos indigentia laborare dixit libro quarto. Cornelius olim hos laudauit ut bonos, nunc uerò ut malos incessit, eo quòd bellum inlacessiti semper nutriunt. Eusebius in Chronicis, ubi de Augusto mentionem facit, fortissimas gentes illas esse, quibus natura uires & consuetudo experiētiaq; dederit, Mantuanus ad Cæsarem:

Et inertia arantes Littora Cherruscos:

ubi primam produxit contra morem aliorum duplicando rr. Marlianus Cheruscos à Basilea usq; ad Bruxellam deducit, ibi non longè nostro tempore uestigium manet, inter Bruxellam & Heidelbergam Kreichgau, Celtes:

Heluetijs porrecta iugis dirisq; Cheruscis.

Vnde multi opinati sunt Cheruscos à Friburgo usq; Bruxellam, & ultra usq; Heidelbergam se extendere: uerùm hi omnes à meliori sententia aufugerunt, referente Claudiano:

— *Ingentem Albim liquêre Cherusci.*

Et prius probaui ex Cornelij sentētia Cheruscos Ligijs proximos, id est Vngaris, & Cattis, id est, Turingis esse. Voluit & Germaniæ unus præstantissimus incola, Cheruscos ab antiquo fuisse, partim Saxones, partim Marchianos antiquos: nec discrepant libri Cornelij nuper inuenti, & id mihi placet, cuius meminimus libro nono.

CArnutes apud Cæsarem legi, Strabo Carnutos uocat, & præstantissimas gentes libro 4. ad Ararim, & uersus Septentrionem Allobrogibus & Aruernis uicinas, & hi Galli sunt. Ptolemæus libro β πρὸς δὲ, inquit, σηκύανα καρνόνται, καὶ πόλις αὐτρικόν. Id est, Ad Sequanam uerò Carnontæ sunt, quorum ciuitas est Autricon. Galli eorum lingua Chartres appellant. Michael Ricius quoq; Carnutum oppidum allegat, & Orosius libro 6, capite 7. Marlianus Turonibus & Andegauensibus proximos eos ait. Tibullus elegia 7 de ea. Paulus Diaconus libr. quinto, capite 22 scribit Carnutum corruptè, nunc Carantanum dici. *Carnutes.*

CAruntí uerò Sarmatiæ populi, non Galli, alia gens, à Carnunto oppido dicti, ubi olim Germaniæ finis fuit, iam uerò Germaniæ adscribuntur. Plinius libro trigesimoseptimo, capite tertio, Centum autem mil. pas. abest à Carunto littus Pannoniæ, à quo à Germania succinum portatur. Idem Plinius libro quarto, Superiora, ait, inter Danubium & Hercyniū Caruntij tenēt, Germanorum *Carunti.*

ibi

ibi confinium. Plinius libro quarto, capite duodecimo, Carnuntes dixit, Hermolaus Barbarus Caruntios legit. Ptolemæus & Hieronymus in Chronicis triginta octo millia passi. à Sacarbantia, ut Antoninus ait, quæ media est inter Caruntum & Sabariam. Hæc ideo, ne Carnutes & Caruntes unam gentem, adeò diuersas putemus, illos Gallos, hos Sarmatas. Cornelius Tacitus ubi Sarmatię meminit, gentes Manuminorum allegat: uideant alij, an hos an alios uelit.

Cannefates. CAnnefates alij per ph scribunt, populi inferioris Germaniæ Rheni accolæ, ut placet Plinio lib. 4, capite 15. Marlianus iuxta Batauos ipsos ponit, in eadem insula & lingua & uirtute Batauis pares. Volaterranus libro 7 de illis. Tacitus in Historijs Caninefates, inquit, partē insulæ (intellige Batauorum) colunt origin, lingua pares Batauis, superantur numero, re uera & Holandi sunt.

Cracouia. CRacouia metropolis Poloniæ, ubi & regalis sedes est, dicta à Craco rege, Zechij successore, ait Aeneas. Craco enim arcem illic condidit: alij Gracchum Romanum uolunt, ut Coruinus illo carmine de Vistula:

Cæruleum caput à limosa rupe,
Regiæ celsus sinuosus urbis
Præterit murus, ubi Gracchus horum
Auctor, agresti statuisse fertur
Iura colono.

Dotata inde ab Vratislao: hic Vistula fluctus agit, illicq; S. Florinus sepultus est, maximum gymnasium uiget. Ptolemæus lib. secundo, hanc urbem nuncupat Corrodunum. Aeneas Polonici iuris ciuitatem illam esse scribit, trans Vistulam positam in solo Sarmatico. Mantuanus ad Cæsarem:

— Venient ad bella Croaci
Coruiniq; genus, si uera est fama, Valachi.

Catti. CAtti populi Germaniæ, de quibus Iulius Capitolinus in uita Antonini Cęsaris. Strabo libro septimo, indigentia eos laborare dixit. Cornelius in Hercynio saltu sedes tenere asserit, & nō palustrem regionem, Tenteris proximos. Enarrator Ptolemęi iuxta Ligios, id est Vngaros. Cornelius in Germania scribit Batauorum sedes olim transgressos Cattos, seditione domestica, ubi nunc Batauí teneant, & honorem ueteris consortij adhuc manere: quare non perperam scripserunt inferioris Germaniæ populos fuisse. Alij tamen Sueuorum gentes quasdam, ubi nunc est Herrenberg, sicuti ibi uestigium huius manere reperi, uerissimè dictos putant Cattos. Plura de illis Plinius libro 4, capite 15. Cornelius in Historijs scribit hos cum Hermonduris bellasse, & uictos fuisse, inde cū Cheruscis, Ampsuarios, Bructeros & Tenteros exegisse, ac uenundasse. Idem in alijs Histor. libris scribit, Cattos seditione domestica pulsos, insulam quam dixerunt Sitam occupasse, quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis à tergo, la teraq; conuoluit: nec opibus Romanis societateq; alijs astrictos, diu Germanicis bellis exercitatos. Vnus nuper expertissimus rerum Germanicarum Francos esse dicebat Cattos, nec absurdum mihi uidetur, si nec Hassi iuxta Celtis opinionem, sed Turingi dicerentur: uerùm tota eorum progenies desijt, ut alibi diximus.

Canimanni. CAnimanni inferioris Germaniæ populi iuxta Frisios partem Rheni Oceani attingentes, illic lacus uberrimi, paludibus & saltibus horrent, ut aiūt Marlianus, enarrator Ptolemæi, & Cornelius. Orosius lib. 6, cap. 7, Cecominos dixit.

Cenomanni. CEnomanni populi quos Cenanos Strabo libro septimo uocat, apud Breucos in alpibus sunt. De illis enarrator Ptolemæi: hîc S. Iulianus episcopus floruit. Horum meminit Orosius libro quarto, capite 19, ibi ab Hannibale uictos ipsos

ſos dixit. Marlianus Cenimagnorum meminit Anglico mari proximoru m. Pto lemæus libro β. πούζις ἐφεξῆς αὐλιόρκοι οἱ καὶ κενομάνοι, ὧν πόλις ὀυίνδινον: ubi Gallię populos dixit, cui ego aſſentior.

CATVRIGES populi alpini ab Auguſto uicti, ut Strabo libro 4. Plinius li- *Caturiges.* bro 3, capite 19. Ptolemæus & alij dicunt. Sunt autem Galli ultra Heluetios hodie, teutonice Saphoier dicũtur. Strabo poſt Salaſſos, Centrones & Caturiges, ait. Cæſar Caturigum meminit. Ptolemęus Caturgos uocat: multa Hermolaus. Antoninus Pius Caturcos uel Caturicos dixit, Cadurcos Galli Caros dicunt.

CEntrones Ptolemæus & Cæſar: Ceutrones tamen Strabo libro quarto, & *Centrones.* Plinius libro 11. Ceutroniam uocant regionem, unde caſei præſtantiores deferuntur. Antoninus Ceutronum, inquit, oppidum Tarantaſiæ eſt, per hos trans alpes in Galliam ex Italia commodè proficiſcitur, per iuga Pæonica. Cœlius, Liuio authore, Hannibalem per Centronum iuga profectum aſſerit. Hi autem reuera ſunt Galli Belgæ, ut ait Marlianus, ſub imperio Neruiorum, alij Gordiacenſes in Flandria eos probant, diœceſis Tornacenſis, ut uult Ptolemęi enarra tor, hic tamē Ceutrones ubi apud Gebennam eſſe aſſerit, & deinde ponit Cen *Locus enarrato Ptolemæo.* trones nunc nuncupari Gordiacenſes, deluſus cum neſcit Ceutrones ab alijs Centrones dici, authore Hermolao Barbaro, uel Tarantaſij ſunt, authore Antonino. Centrones uocant Galli, ſaitron au pais de Liege.

CAuchi populi iuxta Rhenum habitant, ut Plinius libro 4, capite 15 teſtatur. *Cauchi.* Marlianus apud Friſios Tranſrhenanos eos poſuit, Strabo lib. 7 ad Oceanum. Plinius quoq; libro 16, cap. 2, Oceanum eos degere probat, ut miſerrimos, & Oceanum ſæpè caſulas eorum ſecum uehere, ut nauale ipſis prælium plus cum ar boribus ſit. Cornelius & enarrator Ptolemæi iuxta Friſios. Ptolemæus libro 2, capite 8. Cauchos minores uſq; ad Viſurgum ſeſe extendere collegit, & Cauchos maiores ad Albim. Duas ideo Cauchorũ gentes ponit, ego uerò per Cau *Locus Ptolemæi.* chos Bructeros iuxta Ptolemęum intelligo: minores enim ad Viſurgum, maio res ad Albim ſe extendunt, authoribus pluribus. Hi ergo Cauchi, ut Tacitus libro 30 ſcribit, duce Gannaſto, qui Caninefas erat, poſt mortem Antiquini inferiorem Germaniam occurſauerunt. Horum etiam meminit Mantuanus ad Cæ ſarē. Cornelius immenſum ſpaciũ ipſos implere & tenere dixit, & populos Germaniæ nobiliſsimos, qui magnitudinem ſuam iuſticia malint tueri, ſine cupiditate, nulla bella prouocent, nullis raptis aut latrocinijs populantur. Illud præci puum uirtutis & uirium eorum argumentum eſt, quòd nihil per iniurias aſſequuntur. Hęc Cornelius. Plinius libro decimoſexto, capite ſecundo, miſeram gentem Cauchos tumulos poſsidere indicat, non pecudibus, non lacte ueſci, ſed terram ipſis cibum præbere. Horum Aelius Spartianus in uita Iuliani meminit, & iuxta Albim ipſos ponit. Tacitus in hiſto. ait, hos & Cattos debellaſſe, Bructeros, Tenteros & Ampſuarios, & ipſos uenundaſſe: ergo Cauchos maio res Saxones, minores Friſios.

COnfluentia oppidum Galliæ, Coblentz, inter Moguntiam & Coloniam, *Confluentia.* epiſcopo Treuerenſi paret, hic Moſella in Rhenum influit, ut ait Rudolfus Agricola, in una Epiſtola, ex eo dictam uolunt Confluentiam. Plura de illa ciuitate Otto libro primo de rebus Friderici capite uigeſimoſecundo, & enarrator Ptolemæi, & idem Otto libro quinto Chronicorum, Rhegino Prumienſis & Marcellinus libro decimoſexto, cuius hæc ſunt uerba, niſi quòd apud Confluentiam locum ita nominatum, ubi Moſella amnis Rheno infunditur. Meminit huius loci Antoninus Pius in Itinerario.

CEracates populi ſunt, ut Marlianus ait, apud Vangiones & Trebotes *Ceracates.* Tranſrhenani, de quibus & Tacitus. Alij Ciſrhenanos & ſyluam incolere, teu tonicè Odtenuualdt, dicunt. Plinius libro tertio, capite uigeſimoſexto Dalma

tiæ populos dixit. Tacitus illorum meminit libro Histor. decimonono: & quia nihil certi apud autores inuenire de ipsis possum, prætermittam.

Caresij. CAREsij populi numero & genere Germani, cis Rhenũ, proximi Eburonibus & Condrusis, Leodiensis diœcesis, Marlianus ait. De illis Cæsar, Orosius libro sexto, capite septimo, qui Cercesos ipsos nuncupant.

Carini. CArini Plinius libro quarto, capite 30. Ptolemæus Carithni libro secundo, capite decimo ait. Germani sunt, non longè à Rheno & Obnobijs montibus iuxta Vespos. Heluetiorum eremum esse, & septentrionalem Germaniæ partem habere, ait idem Ptolemæus, unde hos esse Sueuos uoluerunt iuxta Neccharum. Appianus Carinnos dixit, & ab Augusto uictos. Mantuanus ad Cæsarem Carithnos dixit. Ecce Carithnis quos furor armauit. Ego uerò Francos esse coniector, non sine summi uiri unius opinione.

Chætaori CHætaori populi apud Ptolemęum libro secundo, capite decimo, iuxta Danubium perhibentur, unde alij eos Austriæ populos esse uoluerunt, teutonicè Kemnat. Verba eius sunt, χαιτάωροι καὶ μέχρι τοῦ δανουβίου ποταμοῦ. Alij Vmbros superiores ipsos fuisse coniectantur.

Cheniteri. CHeniteri populi, Drusomagi à Ptolemęo libro secundo, capite undecimo, tab. quinta dicuntur, teutonicè Kempten, Græcè δρουσόμαγος. Meminit & huius loci Itinerarius Augustanus, alij Canipedum appellauerunt.

Catuaci. CAtuaci Neruijs, Caletis contermini, Veromandis, Condrusis proximi, Douacum urbem colunt, Atrebatensis diœcesis, ait enarrator Ptolemæi. Sabellicus libro quinto Ennea. sextæ nunc Siduacos dici asserit: uide Marlianum.

Clomburg. CHlomburg à Ptolemæo Rugium dicitur, ῥούγιον.

Coburg. CHoburga à Ptolemæo Molomabus libro secundo, cap. 1, tab. 4, μηλόμαβος.

Closternuenburg. CLosterneuenburg à Ptolemæo Claudonium lib. 2, cap. 13, tab. 5 dicitur, Græcè κλαυδόνιον, locus Austriæ.

Carinthia. CArinthia, Kernten, Ligurinus libro primo:

Atq; Carentinis populos quos collinat Austria campis.

Et idem libro septimo:

Quiq; Carintinis populus uersatur in oris.

Huius regionis meminerunt Aeneas & Volaterranus. Est autem sub ducibus Austriæ, habetq; ad Ortũ Carnos, ad Meridiem alpes, ad Aquilonem Stiriam, maximè montana regio, ut libro tertio Nonarij decimi Sabellicus infert.

Carcinites. CArcinites populi inter Peucinos & Bastarnas, olim Pannoniæ, ut ait Ptolemæus à Carcina oppido dicti. Plinius libro quarto, capite 12, Garcinites eos nominat, Hermolaus Barbarus testimonio Pomponij Melæ legit Carcinites, & ego authore Marcellino libro 22. Hecatæus urbem eorum Carcinitē dixit, Ptolemæus Carcinam, Pomponius Mela libro secundo, Gerram & Hiparim uno hostio hos attingere infert. Plura de illo Volaterranus adduxit.

Caici. CAici Germani comati sunt, accolæ Rheni, ego Bristiæ conterminos putarem esse, nisi forsitan alij Cauchos, de quibus dixi, uelint esse, quod tamen non temerè dicerem. Sulpitius hos Gaucos dici ait, nescio quos Lucanus libro 1,

Et uos crinigeros belloq; arcere Caicos.

Claudianus in Stilicone:

Vt iam trans fluuium non indicante Caico
Pascat Belga pecus.

Condrusi. COndrusi sunt genere & numero Germani. Cæsar libro sexto, inter Eburones & Treueros. Marlianus ait oppidum eorum Boium nuncupatũ, ad ripasq; Mosæ situm, ab Antonino Pio dictum, in ducatu Lucenburgensi, Leodiensis diœcesis uoluit: uide Orosium de illis.

CELLA

CELLA MONACHORVM Ettenheim monster, cōdita ab Vngero episcopo Argentinensi, ut in Testamētarijs Heddonis legitur, qui Ecclesiā illic B. Mariæ consecrauit. Heddo inde Habspurgensis comes episcopus Argentinensis 23. consentiente Pipino rege, monachos S. Benedicti huc transtulit. Primus abbas Haldolfus initiatus est, ubi dux mortuus, extructum 30 fratribus, inde adeò spoliabatur ab Ottone episcopo Argentinensi, ut uix duodecim fratres illic se sustentare potuerunt. *Cella monachorum.*

CLuniacense monasterium in fundo Burgundiæ, Masicensi pago, Guilielmus Pius dux Aquitaniæ inchoauit, & Bernonem primum abbatem constituit, inde Elbo comes illud ampliauit. Hæc Platina in uita Hadriani III. & Rhegino Prumiensis ac Hermannus Chronographus. *Cluniacense.*

COstobates populi Sarmatiæ sunt, ut Ammianus Marcellinus libro uigesimosecundo ait. Horum meminit Capitolinus in Pio Antonino, Eutropius & alij. Ptolemæus iuxta Sudinos eos habitare asserit, horum enim meminit libro 3 cum inquit: Super hos & Gylliones sunt, inde Cystobocos & transmontanos usque ad Peucinos montes. Illic & Ptolemæus τοὺς κυστοβώκους dixit Cystobocos in secunda declinatione. Quidam eos Castrenses fuisse indicauerunt. Sunt & Sarmatiæ populi multi, ut usq; ad Alanos καρίωνες. Sunt apud Ptolemæum & Cariotæ, Carbones, & alij. *Costobates.*

CAmburg monasterium S. Benedicti Conradus rex fundauit, alij tamen à comite de Rotenburg id conditum aiunt. Monachi monasterium reliquerunt, ut Nauclerus asserit, anno 1489. & per Innocentium octauum in canonicos seculares euaserunt. *Camburg.*

CVria Hugonis Haug in dem Vuilertal, quam Albertus Auentinorū comes condidit, ut eorum Annales uolunt: sunt illic antiquitates pulcherrimæ. *Curia Hugonis.*

COrbeiam monasterium iussu Lotharij S. Anscarius primus episcopus Bremensis struxit, prius in Hamburgo sub Colonia continebatur. *Corbeia.*

CLingenminster monasterium olim diœcesis Spirensis nunc canonici regulares, erexit Dagobertus, ut habent eorum Annales. *Clingenminster.*

CReuchgaugia Rheno, Neccharo, Odenuualdo adscribitur, cuius accolæ non Cherusci dicuntur, ut plerisq; persuasum est. Hæc plaga olim proprijs comitibus moderabatur. Conradus II. hanc prouinciam in comitatum redegit, propter suos maiores, qui in oppido Brusella residebant. Hic nobilem quendam Fridericum huic comitatui præfecit, à quo Vuolfranius processit comes Kreuchgaugiēsis, & Zeiffholdus. Vuolframus recepta Zela cōiuge, filia Henrici III. Ioannem episcopum Spirensem 33. partu edidit, qui S. Germani ædem Spirensem locupletauit. Zeiffholdus uerò unica relicta filia Adelheida, eademq; Henrico Palatino addicta, comitatum imperio reliquit. Fridericus sui nominis secundus, Eppingum, Heidelsheim, Hermanno Marchioni Badensi reliquit, quæ oppida successu temporis inde ad Palatinatum Rheni deuenerunt. Brusella olim iuris Vuormaciensium per Conradum ducem Vuormaciensem Kreuchgaugijs restituta, à Ioanne episcopo & Conrado secundo Spirensi Ecclesiæ donabatur. *Creuchgaugia.*

CEnogium Labenberg siue Labenburg.

DE LITERA D.

DAlmatia pars Illyrij est, contermina Liburniæ, ut placet Zachariæ Lilio, duobus fluminibus irrigua Sauo & Drauo. Plinius libro tertio, capite uigesimosexto, eorum gentes perhibet Hercuniates, Tornacates, Tauriferos. Olim hæc Flauonia dicta est. Orosius libro primo, capite uigesimosexto, illam ab Oriente Macedoniam, ab Aquilone Dardaniam, à Septentrione Mæsiam, ab Occasu Istriam continere asserit. Dicta autem est à Dalmate, cuius meminit *Dalmatia.*

Berosus lib. 2 Historiarum, qui fuit filius Istri. Hos Carolus debellauit, referente Peutingero. Pollio quoque, ut Eusebius & alij testantur, Dalmatiam adortus est. Horat. lib. 2 Carminum, Oda 1:

Cui laurus æternos honores

Dalmatico peperit triumpho.

Strabo libro septimo, Ardeos, Plereos, Daorizos populos huius collegit.

Denodurum. DINODVRVM alij Denodurū, nūc Theonis uilla Metensis ciuitatis est, id est Belgarum locus, ut uidetur enarratori Ptolemæi, Cornelius Dinodurum oppidum esse Mediomatricum in Historijs conuincit, Rhegino Prumiensis Theonis uillam uocat. Antoninus tamen in Itinerario Diuodurū, & per u protulit, uerùm litera est deprauata.

Dornberg. DOrnberg à Ptolemæo Acmonia dicitur, libro tertio, capite octauo, tabula nona.

DOrstet Achantinopolis dicta est oppidum Sueuiæ.

Disiboldi. DIsiboldi siue Disiboti monasterium sanctus Disibotus condidit in loco prope Sobernheim, ubi Nabus & Glanus confluunt, ut Abbas Spanheimius indicat.

Dockenberg. DOckenberg à quadam muliere Docka appellatum, Chronica nostri temporis uulgata habent.

Durlach. DVrlachum oppidum Diœcesis Nemetensis in Marchionatu Badensi, dictum à turri, cuius magnus apud priscos honor fuit. Huius oppidi meminere abbas Vrspergensis & Cōradus Peutinger uir doctissimus supra Ligurinum. Hoc oppidum Fridericus secundus Marchioni Badensi Hermanno tradidit, ut Hermannus Chronographus, & quidam Annales Marchionum continent, & nos literas Friderici uidimus. In Historia præterea Friderici primi legimus, in prædicto oppido Conradum Friderici primi Cæsaris fratrem occisum ob adulterium, dum cōtra Bertholdum de Zeringen proficiscebatur. Rudolphus Habspurgēsis bellum in Marchionem mouens, Durlachum turrimque illic destruxit. Hæc ex Annalibus Argentinensium.

Digulones. DIgulones populi sunt Germaniæ, de quibus ita asserit Ptolemæus, αὐτὴν ἢ τὴν χερσόνησον ὑπὲρ μὲν τοὺς σάξονας Διγούλωνες. Id est, Ipsum autem Chersonnesum supra Saxones ad Occidentem Digulones habitant. Alij Holsacios esse, & optimè illos putauerunt.

Duglumi. DVglumi populi sunt secundum alios inferioris Germaniæ iuxta Longobardos. Nam Ptolemæus postquam de Longobardis & Angriuarijs agit, qui inter Cauchos & Sueuos habitabant, addit libro α. ὑφ' οὓς Δουγλοῦμοι: id est, supra hos Duglumi. Ego uerò Polonos esse facilè coniector, & non discrepant Ptolemæi uerba. Sunt enim iuxta Angriuarios, id est Brunsuigenses, & Cauchos, id est Saxones: uide Cornelium.

Monasterium apud Delegiā. Monasterium sancti Mauricij Treuerensis diœcesis, Priminius construxit apud Delegiam in Lotharingia, & sanctum Vuandalinum discipulum suum instituit abbatem.

DE LITERA E.

Etlingen. Phorce. ETLingiacum oppidum Rhenēse Marchioni Badensi militans, olim à Troianis conditum est. Phorcys enim Troianus, de quo Homerus, Phorcen ciuitatem condidit, & adiacentia prædia, inuento flumine [hic] Aenea, augurium putauit de nomine ducis sui Aeneæ, ut Capnion noster de Verbo Mirifico lib. primo ait, urbis fundamenta iecit. Hic inde & eius posteri proficiscentes duo miliaria, fluuium alium inuenerunt, iuxtà & pastorem, sciscitabantur quo fluuius ille nomine gauderet? quibus pastor Albæ cognomento dixit. Altero illic augurio delectatus, Phorcys, ducis sui Ascanij Aeneæ filij memor, qui Albam longam

longam condidit, operæprecium se facturum putabat, si ut Aeneę augurio monitus, ita nunc altero omine, filio suo uicem relaturus sit. Condidit ergo oppidum trans Albam eo longitudine maius, quo minus latitudine, & Albam longam dixit. Huius adhuc manet uestigium: longitudo enim oppidi belli tempore in latitudinem translata, & ad utramque ripam Albę oppidum porrectum est, maiorque pars murorum in bello contra Fridericum Palatinum demolita est à ciuibus. Idem Phorcys non longè ab Etlingen eodem nomine uillā Langen Alb exordiebatur, cuius Capnion noster meminit. Inde & laboris eius & Aeneæ memor, in montis uertice delubrum Neptuno constituit, unde ciuitas ab illis Posidonopolis dicta est, id est, Neptuni ciuitas. Simulachrum Neptuni nostro seculo publicè uidebatur, à quo ciuitas nomen sumpsit, ductu tamen imperatoris Maximiliani ablatum est: huic quoque rei templa & campana preciosa nunc apud Etlingenses testimonio ueniunt. Inde cum Romanorum ditioni urbs illa incubuit, Romano nomine Neptingen, à Neptuno dictum est. Facta autem orthodoxæ fidei obnoxia, templo & castro montis, teutonicè Burgstadel, funditus deletis, campana & alijs Ethnicorum monumentis religioni nostræ mandatis, nomen mutauit, & ne Christiana religione imbuta Ethnicum nomē retineret, pro Neptingen Etlingen dicta est mihi patria. Olim Vuissenburgensibus paruit, cuius uestigium hodie manet: illorum enim uectores liberrimi ab omni uectigali immunes, nihil pendunt, per Marchiones inde Badenses oppidum detractum est, quorum dominio adhuc gaudet. *Nep'ingen.*

EBurones uel Eburonenses, de quibus Cęsar libro sexto, Lucanus in primo, Eutropius libro sexto, Suetonius & Orosius in Iulio, Belgæ fuerunt. Marlianus hos numero & nomine in Germanos abiuisse dixit, apud syluam Ardennam, nunc Leodienses nuncupati, die Luiticher, proximi Sycambris, ad eos Aquilegia attinebat episcopalis, prouinciæ Coloniensis. *Eburones.*

ERstenheimium monasterium uirginum collegiatarum institutum anno 1310. tempore Adelachi episcopi Argentinensis 29. ab Hirmelgarde uxore Lotharij primi: huc Leo papa quintus S. Ceciliæ caput, & Iosephum suum misit: Abbatissa per discordiam electa, ut eligeretur, episcopo Mogūtino caput diuę Ceciliæ tradidit. Huc à Leone papa corpora Sixti, Felicis & Audacti martyrum transmittebantur. Iam diabolicam rem illic Hermannus & Iacobus Vuimfelingius increbuisse asserunt, nec ullam antiquæ religionis uestigium nostro æuo obtinuisse. *Erstenheim.*

ESlingiacum olim uilla, anno 1285. à Friderico II. muro circundata, imperio cessit, ut nostri Annales dicunt. Respondent illis Hermannus & Vrspergensis. Comes Vuirtenbergensis ipsam cinxit agmine, anno 1377. Verùm per imperiales ciuitates Sueuiæ occubuit: hanc urbem præterfluit Neccharus. *Eslingen.*

ERphordia corrupto uocabulo, integro Hercyniphordia dicta est, ab Hercynio, ut Celtes in Hercynio putat, alij à Frācis, & Clodoueo ex transitu cuiusdam Erphetis dictam uolunt. Ptolemæus Biturdium dixit libro 2, capite 4, tab. 4. Est autem Turingiæ ciuitas & caput, magnitudine non minor Colonia. Erphordiam nostri Annales conditam ferunt, tempore Theodosij imperatoris sub Arcadio & Honorico, & anno 400. molitorem iuxta flumen Geram, qui diuidit urbem, domum habuisse Erffa nomine: alijs remitto. Dagobertus ipsam ampliauit. Studium incepit illic anno 1392. Verùm plura incommoda sustulit, semel desijt, inde iterum renouabatur. In festo Geruasij 1472. incendio penè urbs illa perijt. Tempore Henrici III. bello maximè quassata est, semper cum ducibus Turingorum bella gessit, ius non minimum episcopus Moguntinus illic habuit, illicque S. Seueri & plurimorum diuorum ossa seponuntur. *Erphordia.*

ELegium Alsatię prędium, supra Alsam conditum, teutonicè Eel. Aliqui ab *Elegium.*

amne illic, YII, quem Alsam dicimus, dictum uolunt. Nouietensium uerò Annales ob misericordiam censent, ἀπὸ τῆ ἐλεῶν, id est, à miserando nomẽ sibi uendicasse, illic enim Maternus defunctus obijt, per Eucharium & Valerium ex potestate S. Petri suscitatus reuixit, arasq́ Mercurij fregit: adhuc uestigiũ ibi monstratur, ut in Odilia nostra libro primo scripsimus.

Ehenheimiũ. EHENHEIMIUM Henricus de Staleneck cõstruxit, ut Argentinenses Annales perhibent.

Euentum. EVentum, ut ait Marlianus, alij Auentum & Auenticum, ciuitas & caput est gentis Heluetiorum, teutonicè Habspurg, cuius comites olim Brisgauiam & Heluetiorum gentes plures in ditione retinuerunt. Rudolphus eorum comes rex declaratus, ut Sigeberto & Platinæ placet, toti comitatui præfuit, è cuius sanguine Maximilianus & cæteri principes Austriæ processerunt, sicuti Aeneas Syluius probat. Cornelius Tacitus in Hist. ubi posuit cõflictum Heluetiorũ & Cecinnæ. Heluetij, inquit, in Auentinum gentis suæ caput diuertunt. Gotfridus Viterbiensis olim urbem hanc ut Romam magnitudine, à Sueuis demolitam collegit his carminibus de Auentico:

Quæ fuit urbs grandis quondam uelut altera Roma
Marte Sueuorum perijt.

Vocabulo corrupto Heluetiorũ locũ illũ appellat Antoninus in Itinerario.

Eningia. ENingia insula iuxta sinum Codoneum & Istulam sita, olim à Sarmatis, Styris inhabitata. Plinius libro quarto, & Zacharias Lilius plura de illa adducunt.

Eberbergum. EBerburgum Abbatia, ut ita loquar, Bauariæ, quam constituit maritus Richardæ filiæ Henrici, de genere Vuelphonum, ubi & sepultus est.

Elumense monasterium. ELumense monasterium à Dagoberto constructum est, primus abbas S. Amandus nobilitatur.

Ecmundense monasterium. ECmundense monasterium in Hollandia, molitus est Adolbertus.

Eppingen. EPpingen ciuitas Creuchgauiæ, syluis, pabulis, Cerere Bacchoq́ refertissima. Hoc oppidum olim comitibus Creuchgauiensibus paruit, ut in eorum ditione annotauimus, inde à Friderico II. Marchioni Hermanno donatum est. Hodie Palatino subiugatur, decimas eorum Spirensi Ecclesiæ Henricus quartus contulit: hæc partim ex catalogo episcoporum Spirensium, partim ex Annalibus Marchionum Badensium.

Ettẽheimium. ETtenheimium monasterium condidit Augiæ Abbas Eto nomine, Argentinæ in episcopum consecratus, anno incarnationis Dominicæ 734. ut placet Sigeberto Genblacensi.

Eristallium. ERistallium locus est iuxta Aquisgranum, in ducatu Limburgensi. De illo loco iuniores uaria disseruerunt, ut Vrspergensis, & alij: Carolus enim sæpè illic Pascha celebrauit.

Ebracum. EBracum monasterium anno Salutis 1126. erectum ferunt.

Egra. EGra urbs à fluuio dicta est, à Ptolemæo Monosgada.

Eburum. EBurum à Ptolemæo Olmuntz nominatur.

DE LITERA F.

Francenbergum. FRANcenbergum urbs Hassiæ, tria miliaria à Marburgo distans, quam Carolus condidit. Illic aurifer Edera præterlabitur: haud procul etiam rotæ aquam per mõtem deducunt. Hanc urbem Eobanus poeta patriam nominat.

Friztlaris doctrina pacis. FRitzlaris, Friztlar, Latinè doctrina pacis dicta, episcopo Moguntino subiecta est, ubi S. Bonifacius morabatur, illicq́ S. Lullus obijt.

Fridberg. FRidbergum monasterium, Ludouicus Bauariæ dux frater Ottonis condidit, anno 1248. ob Mariam uxorem eius, quam suspicionis gratia capite in Suebischenuuerd priuauerat.

FRAN-

FRANCIA regio Germaniæ est, à Meridie Sueuis, ad ortum Bohemis, à Septentrione Turingis, ad Occasum Rheno & Hassis circumscripta. Sunt autem dicti Franci, secundum aliquos à Franco rege, ut Aeneas, Hunibaldus, & alij asserunt. Aliqui à ferocitate, secundū Hieronymum in suppl. Eusebij. Nam Valentinianus audita eorum terribilitate, magis feroces quàm liberos esse dixit Francos. Francorum meminerunt tantùm recentiores, ut fuerunt Trebellius Pollio in Claudio, Hieronymus in uita Hilarij, Nazarius Mamertinus, Pacatus, Iornandes, Vopiscus in Aureliano. Video tamen & scriptores eiusdem temporis alumnos non aliter Francos quàm Germanos dicere: audi Hieronymum in uita Hilarionis. Inter Saxoniam, inquit, & Alemanniam, terra non tā lata quàm ualida est, dicta Francia, nunc Germania. Simile, nisi fallor, apud Iornandē legimus, quod tantum Romanorum inuidia euenit. *Francia.*

FVlda monasterium in Buchonia sylua ordinis S. Benedicti, fundatum est tempore Bonifacij, ut scribit Abbas Spāheimius. Huius monasterij Rhegino, Hermannus & alij meminerunt. *Fulda.*

FRisingen ciuitas est episcopalis Bauariæ, ut Aeneas ait, illic B. Corbinianus in cella habitauit, à Gregorio episcopus factus, per Tridētinam uallem descendens, à Tassilone duce susceptus, montem Frisingensem occupauit, ibi Ecclesiam S. Benedicti construxit, & monasterium: locus ibi amœnissimus, Ysara & Ambra fluminibus interclusus. Hæc Otto Frisingensis illic episcopus libro 5, capite 25. Post mortem Ottonis episcopi ecclesia illic penè consumpta fuit igne, ut ait Radeuicus Canonicus de rebus Friderici libro primo, capite 13. Aeneas ecclesiam S. Corbiniani in monte sitam scribit, cuius radices lambeat Ysara. Multa ibidem de Ottone Chronographo. *Frisingen.*

FLandria olim Belgicæ Galliæ pars, differt per mare tātùm ab Anglia, quod triginta pass. latum est, ait Syluius. Sunt autem Oceano Septentrionali proximi Flandrenses, hos Ambianos nominauimus, alij & Morinos eos appellant, quos Maximilianus uicit, ut Iason & Politianus testātur. Illic preciosissimi panni conficiuntur, ait Zacharias Lilius. *Flandria.*

FOrchen locus est in Francia inter Norenbergam & Bambergam, ut placet Aeneæ. Genblacensis & Vrspergensis multa de illo protulerunt. Hîc Carolus Magnus sæpius Paschæ festum celebrauit. *Forchen.*

FAnesij in Oceano Septentrionali, quorum nuda corpora, teste Plinio libro quarto, pergrandes aures tegunt. Pomponius Mela hos uocat Satmalos, ut ait Zacharias Lilius. *Fanesij.*

FRancofordia dicitur, quasi Frācorum fort, id est uadum: illic enim, ut uoluit Michael Ricius libro primo De regibus Franciæ, à Francorum digressione nomen habet. Otto scribit Carolum Saxones debellantem, huc Francos deduxisse. Est autem nobilissimum totius Germaniæ & maximū emporium, illicq; imperator eligitur, ut testatur Aeneas. Guntherus hanc uocat Franconefurt, illic Mœnus fluuius, authore Celte, præterfluit: ibi Cōcilium anno Domini 794. à Carolo, ut Lupoldus cap. 11 ait, & ab Henrico II. anno 1007 celebrabatur. Celtes lib. 3 Odar. Francophoram illam appellat. Ligurinus lib. 1. Francofordiam: *Francofordia.*

— Rapido quæ proxima Mogo
Clara situ, populoq; frequens, uirisq; decora:
Sed rude nomen habet. nam Teutonus incola dixit:
Franconefurt liceat sermone Latino
Francorum dixisse uadum.

Hunibaldus Francum Francorum regem hanc urbem erexisse asserit, & eam ab eorum transitu dixisse; prius dicta fuit Helenopolis. De Francofor-

dia Entrandus quidam diaconus septem libros scripsit, quos in quodam monasterio uidimus.

Friburgum. FRIBVRGVM iuxta Hercynium nobile oppidum, riuos ducens per omnes plateas, à pulchritudine dictum, cuius laudes Celtes Odarum lib. 3. Eckius, & nuper Philippus Engendinus explicauerũt. Oppidum illud olim à ducibus de Zeringen constructum ferebatur ab Annalibus Suitensium, conditore Bertholdo, ad quem c. Venerabilem, de electis Innocentius III scripsit, qui & illic apud S. Petrum nõ longè à Friburgo sepultus est, inde duci paruit Zeringensi, donec facto tumultu per eorum ducem Egonem, anno Domini 1367. cum duce conflixerunt. Illic florentissimum Gymnasium, chorus marmore conflatus. Anno superiori penè coniuratorum insolentia urbs illa prodita fuit. Est & Friburgum Otlandię ciuitas, in Ychlandt, ab eodem Bertholdo conditum, postquam regis Arelatensis filiam sibi copulauit, anno 1091. Hãc nobilem Austriæ domus ciuitatem Aeneas Syluius uocauit: uerùm quia impossibilem pecuniam Austriæ dux Luduico Sabaudiensium duci debuit, ad Sabaudienses deuenit. Hęc Aeneas. Hodie Heluetiorum imperio subiugatur. Illic in una turri hæ antiquæ literæ inuentæ sunt, ut Nauclerus ait: *Friburgum in Otlandia.*

Dum bis sexcentis ter senis iungitur annus,
In Friburg moritur Bertholdus dux Alemannus.

Fossense monasterium. FOssense monasterium S. Benedicti in honorem S. Gertrudis, Fullanus fundauit, testante Spanheimio.

Fiscini. FIscini, alij Fistini, populi Marchionatus Badensis incolę putantur: meminit eorum Ptolemæus & Tacitus.

Francorũ uallis. FRancental ab alijs Francorum uallis dicta, uno nomine complectuntur duo monasteria, iuxta Vuormaciam, utriusq; sextus, quæ Erckenbertus Camerarius Dalburgẽsis cõdidit, anno Domini 1109. ductu Bugonis episcopi Vuormaciensis uicesimiquinti. Illic ferebatur primus præpositus Bertholdus Sprengenbergensis. Hæc ex eorum Annalibus.

DE LITERA G.

Geloni. GELoni Scythiæ populi apud Dionysium & Celtem, hodie Russanos putant. Hos Horatius libro quarto, Oda decimaquarta, in placitum genus æstimat, & libro secundo, in fine ultimos, & libro tertio, Oda quarta, pharetratos. Lucanus libro tertio, uolucres, ibidem & acres Gelonos dixit. Claudianus in primo ad Ruffinum:

Membraq; quæ ferro gaudent pinxisse Geloni.

Solinus capite uigesimoquarto ex hostium pellibus eos tegumenta ait formare ipsorum equis. De illis Eustathius supra Dionysium, Procopius, Volaterranus. Valerius Flaccus:

Victores patrium contra Pæana Geloni
Congeminant.

Vide Marcellinum libro uigesimosecundo. À Ptolemæo γελῶνοι dicuntur.

Gedulba. GEdulba, alij Gelduba, locus Germaniæ, inter Moguntiam & Coloniam iuxta Rhenum, ut Marlianus & enarrator Ptolemæi asserunt. Tacitus libro Historiar. 19. inducit Vocalem dicentem tot bellorum uictores apud Geldubam, idem illic Romanos perfidia habuisse refert, apud eundem hunc locum cepit. Meminit huius Antoninus Pius in Itinerario.

Geppingen. GEppingen comes de Stauffen condidit, ut Annales nostri temporis uulgares tradunt. Huius meminit Capnion in libro de Verbo Mirifico, fontem uide licet illic esse mirabilem saporis uinei.

GEPIDAE Pannoniæ inferioris populi, Sarmatiam uersus, non longè à Iazigibus. Celtes: Gepidæ.

– Gepidasq; petit Iazigesq; potentes.

Hi, ut Hieronymus ait, à Scandia uenerunt, ad Vngariam sederunt, ibi & hodie sunt. Reuera olim Gotthi fuerunt, qui duce Berich tribus tantùm nauibus ad Oceanum allati sunt, quarum una trium nauium quæ tardiùs ueniebat, nomen genti dedit. Nam lingua eorum Gepanda pigritiem significat. Hi inde cõmigrabant ad insulam quam uistula amnis circumdat, & Gepidam dixerunt, et inde ad meliores sedes se contulerunt: eorum insulam gens Vandalica nunc incolit. Rex Gepidarum nomine Fastidia Burgundiones deleuit, uictus inde à Gotthis obijt. Hæc ex Iornande Gottho habemus, & illuc consederunt.

GVgerini populi Germaniæ prope Rhenum, & Gedulbiani, ab alijs Eugerini dicti, Batauis proximi, Marlianus & enarrator Ptolemęi. Multa Tacitus, teutonicè Engern ducatus. Gugerini.

GEngen Ptolemæus Riusiauam uocat, oppidum Sueuiæ, Ptol. libro secundo, capite primo, tab. quarta, ῥιουσιάουα, & iuxta Danubium. Gengen.

GRoningen oppidum Frisiæ à Ptolemæo Phileum dicitur, maximè impugnatum illo seculo per ducem Saxoniæ. Hoc oppidum construxit Grunnus Anthenoris regis Francorum frater, & à suo nomine dixit, anno ante incarnationem Christi 377, ut Hunibaldus scribit. Groningen.

GRunes, ut Marlianus & enarrator Ptolemæi aiunt, inter Coloniam & Traiectum, ultra Nouesium oppidum Rheno adiacet, coniectura est Cliuem esse, Clef, unde Cliuensis ducatus dicitur: de illo Tacitus. Ego, ut dixi, Frisiam dicerem & Groningum ciuitatem, cuius uocabulum adhuc ueteris nominis sonum seruat. Grunes.

GVntium Vngariæ oppidum, à quo Gunthiaci prædones dicti sunt, qui Austriam populabantur, represi tamen per Fridericum Imper. Antoninus Pius Guntij meminit. Guntium.

GEngenbach oppidum Brisgauiæ. Illic monasterium unum inter excellentiora Germaniæ, olim à Priminio episcopo Argentinensi conditum, circa annum 724. ut placet Spanheimio. Nauclerus uerò Richardum Sueuiæ ducem & eius filium cum uxore Irmefreda fundasse refert cœnobium. Gengenbach.

S. GAlli monasterium Heluetiorum, ut Ottoni Frisingensi uidetur libro 5 Chron. S. Gallus qui in Sueuia & in territorio Cõstantiensi resedit, erexit. Nũc Almansuuyler, uel Almanshofen nominatur. Primus abbas illic S. Othmarus extitit, anno 759. Gualfredus de illo proprium uolumen scripsit. S. Gallus

GVttones Germani feruntur, apud Plinium libro quarto, cap. decimoquarto. Ptolemæus Gythones ait. Tacitus in Germania Gothones. Sunt autem populi iuxta Morauiam & Pannoniam. Alij Gotthos uolunt, uide Volaterranũ libro septimo. Dicti autem sunt à Gythone filio Herculis, cuius meminit Berosus libro secundo. Mantuanus ad Cæsarem: Guttones.

Hic uenit excrescens in magna corpora Gutto.

Guttones antiquitus Germanorum accolæ, sex millia stadiorum ab Oceano distabant, ut Pythias Græcus, & Plinius libro 37, capite secũdo asserunt. Iam autem Germani sunt, non longè à Prussia, alij Prussiæ gentes dixerunt. Meminit & illorum Cornelius Tacitus.

GEnsoriacus locus est Germaniæ inferioris apud Ptolemæũ, Pomponium & Plinium lib. quarto, capite decimoseptimo. Hermol. Barb. hunc locum in urbem translatum putat, quam Burgim dicimus, nouem mille passibus à mari distantem in portu nobili, quas Clusias uocant, Ioannes uerò Schonerus tractum hunc Gensoriaci.

hunc dici putat illum in Flandria, ubi in Angliam tenditur.

Gisenfelt. GIsenfelt monasterium Bauariæ, maritus Richardis filiæ Henrici, de genere Vuelphonum hærede destitutus, condidit, ut ait Vrspergensis.

Ge dei. GE Dei Gotzau, quam Barbarè dicimus Auua Dei, monasteriũ inter Rhenum & Albam, in diœcesi Spirensi, conditum à Bertholdo de Hennenberg comite, anno Domini 1064. Inde anno Salutis 1808. quarto nonas Nouemb. dedicata est Ecclesia ab episcopo Constantiensi Gebhardo. Primus Abbas Vuolpotto, inde Burkardus & Bruno referuntur.

Gandersheimium. GAndersheim monasterium uirginum in Saxonia Bruno dux condidit, filia inde Lutolphi Hadendis abbatissa huic præficitur, cui Gerbirga atq; Tistina

Gandani. Ludolphi filię successerunt. Monasterium Gandani in monte Blandinio construxit Dagobertus primus abbas, aliud monasterium Gandani nunc Budonis dicitur, quod Columbarius construxit.

Gnesen. GNesen urbs episcopalis Poloniæ, illic S. Aldobertus Salutis anno 998. inhabitauit. Otto III huic urbi episcopum præfecit.

Geuentrude. GEuentrude monasterium uirginũ in Saxonia à Geuone Magdenburgensi Burggrauio conditum est, referente Hermanno.

Gemblacense. GEmblacense monasterium S. Vumtherus fundauit, auctore Sigeberto Gemblacense Chronographo.

Gandauum. GAndauum, Gent, urbs Brabantiæ à Iulio Cæsare condita est, & à suo nomine Caio, ut Chronici Brabantini loquuntur, dicta. Sichardus uerò Cremonensis nescio à quo colono dicat hanc inchoatam fuisse.

DE LITERA H.

Hermondurũ. HERmondurum ciuitas fida Romanis & splendidissima, ubi oritur Albis fluuius. Hęc Cornelius. Marlianus ait hos Transrhenanos esse populos Ligijs, Vngaris, Cattis, Cheruscis, & Hercyniæ syluæ proximos. Plinius libro 4, cap. 30. Hermolaus & Iulius Capitolinus Hermodurum, Strabo Eumodurum dixit. Iulius Capitolinus in uita Antonini Pij, inter Illyricum & Galliam eos habitare putat. Mantuanus Emuduros eos nominat ad Cæsarem. Hinc Emuduri quos præterlabitur Albis, Capitolinus Hermondurorum in Antonino Pio recordatur, & paulo pòst Hermyndurorum.

Helleuiori. HElleuiori populi post Codoneum montem, id est ultra Prussiam insulam colunt, quingẽtis pagis, unde alterum terrarum orbem dicunt. Hos alij ad Vistulam amnem habitare uoluerunt usque ad Sarmatas. Idem Plinius libro 4, capite 13. Hos ego coniecto olim in Scandia insula, ubi Gotthos, Getas, Gepidas, Dacos, Vandalos fuisse diximus, habitasse, qui è Scandia insula Codonei sinus egressi sunt, & ad Vistulam consederunt, ut ait Hieronymus. Sunt enim secundum Plinium in Codoneo. Cornelius Hellusiorum meminit, ora hominum & artus ferarum gerentium, coniectura est hos esse. Alij à Ptolemæo incognitam terram dictam uolunt.

Helui. HElui Celtarum populi, Aruernorum fines contingunt, mons Gebenna ipsos ab Aruernis diuidit, proximi Gaballis, Rhutenis, Cadurcis. Eusebius M. T. Ciceronis patrem ab his natum dixit, multa Marlianus. Reuera inter Burgundiones hodie sunt, ut Zacharias L[illegible] scribit. Heluorum meminit Plinius libr. quarto, capite decimoquinto naturalis Historiæ.

Hugonis monasterium. HVgonis monasterium in Vogeso, teutonicè Hughofen, extructum est anno 1120. ex confirmatione papæ Callisti à comite Vuernhero de Habspurg, deinde anno Christi 1137. à papa Innocentio II ampliatum, à Friderico in defensionem acceptum, anno 1162, ut ait Iacobus Vuimphelingius in catalogo.

Heluetij. HEluetij olim tres nationes habuerunt, quarum una semel deleta est per militiam, ubi aduersus Cæsarem iuerunt, circiter 400 millia hominum ceciderunt,

&

& 8 mil. captos cepit, ne Germanis finitimis agrum uacuum relinqueret. Ibidem eorum potentiam satis Cæsar in Commentarijs declarauit. Vide Cornelium Tacitum libr. 17 Hist. Sunt autem Heluetij inter Rhenum, Mœnum & Hercyniam syluam, authore Cornelio. Hęc uerba & Hermolaus Barbarus in Annotationibus in Pomponiũ Melam recitat, ex quo lector potest considerare longitudinem regionis eorum. Cæsar libro primo, Heluetios Rheno & Iura monte circumscripsit, Florus Rhodano, Rheno & Hercynio. Orosius tantùm Rheno à Germanis separari libro 6, capite 7 scribit. Marlianus à Iura usq; ad Rhodanum, à Constantia ad Basilienses illos probauit. Ptolemæus libr. 2, cap. 8, tabula tertia, iuxta Iurassum montem ipsos ponit. Sabellicus quoq; lib. 5 Enne. 6. Rheno, Sequanis, Rhodano & Lemanno illos circumscripsit, longitudine 220 mil. pas. regionem illorum complere, & octoginta supra centum latitudine. Reuera hodie sunt Suitenses & Alsatici, ut ex Commentarijs Cæsaris probare possumus. Iacobus Vuimphelingius in Catalogi principio cõsentit: extat uestigium in Alsatia. In antiquissimis enim Geographię tabulis Helueti urbis Alsatię mẽtio fit. Multi putant esse Selestadium, eo quòd Heluetum ab Argentoraco, ut ego ipse uidi, distet sex miliaribus, à Columbaria tribus. Nullam autem penitus reperire possumus ciuitatem, nisi Selestadium. Illo nos adducti sumus in Odilia nostra, Heluetum Selestadium. & Heluetos Alsates diximus. Beatus Rhenanus Selestatinus, uir doctissimus, in epistolis sæpissimè se nominat Heluetensem. Suitensium tamẽ Heluetia ad Ortum Brigantinos & Aduallam habet, ad Meridiem Insubres, alpes Hannibalis, Gebennam, ad Occidentem Burgundiam, Iurassum, ad Septentrionem Basileam. Iulius bis senas urbes, quadringentos uicos eorum in 4 pagos distribuit, primus Duras, secundus Doggius, Cella S. Galli, Limagus &c. Cornelius in Hist. Gallicam gentem & turbidum ingenium dixit Heluetiorum. Cecinna cum Rhętis contra ipsos bellans, fudit & fugauit eos apud eundem. Orosius tamen fortissimos eorum animos appellat omnium Gallorum gentium propter uicinitatem Germaniæ libro 6, capite 7. Plinius libro quarto, capite 17. Mantuanus Heluetijs animos alpes dare scripsit: *Alsatici Suitenses.*

— Heluetijs montes ubi regna colonis
Dura in rupe sedens ridet armenta minasq;,
Omniaq; eludit Martis molimina & arma.

HErmiones populi Germanię, inter Germanorum genera principaliora existunt, ut Plinius libro 4, capite 14. Pomponius Mela libro 3. Germaniæ ultimos esse populos dixit, sed Hermolaus ad Vistulam eos sitos scribit, ubi Germaniæ finis est, & Sarmatiæ principium. Plinius gentes eorum Sueuos, Hermoduros, Cattos, Cheruscos adducit, ego hos coniectarem Germaniam magnam incolentes. Dicuntur Hermiones, ut Tacitus ait, ab Hermione filio Manni, cui subscribit Sabellicus libro 2 Enne. 6. & Berosus libr. 2 Hist. Ptolemæus hos Elmeones uocat, alij etiam Bohemos uolunt inter ipsos numerari, quod & ego. Albi enim propinquos Pomponius Mela dixit. Mantuanus ad Cæsarem, Elmeones dixit, & optimè situm eius descripsit, scilicet sub ursa, ait enim: *Hermiones.*

Adde sub arctoo positas gelidaq; sub ursa
Elmeones.

HAilbrun ciuitas Sueuiæ iuxta Neccharum, olim uilla, ab imperatoribus circa annum 1085 muro cincta est, ut Annales nostri dicunt. Alij sacrum fontem nominant Hailigbrum. *Halbrun.*

HErbipolis à Ligurino lib. sexto dicta, Varia domus appellatur, multo apparatu & sumptu extructa, nuncupata quasi Herebi polis, teste Celte in Amoribus, *Herbipolis.*

ribus uel ab herbis, teutonice Vuirtzburg. Hæc à Ptolemæo Arctauium asseritur. Alij Marcopolim dixerunt, ut Abbas Spanheimius, hic ut collegit enarrator eius, Lotharius regnum suum resignauit, ubi Moganus fluuius iuxta Celtis sententiam præterfluit. Vrbem hanc cepit IIII Henrici filius, ut Otto Frisingensis lib. 6 ait. Primus etiam ibi episcopus fuit Burkardus, anno Domini 74. Lupoldus de zelo scribit, capite sexto. Fuit illic Concilium anno 1130. per Lotharium, ubi Innocentius II fuit electus, ait Lupoldus. Concordant Argentinensium Annales, qui dicunt Burkardum à Bonifacio primum constitutum fuisse, reliquos episcopos ab eo, habet Abbas Tritemius.

Hanofer. HANOFER à Ptolemæo Leuphana dicitur, Saxoniæ ciuitas.

Halberstat. HAlberstat à Ptolemæo Pheugarum, ibi episcopatus, quem erexit Carolus Magnus, ut Lupoldus capite nono de zelo dicit.

HArnstein à Ptolemæo Alisium, Græcè tamen ἀλισὸς lego.

Heidelberg Budoris. HEidelberg iuxta Neccharum & Hercynium, à Ptolemęo dicitur Budoris, teutonicè Heidelberg, à nigrorum uaciniorum uel brunorum, teutonicè Heidelber, multitudine. Olim Vangionum imperio subdita urbs hæc fuit: Palatini uerò comites partes ab his sumpserunt, & adeò creuerūt, ut eorum iuri adscribatur nunc. Est & florentissimum Heidelbergæ Gymnasium à Marsilio primo rectore primitus institutum, & à Ruperto Palatino anno 1346. multis priuilegijs donatum. Mons illic omnium sanctorum, olim arcem pręse tulit. Referunt templum illic fuisse, quod Græci uocant τὸ πάνθεον, sicuti olim Romæ fuerat, quod Bonifacius donum accipiens à Phoca Cæsare in templum omnium sanctorum conuertit, ut Platina scribit: πάνθεον enim templum, ubi antiquitus omnes dij colebantur, dicebatur. Oppidum hoc Volaterranus lib. septimo Ettelburg uocat corrupto nomine, linguæ Germanicæ ignarus.

Hiaspalis Regenspurg. HIaspalis Regenspurg, ob ruditatem populorum agrestium dicta, Imbripolis ob Latinam rationem, unde teutonice Regenspur, à ponendis ratibus, ut aliqui uolunt, Ratispona appellatur: alij quòd ratibus conueniat, asserunt, in quorum numero est Ligurinus libro primo his uerbis:

Inde Ratisponæ uetus ex hoc nomen habenti,
Quòd bona sit ratibus quidquid consueuit in illa.

Ob frequentiam populorum Reginopolis nuncupatur. À conditore Tiberina: Tiberius enim tempore Dominicæ passionis ipsam struxit. Ego in Odilia mea libro 2. Quadratam, à forma quam habet. Illic Dionysius requiescit, translatus anno 1052. in Octobri, ut Peutinger ait. Hic sedes episcopalis secundum Aeneam in historia Bohemica, & olim Bohemiam & Pragam complectebatur. Hic S. Vuolfgangus & Albertus Magnus episcopatui præfuerunt, testante Syluio. Hic & Erhardus episcopus, qui somno monitus, beatam Odiliam baptizauit, cuius meminimus in Odilia libro 2. Conradus ibi ex suasu S. Benedicti, Bernardi extruxit monasterium, ut Otto scribit: aliud monasteriū martyris cuiusdam illic erectum est. Danubius hic flumen recipit Regum, ut Celtes ait. Hanc urbem olim filius IIII Henrici in deditionem accepit, referente Ottone libro sexto, & contra patrem, Robertum illic constituit præfectum. Conradus uerò filium persequēs, alium constituit, ut Genblacensis asserit. Lupoldus filius III. S. Lupoldi Austriæ Marchionis Ratisponam incendit, facta trepidatione per Ottonem Palatinum, ut Annales Austrię dicunt. Tempore etiam Friderici III imperatoris, Albertus dux Bauariæ ipsam penè occupauit. Carolus Magnus Ratisponam olim cepit, & Christiana lege imbuit, cuius rei hodie uestigium apparet. Aelius Spartianus Hialos populos Germaniæ nominat, nescio an hos an alios existimet. Ratispona Noricorum ciuitas, licet Ptolemæus Vindelicorum

rum

rum dicat. Otto illic multas reliquias transtulit, ut ait Lupoldus. Aeneas Syluius Ratisponam clarissimam urbem appellat, ad Danubij ripam in Bauaria sitã Alberti Magni sedem olim fuisse, summi philosophi, illic S. Emerani monasterium, in quo Leo pontifex B. Dionysium ex Parisijs transmisit, illic sępius principum conuentus fuit, semel destructa iacuit, ut Hermannus Chronicus scribit.

HILDESHEIM Ascalingium à Ptolemęo dicitur, episcopatus ibi, quem Carolus Magnus erexit, ut scribit Lupoldus capite nono De zelo, primus episcopus Guntherus, ut idem Lupoldus refert, & historia Francorum, Ludouicus Pius Caroli Magni filius huc episcopatum detulit. *Hildesheim.*

HErlysen prædium Alsatiæ, ubi olim nobilissimi milites sedes habuerunt, destructum per præsides Argentinenses, anno 1373, ut eorum Annales dicunt. *Herlysen.*

HAmburgum Latinè dicitur Hammonis burgum, ab Hammone qui eam instaurauit, secundum Hermannum à Ioue Hammone, cuius idola sustulit Carolus: Celtes poeta: *Hamburg.*

Inde ad Cimbriacum contendit Cherronesum,
Ad cuius surgit pulchra hostia Cimbrica quondam,
Sed nunc Hammonis nomine dicta polis.

Hanc urbem Ludouicus Franciæ rex semel destruxit, anno Domini 1281, penè igne consumpta est.

HArudes populi, ut Marlianus ait, circa Sequanorum & Heduorum fines, reuera Celtæ sunt & Burgundiones, secundum quosdam, Galli hos eorum lingua Constance dicunt. *Harudes.*

HOrb Rudolphus de Hohenburg condidit, ut Annales Sueuiæ dicunt. *Horb.*

HEgaugia Hegau, à quodam Hegone dictam Chronica nostri temporis uulgata testantur. Alij à dumis, ego uerò ab auena dictam uolo, teutonicè das Heus gau. *Hegau.*

HIrsfeldia in Buchonia sylua monasterium tempore Bonifacij cõditum est, ut Abbas Spanheimius refert. *Hirsfelt.*

HAgenau ciuitas Alsatiæ, inter Matram & Sornam, à Friderico, ut eorũ Annales dicunt, primò ampliata est, à papa unus de clauis Dominicæ passionis, pars quoque crucis huc delata, quæ postmodum negligentia colonorum iterum ablata sunt, unde et hodierna die solenne festum, ut ita loquar, S. Crucis ueneratur. Hæc ex eorum Annalibus collegi, ac partim relatu hominum fide dignorum hausi. Monasterium S. Fidis iuxta Hagenoiam & Vualpurgis Fridericus imp. construxit, alij à Friderico de Stauffen uolunt, qui, ut Nauclerus ait, Ecclesiam Hagenoiæ erexit, dictam Antiquum hospitale. *Hagenau.*

HALLIS urbs Saxoniæ olim uilla muris uerò instructa est, anno 982, ut ait Hermannus. *Hallis.*

HElmenstider monasterium Saxonię, locus à S. Lothario conditus, in honorem S. Stephani, ipse S. Lotharius illic primus abbas. *Helmenstider.*

HAtterslauen monasterium Agnes de Landerssperg condidit, uxor olim Conradi Palatini comitis. *Hatterslauen.*

HAssia regio Germaniæ à monte Hasso dicta, ab Oriente Turingiam habet, ab alijs partibus Franciam, Sueuiam, Saxoniam. *Hassia.*

HAnhusen non longè à Franckenbergo locus apud Ederam fluuiũ in Hassia, à Ioue Hammone nuncupatus, qui olim sub specie arietis illic apparet. Adhuc locus illic formidolosissimus horret. *Hanhusen.*

HAilsprunn monasterium anno 1132, exordium sumpsit. *Hailsprun monasterium.*

Hasloch Alsatiæ prædium, ubi reliquiæ S. Florentij conduntur, à Mechtilde regina ducissa Saxonũ & uxore Dagoberti regis Franciæ delatæ, anno 672. *Hasloch.*

Hasingen. HASINGEN monasterium erexit Sigefridus episcopus Moguntinus, ut aiunt eorum Annales.

Haslingen. HAslingen in Brabantia, comes Brabantinus condidit, tribus à Bruxella miliaribus, primus abbas fuit Fulgentius.

Hirsau. HIrsau anno Domini 838 sub imperio Luduici Pij institutum est ab Erlafrido comite de Calb, & Nottungo Vercellensi episcopo. Primus abbas Lutpertus extitit. Hæc ex Annalibus habemus. Parum autem illorum agnosco, quæ cæteri scriptores tradunt, de Henrico III, & Cunrado. Plura Abbas Spanheimius, qui duo amplissima uolumina de illo monasterio scripsit. Dicitur autem à multitudine ceruorum, referente Iacobo Vuimphelingio.

Hirsfelt. HIrsfelt Lullus Moguntinus episcopus Bonifacij successor anno 704 condidit. Est autem in Hassiæ partibus monasterium illud supra Fuldam. Illic marmoreæ columnæ penitùs in modum scirpi integræ, non coarctatis lapidibus ex uno integro lapide formatæ, illic caput S. Barbaræ conditur: aiunt quidam S. Bonifacium huius nominis ciuitatem condidisse.

DE LITERA I.

Iaziges. IAZIges, de quibus multa Dionysius Græcus & Martianus ἐν περίπλῳ referunt, sunt populi Vngariæ secundum quosdam, & non illi quos Septem castra dicimus, & hodie Iazi dicuntur: alij tamen Septem castra esse uolunt. Ouidius in Tristibus:

Iaziges & Colchi Meteræaq; turba Getæq;.

Valerius Flaccus:

Increpat, & stricto sic urget Iazigas ense.

Idem:

Neurus & expertes canentis Iaziges æui.

Strabo libro septimo hos Basileas & Vrgos dici ait. Sunt autem Germani, ut ex Celte & alijs libro primo probauimus, hodie Septem castra incolunt ultra Vngariam, die Siben Bürgen, ut Lilius & alij uolunt. Strabo Sarmatiæ populos nuncupauit, Cornelius Tacitus libro decimoquarto Hist. E' Sarmatis Iazigibus, & Idem, Iaziges obsidionis impatientes, quia lignis ingruerat. Multa de illis Volaterranus libro septimo. Ptolemæus Sarmatiæ populos fecit, uerba eius sunt: καὶ παρ᾽ ὅλην τὴν μαιώτιδος ἰάζυγες καὶ ῥοξολανοί. Id est, Et usque ad totam Mæotidem Iaziges sunt & Rhoxolani. Horum meminerunt etiam Dion Bithynius in uita Adriani, Ptolemęus Lagi, & Arrianus Gręci libro primo De gestis Alexandri Magni.

Locus Cornelij.

Iuliobona. Vienna. IVliobona à Ptolemæo libro secundo, capite quarto, tab. tertia, alij textus habent Viliobona, Austriæ Metropolis, nunc Vienna dicitur. Hanc urbem Aeneas Syluius Flauioflauiam uocat in Epistola ad Ioannem Capistranum, ex eo, quia ipsam Flauius restaurauit, alij inde Vien corrupto uocabulo dicunt, ut Iacobus Philippi Carmelitanus ait. Nam ex Flabien prima decisa syllaba nomen sumpsit. Quatuor illic mendicantium cœnobia, olim diœcesis Patauiensis, nunc proprium episcopum retinet. Est & Vienna in Gallia, cuius Cæsar in Comment. Ouidius in Trist. Marlianus & alij meminerunt. Strabo iuxta Allobrogos Galliæ sitos uoluit, de his iam nihil agemus. Volaterranus libro 7, Aeneas quoq; in epistola ad Martinum Maier, scribit Flauianã dictam ab aris Flauianis, de quibus Ptolemęus. Illic studium celeberrimũ constituit primitùs Albertus filius Alberti, nepos Rudolphi Habspurgẽsis ductu Bonifacij Papę anno 1395. Illic ecclesia S. Stephani memorabilisq; turris, quam legati Bosnensiũ pluris uendi posse dixerunt, quàm Bosnense regnum, ubi Caroli quarti filia, uxor Rudolphi Alberti filij collegium constituit, pluribus etiam bonis exornauit.

uit. Lego apud Antoninum de urbe Vindobona, item Flauioiulia: uideant alij, an huic urbi an alij hæc poterint respondere.

ICcius portus inter Belgas est, ut Marlianus ait, proximus Oceano, Atrebatibus & Ambianis, ab Anglia triginti millia passuum distat, ad dextram Selandiam habet, Flandriam à sinistra, enarrator Ptolem. Caletum esse dixit. *Iccius portus.*

INgelheim Carolus Magnus struxit ut Genblacensis ait, illic Conciliũ fuit, anno 948, ut historia Francorum & Lupoldus uolunt. Est autem locus non longè à Moguntia. Illic Carolus sæpè Pascha celebrauit, Vrspergense teste. *Ingelheim.*

INgeuones Plinius libro 4, capite 13. inter genera Germaniæ principaliora nominat, & Cimbros & Teutonas eos complecti scribit. Cornelius proximos Oceano, Solinus quoque iuxta fontem succini dicit: coniectura est hos esse Sarmatas, id est, Polonos, Liuones, Bructeros, Lituanos, & quidquid ultra Vistulam est, inde Chersonnesum quoque habitantes, ut Danos, quos modò Denmarcker dicimus, nominati ab Ingeuone filio Manni, ut Cornelius in Germania, & Berosus libro secundo Hist. referunt. Mantuanus: Ingeuones rapido gens proxima Rheno, Strennuè in arma ualet. *Ingeuones.*

ISteuones tertium genus Germanorum, ut Plinius libro quarto, capite 14 scribit. Cornelius alios Germanos Isteuones dici, præter Hermiones & Ingeuones, putat. Plinius Rheno proximos esse & Cimbris mediterraneis. Hos ergo coniectura est esse Rhenanos: hi autem dicti sunt ab Isteuone filio Manni, author est Tacitus. Sabellicus libro secundo Enne. sextæ, & Berosus libro secundo Historiarum. *Isteuones.*

IVuauia Saltzburg dicitur, à iuuando, eo quòd sal iuuet: alij à Iuuaro fluuio, teuto. die Saltz, unde Otto libro quinto, capite 33. Virgilium quendam uocat episcopum Iuuauiensem. Dicitur & Petreia, à Ptolemæo Gamanodurum nuncupatur. Hanc ciuitatem Iulius, uictis Germanis, ac secundum aliquos arcem ibi, teutonicè Helffenburg, condidit. Attila hanc destruxit, uerùm à Ruberto eorum episcopo anno Domini octuagesimo supra quingentesimum instaurata est. Hic episcopus quem Patriarcham nos uocamus, residet, et altare cuius simile non uideri credunt, cernitur. Aeneas Iuuauietensem, & Arnimensem dici ait, Metropolicam insignem inter Bauaros opibus & auctoritate memorabilem urbem. Antoninus Pius in Itinerario huius ciuitatis meminit, eam Iuuauiam dicendo: alij etiam hanc urbem Budacum dictã fuisse asserunt à Ptolemæo. *Iuuauia. Saltzburg. Petreia. Gamanodurũ.*

IVliacenses Gulcher: Iuliaci recordatur Antoninus, cætera uide in dictione Menapij. Duplices autem sunt, ultra Rhenum ad Vuestualiam Pergenses uel Montenses, & citra Rhenum ad Galliam Iuliacenses. S. Iusti monasterium in alpibus, struxerunt Marchiones de Monteferato. S. Iacobi monasterium prope Moguntiam, erexit Lupoldus episcopus. *Iuliacenses. Monast. S. Iusti. Monast. S. Iacobi.*

IVliana teutonicè Vuolgast, à Iulio condita est in honorem Mercurij, cuius simulacra Carolus Magnus sustulit. *Iuliana.*

IDistaulsus, si litera non est deprauata, à Cornelio in primo Histor. locus dicitur inter Visurgim & colles proximos. *Idistaulsus.*

ISenachum ciuitas Turingiæ ab Iside nominatur, cuius meminit Eobanus, non procul à monte Hirselberg, qui ab eodem poeta Horrisonus dicitur. *Isenacum.*

IStros urbs Thraciæ est iuxta Istrum, ut Plinius libro quarto, capite undecimo, Strabo, Ouidius in Trist. Pomponius & Ptolemæus asserunt. Alij Istriopolim dicunt, Arrianus Græcus Histropolim Istriam dictam putat. *Istros.*

INdersdorff monasterium à Palatino Ottone de Vittelspach, anno Domini 1156 auspicatum est. *Indersdorff.*

LIBRI VNDECIMI FINIS.

LIBER DVODECIMVS ET ultimus Exegeseos Germaniæ.

Lubecum.  VBECVM Lubeck dictum, quasi angulus laudis, Celte & Aenea testibus. Est autem urbs hæc tribus regnis cõtraria, secundum Aeneam, à Vicboldo duce condita, à Vandalis Baccena nominatur, à Kitto principe aucta, anno Christi 1104. Bractusa & Trauo fluminibus irrigua. Episcopatus ibi incepit anno 1152. Multa urbs hęc diuersitate principum pertulit. Celtes:

Inde urbs clara nitet de lumine nomine dicta,
Et Lobicum Codani fama decusq; sui,
Angulus hæc laudis dicta est urbs nomine prisco,
Angulum in hunc fertur fluuius Drauenna per æquor.

Lucipetra. LVcipetra Lichtenfels, ciuitas non procul à Mœno.

Leopontij. LEopontij iuxta Curienses sunt, teste Marliano, & Sedunenses Suiceri uocantur, hic ut Cæsar scribit, Rhenus oritur. Multa Strabo libro quarto, Plinius libro tertio, Luca. libro primo.

Leuci. LEuci iuxta Lingones Celtæ sunt, Sequanis, Mediomatricibus & Treueris finitimi, ciuitas eorũ episcopalis est in Lotharingia. Hęc Marlianus & enarrator Ptol. Teutonicè von Thol, Peutinger iuxta Mediolanos esse uult. Strab. supra Heluetios, Heduos, Sequanos & Lingones habitare asserit, & libro septimo, cum Vindelicis in montibus campos habere scribit, Lucanus libro primo, Plinius libro quarto, capite decimoseptimo.

Ligij. LIgij populi feruntur iuxta Marcomannos, Hermonduros & Cattos, ait Cornelius. Reuera hodie Vngari sunt, Marlianus author. Picus in carmine de Cruce, ubi de Danubio loquitur:

Et Ligios tandem raptu tumefactus aquarum.

Lapones. LApones Germanos Plinius libro tertio, capite uigesimosexto, apud Saum fluuium esse ait, & Lapiones dixit. Strabo libro quarto iuxta eos sublimia domicilia, & in Illyrico habitare, Gallis commixtos, ab Augusto uictos, eorum oppida Arupenum, Metulum, Monetuũ, Vendum esse, & paulo pòst iuxta Istrũ eos posuit. De his ita Celtes, qui nõ longè à Codano ipsos abesse uult, ait enim:

Ultima concreti qui cernunt sidera cœli,
Aestatis uerisq; inopes, hyememq; perennem
Perpetuas niues cœlo patiuntur inerti:
Inter quos memorant Lapones nomine dictos,
Qui uitam specubus ducunt, syluisq; Ceruscis.

Secundum sententiam Celtis in mari non longè ab insulis nuper à rege Hiperboreo inuentis esse putarem: uerùm illud sententiam auertit, quia ab Augusto uicti sunt: iudicent alij, ut forsitan hos lapones, illos Lapones crediderim, hos Gallos, illos Sarmatas.

Littuania. LIttuania Littua Sarmatiæ regio, nunc maximè Polonorum regi militat: ab Oriente, secundum Aeneam, Polonos habet, regio agrestis, palustris & numerosa, usus pecuniæ ualde ignotus. Hæc Aeneas. Carolus Magnus hos deuicit: horum etiam Hermannus meminit.

Limpurg. LImpurgum in territorio Spirensi situm, non longè à Landau, monasterium in dominio de Lyningen. Hoc Lotharius dux Saxonum cum Alberto episcopo cinxit, ut Otto Frisingensis libro primo, capite 14 testatur. Conradus secundus

dus erexit & dotauit, ait Lupoldus capite nono De zelo. Barones de Lyningen annis superioribus diruerunt illud.

LINGVONES uel Lingones Heduis & Sequanis finitimi, ut Marlianus uult. Luca. libro primo: *Lingones.*

Pugnaces pictis cohibebat Lingones armis.

Cæsar eis prohibuit, primo Commentariorum, ne Heluetijs auxilia mitterent. Multa Ptolemęus. Strabo libro quarto, Plinius libro quarto, capite 31 nat. Histo. Hos alij Burgundiones aduersus Germaniam, alij montem Peligardi Mumpelgart uolunt. Sulpitius confœderatos esse Suitenses credidit, & Belgas, montisq; Peligardi meminit. Sunt qui Lotharingos probauerint, ut Sabellicus & Aeneas Syluius in epistolis, ubi de Delphino Francorum regis filio loquitur, qui ciuitatem eorum destruxit. De his Volaterranus libro septimo, & Cornelius in hist. Galli lingua eorum Langres uocant.

LAntzhutta Lantzhut, ciuitas Bauariæ, à Ptolemęo libro secundo, tabula 5. & Vindelicorum urbs dicitur Inutrum. Est autem condita anno Domini 1203 à Luduico duce Bauariæ. Alij arcem illic à Luduico Ottonis filio, Salutis anno 1178. auspicatam referunt. Et. 1204. urbem hanc muro fuisse inuestitam. *Lantzhut.*

LVtzelburga defectione stirpis ad Cæsarem deuenit, ubi Marchio Badensis Bernhardus nunc habenas flexit, ante annos maximè combusta: dicitur autem à Ptolemæo libro 2, capite 8, tab. 3. Romandissa. Hæc olim penè nobilissimos duces habuit, quatuor reges siue imperatores Romanorum, qui etiam, Aenea authore, plus quàm per annos centum & 20 Bohemiæ præfuerunt: sicuti fuit Ioannes rex Bohemiæ, Carolus, Venzeslaus, & Sigismundus ultimus dux, in quo defecit: quia sine liberis excessit è uita, nisi una relicta filia Elizabet, quam Albertus Romanorum rex duxit. *Lutzelburga.*

LVnenburgum nobilis Saxoniæ urbs, olim uilla, in ciuitatem redacta, postquam Bardeuigum erat destructum. Villa autem à Iulio Cæsare condita est, & à Luna dicta. Lunæ enim simulachrum usq; ad Caroli Magni tempora illic remanserat. Carolus autem statuam hãc sustulit, inde Ottonum temporibus Hermannus primus dux, illic monasterium S. Michaelis erexit. *Lunenburg.*

LOtharingia regio Rheno & Sequano olim diffiniebatur. *Lotharingia.*

LIchtenau oppidum olim ab episcopis Argentinensibus muro circundatum est, ut Annales eorum uolunt. Est & eiusdem nominis arx Norenbergensiũ instructissima, uno miliari ab Eistad distans. *Liechtenau.*

LOngobardi olim è Scandia insula uenerunt, quæ in mari Codoneo est, ut Methodius martyr in eorum historia, & Diaconus scribunt, Ibor & Aigone ducibus. Primò dicti sunt Vinnili, & tunc temporis Vandali uicinas gentes premebant. Agelmundus fœminas eorum armauit, Ligurino citante: *Longobardi.*

Crinibus ad mentum pressis sub casside torua,

Cæruleaq; coma barbam simulare uirilem.

Inde in Pannoniam uenerunt, superatis alpibus, rex eorum Albunus, ut Lilius ait, Alboinus, ut Otto scribit, Vincentiam, Veronam, Mediolanum cepit, anno 204 in Italia regnauit, ut Zacharias Lilius, Otto libro quinto, capite quarto, & alij collegerunt. Hi à longis barbis dicuntur. Sunt autem Longobardi proximi Cheruscis, Cauchis, Cattis inferioris Germaniæ populis, non longè à Caninefatibus, & Frisijs, ut Marlianus ait: unde quidã Vuestualos & Hassos eos dixerunt, alij Pannoniæ populum. Diaconus in uita Mauricij Cæsaris, Sueuorum gentes existimauit. Ptolemæus huc alludit libro secundo, capite decimo. Lilius Italiæ homines esse protulit, ubi metropolis est Mediolanum, nunc Lombardi dictam oram eorum refert, uide Blondum. Verùm ut autores concordes

reddidero, Rhenum olim coluerunt usque ad Drusi tempora, ut ait Viterbiensis libro secundo, & eorum ciuitas Nouesium fuit, inde Longobardiam inhabitauerunt, deinde sedes mutauerunt. Otto libro tertio, ex Gepidis eorum originem probat. Prumiẽsis totam historiam habet, quomodo à Numulo uicti sint, etiam quomodo anno 520 sub ducibus fuerint.

Lignæ. LIgnæ, alij Selignæ, Marchiones noui sunt.

Lacense monasterium. LAcense monasterium Treuerensis diœcesis, uno miliari distans ab Andernach, tribus à Confluentia, condidit Henricus Palatinus Rheni, anno Domini 1060. cum uxore sua Adelheide. Hic Henricus Sigefridum comitem Brabantiæ, uxoris eius ex marito priori filium, hæredem constituit, qui monasteriũ ad lacum condidit, & primus abbas Giselbertus fuit de Hafflingen. Hæc ex eorum Annalibus habemus.

Lickelsheim. Monasterium Lickelsheim Theogerus construxit, distans quinque miliaribus à S. Georgio Constantiensis diœcesis.

Leua. LEua ciuitas Brabantiæ, ubi uniuersale studium, incepit autem anno Salutis 920. à Ioanne duce Brabantiæ, ciuitas hæc satis ornata est non longè à Bruxella & Antuuerpio.

Leodium. LEodium, Luttich, episcopalis urbs, ubi monasterium S. Laurentij Bruno dux & Reinhardus episcopus, anno Salutis 1025, fundauerunt, & Stephanus primus abbãs extitit: illic ciues septennio ferunt furore percitos, ut tres dies in armis consistant. Fuit & urbs illa à Carolo duce Burgundiensium impugnata. multa de hac Genblacensis.

Lorch. LAureacense monasterium Sueuiæ, Lorch, habitatio ducum Sueuiæ, ubi in reliquijs sacris argẽteum quoddam tabernaculum Græcis literis ita inscribitur: φιλῆς τὸ λαμπρὸν καὶ σοφὸν τὸ τῆς τέχνης κάλλος τὸ τερπνὸν, χρώματος τὸ ποικίλον, & multo pluribus, quæ ob earum pluralitatem omittam.

DE LITERA M.

Minden. MINden urbs episcopalis, à Vitikindo duce Saxonum ac Carolo Magno constructa, nomen habet, teste Hermanno, Germanicum à Vitikindo inditum. Hanc urbem episcopalem Carolus fecit, Ecclesiamque in honorem S. Petri initiauit.

Marcburgum. MArburgum urbs Hassiæ metropolis à Marte dicta, olim uilla, ut historia B. Elizabet mõstrat, in cuius honorẽ Ecclesia dedicata est, Lanus præterfluit. Abbas Spanheimensis Marcburgum à Marcomero Marcomeri uicesimisexti regis Francorum filio nominatum & erectum fuisse collegit: meminit et illius Hunibaldus. Ptolemæus hanc Amisiam nominauit.

Mons Martis. MOns Martis zum Berg, Vuestualiæ urbs, à Marte dicta, olim tantùm ab armigeris inhabitata est, tria illic altaria ad nostra secula peruenerunt, quæ olim Marti erant initiata.

Moguntia. MOguntia, Mentz, à Celte, Peutingero, Ligurino ac Ottone dicitur, Moguntiacum Hermolaus, & diuus Hieronymus, Ammianus libro 16, & Tacitus uocant. *Alij Neomagum.* Ptolemæus Neouagum libro 2, capite 8, tab. 3 appellat. Dicitur autem à Mogano fluuio & Cia, quod Aeneas Syluius, Gresmundus & Ligurinus uoluerunt. Celtes libro tertio Odarum:

In urbe, cui nomen dedêre
Moganus & Cia patruus amnis.

Idem libro secundo:

Rhenus antiquam rigat altus urbem,
Quæ micat multis opibus uetustis,
Cui Mœnus Rheni sociatus undis

Nomina

Nomina præſtat.

Vrbs hæc multa aduerſa habuit:ab Henrico ſemel obſeſſa eſt, qui in uincula eorum epiſcopum fecit. Diuus Hieronymus ait Moguntiacum nobilis quondam ciuitas capta & ſubuerſa eſt, & in Eccleſia multa hominum millia trucidata leguntur. Ferunt S. Bernardum Rheno appuliſſe, non uerò urbem intraſſe, uerùm ſæpius ipſam caſuram prædixiſſe. Hæc ab epiſcopo & ducibus capiebatur, ac omnis eorum poteſtas iuri ſacerdotum ſuccubuit. Hanc Troianus quidam Moguntius condidit, Carino ſcribente, dein à Druſo debellata eſt, qui eã poſtea reſtaurauit, ut adhuc in modum piræ machina oſtenditur. Velut Otto libro 3, capite 4. Peutinger. Cornelius molem ſcribit ad roborandum Rhenum ibi factam ſub imperio Neronis. Celtes huius meminit in Amorum libro:

Inter quæ Druſi ſtant ardua buſta Neronis
Clara à Germanis nomina primus habes.

Molem hanc inceptam à Druſo reſtaurauit Luethus ductor Romani exercitus, poſt tres & 60 annos, ut Cornelius collegit. De reparatione Moguntiæ etiam Hunibaldus multa ſcripſit. Carolus quoq; trans Rhenum pontem illic construxit, ut Genblacenſis aſſerit, quingentorum paſ. longitudine, qui incendio paulo pòſt perijt. Fuit illic concilium, dum aduerſus Francos Carolus meditabatur, ut Rhegino Prumienſis, Genblacenſis & Lupoldus indicauerunt. Eſt autem urbs illa Rheno appoſita, ea parte quæ Galliæ Belgicæ attribuitur, ait Hermolaus. Eſt & magna ciuitas, fortis & ſpiſſa, tum populoſa, ea parte quam Rhenus cingit, ex alio uerò latere rarum habitatorem habet, in immenſa longitudine, in lato anguſtior: neceſsitas enim latum deſignauit. Hæc Otto Friſingenſis de rebus Friderici libro primo, capite 13, cuius uerba noſtro æuo decoxerunt. Illic conciliũ celebrabatur anno Domini 843. per Luduicum, ubi Gotſcalcus hęreticus eſt conuictus. Et poſtea alterum, anno 852 Inde Leo papa 9. & Henricus III, anno 1051. ibidem concilium habuerunt, referente Lupoldo capite 11 De zelo. Plura Volaterranus libro ſeptimo. Eſt ciuitas apud Antoninum Pium in Itinerario dicta Nouiomagum, inter Argentoracum & Bingiã, quam doctus auctor Moguntiam coniectauit, licet alij Nouiomagum in Gelria poſuerunt. *Alij Nomonagium.*

MArcodurum Vbiorum uicum apud Cornelium Tacitum in hiſtorijs legi, Marlianus Tranſrhenanum eſſe perhibet. *Marcodurum.*

MAſonis monaſterium prope Rhenum, ut Conradus Peutinger uir apprimè peritus ſentit, à Maſon duce Sueuorum conditum eſt. Vallis autem Maſonis ab alio dicitur, cuius in Odilia noſtra mentionem habuimus. *Maſonis monaſterium.*

MOrauia regnum olim, Vngaros, Bohemos, Ruſſanos complectebatur, ibi Marcomanni Sudini habitabant, ut ex Ptolemæo Aeneas elicit in Europa ſua. In hiſtoria Bohemica Morauiam trans Danubium eſſe ait, & ad Orientem Vngaros & Carpatum, ad Meridiem Auſtriam, ad Occidentem Bohemiam, & Schleſos ad Septentrionem tenere affirmat. Populus illic ferox, & rapinæ auidus, teutonicè Merher, à mora ſecundum aliquos dicitur, Aeneas iam Marchio natum ſcribit eſſe. Epiſcopatus illic ſummus Olomicenſis eſt. Rhegino Prumienſis regni Morenenſium, ut ipſe ait, ſæpius meminit, urbs illic Bruntia & Olmuntium, ſiue Olmicenſis, urbs Volgradenſis dicta. *Morauia.*

MVlbrun Sueuiæ monaſterium ditiſsimum, extructum olim à fratribus de Neuenburg, qui tranſlati ſunt, unde adhuc abbas Noui caſtri huius uiſitator, ut ita loquar, exiſtit. Hæc Iacobus Vuimphelingius. *Mulbrunn.*

MOsminſter monaſterium Alſatię à Priminio extructum aiunt Annales Argentinenſium, qui fuit illic epiſcopus, referente Abbate Spanheimio. *Moſmunſter.*

MIſna ciuitas Miſnenſium, à qua nomen regio habet, Aenea autore, ibi ca- *Miſna.*

 thedralis

thedralis ecclesia. Ptolemæus Lupfurdum dixit. Peutinger, si bene memini, ex Orobiorum stirpe ipsos deducit. Episcopatum hunc Otto primus fundauit, ut ait Lupoldus capite nono De zelo. Hanc ciuitatem Albis diuidit.

Moreck. MOreck, à Ptolemæo Morecla dicitur.

Mars signi. MArs signi terga Marcomãnorum & Quadorum claudunt, ait Tacitus. hos Vngaros putant. Ptolemæus Maringos eos nominat.

Marsaces. MArsaces, ut Marlianus ait, Batauis & Caninefatibus, Tungris proximi: multa Cornelius. Enarrator Ptolemæi Marsatos dixit, Plinius Marsacios libro quarto, capite decimoquinto.

Monteregiũ. MOnteregium Kungsperg, Franciæ urbs, ab Vdalrico duce Carinthiorum conditum est, superatis Vngaris & Tartaris, ait Aeneas in historia Bohemica.

Mulhusen. MVlhusen destructum est per Argentinenses & Rudolphum, anno 1261, ut eorum Annales dicunt.

Metis. MEtis ciuitas olim Galliæ, nunc Germaniæ, Metz, ut Celtes tertio Odarum libro scribit. Antoninus Metenses uocat. Marcellinus libro 16. Mediomatrices uocat. Rudolfus Agricola in epistolis, & Lotharingiæ clarum oppidum, ait, natura munitum, similiter & Peutinger. Strabo libro 8. Plinius libro 4, capite 17. Cæsar eam Mediomatricam nominat, & Galliæ urbem. Ptolemæus libro secundo, Dinoduro nomen ei tribuit. Marlianus inter Belgas & Treuerenses urbes esse uoluit. Dicta autem est à Mœtio qui eam fundauit, à Iulio Cæsare deuicta est. Huius uersiculi incisionem aiunt apud ipsos fuisse:

Tempore quo Gallis Cæsarq; sua intulit arma,
Tunc Mediomatricam deuicit Mœtius urbem.

Mediomatrices. Alij à tribus ciuitatibus ei nomen Mediomatricæ tribuunt, quia media sit inter Treuerim & Tullium, ut Annales nostri dicunt. Hîc olim Franci habuerunt mansiones, ut Cremonensis ait. Hieronymus in sup. Eusebij, filium Clodouei regno partito, huc consedisse scribit. Henricus hanc urbem obsedit anno 1011, ut Genblacensi placet. Primus eorum episcopus Clemens fuit, qui ex Clementis papæ iussu ibi prædicauit. Alij à Frontone Christianos factos dicunt, ut Cremonensis: alij Theodericum primum episcopum illic asserunt. Clemens Ecclesiam S. Petri & Stephani extra portas constituit.

Marcomani. MArcomani uno m, quia à Celte Oda secunda corripitur. Statius:

Quo modo Marcomanos post horrida bella.

Celtes:

Marcomannos Gepidasq; petit.

Claudianus in Stilicone:

Marcomanos Sueuosq; notet.

Plura de illis Eutropius, Iulius Capitolinus in uita Antonini Pij. Strabo lib. 7. Cęsar libro primo. Eusebius in Augusti uita. Cornelius olim Boios eorum uirtute expulisse, nouasq; sedes acquisiuisse collegit. Hi autem sunt iuxta Hermonduros & Variscos secundum Cornelium, unde authores Pannoniæ populos eos arbitrati sunt. Ptolemæus ipsos post Rhenum libro secundo, capite decimo posuit, cuius dicto ductus Aeneas Syluius putat, ubi nũc Moraui sunt, die Merher, olim Marcomanos dictos. Marlianus econtrariò iuxta Heluetios ipsos ponit, & monti Iuræ proximos. Eutropius libro sexto. Volaterranus libro septimo, Mantuanus contra usum aliorum secundam & tertiam produxit, m etiam aliquando duplicãdo, ait enim: Quot ardentes tibi Marcõmanna iuuentus. Hi olim à Cæsare detrudebantur inter Draum & Danubium, ubi hodie sunt, ex quo patet eos alia loca olim inhabitasse.

Menapij. MEnapij populi Germaniæ inferioris, simul cum Vsipetibus exacti sunt, ut Cæsar

Cæſar libro quarto refert, Cæſar hos uicit, ut lib. tertio ſcribit. Sunt autem Belgæ, Treueris, Condruſis, & Arduennæ ſyluæ proximi Vbijs & Sycambris, ut ait Marlianus. Strabo lib. 4 ad utramq; Rheni ripam illos ſitos eſſe aſſerit. Cæſar libro ſexto Comment. Eburonibus finitimos uult, Strabo nouiſsimos. Ex Cæſare ergo & Marliano Iuliacenſes eſſe collegimus, Gülcher, & ex Strabone, *Gülcher.* quia nouiſsimos dixit Brabantinos faceremus. Plinius eorum meminit libro quarto, capite decimoſeptimo. Sabellicus libro quinto Enne. ſextæ. Volaterranus libro ſeptimo, de illis Oroſius libro ſexto, capite ſeptimo, & quia ad utramque Rheni ripam ex Strabonis ſententia conſederunt, Cleuenſes, Iuliacenſes ac Gelrenſes dici merentur.

MOna inſula Rheni, ut Marlianus ait, proxima Hollādię & Friſiæ, tū Gelrię: *Mona.* alij Monaſterienſem putant, uide Tacitū. Lilius Britāniæ & Angliæ inſulam refert ſic dictam. Epiſcopatū huic Carolus aduexit, refert Lupoldus cap. 9 De zelo. Cornelius in hiſtorijs Monam inſulam incolis ualidum receptaculum dixit. Hos Paulinus Suetonius debellauit, dum contra Britannos profectus fuerat.

MVrbach monaſterium in Alſatiæ finibus diœceſis, ſi bene memini, Baſilienſis, Priminius conſtruxit, teſte Spanheimio. *Murbach.*

MAſſagetæ populi Scythiæ, Claudianus in Ruffinum primo: *Maſſagetæ.*

Et qui cornipedes in pocula uulnerat audax
Maſſagetes.

Hos nunc eſſe Alanos Ammianus Marcellinus ait. Valerius Flaccus Thyrſagetes dixit:

Tum uada Thyrſagetas gelida liquiſſe ſub arcto.

Ammianus qui eos Alanos eſſe dixit, ſequutus eſt Pharaſmanum Græcum auctorem apud Dionem Bithynum in uita Adriani Cæſaris.

MAgdenburgum Saxoniæ metropolis eſt, à Ioanne Capnione, uiro undecunq; doctiſsimo, Dmoadum Pirgum dictum, in epiſtola ad Ioannem ex Lupis de Hermeſgrun. Dicitur autem à Græca dictione: dmoades enim puellas ancillares Græci ferunt, quas per Aphæreſim ſeu Endiam prima litera ſublata Maid dicimus, & πύργον pyrgum Burgum, ut πύξος buxus. Hęc ille. Ecce quàm pulcherrima utriuſq; linguę conuenientia in illo nomine, δμωὴ δμωῆς, ancilla dicitur, uel δμωὶς δμωίδος, καὶ δμωάδες miniſtræ ſunt. Aeneas Syluius Magdenburgenſem uocat, & Virginopolim metropolica inſignem urbem inter Saxones, opibus & authoritate memorabilem ſcribit. Magdenburgū Otto primus condidit, ductu eius coniugis Edithæ reginæ regis Echtmundi Anglorū filię, quæ ibi & ſepulta eſt, inquit Lupoldus capite decimotertio. Magdaburg dicta etiam eſt Parthenopolis, à Venere, quæ ibi colebatur, urbs Saxōiæ ad Albim ſita. Otto ciuitatem auxit, & ibi requieſcit, ut uult Otto Friſingenſis libro ſexto, capite 20. Ligurinus Virginis urbem dixit, ἀπὸ τῆς παρθενικῆς ἢ παρθένου, id eſt, à uirgine, ἢ ἀπὸ τῶν παρθενῶνος, uirginum habitatione, καὶ τῆς πόλεως ciuitate. Ptolemæus μοσὸίου, ſi litera non eſt falſa, libro ſecundo, hanc urbem Moeuium dixit, illic ſedes epiſcopalis à Carolo fundabatur. Albertus primus epiſcopus, ab Ottōe anno Chriſti ſupra noningenteſimū translatus eſt epiſcopatus ex Lipſia. Hic Otto, ut Aeneas ait, Eccleſiam condidit, ubi corpus S. Innocentij recubat. Lupoldus capite nono De zelo, Ottonem filiū Henrici primi epiſcopatum hîc fundaſſe aſſerit, & prædijs multis ditaſſe. Et capite 12 idem Lupoldus Ottonem ſcribit à Rudolpho rege Galliæ & Franciæ impetraſſe corpus S. Innocentij martyris, & huc detuliſſe etiam corpus S. Mauricij. Inde anno 963, corpus S. Gerontij huc tranſtulit. Sequenti inde anno auro & gemmis ciuitatem auxit. Hæc Lupoldus. Celtes in Amoribus:

Magdenburg.

Eius

Eius & ad ripas Magdeburgum nobile splendet,
De septem sacris ædibus una nitens.
Condidit hanc Cæsar primus qui dicitur Otto.

Morini. MOrini, Marlianus ipsos Atrebatis proximos esse scribit, & Ambianis, Strabo libro quarto, Menapijs. Pomponius Mela libr. tertio, hos Gallos esse infert, & in ultimo termino sitos sinus Gensoriaci, unde Virgilius octauo Aenei.

Extremiq́; hominum Morini.

Horum urbs Teruana dicitur. De illis Iason Manilius in orationibus Lilius, & Ptolemęus libro secundo Taruantiam & Brugim ciuitates enumerat, Sabellicus libro 5 Enne. 6. hos ait uocari Tornacos. Hieronymus multa mala eos sustinuisse refert, nec pauca Pomponius Mela libro 3. Ptolemæus τοὺς μορίνους uocat.

Martinopolis. MArtinopolis Saxoniæ ciuitas, hæc ab Hunnis uastata, ab Henrico secundo anno Domini 1004 iterum erecta est. Aeneas Syluius à Marte hanc appellationem sumpsisse uult. Ligurinus libro primo:

— *Ad illam,*
Quam Martinopolim uocat incola Teutonus urbem.

Mysia. MYsia uel Mœsia, auctore Orosio lib. primo, capite 26. à Meridie Macedoniam, ab Africo Dalmatiam, ab Occasu Istriam, à Circio Pannoniam continet. Huius accolæ à religione nō amoti sunt, ut Strabo lib. septimo, & Posidonius scribunt, cibo, caseo & lacte uescuntur: ob Deorum culturam dicti sunt οἱ καπνόβατοι, fumi consensores. Posidonius ab animantibus abstinere ipsos asserit. Homerus eminus pugnare eos & ensiferos nominat, Posidonius uerò cominus. Homerus & Dionysius Thraciæ populos Mysos adscripserunt, uide Strabonem. Pomponius Mela libro tertio, fluctibus impeditos asseruit. Est autem duplex Mysia: superior, quæ Seruia nuncupatur, iacet ad oram Ponti, cuius secundum Ptolemęum ciuitas Rhetiaria. Bulgaria uerò inferior ut Lilio placet, & illa Turcia hodie appellatur. eius ciuitates Odessus & Oestus. Mysi à Cimbris originem habuerunt, ut ait Capnion noster, in epistola ad Fridericum III. Hi inde Troianis auxilio uenerunt, ut apud Homerum libro 10 Iliad. liquet, qui Homerus ibidem τοὺς μυσοὺς uocat, ἀγχεμάχους, id est strenuos. Idem eorum proprietates declarauit libro decimotertio, cum ait:

Seruia.
Bulgaria.

Θρῃκῶν καθορώμενος αἶαν
Μυσῶν τ' ἀγχεμάχων, καὶ ἀγαυῶν ἱππημολγῶν,
γλακτοφάγων, ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Thracum respiciens terram Mysorum cominus pugnantium, illustriū equos mulgentium Laccomedentium, nō sumptuosorum, s. tenuis uitæ & duri uictus iustissimorum hominum. Iornandes in libro de Getis scribit, Telephum Herculis filium Mœsiā primò incoluisse, & Mœsiam habere ab Oriente Danubij hostia, à Meridie Macedoniam, ab Occasu Istriam, à Septentrione Danubium, & paulo pòst hāc appellari minorem Scythiam. Dion historicus Grecus in rebus Geticis sępius huius regionis meminit. Valerius Flaccus: Comitumq́; celer imitator equorum Mœsus.

Monacum. MOnacum Munchen, urbs Bauariæ, ab Atterno condita, à Luduico quarto ampliata est, iuxta Isarum sita, reducta inde per Ernestum. Ptolemæus hanc Abadiacum uocat. Huius urbis meminit Sigebertus. Tēpore Ottonis primi per Henricum Bauarię ducem Monacum inceptum est, tempore uerò Alberti episcopi duo parochia habuit. Vrbs hæc sub Germaniæ ciuitatib. principibus subiectis, pulchritudine arcem sibi uendicat. Sunt tamen qui primitus Salutis anno 1175 muro hanc urbem inuestitam fuisse ab Ottone duce Bauarię scribant. Xenodochium uerò illius anno 1208 auspicatum fuisse ferunt.

MEDIO-

MEDIOLANVM à Plinio dicitur, urbs Italiç, secundum Ligurinũ ac alios à Sueuis Senonibus condita, ut Liuius libro quinto Decadis primæ asserit, qui cum Belloueso Gallorum rege profecti sunt. Gotfridus Viterbiensis tempore Troiani excidij hanc initium sumpsisse refert. Alij à Iano filio Insubris, alij à rege Persarum. Peutinger à Gallis, cum Liuio, multa Blondus, Græcè μεδιολάνιον non Italiæ, sed Germaniæ ciuitas est, non illa de qua nunc dicitur. In inferiori enim Germania quodam in loco olim sita fuerat, ut nuper ex literis Peutingeri ad me datis accepi. Sunt qui hanc uulgari lingua Munster nuncupent. *Mediolanum.*

MArcense monasterium S. Amandus struxit, ut eorum habent Annales. *Marcense monasterium.*

MOns gratiæ monasteriũ ordinis S. Brigittæ non procul ab Altorffensi Noricorum ciuitate, à Catharina de Pomerania extructũ est. Illic Ecclesia satis ampla, quæ moniales ac fratres separat. Inhabitatur enim monasterium illud ab utroque sexu, uerùm maius ius monialibus est concessum. Horum monasteria pauca in Germania ferunt. *Mons gratiæ.*

MArtianopolis famosissima urbs, Mœsiç metropolis, à Traiano ędificata, ac nominata est à Martia sororis eius puella, quæ lauans illic perdidit annulũ. Hęc Iornandes, & Dion Grecus meminêre, & illius urbis Suidas in dictione σκύθαι. *Martianopolis.*

MAriæ Viridarium, Marien uuerd, monasterium præmonstratense, in honorem B. uirginis conditum est, anno 1128. ab Hermanno de Knick, propter occasionem ducis Gelriç Florentij primi. Venerunt huc fratres de Laudunen. *Mariæ uiridarium.*

MEdiolanense monasterium in Lotharingia Luduinus dux, & postea Monachus fundauit, ut eorum Annales habent: fuit hic Luduinus episcopus Treuerensis, & postea monachus. *Mediolanense monasterium.*

DE LITERA N.

NOVA Troia teutonicè Feldtkirch, Alsatię locus, olim magnitudine nõ inferior Argentina, tempore Dagoberti, qui illic horas suas descripsit, construebatur. Hæc anno 1022 ab Henrico destructa est, & semel à Carolo, ut Genblacensi placet. *Noua Troia.*

NErui Galliæ populi, magnæ uirtutis & ferocitatis, ait Cæsar libro secundo belli Gallici, apud hos Cæsar in tam magno discrimine fuit, ut prius nunquam, sicuti libro sexto de se asserit. Lucanus in primo: *Nerui.*

— Nimiumq́ rebellis
Neruius, & cæsi pollutus sanguine Cottæ.

Cæsar, Lucanus, Orosius, Liuius, & supra Liuium Florus libro 104. Neruios dixerunt. Strabo & Ptolemæus Rusios, Plinius libro quarto, capite 17. cum Cæsare. Similiter Hermolaus, nisi fallor. Eutropius libro sexto, Tornacus à Cæsare uictos scribit. Sunt enim Tornacenses in regno Francorum, authoribus Marliano & Sabellico libro quinto Enne. sextæ, Sulpitius iuxta Triusgros illos posuit. Strabo libr. quarto, iuxta Menapios, & Germanos nominauit, Cornelius de illis libro 19 Hist. Orosius libro sexto, capite septimo.

NIssa urbs Schlesiæ, ad Nisum fluuium condita, unde appellationẽ sumpsit. De Nissijs Appianus in bello ciuili, an hos an alios uelit, curiosi discutiant, ego apud Appianum Mysi legerem. *Nissa.*

NIgrum Castrum Schuuartzenburg, à Ptolemæo Tiraspolis dictum est. *Nigrũ Castrũ.*

NEuuyler monasterium anno 600. fundabatur à Sigebaldo episcopo Metensi ordinis S. Benedicti, inde anno 1497. temporibus Alberti episcopi Argentinensis & Alexandri sexti papæ authoritatibus, in Ecclesiam collegiatam translatum est. Hæc Iacobus Vuimphelingius, Abbas tamen Spanheimius à Priminio conditum uult. *Neuuyler.*

NEuenburgensiũ prędia multa sunt, est enim monast. Cisterciensis ordinis, *Neuenburg.*

in fundo Lutzelburgensi situm, anno Domini 1128 constructum, ut Vuimphelingius ait, cuius fundator extitit Henricus comes. Est & Austriæ locus ita dictus, quem filius Lupoldi condidit. Nuenburg monasterium apud Heidelbergam, Anshelmus abbas Laurissensis ductu Palatinorum erexit.

Netuuyssenburg. NEtuuyssenburg Turingiæ castrum, à Netuigo duce fundatum est, ut eorum Annales asserunt.

Nouientum. NOuientum Ebersteinmunster, locus Alsatiæ, cuius situm in Odilia nostra descripsimus. Horum Annales dicunt locum hunc nominatum olim Steinbach. Iulius compositis Gallorum rebus, hîc aras Mercurio construxit, quas S. Maternus diruit, & ita Nouientum dictũ est. Inde eremus illic sanctissima horruit. Dagobertus eos affecit multis dispendijs, unde filium in uenatione perdidit. S. Theodatus episcopus amœnitate loci captus, illic consedit, & Ethiconem diuæ Odiliæ patrem, furore percitum, & filij proprij interfectorem, ad pœnitentiam compulit, unde Ethico Ecclesiam illic S. Mauricio fundauit, dotauitq; monasterium, cuius ferebatur primus abbas Childericus Franciæ rex, huius opibus monasterium fuit auspicatum: inde Erhardus, cuius tempore S. Odilia non minori sumptu illud locupletauit: inde Benedictus abbas multa priuilegia à Carolo & Pipino nactus est.

Nurtingen. NVrtingen castrũ Rudolphus Habspurgensis erexit, ut Hermannus scribit.

Nouesium NOuesium, alij Nouesum, ciuitas Rhenana, quatuor miliaribus à Colonia distans, teutonicè Neus, Marlianus Nusiam uocat in Iuliacensi ducatu, cuius & Tacitus meminit. Enarrator Ptolemæi Coloniensis diœcesis esse scribit. Illic filiam Burgundiæ regis sibi copulauit Maximilianus matrimonio. Tacitus libro decimonono Histor. de illo oppido. Apud eundum non longè prosperè certauit Ciuilis ductor. Meminit huius loci Antoninus Pius, Ptolemæus νοουαίσιον dicit, Latinè per æ.

Nantium. NAntium Nansen, Lotharingiæ ciuitas, ubi dux Burgundiæ occisus est, ut scribit Rudolphus Agricola, Antoninus Pius Nasium dixit in Itinerario.

Niderminster. NIderminster à Mantuano episcopo consecratum est, sedis Apostolicę legato, anno Domini 1184. Ibi crux ex lamijs argẽteis, multa Iacobus Vuimphelingius in Catalogo. Est autem in radice Vogesi conditum illud monialium cœnobium ab Ethiconis posteris, à diua Odilia locupletatum, Guitlinda ibi abbatissa prima floruit. Multa in Odilia nostra de illo.

Nassau. NAssau Anaxona à Ptolemæo dicitur, nobilissima progenies, imperatoribus etiam decorata.

Northusen. NOrthusen monasterium Mechtildis regina cõdidit in honorem genitricis Mariæ, & S. Crucis, ubi & sepulta est, ut placet Lupoldo capite decimotertio.

Neoburgum. NEoburgum, teutonicè Minchen Neuenburg, in honorẽ S. Martini in Colonia, Gero episcopus Coloniensis struxit, ut eorum Annales habent. *Monasteriũ in Nigra sylua.* Monasterium in Nigra sylua S. Georgij erexit Hezilo, cum fratre Hessone, in diœcesi Constantiensi: primus abbas Vuilhelmus ferebatur. *S. Nazarij monasterium.* S. Nazarij monasterium in Lorissa diœcesis Moguntinensis struxit Camber nomine comes tempore Caroli.

Nicopolis. NIcopolis Mœsiæ urbs iuxta Lacrium fluuiũ constituta, notissima deuictis Sarmatis à Traiano instaurata, & à uictoria dicta νικόπολις. Hæc Iornandes.

DE LITERA O.

Ottenburen. OTTENBVREN monasterium Sueuiæ prope Memmingen, ab Ottone Sueuiæ duce constructum est, à quo nomen habet, alij Itenburen, haud pauca Vuimphelingius de illo collegit.

Osophonis castrum. OSophonis castrum, Offenburg, ab Osophone Anglo conditore nuncupatur oppidum, uidimus huius monetas nostro seculo adhuc superesse.

O Gdola-

OGdolapis Pannoniæ urbs, à Strabone libro quarto colligitur, ubi Saum fluuium accipit. Ogdolapis.

ONAE insulæ maris septentrionalis, de quibus Plinius libro quarto, & Lilius plura referunt. Onæ.

ODemersheim diœcesis Traiectensis ecclesiæ est, ab Odemaro Francorum rege nomen accepit, à quo & condebatur, Hunibaldo teste. Odemersheim.

OEsbruch monasterium sancti Laurentij condidit Gotebaldus episcopus Traiectensis. Oesbruch.

OSsenburgum Saxoniæ ciuitas, à comitibus de Engern erigebatur, auctore Hermanno. Alij à Iulio Cæsare hanc urbem inceptam esse perhibent, ut Annales Saxonum. Carolus illic Ecclesiam in honorem S. Petri, Crispini ac Crispiniani condidit. Ferunt hanc à pelle bouina dictam, quibus urbs hæc fuerat circundata. Ossenburgū.

OLdenburgum Saxoniæ urbs, à Carolo instaurabatur, ecclesiam illic in honorem sancti Ioannis Baptistæ dedicatam, Adalgarus episcopus sacrauit. Ferebatur ciuitas hæc olim inter Vandalos iuxta mare: multa de ista Hermannus Saxonum scriptor. Oldenburgū.

DE LITERA P.

POlonia Sarmatiæ pars à Boleslao duce clarissimo nomen accepit, qui primi Ottonis temporibus regioni huic præfuerat, referēte Aenea. Hæc prouincia primitus à Zechio eius fratre inhabitabatur. Continet autem Polonia ab Oriente Vistulam, à Septētrione Rhoxanos & mare Scythicum, à Meridie syluas Bohemiæ. Est autem huius terræ natura munitissima, ut placet Radeuico in primo De gestis Friderici libro. Ligurinus Schlesos à Polonis Oderam discernere scribit, & paulo pôst addit: Polonia.

Hos populos, ut fama tenet, à cardine primo,
Solis & æstiuo Phœbeæ lampadis ortu,
Hanc rapidam cursu perlabitur Odera, partem
Tangit, ab arctoo Suitici maris æstuat ora
Fluctus, & indomiti sedem posuêre Rhuteni.
Hæc regio Slauos amplectitur atq; Polonos.

Aiunt Poloniam Anchialem dictam ab Apolloniatis, & præcipuè ubi mare Geticum respicit. Ouidius: Anchiale.

Vecta per Anchiali mœnia findat iter.

Meminerunt & huius loci Ammianus, Ptolemæus, Pomponius ac Strabo.

POmerania ducatus est, cuius meminimus libro tertio in cap. de Marchionibus Brandenburgensibus. Fuit hæc regio primitus à Zechio inhabitata, cętera Aeneas habet. Pomeria.

PAtauiū Germaniæ, Passau, Bauariæ urbs episcopalis pręclara, inter Danubium & Aenum sita. Super Aenum pons est quingentis passibus ligneis, sedecim arcus continens, urbisq; partes annectens. In medio diui Stephani templū possidet, ubi episcopi ædes trans Danubium. Duæ arces, una in cacumine, altera in radicibus sita. Hæc omnia Aeneas in epistola ad Capistranum. Patauium.

PForzheimium alij Portam dicunt Pfortzen, Sueuiæ urbs præclara in Marchionatu Badensi, à Phorce Phorcys ex Euryalo filio nomen habet, cuius Homerus meminit ita dicens: Pforcen.

Phorcys ille Phrygum ductor fuit Ascaniusq;.

Hic ergo Phorcys Corsicæ rex, inter Hercynium & Danubium profectus, tugurium à sene inhabitatum reperit, à quo certus erat, flumen proximum Ae-

neæ,nos die Ens,nomine dici.Oraculo itaq; gaudens, ob amorẽ Aeneæ ducis urbem ad flumen constituit, quam & Pforcen dixit.Hæc Capnion Pforcensis præstãtissimus auctor,primo de Verbo Mirifico uolumine significauit,ob cuius præstantiam Picus ille mentionem illius urbis fecit illo disticho:

Et Phorcen Latiæ donatus lumine linguæ,

Cui sacrum triplici celebratum est dogmate nomen.

Scripsit de urbe illa Hermannus Chronicus. Olim hæc etiam ad Sueuiæ ducatum attinebat, mortuo uerò Conradino ultimo Sueuorum duce, ad Marchionatum deuenit,alij Fridericum primum Hermanno Marchioni urbem illam contulisse uolunt.

Porrenensis. PORRENENSIS urbs Vandalorum in Slauonia ab Ottone primo episcopatui dotata est.

Podeborn. PADEBORN ciuitas Vuestualiæ episcopalis, à Pada fluuio sub altari scaturiente appellationem retinet, ut ait Hermannus Becmannus. Fuit illic incendium maximum anno 1506. Crucem huc Otto secundus detulit, 60 mil. aureorum æstimatam,sexcentarum librarum grauitate mensuratam.Hîc reliquiæ S. Liborij Cenomanni & aliorum coruscant.

Plintburg. PLINTBURG castrum regis Vngariæ iuxta Budam dictum fuerat.

Phenni. PHENNI,Cornelius scribit Fenni, iuxta Sarmatiam sunt,teste Tacito in Germania, qui dubitat an Germanis an Sarmatis eos adscribat. Hodie uerò Germani & Pruteni sunt, die Preussen, teste Volaterrano libro septimo. Sunt qui Bohemos illos siue Morauos uelint.

Alij Pharedani. PHARODINI Meckelburgenses esse perhibentur à Marscalco doctore.

Pegaumense monasterium. PEGAUMENSE monasterium teutonicè Pegau, Egbertus Marchio Saxoniæ, in honorem S.Iacobi auspicatus est.

Petri domus. PETRI domus, Petershusen, construxit Gerhardus episcopus Constantiensis frater Bertholdi de Zeringen,ut Nauclerus & Tritemius uolunt.

Prisniza. PRISNIZA à Ptolemæo Arsenium.

Pachelburg. PACHELBURG Boleatum.

Phanesij. PHANESIJ Oceani Septentrionalis populi, quorum aures, ut Solinus ait,in effusam adeò magnitudinẽ dilatantur,ut reliqua uiscera tegant. De his Zacharias Lilius.

Pemani. PEMANI Germani sunt inferiores, diœcesis Leodiensis,ut enarrator Ptolemæi asserit. Marlianus illos numero ac uoce Condrusis ac Eburonibus similes finxit.

Pannio de Lana. PANNIO de Lana,Amsterdã, urbs Hollandiæ mercatoribus nominatissima.

DE LITERA Q.

Quadi. QVADI à Cęsare,Eutropio,Spartiano & alijs Morauí referuntur.Habitant enim Quadi iuxta Marcomannos,nec degenerant,ut Tacitus ait. Eutropius libro sexto, Iulium Cæsarem Bibulo Consule debellasse scribit Quados Heluetiorum & Galliæ gentes iuxta Vocontios & Sallios. Verba plana sunt Eutropij,ut nulla opus sit coniectura hos esse Heluetios.Ego igitur ob multas ac uarias Quadorum sedes hos olim in Gallia consedisse puto,Galliæq; populos extitisse, deinde Morauiam petijsse. Induxit me ad eam sententiam Festus Ruffus,qui capite decimo,Quadi, inquit, inter Danubiũ & Draum trusi sunt: ex quo habemus ante Cæsaris tempora non fuisse Morauos. De illis multa Sidonius,Hieronymus ad Geruntiam,& Mantuanus ad Cæsarem.

Quindelburg. QVINDELBURG ubi Otto filius Henrici primi corpora S. martyrum Fabiani, Eustachij,Pantaleonis,Hippolyti,& corpus S. Saurentiæ uirginis detulit, anno 912. Mechtildis illic monasterium condidit Virginum uestalium, in honorẽ Dionysij

Dio,nyſij & Seruaſij. Hæc Lupoldus in libro De zelo. Cœnobium illud anno 1476 à Marchionibus Miſnenſibus interceptum erat,ob diſſenſionem cum illis Vuilhelmi ducis Brunſuigenſis.

DE LITERA R.

ROTuuil à Ptolemęo Taxagetum dicitur,& eſt Rhętiæ ciuitas,ut idem ait, anno 1290.maxi mè exuſta,ut Hermannus refert. *Rotuuil.*

RIbuaria locus Saxoniæ eſt.Ligurinus:Saxones & quorum Ribuaria nomi ne tellus.Huius loci Genblacenſis & alij mentionem fecerunt. *Ribuaria.*

RVbiacum Rufach,Alſatiæ urbs ab Antonino dicta eſt,illic S.Valentini ca put,ad quod maior quàm ad totum corpus concurſus eſt. Illic Dagobertus Au ſtraſiæ rex horas ſuas deſcripſit, cuius & hodie ueſtigium manet, perdito filio ſuo uenando,& illo iterum reſtituto per S. Arbogaſtum:oppidum hoc Argen tinenſi epiſcopatui conceſsit,cæterùm antiquiſsima urbs. *Rubiacum.*

RHoxani populi à Strabone dicuntur,iuxta Baſtarnas habitantes,magis ta- men ad aquilonē tendentes, & libro tertio, Rhoxolani nouiſsimi Scytharum, ait, populi in auſtrum, ultimò cognoſcuntur. Aelius Spartianus, & in uita Prj Capitolinus,Fl. Vopiſcus in Aureliano eos Rhoxolanos faciunt. Plinius libro quarto,capite 12 Toxolanos,Troxolanos Ptolemæus,Strabo quoq; Rhaxna- los libro ſeptimo,ultra Germaniam eſſe ſcripſit, & Septentrionales Mithrida- te m eos debellaſſe, & nudos ipſos uiciſſe, quinquagintaq; eorum millia & 59 trucidaſſe. Et ſubiungit, hos thoracibus uti ex boum corijs & ſcutis. Iacobus Carmelitanus inſulam eorum Rhuſsiam uocat. Aeneas Rhuſanam,Pomponi- us Lætus Poloniam putat dici Rhoxiam.Reuera hodie Scythæ ſunt,& infide- les ſecundum alios Tartari nuncupati,teutonicè die Vuyſſen Reuſſen,non lon gè à Liuonia, alij Sarmatas dicũt.Aeneas à Zechio hanc prouinciam primò in habitatam collegit.Cornelius in Hiſto.Roſolanos Sarmaticam gentem,prædę magis quàm pugnæ intentam aſſerit,Græcè ῥοξολανοὶ appellantur. Ptolemæus, καὶ τὴν ὅλην τῆς μαιώτιδος ἰάζυγες καὶ ῥοξολανοί:id eſt,Supra Mæotidem totam Iazi ges & Rhoxolani ſunt. Cætera de illis excludam.Franciſcus enim Biſius tot an nis in Ruſsia de gens,eorum res deſcripſit, & nuper Cracouienſis quidã utram que Sarmatiam copioſè tradidit. *Rhoxani.*

RHuteni uerò alij à Rhoxolanis populi ſunt,Galliæ ſcilicet Belgicę non lon gè ab Aruernis & Santonibus,teſte Lilio. De quibus Luca.lib.primo,Soluun- tur flaui longa ſtatione Rhuteni:ubi Sulpitius Narbonenſi prouinciæ illos pro ximos fecit. Fabius Allobrogicus eos ſuperauit.Eſt enim ciuitas Rhutenorum una ex Allobrogibus,teutonicè Saphoier, alij in Biturigenſi prouincia eos di- xerunt. Hæc ideo,ne Rhoxani Rhuteni credantur. De Rhutenis Pomponius Mela libro ſecundo: quare Ligurinus meo iudicio hìc fallitur, cum Rhutenos pro Rhoxanis carmini adaptauit:ait enim libro quinto,ubi de Polonis loqui- tur: Fluctus, & indomiti ſedem poſuêre Rhuteni. Idem Pomeranios,Pruſſos, Parchos,ſimul atque Rhutenos. Licet & apud Marlianum Rhutenos legerim quoſdam in Baltheo mari eſſe proximos Noruegiæ. Ptolemæus Gallos ῥουτα- νους,Rhutanos appellauit,Galli hos eorum lingua Rodes uocant. *Rhuteni.*

RIgodolum locus,ut Marlianus ait,Belgicæ ſupra Moſellam,ubi Petilius le gatus Romanus magis uicit Germanos caſu quàm prudentia, non longè à Treueri,cuius Tacitus meminit, & enarrator Ptolemæi. Cornelius Hiſtor. li- bro decimonono,Rigodolum, inquit, magna Treuerorum manu Valentinus inſederat,Moſella & montibus ſeptum. *Rigodolum.*

RHemi hodie confœderati ſunt,aiunt Hermolaus & Ptolemæus. Cæſar Re- mios,Plinius libro quarto,capite 16.Rhemos, Peutinger celeberrimam urbem eorum deſcripſit, Hæc non longè à Treueri & Metenſium urbibus circa Ar- *Rhemi.*

duennam est. Vrbem Rhemorum prępotentē,& subuersam suo tempore Hieronymus dist.12,epist.51.collegit.

Alij Rhudij. RHudij populi iuxta Vistulam,aliqui Polonos, aliqui Bructeros uolūt, Ptolemæus libro secundo,capite decimo, tabula quarta.

Rinutij Alij. RInutij iuxta Rhenum populi,Plinius libro quarto,capite decimoseptimo.

Rauraci. RAuraces apud Eutropium libro 6. Orosium,Plinium libro 4. cap.17. Peutingerum,Beatum Rhenanum,Cæsarem & alios Basilienses feruntur. Ptolemęus tamen libro secundo,capite octauo, ῥαυρίκων δὲ,inquit, ἡ πόλις αὐγοῦστα ῥαυρίκων, hos nuncupauit Rauricos,& Rauricum eorum urbem. Plinius licet Rauraces dicat, tamen & aliquando Rauricos,authore Hermolao. Hermolaus quoque Barbarus Raurarícam urbem hanc appellatam autumat. Olim hæc Auxta ferebatur,ut adhuc uestigium manet,testante Antonino Pio. Ego enim apud Antoninum in Itinere à Cauillano ad Treuiros Basileam esse uideo, & inde Auxenam locum. Marlianus inter Sequanos ipsos comprehendit, reuera Basilea hodie dicitur Basel, ut Sabellicus Enne. sextæ prosequitur. Ligurinus Basileæ libro primo,fecit mentionem,similiter & Otto: nec tamen apud antiquiores Basileæ nominis ratio constitit. Nuncupata forsitan à basilisco,cuius formam moneta præ se fert,secundum alios Βασιλεία regina dicitur, ἀπὸ τῆς βασιλεύειν, hic Rhenus mira pernicitate præterfluit. Multa ciuitas illa incōmoda sustulit à Rudolfo Habspurgense: impugnata est ab Vngaris tempore Cunradi,terræ motu etiam penè corruit,anno 1351,in festo S. Lucæ, ut Annales Argentinensium dicūt. Vrbem hanc primitus Trebetam condidisse referunt, post Abrahæ tempora, teste Gresmundo. Henricus II illic Ecclesiā instaurauit,& multas reliquias huc detulit,referente Lupoldo capite duodecimo: olim Austriæ ducibus paruit. Insigne illic Gymnasium uiget,quod anno 1464 incepit.

Reutlingen. REutlingen Sueuiæ urbs, olim uilla, ab imperatoribus muro cincta, anno Domini 1282. igne nostro tempore penè consumpta est. Huius oppidi meminit Hermannus Historicus: imperio paret,uno à Tubinga distans miliari: leprosorum illic domus amplissima est,conflictus uerò ille famosissimus anno 1374 iuxta urbem hanc agebatur.

Rostock. ROstock urbs maritima Saxoniam attingens. Latiburgum dicta est à Ptolemæo libro secundo,capite decimo. Ego uerò lego apud Græcum Ptolemæum λαχιβούργιον, Laciburgium, duci Mechelburgēsi subditur,populis ac diuitijs opulentissima. Vniuersitas hîc initium sumpsit anno 1424.

Rotenburgū. ROtenburgum ciuitas Sueuiæ,ubi tempore Luduici imperatoris, anno Domini 914. tertio kaleñ. Septem. Episcopus Argentinus occisus est anno 1368. à ciuibus Argentinensibus diruebatur, ut Vuimphelingio placet. Alij hanc ciuitatem τὴν ἐρυθρόπολιν dixerunt, ἀπὸ τῆς ἐρυθροῦ καὶ τῆς πόλεως: id est, rubeam ciuitatem. Glareanus:

Prendit Erythropolitanos curuo aggere muros
Hic olim pugnans regno Ariouistus auito,
Teutonicas rexit caulas,gentemq; superbam,
Germanos.

Illa nunc apud Neccharum uno miliari à Tubinga distat, quæ penè terræ motu concidit, quam Albertus quidam de Hohenburg condidisse fertur, anno 1271. prius Lādfort dicebatur. Hæc Nauclerus. Est & alia urbs eiusdem nominis iuxta Tuberā, quæ olim proprijs ducibus paruit, nunc imperio post Friderici primi secula accessit,à rubore turrim & tegularum nomen habens.

Rugi. RVgi populi à Iornande, Hieronymo, Eutropio appellantur. Sunt autem hi qui incolunt Rugorū patriam, Teutonicè Rugilant, de quibus Diaconus lib. 1. in

in rebus Longobardorum. Cætera lib. 3. explicauimus. Sunt qui eos in Mechelburgenses abijsse dicant, nisi quòd apud Danubium eos uiderim se cõtinuisse.

RAuenspurg comes quidam Sueuiæ Saturnius dictus condidit. Rauenspurg.

RIgomagum oppidum est prope Coloniam, ut scribit Marcellinus libro 16. Meminit huius & Antoninus Pius in Itinerario, alij Rigomagium ferunt. Rigomagum.

RAperstain prædium Alsatiæ, Latinè Rockspoletum, unus Spoletanorum comitum erexit, ut Annales eorum uolunt. Raperstein.

RIchenbach monasterium in honorem S. Gregorij constitutũ est, ab Vuilhelmo abbate duplicis Aquę, ut Spanheimius asserit. Anno tamen 1083. in prioratum euasit, & ecclesia illic fundata est. Richenbach.

RImegen monasterium Carolus Magnus condidit in honorem S. Petri & Pauli, & illic episcopum constituit: nescio quæ Hermannus de Theoderico Saxoniæ duce eiusdem constructore ferat. Rimegen.

RIsa Sueuiæ pars inter Danubium & Altmonum, ubi Ottingen, Nõrlingen, Bopffingen, Lauchen patria Ioãnis Secerij, urbes coluntur: alij hunc locũ à Rhętis appellationem sumpsisse ferunt, sedes olim illic tenentibus. Risa.

PRæposituram in Ringaugio non longè à Vinicella & Gysenheim in monte Bischoffenberg S. Ioanni dicatum struxit Richardus episcopus: ampliatum etiam est per Richardum Rheni comitem, ut habent eorum Annales.

RIttershusen monasterium S. Benedicti ordinis à Lutolpho duce Saxoniæ exordiebatur, & à Riddacho nomen tulit huius habitatore, unde ab alijs Riddageshusen integra appellatione nuncupatur. Rittershusen.

DE LITERA S.

SVEuorum gens, Germaniæ populis longè optima, toto orbi agnita, quibus nec Deos immortales esse pares, Vsipetes apud Cæsarem libro quarto testantur, bellicosissimos & ferocissimos populos. Quem secuti inde sunt Orosius & Florus: illi enim fortissimi hic ualidissimi cognomen Sueuis indiderunt, à Mantuano gentium trucium appellationem tulerunt. Reliqua libro tertio & sexto copiosè dedimus. Nobilissimi autem Sueuorum Senones ferebantur, Cornelio ac Ptolemęo testantibus. Hos aliqui nunc Galatas esse dixerunt, cui sententiæ non multum tribuo, Hieronymus in epistola 2 ad Galatas, in Gallias tranlatos esse asserit. Eusebius in Chronicis, Orosius & Suetonius, Sueuos & Sycambros ad Gallias Augustum traduxisse referunt. Concordat Strabo libro septimo, Eutropius id Drusum fecisse testatur. Hi igitur postea in Tigurinos partim in Galatas abiuerunt, sed Senones Floro authore penitus desierũt diu ante Augustum. Nec me fugit Senones olim Galliam Italiamq; intercepisse, uerùm non illius farinæ extiterunt, cuius illi, qui à Druso traducebantur. Facit mecum Plutarchus, nobilissimi enim scriptores Senones partim Celtas partim Gallos nuncupauerunt. Senones Volaterranus Polybij & Plinij autoritate meminit, olim Brixiam & Veronam cõdidisse. Ego apud Polybium lego olim potentissimos fuisse, ad mare scilicet Adriaticum usq; consedisse Vfentem, uel ad Athesim. Mantuanus de ipsis ita ad Cæsarem: Senones his adiunge quibus pro legibus arma. Fuit ciuitas Gallię Senonũ dicta à Senonibus, iuxta Treueros, ut Marcellinus libro 16 asserit: qui & Italię urbs est, cuius præter Nauclerum & Viterbiensem Ptolemæus libro secundo recordatur, illo dicto: ἀνατολικώτεροι αὐτῶν σέννονες ὧν πόλις ἀγήδηκον: id est, Orientales Sueuorum Senones sunt, quorum ciuitas Agedecum. Meminerũt urbis Senę Cornelius, Polybius, Plinius lib. tertio, capite quinto, & Lucanus 2. Sillius Italicus. Et Glanis & Rubicon Senonum de nomine Sena, & quam optimè iuxta Rubiconem describebatur. Vnde Strabo σῆνα πρὸς τῷ ῥουβίκωνι ποταμῷ. id est, Sena ad Rubiconẽ fluuium. Vt autem quædam de Sueuorum extensione dicam, primò Ptolemæi Sueui.

Alij Anglij. uerba afferam. Interiora, inquit, & mediterranea Sueui tenent Anglici, & magis tamen Orientales. Longobardi uerò prætenduntur ad Septentrionem, ad medium Albis fluuij. Hi aduersus Senones habitant post Albim uersus Orientem, & subdit: Mugotos Sueuos Vistulã usq; dilatari. Strabo in hoc Ptolemæo astipulatur, qui Sueuorum sedes ad utrãq; Albis ripam posuit. Inde intelliguntur Historici, qui Drusum & Augustum Sueuos ab Albi submouisse testabantur. Lucanus, Fudit ab extremo flauos aquilone Sueuos Albis. Cornelius Cheruscos Albis cultores Sueuos probat. Sueuiæ præterea extensionem satis Mantuanus ad Cæsarem indicauit:

— Amplißima cerne
Regna Sueuorum, quos Vistula claudit & ingens
Oceanus, uada Danubij confinia gentis,
Tot complexa sinu immenso excurrentia longè.

Iornandes Sueuiam Dalmatis uicinam, & nec longè à Pannonia eos distare dixit, præsertim ubi nunc Gotthi sunt. Audiatur Cornelius cum infit: Sueui totius Germaniæ gentes maximæ & latißimæ, proprijs nominibus nuncupati sunt, ut Catti, Tenceri, &c. usq; ad mare Suiticum protenduntur. Hæc Tacitus. Ex quibus uerbis habemus Prusiam & Sarmatię maiorem partem olim Sueuiam fuisse. Orosius LIIII Sueuorum gentes collegit lib. primo, capite secundo. Vnde Cornelius Marcomanos, Quados, Marsignos, Buros, Ligios, Sueuos probat, quos nunc Morauos Vngarosq; nuncupamus. Iornandes ab Oriente Bauaros, ab Occidente Francos, à Meridie Burgundiones, à Septentrione Turingos Sueuiam continere asserit. Lilius, Cæsar lib. 4, Marlianus, Eutropius libro quarto, Eusebius, Methodius & Marcellinus centum pagos Sueuorum numerant. Marlianus Bauariam, Austriam & Badẽses quoq; Sueuos probat. Ptolemæus ciuitates Heluetiorum multas Sueuis attribuit. Meritò ergo Cæsar potentia hominum & frequentia cæteros hos anteire dixit. Nunc de eorum moribus dicam ex singulis pagis, singula millia armatorum quotannis bellandi causa finibus suis educunt, nec agricultura, nec belli ratio, ab illis prætermittitur, non plus anno in uno loco remanserũt, non multũ frumento, sed lacte uiuebãt, quotidiana exercitatione assuefacti. Nec in multis locis uestitum habuerũt, nisi pelles. Nihil turpius apud ipsos fuit q̃ ephippijs uti. Cornelius horrendum capillum usq; ad caniciem Sueuos nutrire indicat, & multa Eusebius in uita Augusti, de fortißimis tam experientia uirium quàm exercitatione Sueuis adducit. Plutarchus in Cæsare hos præstantißimos Germanorum nominauit. Horum uirtutis testimonium ex Gotfrido Viterbiense adducunt dicente:

Iudicio cœli dominantur in orbe Sueui,
Nunc ubicunq; geri respublica prælia quærit:
Ordine primus erit, gladio uult primus haberi.

Marlianus & Boccatius à Sueuo monte dictos uolunt, alij à flumine, quorum mentio facta est: ego à Sueuo rege filio Gambriuij nomen sortitos existimo, testibus Beroso libro secundo, Peutingero & Nauclero.

Schlesia. SChlesia Germanię addicitur, quia citra fluuiũ lingua ualet Germanica. Habet hæc regio ab Oriente Vngariam, à Septentrione Poloniam, ab Occidente Mysiam, à Meridie Bohemiam. Slesiam ita descripsit Gaguinus:

Huius ad occiduum percurrens Sclesia Phœbum,
Odera quos inter gelido de monte fragosus
Præcipitans sese nemorum per opaca recuruo

Amni

Amne ruit, uolucrumq; in obesis carmina ripis
Audit, olorini uelut alta fluenta Caystri,
Erygonem triplici quos Vratislauia muro,
Oderæ, & alueolis munita bicornibus omnes
Cellit & excelsi pendentia nubila cæli.

Ligurinus Schlesiam à Sclesо fluuio nominauit, alij à rege sic dicto: multa Aeneas Syluius. Vrbes eius sunt Nisa, Vratislauia, Nouum forum, Gorlitium, Paucenum, &c.

SEgenbergum monasterium in agro Coloniensi à quodam episcopo ibidē condebatur, qui & Salaueldiam erexit, & à Sala flumine dixit, cui Ezo primus præfuit abbas. In monte uerò Segenbergum monasterium tribus à Bonna miliaribus distans, Eduarus rex Angliæ fundauit. Monasterium Spanheimense anno 1124. Meginhardus & Rudolphus de Spanheim comites condiderunt, primus abbas eorum nobilitatur Bernhelmus. Horum Annales scripsit Ioannes Tritemius nostræ tempestatis eorū abbas, qui nuper diem extremū obiuit. Segenbergum. Monast. Spanheimense.

SChafhusen Heluetiorum ciuitas, Platina Schaphusam uocat, ac Austrię oppidum, in uita Ioannis 22. Monasterium non procul ab illo exordium sumpsit anno 1084, ut Annales Argentinensium dicunt. Meminit huius oppidi Poggius ad Aretinum Peonhardum in epist. Glareanus hanc Arietis urbem uocauit. Schafhusen.

STiria Styrmarck, à Meridie regio montosa, à Septentrione Austriam habet, ab Occidente Carnos, teste Aenea. Celtes libro secundo Odarum: Stiria.

Ortæ de Carnis generosæ terris,
Illyris qua se Venetisq; iungit,
Et suas pandit sinuosa pulchras
Stiria ualles.

Alij Valeriam hanc nuncupatam à Valerio referūt, prope Vngariam dicente Syluio. Valeriam Marcellinus libro decimonono dictam uult à filia Diocletiani, nomine Valeria, quæ Stiriam condidit. Regio est montana, nisi ab Oriente, ubi in planum prorogatur. Hanc Drauus & Mura irrigant, Mura Drauo postea infunditur, omnes Germana lingua utuntur, præter Draui accolæ, quibus Illyrica familiarior est.

SYlla urbs olim Syllaceum nuncupabatur, in Stiria à Pub. Sylla retinet appellationem: multa illic Romanorum ueterum uestigia horrent. Hæc Sabellicus libro tertio Enn. decimæ. Sylla.

SEligental monasterium haud longè ab Ostrosylua à monialibus inhabitatū & à nobilibus de Thurn conditum legitur, diœcesis Moguntinensis. Seligental.

SVitenses siue à Suedis deriuati aut à Sueuis, siue uilla eorum Suytz, anno Domini 1306. tres tantum partes tenuerunt, ut eorum Annales aiunt. Aucti iam in immensum, de quorum ciuitatibus parum Sabellicus libro quinto Enne. 6 collegit. Sunt autem iuxta Constantienses, Sedunenses & Basilienses Suesi, ut Marlianus prosequitur. Pomponius Mela lib. tertio, Suesiam uocat horum urbem. Lucanus: Et Biturix longisq; leues Axones in armis. Bebelius legit Axones, Nestor Saxões, Sulpitius Suesiones. De illis Liuius, et supra ipsum Florus libro 104. Marlianus diuersas gentes Suesios & Suesiones uult, hos Celtas, hos Belgas. Aeneas Syluius Suitenses illos nuncupat, Lilius Suesiones. Plinius lib. 4, cap. 17, & Cæsar Suesionum meminerunt. Ptolemæus & Strabo Vessionum. Ammonius inde & Strabo quandoq; cum Plinio. At ego cum Hermolao dubitabo, an de Heluetijs, an Sarmatiæ populis iuxta Prussiam hæc scriptores inuerint, Hi, ut Aeneas ait, à Delphino semel uicti sunt. Alia prius dixi. Suitenses.

Schuartzach. SCHVARTZACH anno Christi 749 fundatum est monasteriũ sancti Benedicti, inde Heddo uel Hebdo episcopus Habspurgensis comes, ius exercendi pontificatum eis tribuit. Hoc monasterium Vttonis episcopi 27 Argentinensis anno 845. in alium locũ translatum est, trans Rhenum uidelicet, ut Vuimphelingus & Annales Argentinensium collegerũt. Sigebertus anno 815. tempore Ludouici imperatoris monasterium hoc exordium sumpsisse putat. Primus abbas F. Benedictus nominatur. Priminium dotasse illud cœnobium Spanheimius scribit, & ampliasse.

Sbocij. SBOCIJ, alij Suatij, Suacenses sunt, u in b, & a in o uertendo, ut Iacobus Spiegel indicat, Picus Mirandulanus in Cruce: Vasto populus dum Sbocius antro Effossum uarios argentum mittit in usus. Sunt autem populi Estlandiæ, quorum meminit Plutarchus in Ottone.

Sycambri. SYcambri à Iuuenale, Celte, Pico & Martiali torui dicuntur, similiter à Cæsare, Peutingero, & alijs. Strabo Sugambros uocat, quia Græci per *υ* scribunt, quod Latinè in y uel in u transfertur. Sycambros primò Scythas fuisse clari autores testantur, unde telis Amaxonum utebantur. Hoc Horatianus interpres uoluit. Venerunt item ab Amazonibus in Thraciam, postea ad Albim sederunt. Inde per Drusum ab Albi traducebantur ad Rhenum. Quod Horatius indicat libro quarto, Oda secunda:

Concines maiori poeta plectro
Cæsarem, quandoq; trahet feroces
Per sacrum cliuum merita decoro
Fronde Sycambros.

Strabo hos Rheni accolas fecit. Ptolemæus Busacteros hic habitasse & Sycambros dictos conuincit. Nominantur autem à ciuitate Sycambria, quã Franci condiderunt, teste Hieronymo in Eusebij suppl. Hunibaldus uerò Sycambros primò dictos uult ex regina Cambra, uxore Antenoris astutissima: & cũ astum intelligere homines uoluerunt, prouerbij loco dixerunt, Ecce Camber, teutonicè Sich Camber, unde composito nomine postea Sycambris id nomen remansit. Eusebius ipsos extollit ut fortissimos, & uirium belliq; expertissimos. Cæsar libro quarto belli Gallici multa de ipsis collegit. Hodie autem, ut Lilius & Sabellicus scribunt, dicuntur Flammingi & Gelrenses, quod ita Celtes in Amoribus notauit:

Hæc Bataui madidiq; habitant loca nota Sycambri,
Quos nunc Gelrenses, Flaminiosq; uocant.

Eorum Ptolemæus lib. 2, capite decimo, tabula secunda, meminit. Itaq; semper inferioris Germaniæ Rhenani Sycambri nominantur, Cæsare teste.

Sebusiani. SEbusiani populi Galliæ, nunc Bellicenses dicuntur, Marliano scribente. Multa Cæsar. Hos, ni fallor, Secusanos Hermolaus uocat, Plinius libro quarto, capite decimooctauo Secusios, Marlianus Segusianos. Sunt autẽ Galli Transrhenenses proximi Allobrogibus, Sequanis & Heduis. Galli hos Bresse uocãt.

Salsa. SAlsa Rhenana Seltz, ab aqua illic & Rheno appellatur, ab Adelheide Imperatrice locupletata, quæ ibi requiescit. Hæc monasterium ibi condidit, quod Vulderolphus episcopus cõsecrauit. Tempore Sixti quarti, ecclesia illic in collegiatam abijt. Hæc Vuimphelingus. Adelheidis facta Odilio abbas Cluniacensis copiosè scripsit, similiter Hermannus historicus, & nuper quidam carmine res eius notauit, & post ipsum Lupoldus De zelo capite decimotertio. Fuit autem urbs hæc destructa anno 1357. Hæc Annales Argentinensium.

Stolhofen. STolhofen in Marchionatu Badensi oppidulum, anno 1330. per Bertholdum

&

& ciues Argentinenses obsessum, non tamen expugnatum est.

SAlatij Franci sunt, ut aiunt Marcellinus & Peutinger, ille Marcellinus libro septimo, Francos, inquit, quos consuetudo Salios uocat: Hermolaus legit Salatios, Ausos olim in Romano solo apud Toxandriam locum habitacula fixisse, Hermolaus legit Toxandram. Plin. libro tertio capite decimonono ex sententia Catonis scribit hos Tauriscorum gentes esse. Strabo Augustum funditùs deleuisse eos collegit, ubi triginta sex & octomillia uel occidit, uel sub corona uendidit. Multa Liuius libro 135. & supra eum Florus, qui has alpinas gentes à Crasso domitas uolunt. Salatij.

SAlassi alpinæ gentes, Bois Heluetijs contermini feruntur, hodie Mediolanenses & Tarentasij nuncupantur. Salaßi.

SOrabi Saxones sunt secundum Genblacensem, iuxta Turingos tantùm flumine Sala, secundum alios Sara, diuisi. Celtes in Germania, multa Spanheimius in Hist. Frãcorum, ubi de Dagoberto loquitur, Sorabos Bohemos dixit, cui non accedo, uerùm Turingos dici fortiùs assererem. Sorabi.

SAxones ut Genblacensis ex Histor. eorũ protulit, à Danis, alij Nordmannis originem habere uolunt. Græci uerò à reliquijs Alexandri Magni, quibus Annales Argentinensium astipulantur, alij ab Anglis. Hi ergo in Germaniam uenerunt in locum Hathologa dictum, eo tempore quo Theodericus Frãcus, ducem Turingorum sollicitauit. Paulus Diaconus libro undecimo, & Sabellicus ante Theodericum Saxones in Germaniã profectos collegerunt. Valentinianum enim Cæsarem Saxones gentem ferocißimam in littore sitam Oceani, uirtute & agitatione in Francorum fines meditantem uicisse. Martianus autem Cæsar, sub quo Theodericus fuit, posterior erat Valentiniano: sed ad rem ut redeam, Turingi grauiter ferentes eorum aduentum, ait Genblacensis, bello coacti ipsos admiserunt, demum Saxones conciliati Theoderico hanc oram intercepérunt. Hęc ex eorum Annalibus. Ptolemęus lib. 2, non longè ab Oceano uel Cimbricis littoribus habitare Saxones scribit. Mihi præterea persuasum est Cimbricam Chersonnesum Saxones possedisse, unde insulas Saxonicas adhuc Dietmars nominatas Ptolemæus uocat. Hodie uerò Saxonia continet, Aenea teste, ab Aquilõe Danos, à Meridie Francos & Bauaros, à tergo Bructeros. Capnion in epistola ad Fridericum ait, ipsos originem habere cũ Turingis à Cimmericis, nunc Cimbris, olim iuxta Thraciam se continuisse, inde ad pontum Axenum consedisse, à quo dicti Axeni. Axenos enim à Gallis Saxones dici, sicuti Græci ἑπτὰ, nos septem ferimus, & e in o ueluti Appollenem, sæpè nos Appollonem. Capnion tamen in epist. ad Fridericum ducem Axones legere uidetur, & Saxones dicere Græci ἄξονες dicunt. Ptolemæus: ἐφεξῆς δὲ ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς κιμβρικῆς χερσονήσου ἄξονες. Multi autem populi nomine Saxonum comprehenduntur, ut Frisij, Vuestuali, Turingi, Brandenburgenses, Pomerani, & nobilißimæ ciuitates Magdenburg, Lubeck, Hamburgum, Leoburgum, usq; ad Oceanum & utrunq; mare. Saxonum res proprijs historijs complexi sunt, Vidichindus, Adalberio, qui usq; ad Theodericum scripsit, ad annum 953. Vitikindus etiam ac Hermannus diligentißimi Saxonum historici, multa memoria Saxonum res sunt prosecuti. Est & Henricus Erphordiensis Saxonum enarrator, qui inter cætera illam Saxoniam ab Albi ad Vueseram Ostrosaxoniam, à Vuesera uerò ad Rhenum Visosaxoniam nuncupauit. Coclæus quinq; linguas Saxonum adducit: Nec id prætereundum nobis est, quod Paulus Diaconus allegat, Saxones uidelicet olim ubi Sueui habitant, sedes tenuisse, & cum Longobardis Italiam intercepisse. Reuersos inde eorum sedes à Sueuis occupatas armis expostulasse, dimidiamq; penè partem eorum, Sueuorum Marte concidisse. Cætera libro tertio adnotauimus. Saxones.

SVR-

Surburg. SVRBVRGENSE collegium à Childeberto Francorum rege constructum est, à Dagoberto dotatum. Illic reliquiæ sancti Arbogasti coruscant. Decanus huius Vitus Geisfel præter summam morum innocentiam uir consummatissimus, in tribus linguis sacer & mirabilis meretur.

Sita insula. Sita insula est maris Oceani, quæ à fronte Rhenum, retrò & à lateribus habet, ut inquit Cornelius in Histor. Hanc Catti olim occupabant: sunt qui Hollandiam uelint, alij Selandiam.

Sunnonia. SVnnonia, secundum alios Sunda, supra Oderam à Franco Frācorum rege constituta est, ait Hunibaldus, hanc urbem Ptolemæus Buricinum nominat.

Stutgarten. STutgardia ciuitas Sueuiæ in ducatu Vuirtenbergensi, quam Rudolphus Habspurgensis muro uallauit, anno Domini 1286. secundum sententiam Hermanni historici, Eberhardus comes Vuirtenbergensis illic Ecclesiam dotauit anno 1325. Sunt qui olim ad Marchionatum Badensem hanc urbem attinuisse ferunt, & per Rudolphum comitibus Vuirtenbergensibus additā, atque per connubia à Marchionatu ad prædictos comites deuenisse scribunt. Habet urbs hæc nunc Capnionem totius Germaniæ columen.

Sacconium. SAcconium Seckingen ciuitas, non longè à Basilea, ubi S. Fridlinus sepultus est. Meminit huius oppidi Glareanus poeta.

Solidurnium. SOlidurniū in alpibus Suiticis locus, teutonicè Solodurn dicitur, quasi sola turris, locus uetustissimus, cū Treueri cōditus est, ut Epigrāmata hæc denotāt:

— Solidurnia regna peragrat
Regna sub Abrahamo tam fausto sidere nata,
Vrbs Treueris soror & Romæ, quam scindit & ambit
Cultus Arar.

Rhegino Cosman & Damianum in Gallijs uersatos fuisse ait, in castro Solidurnio, quod supra Arolam est. Meminēre huius urbis Antoninus Pius & Augustanum Itinerarium.

Spira SPira ciuitas episcopalis Germaniæ ampla, quā Rudigerus tricesimus eiusdem urbis episcopus ciuitati addidit: alij uerò altiorem originē afferunt. Cunradus II Ecclesiam ibi fundauit, et filio suo Henrico ad perficiendum reliquum opus reliquit. Est autem hæc ciuitas penè ab omnibus imperatoribus dotata: multi etiam imperatores illic eorum ossa condiderunt, ueluti Henrici, Conradus, Rudolphus, & alij, quorum memoria in quadam tabula choro infixa prorogatur, & ab Ottone Frisingensi in Chronicis adducuntur. Lotharius hanc urbem obsedit, anno 1126, authore Sigeberto. Ecclesia illic post mortem Ottonis episcopi Frisingensis igne populabatur, ut collegit Radeuicus libro secundo, capite tertio, De gestis Friderici. Plura preterea de eius flagratione Aeneas Syluius protulit. Conradus II. Ecclesiam Guidonis construxit, prius ad S. Ioannem dictam, & reliquias eius huc traduxit, autore episcopo eorum Sigebaldo. Est & illic Ecclesia S. Germani, cuius canonici olim in Sintzheim Vuormaciensis diœcesis residebant, à Dagoberto constituti, hos Ioannes episcopus Spirensis huc traduxit. Venit tempore Cunradi III S. Bernhardus ad Spirenses, cuius uestigia in Ecclesia adhuc supersunt. Recens autē nomen est Spira, & quod nulli ueterum constabat ante Henricorum & Ottonum tempora: Otto enim Frisingensis libro septimo, capite 16. & Ligurinus inter antiquissimos referuntur, qui Spiræ mentionem fecerunt: priscorum enim omnes Spirenses Nemetes dixerunt, quemadmodum Cæsar in primo, Cornelius, Marcellinus libro 16. Plinius libr. quarto, capite 17. Ptolemęus libro secundo, capite octauo, Strabo, etiam recentiores, ueluti Orosius, Eusebius, Hieronymus dist. 12, epist. 31. Nunc uerò Spira, ut Peutinger asserit, à mola nuncupatur, unde Sebastianus Brant:

Inter

Inter Germanos quondam celeberrima Spira,
Quondam hæc à molis nomen habere studens.

Vnum quasi inter mundi miracula recensendum adducere placuit, ut opus in Germania non alibi uisum, Oliueti montem Christi passionem referentem, quod planè tanto sumptu indigebat, quanto olim aliquod paruum oppidum.

SElestadium Schletstat, alij Argentariam siue Argentuariam, alij Heluetum dixerunt, uide in eorum dictionibus. Eckius nominat eam Seleucam. Vuimphelingius Seleutiam, Capnion Selestadium. Monasterium S. Fidis erexit Fridericus dux Sueuiæ, anno Domini 1087. Hāc à Bertholdo, anno 1352. & inde per Ioannem de Liechtenberg, anno 1360 obsessam Annales Argentinensium tradunt. Erasmus Roterodamus de ea ciuitate nuper carmen fecit. *Selestadium.*

SEgni Belgarum populi Germani, finitimi Condrusis, inter Eburones & Treuiros, iuxta Mosam, ut placet Marliano, sunt Germani numero & genere. *Segni.*

SEgestica urbs Pannoniæ, ubi plura flumina concurrunt, Strabo libro septimo. Plinius libro tertio, capite uigesimosexto, Colaphim in Saum illic effluere conuincit. Cicero & Ptolemæus hanc Segestam & Segestanos, Græci Egestanos per aspirationem proferunt, quam nos in s uel v uertimus, ut ἑσπέρα, nos uespera, ἑπτὰ, nos septem, Appianus Segestam nominat in bellis Ciuilibus, & ab Augusto uictam. Lycophron Thucydides, Diodorus, Strabo ἐγεσικὴν Segesticam uocant, ab Egesto Troiano, ut ait Polybius. *Segestica.*

STragona Bosna dicitur regio inter Vngariam & Illyricum. *Stragona.*

SVborini populi Istriæ feruntur. *Suborini.*

SLauonia Illyrium est & Liburnia, ait Lilius, Ligurinus in Polonia ipsos habitare scribit. Iornandes de ipsis in lib. De rebus Gotthorum, & ego libris prioribus plura retuli. *Slauonia.*

STephani campus Stechsfelt, quasi Stephesfeld à Stephano Alsatiæ Lantgrauio quodam conditus, qui illic sepultus est. Collegium S. spiritus, haud longè ab Hagenoia. *Stephani campus.*

SVdinos populos iuxta Marcomannos posuit Ptolemęus libro secundo, capite 10, tabula quarta. Aeneas Syluius hos esse putat Morauos die Merher, alij Sidini dicunt, & melius: quia Græcè σιδηνοί, Ptolemæus, ἀπὸ σιδηνοὶ μέχρι τοῦ ἰαδούα ποταμοῦ: ubi per ι scripsit. Sidini usque ad Iduam siue Iaduam fluuium sunt, ergo Sarmatiæ populi feruntur. Alij Vmbros superiores esse dixerunt, Sidunos uerò Pomeranos, Sudinos autem Polonos. *Sudini.*

SChutern monasteriū Latinè Osophonis cella, ab Osophone, qui & Offenburgum condidit, dictum, anno sexagesimotertio natiuitatis Christi, in Trinitatis & B. Mariæ honorem: labitur ibi flumen Schutter, à quo nomen sumpsit: hîc & sepultus ossa sua condidit Osophon. Multa Vuimphelingius in catalogo, Annales Argentinensium tempore Priminij episcopi inceptum esse uolunt. Quod & abbas Spanheimius, qui non Osiphonem, sed Priminium hoc condidisse asseruit. *Schutern.*

SOsipetes Iulius Capitolinus in uita Antonini Pij, Eusebius, Orosi. libro sexto, Germanos dicunt, non addunt ubi terrarum sint, unde nec coniectare possumus, nisi Sycambros uelint, quod tamen uix dicerem. Trebellius Pollio illos Sigipedes nominat: fuêre autem Pannoniæ populi & Sycobates. *Sosipetes.*

SVltzberg, monialium cœnobium constructum Nauclerus refert ab Hezelino & Gebisone fratribus, ubi & sepulti sunt, qui & S. Petri monasterium in Nigra sylua fundauerunt. *Sultzberg.*

SIndelfingen monasterium erexit Adelbertus, cuius neptis nupta est Vuelphoni ultimo, teste Nauclero. Fuit autem ille Adelbertus de Calb dominus, *Sindelfingen.*

uxor eius Vuilica, ut scribit Spanheimius in Chronicis Hirsaugiensium. Anno Domini 1477. ad instantias Eberhardi Vuirtenbergensis comitis, Mechtildis genitrix Ecclesiam ibi diui Georgij ad Tubingam transtulit.

Sabaci. SAbaci Sabaudienses sunt, autore Philelpho in Epistolis.

Straubingen. STraubingen Bauariæ oppidum conditum est à Ludouico duce Bauariæ, anno 1208, ut Annales Bauariæ testantur.

Stagnen. STagnen non procul à Slauonia locus, ab antiquis Saxoniæ ducibus conditum dicitur. Sunt qui à Iulio Cęsare uolũt, inde à Carolo Magno instaurabatur.

Staden. STaden antiquissima Saxoniæ urbs tunc temporis à Saxonibus struebatur, quo contra Turingos primitus insurrexerunt, ut uidetur Hermanno scriptori Saxonum & Vitikindo.

Slesuigium. SLesuigium urbs à Carolo Magno instaurata, à Iulio Cæsare primitus fundata est. Hæc Hermannus, Otto inde Cæsar illic episcopatum auspicatus est.

Steiningum. STeiningũ Cæsar Conradus erexit sui nominis primus, refert Hermannus.

Soltfeldium. SOltfeldium Iulius Cæsar in Saxonia condidit, & à Sole nuncupauit, ut illic reliquię ẽ Solis statua ostendunt. Carolus autem penitus idola illic destruxit, ue luti Hermannus scriptor multa memoria exequitur.

Saluatoris monasterium. SAluatoris monasterium in Vogeso molitus est S. Berthildus episcopus Tungrensis.

Schontal. SContal monasterium diœcesis Herbipolensis supra Iagustam fluuiũ haud procul ab Odenuualt, à Conrado qui illic ordinem induit, exordium sumpsit.

DE LITERA T.

Teutz. TEVtz locus ẽ conspectu Coloniæ in ripa Rheni, ubi monasterium in honorem Mariæ Heribertus episcopus exordiebatur, quod sæpe à ciuibus Coloniensibus destructum est.

Treueris. TReueris Trier, superba & superstitiosa ciuitas ait Pomponius libro tertio, condita est tẽpore Abrahæ, autore Gotfrido Viterbiensi ante aduentũ Christi 1947. Quidam à Trebeta auspicatam dicunt Treuerim, ut eorum Annales habent. Cham, diluuio cessante, genuit Chus, Chus Nemroth, qui turrim Babylonię struxit, hic Assur & Ninum suscepit, Ninus duxit Semiramim, cum qua Trebetam edidit. Nino fulminato, Semiramis capta amore filij Trebetæ inconcessam uenerem meditabatur. Trebeta rerum prouidus effugit, oraculo monitus ut ubi ceruorum multitudinem uideret, urbẽ erigeret: itaq; ad Mosellã uenit, urbem extruxit, quam à ceruorum copia Treuerim dixit. Hæc Vrspergensis: τράγος enim ceruus. Illud autem falsum esse quem fugit? nondum enim Græcarum linguarum ratio tunc hominibus cõstabat, unde ab ipsius nomine dictam Treuerim puto: ita enim millesimo supra centesimum post diluuium exordium sumpsit Treueris. Hæc ex eorum Annalibus, inde Treueris semper proprium ducem habuit, à Iulio expugnata, ut in Commentarijs habemus. A' Materno lege Christiana imbuta est, inde ab Attila diruta concidit. Vltimus eorum dux luxuriosissimus à Lucio occisus est, & Clodoueo Francorum regi urbs tradebatur. Inde tempore Iouiniani iterum destruebatur, & per Ottones & Henricos ad imperium redacta est. Ante Iulium semper in amicitia Romanorum degit, ut Cæsar libro secundo scribit, inde Neruijs auxilium miserunt contra Cæsarem, iratus Iulius T. Labienum cum equitatu contra ipsos deputauit, & dum Cęsar ẽ Gallia egressus est, Treueri solicitabant Cisrhenanos, & tunc duos duces habuerunt, Cingentoricem Cæsaris amicum, & Induciamorum, ut libro quinto Comment. testatus est ipse Cęsar. Vltimò autem Labienus ipsos cepit, duabus adiunctis legionibus, & 15 auxiliaribus copijs Germanorum, ut libro sexto Cæsar asserit. Franci etiam Treuerim incenderunt tempore Theodomiri Francorum regis, Hunibaldo teste. Marlianus ex Pomponij Melæ sententia nobilissi-

nobilissimam ipsam fuisse elicit, & legatum imperij Romani habuisse, à Iulio Cæsare sibi destinatum usque ad inclinationem Imperij. Cæsar propter Germaniæ uicinitatem, quotidianis exercitatam bellis Treuerim probauit, & eius incolas cultu ac feritate à Germanis non alienos. Idem libro secundo, singularis uirtutis apud Gallos Treueros esse scribit. Pomponius libr. tertio, clarissimum Galliæ Belgicæ oppidum nominat. Lucanus:

Tu quoq; lætatus conuerti prælia Treuir.

Rudolphus Agricola in epistolis supra Mosellam ipsam sitam asserit, rerum magnitudine gestarum & uetustate urbis præclaram. Cornelius in Germania ait Treuerim circa antiquitatem Germaniæ diu ambitiosam fuisse, tanquam per hoc ab inertia & similitudine Gallorũ separetur. Ptolemæus Triberos eos nuncupat libro secundo, capite octauo, tab. tertia. Sabellicus de illis libro quinto Ennei. sextæ, Plin. libro quarto, capite decimoseptimo, Liuius & supra ipsum Florus, Marcellinus libro decimoquinto, totam historiam Treuerorum, similiter Otto Frisingensis libro primo, capite octauo exequuntur, ubi florentissimam opibus, refertissimamq́ꝫ, tum & nobilissimam urbem, totiusq́ꝫ Galliæ caput esse eam indicauerunt, & tales uersiculos in Treueri repertos fuisse:

Nini Semiramis quæ tanto coniuge felix
Non contenta suis nec totis finibus orbis,
Expulit à patrio priuignum Trebeta regno,
Insignem profugus nostram qui condidit urbem.

Et Ausonius poeta id testimonij Treueri concessit:

Armipotens dudum celebrari Gallia gestis,
Treuericæq; urbis solum, quæ proxima Rheno,
Pacis & in medio gremio secura quiescit:
Imperij uiresq; alit hæc & uestit & ornat.
Largus tranquillo perlabitur amne Mosella.

Aeneas Syluius trecentis & mille annis ante Romã Treueris antiquitatem perscrutatus est, à Trebate Nini filio & Semiramis conditore. Cœnobium seruorum Dei Treueri inchoabatur tempore Constantini, anno Christi 243. Episcopus tunc Agritius, post hũc Maximinus, inde Paulinus qui exulabat apud Phrygiam, inde Germanus Seuerus, & alij. Hæc ex Rheginone Prumiensi. Apud Treuerim cœnobium S. Simphoriani sancti patres construxerunt, & monasterium in uetusto palatio quod Horreum dicitur: quorum meminit Spanheimensis. Aeneas supra Mosellam positam hanc urbem recitat, ueterem & uenerabilem sedem, quam uiuente Petro, Apostolorum principe, mittẽdo Rusticum & Eleutherium, Christianam religionem recepisse refert. Meminit huius urbis Spanheimius. Græci incolas τοὺς τριβήρους dicunt, unde secundam producit Ptolemæus.

TRansſyluani populi sunt ultra Danubium, ubi nunc Valachi, Daci, Getæ morantur, & Teutones, referente Aenea, habitauerunt. Celtes: *Transſyluani.*

_ Ungarus acri
Barbarus ore bibit, Metanastaq; Teutonus haurit,
Hic ibi nunc pulchro stat Transyluania tractu.

Ptolemæus lib. γ. τοὺς τρανσμοντανοὺς dixit: postquã enim mentionem de Sudinis facit, addit ὑφ᾽ οὓς τρανσμοντανοὶ μέχρι τῶν πευκινῶν ὀρέων: id est, Trãsſyluani supra hos sunt usque ad Peucinos montes. Hodie Septem castra coniectantur.

Traiectum. TRAIECTVM alij Holandiæ ciuitatem uolunt, quod Aeneas negat: ait enim Friſiæ urbem, habet riualem Ottonem Friſingenſem, libro primo, capite decimoquinto, qui Friſiæ urbem ſcribit eſſe Traiectum, alij teutonicè, Iterich dicunt. Rheno autem fluuio undiq; circundata eſt, inquit Aeneas. Aliqui in ſolo Batauico ſitam, alij Friſico. De illa Volaterranus libro ſeptimo.

Triuſgri. TRiuſgri Belgarum populi, iuxta Theobochos conſederunt, ubi Romani imperatores bellantes pontem fecerunt, refert Strabo libro quarto, & ſunt contigui Neruijs. Hæc Ligurinus.

Tungri. TVngri Belgarum populi inter Eburones, Rhenum & Moſam, olim urbs epiſcopalis Lotharingiæ, iam ad Leodicenſes translata eſt, ut Marlianus & Ptolemæi enarrator teſtantur. Cornelius in Germania hos ſcribit, olim Gallos expuliſſe, & inter ſe Germanos dictos, unde Germani nomen acceperint, ita gentis, non nationis nomen præualuiſſe. De illis Plinius libro quarto, capite decimoſeptimo, Marcellinus libro decimoſeptimo, Ptolemæi uerba ſunt lib. β: ἄπα μετὰ τὸν ταβοῦλλαν ποτ. Τοὺγγροὶ καὶ πόλις αὐτῶν ἀτουάτουκον. id eſt, Poſt Tabullã fluuium Tungri ſunt ciuitas eorum Atuatucum.

Tauciati. TAuciati ſiti ſunt ubi Hercynia oritur, iuxta Nemetes, ut Marlianus, Cæſar libro ſeptimo, Lilius & alij referunt, Enarrator Ptolemæi hos putat eſſe Baſilienſes, & Tautiacos, nunc Rauracos dici, cui ego aſtipulor. Quòd enim à Rauracis nihil Baſilienſes diſtent, cuiquam priuato conſtat.

Tegerinus. TEgerinus locus apud Vindelicos eſt, quem multi in Rhetia montem Sanctum uocant. Tegeranorum Hunibaldus meminit, inter Saxoniam & Moguntinenſes habitantium Ciſrhenanorum, ſub præſidio Treuerorum. Cum his ergo Tegeranis bella geſſit Baſanus, ipſosq; deuicit, unde in eius memoriam caſtellum condidit Thaborinum, teutonicè Monthabur, ut Spanheimius ſcribit. Multa de illo Nauclerus addidit.

Tridentini. TRidentini Leopontij ſunt, ut uidetur Straboni. Peutinger hos à Gallis deducit, & Tridenſes uocat. Strabo libro quarto, ex altera parte Rheni radicis eſſe illos, & ſuo tempore latrones fuiſſe ait. Alij Tigurinos eſſe uolunt inter Nantuates & Luſanenſes, ubi, ſecundum Marlianum, Turegum eſt, cuius meminit Volaterranus, dictum quaſi duorum regum, ut Marlianus & enarrator Ptolemæi indicant. Sabellicus libro quinto Enne. ſextæ, Suritiam, niſi fallor, hanc urbem appellat. Olim obſeſſa hæc ciuitas fuit per Albertum Auſtriæ ducem, anno 1351. Volaterranus libro ſeptimo, Marliano ſuffragatur Turegum Tugerinum dicens, quam & Ligurinus Turegum appellat.

Tenteri. TEnteri à Cæſare & Tacito dicuntur. Appianus & Florus Tancheros eos uocant, Plutarchus in Cæſare Tenteritos. Liuius & Florus ſupra Liuium Centeros, licet antiquiſsimi codices dicant Tenteros. Euſebius Chetteros, Strabo, autor eſt Ioannes Camers, Ceretos, quod nec refello, nec aſſero. Cereti enim ſiue Ceretes illi coniectantur, qui lacum Conſtantienſem incoluerunt, ut ex lib. quarto Strabonis habeo. Tenteri uerò iuxta Vſipetes & Cattos eſſe Cornelius author eſt. Marlianus hos Tenchateros dixit. Hi à Sueuis diu agitati ſunt, triennioq; Rhenum tranſierunt, & Menapiorum fines occupauerunt, ut Cæſar adducit libro ſexto belli Gallici. Marlianus tempore Veſpaſiani Vbios eos ita ſollicitaſſe aſſerit, ut penè deceſſerint. Quod & Tacitus affirmat: multa de illis Põponius Mela libro tertio. Hi olim à Sueuis uexati, ad Oceanum ſederunt, cuius Cæſar & Sabellicus libro quinto Enne. ſextæ, meminere. Tacitus hos equitatu ualere teſtatur, & iuxta Vſipetes circa Rhenum, & in hiſtorijs quoq; illorum recordatur, olim exactos ipſos dicens à Cattis & Cheruſcis, ac uenundatos.

Tauriſci. TAuriſci Noricorum gentes, à Plinio libro primo, capite 19 feruntur. Strabo eos Tantiſcos nominat, Cauriſcos Polybius. Hos etiam Strabo Noricorum populos

pulos probat. Hermolaus Tetiſcos ait, rationem affert hanc, omnes quaſi Germanos ibidem ita uocitatos. Eratoſthenes Teriſcorũ meminit, ait Hermolaus in hoc Stephanum Byzantium imitatus. Cæterùm Strabo libro ſeptimo, Tauriſcas & Ligyriſtas Turiſcos dici uult. Ammianus Marcellinus libro 15, cuiuſdam Tauriſci meminit in Gallijs ab Hercule occiſi, unde ab illo Tauriſcos nomen tuliſſe recepta quorundam opinio eſt. Reuera hodie ſunt regionis incolæ, quam teutonice Kernten dicimus. Noricos enim Strabo libro quarto, Plinius olim Carnos, nunc Noricos dictos aſſerit. Eorum incurſiones compeſcuerunt Tiberius & Brutus, Strabone autore. Hos puto Iulium Capitolinum ſic uocaſſe. enumeratis enim Germanorum populis, non meminit Tauriſcorum, uerùm Variſcorum, unde multi Variſcos Varinos eſſe dixerunt, quos Hermolaus Auaros dixit, uide de litera A. Legi apud Ptolemæum in libro γ. ubi de Dacia loquitur, ἀρκτικώτερα μὲν ἀπὸ δυσμῶν τευρίσκοι κατέχουσι. id eſt, Septentrionalem partem Daciæ Teuriſci tenent. Dicuntur autem Tauriſci ab api, id eſt, Tauro uel Oſiride, ait Viterbienſis ex Diodoro.

TEctoſages iuxta Hercynium primò ſederunt, iuſticiæ & belli ſummam opinionem habentes, in egeſtate & patientia, ut Germani manentes, ait Cæſar libro ſexto. Marlianus in Galliam ipſos ueniſſe, & hos eſſe teſtatur, quos Manl. Torquatus ſtrauit in Græcia. Strabo olim illos à Phalãgia Cappadocia et Phrygia pulſos ſcribit. Liuius libro octauo Dec. 4, eorum meminit, & comitãtibus ſecum Galliæ gentibus in Aſiam eos ueniſſe. Adhuc Tectoſagum ciuitas in Aſia extat, ueſtigium huius ait Strabo: nunc uerò ſecundum aliquos Galliæ auſtrale latus tenent, & penitùs in nomen Gallorum abiuerunt. Secundum alios, ut Strabonem, iuxta Pyreneos montes habitant. Tectoſagum urbem in Gallia Narbonenſi putat Pomponius Mela libro ſecundo. *Tectoſages.*

TErgeſtum Strabo libro ſeptimo, apud Danubium eſſe ſcribit, ibi Corcorus intrat Saum. *Tergeſtum.*

TVbantes Friſiæ populi feruntur, qui proximam partem mari Oceano & Rheno incolunt, ut placet Marliano. Tacitus Clumani, inquit, Tubantes Vſipetibus fuiſſe traduntur, ſicut Dijs cœlum, lib. 15 Hiſt. Ptolemæus poſtquam de Maringis ſcripſit, ὑφ᾽ οὓς καύχαι, inquit, καὶ τούβαντοι: quare aliqui Francos eſſe dixerunt. Meminit horum Mamertinus in Panegyrico, ad Conſtantinum. *Tubantes.*

TOrbiaci in finibus Agrippinenſium ſunt, Marliano teſte. Tacitus libro nono Hiſtor. Torbiaci, inquit, Germani epulis & uino ſepultos, clauſis foribus cremauere ſeſe. *Torbiaci.*

TVringi Turinger, quorum mentio fit apud Tacitum ſæpè, Celtes Turogos illos nominat: *Turingi.*

Brachia longa iacit Sueuos Francosq; Turogos.

Eutropius tamen libro ſexto, Turingos Victoalos & Trifalos dici putauit. Nazarius Panegyricus ad Maximianum Trifalos allegat dicens: Nunc pro uictis armantur Alemanni, & alia gens Gotthorum adaucta manu Trifalorũ aduerſum Vandalos. Hæc ille. Ammianus libro ſeptimo, Trifali proximas ſuis ſedibus occupauerant liberi terras obtinebantq;. Meminit præterea Trifalorum Diaconus ſupra Eutropium libro 11. Turingos Strabo Tyregetas appellat libr. 7, & eos iuxta Albim poſuit. Turingorũ origo eſt à Cimmerijs, quos nunc Cimbros dicimus, qui olim iuxta Thraciam habitauerunt. Pulſi deinde, huc demũ conſederunt, ut pulcherrimè Capnion noſter in epiſtola ad Fridericum probat. Eutropius hos decies centena millia in circuitu habere ſcribit. Oroſius lib. 6, capite ſeptimo, Turingorum recordatur, ubi in marginibus poſitum eſt Turingi, nunc Lotharingi, ſed falſò. Tulingi enim ueteres Lotharingos dixerunt, non Turingos, unde uel litera eſt deprauata, uel malè ſcripta. Greci hos, ut dixi,

τυρεγγῆται dixerunt, apud Strabonem. Turingorum Trebellius in Claudio & Procopius meminerunt, unde non recens nomen eorum erat. Procopius libro primo, permissu Cæsaris Augusti loca ad Notum uergentia occupasse refert Turingos.

Tubingen. TVbingen oppidum Sueuiæ sub Palatinis Tubingensibus, quorum plurimam orationem habuit Abbas Vrspergensis, & hodie eorum uestigia habemus. Horum ultimi Gozo & Guilelmus Palatini comites Tubingenses hoc uendiderunt Vdalrico comiti Vuirtenbergensi, anno Domini 1342, ut Hermannus asserit. Nobile Gymnasiũ illic celebratur. Ecclesia à Sindelfingensibus, ductu & auspicio Eberhardi comitis de Vuirtenberg, & Mechtildis eius genitricis, huc translata est: anno Domini 1478 exordium sumpsit.

DE LITERA V.

Vuestria. VVEstria Vuestrich dicitur, ut Peutinger scribit. Neustriam hanc alij uocant, à Francis nomen habet, qui dum Germaniæ infinitam portionẽ possederunt, lingua eorum Austriam dixerunt terram in Orientem uergentem, sub eorum ditione & Vuestriam in Occidentem. Bilibaldus tamen Pyrckheimer ab Hunnis totam Germaniam possidentibus appellari, nuper in una epistola nobis innuit.

Viuidaria. VIuidaria gens est Barbara insulam Gepidẽ inhabitãs, quam Vistula amnis habet, & Gepide olim incoluerunt. Hæc Iornandes.

Vuinhusen. VVinhusen monasterium Agnes de Landersperg, uxor Palatini comitis nomine Conradi condidit.

Vindershusen. VIndershusen monasterium Vuipertus Saxoniæ dux erexit, & à suo nomine dixit, ut Hermannus scriptor collegit.

Vuingarten. VVingarten monasterium in Brabantia Adelheidis struxit uxor Pipini, ut Emondus testatur.

Voitlandia. VOitlandia olim ducatus, nunc sub diuersis ducibus ciuitates eius moderantur, ut Plassenburg, Potenstein, Cronachum, Scheslicz, Culmbacum, Holfelt. Pinifer etiã mons Voitlandiæ intercensetur, nostri Geographi sub Franciæ nomine eum comprehendere. Meminit huius Ioannes Schoner Mathematicus.

Vittiburga. VIttiburga Vuittenburga Saxoniæ oppidum, ubi studium uniuersale temporibus nostris est inceptum ductu Friderici ducis Germanorum omnium præstantissimi eruditissimiq;. Dicta autem est urbs hæc à Vittikindo Saxonum duce, eius primo conditore, referente Hermanno. Huc doctissimi uiri ex diuersis orbis totius regionibus euocantur. Theologiæ præest Martinus Lutherus, uir incomparabilis eruditionis.

Vuingarten. VVingarten monasterium Constantiensis diœcesis ab episcopo Constantiensi auspicatum est, destructũ inde, & à Burchardo Franco rursus restitutũ est.

Vuormholt. VVormholt monasteriũ in uilla Flandriæ Tornacensis diœcesis S. Vinotus frater B. Iodoci impulsu beati Bertini exordiebatur, ut eorum Annales ferunt.

Vuerden. VVertheym oppidulũ Franciæ, sub dominatu de Vuertheym à fluuiorum Mœni & Tuberæ confluentia nomen ferens.

Valachia. VAlachia à Transyluanis inhabitabatur, non procul ab Euxino, tota plana regio, à Meridie Istrum, à Septentrione Rhoxanos continet, ut placet Syluio. Secundum multos à Flacco nominata est: hodie Daciam esse uolunt, alij Transyluaniam. Nec tamen ueritati consonum est, quod quidam scripserũt, qui eam Bulgariam putant, dum Valachi iuxta Danubium sint, cuius hostia in Mœsia uidentur, referente Ptolemæo. Reuera ultra Septẽ castra Turcis approximant Pauli dogmata sequentes, Turcosq; à Christianis diuidunt.

Vuormacia. VVormacia urbs Rheni à suo ortu semper aduersitate summa fluctitata, Hieronymi temporibus miserijs plena extitit, ut ipse testatur Hieronymus. Attila urbem

urbem hāc deſtruxit, S. Brunhildis uerò reſtituit, reſtitutam Cæſares ſolo æquauerunt, ut Germanus epiſcopus in Hiſtoria S. Genoueuæ aſſerit. Collegium in Nuenhuſen in honorem S. Dionyſij olim Dagoberti palatium uocitatum, Samuel epiſcopus conſecrauit, nunc in decorem B. Ciriaci. Collegiū uerò S. Pauli Cunradi ducis Vuormacienſis, ferebatur caſtrum, qui in bello contra Vngaros ſub Ottone primo obijt. Hic facta commutatione, Bruſellam oppidum impetrauit à Vuormacienſibus, reſignato omni iure illis quod habuit penes eos. Hoc oppidum nepos eius Cunradus II Cæſar Spirenſibus donauit. Eccleſia illic dedicabatur anno 1113, tertio Idus Iunij, in præſentia Brunonis Treuerenſis, Eberhardi Eiſtattenſis, Albuini Merſpergenſis, Bugonis Vuormacienſis epiſcoporum. Fuit apud Vuormacienſes S. Martinus incarceratus à Iuliano apoſtata, quemadmodum teſtatur Sulpitius Seuerus in Martino: carcer adhuc cernitur. Extitit & olim dux Vuormacienſis Otto dictus, cuius meminit ſcriptor in hiſtoria S. Burchardi. Palatiū in foro ciuitatis penitùs igne populabatur Caroli temporibus. Multę ſimultates illic inter epiſcopum & ciues oboriebantur, duæ ſopitæ & reconciliatæ ceſſauerunt, tertia adhuc uibrat. Olim Vangiones hi dicebantur, ut aliqui uolunt Germanico nomine: nam finitima regio Fungau dicitur, unde Fungaugiorum nomine parum uariato uocabulo, Vangiones Græci dixerunt. Eorum meminit Marcellinus libro 15 & 16. Plinius libro 4, capite 17. Cæſar libro primo, & alij. Hos ut Greſmundus ait, Trebeta primus ſic nuncupauit. Picus in cruce: Vangiones cernunt latebroſa ſilentia ſyluæ. Lucanus: Vangiones Batauiq;. Hæc ciuitas poſtquam ſacerdotes abegit, parum fortunæ habuit, ut quotidie uidemus. Eſt ibi epiſcopatus antiquitate cum omnibus Germaniæ certans. Ciuitatem Vangionum Ptolemæus Brethomagum libro ſecundo, cap. 9 uocat. Multa Tacitus lib. decimoquarto. Hieronymus diſt. 12, epiſtola 31 ait, Vangiones longa obſidione penè deletos. Vuormaciam hanc dixit Ligurinus libro quinto: Vangiones.

Vormaciamq́, petit medio quam gurgite Rhenus,
Gallica Germanis ſuperauit rura colonis.

Paſsi autem ſunt grauiſsima Vuormacienſes à Franciſco quodam noſtro æuo nobiliſsimo, ut penè de eis actum fuerat.

VIredunum, ut uult Marlianus, ciuitas epiſcopalis eſt, prouinciæ Treuerenſes in ducatu Barenſi. Huius meminit Tacitus in hiſtoria. Viredunum.

VSbium locus Rheno propinquat, iuxta Tenteros referēte Hermolao, *sic Ciop* Ptolemæus Viſbium appellat, Martialis Vſipios propter metrum: Vsbium.

Sic leue flauorum ualeat genus Vſipiorum,
Quiſquis & Auſonium non amat Imperium.

Oppidum eorum Liſboum Plinius libro nono, capite decimoquinto, nuncupauit, hos Cornelius Vſpios uocat, & nuper Germaniam reliquiſſe, & nunc in Hiſt. Vſipos nominat, & libro penult. Vſipiſuranis exercitum ait: alij hos Iuliacenſes dicunt, & nunc Vſipetes dictos, de quibus ſequitur. Antoninus ciuitatem Vſſubium Vſipiorum adducit.

VEtera Caſtra Romanorū Hyberna ſunt, inter Coloniā & Traiectum, in ſitu Cliuenſi, ut Marlianus & enarrator Ptolemęi produnt. Tacitus in Hiſt. libro decimonono inquit: Incubuere Germani, nec refugium in caſtris erat, quæ Vetera dicuntur. Et idem, ubi de Ciuili ſcribit. Abbas Spanheimius & Antoninus in Itinerario ueteris urbis meminerunt. Sunt qui nunc ea inhabitare Aquenſes coniectura affirmauerunt. Vetera Caſtra.

VAtaſtica inſula Rheni, finitima Batauis & Friſis, diœceſis Traiectenſis, cuius rei Marlianus, Tacitus & Lilius authores ſunt. Vataſtica.

VARA-

Varagri. VARAGRI Alpini populi, ab Augusto uicti ferũtur, ut Plinius libro tertio, capite decimonono, & Strabo libro quarto, inquiunt. Orosius libro sexto, capite septimo, hos Veragrados dixit. In uico, inquit, Veragradorum. Galli illos eorum nomine Sain Maurice uocant.

Viducasses. VIducasses & Vadicasses Ptolemæus dixit. Hermolaus & Antoninus Durocassum urbem adducunt. Plinius uerò libro quarto, capite 18, Inducasses & Badicasses. Eutropius lib. sexto, Velocasses. Sunt autem Castlenses in comitatu Flandriæ, ut enarrator Ptolemæi & Sabellicus lib. quinto Enn. sextæ collegerunt. Orosius libr. sexto, capite septimo, Volacassium meminit. Similiter Marlianus & Eutropius libro sexto, Ptolemęus τοὺ οὐαδικασσίους notat.

Vidouisse. VIdouisse locus iuxta Moguntiam, ut Marlianus, enarrator Ptolemæi & Tacitus aiunt.

Verbigenus. VErbigenus Heluetiorum pagus est, referente Marliano.

Volcæ. VOlcæ uel Volgæ Galli iuxta Rhodanum habitant. Sillius libro primo:

Volcarum populatur iter, timidiq; minaces
Accedit Rhodani, festiuo milite ripas.

Strabo iuxta Sallyos esse hos ait, nunc Arauiscos dici, de quibus libro primo scripsimus, quod hodie esse non potest, cum Arauisci Pannonię populi sint, nõ Galliæ, sed Vngariæ. Ptolemæus ἀρκτικώτατοι, inquit, κατέχουσι ἀραυίσκοι, cuius partem Septentrionalem tenent Arauisci.

Vennones. VEnnones Vindelicorum populi sunt. Strabo libro 4. Ptolem. οὐέννονες.

Vsipetes, VSipetes Iuliacenses enarrator Ptolemęi probat à Druso superatos. De illis Florus libro tertio, & Peutinger. Hi ut Cæsar libro quarto inquit, à Sueuis premebantur, igitur ad Romanos fugerunt. Marlianus Cliuenses agros illos possidere asserit. Cornelius Vsipetes iuxta Cattos ponit, olim secundum Sabellicũ libro quinto Enn. sextæ, à Sueuis actos dixi, secundumq; Cæsarem ad Oceanum consedisse. Cornelius iuxta Teuterios ipsos locauit ad Rhenum. Galli eos uocant Franefors eorum lingua.

Vlma. VLma ciuitas Sueuię, olim sub dominio in Richenau. Hic Hilarus et Blauus flumina præterlabuntur. Dicta est autẽ ab ulmis uel uligine, ut hi uersus notãt:

Vlma decus Sueuiæ, quia prima ab origine ducat
Principium, nullis stat certum Annalibus, extat
Nomen, quod Latio desumptum est fonte, quòd apta
Vlmetis posita est plena hæc uligine terra.

Picus huius urbis meminit:

Spectarunt fontes ipsis sub mœnibus Vlmæ.

Volaterranus libro septimo Comment. de illa urbe, & Ligurinus libro 5,

Totus apud nostram fruiturq; exercitus Vlmam.

Hoc oppidum obsedit Lotharius contra Conradum bellum mouẽs, ut Hermannus Chronographus asserit: Vide Celtem in Amoribus. Antoninus Pius in Itinerario, postquam de Augusta ac Treueri differit, ciuitatis meminit, cuius nomen Vlmos est. Ex supputatione quadraret istam fuisse urbem, nisi ratio antiquitatis subsisteret.

Villacum. VIllacum à Ptolemæo Vacoritum dictum est, libro tertio, capite tertio, tabula tertia. Alij Vacorium.

Vandalia. VAndalia Septentrionalis pars septima est, à Vandalo flumine nomen ferẽs, ait Lilius. Vandali enim, olim fugati à Germania, ut Peutinger collegit, iterumq; reuersi Franconiam uastabant. Inde Aquitaniam ad interiorem Hispaniam uenerunt cum Gotthis. Inde tempore Theodosij Africam populati sunt, capta

capta Carthagine & Sicilia (authore Platina in uita Celestini) tempore Valentiniani anno 583. Leo contra Gensericum (ibidem Platina in uita Hilarij testatur) debellauit & uicit. Inde Genserico successit Hunericus, quē Platina & Eutropius libro decimosexto, Hunericum uocant, tempore Theoderici & Clodouei. Inde Transimundus (ut Platina in uita Simplicij asserit) & Hildericus successerunt, qui à Iustiniano uictus est.

VIrunium (Indelburg) Pannoniæ urbs, Plinius Virunium oppidum nominat Noricorum libro tertio, capite decimoquarto. Dicitur autem Virunum quasi uir unus, ut inquit Suidas Græcus. Sus enim Bauariam deuastans, à nullo præter uno uiro expellebatur, ut libro primo in capite De Noricis, Græca uerba Suidæ attulimus. Meminit huius urbis Antoninus. *Virunium.*

VAttacum, Gulch, de quo Tacitus. *Vattacum.*

VRatislauia urbs Sclesiæ amplissima, aureo episcopatu donata est, authore Syluio. Illic post festum Michaelis anno 1483, hæretici consules Christianos eiecerunt per fenestras, sudibusq; eos rursus exceperunt, unde à Sigismundo securi percußi sunt. Dicta autem est secundum Aeneam urbs hæc ab Vratislao: olim ciuitas illa Budorgis appellabatur. Vratislaus secūdus rex Bohemiæ hanc condidit inter duos montes, ut Aeneas in historia Bohemica collegit. *Vratislauia.*

VVestualia Germaniæ prouincia, Coloniensi episcopo subdita est, ab Occidente flumine clauditur, à Septentrione Frisiam habet & Traiectum, Meridiem Hassiæ montes excipiunt: alij Vuestualdos & Ostueldos. Nunc alij alio nomine eos Sycambros uocant, unde lex Sycambrica pro Vuestualica sumitur. Ligurinus: Vuestualæq; urbes & Norica rura tenentes. Dicūtur Vuestuali secundum authores, quia fuerunt Saxones qui cum Longobardis in Italiam uenerunt, & cum redierunt, Vuestuali dicti sunt, id est Occidentales Galli. Insunt autem Vuestualis quatuor episcopatus, Mindensis, Monasteriēsis, Bremensis, & Padebornensis. S. Vualpurgis monasterium à Theoderico comite montis Peligardi extructum est, tempore Gregorij septimi, & Henrici tertij. Habent hi ordinem S. Benedicti. *Vuestualia.* *S. Vualpurgis monasterium.*

DE LITERA Z.

ZVifalt in alpibus monasterium, ut Ottoni placet libro primo De rebus Friderici, capite nono, destructum, & inde à Vuilhelmo precibus Bertholdi restitutum est. Vide Hermannum & Nauclerum. *Zuifalten.*

ZEringen Brisgauiæ locus est iuxta Friburgum, à quo duces Zeringenses dicti sunt, uti libro tertio adduximus. *Zeringen.*

Ad nobilem Vniuersitatem Heidelbergensem, eiusq; heroas, Francisci Irenici Etelingiacensis carmen, in operis conclusionem:

Porticus haud opus est gratia ut spectetur, Athenas
Dum similes Graijs Neccharus amnis alat.
Nobilis omnigenis plus Heidelberga meretur
Artibus, haud ullis interhabenda scholis.
Vos proceres latos hos ne auersetis honores:
Prodijt è uestro, dos, liber ille penu.

LIBRI DVODECIMI ET VLTIMI FINIS.

AD FRANCISCI IRENICI EXEGE-
seos Germaniæ Libros, locupletiss. Index.

O barba-

daci

H

I

iaua-

populi

scy-

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA PAVLI Queci, ſumptibus hæredum Petri Brubachij.
Anno Salutis M. D. LXVII.
Menſe Auguſto.

